S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI DE CIVITATE DEI LIBRI...

Aurelius santo Augustinus, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

S. Augu. & Ciuit. Dei. P.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. AURELII AUGUSTINI HIPPPONENSIS EPI-SCOPI

De

CIVITATE DEI

LIBRI XXII.

in duos tomos diviſi,

ex vetuſtisſimis MSS. exemplaribus emendati,

juxta noviſſimam editionem Colonienſem.

PARS SECUNDA.

Accedunt Commentarii eruditi, & integri quidem, JOAN. LUDOV. VIVIS Hiſpal. ac LEONH. COQUEI Aurelianenſis.

Cum Indice gemino,

altero Locorum Sc. S. altero rerum ac verborum locupletisſimo.

FRANCOF. ac HAMBURGI.

Sumtibus ZACHARIÆ HERTELII

A. MDC LXI.

Digitized by Google

37.16.A.13

Digitized by Google

ELENCHUS CAPITUM IN DIVI AURELII AUGUSTINI DE CIVITATE DEI,

LIBRUM XIII.

1 DE lapſu primi hominis, per quem eſt contracta mortalitas.

2 De ea morte, quæ animæ ſemper utcunque victuræ accidere poteſt, & ea cui corpus obnoxium eſt.

3 Utrum mors, quæ per peccatum primorum hominum in omnes homines pertranſiit, etiam ſanctis pœna peccati ſit.

4 Cur ab his, qui per gratiam regenerationis ſunt abſoluti à peccato, non auferatur mors, id eſt, pœna peccati.

5 Quòd ſicut iniqui malè utuntur lege, quæ bona eſt, ita & juſti benè utuntur morte, quæ mala eſt.

6 De generalis mortis malo, quo animæ & corporis ſocietas ſeparatur.

7 De morte, quam non regenerati pro Chriſti confeſſione ſuſcipiunt.

8 Quod in ſanctis primæ mortis pro veritate ſuſceptio, ſecundæ ſit mortis abſolutio.

9 Utrum tempus mortis, quo vitæ ſenſus aufertur, in morientibus, an in mortuis eſſe, dicendum ſit.

10 An vita mortalium, mors potius quàm vita dicenda ſit.

11 An quiſquam ſimul & vivens poſſit eſſe & mortuus.

12 Quam mortem primis hominibus Deus, ſi mandatum ejus tranſgrederentur, fuerit comminatus.

13 Prævaricatio primorum hominum, quam primam ſenſerit pœnam.

14 Qualis homo ſit factus à Deo, & in quam ſortem deciderit ſuæ voluntatis arbitrio.

15 Quòd Adam peccans prius reliquerit Deum, quàm relinqueretur à Deo, & primam fuiſſe animæ mortem à Deo receſſiſſe.

16 De philoſophis, qui animæ ſeparationem à corpore non putant eſſe pœnalem, cum Plato inducat ſummum Deum minoribus diis promittentem, quòd nunquam ſint corporibus exuendi.

17 Contra eos, qui aſſerunt terrena corpora incorruptibilia fieri & æterna non poſſe.

18 De terrenis corporibus, quæ Philoſophi affirmant, in cœleſtibus eſſe non poſſe: quia quod terrenum eſt, naturali pondere vocetur ad terram.

19 Contra eorum dogmata, qui primos homines, ſi non peccaſſent, immortales futuros fuiſſe non credunt.

20 Quòd caro ſanctorum, quæ nunc requieſcit in ſpe, in meliorem recuperanda ſit qualitatem, quàm fuit primorum hominum ante peccatum.

21 De paradiſo, in quo primi homines fuerant, quod rectè poſſit ſignificatione ejus ſpiritale aliquid intelligi, ſal-

ſalva veritate narrationis hiſtoricæ de corporali loco.

22 De corporibus ſanctorum poſt reſurrectionem, quæ ſic ſpiritalia erunt, ut non in ſpiritum caro vertatur.

23 Quid intelligendum ſit de corpore animali, & de corpore ſpiritali: ut qui moriuntur, in Adam: qui verò vivificantur, in Chriſto.

24 Qualiter accipienda ſit vel illa inſufflatio: in qua primus homo factus eſt in animam viventem: vel illa, quam Dominus fecit, dicens: Accipite Spiritum ſanctum.

IN LIBRUM XIV.

1 Per inobedientiam primi hominis, in ſecundæ mortis perpetuitatem ruituros fuiſſe omnes, niſi multos Dei gratia liberaret.

2 De vita carnali, quæ non ex corporis tantùm, ſed etiam ex animi ſit intelligenda vitiis.

3 Peccati cauſam ex anima, non ex carne prodiſſe, & corruptionem ex peccato contractam, non peccatum eſſe, ſed pœnam.

4 Quid ſit ſecundùm hominem, quidvé ſecundùm Deum vivere.

5 Quòd de corporis animæque natura tolerabilior quidem Platonicorum quàm Manichæorum ſit opinio: ſed & ipſi reprobantur: quoniam vitiorum cauſas naturæ carnis aſcribunt.

6 De qualitate voluntatis humanæ, ſub cujus judicio affectiones animi aut pravæ habentur aut rectæ.

7 Amorem & delectationem indifferenter & in bono & in malo apud ſacras literas inveniri.

8 De tribus perturbationibus, quas in animo ſapientis Stoici eſſe voluerunt, excluſis dolore ſive triſtitia, quam virtus animi ſentire non debeat.

9 De perturbationibus animi, quarum affectus rectos habet vita juſtorum.

10 An primos homines in paradiſo conſtitutos nullis perturbationibus priusquam deliquerint affectos fuiſſe, credendum ſit.

11 De lapſu primi hominis, in quo bene condita natura eſt, nec poteſt niſi à ſuo autore reparari.

12 De qualitate primi peccati per hominem admiſſi.

13 Quòd in prævaricatione Adæ ad opus malum mala præceſſit voluntas.

14 De ſuperbia transgreſſionis, quæ ipſa fuit transgreſſione deterior.

15 De juſtitia retributionis, quam primi homines pro ſua inobedientia receperunt.

16 De libidinis malo, cujus nomen cùm multis vitiis congruat, propriè tamen motibus obſcœnis corporis adſcribitur.

17 De nuditate primorum hominũ, quam poſt peccatum turpem pudendamque viderunt.

18 De pudore concubitus, non ſolùm vulgari, ſed etiam conjugali.

19 Quòd partes iræ atque libidinis tam vitiosè moventur, ut eas neceſſe ſit frænis ſapientiæ cohiberi, quæ in illa ante peccatum naturæ ſanitate non fuerunt.

20 De vaniſſima turpitudine Cynicorum.

21 De benedictione multiplicandæ fœcunditatis humanæ ante peccatum, quam prævaricatio non adimeret, & cui libidinis morbus acceſſerit.

22 De

Digitized by Google

22 De copula conjugali à Deo primitus inſtituta atque benedicta.

23 An etiam in paradiſo generandum fuiſſet, ſi nemo peccaſſet: vel utrum contra actum libidinis pugnatura illic fuiſſet traditio caſtitatis.

24 Quòd inſontes homines & merito obedientiæ in paradiſo permanentes, ita genitalibus membris fuiſſent uſuri ad generationem prolis, ſicut cæteris ad arbitrium voluntatis.

25 De vera beatitudine, quam temporalis vita non obtinet.

26 Quòd fœlicitas in paradiſo viventium, ſine erubeſcendo appetitu generandi officium credenda ſit implere potuiſſe.

27 De peccatoribus, & angelis, & hominibus, quorum perverſitas non perturbat providentiam Dei.

28 De qualitate duarum civitatum, terrenæ atque cœleſtis.

IN LIBRUM XV.

1 De duobus ordinibus generationis humanæ in diverſos fines ab initio procurrentis.

2 De filiis carnis, & filiis promisſionis.

3 De ſterilitate Saræ, quam Dei gratia fœcundavit.

4 De terrenæ civitatis vel concertatione vel pace.

5 De primo terrenæ civitatis autore fratricida, cujus impietati Romanæ urbis conditor germani cæde reſponderit.

6 De languoribus, quos ex pœna peccati etiam cives civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione patiuntur, & à quibus Deo medente ſanantur.

7 De cauſa & pertinacia ſceleris Cain, quem à facinore concepto, nec Dei ſermo revocavit.

8 Quæ ratio fuerit, ut Cain inter principia generis humani conderet civitatem.

9 De longa vita hominum, quæ fuerit ante diluvium, & de ampliore humanorum corporum forma.

10 De differentia, qua inter Hebræos & noſtros codices videntur annorum numeri diſſonare.

11 De annis Mathuſalem, cujus ætas quatuordecim annis videtur diluvium excedere.

12 De opinione eorum, qui primorum temporum homines tam longævos quàm ſcribitur fuiſſe non credunt.

13 An in dinumeratione annorum Hebræorum magis quàm Septuaginta interpretum ſit ſequenda autoritas.

14 De parilitate annorum, qui iiſdem, quibus nunc ſpatiis, & prioribus ſeculis cucurrerunt.

15 An credibile ſit, primi ſeculi viros uſque ad eam ætatem, qua filios generaſſe referuntur, & concubitu continuiſſe.

16 De jure conjugiorum, quod diſſimiliter à ſubſequentibus matronis habuerint prima connubia.

17 De duobus ex uno genitore procreatis, patribus atque principibus.

18 Quid ſignificatum ſit in Abel, & Seth, & Enos, quod appareat ad Chriſtum, & corpus ejus, id eſt, Eccleſiam pertinere.

19 De ſignificatione, quæ in Enoch translatione monſtratur.

20 De eo, quòd Cain ſucceſſio in octo ab Adam generationes clauditur: & in poſteris ab eodem patre Adam Noë decimus invenitur.

 21 Quæ

21 Qua ratione commemorato Enoch, qui fuit filius Cain, totius generationis ejus usque ad diluvium ſit continuata narratio: commemoratio autem Enos, qui fuit filius Seth, ad conditionis humanæ principium ſit reditum.

22 De lapſu filiorum Dei, alienigenarum mulierum amore captorum: unde & omnes exceptis octo hominibus, diluvio perire meruerunt.

23 An credendum ſit, angelos ſubſtantiæ ſpiritualis amore ſpecioſarum mulierum captos, earundem iniſſe conjugia, ex quibus Gigantes ſint creati.

24 Quomodo intelligendum ſit quod eis qui diluvio perdendi erant dominus dixerit : Erunt dies eorum, centum vingiti anni.

25 De ira Dei , quæ incommutabilem tranquillitatem nulla inflammatione perturbat.

26 Quod arca quam Noe juſſus eſt facere, in omnibus Chriſtum eccleſiamque ſignificet.

27. De arca, atque diluvio, nec illis eſſe conſentiendum, qui ſolam hiſtoriam recipiunt ſine allegorica ſignificatione, nec illis qui ſolas figuras defendunt, repudiata hiſtorica veritate.

IN LIBRUM XVI.

1 An poſt diluvium à Noe usque ad Abraham aliquæ familiæ ſecundùm Deum viventium reperiantur.

2 Quid in filiis Noe prophetice fuerit præfiguratum.

3 De generationibus trium filiorum Noe.

4 De diverſitate linguarum principioque Babylonis.

5 De deſcenſione domini ad confundendam linguam ædificantium turrim.

6 Qualis intelligenda ſit locutio, qua Deus angelis loquitur.

7 An omne beſtiarum genus etiam remotiſſimæ à terris inſulæ ex eo numero acceperint, qui arca diluvii inundatione ſervatus eſt.

8 An ex propagine Adam vel filiorum Noe quædam genera hominum monſtroſa prodierint.

9 An inferiorem partem terræ, quæ noſtræ habitationi contraria eſt, Antipodas habere credendum ſit.

10 De generatione Sem , in cujus progenie tendens ad Abraham civitatis Dei ordo dirigitur.

11 Quod ea primitus lingua in uſu hominum fuerit, quæ poſtea Hebræa ab Heber nomine nuncupata eſt, & in cujus familia remanſit, cum diverſitas eſſet facta linguarum.

12 De articulo temporis in Abraham, à quo ſanctæ ſucceſſionis novus ordo contexitur.

13. Quæ ratio feciſſe videatur, ut in transmigratione Thare, qua Chaldæos deſerens in Meſopotamiam tranſivit, nulla filii ejus Nachor facta ſit mentio.

14 De annis Thare, qui in Charra vitæ tempus implevit.

15 De tempore promiſſionis Abrahæ, qua ſecundùm præceptum Dei exivit de Charra.

16 De ordine & qualitate promiſſionum Dei, quæ ad Abraham factæ ſunt.

17 De tribus excellentioribus gentium regnis, quorum, id eſt Aſſyriorum, jam Abraham ſublimius eminebat.

18 De iterato alloquio Dei ad Abraham, quo ei & ſemini ejus Chanaan terra promittitur.

19 De

Digitized by Google

19 De Saræ pudicitia in Ægypto per dominum cuſtodita, quam Abraham non uxorem ſuam eſſe dixerat, ſed ſororem.

20 De ſucceſſione Loth & Abrahæ, quæ illis ſalva charitate complacuit.

21 De tertia promiſſione Dei, qua terram Chanaan Abrahæ & ſemini ejus in perpetuum pollicetur.

22 De ſuperatis ab Abraham hoſtibus Sodomorum, quando Loth de captivitate eripuit, & à Melchiſedech ſacerdote benedictus eſt.

23 De verbo domini ad Abraham, quo ei promittitur ſecundùm multitudinem ſtellarum multiplicanda poſteritas, quod credens juſtificatus eſt adhuc in præputio conſtitutus.

24 De ſignificatione ſacrificii, quo Abraham offerre præceptus eſt, cùm popoſciſſet, ut de his quæ crediderat doceretur.

25 De Agar ancilla Saræ, quam eadem Sara Abrahæ voluit eſſe concubinam.

26 De teſtificatione ad Abraham, qua eidem ſeni de ſterili Sara filium ſpopondit, patremque eum gentium ſtatuit, & promiſſi fides ſacramento circumciſionis obſignatur.

27 De maſculo, qui ſi octavo die non fuerit circumciſus perit anima ejus, quia teſtamentum Dei diſſipavit.

28 De commutatione nominum Abræ & Saræ, qui cùm ob unius ſterilitatem, ob utriusque autem ſenectutem generare non poſſent, munus fœcunditatis adepti ſunt.

29 De tribus viris vel angelis, in quibus ad quercum Mambræ apparuiſſe Abrahæ dominus manifeſtatur.

30 De Loth à Sodomis liberato, atque eisdem cœleſti igne conſumptis, & Abimelech cujus concupiſcentia caſtitati Saræ nocere non potuit.

31 De Iſaac ſecundum promiſſionem nato, cujus nomen ex riſu utriusque parentis eſt inditum.

32 De obedientia & fide Abrahæ, qua per oblationem immolandi filii probatus eſt, & de morte Saræ.

33 De Rebecca nepte Nachor, quam Iſaac accepit uxorem.

34 Quid intelligendum ſit in eo quod Abraham poſt mortem Saræ accepit uxorem Cethuram.

35 De geminis adhuc in utero Rebeccæ matris incluſis, quid indicaverit divina reſponſio.

36 De oraculo & benedictione quam Iſaac non aliter quam pater ipſius merito ejusdem ac dilectione accepit.

37 De his quæ in Eſau & Jacob myſticè præfigurantur.

38 De miſſione Jacob in Meſopotamiam ad accipiendam uxorem & de viſione quam in itinere ſomniavit, & de quatuor ipſius fœminis, cùm unam petiſſet uxorem.

39 Quæ ratio fuerit, ut etiam Iſrael cognominaretur.

40 Quomodo Jacob cum ſeptuagintaquinque animabus Ægyptum narretur ingreſſus, cùm plerique ex eis qui commemorantur tempore poſteriore ſint geniti.

41 De benedictione, quam in Judam filium ſuum promiſit.

42 De filiis Joſeph, quos Jacob prophetica manuum ſuarum transmutatione benedixit.

43 De temporibus Moyſi & Jeſu nave, ac Judicum, atque exinde regum, quorum quidem Saul primus eſt, ſed

David

David præcipuus & ſacramento habetur & merito.

IN LIBRUM XVII.

1 De temporibus prophetarum.

2 Quo tempore ſit impleta promisſio Dei de terra Chanaan, quam in promiſſionem Iſrael carnalis accepit.

3 De tripertitis ſignificationibus prophetarum, quæ nunc ad terrenam, nunc ad cœleſtem Hieruſalem, nunc autem ad utranque referuntur.

4 De præfigurata cõmutatione Iſraelitici regni, & ſacerdotii: & de his quæ antea mater Samuelis perſonam gerens eccleſiæ prophetavit.

5 De his quæ ad Heli ſacerdotem homo Dei prophetice locutus eſt, ſignificans ſacerdotium, quod ſecundum Aaron inſtitutum fuerat, auferendum.

6 De Judaico ſacerdotio & regno: quæ cum in æternum dicantur ſtatura, non permanent: ut alia intelligantur, quæ ſpondentur æterna.

7 De diruptione regni Iſraelitici, qua præfiguratur perpetua diviſio Iſraelis ſpiritalis, ab Iſraele carnali.

8 De promiſſionibus ad David in filio ejus, quæ nullatenus in Salomone, ſed pleniſſime inveniuntur in Chriſto.

9 Quam ſimilis in Pſalmo octogeſimo octavo ſit prophetia de Chriſto, his quæ in regnorum libris Nathan promittuntur.

10 Quam diverſa acta ſint in regno terrenæ Hieruſalem, ab his quæ promiſerat Deus, ut intelligeretur promiſſionis divinitas, ad alterius regis & regni gloriam pertinere.

11 De ſubſtantia populi Dei, quæ per ſucceſſionem carnis in Chriſto eſt: qui ſolus eruendi animam ſuam ab inferis, habuit poteſtatem.

12 Ad quorum perſonam pertinere intelligenda ſit flagitio promiſſorum: de quibus in Pſalmo dicitur: Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ domine.

13 An promiſſæ pacis veritas illis temporibus poſſit aſcribi, quæ ſub Salomone fluxerunt.

14 De ſtudio David in poſitione Pſalmorum.

15 An omnia quæ in Pſalmis de Chriſto & eccleſia prophetantur, ad contextum hujus operis coaptanda ſint.

16 De his quæ in quadrageſimoquarto Pſalmo ad Chriſtum & eccleſiam pertinentia, aut aperte dicuntur, aut tropicè.

17 De his quæ ad ſacerdotium Chriſti in Pſalmo centeſimonono, & de his quæ in Pſalmo vigeſimoprimo ad pasſionem ipſius ſpectant.

18 De Pſalmo tertio, & de quadrageſimo, & de quintodecimo, & de ſexageſimoſeptimo, in quibus mors & reſurrectio domini prophetantur.

19 De Pſalmo ſexageſimooctavo, in quo Judæorum pertinax infidelitas declaratur.

20 De regno ac merito David, & de filio ipſius Salomone, eaque prophetia quæ ad Chriſtum pertinens invenitur: vel in eis libris qui ſcriptis ipſius copulantur: vel in eis quos ipſius eſſe, non dubium eſt.

21 De regibus poſt Salomonem, ſive in Judæa, ſive in Iſrael.

22 De Hieroboam, qui impietate idololatriæ ſubditum ſibi populum prophanavit, in quo tamen non deſtitit Deus, & prophetas inſpirare, & multos ab idololatriæ crimine cuſtodire.

23 De

23 De vario utriusque regni Hebræorum ſtatu, donec ambo populi in captivitatem diverſo tempore ducerentur, revocato poſtea Juda in regnum ſuum: quod noviſſime in Romanorum tranſiit poteſtatem.

24 De prophetis, qui vel apud Judæos poſtremi fuerunt, vel quos circa tempus nativitatis Chriſti evangelica prodit hiſtoria.

IN LIBRUM XVIII.

1 De his quæ usque ad tempora Salvatoris decem & ſeptem voluminibus diſputata ſunt.

2 De terrenæ civitatis regibus, atque temporibus: quibus ab exortu Abrahæ ſanctorum tempora ſupputata conveniunt.

3 Quibus regnantibus apud Aſſyrios, atque Sicyonios, Abrahæ centenario Iſaac de promiſſione ſit natus: vel ipſi Iſaac ſexagenario Eſau & Jacob gemini de Rebecca ſint æditi.

4 De temporibus Jacob, & filii ejus Joſeph.

5 De Api rege Argivorum, quem Ægyptii Serapin nominatum divino honore coluerunt.

6 Quo regnante apud Argivos, quove apud Aſſyrios Jacob in Ægypto mortuus ſit.

7 Quorum regum tempore Joſeph in Ægypto defunctus ſit.

8 Quorum regum ætate Moyſes natus ſit, & quorum deûm iisdem temporibus ſit orta religio.

9 Quando Athenienſium civitas ſit condita, & quam cauſam nominis ejus Varro perhibeat.

10 Quid Varro tradat de nuncupatione Areopagi, & de diluvio Deucalionis.

11 Quo tempore Moyſes populum Dei de Ægypto eduxerit, & Jeſus Nave qui eidem ſucceſſit, quorum regum ætate ſit mortuus.

12 De ſacris falſorum deorum, quæ reges Græciæ illis temporibus inſtituerunt, quæ ab exitu Iſrael de Ægypto uſque ad obitum Jeſu Nave dinumerantur.

13 Qualium fabularum figmenta exorta ſint eo tempore, quo Hebræis judices præeſſe cœperunt.

14 De theologis poetis.

15 De occaſu regni Argivorum, quo tempore apud Laurentes Picus Saturni filius regnum patris primus accepit.

16 De Diomede poſt Trojæ excidium in deos relato, cujus ſocii traditi ſunt in volucres eſſe converſi.

17 De incredibilibus hominum commutationibus quid Varro crediderit.

18 Quid credendum ſit de transformationibus, quæ arte dæmonum hominibus videntur accidere.

19 Quòd eo tempore Æneas in Italiam venerit, quo Lapidoth judex præſidebat Hebræis.

20 De ſucceſſione ordinis apud Iſraëlitas poſt judices.

21 De regibus Latii, quorum primus Æneas, & duodecimus Aventinus dii facti ſunt,

22 Quòd eo tempore Roma ſit condita, quo regnum Aſſyriorum intercedit, quo Ezechias regnavit in Judæa.

23 De Sibylla Erythræa, quæ inter alias Sibyllas cognoſcitur de Chriſto evidentia multa ceciniſſe.

24 Quòd regnante Romulo ſeptem ſapientes claruerint, quo tempore decem tribus, quæ Iſraël dicebantur, in captivitatem à Chaldæis ductæ ſunt, idemque Romulus mortuus divino honore donatus eſt.

25 Qui Philoſophi enituerint regnante apud Romanos Tarquinio Priſco, apud Hebræos Sedechia, cùm Hieruſalem capta eſt, templumque ſubverſum.

26 Quòd eo tempore, quo impletis ſeptuaginta annis, Judæorum eſt reſoluta captivitas, Romani quoque à dominatu ſunt regio liberati.

27 De temporibus prophetarum, quorum oracula habentur in libris, quique tunc de vocatione gentium multa cecinerunt, quando Romanorum regnum cœpit, Aſſyriorumque defecit.

28 De his, quæ ad Evangelium Chriſti pertinent, quid Oſee & Amos prophetaverint.

29 Quæ ab Eſaia de Chriſto & Eccleſia ſint prædicta.

30 Quæ Micheas, & Jonas, & Johel novo teſtamento congruentia prophetaverint.

31 Quæ in Abdia, in Naum, & Abacuc de ſalute mundi in Chriſto prænunciata reperiantur.

32 De prophetia, quæ in oratione Abacuc, & cantico continetur.

33 De Chriſto & vocatione gentium, quæ Hieremias & Sophonias prophetico ſpiritu ſint præfati.

34 De prophetia Danielis & Ezechielis, quæ in Chriſtum Eccleſiamque concordat.

35 De trium Prophetarum vaticinio, id eſt, Aggæi, Zachariæ & Malachiæ.

36 De Eſdra & Machabæorum libris.

37 Quòd prophetica authoritas omni origine gentilis philoſophiæ inveniatur antiquior.

38 Quòd quædam ſanctorum ſcripta Eccleſiaſticus canon propter nimiam non receperit vetuſtatem, ne per occaſionem eorum falſa veris insererentur.

39 De Hebraicis literis, quæ nunquam in ſuæ linguæ proprietate non fuerunt.

40 De Ægyptiorum mendaciſſima vanitate, quæ antiquitati ſcientiæ ſuæ centum millia adſcribit annorum.

41 De philoſophicarum opinionum diſſenſionibus, & canonicarum apud Eccleſiam concordia ſcripturarum.

42 Qua diſpenſatione providentiæ Dei, Scripturæ ſacræ veteris teſtamenti ex Hebræo in Græcum eloquium tranſlatæ ſint, ut univerſis gentibus innoteſcerent.

43 De autoritate Septuaginta interpretum, quæ ſalvo honore Hebraicæ linguæ, omnibus ſit interpretibus præferenda.

44 Quid intelligendum ſit de Ninivitarum excidio, cujus denunciatio in Hebræo quadraginta dierum ſpatio tenditur: in Septuaginta autem tridui brevitate concluditur.

45 Quòd poſt inſtaurationem templi, Prophetas Judæi habere deſtiterint: & exinde uſque ad nativitatem Chriſti continuis adverſitatibus ſint afflicti, ut probaretur alterius templi ædificationem propheticis vocibus fuiſſe promiſſam.

46 De ortu Salvatoris noſtri, ſecundùm quod verbum caro factum eſt: & de

de diſperſione Judæorum per omnes gentes, ſicut fuerat prophetatum.

47 An ante tempora Chriſti, aliqui fuerint extra Iſraëliticum genus, qui ad cœleſtis civitatis conſortium pertinerent.

48 Prophetiam Aggæi, qua dixit majorem futuram gloriam domus Dei, quàm primùm fuiſſet, non in ædificatione templi, ſed in Eccleſia Chriſti eſſe completam.

49 De incerta multiplicatione Eccleſiæ, qua in hoc ſeculo multi reprobi miſcentur electis.

50 De prædicatione Evangelii, quæ per paſſiones prædicantium clarior & potentior facta eſt.

51 Quòd etiam per hæreticorum diſſenſiones fides catholica roboretur.

52 An credendum ſit, quod quidam putant, impletis decem perſecutionibus, quæ fuerunt, nullam ſupereſſe præter undecimam, quæ in ipſo Antichriſti tempore ſit futura.

53 De tempore noviſſimæ perſecutionis occulto.

54 De ſtultiſſimo mendacio Paganorum, quo Chriſtianam religionem non ultra trecentorum ſexaginta quinque annorum manſuram ſpatium eſſe finxerunt.

IN LIBRUM XIX.

1 Quod in quæſtione quam de finibus bonorum & malorum philoſophica diſputatio ventilavit, ducentas octoginta & octo ſectas eſſe Marcꝰ Varro perſpexerit.

2 Quomodo remotis omnibus differentiis, quæ non ſectæ, ſed quæſtiones ſunt, ad tripertitam ſummi boni definitionem Varro perveniat, quarum tamen una ſit eligenda.

3 De tribus ſectis ſummum hominis bonum quærentibus, quam eligendam Varro definiat, ſequens veteris Academiæ Antiocho autore ſententiam.

4 De ſummo bono & ſummo malo quid Chriſtiani ſentiant contra philoſophos, qui ſummum bonum in ſe ſibi eſſe dixerunt.

5 De ſociali vita, quæ cùm maximè expetenda ſit, multis offenſionibus ſæpè ſubvertitur.

6 De errore humanorum judiciorum quum veritas latet.

7 De diverſitate linguarum, qua ſocietas hominum dirimitur, & de miſeria bellorum etiam quæ juſta dicuntur.

8 Quòd amicitia bonorum ſecura eſſe non poſſit, dum à periculis præſentis vitæ trepidari neceſſe ſit.

9 De amicitia ſanctorum Angelorum, quæ homini in hoc mundo non poteſt eſſe manifeſta propter fallaciam dæmonum, in quos inciderunt, qui multos ſibi deos colendos putaverunt.

10 Quis fructus ſanctis de ſuperata hujus vitæ tentatione paratus ſit.

11 De beatitudine pacis æternæ, in qua ſanctis finis eſt, id eſt, vera perfectio.

12 Quòd etiam bellantium ſævitia, omneſque hominum inquietudines ad pacis finem cupiant pervenire, ſine cujus appetitu nulla natura ſit.

13 De pace univerſali, quæ inter quaslibet perturbationes privari non poteſt lege naturæ, dum ſub juſto judice ad id quisque pervenit ordinatione, quod meruit voluntate.

14 De ordine ac lege ſive cœleſti, ſive terrena, per quam ſocietati humanæ etiam dominando conſulitur, & conſulendo ſervitur.

15 De libertate naturali, & de ſervitute, cujus prima cauſa peccatum eſt, qua homo malæ voluntatis etiamſi non eſt mancipium alterius hominis, ſervus eſt propriæ libidinis.

16 De æquo jure dominandi.

17 Unde cœleſtis ſocietas cum terrena civitate pacem habeat, & unde diſcordiam.

18 Quàm diverſa ſit Academiæ novæ ambiguitas à conſtantia fidei Chriſtianæ.

19 De habitu & moribus populi Chriſtiani.

20 Quòd cives ſanctorum in hujus vitæ tempore ſpe beati ſint.

21 An ſecundùm definitiones Scipionis, quæ in dialogo Ciceronis ſunt, unquam fuerit Romana Reſpublica.

22 An verus ſit Deus, cui Chriſtiani ſerviunt, cui ſoli debeat ſacrificari.

23 Quæ Porphyr. dicat oraculis deorum reſponſa de Chriſto.

24 Qua definitione conſtet populi & reipublicæ nuncupationem rectè ſibi non ſolùm Romanos, ſed etiam regna alia vendicare.

25 Quod non poſſint ibi veræ eſſe virtutes, ubi non eſt vera religio.

26 De pace populi alienati à Deo, qua utitur ad pietaté populi Dei, dum in hoc peregrinus eſt mundo.

27 De pace ſervientium Deo, cujus perfecta tranquillitas in hac temporali vita non poteſt apprehendi.

28 In quem finem venturus ſit exitus impiorum.

IN LIBRUM XX.

1 Quod quamvis omni tempore Deus judicet, in hoc tamen libro de noviſſimo ejus judicio eſt propriè diſputandum.

2 De varietate rerum humanarum, cui non poteſt dici deeſſe judicium Dei, quamvis nequeat inveſtigari.

3 Quid in libro Eccleſiaſte Salomon de his, quæ in hac vita & bonis & malis ſunt communia, diſputarit.

4 Quòd ad diſſerendum de noviſſimo judicio Dei, novi primùm teſtamenti, ac deinde veteris teſtimonia prolaturus ſit.

5 Quibus ſententiis Domini Salvatoris divinum judicium futurum in fine ſeculi declaretur.

6 Quæ ſit prima reſurrectio, quæ ſecunda.

7 De duabus reſurrectionibus, & de mille annis, quid in Apolcaypſi Joãnis ſcriptum ſit, & quid de eis rationabiliter ſentiatur.

8 De alligatione & ſolutione diaboli.

9 Quid ſit regnum ſanctorum cum Chriſto per mille annos, & in quo diſcernatur à regno æterno.

10 Quid reſpondendum ſit eis, qui putant, reſurrectionem ad ſola corpora non etiam ad animas pertinere.

11 De Gog. & Magog, quos ad perſequendam Eccleſiam Dei, ſolutus prope finem ſeculi diabolus incitabit.

12 An ad ultimum ſupplicium pertineat impiorum, quòd deſcendiſſe ignis de cœlo, & eoſdem comediſſe memoratur.

13 An ante tempus perſecutionis Antichriſti mille anni annumerandi ſint.

14 De

14 De damnatione diaboli cum ſuis, & per recapitulationem de reſurrectione corporum omnium mortuorum, & de judicio ultimæ retributionis.

15 Qui ſint mortui, quos ad judicium exhibuit mare, vel quos mors & inferi reddiderint.

16 De cœlo novo & terra nova.

17 De eccleſiæ glorificatione ſine fine poſt mortem.

18 Quid apoſtolus Petrus de noviſſimo Dei judicio prædicare docuerit mortuorum.

19 Quid apoſtolus Paulus Theſſalonicenſibus ſcripſit: & de manifeſtatione Antichriſti, cujus tempus dies Domini ſubſequetur.

20 Quid idem Apoſtolus in prima ad eoſdem epiſtola, de reſurrectione mortuorum docuerit.

21 Quid Eſaias propheta de mortuorum reſurrectione & retributione judicii ſit loquutus.

22 Qualis futura ſit egreſſio ſanctorum ad videndas pœnas malorum.

23 Quid prophetaverit David de perſecutione Antichriſti, & de judicio Dei, regnoque ſanctorum.

24 In Pſalmis Davidicis, quæ de fine ſæculi hujus, & quæ de noviſſimo Dei judicio prophetantur.

25 De prophetia Malachiæ, qua Dei judicium ultimum declaratur: & quorum dicitur per purificatorias pœnas facienda mundatio.

26 De ſacrificiis, quæ ſancti offerent Deo ſic placitura, quomodo in diebus priſtinis & annis prioribus placuerunt.

27 De ſeparatione bonorum & malorum, per quam noviſſimi judicii diſcretio declaratur.

28 De lege Moyſi ſpiritualiter intelligenda, ne in damnabilia murmura carnalis ſenſus incurrat.

29 De adventu Heliæ ante judicium, cujus prædicatione ſcripturarum ſecreta reſerante Judæi convertentur ad Chriſtum.

30 Quod in libris veteris teſtamenti, cùm Deus legitur judicaturus, non evidenter Chriſti perſona monſtretur, ſed ex quibuſdam teſtimoniis, ubi dominus Deus loquitur, non dubiè appareat, quod ipſe ſit Chriſtus.

IN LIBRUM XXI.

1 De ordine diſputationis, qua prius diſſerendum eſt de perpetuo ſupplicio damnatorum cum diabolo, quam de æterna fœlicitate ſanctorum.

2 An poſſint corpora in uſtione ignis eſſe perpetua.

3 An conſequens ſit, ut corporeum dolorem ſequatur carnis interitus.

4 De naturalibus exemplis, quorum conſideratio doceat poſſe inter cruciatus viventia corpora permanere.

5 Quanta ſint quæ non rectè queant agnoſci, & tamen eadem eſſe non ſit ambiguum.

6 Quod non omnia miracula naturalia ſint, ſed pleraque humano ingenio modificata, pleraque autem dæmonum arte compoſita.

7 Quod in rebus miris ſumma credendi ratio ſit omnipotentia creatoris.

8 Non eſſe contra naturam, cum in aliqua re cujus natura innotuit, aliquid ab eo quod erat notum incipit eſſe diverſum.

9 De gehenna, & æternarum qualitate pœnarum.

10 An ignis gehennalis ſi corporalis eſt, poſſit malignos ſpiritus, id eſt, dæmones incorporeos tactu ſuo adurere.

11 An hoc ratio juſtitiæ habeat, ut non ſint extenſiora pœnarum tempora, quam fuerint peccatorum.

12 De magnitudine prævaricationis primæ, ob quam æterna pœna omnibus debeatur, qui extra gratiam fuerint Salvatoris.

13 Contra opinionem eorum, qui putant criminoſis ſupplicia poſt mortem cauſa purgationis adhiberi.

14 De pœnis temporalibus iſtius vitæ, quibus ſubjecta eſt humana conditio.

15 Quod omne opus gratiæ Dei eruentis nos de profunditate veteris mali, ad futuri ſeculi pertineat novitatem.

16 Sub quibus gratiæ legibus omnes regeneratorum habeantur ætates.

17 De his qui putant nullorum hominum pœnas in æternum eſſe menſuras.

18 De his qui noviſſimo judicio propter interceſſiones ſanctorum neminem hominum putant damnandum.

19 De his qui impunitatem omnium peccatorum promittunt etiam hæreticis, propter participationem Chriſti.

20 De his qui non omnibus, ſed iis tantum, qui apud catholicos ſunt regenerati, etiam ſi poſtea in multa crimina erroreſque proruperint, indulgentiam pollicentur.

21 De his qui eos permanent in catholica fide, etiam ſi peſſime vixerint, & ob hoc uri meruerint: tamen propter fidei fundamentum ſalvandos eſſe definiunt.

22 De his qui putant ea crimina quæ inter eleemoſynarum opera committuntur, ad damnationis judicium non vocari.

23 Contra opinionem eorum qui dicunt, nec diaboli, nec hominum malorum perpetua futura ſupplicia.

24 Contra eorum ſenſum, qui in judicio Dei omnibus reis propter ſanctorum preces putant eſſe parcendum.

25 An hi qui inter hæreticos baptizati ſunt, & deteriores poſtea male vivendo facti ſunt, vel hi qui apud catholicos renati ad hæreſes ac ſchiſmata tranſierunt: vel hi qui à catholicis, apud quos renati ſunt, non recedentes criminosè vivere perſtiterunt, poſſint privilegio ſacramentorum remiſſionem æterni ſperare ſupplicii.

26 Quid ſit in fundamento habere Chriſtum, & quibus ſpondeatur ſalus, quaſi per ignis uſturam.

27 Contra eorum perſuaſionem, qui putant ſibi non obfutura peccata, in quibus cum eleemoſynas facerent, perſtiterunt.

IN LIBRUM XXII.

1 De conditione angelorum & hominum.

2 De

2 De æterna Dei & incommutabili voluntate.

3 De promiſſione æternæ beatitudinis ſanctorum, & perpetuis ſuppliciis impiorum.

4 Contra ſapientes mundi, qui putant terrena hominum corpora ad cœleſte habitaculum non poſſe transferri.

5 De reſurrectione carnis, quam quidam mundo credente non credunt.

6 Quod Roma conditorem ſuum Romulum diligendo Deum fecerit, Eccleſia autem Chriſtum Dominum credendo dilexerit.

7 Quod ut mundus in Chriſtum crederet, virtutis fuerit divinæ, non perſuaſionis humanæ.

8 De miraculis quæ ut mundus in Chriſtum crederet facta ſunt, & fieri mundo credente non deſinunt.

9 Quod univerſa miracula quæ per martyres in Chriſti nomine fiunt, ei fidei teſtimonium ferant, qua in Chriſtum martyres crediderunt.

10 Quatno dignius honorentur martyres, qui ideo multa mira obtinent, ut deus verus colatur, quam dæmones, qui ob hoc quædam faciunt, ut ipſi dii eſſe credantur.

11 Contra Platonicos, qui de naturalibus elementorum ponderibus argumentantur terrenum corpus in cœlo eſſe non poſſe.

12 Contra calumnias infidelium, quibus Chriſtianos de credita carnis reſurrectione irrident.

13 An abortivi non pertineant ad reſurrectionem, ſi pertinent ad numerum mortuorum.

An infantes in ea ſint reſurrecturi habitudine corporis, quam habituri erant ætatis acceſſu.

15 An ad Dominici corporis modum omnium mortuorum reſurrectura ſint corpora.

16 Qualis intelligenda ſit conformatio ſanctorum ad imaginem filii Dei.

17 An in ſuo ſexu reſuſcitanda atque manſura ſint corpora fœminarum mortuarum.

18 De viro perfecto, id eſt Chriſto & corpore ejus, id eſt Eccleſia, quæ eſt ipſius plenitudo.

19 Quod omnia vitia corporis, quæ in hac vita humano contraria ſunt decori, in reſurrectione non ſint futura, ubi manente naturali ſubſtantia, in unam pulchritudinem & qualitas concurret & quantitas.

20 Quod in reſurrectione mortuorum natura corporum quibuslibet modis diſſipatorum in integrum undecunque revocanda ſit.

21 De novitate corporis ſpiritalis, in quam ſanctorum caro mutabitur.

22 De miſeriis ac malis quibus humanum genus merito primæ prævaricationis obnoxium eſt, & à quibus nemo niſi per Chriſti gratiam liberatur.

23 De his quæ præter illa mala, quæ bonis malisq; cõmunia ſunt, ad juſtorum laborem ſpecialiter pertinent.

24 De bonis quibus etiam hanc vitam damnationi obnoxiam creator implevit.

25 De pervicacia quorundam, qui

reſurrectionem carnis, quam, ſicut prædictum eſt, totus mundus credit, impugnant.

26 Quomodo Porphyrii definitio qua beatis animis putatur corpus omne fugiendum, ipſis Platonis ſententia deſtruatur, qui dicit ſummum Deum diis promiſiſſe, ut nunquam corporibus exuerentur.

27 De contrariis definitionibus Platonis atque Porphyrii, in quibus ſi uterque alteri cederet, à veritate neuter deviaret.

28 Quid ad veram reſurrectionis fidem vel Plato vel Labeo, vel etiam Varro conferre potuerint, ſi opiniones eorum in unam ſententiam conveniſſent.

29 De qualitate viſionis, qua in futuro ſeculo ſancti Deum videbunt.

30 De æterna fœlicitatis civitate Dei Sabbatoque perpetuo.

FINIS ELENCHI CAPITUM.

DIVI

DIVI AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, AD MARCELLINUM DE CIVITATE DEI, CONTRA PAGANOS,

LIBER XIII.

Cap. I.

De lapſu primi hominis, per quem eſt contracta mortalitas.

EXpeditis α de noſtri ſeculi exortu, & de initio generis humani difficilimis quæſtionibus: β nunc jam de lapſu primi hominis, imò primorum hominum, & γ de origine ac propagine mortis humanæ diſputationem à nobis inſtitutam rerum ordo depoſcit. δ Non enim eo modo quo angelos condiderat Deus, ita condidit & homines: ut etiamſi peccaſſent, mori omnino non poſſent: ſed ita, ut α perfunctos obedientiæ munere, ſine interventu mortis angelica immortalitas & beata æternitas ſequeretur: inobedientes autem mors plecteret damnatione juſtiſſima: quod etiam in libro ſuperiore jam diximus.

IOANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI IN TERTIUM DECIMUM LIBRUM DE CIVITATE DEI, D. AURELII AUGUSTINI COMMENTARII.

Cap. I.

α PErfunctos obedientiæ munere.] *Statutum unicuique vivendi ſuper terram fuiſſet tempus, quo abſoluto guſtatoq; ligno vitæ confirmata fuiſſet natura, translatosq; in cælum immortalitas conſecuta. Hic multa quæruntur, & ab Auguſtino primum, & authore Sententiarum lib 2. de his quæ homini ſi non deliquiſſet, eveniſſent: ſed modeſtè ab iſtis, & ut pudorem intelligas, quo inquirunt magis quàm ut comperiſſe*

ſe profiteantur.(Recentiores qui commentarios in Sententias ſcripſerunt, modò, arbitrariis conjecturis, modò rationibus ex hac natura rerum petitis, quicquid eis in mentem venit confidentiſſimè definiunt. Audio illorum rationes, ſed planè video in tenebris eos ingredi: nec pedetentim aut palpantes velle procedere, ſed curſu ſe quò intendunt proripere, nulla veritos præcipitia. Equidem quid factum ſit, magno noſtro malo nemo ignorat: quid fuiſſet, neſcio an vel ipſi Adam oſtenſum fuit, quanto minus nobis miſellis? Nam quid prodeſt uti conjecturis, in re quæ conjecturas omnes ſuperat humanas, & miraculum eſt audientibus? ceu verò neceſſe ſit ejus rei progreſſus leges bujus creatæ naturæ ſequi, cujus initia hanc ipſam, ſi tunc fuiſſet, naturam ſtupefeciſſent.)* Igitur quantum hic Auguſtinus det, accipiam: & ſi poſſum, enarrabo, quod eſt officii mei: cætera non inquiram.*

F. LEONARDI COQUÆI,
COMMENTARII IN TERTIUM DECIMUM LIBRUM DE CIVITATE DEI

CAP. I.

α DE noſtri ſæculi exortu.] *Multi quidem multa philoſophati ſunt tum de mundi origine, tum de exordio generis humani, alii quidem æternum mundum ſtatuentes, alii autem cum ſcripturas ſacras veriſſimas, ex quibus ſolis harum quæſtionum veritas elici poteſt, ignorarent, varia de mundi origine commenti ſunt, ut Plato in Timæo.*

β Nunc jam de lapſu primi hominis.] *Quis ſit ſcopus Divi Auguſtini in hoc libro, & quid tractandum ſibi proponat, breviter aperit.*

γ De origine ac propagine mortis humanæ.] *Deus enim mortem non fecit, & Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Eſt enim ſtipendium peccati mors. Romanor.5.* propter unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.

δ Non enim eo modo quo Angelos condiderat.] *Condidit enim eos ſpiritus puros, immateriales, incorporeos, morti minime obnoxios etſi peccato. Itaque ſuapte natura immortales, ut tamen etiam uno peccante non omnes obnoxii eſſent peccato, nec enim ab initio ſupremum aliquem Angelum condidit, qui caput eſſet reliquorum Angelorum: at verò ut ex uno homine genus humanum, ita uno peccante peccatum in omnes pertranſiit, in quo omnes peccaverunt, & ita in omnes homines mors pertranſiit.*

CAP. II.

De ea morte, quæ animæ ſemper utcunque victuræ accidere poteſt, & ea cui corpus obnoxium eſt.

SEd de ipſo genere mortis video mihi paulò diligentius diſſerendum. Quamvis enim α humana anima veraciter immortalis perhibeatur, habet tamen quan-

quandam etiam ipſa mortem ſuam. *a* Nam ideo dicitur immortalis, quia modo quodam quantulocunque non deſinit vivere atque ſentire. Corpus autem ideo eſt mortale, quoniam à vita quam habet deſeri poteſt, nec per ſeipſum aliquatenus vivit. β Mors igitur animæ fit, cùm eam deſerit Deus: ſicut corporis, cùm id deſerit anima. Ergo utriusque rei, i. e. totius hominis mors eſt, cum anima à Deo deſerta deſerit corpus. Ita enim nec ex Deo vivit ipſa, nec corpus ex ipſa. Hujusmodi autem totius hominis mortem illa ſequitur, *b* γ quam ſecundam mortem divinorum eloquiorum appellat authoritas. Hanc Salvator ſignificavit, ubi ait: *Eum timete, qui habet poteſtatem & corpus & animam perdere in gehennam.* Quod cum non antea fiat, qua cum anima corpori ſic fuerit copulata, ut nulla diremptione ſeparentur: mirum videri poteſt quomodo corpus ea morte dicatur occidi, qua non ab anima deſeritur, ſed animatum ſentiensque cruciatur. Nam illa pœna ultima ac ſempiterna, de qua diligentius ſuo loco diſſerendum eſt, rectè mors animæ dicitur: quia non vivit ex Deo: mors autem corporis, quonam modo cùm vivat ex anima? Non enim aliter poteſt ipſa corporalia, quæ poſt reſurrectionem futura ſunt, ſentire tormenta. An quia vita qualiscunque aliquod bonum eſt, dolor autem malum: ideo nec vivere corpus dicendum eſt, in quo anima non vivendi cauſa eſt, ſed dolendi? Vivit itaque anima ex Deo, cùm vivit bene: non enim poteſt bene vivere, niſi Deo operante in ſe quod bonum eſt. Vivit autem corpus ex anima, cum anima vivit in corpore, ſeu vivat ipſa, ſeu non vivat ex Deo. Impiorum namque in corporibus vita, non animalium, ſed corporum vita eſt: quam poſſunt eis animæ etiam mortuæ, hoc eſt à Deo deſertæ: quantulacunque propria vita, ex qua etiam immortales ſunt, non deſiſtente conferre. Verùm in damnatione noviſſima quamvis homo ſentire non deſinat, tamen quia ſenſus ipſe nec voluptate ſuavis nec quiete ſalubris, ſed dolore pœnalis eſt, non immeritò mors eſt potius appellata quàm vita. δ Ideo autem ſecunda, quia poſt illam primam eſt, qua fit cohærentium diremptio naturarum, ſive Dei & animæ, ſive animæ & corporis. De prima igitur corporis morte dici poteſt, quòd bonis bona ſit, malis mala. Secunda verò ſine dubio ſicut nullorum bonorum eſt, ita nulli bona.

Mors animæ à Deo deſerta.

Apoc. 21. Matth. 10.

a NAm ideo dicitur immortalis.] *In codice Brugenſi ad hunc legitur modum. Nam ideo dicitur immortalis, quia modo quodam quantulumcunque non deſinet vivere. Corpus autem ideo mortale, quoniam deſeri omni vita poteſt.*

b Quam ſecundam mortem.] *In Apoc. Joan. c. 21.*

a HUmana anima veraciter immortalis perhibeatur.] *Eſt propoſitio fidei, & aperte colligitur ex Scripturis ſacris veteris & novi teſtamenti, ſed præterea multa ad id comprobandum rationes accedunt, usque adeò, ut qui melius philoſophati ſunt, animæ immortalitatem aſſeruerint. De Platone nihil dubium eſt. Ariſtotelem quamvis multi tum ex Patribus, tum ex recentioribus Theologis & Philoſophis in contrariam opinionem trahant; ut aſſeruerit mortalem eſſe animam, melius tamen mihi videntur conſequi mentem Ariſtotelis, qui exiſtimarunt eum ſenſiſſe animam eſſe immortalem; & cum jam tantam authoritatem obtinuerit Ariſtoteles in* *F.L.Coq.*

ſcholis Chriſtianorum, ut miratus ſim nonnullos tantum Ariſtoteli deferre, ut dicerent nihil eſſe in Ariſtotele, quod myſterio careat: quod certè ridiculum eſt & parum Chriſtianè ab hominibus Chriſtianis dictum: conſulerem certe, ut circa opinionem Ariſtotelis de immortalitate animæ Chriſtianis illis Philoſophis & Theologis D. Thomæ, Ægydio & aliis potius aſſentirentur, quam vel Alexandro vel aliis, qui ut falsò ſibi perſuadebant animam eſſe corruptibilem, ita ſuam opinionem ſtabilire voluerunt auctoritate tanti Philoſophi, verùm nihil mihi curæ eſt quid Ariſtoteles docuerit, ſed quid Paulus ſenſerit, *ut cum D. Hieronymo loquar.*

β Mors animæ fit, cum eam deſerit Deus.] *Ita ſermone ſexto, de verbis Domini.* Sicut anima eſt vita corporis, ſic vita animæ Deus, ſicut exſpirat corpus cum animam emittit, ita exſpirat anima cum Deum amittit, Deus amiſſus mors animæ, anima amiſſa mors corporis. *libro de vera religion. capite 10.* quomodo ſi anima deſerat, moritur corpus, ſic anima moritur ſi deſerat Deus. *& ad Pſal. 70.* & peccatum in ſcripturis dicitur mors animæ. *Idem de morte animæ ſerm. 162. ſcribit.*

γ Quam ſecundam mortem divinorum eloquiorum.] *Apocalyp. 2.* non lædetur à morte ſecunda, *quæ ſcilicet eſt animæ, cum ſcilicet æternæ damnationi traditur. Apocalypſ 20.* Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda 21. pars illorum erit in ſtagno ardenti & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.

δ Ideo autem ſecunda, quia poſt illam primam.] *Idem ſermon. 162. de temp.* dicitur *(inquit)* mors prima, dicitur & mors ſecunda. Porrò primæ mortis duæ ſunt partes, una qua peccatrix anima per culpam diſceſſit à creatore ſuo: Altera qua judicante Deo excluſa eſt per pœnam de corpore ſuo. Mors autem ſecunda ipſa eſt corporis & animæ punitio ſempiterna.

Cap. III.

Utrum mors quæ per peccatum primorum hominum in omnes homines pertranſiit, etiam ſanctis pœna peccati ſit.

NOn α autem diſſimulanda naſcitur quæſtio, utrum revera mors, qua ſeparantur anima & corpus, bonis ſit bona. Quia ſi ita eſt, quomodo poterit obtineri quòd etiam ipſa ſit pœna peccati? Hanc enim primi homines niſi peccaviſſent, perpeſſi utique non fuiſſent. Quo igitur pacto bona eſſe poſſet bonis, quæ accidere non poſſet niſi malis? Sed rurſus ſi non niſi malis poſſet accidere, non deberet bonis bona eſſe: ſed nulla. Cur enim eſſet ulla pœna, in quibus non eſſent ulla punienda? Quapropter fatendum eſt primos quidem homines ita fuiſſe inſtitutos, β ut, ſi non peccaviſſent, nullum mortis experirentur genus: ſed eoſdem primos peccatores ita fuiſſe morte mulctatos, γ ut etiam quicquid eorum ſtirpe eſſet exortum, eadem pœna teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis, quàm quod ipſi fuerant, naſceretur: pro magnitudine quippe culpæ illius naturam damnatio mutavit in pejus: ut quod pœnaliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter ſequeretur in naſcentibus cæteris. Neque

Mors ex peccato.

que

que enim homo ita ex homine, ſicut homo ex pulvere. Pulvis namque homini faciendo materies fuit, homo autem homini gignendo parens. Proinde quod eſt terra, non hoc eſt caro: quamvis ex terra facta ſit caro. Quod eſt autem parens homo, hoc eſt & proles homo. In primo igitur homine per fœminam in progeniem tranſiturum univerſum genus humanum fuit, quando illa conjugum copula divinam ſententiam ſuæ damnationis excepit. Et quod homo factus eſt, & non cùm crearetur, ſed cùm peccaret, & puniretur, hoc genuit, quantum quidem attinet ad peccati & mortis originem. *a* s Non enim ad infantilem hebetudinem & infirmitatem animi & corporis, quam videmus in parvulis, peccato vel pœna ille redactus eſt: quæ Deus voluit eſſe tanquam primordia catulorum, quorum parentes in beſtialem vitam mortalemque dejecerat: ſicut ſcriptum eſt: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt pecoribus non intelligentibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſ. 48. Niſi quòd infantes infirmiores etiam cernimus in uſu motuque membrorum & ſenſu appetendi atque vitandi, quàm ſunt aliorum tenerrimi fœtus animalium: tanquam ſe tanto attollat excellentius ſupra cætera animantia vis humana, quanto magis impetum ſuum, velut ſagitta cùm arcus extenditur, retrorſum reducta diſtulerit. Non ergo ad iſta infantilia rudimenta præſumptione illicita, & damnatione juſta prolapſus vel impulſus eſt primus homo: ſed hactenus in eo natura humana vitiata atque mutata eſt, ut repugnantem pateretur in membris inobedientiam concupiſcendi: & ob id obſtringeretur neceſſitate moriendi, atque ita id quod vitio pœnaque factus eſt, id eſt obnoxius peccato mortique generaret. A quo peccati vinculo, ſi per mediatoris Chriſti gratiam ſolvuntur infantes, hanc ſolam mortem perpeti poſſunt, quæ animam ſejungit à corpore: in ſecundam verò illam ſine fine pœnalem liberati à peccati obligatione non tranſeunt.

a NOn enim ad infantilem hebetudinem.] *Et hic quærunt, quales hominibus ſi nihil commiſiſſent nati fuiſſent liberi. Auguſtinus hoc dubium injecit de baptiſmo parvulorum. Alii putant naſcituros fuiſſe parvos, ſed ſtatim ad perfectam ſtatumm perventuros. Alii parvulos editum iri in lucem, verùm non hac totius corporis imbecillitate, ſed robuſtos ſtatim futuros. Et ſicut agnos & pullos gallinaceos videmus, confeſtim ingreſſuros ſecuturosque matrem. Priores illi ſenſu & mente præditos infantes gignunt. Hi acceſſura hæc dicunt cum corpore, ut nunc videmus. Auguſtinus dubium, ut invenit, illic reliquit. Hic primordia naſcentium non alia videtur ponere, quàm quæ habemus.* L. Vives.

a NOn diſſimulanda naſcitur quæſtio.] *Quærit an mors temporalis, qua anima ſeparatur à corpore, bonis ſit bona, de qua vide Div. Hieronymum Epiſt. 24. de obit. Leæ, & Epiſtol. 25. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ filiæ Divus Auguſtinus tractat. de diſc. Chriſti, vel de dom. diſciplina cap. 12.* Non poteſt, (*inquit*) malè mori, qui bene vixerit. Jam tu dicis tibi, num multi juſti naufragio perierunt? num multos juſtos gladius peremit? num multos juſtos latrones occiderunt? num multos juſtos beſtiæ laniaverunt? Ego (*inquit*) reſpondeo. Hæc enim tibi videtur mala mors naufragio perire? gladio percuti? à beſtiis laniari? mors mala tibi videtur? F. L. Cop.

nonne has mortes martyres ſubierunt, quorum natalitia celebramus? Quod genus mortis non ſubierunt? Certe pretioſa in conſpectu domini mors ſanctorum ejus: *Pſalm 115. Divus Baſilius apud Gregor. Nazianzen. ad præfectum Valentem ei mortem minitantem*; Mors beneficii mihi loco erit, citius enim me ad Deum transmittet.

β Ut ſi non peccaſſent, nullum mortis experirentur genus.] *Ex eodem lib 7. de Geneſ. ad liter. cap. 23. duplex colligitur immortalitas, una qua quis poteſt non mori, altera vero ſecundum quam quis non poteſt mori. Poſteriorem hanc immortalitatem habent beati in patria.* Sunt enim ſicut Angeli Dei in cœlis. *Matth. 22. & Apocalypſ.* Mors ultra non erit amplius; *Priorem vero habuit Adam in ſtatu innocentiæ, adeò ut ſi non peccaſſet, non eſſet morti obnoxius. Id docet hoc loco & contra Pelagianos ex ſcripturis libro 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 2. & ſequent. & epiſtol. 126. ſcribit hoc ſemper tenuiſſe Catholicam Eccleſiam, Adam niſi peccaſſet, non fuiſſe moriturum. Idque etiam definitum eſt in concilio Milevitano, cap. 7. his verbis,* Quicunque dixerit Adamum primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaſſet ſive non peccaſſet, moreretur in corpore non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit. *Idem definitur in Concilio Tridentino, ſeſſion. 5. his verbis*, Si quis non confitetur Adamum, cum mandatum Dei eſſet transgreſſus, incurriſſe per offenſam prævaricationis iram & indignationem Dei, atque ideò mortem &c. anathema ſit.

γ Ut etiam quicquid eorum ſtirpe eſſet exortum.] *Primi Parentes à Deo inſtituti fuerunt non ſolum ſicut perſonæ quædam ſingulares, ſed ſicut principia quædam totius humanæ naturæ ab eis ad poſteros derivandæ ſimul cum beneficio divino præſervante à morte, ideo per eorum peccatum tota humana natura in poſteros tali beneficio deſtituta mortem incurrit. D. Thomas 1. 2. q. 81. art. 1. & 2. 2. quæſt. 164. art. 1. ad 3.*

δ Non cum crearetur, ſed cum peccaret & puniretur, hoc genuit.] *Nam creatus erat cum juſtitia originali; quæ quidem non illi privatim, ſed toti naturæ humanæ ex dono gratiæ erat collata, ita ut eo non peccante cum natura ipſa transfuſa fuiſſet in poſteros, ita eo peccante cum peccato originali, quod conſiſtit in privatione ipſius juſtitiæ originalis debitæ ineſſe, in eoſdem transfuſa fuit. Hac de re pluribus locis diſputavit Divus Auguſtinus contra Pelagianos hæreticos, qui negabant peccatum aliquod ab Adamo contrahi in poſteros. Idem docet D. Thom. 1. p. q. 100. art. 1. & 1. 2. quæ. 81. art. 2. & Theologi in 2. diſtinct. 20.*

ε Non enim ad infantilem hebetudinem.] *Lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 38. hoc dubium movit, quales non peccante Adamo fuiſſent nati liberi, an nimirum virtutem perfectam habuiſſent ſtatim ad motum membrorum. De quo D. Thomas 1. p. q. 96. art. 1. ubi concludit quod pueri mox nati non habuiſſent ſufficientem virtutem ad movendum membra ad quoſlibet actus, ſed ad actus pueritiæ convenientes, puta ad ſugendum ubera & ad alia hujusmodi.*

ζ Ut repugnantem pateretur in membris.] *Illa eſt lex fomitis in membris repugnans legi mentis, hæc eſt concupiſcentia carnis; quandiu enim ratio Deo ſubdebatur,*

tur, tamdiu etiam vires inferiores ſubdebantur rationi. At recedente ratione à Dei obedientia factum eſt, ut etiam rationi repugnarent ipſa membra corporis, & ſenſus ipſe, adeoque bujusmodi concupiſcentia eſt effectus peccati in natura corrupta: Et quemadmodum neceſſitas moriendi, ita bujusmodi fomes totam naturam conſequitur, neque tollitur etiam ſublato peccato originali per Baptiſmum, quod docet D. Thomas 1. 2. q. 81. artic. 3. ad 2. Peccatum originale *(inquit)* per Baptiſmum aufertur reatu, in quantum anima recuperat gratiam quantum ad mentem, remanet tamen peccatum originale actu quantum ad fomitem, qui eſt inordinatio partium inferiorum animæ & ipſius corporis ſecundum quod homo generatur, & non ſecundum mentem, & ideo baptizati traducunt peccatum originale. Non enim parentes generant in quantum ſunt renovati per baptiſmum, ſed in quantum retinent adhuc aliquid de vetuſtate primi parentis.

Cap. IV.

Cur ab his, qui per gratiam regenerationis ſunt abſoluti à peccato, non auferatur mors, id eſt, pœna peccati.

SI quem verò movet cur vel ipſam patiantur, ſi & ipſa pœna peccati eſt, quorum per gratiam reatus aboletur, jam iſta quæſtio *a* in alio noſtro opere, quod inſcripſimus de baptiſmo parvulorum, tractata ac ſoluta eſt, ubi dictum eſt ad hoc relinqui animæ experimentum ſeparationis à corpore, quamvis ablato jam criminis nexu: quoniam ſi regenerationis ſacramentum continuò ſequeretur immortalitas corporis, ipſa fides enervaretur, quæ tunc eſt fides, quando expectatur in ſpe, quod in re nondum videtur. Fidei autem robore atque certamine, in majoribus duntaxat ætatibus, etiam mortis fuerat ſuperandus timor, quod in ſanctis martyribus maximè eminuit: cujus profectò certaminis nulla eſſet victoria, nulla gloria: quia nec ipſum omnino poſſet eſſe certamen, ſi poſt lavacrum regenerationis jam ſancti non poſſent mortem perpeti corporalem. Cum parvulis autem baptizandis quis non ad Chriſti gratiam propterea potius curreret, ne à corpore ſolveretur? Atque ita non inviſibili præmio probaretur fides: ſed jam nec fides eſſet, confeſtim ſui operis quærendo & ſumendo mercedem. Nunc verò majore & mirabiliore gratia Salvatoris in uſus juſtitiæ peccati pœna converſa eſt. *β* Tunc enim dictum eſt homini. Morieris, ſi peccaveris. Nunc dicitur martyri: Morere, ne pecces. Tunc dictum eſt: Si mandatum transgreſſi fueritis, morte moriemini. Nunc dicitur: Si mortem recuſaveritis, mandatum transgredjemini. Quod tunc timendum fuerat, ut non peccaretur: non ſuſcipiendum eſt, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei miſericordiam, & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis, & fit juſti meritum etiam ſupplicium peccatoris. Tunc enim mors eſt acquiſita peccando, nunc impletur juſtitia moriendo. Verùm hoc in ſanctis martyribus, quibus alterutrum à perſecutore proponitur, ut aut deſerant fidem, aut ſufferant mortem, juſti autem malunt credendo perpeti, quod ſunt primi iniqui non credendo perpeſſi. Niſi enim peccaſſent illi, non morerentur: peccabunt autem juſti niſi moriantur. Mortui ſunt ergo illi,

Mors quare à Bapt. reliqua.

Gen. 2.

quia

quia peccaverunt: non peccant iſti, quia moriuntur. Factum eſt per illorum culpam, ut veniretur in pœnam: fit per iſtorum pœnam, ne veniatur in culpam: non quia mors bonum aliquod facta eſt quæ antea malum fuit: ſed tantum Deus fidei præſtitit gratiam, ut mors, quam vitæ conſtat eſſe contrariam inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur in vitam.

F.L.Coq. a IN alio noſtro opere, quod inſcripſimus de Baptiſmo parvulorum.] *Meminit librorum Auguſtini de infantibus baptizandis Hieronymus ſub finem lib. 3. contra Pelagianos. Septem libros ſcripſit de Baptiſmo contra Donatiſtas, & præterea librum unum de unico baptiſmo contra Petilianum,* in quibus hæc difficultas quam nunc movet non tractatur, Cur in baptizatis, deleto peccato originali, non etiam auferatur mors, quæ eſt pœna peccati. Intelligit itaque libr. de peccat. merit. & remiſſ. quos contra Pelagianos ſcripſit, ut conſtat tum ex lib. 2 Retractat. cap. 33. tum etiam ex inſcriptione operis, ſi quidem eos inſcripſit* de peccator. merit. & remisſio. deque baptiſmo parvulorum, *In 2. libro c. 30. & ſequenti huic difficultati à Pelagianis motæ reſpondet.* Si primi hominis peccato factum eſſet, ut moreremur, Chriſti adventu fieret, ut credentes in eum non moreremur, ratione hac addita, quod neque prævaricationis transgresſio plus nobis nocuit, quàm vel incarnatio vel redemptio profuit ſalvatoris. *Verum oſtendit quod & ſi in Adam omnes moriuntur, nec credentes in Chriſtum mortem evadant,* non plus tamen ille nocuit peccando, quam iſte profuit redimendo, cùm per illius peccatum temporaliter moriamur, per iſtius autem redemptionem non ad temporalem vitam, ſed ad perpetuam reſurgamus. *cap. 31.* Poterat etiam *(inquit)* donare hoc credentibus, ut nec iſtius experirentur corporis mortem, Sed ſi hoc feciſſet, carni quædam fœlicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo: ſi enim homines mortem iſtam timent, ut non ob aliud fœlices dicerent eſſe Chriſtianos, niſi quod mori omnino non poſſent. Ac nemo per hoc propter illam vitam, quæ poſt iſtam mortem beata futura eſt, per virtutem etiam contemnendæ ipſius mortis ad Chriſti gratiam feſtinaret, ſed propter removendam mortis moleſtiam delicatius crederetur in Chriſtum. Plus ergo gratiæ præſtitit, plus fidelibus ſuis ſine ulla dubitatione donavit. Quid enim magum erat videndo non mori eos qui crederent, credere ſe non moriturum? Quanto eſt majus, quanto fortius, quanto laudabilius ita credere, ut ſe ſperet moriturum ſine fine victurum? novisſimè tunc inimica deſtruetur mors. *Quod idem ſcribit hoc loco, ſi regenerationis ſacramentum continuò ſequeretur immortalitas corporis, ipſam fidem enervandam, quæ tunc eſt fides, quando exſpectatur in ſpe, quod in re nondum videtur. & cap 33.* Qui dicunt *(inquit)* ſi peccato mors iſta corporis accidiſſet, non utique poſt remisſionem peccatorum, quam redemptor nobis tribuit, moreremur; non intelligunt quomodo res, quarum reatum, ne poſt hanc vitam obſint, Deus ſolvit, tamen eas ad certamen fidei ſinit manere, ut per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone juſtitiæ, *& cap. 34.* mirandum non eſt, & mortem corporis non fuiſſe eventuram homini niſi præcesſiſſet peccatum, cujus etiam talis pœna conſequeretur, & poſt remisſionem peccatorum eam fidelibus evenire, ut in ejus timore

more vivendo exerceatur fortitudo Juſtitiæ. *Paulo poſt.* Sicut illi primi homines poſteà juſte vivendo, unde merito creduntur per domini ſanguinem ab extremo ſupplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradiſum revocari, ſic & caro peccati etiamſi remiſſis peccatis homo juſtè in ea vixerit, non continuo meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati. *Quod aptiſſimo exemplo declarat ex 2. Reg. 12. ubi cum Propheta ad David miſſus eſſet, eique propter peccatum, quod commiſerat, eventura mala ex iracundia Dei comminaretur, confeſſione peccati veniam meruit reſpondente Propheta, quod illud flagitium facinusque ei remiſſum ſit, & tamen conſecuta ſunt quæ Deus fuerat comminatus, ut ſic humiliaretur à filio.* Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimiſſo peccato, quod erat minatus implevit, niſi quia rectiſſimè reſpondebitur remiſſionem illam peccati factam, ne homo à percipienda vita impediretur æterna, ſubſecutum vero illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur? Sic & morte corporis propter peccatum Deus homini inflixit, & poſt peccatorum remiſſionem propter exercendam juſtitiam non ademit. *Hæc ex illo opere hoc loco citata ad illuſtrandam quam hic movet difficultatem. Idem epiſtol. 89. ad Hilarium.* Temporalis mors corporis etiam in his, qui morte Chriſti redimuntur, relinquitur interim ad exercitationem fidei & agonem præſentis luctationis, in quo & martyres certaverunt, abſumetur verò & ipſa in renovatione corporis quam reſurrectio pollicetur, *& lib. 13. de Trinit. cap. 16.* Quamvis ipſa mors carnis de peccato primi parentis originaliter venerit, tamen bonus ejus uſus glorioſiſſimos martyres fecit. Et ideo non ſolum ipſa, ſed omnia hujus ſæculi mala, dolores laboresque hominum, quanquam de peccatorum & maximè de peccati originalis meritis veniant, unde facta eſt & ipſa vita vinculo mortis obſtricta, tamen & remiſſis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro veritate certaret, & unde exerceretur virtus fidelium, ut novus homo per teſtamentum novum inter mala hujus ſæculi novo ſæculo præpararetur, miſeriam, quam meruit vita iſta damnata, ſapienter tolerans, & quia finiretur prudenter gratulans, beatitudinem verò, quam liberata vita futura ſine fine habitura eſt, fideliter & patienter exſpectans. *Quin & D. Thomas 1. 2. quæſt. 85. art. 5. ad 2. docet immortalitatem & impaſſibilitatem gloriæ in Chriſto inchoatam eſſe, & nobis per Chriſtum acquiſitam, antequam tamen ad eam perveniamus, oportere nos conformari paſſionibus ejus, adeò ut ejus paſſibilitas in nobis remaneat ad impaſſibilitatem gloriæ promerendam conformiter Chriſto. Reſtituit itaque Chriſtus ſuis immortalitatem longè alterius rationis & nobiliorem ea immortalitate, quam habebat Adam, & quam ſibi ſuisque poſteris amiſerat: Nihil peccato Adami deperditum, quod non multo cumulatius Chriſti merito fuerimus conſecuti. Quod itaque baptizati & regenerati in Chriſto conſecuti remiſſionem peccati originalis, nihilominus morti ſunt obnoxii, id certè, ut diſertè hic docet, majore & mirabiliore gratia ſalvatoris in uſus juſtitiæ peccati pœna converſa eſt. Quam enim optanda ſit mors pro fide, pro Chriſti gloria, pro juſtitia [quamque ſit meritorium pro Chriſto mori] quam ampla merces conſtituta ſit fortiter pro Chriſto dimicanti-*"

 bus,

reſurrectionem carnis, quam, ſicut prædictum eſt, totus mundus credit, impugnant.

26 Quomodo Porphyrii definitio qua beatis animis putatur corpus omne fugiendum, ipſis Platonis ſententia deſtruatur, qui dicit ſummum Deum diis promiſiſſe, ut nunquam corporibus exuerentur.

27 De contrariis definitionibus Platonis atque Porphyrii, in quibus ſi uterque alteri cederet, à veritate neuter deviaret.

28 Quid ad veram reſurrectionis fidem vel Plato vel Labeo, vel etiam Varro conferre potuerint, ſi opiniones eorum in unam ſententiam conveniſſent.

29 De qualitate viſionis, qua in futuro ſeculo ſancti Deum videbunt.

30 De æterna fœlicitatis civitate Dei Sabbatoque perpetuo.

FINIS ELENCHI CAPITVM.

DIVI AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

AD MARCELLINUM DE CIVITATE DEI, CONTRA PAGANOS,

LIBER XIII.

CAP. I.

De lapſu primi hominis, per quem eſt contracta mortalitas.

EXpeditis *a* de noſtri ſeculi exortu, & de initio generis humani difficilimis quæſtionibus: *β* nunc jam de lapſu primi hominis, imò primorum hominum, & *γ* de origine ac propagine mortis humanæ diſputationem à nobis inſtitutam rerum ordo depoſcit. *δ* Non enim eo modo quo angelos condiderat Deus, ita condidit & homines: ut etiamſi peccaſſent, mori omnino non poſſent: ſed ita, ut *a* perfunctos obedientiæ munere, ſine interventu mortis angelica immortalitas & beata æternitas ſequeretur: inobedientes autem mors plecteret damnatione juſtiſſima: quod etiam in libro ſuperiore jam diximus.

IOANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI IN TERTIUM DECIMUM LIBRUM DE CIVITATE DEI, D. AURELII AUGUSTINI COMMENTARII.

CAP. I.

a PErfunctos obedientiæ munere.] *Statutum unicuique vivendi ſuper terram fuiſſet tempus, quo abſoluto guſtatoq́; ligno vitæ confirmata fuiſſet natura, translatosq́; in cælum immortalitas conſecuta. Hic multa quæruntur, & ab Auguſtino primum, & authore Sententiarum lib 2. de his quæ homini ſi non deliquiſſet, eveniſſent: ſed modeſtè ab iſtis, & ut pudorem intelligas, quo inquirunt magis quàm ut comperiſſe*

ſe profiteantur. *(*Recentiores qui commentarios in Sententias ſcripſerunt, modò, arbitrariis conjecturis, modò rationibus ex hac natura rerum petitis, quicquid eis in mentem venit confidentiſſimè definiunt. Audio illorum rationes, ſed planè video in tenebris eos ingredi: nec pedetentim aut palpantes velle procedere, ſed curſu ſe quò intendunt proripere, nulla veritos præcipitia. Equidem quid factum ſit, magno noſtro malo nemo ignorat: quid fuiſſet, neſcio an vel ipſi Adam oſtenſum fuit, quanto minus nobis miſellis? Nam quid prodeſt uti conjecturis, in re quæ conjecturas omnes ſuperat humanas, & miraculum eſt audientibus? ceu verò neceſſe ſit ejus rei progreſſus leges hujus creatæ naturæ ſequi, cujus initia hanc ipſam, ſi tunc fuiſſet, naturam ſtupefeciſſent.)* Igitur quantum hìc Auguſtinus det, accipiam: & ſi poſſum, enarrabo, quod eſt officii mei: cætera non inquiram.*

F. LEONARDI COQUÆI, COMMENTARII IN TERTIUM DECIMUM LIBRUM DE CIVITATE DEI

Cap. I.

α DE noſtri ſæculi exortu.] *Multi quidem multa philoſophati ſunt tum de mundi origine, tum de exordio generis humani, alii quidem æternum mundum ſtatuentes, alii autem cum ſcripturas ſacras veriſſimas, ex quibus ſolis harum quæſtionum veritas elici poteſt, ignorarent, varia de mundi origine commenti ſunt, ut Plato in Timæo.*

β Nunc jam de lapſu primi hominis.] *Quis ſit ſcopus Divi Auguſtini in hoc libro, & quid tractandum ſibi proponat, breviter aperit.*

γ De origine ac propagine mortis humanæ.] *Deus enim mortem non fecit, & Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Eſt enim ſtipendium peccati mors. Romanor.5.* propter unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.

δ Non enim eo modo quo Angelos condiderat.] *Condidit enim eos ſpiritus puros, immateriales, incorporeos, morti minime obnoxios etſi peccato. Itaque ſuapte natura immortales, ut tamen etiam uno peccante non omnes obnoxii eſſent peccato, nec enim ab initio ſupremum aliquem Angelum condidit, qui caput eſſet reliquorum Angelorum: at verò ut ex uno homine genus humanum, ita uno peccante peccatum in omnes pertranſiit, in quo omnes peccaverunt, & ita in omnes homines mors pertranſiit.*

Cap. II.

De ea morte, quæ animæ ſemper utcunque victuræ accidere poteſt, & ea cui corpus obnoxium eſt.

SEd de ipſo genere mortis video mihi paulò diligentius diſſerendum. Quamvis enim α humana anima veraciter immortalis perhibeatur, habet tamen quan-

quandam etiam ipſa mortem ſuam. *a* Nam ideo dicitur immortalis, quia modo quodam quantulocunque non deſinit vivere atque ſentire. Corpus autem ideo eſt mortale, quoniam à vita quam habet deſeri poteſt, nec per ſeipſum aliquatenus vivit. β Mors igitur animæ fit, cùm eam deſerit Deus: ſicut corporis, cùm id deſerit anima. Ergo utriusque rei, i. e. totius hominis mors eſt, cum anima à Deo deſerta deſerit corpus. Ita enim nec ex Deo vivit ipſa, nec corpus ex ipſa. Hujusmodi autem totius hominis mortem illa ſequitur, *b* γ quam ſecundam mortem divinorum eloquiorum appellat authoritas. Hanc Salvator ſignificavit, ubi ait: *Eum timete, qui habet poteſtatem & corpus & animam perdere in gehennam.* Quod cum non antea fiat, qua cum anima corpori ſic fuerit copulata, ut nulla diremptione ſeparentur: mirum videri poteſt quomodo corpus ea morte dicatur occidi, qua non ab anima deſeritur, ſed animatum ſentiensque cruciatur. Nam illa pœna ultima ac ſempiterna, de qua diligentius ſuo loco diſſerendum eſt, rectè mors animæ dicitur: quia non vivit ex Deo: mors autem corporis, quonam modo cùm vivat ex anima? Non enim aliter poteſt ipſa corporalia, quæ poſt reſurrectionem futura ſunt, ſentire tormenta. An quia vita qualiscunque aliquod bonum eſt, dolor autem malum: ideo nec vivere corpus dicendum eſt, in quo anima non vivendi cauſa eſt, ſed dolendi? Vivit itaque anima ex Deo, cùm vivit bene: non enim poteſt bene vivere, niſi Deo operante in ſe quod bonum eſt. Vivit autem corpus ex anima, cum anima vivit in corpore, ſeu vivat ipſa, ſeu non vivat ex Deo. Impiorum namque in corporibus vita, non animalium, ſed corporum vita eſt: quam poſſunt eis animæ etiam mortuæ, hoc eſt à Deo deſertæ: quantulacunque propria vita, ex qua etiam immortales ſunt, non deſiſtente conferre. Verùm in damnatione noviſſima quamvis homo ſentire non deſinat, tamen quia ſenſus ipſe nec voluptate ſuavis nec quiete ſalubris, ſed dolore pœnalis eſt, non immeritò mors eſt potius appellata quàm vita. δ Ideo autem ſecunda, quia poſt illam primam eſt, qua fit cohærentium diremptio naturarum, ſive Dei & animæ, ſive animæ & corporis. De prima igitur corporis morte dici poteſt, quòd bonis bona ſit, malis mala. Secunda verò ſine dubio ſicut nullorum bonorum eſt, ita nulli bona.

Mors animæ à Deo deſerta.

Apoc. 21. Matth. 10.

a NAm ideo dicitur immortalis.] *In codice Brugenſi ad hunc legitur modum. Nam ideo dicitur immortalis, quia modo quodam quantulumcunque non deſinet vivere. Corpus autem ideo mortale, quoniam deſeri omni vita poteſt.*

b Quam ſecundam mortem.] *In Apoc. Joan. c. 21.*

a HUmana anima veraciter immortalis perhibeatur.] *Eſt propoſitio fidei, & aperte colligitur ex Scripturis ſacris veteris & novi teſtamenti, ſed præterea multæ ad id comprobandum rationes accedunt, usque adeò, ut qui melius philoſophati ſunt, animæ immortalitatem aſſeruerint. De Platone nihil dubium eſt. Ariſtotelem quamvis multi tum ex Patribus, tum ex recentioribus Theologis & Philoſophis in contrariam opinionem trahant; ut aſſeruerit mortalem eſſe animam, melius tamen mihi videntur conſequi mentem Ariſtotelis, qui exiſtimarunt eum ſenſiſſe animam eſſe immortalem; & cum jam tantam authoritatem obtinuerit Ariſtoteles in* *P.L.Coq.*

ſcholis Chriſtianorum, ut miratus ſim nonnullos tantum Ariſtoteli deferre, ut dicerent nihil eſſe in Ariſtotele, quod myſterio careat: quod certè ridiculum eſt & parum Chriſtianè ab hominibus Chriſtianis dictum: conſulerem certe, ut circa opinionem Ariſtotelis de immortalitate animæ Chriſtianis illis Philoſophis & Theologis D. Thoma, Ægydio & aliis potius aſſentirentur, quam vel Alexandro vel aliis, qui ut falso ſibi perſuadebant animam eſſe corruptibilem. ita ſuam opinionem ſtabilire voluerunt auctoritate tanti Philoſophi, verùm nihil mihi curæ eſt quid Ariſtoteles docuerit, ſed quid Paulus ſenſerit, *ut cum D. Hieronymo loquar.*

β Mors animæ fit, cum eam deſerit Deus.] *Ita ſermone ſexto, de verbis Domini.* Sicut anima eſt vita corporis, ſic vita animæ Deus, ſicut exſpirat corpus cum animam emittit, ita exſpirat anima cum Deum amittit, Deus amiſſus mors animæ, anima amiſſa mors corporis. *libro de vera religion. capite 10.* quomodo ſi anima deſerat, moritur corpus, ſic anima moritur ſi deſerat Deus. *& ad Pſal. 70.* & peccatum in ſcripturis dicitur mors animæ. *Idem de morte animæ ſerm. 162. ſcribit.*

γ Quam ſecundam mortem divinorum eloquiorum.] *Apocalyp. 2.* non lædetur à morte ſecunda, *quæ ſcilicet eſt animæ, cum ſcilicet æternæ damnationi traditur. Apocalypſ 20.* Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda 21. pars illorum erit in ſtagno ardenti & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.

δ Ideo autem ſecunda, quia poſt illam primam.] *Idem ſermon. 162. de temp.* dicitur *(inquit)* mors prima, dicitur & mors ſecunda. Porrò primæ mortis duæ ſunt partes, una qua peccatrix anima per culpam diſceſſit à creatore ſuo: Altera qua judicante Deo excluſa eſt per pœnam de corpore ſuo. Mors autem ſecunda ipſa eſt corporis & animæ punitio ſempiterna.

Cap. III.

Utrum mors quæ per peccatum primorum hominum in omnes homines pertranſiit, etiam ſanctis pœna peccati ſit.

NOn α autem diſſimulanda naſcitur quæſtio, utrum revera mors, qua ſeparantur anima & corpus, bonis ſit bona. Quia ſi ita eſt, quomodo poterit obtineri quòd etiam ipſa ſit pœna peccati? Hanc enim primi homines niſi peccaviſſent, perpeſſi utique non fuiſſent. Quo igitur pacto bona eſſe poſſet bonis, quæ accidere non poſſet niſi malis? Sed rurſus ſi non niſi malis poſſet accidere, non deberet bonis bona eſſe: ſed nulla. Cur enim eſſet ulla pœna, in quibus non eſſent ulla punienda? Quapropter fatendum eſt primos quidem homines ita fuiſſe inſtitutos, β ut, ſi non peccaviſſent, nullum mortis experirentur genus: ſed eoſdem primos peccatores ita fuiſſe morte mulctatos, γ ut etiam quicquid eorum ſtirpe eſſet exortum, eadem pœna teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis, quàm quod ipſi fuerant, naſceretur: pro magnitudine quippe culpæ illius naturam damnatio mutavit in pejus: ut quod pœnaliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter ſequeretur in naſcentibus cæteris. Neque

Mors ex peccato.

que enim homo ita ex homine, ſicut homo ex pulvere. Pulvis namque homini faciendo materies fuit, homo autem homini gignendo parens. Proinde quod eſt terra, non hoc eſt caro: quamvis ex terra facta ſit caro. Quod eſt autem parens homo, hoc eſt & proles homo. In primo igitur homine per fœminam in progeniem tranſiturum univerſum genus humanum fuit, quando illa conjugum copula divinam ſententiam ſuæ damnationis excepit. Et quod homo factus eſt, non cùm crearetur, ſed cùm peccaret, & puniretur, hoc genuit, quantum quidem attinet ad peccati & mortis originem. *a* 5 Non enim ad infantilem hebetudinem & infirmitatem animi & corporis, quam videmus in parvulis, peccato vel pœna ille redactus eſt: quæ Deus voluit eſſe tanquam primordia catulorum, quorum parentes in beſtialem vitam mortalemque dejecerat: ſicut ſcriptum eſt: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt pecoribus non intelligentibus, & ſimilis factus eſt illis.* Niſi quòd infantes infirmiores etiam cernimus in uſu motuque membrorum & ſenſu appetendi atque vitandi, quàm ſunt aliorum tenerrimi fœtus animalium: tanquam ſe tanto attollat excellentius ſupra cætera animantia vis humana, quanto magis impetum ſuum, velut ſagitta cùm arcus extenditur, retrorſum reducta diſtulerit. Non ergo ad iſta infantilia rudimenta præſumptione illicita, & damnatione juſta prolapſus vel impulſus eſt primus homo: ſed hactenus in eo natura humana vitiata atque mutata eſt, ut repugnantem pateretur in membris inobedientiam concupiſcendi: & ob id obſtringeretur neceſſitate moriendi, atque ita id quod vitio pœnaque factus eſt, id eſt obnoxius peccato mortique generaret. A quo peccati vinculo, ſi per mediatoris Chriſti gratiam ſolvuntur infantes, hanc ſolam mortem perpeti poſſunt, quæ animam ſejungit à corpore: in ſecundam verò illam ſine fine pœnalem liberati à peccati obligatione non tranſeunt. *Pſ. 48.*

a NOn enim ad infantilem hebetudinem.] *Et hic quærunt, quales hominibus ſi nihil commiſiſſent nati fuiſſent liberi. Auguſtinus hoc dubium injecit de baptiſmo parvulorum. Alii putant naſcituros fuiſſe parvos, ſed ſtatim ad perfectam ſtaturam perventuros. Alii parvulos editum iri in lucem, verùm non hac totius corporis imbecillitate, ſed robuſtos ſtatim futuros. Et ſicut agnos & pullos gallinaceos videmus, confeſtim ingreſſuros ſecuturosque matrem. Priores illi ſenſu & mente præditos infantes gignunt. Hi acceſſum hæc dicunt cum corpore, ut nunc videmus. Auguſtinus dubium, ut invenit, illic reliquit. Hic primordia naſcentium non alia videtur ponere, quàm quæ habemus.* L. Vives.

a NOn diſſimulanda naſcitur quæſtio.] *Quærit an mors temporalis, qua anima ſeparatur à corpore, bonis ſit bona, de qua vide Div. Hieronymum Epiſt. 24. de obit. Leæ, & Epiſtol. 25. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ filiæ Divus Auguſtinus tractat. de diſc. Chriſti, vel de dom. diſciplinæ cap. 12.* Non poteſt, (*inquit*) malè mori, qui bene vixerit. Jam tu dicis tibi, num multi juſti naufragio perierunt? num multos juſtos gladius peremit? num multos juſtos latrones occiderunt? num multos juſtos beſtiæ laniaverunt? Ego (*inquit*) reſpondeo. Hæc enim tibi videtur mala mors naufragio perire? gladio percuti? à beſtiis laniari? mors mala tibi videtur? F. L. Cop.

nonne has mortes martyres ſubierunt, quorum natalitia celebramus? Quod genus mortis non ſubierunt? Certe pretioſa in conſpectu domini mors ſanctorum ejus: *Pſalm 115. Divus Baſilius apud Gregor. Nazianzen. ad præfectum Valentem ei mortem minitantem ;* Mors beneficii mihi loco erit, citius enim me ad Deum transmittet.

β Ut ſi non peccaſſent, nullum mortis experirentur genus.] *Ex eodem lib 7. de Geneſ. ad liter. cap. 23. duplex colligitur immortalitas , una qua quis poteſt non mori, altera vero ſecundum quam quis non poteſt mori. Poſteriorem hanc immortalitatem habent beati in patria.* Sunt enim ſicut Angeli Dei in cœlis. *Matth. 22. & Apocalypſ.* Mors ultra non erit amplius; *Priorem vero habuit Adam in ſtatu innocentiæ, adeò ut ſi non peccaſſet, non eſſet morti obnoxius. Id docet hoc loco & contra Pelagianos ex ſcripturis libro 1. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 2. & ſequent. & epiſtol. 126. ſcribit hoc ſemper tenuiſſe Catholicam Eccleſiam, Adam niſi peccaſſet, non fuiſſe moriturum. Idque etiam definitum eſt in concilio Milevitano, cap. 7. his verbis,* Quicunque dixerit Adamum primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaſſet ſive non peccaſſet, moreretur in corpore non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit. *Idem definitur in Concilio Tridentino, ſeſſion. 5. his verbis*, Si quis non confitetur Adamum, cum mandatum Dei eſſet transgreſſus, incurriſſe per offenſam prævaricationis iram & indignationem Dei, atque ideò mortem &c. anathema ſit.

γ Ut etiam quicquid eorum ſtirpe eſſet exortum.] *Primi Parentes à Deo inſtituti fuerunt non ſolum ſicut perſonæ quædam ſingulares, ſed ſicut principia quædam totius humanæ naturæ ab eis ad poſteros derivandæ ſimul cum beneficio divino præſervante à morte, ideo per eorum peccatum tota humana natura in poſteros tali beneficio deſtituta mortem incurrit. D. Thomas 1. 2. q. 81. art. 1. & 2. 2. quæſt. 164. art. 1. ad 3.*

δ Non cum crearetur, ſed cum peccaret & puniretur, hoc genuit.] *Nam creatus erat cum juſtitia originali; quæ quidem non illi privatim, ſed toti naturæ humanæ ex dono gratiæ erat collata, ita ut eo non peccante cum natura ipſa transfuſa fuiſſet in poſteros, ita eo peccante cum peccato originali, quod conſiſtit in privatione ipſius juſtitiæ originalis debitæ ineſſe, in eosdem transfuſa fuit. Hac de re pluribus locis diſputavit Divus Auguſtinus contra Pelagianos hæreticos, qui negabant peccatum aliquod ab Adamo contrahi in poſteros. Idem docet D. Thom. 1. p. q. 100. art. 1. & 1. 2. quæ. 81. art. 2. & Theologi in 2. diſtinct. 20.*

ε Non enim ad infantilem hebetudinem.] *Lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 38. hoc dubium movit, quales non peccante Adamo fuiſſent nati liberi, an nimirum virtutem perfectam habuiſſent ſtatim ad motum membrorum. De quo D. Thomas 1. p. q. 96. art. 1. ubi concludit quod pueri mox nati non habuiſſent ſufficientem virtutem ad movendum membra ad quoslibet actus, ſed ad actus pueritiæ convenientes, puta ad ſugendum ubera & ad alia hujusmodi.*

ζ Ut repugnantem pateretur in membris.] *Illa eſt lex fomitis in membris repugnans legi mentis, hæc eſt concupiſcentia carnis; quandiu enim ratio Deo ſubdebatur,*

tur, tamdiu etiam vires inferiores ſubdebantur rationi. At recedente ratione à Dei obedientia factum eſt, ut etiam rationi repugnarent ipſa membra corporis, & ſenſus ipſe, adeoque bujuſmodi concupiſcentia eſt effectus peccati in natura corrupta: Et quemadmodum neceſſitas moriendi, ita bujuſmodi fomes totam naturam conſequitur, neque tollitur etiam ſublato peccato originali per Baptiſmum, quod docet D. Thomas 1. 2. q. 81. artic. 3. ad 2. Peccatum originale *(inquit)* per Baptiſmum aufertur reatu, in quantum anima recuperat gratiam quantum ad mentem, remanet tamen peccatum originale actu quantum ad fomitem, qui eſt inordinatio partium inferiorum animæ & ipſius corporis ſecundum quod homo generatur, & non ſecundum mentem, & ideo baptizati traducunt peccatum originale. Non enim parentes generant in quantum ſunt renovati per baptiſmum, ſed in quantum retinent adhuc aliquid de vetuſtate primi parentis.

Cap. IV.

Cur ab his, qui per gratiam regenerationis ſunt abſoluti à peccato, non auferatur mors, id eſt, pœna peccati.

SI quem verò movet cur vel ipſam patiantur, ſi & ipſa pœna peccati eſt, quorum per gratiam reatus aboletur, jam iſta quæſtio *a* in alio noſtro opere, quod inſcripſimus de baptiſmo parvulorum, tractata ac ſoluta eſt, ubi dictum eſt ad hoc relinqui animæ experimentum ſeparationis à corpore, quamvis ablato jam criminis nexu: quoniam ſi regenerationis ſacramentum continuò ſequeretur immortalitas corporis, ipſa fides enervaretur, quæ tunc eſt fides, quando expectatur in ſpe, quod in re nondum videtur. Fidei autem robore atque certamine, in majoribus duntaxat ætatibus, etiam mortis fuerat ſuperandus timor, quod in ſanctis martyribus maximè eminuit: cujus profectò certaminis nulla eſſet victoria, nulla gloria: quia nec ipſum omnino poſſet eſſe certamen, ſi poſt lavacrum regenerationis jam ſancti non poſſent mortem perpeti corporalem. Cum parvulis autem baptizandis quis non ad Chriſti gratiam propterea potius curreret, ne à corpore ſolveretur? Atque ita non inviſibili præmio probaretur fides: ſed jam nec fides eſſet, confeſtim ſui operis quærendo & ſumendo mercedem. Nunc verò majore & mirabiliore gratia Salvatoris in uſus juſtitiæ peccati pœna converſa eſt. *β* Tunc enim dictum eſt homini. Morieris, ſi peccaveris. Nunc dicitur martyri: Morere, ne pecces. Tunc dictum eſt: Si mandatum transgreſſi fueritis, morte moriemini. Nunc dicitur: Si mortem recuſaveritis, mandatum transgrediemini. Quod tunc timendum fuerat, ut non peccaretur: non ſuſcipiendum eſt, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei miſericordiam, & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis, & fit juſti meritum etiam ſupplicium peccatoris. Tunc enim mors eſt acquiſita peccando, nunc impletur juſtitia moriendo. Verùm hoc in ſanctis martyribus, quibus alterutrum à perſecutore proponitur, ut aut deſerant fidem, aut ſufferant mortem, juſti autem malunt credendo perpeti, quod ſunt primi iniqui non credendo perpeſſi. Niſi enim peccaſſent illi, non morerentur: peccabunt autem juſti niſi moriantur. Mortui ſunt ergo illi, quia

Mors quare à Bapt. reliqua.

Gen. 2.

quia peccaverunt: non peccant iſti, quia moriuntur. Factum eſt per illorum culpam, ut veniretur in pœnam: fit per iſtorum pœnam, ne veniatur in culpam: non quia mors bonum aliquod facta eſt quæ antea malum fuit: ſed tantum Deus fidei præſtitit gratiam, ut mors, quam vitæ conſtat eſſe contrariam inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur in vitam.

F.L.Coq. a IN alio noſtro opere, quod inſcripſimus de Baptiſmo parvulorum.] *Meminit librorum Auguſtini de infantibus baptizandis Hieronymus ſub finem lib. 3. contra Pelagianos. Septem libros ſcripſit de Baptiſmo contra Donatiſtas, & præterea librum unum de unico baptiſmo contra Petilianum ,* in quibus hæc difficultas quam nunc movet non tractatur, Cur in baptizatis, deleto peccato originali, non etiam auferatur mors, quæ eſt pœna peccati. Intelligit itaque libr. de peccat. merit. & remiſſi. quos contra Pelagianos ſcripſit, ut conſtat tum ex lib. 2 Retractat. cap. 33. tum etiam ex inſcriptione operis, ſi quidem eos inſcripſit* de peccator. merit. & remiſſio. deque baptiſmo parvulorum, *In 2. libro c. 30. & ſequenti huic difficultati à Pelagianis motæ reſpondet.* Si primi hominis peccato factum eſſet, ut moreremur, Chriſti adventu fieret, ut credentes in eum non moreremur, ratione hac addita, quod neque prævaricationis transgreſſio plus nobis nocuit, quàm vel incarnatio vel redemptio profuit ſalvatoris. *Verum oſtendit quod & ſi in Adam omnes moriuntur, nec credentes in Chriſtum mortem evadant*, non plus tamen ille nocuit peccando, quam iſte profuit redimendo, cùm per illius peccatum temporaliter moriamur, per iſtius autem redemptionem non ad temporalem vitam, ſed ad perpetuam reſurgamus. *cap. 31.* Poterat etiam *(inquit)* donare hoc credentibus, ut nec iſtius experirentur corporis mortem , Sed ſi hoc feciſſet , carni quædam fœlicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo: ſi enim homines mortem iſtam timent, ut non ob aliud fœlices dicerent eſſe Chriſtianos, niſi quod mori omnino non poſſent. Ac nemo per hoc propter illam vitam, quæ poſt iſtam mortem beata futura eſt, per virtutem etiam contemnendæ ipſius mortis ad Chriſti gratiam feſtinaret, ſed propter removendam mortis moleſtiam delicatius crederetur in Chriſtum. Plus ergo gratiæ præſtitit, plus fidelibus ſuis ſine ulla dubitatione donavit. Quid enim magum erat videndo non mori eos qui crederent, credere ſe non moriturum? Quanto eſt majus, quanto fortius, quanto laudabilius ita credere, ut ſe ſperet moriturum ſine fine victurum? noviſſimè tunc inimica deſtruetur mors. *Quod idem ſcribit hoc loco, ſi regenerationis ſacramentum continuò ſequeretur immortalitas corporis, ipſam fidem enervandam, quæ tunc eſt fides, quando exſpectatur in ſpe, quod in re nondum videtur. & cap. 33.* Qui dicunt *(inquit)* ſi peccato mors iſta corporis accidiſſet, non utique poſt remiſſionem peccatorum, quam redemptor nobis tribuit, moreremur; non intelligunt quomodo res, quarum reatum, ne poſt hanc vitam obſint, Deus ſolvit, tamen eas ad certamen fidei ſinit manere, ut per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone juſtitiæ, *& cap. 34.* mirandum non eſt, & mortem corporis non fuiſſe eventuram homini niſi præceſſiſſet peccatum, cujus etiam talis pœna conſequeretur, & poſt remiſſionem peccatorum eam fidelibus evenire, ut in ejus timore

more

more vivendo exerceatur fortitudo Juſtitiæ. *Paulo poſt.* Sicut illi primi homines poſteà juſte vivendo, unde merito creduntur per domini ſanguinem ab extremo ſupplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradiſum revocari, ſic & caro peccati etiamſi remiſſis peccatis homo juſtè in ea vixerit, non continuo meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati. *Quod aptiſſimo exemplo declarat ex 2. Reg. 12. ubi cum Propheta ad David miſſus eſſet, eique propter peccatum, quod commiſerat, eventura mala ex iracundia Dei comminaretur, confeſſione peccati veniam meruit reſpondente Propheta, quod illud flagitium facinusque ei remiſſum ſit, & tamen conſecuta ſunt quæ Deus fuerat comminatus, ut ſic humiliaretur à filio.* Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimiſſo peccato, quod erat minatus implevit, niſi quia rectiſſimè reſpondebitur remiſſionem illam peccati factam, ne homo à percipienda vita impediretur æterna, ſubſecutum vero illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur? Sic & morte corporis propter peccatum Deus homini inflixit, & poſt peccatorum remiſſionem propter exercendam juſtitiam non ademit. *Hæc ex illo opere hoc loco citata ad illuſtrandam quam hic movet difficultatem. Idem epiſtol. 89. ad Hilarium.* Temporalis mors corporis etiam in his, qui morte Chriſti redimuntur, relinquitur interim ad exercitationem fidei & agonem præſentis luctationis, in quo & martyres certaverunt, abſumetur verò & ipſa in renovatione corporis quam reſurrectio pollicetur, *& lib. 13. de Trinit. cap. 16.* Quamvis ipſa mors carnis de peccato primi parentis originaliter venerit, tamen bonus ejus uſus glorioſiſſimos martyres fecit. Et ideo non ſolum ipſa, ſed omnia hujus ſæculi mala, dolores laboreſque hominum, quanquam de peccatorum & maximè de peccati originalis meritis veniant, unde facta eſt & ipſa vita vinculo mortis obſtricta, tamen & remiſſis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro veritate certaret, & unde exerceretur virtus fidelium, ut novus homo per teſtamentum novum inter mala hujus ſæculi novo ſæculo præpararetur, miſeriam, quam meruit vita iſta damnata, ſapienter tolerans, & quia finiretur prudenter gratulans, beatitudinem verò, quam liberata vita futura ſine fine habitura eſt, fideliter & patienter exſpectans. *Quin & D. Thomas 1. 2. quæſt. 85. art. 5. ad 2. docet immortalitatem & impaſſibilitatem gloriæ in Chriſto inchoatam eſſe, & nobis per Chriſtum acquiſitam, antequam tamen ad eam perveniamus, oportere nos conformari paſſionibus ejus, adeò ut ejus paſſibilitas in nobis remaneat ad impaſſibilitatem gloriæ promerendam conformiter Chriſto. Reſtituit itaque Chriſtus ſuis immortalitatem longè alterius rationis & nobiliorem ea immortalitate, quam habebat Adam, & quam ſibi ſuiſque poſteris amiſerat: Nihil peccato Adami deperditum, quod non multo cumulatius Chriſti merito fuerimus conſecuti. Quod itaque baptizati & regenerati in Chriſto conſecuti remiſſionem peccati originalis, nihilominus morti ſunt obnoxii, id certè, ut diſertè hic docet, majore & mirabiliore gratia ſalvatoris in uſus juſtitiæ peccati pœna converſa eſt. Quam enim optanda ſit mors pro fide, pro Chriſti gloria, pro juſtitia [quamque ſit meritorium "pro Chriſto mori] quam ampla merces conſtituta ſit fortiter pro Chriſto dimicanti-" bus,*

bus, ſatis ex ſcripturis conſtat: quid enim intrepidos reddidit Chriſtianorum animos niſi ſpes illa futuræ immortalitatis, quæ præmium erit præſentis mortis? Ita Juſtinus Dialogo cum Thryphone. In Chriſtum credentes nemo terrere aut domare valet, cùm enim obtruncemur, crucifigamur, objiciamur beſtiis, ignibus aliisque tormentis tradamur, tamen à confesſione non diſcedimus. *Tertullia. lib. de patien. cap. 13. docet ipſum martyrium ad ipſum divinæ ſedis aſcenſum perducere. Et Cyprianus epiſtol. 52. ad Antonium ſcribit martyres ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem, omnia peccata paſſione purgari. i. e. ſtatim à domino coronari. & lib. de exhortat. martyrii ſub finem,* mors infertur, ſed immortalitas ſequitur, occiſo mundus eripitur, ſed reſtituto paradiſus exhibetur, vita temporalis extinguitur, ſed æterna vita reparatur.

β Tunc enim dictum eſt homini.] *Conſideranda pulchra antitheſes.*

Cap. V.

Quòd ſicut iniqui malè utuntur lege quæ bona eſt, ita & juſti bene utuntur morte quæ mala eſt.

APoſtolus enim cùm vellet oſtendere, quantum peccatum, gratia non ſubveniente, ad nocendum valeret, etiam ipſam legem qua prohibetur peccatum,
1. Cor. 15. non dubitavit dicere, virtutem eſſe peccati. α *Aculeus*, inquit, *mortis eſt peccatum: virtus autem peccati lex.* Veriſſimè omninò. α β Auget enim prohibitio deſiderium operis illiciti, quando juſtitia non ſic diligitur, ut peccandi cupiditas ejus dilectione vincatur. γ Ut autem diligatur & delectet vera juſtitia, non niſi divina ſubvenit gratia. δ Sed ne propterea lex putaretur malum, quoniam virtus eſt dicta peccati: ideo ipſe alio loco verſans hujusmodi quæſtionem, ita inquit: *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum. Quòd ergo bonum eſt, inquit, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem, b ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.* Supra modum dixit, quia etiam prævaricatio additur, cum peccandi aucta libidine etiam lex ipſa contemnitur. Cur hoc commemorandum putaverimus? Quia ſcilicet ſicut lex non eſt malum, quando auget peccantium concupiſcentiam: ita nec mors bonum eſt, quando auget patientium gloriam: cum vel illa pro iniquitate deſeritur, & efficit prævaricatores: vel iſta pro veritate ſuſcipitur, & efficit martyres. Ac per hoc lex quidem bona eſt, quia prohibitio eſt peccati: mors autem mala, quia ſtipendium eſt peccati. ε Sed quemadmodum injuſti malè utuntur non tantum malis, verum etiam bonis: ita juſti bene non tantum bonis, ſed malis. Hinc fit ut & mali malè lege utantur, quamvis ſit lex bonum: & boni bene moriantur, quamvis ſit mors malum.

L. Vives. α AUget enim prohibitio deſiderium operis illiciti.] *Natura comparatum eſt in animis, qui affectibus huc atque illuc impelluntur, ut tum demum aliquid ardentiſſimè cupiant, cùm cupere vetantur. Argumento ſunt fœminæ, quæ turbationibus plus quàm viri agitantur, quæ id ſolum unicè optant, quod prohibentur. Itaque cum antea neſciſſent homines quid eſſet ad fornicem ire, nec curabant ire: acceſ-*

ceſſit lex, quæ ne iretur vetuit, ea omnes docuit quid illud eſſet: & prava ingenia impulit ad id experiendum, quod vetaretur. Neſciebam, inquit Paulus, concupiſcentiam, niſi quia lex dixit: Ne concupiſcito. Solonem refert Cicero, Roſcium Amerinum defendens, nihil ſuis legibus de his qui parentes occidiſſent, ſtatuiſſe, nam cùm antea non factum, verebatur ne non tam id pœna prohiberet, quàm admoneret lege.

b Ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.] *In veteribus libris ſic legitur: Ut fiat ſupra modum peccator, ad peccatum per mandatum. Eundem locum citans ad Simplicianum lib. 1. eodem modo dicit: Supra modum peccator ad peccatum, haud dubio utrobique mendo. Dicendum enim, Ut fiat ſupra modum peccator peccatum per mandatum. Maluit peccator dicere quod nomen eſt, quàm peccans participium, ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία, ſic eſt Græcè, itaque peccator ad peccatum refertur, tametſi maſculini ſexus, ſed nihil prohibet duo ſubſtantiva ſic conjungi. Niſi quis etiam malit peccans non participium, ſed verbale nomen, quod ſolet genitivis addi: ut alieni appetens, apud Saluſtium, & litium fugitans apud Terentium.*

c Cum peccandi aucta libidine.] *Qui ſibi uſum ſcelerum facere in naturam ſcelere converſo, minas omnes & terrores legis contemnunt.*

α ACuleus, inquit, mortis eſt peccatum.] *Hunc locum ita explicat libro 3. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 11.* Manifeſtum eſt (*inquit*) hujus mortis corporis, quæ reſurrectioni carnis contraria eſt, aculeum fuiſſe peccatum; quo mors facta eſt, non quem mors fecit, peccato enim morimur, non morte peccamus. Sic itaque dictum eſt, aculeus mortis, quomodo lignum vitæ, non quod hominis vita faceret, ſed quo vita hominis fieret; & quomodo lignum ſcientiæ, per quod ſcientia fieret hominis, non quod per ſuam ſcientiam fecerit homo. Sic ergo & aculeus mortis, quo mors facta eſt, non quem mors fecerit; ſic dicimus & poculum mortis, quo aliquis mortuus ſit vel mori poſſit, non quod moriens mortuúſque fecerit, Aculeus itaque mortis peccatum eſt, peccati punctu mortificatum eſt genus humanum. F.L.Coq.

β Auget enim prohibitio deſiderium operis illiciti.] *Qua ratione intelligatur locus Apoſtoli, virtutem peccati eſſe legem explicat, quod & facit lib. de Spiritu, & lit. cap. 4.* Lex, *inquit*, prohibendo auget deſiderium malum, ſicut aquæ impetus, ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cujus molem cum evicerit, majore cumulo præcipitatus violentius per prona provolvitur; neſcio enim quomodo hoc ipſum quod concupiſcitur fit jucundius dum vetatur. *Lex enim cum prohiberet concupiſcentiam, nec tamen ſpiritum gratiæ conferret ad eam coercendam, magis eam accendebat. Ita ſcilicet natura comparati ſumus, ut nitamur in vetitum & cupiamus negata.*

γ Ut diligatur & delectet vera juſtitia, non niſi divina ſubvenit gratia.] *Docet id fuſius pluribus locis D. Auguſtinus magnus aſſertor divinæ gratiæ, ſed præſertim lib. de Spirit. & liter. cap. 13. diſtinguit & legem operum, & legem fidei;* Lege (*inquit*) operum dicit Deus, fac quod jubeo, lege fidei dicitur Deo, da quod jubes. *Et c. 29. ſcribit Deum inſpirata gratia ſanitate facere plus delectare quod præcepit, quam delectat quod impedit, & cap. 30.* Sicut lex non evacuatur, ſed ſtatuitur per fidem,

quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur, ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, ſed ſtatuitur, quia gratia ſanat voluntatem, qua juſtitia verè diligatur.

δ Sed ne propterea lex putaretur malum.] *Legem veterem eſſe malam aſſeruit Marcion diſcipulus Cerdonis, à quo etiam hauſit hanc peſtiferam hæreſim, quam eandem aſſeruerunt Manichæi. Divus Auguſtinus libr. de hæreſ. cap. 18. Hanc etiam Cajanis hæreticis tribuit. At (ut notat Alphonſus à Caſtro, lib 9. adverſus hæreſ. hær. 2) hos Cajanos Irenæus comprehendit ſub Marcioniſtis. Etenim de Marcionis erroribus diſſerens libr. 1. dicit eum coluiſſe Cain, & reliquos errores tribuit Marcioni, quos Auguſtinus tribuit Cajanis: & quia ex verbis Pauli præcedentibus, quib. dixerat legem ſubintraſſe, ut abundaret delictum, & paſſiones peccatorum eſſe per legem, aliquis occaſionem erroris potuiſſet accipere. Propterea Divus Paulus ſibi objicit, quod alioquin præſagiebat fore, ut aliqui objicerent;* Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? abſit. *Ubi pluribus diſſerit legem non eſſe malam; legis etiam laudes ſubjungens,* Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, juſtum & bonum. *vide Alphonſum à Caſtro loco citato, vide etiam D. Auguſtinum lib. de Spirit. & lit. cap. 14. circa hunc locum.*

ε Sed quemadmodum injuſti male utuntur.] *Hic locus citatur à D. Thom. 2. 2. q. 164. art. 1. ad 6.*

CAP. VI.

De generalis mortis malo, quo animæ & corporis ſocietas ſeparatur.

QUapropter quod attinet ad corpus mortem, id eſt, ſeparationem animæ à corpore, cùm eam patiuntur qui morientes appellantur, α nulli bona eſt. Habet enim *a* aſperum ſenſum, β & contra naturam vis ipſa qua utrumque divellitur, quod fuerat in vivente conjunctum atque conſertum, quamdiu moriatur: donec omnis adimatur ſenſus, qui ex ipſo inerat animæ carniſque complexu. Quam totam moleſtiam nonnunquam unus ictus corporis vel animæ raptus intercipit: γ nec eam ſentiri præveniente celeritate permittit. Quicquid tamen illud eſt in morientibus, quod *b* cum gravi ſenſu adimit ſenſum, piè fideliterque tolerando auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ: ita cùm ex hominis primi perpetuata propagine proculdubio ſit mors pœna naſcentis: tamen ſi proprietate juſtitiaque pendatur, ſit gloria renaſcentis: & cùm ſit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.

L. Vives. *a* ASperum ſenſum.] *De ſenſione dicitur paſſione.*

b Cum gravi ſenſu adimit ſenſum.] *Prius paſſivè, poſterius activè cum gravi ſenſione adimit vim ſentiendi.*

F. L. Coq. α NUlli bona eſt.] *Quemadmodum etiam naturalis eſt illa unio animæ & corporis, in qua vita conſiſtit, ita mors, quæ illi opponitur mala eſt. Unde Chriſtus dominus noſter etiam refugiebat mortem ſecundùm ſe tum voluntate ſenſualitatis, tum etiam ut vocant, voluntate ut natura, quæ θέλησις dicitur à Damaſceno: Etſi enim vellet mortem quatenus affectam circumſtantiis, ut nimirum erat ordinata à*

Deo

Deo ad ſalutem generis humani, tamen quia ſecundum ſe non habet rationem boni, propterea non poterat cadere ſub objectum voluntatis.

β Et contra naturam vis ipſa, qua utrumque divellitur.] *Etſi enim diſtinguatur mors, quod alia quidem violenta, alia verò naturalis, nihilominus mors ſemper violenta quodammodo videtur, qua ſeparantur ea, quæ naturaliter uniuntur, ſed quod extrinſecus aliquando inferatur, aliquando verò ſuccedat ex mutua actione repugnantium in animali ad invicem eſt, quæ naturalis, hæc dicitur naturalis, alia violenta. Tertullian. lib. de anima cap. 52. ordinariam & extraordinariam vocat.*

γ Nec eam ſentiri præveniente celeritate permittit.] *Talem ſibi mortem utpote ſubitam celeremque ſibi Cæſar optaverat teſte Suetonio cap. 86. qui pridie etiam quàm occideretur in ſermone nato ſuper cœnam apud M. Lepidum quiſnam eſſet finis vitæ commodiſſimus, repentinum inopinatumque prætulerat.*

CAP. VII.

De morte quam non regenerati pro Chriſti confeſſione ſuſcipiunt.

NAm α quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur: tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis. Qui enim dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum: alia ſententia iſtos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus: confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Et alio loco: Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Hinc eſt quod ſcriptum eſt. Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. Quid enim precioſius quàm mors, β per quam fit, ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti ſunt meriti, qui cum mortem differre non poſſent, baptizati ſunt, deletiſque omnibus peccatis, ex hac vita emigrarunt: quanti ſunt hi qui mortem differre cùm poſſent, ideo non diſtulerunt: quia maluerunt Chriſtum confitendo finire hanc vitam, quàm eum negando ad ejus baptiſmum pervenire. a γ Quod utique ſi feciſſent, etiam hoc eis in illo lavacro dimitteretur, quod timore mortis negaverant Chriſtum: in quo lavacro etiam b δ illis facinus tam immane dimiſſum eſt, qui occiderant Chriſtum. c ε Sed quando ſine abundantia gratiæ Spiritus illius, qui ubi vult ſpirat, tantum Chriſtum amare poſſent, ut eum in tanto vitæ diſcrimine ſub tanta ſpe veniæ negare non poſſent? Mors igitur precioſa ſanctorum, quibus cum tanta gratia eſt † præmiſſa & prærogata mors Chriſti, ut ad eum acquirendum ſuam non cunctarentur impendere animam, in eos uſus redactum eſſe monſtravit, quod ad pœnam peccantis antea fuerat conſtitutum, ut inde juſtitiæ fructus uberior naſceretur. Mors ergo non ideo bonum videri debet: quia in tantam utilitatem non vi ſua, ſed divina opitulatione converſa eſt, ut quæ tunc metuenda propoſita eſt, ne peccatum committeretur, nunc ſuſcipienda proponatur, ut peccatum non committatur, commiſſumque deleatur, magnæque victoriæ debita juſtitiæ palma reddatur.

† al. præmiſſa.

L. Vives. a QUod utique ſi feciſſent etiam hoc eis in illo l. d.] *Significat nullum eſſe tantum & tam capitale ſcelus, quod non myſtica illa abluatur aqua.*

b Illis facinus r. im. di. eſt, qui occiderant Chriſtum] *Videtur de illis ipſis intelligendum, qui Hieroſolymis Chriſtum occiderunt, quorum fortè aliqui ad meliorem pietatem ſunt converſi.*

c Sed quando in abundantia gratiæ.] *Legendum: Sed quando ſine abundantia gratiæ, per interrogationem, qua quid ſentiat Auguſtinus, declarat: fieri ſcilicet non poſſe, ut ſine magna gratiæ abundantia Chriſtum tam conſtanter amarent, quam qui habent, in ea baptizati ſunt, nec aquis indigent.*

F. L. Cog. a NAm quicunque etiam non percepto] *Martyrium enim ſupplet vicem baptiſmi, & eſt quidam Baptiſmus, & dicitur à Theologis* baptiſmus ſanguinis, *de quo D. Thomas 3. p. qu. 66. articul. 11. & quaſt. 87. articul. 1. ad 2. & vulgo ſolent dividere Baptiſmum Theologi, quod alius ſit* baptiſmus fluminis, *alius* flaminis, *alius* ſanguinis, *Et Baptiſmus quidem ſanguinis ſine martyrium excellentiſſimè præ cæteris operatur ipſum effectum gratiæ. Cum enim Paſſio Chriſti operetur in Baptiſmo aquæ per quandam figuralem repræſentationem, in baptiſmo flaminis vel pœnitentiæ per quandam affectionem, verum in baptiſmo ſanguinis per imitationem operis; præterea baptiſmus continet quandam repræſentationem myſticam mortis Chriſti & per modum cujusdam ſigni, Romanor. 6. ſed martyrium continet repræſentationem ejusdem Chriſti mortis per realem ſimilitudinem. Nec verò hoc loco tantum, ſed & alibi docet Auguſtinus loco Baptiſmi aquæ ad ſalutem ſufficere baptiſmum ſanguinis, ut lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 22. lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. & Epiſtol. 108. ad Seleucianum, quod intellige tamen cum myſterium baptiſmi non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. Hacque eſt communis omnium Patrum doctrina. Clemens Roman. lib. 5. conſtitut. Apoſtolic. cap. 7.* qui martyrium *(inquit)* conſequi meruit, gaudeat in domino, quod tantam coronam adeptus eſt, & quamvis fuerit catechumenus, lætus diſcedat. Paſſio enim, quam pro Chriſto ſuſtinet, cedet ei in veriorem baptiſmum, quoniam reipſa commoritur, Chriſto, alii in figura. *Cyprianus epiſto. 73.* numquid poteſt vis baptiſmi eſſe major aut potentior, quàm confesſio, quàm pasſio? ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſuo ſanguine baptizetur? *Ubi docet cui non poteſt prodeſſe martyrium, nec baptiſmum aquæ poſſe prodeſſe, ut heretico, cum illius vis major ſit; & præfatione libro de exhortat. martyr. dicit martyrium eſſe Baptiſmum, & quidem Baptiſmo aquæ præſtantiorem. Idem apertè tradit Proſper lib. ſentent. in 149.* Qui non perceptæ regenerationis lavacro pro Chriſti confesſione moriuntur, tantum eis valet ad abluenda peccata, quàm ſi abluerentur fonte baptiſmatis. *Gregorius Nazianzenus orat. 49. in ſancta lumina, inter baptiſmata martyrium connumerat.* Eſt *(inquit)* quartum baptiſmi genus, quod martyrio & ſanguine comparatur. *Quod etiam facit Tertullianus libro de baptiſmo cap. 16. Divus Ambroſius ſermon. 3. in Pſalm. 110. Alii etiam Patres loquentes de neceſſitate Baptiſmi excipiunt baptiſmum ſanguinis. Cyrillus Hieroſolymit. catech. 3.* Si quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſanctos martyres. *Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3.*

Abſque

Abſque ſacramento baptiſmatis præter eos, qui in Eccleſia Catholica ſine baptiſmate pro Chriſto ſanguinem fundunt, nec regnum cœlorum poteſt quiſquam accipere, nec vitam æternam. *Eandem exceptionem facit Divus Bernardus epiſtol. 77.* Quemadmodum baptiſmus remittit omnem culpam & pœnam, & baptizatus ſi tum moriatur, ſtatim evolat in cœlum, ita etiam Martyres, *de quo Clemens Alexandr. libr. 4. ςρωμ.* & *Cyprianus epiſtol. 52.* Unde ut fit Eccleſia nunquam oret pro martyre, ſed potius illi commendet. *Ita Divus Auguſtinus ſermone 13. de verbis Apoſtoli.* Injuriam facit martyri qui orat pro martyre; *nec vero aliunde quam ex promiſſione Chriſti tantam vim habet martyrium.*

β Per quam fit ut etiam delicta omnia remittantur.] *Et originale & omnia actualia non modo quoad culpam, verum etiam quoad pœnam. Tertullianus in Apologetico cap. 50. de martyrio loquens.* Omnia, *inquit,* huic operi delicta donantur.

γ Quod utique ſi feciſſent etiam hoc eis in illo lavacro.] *Docet nullum eſſe ſatinus tam indignum, nullum peccatum adeo grave, quod non remittatur in Baptiſmo qui eſt ſpiritualis regeneratio, per quam exuimus veterem Adamum, & novum induimus. De Baptiſmi effectu intelligitur illud Michea cap. 7.* projiciam in profundum maris omnia peccata veſtra, *Per mare enim baptiſmus ſignificatus eſt. 1. Corinth. 10. Auguſtinus concione 1. in Pſalmum 113. Sicut Ægyptios in mari rubro, ita delicta noſtra in Baptiſmo eſſe demerſa & exſtincta. Hieronymus Epiſt. 63. ad Oceanum ita hunc locum explicat, ubi multa de virtute baptiſmi ad remittenda omnia peccata; ubi etiam de Baptiſmo exponit illud Ezechielis 36.* Aſſumam vos de gentibus, & aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris. In omnibus, *inquit,* nihil prætermittitur. *Divus Gregorius lib. 9. Epiſto. 39.* qui dicit peccata in baptiſmate funditus non remitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. *Longe enim efficacior eſt paſſio Chriſti, in cujus virtute Baptiſmus operatur, quam peccatum Adami, ſiquidem lapſus Adami ſolum peccatum originale potuit transfundere in poſteros; at Chriſti meritum non ſolum peccatum originale, verum etiam omnia actualia remittit.*

δ Etiam illis facinus tam immane.] *Conſtat ex Actor. 3. cap. cum enim Judæis exprobraret Petrus Chriſti innocentis occiſionem, illi vero compuncti corde dicerent,* Quid faciemus? Tum Petrus ad illos: Pœnitentiam, *inquit,* agite, & baptizetur unusquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum. *Hieroymus loco citato,* Pœnitet, *inquit,* facti populum Judæorum & ſtatim à Petro ad Baptiſma mittitur, & *Divus Auguſtinus tract. 92. in Joan.* conjuncti corde converſi ſunt, & tanti ſanguinis tam impiè atque immaniter fuſi indulgentiam perceperunt, ipſo redempti ſanguine, quem fuderunt. Chriſti enim ſanguis ſic in remiſſionem omnium peccatorum fuſus eſt, ut ipſum etiam peccatum poſſet delere, quo fuſus eſt. *D. Bernard. Epiſt. 109. ad illud Abailardi, quod* ſi tantum fuerat illud Adæ peccatum, ut expiari non poſſet niſi morte Chriſti, quam expiationem habebit homicidium, quod in Chriſtum commiſſum eſt? Breviter reſpondemus *(inquit)* ipſum ſanguinem ejus quem fuderunt, & interpellationem ejus, quem occiderunt. *poſt.* fuit verò ſanguis qui effuſus eſt tam ad ignoſcendum multis.

* Sed quoniam ſine abundantia gratiæ.] *Eſt enim perfectiſſimus actus charita-*
„ *tis martyrium : [Mihi tamen probatur eorum ſententia ; qui volunt etiam aliquam*
„ *primam gratiam conferri per martyrium,& ex opere dicitur operato,] vide Suarem ad 3.p.D. Thom. 29. ſect. 2. ubi citans hac verba D. Auguſtini.* Poſſunt, *inquit*, intelligi de gratia excitante & adjuvante,& de amore opere ipſo exhibito. Gratia enim habitualis quamvis & multum conferre poſſit, & moraliter loquendo frequentius antecedat, non tamen eſt ſimpliciter neceſſaria. *Unde nihil hic locus confirmat eorum ſententiam, qui volunt, Baptiſmum ſanguinis neceſſario includere baptiſmum flaminis, & prærequirere charitatem, & non niſi ex opere operantis conferre gratiam, nec dare adulto primam gratiam, quæ fuit ſententia Alexandri Halenſis 4.p.q.22. membro 5.*

Cap. VIII.

Quòd in ſanctis prima mortis pro veritate ſuſceptio, ſecunda ſit mortis abſolutio.

SI enim diligentius conſideremus, α etiam cum quisque pro veritate fideliter & laudabiliter moritur, mors cavetur. Ideo quippe aliquid ejus ſuſcipitur, ne tota contingat,& ſecunda inſuper, quæ nunquam finiatur, accedat. Suſcipitur enim animæ à corpore ſeparatio, ne Deo ab animo ſeparato, etiam ipſa ſeparetur à corpore, ac ſi totius hominis primâ morte completa, ſecunda excipiat ſempiterna. Quocirca mors quidem ut dixi, a cùm eam morientes patiuntur, cumque in eis, ut moriantur, facit, nemini bona eſt, ſed laudabiliter toleratur pro tenendo vel adipiſcendo bono. Cùm verò in ea ſunt, qui jam mortui nuncupantur, β non abſurdè dicitur, & malis mala, & bonis bona. In requie enim ſunt animæ piorum à corpore ſeparatæ, impiorum autem pœnas luunt, γ donec iſtarum ad æternam vitam, illarum verò ad æternam mortem, quæ ſecunda dicitur, corpora reviviſcant.

L. Vives. a CUm eam morientes patiuntur.] *Nam & quorum animus è corpore migrat,& quorum jam migravit, in morte eſſe dicuntur : ut mors ſit, & cùm diſcedit illa, & cùm diſceſſit, ita ut in morientibus ſit paſſio, in morte privatio. Utraque eſt in uſu autorum, de priore Verg.*

Priamus quanquam media jam morte tenetur. De poſteriore idem.
Morte Neoptolemi regnorum reddita ceſſit
Pars Heleno.

F.L.Coq. α ETiam cum quisque pro veritate.] Qui enim odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam,& qui amat animam ſuam, perdet eam. *Joan.12. & Lucæ 9.* Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvabit illam. *Apocalyp. 20. dicitur, animas occiſorum propter Chriſtum vivere & regnare cum Deo.*

β Non abſurdè dicitur & malis mala & bonis bona.] *Ita Cyprianus lib. de mortalit.* Hoc quod ſine ullo diſcrimine generis humani cum injuſtis moriuntur & juſti, non eſt quod putetis bonis & malis interitum eſſe communem : ad refrigerium juſti vocantur, ad ſupplicium rapiuntur injuſti.

γ Donec

γ Donec iſtarum ad æternam vitam.] *Aliquis inde ſuſpicari poſſet D. Auguſtinum diſtinxiſſe requiem illam, qua fruuntur piorum animæ ante reſurrectionem, ab æterna vita ſeu beatitudine, ut non prius divina beatitudine ſint fruituræ, quàm reſumpſerint corpora; in quam ſententiam citari poſſent & alia illius loca lib. 1. retract. cap. 14.* De ſanctis hominibus *(inquit)* jam defunctis utrum ſaltem ipſi dicendi ſint jam in illa poſſeſſione conſiſtere, merito quæritur. *Et epiſtol. 3. ad Fortunatianum dicit nos viſuros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus. i.e. æquales Angelis facti fuerimus, quod erit utique in reſurrectione mortuorum; Exſtat & ſimilis locus in Pſalmum 36. Hanc ſententiam amplexati ſunt multi ex patribus, tùm Græcis, tum Latinis; Eſt tamen jam recepta ab Eccleſia ſententia, & de fide animas piorum etiam ante reſurrectionem corporum videre Deum, & id definitum eſt in Concilio Florentino, ſeſſ. ult. in decreto unionis Latinorum cum Græcis, & in Concilio Tridentino ſeſſion. 25. Idem definivit Benedictus 12. in Extravagant. quæ incipit,* Benedictus Deus, *quam refert Alphonſus à Caſtro libro 3. contra hæreſes verb.* Beatitudo. *hæreſ. 6. Innocentius 3. cap. ad Apoſtolicam ext. de presbytero non baptizato. Certè pronior eſt Deus ad miſericordiam quam ad juſtitiam, & ad compenſandum merita quàm ad infligendum ſupplicia; verum impiorum animæ etiam ante reſurrectionem corporum torquentur apud inferos, ergo & piorum animæ cæleſti beatitudine fruuntur etiam non reunitæ propriis corporibus.*

CAP. IX.

Tempus mortis, quo vitæ ſenſus aufertur in morientibus, an in mortuis eſſe dicendum ſit.

SEd id tempus, quo animæ à corpore ſeparatæ, aut in bonis ſunt, aut in malis: utrum poſt mortem potius, an in morte dicendum eſt? Si enim poſt mortem eſt, jam non ipſa mors, quæ tranſacta atque præterita eſt, ſed poſtea vita præſens animæ, ſive bona, ſive mala eſt. Mors autem tunc eis mala erat, quando erat: hoc eſt, quando eam patiebantur, cùm morerentur: quoniam gravis & moleſtus eis inerat ſenſus: quo malo bene utuntur boni. Peracta autem mors quonam modo vel bona, vel mala eſt, quæ jam non eſt? Porrò ſi adhuc diligentius attendamus, nec illa mors eſſe apparebit, cujus gravem ac moleſtum in morientibus diximus ſenſum. *a* α Quamdiu enim ſentiunt, adhuc utique vivunt, & ſi adhuc vivunt, ante mortem quàm in morte potius eſſe dicendi ſunt: quia illa cùm venerit, aufert omnem corporis ſenſum, qui ea propinquante moleſtus eſt. Ac per hoc quomodo morientes dicamus eos, qui nondum mortui ſunt, ſed imminente morte jam extrema & mortifera afflictione jactantur, explicare difficile eſt, etiam ſi rectè iſti appellantur morientes: quia cùm mors quæ jam imminet, advenerit, non morientes, ſed mortui nuncupantur. Nullus eſt ergo moriens, niſi vivens, quoniam cùm in tanta eſt extremitate vitæ, in quanta ſunt *b* β quos agere animam dicimus, profectò qui nondum anima caruit, adhuc vivit. Idem ipſe igitur ſimul & moriens eſt & vivens: ſed morti accedens, vita decedens, adhuc tamen in vita: quia ineſt anima corpori: nondum autem in morte, quia nondum abſceſſit à corpore: Sed ſi cùm abſceſſerit, nec *Moriens qui dicatur.*

tunc in morte, ſed poſt mortem potius erit, quando ſit in morte quis dixerit? Nam neque ullus moriens erit, ſi moriens & vivens ſimul eſſe nullus poteſt. Quamdiu quippe anima in corpore eſt, non poſſumus negare viventem. *c* Aut ſi moriens potius dicendus eſt, in cujus jam corpore agitur, ut moriatur: nec ſimul quisquam poteſt eſſe vivens & moriens: quando ſit vivens, neſcio.

L. Vives. *a* Quamdiu enim ſentiunt adhuc utique vivunt.] *Sed mors definitur ſeparatio animæ à corpore, quæ in tempore ſit: & cùm deſerere incipit frigida membra, jam accipit mori homo, & abſceſſu animæ eſt acceſſus mortis, cùm illa penitus reliquit corpus, hæc penitus invaſit.*

b Quos agere animam dicimus.] *Sic Martialis:*

Si deſit quid agas, Attale agas animam.

Quod ex antiqua perſuaſione ortum habet, animam ſpiritum eſſe & auram tenuiſſimam. Hinc agere animam, quaſi eam exufflare & expellere. Unde ſequitur mors.

c Aut ſi moriens potius dicen. eſt.] *Si is dicitur mori, in cujus corpore agitur, unde incipiat anima abire, profectò vita noſtra tota dicenda eſt mors. Ex quo enim nati ſumus qualitates corporis pugna ſua vitam expellere conantur, & certè ſenſim detrudunt. Quæ cauſa veteribus plerisque philoſophis fuit dicendi, incipere nos in ortu mori, finemq; mortis eſſe, quem nos dicimus vitæ: ſive quia tunc verè incipimus vivere, ſive, ut alii dicebant, quia tunc perfectè eſt mors: & abiit.*

F. L. Coq. *α* Quandiu enim ſentiunt.] *Eo argumento contendebat Epicurus mortẽ nihil ad nos pertinere, quoniam* cum ſumus, mors non adeſt, cum vero mors adeſt, jam non ſumus. *Neque igitur ad viventes, neque ad mortuos pertinet, cum iis qui ſunt, illa non ſit, quibus vero adeſt, jam illi non ſint. Quâ de re Laertius in ejus vita, & Tertullianus libro de anim. capite vigeſimo quarto. Certe quemadmodum generatio ſubſtantialis ſit in inſtanti, licet ad eam præviæ ſint temporaneæ diſpoſitiones, ita de morte, quæ corruptio eſt naturalis, ſentiendum, & in homine potiſſimum non per partes, ſed in momento anima, quæ immaterialis eſt & indiviſibilis, ſeparatur à corpore: rectè tamen dicimus morientes, in quibus præviæ ſunt diſpoſitiones ad ipſam ſeparationem animæ à corpore, ita D. Thomas 2.2. quæſt. 164. art. 1. ad 7.*

β Quos agere animam dicimus.] *Græcis λειποψυχεῖν. Cicero pro Q. Roſtio:* eodem tempore & geſtum & animam ageres, *& libro octavo Epiſtol. 13.* Q. Hortenſius cum has literas ſcripſi animam agebat. *Seneca in ludo de morte Claudii Cæſaris.* Claudius animam agere cœpit, nec invenire exitum poterat, *& Livius.* Noctem totam plerique eorum ac diei conſequentis partem cum animam egiſſent.

Cap. X.

An vita mortalium mors potius quàm vita dicenda ſit.

Ex quo enim quisque in iſto corpore morituro eſſe cœperit, *a α* nunquam in eo non agitur, ut mors veniat. Hoc enim agit ejus mutabilitas toto tempore vitæ hujus: ſi tamen vita dicenda eſt, ut veniatur in mortem. Nemo quippe eſt, qui non ei poſt annum ſit quàm ante annum fuit, & cras quàm hodie, & hodie quàm heri, & paulò pòſt quàm nunc, & nunc quàm paulò antè propinquior: *b* quoniam quicquid temporis vivitur, de ſpatio vivendi demitur: & quotidie fit mi-

minus minusque quod reſtat: ut omnino nihil ſit aliud tempus vitæ hujus, quàm curſus ad mortem. In quo nemo vel paululum ſtare, vel aliquando tardius ire permittitur, ſed omnes urgentur pari motu, nec diverſo impelluntur acceſſu. Neque enim cui vita brevior fuit, celerius diem duxit, quàm ille cui longior: ſed cùm æqualiter æqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotius, quo non impari velocitate ambo currebant. Aliud eſt autem amplius viæ peregiſſe, aliud tardius ambulaſſe. Qui ergo uſque ad mortem productiora ſpatia temporis agit, non lentius pergit, ſed plus itineris conficit. Porrò ſi ex illo quisque incipit mori, hoc eſt, eſſe in morte, ex quo in illo agi cœperit ipſa mors, id eſt, vitæ detractio: quia cùm detrahendo finita fuerit, poſt mortem jam erit, non in morte: profectò ex quo eſſe incipit in hoc corpore, in morte eſt. Quid enim aliud diebus, horis, momentisque ſingulis agitur, donec ea conſummata mors quæ agebatur, impleatur: & incipiat jam tempus eſſe poſt mortem: quod cum vita detraheretur, erat in morte? Nunquam igitur in vita homo eſt, ex quo eſt in corpore iſto moriente potius quàm vivente: ſi & in vita & in morte ſimul non poteſt eſſe. *b* An pótius & in vita & in morte ſimul eſt: in vita ſcilicet in qua vivit, donec tota detrahatur: in morte autem, quia jam moritur, cui vita detrahitur? Si enim non eſt in vita, quid eſt quod detrahitur, donec ejus fiat perfecta conſumptio? Si autem non eſt in morte, quid eſt vitæ ipſa detractio? Non enim fruſtrà cùm vita fuerit corpori tota detracta, poſt mortem jam dicitur, niſi quia mors erat cùm detraheretur. Nam ſi ea detracta non eſt homo in morte ſed poſt mortem, quando niſi cùm detrahitur, erit in morte?

a NUnquam in eo non agitur, ut mors non veniat.] *Delenda hac poſtrema negatio, dicendum ſic: Nunquam in eo non agitur, ut mors veniat, quaſi, ſemper id agitur.* L.Vives.

b Quoniam quicquid temporis vivitur.] *Quintilianus in Mathematico: Omnes nos hora per tacitos fallentesq; curſus applicat fato, & in hac miſera perpetuitatis cogitatione diſtricti per exigua feſtinantis ævi momenta præmorimur. Tempus aſſiduè aliquid nobis detercre vulgatiſſimum eſt: pleniq; ſunt non philoſophorum modò, ſed poëtarum quooque libri, & magna pars eorum, quæ hic Auguſtinus dicit, ſumpta eſt ex Seneca variis locis.*

a NUnquam in eo non agitur ut mors veniat.] *2. Regum 14* Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur, quæ ſunt ſuper terram. *Eo ſenſu accipi poteſt & illud Apoſtoli Roman. 8 quod dicat ſe quotidie mori. Divus Gregorius homilia 37. in Evangelia.* Ille quotidianus defectus corruptionis quid aliud eſt quam quædam prolixitas mortis? *Obſervat Gregorius Nyſſenus homil. 6. in Eccleſiaſtem, Moyſem ſtatim poſt Geneſim, quod eſt generatio, ſimul quoque ſcripſiſſe Exodum. i. e. Exceſſum,* ut qui ea legerent, quæ ſcripta ſunt, etiam per ipſum ordinem librorum ea diſcerent, quæ ad ſeipſos pertinent. Neque enim fieri poteſt, ut qui geneſim. *id eſt* generationem audierint, non exodum, *id eſt*, exitum protinus cogitent. *Præclare Seneca epiſt 24.* Quotidie, *inquit*, morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde F.L.Coq.

pueritiam, deinde adoleſcentiam, uſque ad heſternum quicquid tranſit temporis, periit. Hunc ipſum quem agimus diem cum morte dividimus, quemadmodum clepſydram non extremum ſtillicidium exhaurit, ſed quicquid ante defluxit, ſic ultima hora, qua eſſe deſinimus. non ſola mortem facit, ſed ſola conſummat. Tunc ad illam pervenimus, ſed diu venimus; *Et lib. de brevitat. vitæ, cap. 10.* Præſens tempus breviſſimum eſt, adeò quidem, ut quibusdam nullum videatur, in curſu enim ſemper eſt, fluit & præcipitatur, ante deſinit eſſe, quam venit, nec magis moram patitur quam mundus, aut Sydera, quorum irrequieta ſemper agitatio, nunquam in eodem veſtigio manet. *Idem Epiſt. 55.* Erramus quando mortem judicamus ſequi, cum illa & præceſſerit, & ſecutura ſit. Quicquid ante nos fuit, mors eſt. Quid enim refert utrum non incipias, an deſinas? utriusque rei hic eſt effectus, non eſſe.

β An potius in vita & in morte ſimul eſt.] *Rectè confertur cum umbra ipſa vita noſtra, Job. 14. dicitur fugere velut umbra, & 1. Paralipom. 29. dicitur.* Dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mora. *Illud verò in umbra conſiderari poteſt, quod ſit quædam imago mortis, & quo major, eo nocturnis tenebris propinquior. Unde ſicut umbra dici poteſt quædam nox, ita vita noſtra mors quædam; deinde ut umbra non nihil habet luminis admixtum, ſive potius lux eſt quædam tenebris immerſa, ita vivendo morimur, & vita noſtra morti admixta eſt, ut in vita & morte ſimul nos eſſe aptiſſimè dici poſſit.*

Cap. XI.

An quisquam ſimul, & vivens poſſit eſſe, & mortuus.

SI autem abſurdum eſt, ut hominem antè quàm ad mortem perveniat, jam eſſe dicamus in morte: cui enim propinquat peragendo vitæ ſuæ tempora, ſi jam in illa eſt, maximè *a* α quia nimis eſt inſolens, ut ſimul & vivens eſſe dicatur & moriens, cùm vigilans & dormiens ſimul eſſe non poſſit: quærendum eſt quando erit moriens. Etenim antequàm mors veniat, non eſt moriens, ſed vivens: cùm verò mors venerit, mortuus erit, non moriens. Illud ergò eſt adhuc ante mortem, hoc jam poſt mortem. *b* β Quando ergo in morte? Tunc enim eſt moriens, ut quemadmodum tria ſunt cùm dicimus, ante mortem, in morte, poſt mortem, ita tria ſingulis ſingula: vivens, moriens, mortuusq; reddantur. Quando itaq; ſit moriens, id eſt in morte, ubi neq; ſit vivẽs, quod eſt ante mortẽ, neq; mortuus, quod eſt poſt mortẽ: ſed moriẽs, id eſt in morte, difficillimè definitur, quamdiu quippe eſt anima in corpore, maximè etiã ſenſus adſit, proculdubio vivit homo, quia cõſtat ex anima & corpore: ac per hoc adhuc ante mortẽ, non in morte eſſe dicendus eſt. Cùm verò anima abſceſſerit, omnemq; abſtulerit corporis ſenſum, jam poſt mortem mortuusque perhibetur. Perit igitur inter utrumque, quod moriens, vel in morte ſit: quoniam ſi adhuc vivit, ante mortem eſt, ſi vivere deſiſtit, jam poſt mortem eſt. Nunquàm ergo moriens, id eſt in morte eſſe comprehenditur. Ita etiam in tranſcurſu temporum quæritur præſens, nec invenitur: quia ſine ullo ſpatio eſt, per quod tranſitur ex præterito in futurum. Nónne ergo videndum eſt, ne iſta ratione mors corporis nulla eſſe dicatur? Si enim

enim eſt, quando eſt, quæ in ullo, & in qua ullus eſſe non poteſt? quandoquidem ſi vivitur adhuc non eſt, quia hoc ante mortem non in morte: ſi autem vivere jam ceſſatum eſt, jam non eſt: quia & hoc poſt mortem eſt, non in morte? Sed rurſus ſi nulla mors eſt ante vel poſt, quid eſt quod dicitur ante mortem, vel poſt mortem? Nam & hoc inaniter dicitur, ſi mors nulla eſt. Atque utinam in paradiſo bene vivendo egiſſemus, ut revera nulla eſſet mors. Nunc autem non ſolum eſt, verum etiam tam moleſta eſt, ut nec ulla explicari locutione poſſit, nec ulla ratione vitari. *c* Loquamur ergo ſecundum conſuetudinem: non enim aliter debemus: & dicamus ante mortem, priùs quàm mors accidat, ſicut ſcriptum eſt: *d Ante mortem ne laudes hominem quenquam.* Dicamus etiam cùm acciderit: Poſt mortem illius vel illius factum eſt illud vel illud; Dicamus & de præſenti tempore ut poſſumus, velut cùm ita loquimur: moriens ille teſtatus eſt, & illis atque illis, illud atque illud moriens dereliquit, quamvis hoc quiſquam niſi vivens, omnino facere non poſſet: & potius hoc ante mortem fecerit, non in morte. Loquamur etiam ſicut loquitur Scriptura divina, quæ mortuos quoque non poſt mortem, ſed in morte eſſe non dubitat dicere. Hinc enim eſt illud: *Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui.* Donec enim reviviſcant, rectè dicuntur eſſe in morte: ſicut in ſomno eſſe quiſquis donec evigilet, dicitur. Quamvis in ſomno poſitos dicamus dormientes, non tamen eo modo poſſumus dicere eos, qui jam ſunt mortui morientes. Non enim adhuc moriuntur, qui quantum attinet ad corporis mortem, de qua nunc diſſerimus, jam ſunt à corporibus ſeparati. Sed hoc eſt, quod dixi explicari aliqua locutione non poſſe, quonam modo vel morientes dicantur vivere, vel jam mortui etiam poſt mortem, adhuc eſſe dicamur in morte, quo modo enim poſt mortem, ſi adhuc in morte, præſertim cum eos nec morientes dicamus, ſicuti eos qui in ſomno ſunt dicimus dormientes: & qui in languore, languentes: & qui in dolore, utique dolentes, & qui in vita, viventes? An verò mortui prius quam reſurgant, eſſe dicuntur in morte: nec tamen poſſunt appellari morientes? Unde non importunè, neque incongruè arbitror accidiſſe, etſi non humana induſtria, judicio fortaſſe divino ut hoc verbum quod eſt, moritur, in Latina lingua *f* nec grammatici declinare potuerint, *δ* ea regula qua cætera talia declinantur. *g* Namque ab eo quod eſt oritur, fit verbum præteriti temporis, ortus eſt, & ſi qua ſimilia ſunt, quæ per temporis præteriti participia declinantur. Ab eo verò quod eſt moritur, ſi quæramus præteriti temporis verbum, reſponderi ſolet, mortuus eſt, v litera geminata ſic enim dicitur mortuus, quomodo fatuus, arduus, conſpicuus, & ſi qua ſimilia, quæ non ſunt præteriti temporis, ſed quoniam nomina ſunt, ſine tempore declinantur. Illud autem quaſi declinaretur, quod declinari non poteſt, pro participio præteriti temporis ponitur nomen. Convenienter itaque factum eſt, ut quemadmodum id quod ſignificat non poteſt agendo, *e* ita ipſum verbum *h* declinari loquendo non poſſit. Agi tamen poteſt in adjutorio gratiæ redemptoris noſtri, ut ſaltem ſecundam mortem declinare poſſimus. Illa enim eſt gravior, & omnium malorum peſſima, quæ non fit ſeparatione animæ & corporis,

Eccl. 11.

Pſ. 6.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſed in æternam pœnam potius utriusque complexu. Ibi econtrario non erunt homines ante mortem atque poſt mortem, ſed ſemper in morte, ac per hoc nunquam viventes, nunquam mortui, ſed ſine fine morientes. Nunquam enim erit hominis pejus in morte, quam ζ ubi erit mors ipſa ſine morte.

L. Vivis. a QUia nimis eſt inſolens.] *Nimis inſolitum, vocabulum eſt antiquum, quo utitur Saluſtius, uſurpator veterum vocabulorum, & Gellius ejus æmulus.*

b Quando ergo in morte] *Nimis es, Auguſtine, quod ſit dictum cum bona venia & ingenii & ſanctimtis tuæ, nimis rudis es, viſu hebeti. Nulla hic tu vides inſtantia, quæ boni Dialectici & Theologi tradunt, primum eſſe, primum non eſſe: ultimum eſſe, ultimum non eſſe. In morte eſt in primo inſtanti non eſſe: quia tunc deſiit eſſe. Nondum intelligis? Expone ſic: Nunc non eſt, & immediatè ante hoc fuit. Non intelligis quid ſit immediatè? Nimirum non eſt vocabulum tui temporis: noſtrum eſt: ut ſcias non ſolis Romanis licuiſſe in linguam Latinam. Rurſus ſic expone: Nullum eſt dabile inſtans ante hoc, inter quod & hoc non fuit. Necdum capis? redi ergo ad ſcholam, & doceant te iſta pueri: nam melius hæc pueri tenent, quippe puerilia, quàm ſenes. Sed aliàs de his rebus ſuavius ego & tu confabulabimur.*

c Loquamur ergo ſecundùm conſuetudinem] *Optimam loquendi magiſtram, & à qua in loquendo artes diſcedere non debent.*

d Ante mortem ne laudes hominem.] *Simile hoc ſententiæ Solonis: Neminem ante mortem poſſe beatum dici: quoniam incertum eſt, quid ei adhuc continget.*

f Nec grammatici declinare potuerint.] *Nimis es hoc capite ineptus Auguſtine: nam altera ineptia fuit jubere, ut quæ loquimur ad vulgarem conſuetudinem accommodemus: hæc tertia, quòd grammaticos omnino in opere Theologico nominaſti: quanto magis quòd ex eorum præceptis aliquod adduxiſti, ad id quod agis, argumentum: quòd ſi Theologus aliquis feciſſet noſtri ſeculi, exhibilandum & ejiciendum in ſchola omnes cenſuiſſent, tu verò artes omnes ac diſciplinas connexas inter ſe maxima conjunctione arbitraris, conſenſum veteris ſapientiæ ſecutus: ita ut nulla ſit alteri dedecori, contrà potiùs unaquæque alteri adjumento.*

g Namque ab eo quod eſt oritur.] *Analogia valere an debeat in arte grammatica, magna quæſtio eſt, & à clariſſimis in utramque verſata partem. Ariſtarchus analogiam tutatus eſt nobilis grammaticus: Crates verò oppugnavit, fretus libro, quem Chryſippus reliquit* περὶ ἀνωμαλίας. *Rationes utrinque à M. Varrone explicantur in libris qui ſuperſunt ipſius de analogia. Diſputat & de analogia Quintilianus. Scripſit & Cajus Cæſar de analogia ad Ciceronem. Haud dubiè valere in omnibus analogiam non oportere: valere in multis neceſſe eſt. Aliter neque ars conſtabit, & vix ſermo ipſe.*

h Declinari loquendo.] *Luſit ambiguitate, verbi illius declinari: agendo, inquit, non poteſt declinari, hoc vitari: nec loquendo per caſus inflecti.*

F. L. Leq. a NImis eſt inſolens] *Nimis inſolitum, quo utitur Horatius 3. Carm. ode 29.*

Fortuna ſævo læta negotio
Ludum inſolentem ludere pertinax.

Salluſtius, Inſolens vera accipiendi. *A. Gellius lib. 1.* Fugias inauditum, atque inſolens verbum.

β Quan-

β Quando ergo in morte?] *Utrum momentum moriendi vitæ, vel morti tribuendum ſit diſputatum à Philoſophis, ſcribit Gellius, lib. 6. cap. 13. his verbis,* Quæſitum eſt quando moriens moreretur, an cum jam in morte eſſet, an tum etiam cum in vita foret, & quando ſurgens ſurgeret, an quando etiam ſtaret. *Paulo poſt,* Graviſſimi Philoſophorum ſuper hac re quæſiverunt, & alii moriendi verbum atque momentum manente adhuc vita dici atque fieri putaverunt, alii nihil in eo tempore vitæ reliquerunt, totumque illud quod mori dicitur, morti vindicarunt. *Paulo poſt ſubjungit,* Sed Plato noſter neque vitæ id tempus, neque morti dedit, idemque in omni rerum ſimilium diſceptatione fecit. Vidit quippe utrumque eſſe pugnans, neque poſſe ex duobus contrariis altero manente alterum conſtitui, quæſtionemque fieri per diverſorum inter ſe finium mortis & vitæ cohærentiam. Et idcirco peperit ipſe expreſſitque aliud quoddam novum in confinium tempus, quod verbis propriis atque integris, τὴν ἐξαίφνης φύσιν appellavit. *Locum Platonis ex Parmenide citat, veluti confinium vitæ & mortis. Et Ariſtoteles vocavit,* Quoddam vivendi & non vivendi interliminium.

γ Moriens ille teſtatus eſt.] *Apud Juriſconſultos ſemper valuit ſtipulatio his verbis concepta,* cùm moriar, *vel* cum morieris, dare ſpondes? *inſtit. de inutili. diſputatio. §. Item autem ſtipulatio: cum tamen illa ſtipulatio, pridie quam moriar, vel pridiè quam morieris, eſſet inutilis. Hodie etiam valet, quia actiones & obligationes jure civili ab hæredibus incipere poſſunt: neque tamen ante vim ſuam habet hujuſmodi ſtipulatio, quam poſt mortem. Cod. de contrahen. ſtipulati. leg. ultim.* Si quis ſpoponderit inſulam cum moriebatur, ædificare, impoſſibilis veteribus videbatur hujuſmodi ſtipulatio, ſed nobis ſenſum contrahentium diſcutientibus veriſimile videtur hoc inter eos actum, ut incipiat quidem contra morientem obligatio, immineat autem hæredibus ejus, donec ad effectum perducatur. Nemo enim ita ſtultus invenitur, ut tali animo faceret ſtipulationem, ut putaret poſſe tantum ædificium in uno momento horæ extollere, vel eum, qui moritur, talem habere ſenſum, quod ipſe ſufficeret ad hujus operis completionem. Sancimus itaque, ſi quid tale evenerit, hæredes ejus teneri, ut factum quod mortis tempore facere permiſit, hoc hæredes ejus impleant quaſi ſpeciali hæredis mentione habita, licet hoc minime fuerit expreſſum.

δ Ea regula, qua cætera talia declinantur.] *Utrum analogia, quæ eſt,* ſimilium ſimilis declinatio, *an verò anomalia, quæ eſt* inæqualitas declinationum conſuetudinem ſequens, *ſequenda ſit, quæſitum eſt aliquando & revocatum in controverſiam. Refert A. Gellius, libro 2. cap. 25. duos illuſtres Grammaticos Ariſtarchum & Cratetem ſumma ope illum analogiam, hunc anomaliam defendiſſe. Certè vel ut ex exemplo hic allato ab Auguſtino conſtat, analogia non eſt perpetua apud Grammaticos, nec ubique valere debet.*

ε Ita ipſum verbum declinari loquendo non poſſe.] *Alludit ad ſignificationem hujus verbi,* declino, *quia enim ſæpius caput aut etiam totum corpus declinando periculum vitatur, invaluit conſuetudo ut pro vitare poneretur. Cicero 1. de offic.* Declinetque ea, quæ nocitura videntur, *atque uſus hujus verbi in ea ſignificatione frequens*

quens eſt, & ſecundam mortem declinare. *i. e.* vitare, *ut hic ſcribit D. Auguſtinus.*

{ Ubi erit mors ſine morte.] Deſiderabunt enim homines mori, & mors fugiet ab eis. *In Enchiridion cap. 92.* Ubi infœlix mori non finitur, ut ita dicam, mors ipſa non moritur, & ubi dolor perpetuus non interimit, ſed affligit, ipſa corruptio non finitur. *Hac in ſacris ſcripturis ſecunda mors dicitur.*

Cap. XII.

Quam mortem primis hominibus Deus, ſi mandatum ejus tranſgrederentur, fuerit comminatus.

Cum *a* ergo requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, ſi ab eo mandatum tranſgrederentur acceptum, nec obedientiam cuſtodirent: utrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam quæ ſecunda dicitur: reſpondendum eſt, omnes. Prima enim conſtat ex duabus: ſecunda ex omnibus tota. Sicut enim univerſa terra ex multis terris, & univerſa eccleſia ex multis conſtat eccleſiis, ſic univerſa mors ex omnibus: quoniam prima conſtat ex duabus: una animæ, altera corporis: ut ſit prima totius hominis mors, cum anima ſine Deo & ſine corpore ad tempus pœnas luit: ſecunda verò, ubi anima ſine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini quem in paradiſo conſtituerat, de cibo vetito. *Gen 2.* *Quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini:* non tantum primæ mortis partem priorem ubi anima privatur Deo: nec tantum poſteriorem, ubi corpus privatur anima: nec ſolum ipſam totam primam, ubi anima & à Deo & à corpore ſeparata punitur: ſed quicquid mortis eſt uſque ad noviſſimam, quæ ſecunda dicitur, & qua eſt nulla poſterior, comminatio illa complexa eſt. *Mors ſecunda.*

F.L.Coq. a Cum ergo quæritur quam mortem] *De illa morte quam Deus comminatus fuit primis parentibus, ſi ab ejus præcepto recederent, quæ & qualis intelligenda ſit, an ſcilicet mors animæ, vel corporis, vel utraque, diſputat hic Divus Auguſtinus. Nec enim defuerunt qui exiſtimarent non mortem corporis, ſed animæ Deum ſignificaſſe his verbis,* Quacumque die comederitis, morte moriemini, *ut Philo lib. 1. Allegoria. leg. 15. ſub finem. Ad illa enim Geneſis verba ſupra citata,* Atqui *(inquit)* poſt eſum non ſolum moriuntur, verum etiam progignunt liberos, & aliis vivendi authores fiunt. quid ergo dicendum? Duplicem eſſe mortem, alteram hominis, alteram animæ propriam; hominis mors eſt animæ à corpore ſeparatio, animæ verò mors corruptio virtutis, & aſſumptio vitii, ideoque non contentus moriturum dicere, morte, inquit, moriemini, indicans non communem hanc, ſed illam æternam, quæ per excellentiam mors dicitur, quæ eſt quoties anima inſepelitur affectibus vitiisque omnibus. *Paulò poſt.* Quoties dicit morte mori obſervandum pœnalem mortem, non naturalem ſignificari: naturalis porrò eſt, per quam anima ſeparatur à corpore; pœnalis verò cum anima è virtutis vita emoritur, & vivit in vita vitii. *Idem ſenſit Eucherius lib. 1. commentar. in Geneſi. Eugubinus etiam in Coſmopea fatetur ſe aliquando addubitaſſe, num potius mortem animi quandam, æternamque fœlicitatis privationem, quam corporis mortem Moſes intel-*

intellexerit. Hanc etiam ſententiam manifeſtè adſtruit Divus Gregorius in Regiſtro, lib. 6. cap. 195. & ea eſt epiſtola 31. ad Eulogium epiſcopum Alexandrinum & Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum ſcripta; ita nimirum ſcribit Gregorius. Si Adæ, qui primus peccavit, anima in peccato mortua eſt, quomodo de ligno vetito ei dictum eſt, In quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini? Et ecce comedit Adam & Eva de ligno vetito, & tamen in carne ſua ultra nongentos annos poſtmodum vixerunt. Conſtat itaque quod in carne non eſt mortuus. Si verò in anima mortuus non eſt, quod dici nefas eſt, falſam ſententiam de illo protulit Deus, qui dixit, quod qua die comederet, moreretur. Sed abſit hic error, abſit à vera fide. Nos enim primum hominem, qua die peccavit, anima mortuum dicimus, atque per hunc omne genus humanum in hac mortis & corruptionis pœna damnatum, per ſecundum verò hominem, & modo à morte animæ & poſtmodum ab omni corruptione carnis in æterna reſurrectione liberari nos poſſe confidimus. *Verior tamen eſt ſententia Divi Auguſtini hoc loco, quam amplectuntur etiam omnes Theologi, mortis vocabulo in illa comminatione ſignificatam eſſe omnem mortem, quæ homini accidere poteſt. i. tam animæ quàm corporis, tam æternam quàm temporalem. Hanc ſententiam probat Pererius aliquot argumentis libro 4. commentar. in Geneſin, quæſt. 2. in illa verba,* In quo d. comederis m. m. *Neque vero tanti momenti eſt argumentum Philonis; & Divi Gregorii, quod non ſtatim mortuus fuerit Adamus, ſed ultra nongentos annos poſtea vixerit. Tunc enim primum obnoxius fuit morti & mortalis. vide Bellarminum, lib. de gratia primi hominis, cap. 8. ubi confirmat ſententiam Auguſtini, quam non modo hic aſtruit, ſed etiam libro primo de peccator. meritis & remiſſion. capit. 8. & Theodoretus quæſtione 38. in Geneſim, ſententiam mortalitatis appellavit mortem. Sic enim interpretatus eſt Symmachus,* Quacumque die comederis de ligno hoc, mortalis eris, *ſiquidem poſt divinam ſententiam per ſingulos dies mortem expectabat.*

Cap. XIII.

Prævaricatio primorum hominum, quam primum ſenſerit pœnam.

NAm poſteaquam præcepti facta tranſgreſſio eſt, confeſtim gratia deſerente divina, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt: *a* unde etiam foliis ficulneis, quæ fortè à perturbatis prima comperta ſunt, pudenda texerunt, quæ prius eadem membra erant, *a* ſed pudenda non erant. *β* Senſerunt enim novum motum inobedientis carnis ſuæ, *b γ* tanquàm reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ. Jam quippe anima libertate in perverſum propria delectata, & Deo dedignata ſervire, priſtino corporis ſervitio deſtituebatur. Et quia ſuperiorem dominum ſuo arbitrio deſeruerat, inferiorem famulum ad ſuum arbitrium non tenebat: nec omnino habebat ſubditam carnem, ſicut ſemper habere potuiſſet, ſi Deo ſubdita ipſa manſiſſet. Tunc ergo caro cœpit concupiſcere adverſus *Rom. 7.* ſpiritum, *c* cum qua controverſia nati ſumus, *d* trahentes originem mortis, & *Gal. 5.* in membris noſtris vitiatam naturam, contentionem ejus, ſive victoriam de prima prævaricatione geſtantes.

L. Vives. a SEd pudenda non erant.] *Turpia non erant, idcirco nec pudorem afferebant. Nullus eis fuiſſet offenſus, ſi non peccaſſent, & uſus eorum fuiſſet, qualis manuum & pedum. Sed ubi culpam admiſerunt, illis partibus obſcena voluptas addita, pudendas & è conſpectu removendas fecit.*

b Tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ.] *Quod inobedientia in eos reflectebatur, ut quemadmodum Deo ipſi non paruerunt, cui natura jure ſubditi erant, ſic ſubditum ſentirent ſibi rebellantem, membra ſcilicet dominationi.*

c Et ſpiritus adverſus carnem.] *Hoc nihil facit ad ſenſum, nec in aliis libris adſcribitur.*

d Trahentes originem mortis.] *In codice Brugenſi ſic habetur, Trahentes originem mortis, & in membris noſtris vitiatam naturam, contentionem ejus, ſive victoriam de prima prævaricatione geſtantes. Utrocunque legatur modo, ſenſus eſt: Ex illa primigenia noxa, hanc pugnam inter affectus & mentem ortam eſſe, quæ nos perpetuò comitatur, in qua interim mens eſt victrix, interim victa. Quòd ſi legatur ſine victoria, ſenſus erit, non ita ſubigi & domari poſſe corporis affectus, ut ampliùs bellum rationi non faciant, & negotium exhibeant permoleſtum: ita ea lectio non diſplicet, & videtur ſubtilior.*

F. L. Coq. α UNde etiam foliis ficulneis.] *Si quis quærat, cur foliis ficus velandæ turpitudini, quam tum primum ſenſerant, potius quam aliunde ſe contexerint? Reſponderi poſſet forte; ob foliorum amplitudinem, quia ſunt ei arbori ampliſſima folia, ut ſcribit Plinius, libro 16. vel etiam quod illis conſcientia patrati ſceleris, & inuſitatæ libidinis ſenſu vehementer commotis ac perturbatis prior illa arbor occurrerit, quod hic docet Auguſtinus, qui etiam ſcribit libro undecimo de Geneſ. ad liter. cap. 32.* In illa perturbatione ad folia ficulnea cucurrerunt, ſuccinctiora conſuerunt, & quia glorianda deſeruerant, pudenda texerunt. Neque enim arbitror *(inquit idem Divus Auguſtinus)* cogitaſſe eos aliquid in iis foliis ficus, quod talibus congrueret contegi membra jam prurientia, ſed occulto inſtinctu ad hoc compulſi in illa perturbatione, ut etiam talis ſuæ pœnæ ſignificatio à neſcientibus fieret, quæ peccatorem factum convinceret & doceret ſcriptura lectorem. *Idem legi poteſt libro 5. contra Julianum cap. 2. & lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 6.*

β Senſerunt enim novum motum inobedientis.] *Hæc eſt rebellio carnis ad ſpiritum, concupiſcentia peccati, lex fomitis, de qua Apoſtolus.* Invenio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, *quam coercebat juſtitia originalis [quæ » quod ex peccato nata, & præterea ad peccatum inclinat, ideo peccatum dicitur in » ſcriptura, Concilium Tridentin. 7. ſeſſione.] Ex quo conſtat, illam ſubjectionem corporis » ad animam, & inferiorum virium ad rationem in ſtatu innocentiæ non fuiſſe homini naturalem. Ut enim ſcribit Divus Thomas 1. part. quæſtione 95. articulo 1.* Si deſerente gratia ſoluta eſt obedientia carnis ad animam, datur intelligi, quod per gratiam in anima exiſtentem inferiora ei ſubdebantur, Unde ſi homo in puris naturalibus conditus fuiſſet, eadem rebellionem carnis ad ſpiritum quam nunc, expertus fuiſſet. Per juſtitiam enim originalem & ratio ſubdebatur Deo, & inferiores vires rationi, unde ex peccato originali *(ut ſcribit Divus Thomas 1. 2. quæ-*

ſtione

ſtione 82. articulo 1. ad 3.) Sequitur, aliqua inclinatio in actum inordinatum, non directè, ſed indirectè, ſcilicet per remotionem prohibendis. *i.e.* originalis juſtitiæ, quæ prohibebat inordinatos motus. Fuiſſet ergo in homine inordinatus ille motus & inobediens carni ſuæ, niſi acceſſiſſet donum ſupernaturale. *Eadem ſcribit queſtione 4. de mal. articul 1.* Eſt autem conſiderandum, quod primo homini in ſua inſtitutione datum fuerat divinitus quoddam ſupernaturale donum, ſcilicet originalis juſtitiæ, per quam ratio ſubdebatur Deo, & inferiores etiam vires rationi, & corpus animæ. *Idem docet & 4. contra Gentes cap. 52. & 2. ſent. diſtinctione 31. quæſtione 1. articulo 1. Colligitur ex verbis Divi Auguſtini hoc loco eadem doctrina. dicit enim,* deſerente gratia divina ſenſiſſe ſtatim novum motum inobedientis carnis ſuæ. *Eadē eſt ſententia Bellarmini libro de gratia primi hominis cap. 5. Soti lib. 1. de nat. & grat. cap 3. & 13. contrarium ſentit Stapletonus lib. 2. de corrupt. natura cap. 6. & deinceps.*

γ Tanquam pœnam reciprocam inobedientiæ ſuæ.] *Hac eſt perpetua doctrina D. Auguſtini, de qua legi poteſt & infra libro 14. capite 15. & libro 15. capite 6. & libro 1. cap. 9. & libro 2. capit. 22. de peccat. merit. & remiſſio. lib. 3. hypognoſt. lib. 9. de Geneſi ad liter. capit. 10. libr. 1. de nupt. & concupiſcent. cap. 6.* Injuſtum *(inquit)* erat, ut obtemperaretur à ſervo ſuo, *id eſt,* à corpore ſuo, ei qui non obtemperaverat domino ſuo; *quibus conſonant verba hujus capitis.* Quia ſuperiorem dominum ſuo arbitrio deſeruerat, inferiorem famulum ad ſuum arbitrium non tenebat, *& lib. de natu. & gratia cap. 25.* Iniquitatem peccati tanto graviorem, quanto facilius homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna juſtiſſima ſubſecuta eſt, ut mercedem mutuam peccati ſui in ſemetipſo reciperet, amittens ſub ſe poſitam ſui corporis quodammodo obedientiam, quam præcipuam ſub domino ſuo ipſe contempſerat.

CAP. XIV.

Qualis homo ſit factus à Deo, & in quam ſortem deciderit ſua voluntatis arbitrio.

DEUS enim creavit hominem rectum, α naturarum autor, non utique vitiorum, ſed ſponte depravatus, juſteque damnatus, β depravatos damnatosque generavit. γ Omnes enim fuimus in illo uno, a quando omnes ille unus corrupit, δ qui per fœminam lapſus eſt in peccatum, quæ de illo facta eſt ante peccatum. Nondum erat nobis ſigillatim creata & diſtributa forma, in qua ſinguli viveremus: ſed jam natura erat ſeminalis, ex qua propagaremur: quia ſcilicet propter peccatum vitiata, & vinculo mortis obſtricta, juſteque damnata, non alterius conditionis homo ex homine naſceretur: ac per hoc *b* à liberi arbitrii malo uſu, ſed ſeries hujus calamitatis exorta eſt, quæ humanum genus origine depravata velut radice corrupta, uſque ad ſecundæ mortis exitium, quæ non habet finem: ſolis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur miſeriarum connexione perducit.

a QUando omnes ille unus corrupit.] *In antiquis exemplaribus ſic habetur:* L. Vive.

quando omnes fuimus ille unus. nec eſt, omnes ille unus corrupit. Intelligi vult Auguſtinus, quando omnes in eo eramus ſeminali virtute, ipſeque totus eſt depravatus & corruptus, idcirco nos omnes ex fonte infecto manantes, vitium traximus nobiscum.

b A liberi arbitrii malo uſu.] *Malè enim uſi ſunt parentes illi prima libertate voluntatis, qua & facere ſemper imperata Dei, & recuſare poterant.*

P.L.Coſ. *α* NAturarum author, non utique vitiorum.] *Quod Deus non ſit author peccatorum vel vitiorum, præter hunc locum, docet etiam lib. 1. de Geneſ. ad liter. cap. 5. & de prædeſtinat. & grat. cap. 14. & 15. & lib. 83. quæſt. ubi protulit illud vulgatum axioma,* Deo authore neminem fieri deteriorem. *Idem docuerunt & alii Patres, Tertull. lib. 2. contra Marcionem, D. Chryſoſt. hom. 8. in 1. ad Corint. & in explicatio. cap 9. Epiſt. ad Romanos, & D. Baſilius hom. Quod Deus non ſit author malorum:* Idem eſt, *inquit,* dicere, Deum non eſſe Deum, & eſſe authorem malorum; ſi enim author mali eſt, non ſummè bonus, ſi non eſt ſummè bonus, non eſt Deus. *Hæc fuit antiquitus hæreſis cujusdam Florini, contra quem (authore Euſebio lib. 5. hiſt. cap. 19) ſcripſit Irenæus. Neque à tanta impietate & blaſphemia abhorruerunt hæretici noſtri temporis, ut nobis jam exclamare liceat cum Polycarpo, ubi intellexit blaſphemias Florini.* O Deus bone, in quæ nos tempora reſervaſti, ut hæc blaſphema audiamus: *Ab hac tam impia ſententia abhorruerunt & Philoſophi teſte Theodoreto lib. 5. θεραπευτικῆς & inprimis Plato lib. 2. de Republ. ubi etiam deridet fabulam illam de duobus doliis, altero bonorum, altero malorum, quæ in limine Jovis jacere dicuntur. Rectè ergo hic diſtinguit D. Auguſtinus naturas à peccatis ſeu vitiis, nulla enim eſt natura, quæ non ſit à Deo, & nullius peccati author eſt Deus, & lib. 1. de doctrin. cap. 25.* Omnis peccator in quantum peccator eſt, non eſt diligendus, & omnis homo in quantum homo, eſt diligendus propter Deum.

β Depravatos damnatosque generant.] *Simul enim cum natura contrahitur ipſum peccatum originale à primo parente, ita naſcimur omnes filii iræ, ita* per unum hominem peccatum intravit in mundum. *Roman. 5. & per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi. Ita contra Pelagianos definitum eſt in Concilio Palæſtino, Milevitano, & noviſſimè in Tridentino ſeſſ. 5.* Si quis dixerit peccatum Adæ tantum ſibi obfuiſſe, & non poſteris, anathema ſit. *Inter cæteros patres D. Auguſtinus (ut alibi dictum eſt) fuſiſſimè de hac materia contra Pelagianos diſputavit, præſertim verò libris contra Julianum, & libris de peccatorum merit. & remiſſ. & lib. de nuptiis & concupiſcen. Contra Pelagianos etiam ſcripſit Divus Hieronymus. Qua ratione vero factum ſit, ut Adamo peccante omnes naſcerentur peccatores, obſervandum eſt, Adamo datam fuiſſe à Deo originalem juſtitiam, non tantum ſuo nomine, ſed etiam omnium illius poſterorum, adeò ut ſi non peccaſſet, omnes illius poſteri cum juſtitia originali nati fuiſſent, ut ſe haberet inſtar proprietatis cujusdam naturalis, quæ totam naturam humanam concomitabatur. Ita etiam peccante Adamo æquiſſimum erat, originale peccatum, juſtitia illi & gratiæ contrarium, derivari in omnes. Divus Auguſtinus in hanc rem locis citatis adfert multorum Patrum teſtimonia.*

γ Omnes

γ Omnes enim fuimus in illo uno.] *Ita lib. 3. de peccator. meritis cap. 7.* peccaverunt, *inquit,* in illo omnes, quoniam in illa natura inſita, quæ omnes generare potuerat, adhuc omnes unus ille homo erant.

δ Qui per fœminam lapſus eſt in peccatum.] Ita à muliere initium peccati? *Adam non eſt ſeductus, ſed Eva.*

CAP. XV.

Quòd Adam peccans prius reliquerit Deum, quàm relinqueretur à Deo: & primam fuiſſe animæ mortem, à Deo receſſiſſe.

QUamobrem etiam in eo quod dictum eſt: Morte moriemini: quoniam non eſt dictum, mortibus, ſi eam ſolam intelligamus quæ fit, cum anima deſeritur ſua vita, quod illi Deus eſt: α non enim deſerta eſt ut desereret, ſed ut deſereretur, deſeruit. Ad malum quippe ejus prior eſt voluntas ejus: β ad bonum verò ejus prior eſt voluntas creatoris ejus: ſive ut eam faceret, quæ nulla erat: ſive ut reficiat, quæ lapſa perierat: etiam ſi ergo hanc intelligamus, Deum denunciaſſe mortem in eo quod ait: *Qua die ederitis ex illo, morte moriemini:* tanquam diceret, qua die me deſerueritis per inobedientiam, deſeram vos per juſtitiam: profectò in ea morte etiam cæteræ denunciatæ ſunt, quæ procul dubio fuerant ſecuturæ. Nam in eo quod inobediens motus in carne ex motu animæ inobedientis exortus eſt, propter quem pudenda texerunt, ſenſa eſt mors una in qua deſeruit animam Deus. Ea ſignificata eſt verbis ejus, quando timore dementi ſeſe abſcondenti homini dixit. γ *Adam ubi es?* non utique ignorando quærens, ſed increpando admonens, ut attenderet ubi eſſet, in quo non eſſet Deus. Cùm verò jam corpus anima ipſa deſeruit ætate corruptum, & ſenectute confectum, venit in experimentum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens homini dixerat. *a* Terra es, & in terram ibis: ut ex his duabus mors illa prima, quæ totius hominis eſt, compleretur, quàm ſecunda in ultimo ſequitur, niſi homo per gratiam Dei liberetur. Neque enim corpus quod de terra eſt, rediret in terram, niſi ſua morte, quæ illi accidit, cùm deſeritur ſua vita, id eſt anima. δ Unde *b* conſtat inter Chriſtianos, veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipſam nobis corporis mortem, non lege naturæ, qua nullam mortem homini Deus fecit, *c* ſed merito inflictam eſſe peccati, quoniam peccatum vindicans Deus, dixit homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es, & in terram ibis.

Gen. 2.

Gen. 3.

a TErra es, & in terram ibis.] *Sic Lxx.* γῆ εἶ, καὶ εἰς τὴν γῆν ἀπελεύσῃ. *Ubi ſecundo loco dicit cum articulo* τὴν γῆν, *per quod ipſum elementum terræ ſignificatur, in quod cadunt omnia viventia, cùm moriuntur.* L. Vives.

b Unde conſtat inter Chriſtianos.] *Sæpe Auguſtinus diſertis verbis oſtendit, ſententiam ſuam hanc eſſe, hominem, ſi non peccaſſet, non fuiſſe moriturum: nec morti, nec morbis corpus habiturum obnoxium, lignumque illud vitæ immortalitatem collaturum. Optimus ſcholaſticorum Theologus B. Thomas Aquinas in eandem ſententiam ivit. Scotus tamen ſive ſtudio partiũ, ſeu quia ſic eſt ipſi viſum, hæc omnia negat. Vult enim, corpus hominis fuiſſe etiam in illo ſtatu rerum ſubditum morbis, & per-*

peſſurum eos, nec moriturum tamen, quia prius ad cœlos eveheretur quàm caderet, ſed ſi relinqueretur diutius in terra, haud dubiè tabe confectum iri, nec lignum vitæ virtutem habere perpetuandi vitam, tantum proferendi.

ε Sed merito inflictam eſſe peccati.] *Merito nomen eſt: q. eo quòd peccatum eſt, meritum eſt.*

F.L.Cap. α NOn enim diſerta eſt ut dereſeret] *Ita lib. de nat. & grat. cap. 26.* Ipſe Deus cum per mediatorem Dei & hominum hominem Jeſum Chriſtum ſpiritualiter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, *id eſt,* juſtificat impium, & cum ad perfectam vanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam juſtitiamque perduxerit, non deſerit ſi non deſeratur, ut pie ſemper juſteque vivatur.

β Ad bonum verò prior eſt voluntas creatoris.] *Quod maximè colligitur de bono ſpirituali & ſupernaturali, quod conducit ad ſalutem animæ;* prævenitur enim voluntas à Deo qui voluntatem bonam & præparat ordinandam, & adjuvat præparatam, *& infra,* nolentem prævenit, ut velit, *& lib. de gratia & liber. arbitr. cap. 16.* Certum eſt, nos velle cum volumus, ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt. Pæparatur voluntas à Domino, & à Domino greſſus hominis dirigentur; & Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere, *& cap. 17.* quis iſtam & ſi parvam dare cœperit charitatem, niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. ut ergo velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur, tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus ad bona pietatis opera nihil valemus. *Adeo illud verum Apoſtoli, non poſſe nos aliquid cogitare tanquam ex nobis. Hæc eſt gratia præveniens, excitans, operans, qua præparatur voluntas à Domino. Legi poteſt & lib. de prædeſtinat. ſancto. cap. 19 & lib. de Spirit. & liter. cap. 34. ubi inter cætera dicit Deo rectè tribui quod bene volumus. Hic ergò rectè dicit in bonis priorem eſſe ejus voluntatem, in malis verò priorem eſſe noſtram. Neque enim voluntatem ad malum impellit. Malum enim operatur voluntas quatenus recedit à Deo, ne dicas, ipſe me implanavit.*

γ Adam ubi es? non utique ignorando quærens, ſed increpando admonens.] *Eadem Ambroſius lib. de paradiſ. cap. 14.* Quid eſt, Adam ubi es? Non, *inquit,* interrogatio eſt, ſed increpatio, de quibus, *inquit,* bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miſeriam incidiſti? dereliquiſti vitam æternam; & attumulatus es morti, conſepultus errori. Ubi eſt illa tua bene ſibi conſcia confidentia? Timor iſte culpam fatetur, latebra prævaricationem. Ubi ergo es? hoc eſt; non in quo loco quæro, ſed in quo ſtatu quo te deduxerunt peccata tua? ut fugias Deum tuum, quem ante quærebas?

δ Unde conſtat inter Chriſtianos veraciter Catholicam.] *Hæc eſt perpetua D. Auguſtini doctrina, Adam non fore morti obnoxium, niſi peccaſſet, idque alibi & hoc loco dicit ad Catholicam pertinere fidem contra Pelagianos, & id olim definitum in Concilio Milevitano cap. 1. & in Concilio Trident. ſeſſ 5. Reprehendendus itaque Joſephus lib. 1. Antiquit. cap. 2. cum ſcribit, ſi Adamus non peccaſſet, futuram ei fuiſſe*

iſſe quam longiſſimam vitam, tardiſſimamque ſenectutem; propter peccatum autem & vitam fuiſſe diminutam, maturatamque ſenectutem; quam ſententiam amplexus eſt Eugubinus Annotat. in Geneſim in digreſſione de paradiſo. Scotus etiam 2. ſententia. diſtinct. 19. quæſt. unica, vult etiam in illo ſtatu Adamum potuiſſe mori ſi non peccaſſet, non moriturum tamen, quia prius translatus fuiſſet ad gloriam quam moreretur.

CAP. XVI.

De Philoſophis, qui animæ ſeparationem à corpore non putant eſſe pœnalem, cum Plato inducat ſummum Deum diis minoribus promittentem, quòd nunquam ſint corporibus exuendi.

SEd Philoſophi, contra quorum calumnias defendimus civitatem Dei, hoc eſt ejus eccleſiam, ſapienter ſibi videntur irridere, quòd dicimus, animæ à corpore ſeparationem inter pœnas ejus eſſe deputandam: *a α* quia videlicet ejus perfectam beatitudinem tunc illi fieri exiſtimant, cùm omni prorſus corpore exuta, ad Deum ſimplex & ſola, & quodammodo nuda redierit. Ubi ſi nihil, quo iſta refelleretur opinio, in eorum literis invenirem, operoſius mihi diſputandum eſſet, quo demonſtrarem, non corpus eſſe animæ, ſed corruptibile corpus, oneroſum. Unde illud eſt quod ſcripturis noſtris in ſuperiori libro commemoravimus. *Corpus enim corruptibile aggravat animam.* Addendo utique corruptibile non qualicunque corpore, ſed quale factum ex peccato conſequente vindicta, animam perhibuit aggravari. Quod etiam ſi non addidiſſet, nihil aliud intelligere debemus. *β* Sed cùm apertiſſimè Plato deos à ſummo Deo factos habere immortalia corpora prædicet, eiſque ipſum Deum à quo facti ſunt inducat pro magno beneficio pollicentem, quod in æternum cum ſuis corporibus permanebunt, nec ab eis ulla morte ſolventur: quid eſt quod iſti ad exagitandam Chriſtianam fidem *b* fingunt ſe neſcire, quod ſciunt: aut etiam ſibi repugnantes adverſum ſeipſos dicere malunt, dum nobis non deſinant contradicere? Nempe Platonis hæc verba ſunt, *c γ* ſicut ea Cicero in Latinum vertit, quibus inducit ſummum Deum deos quos fecit alloquentem & dicentem: *d δ* Vos qui deorum ſatu orti eſtis, attendite quorum operum ego parens effectorque ſum. *e* Hæc ſunt indiſſolubilia nutu meo, quanquam omne colligatum ſolvi poteſt. *f* Sed haudquaquam bonum eſt, *g* ratione junctum diſſolvere velle. Sed quoniam eſtis orti, immortales vos quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis. Nec unquam tamen diſſolvemini: neque vos ulla mortis fata periment, nec erunt valentiora quàm conſilium meum, quod majus eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram quàm illa quibus eſtis, tunc cùm gignebamini, colligati. Ecce deos Plato dicit & corporis animæque colligatione mortales, & tamen immortales Dei à quo facti ſunt, voluntate atque conſilio. Si ergo animæ pœna eſt qualicunque corpore colligari, quid eſt quòd eos alloquens Deus tanquam ſolicitos, ne fortè moriantur, id eſt, diſſolvantur à corpore, de ſua facit immortalitate ſecuros: non propter eorum naturam, quæ ſit compacta non ſimplex, ſed propter ſuam invi-

Cap. 9.

invictiſſimam voluntatem,qua potens eſt facere,ut nec orta occidant, nec connexa ſolvantur, ſed incorruptibiliter perſeverent? Et hoc quidem utrum Plato verum de ſideribus dicat, alia quæſtio eſt. *b* Neque enim ei continuò concedendum eſt, globos iſtos luminum ſive orbiculos luce corporea ſuper terras, ſeu die,ſeu nocte fulgentes, ſuis quibuſdam propriis animis vivere, eiſque intellectualibus & beatis, quòd etiam de ipſo univerſo mundo tanquam uno animali maximo quo cuncta cætera continerentur animalia, conſtanter affirmat. Sed hæc,ut dixi,alia quæſtio eſt,quam nunc diſcutiendam non ſuſcepimus.Hoc tantum contra iſtos commemorandum putavi, qui ſe Platonicos vocari vel eſſe glorientur, *c* cujus ſuperbia nominis erubeſcunt eſſe Chriſtiani,ne commune illis cum vulgo *i* vocabulum vilem faciat palliatorum, tantò magis inflatam, quantò magis exiguam paucitatem: & quærentes quid in doctrina Chriſtiana reprehendant,exagitant æternitatem corporum,tanquam hæc ſint inter ſe contraria,ut & beatitudinem quæramus animæ, & eam ſemper eſſe velimus in corpore velut ærumnoſo vinculo colligatam: cùm eorum autor & magiſter Plato donum à Deo ſummo diis factis ab illo dicat conceſſum, ne aliquando moriantur,id eſt, à corporibus,quibus eos connexuit, ſeparentur.

L. Vives. *a* QUia videlicet ejus perfectam beatitudinem.] *Philolaus Pythagoricus depoſito corpore hominem Deum immortalem fieri ait. Et Plato trahi nos à corpore inquit ad ima, & à cogitatione ſuperarum rerum ſubinde revocari: ideo relinquendum corpus, & hic quantum poſſumus, & in altera vita prorſum, ut liberi & expediti verum ipſi videamus, & optimum amemus. Hinc Porphyrius negat,aliter fieri beatum quenquam poſſe, niſi relinquat corpus. & affigatur Deo.*

b Fingunt ſe neſcire.] *Terentiana imitatio. tu ſi ſapis, quod ſi neſcias.*

c Sicut ea Cicero in Latinum vertit.] *Libellus Ciceronis, qui de univerſitate inſcribitur, pars eſt Timæi Platonis. Græca Platonis verba ſubjiciam, ut ex eis emendemus Cicer. locum, qui paſſim, ut ipſe totius libellus mendoſè legitur:* Θεοὶ θεῶν ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων, ἃ δι᾽ ἐμοῦ γενόμενα ἄλυτα ἐμοῦ γε θέλοντος, τὸ μὲν οὖν δὴ δεθὲν πᾶν λυτόν. τό γε μὴν καλῶς ἁρμοσθὲν, καὶ ἔχον εὖ, λύειν ἐθέλειν, κακοῦ. δι᾽ ἃ καὶ ἐπείπερ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ, οὐδὲ ἄλυτοι τὸ πάμπαν, οὔτι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε, οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ, καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς ὅτ᾽ ἐγίγνεσθε συνεδεῖσθε. *Hæc ad verbum interpretabor: Dii deorum, quorum operum ego effector & pater ſum, quæ per me facta ſunt me volente inſolubilia, ſolubile tamen eſt colligatum omne: verum pulchre cooptatum, & bene ſe habens, mali eſt velle diſſolvere. Quocirca cum geniti ſitis, immortales quidem non eſtis, nec omnino indiſſolubiles, nec diſſolvemini tamen, nec mortis fato conficiemini, ſortiti voluntatem meam, quæ majus eſt, & verius vinculum, quàm illa, quibus eſtis cum gigneremini colligati. Mutuatus eſt ferè Plato ſententiam hanc ex Pythagoricis, & in primis ex libello Timæi Locri, propter quem ſuum Timæum nominavit: apud Timæum hæc ſunt verba:* δηλούμενος ὧν ἄριστον γέννημα ποιεῖν τοῦτον ἐποίεε θεὸν γεννατὸν, οὔποκα φθαρησόμενον ὑπ᾽ ἄλλω αἰτίω ἔξω τῶ αὐτὸν συντεταγμένω θεῶ, εἴποκα ἤθελε αὐτὸν διαλύειν. ἀλλ᾽ οὐ γὰρ τῶ ἀγαθῶ ἐστιν ὁρμᾶν ἐπὶ φθοράν,

φθορὰν, δαμιουργήματος καλλίστω. *Verba ſunt Doricæ dialecti, loquens de Deo & mundo: Cum vellet, inquit, opus optimum facere, hunc Deum edidit, genitum quidem, ſed nunquam interiturum aliena cauſa, præterquam ipſo Deo, à quo compoſitus eſt, ſi quando ei venerit in mentem ipſum diſſolvere. Sed non eſt bonum, impetum capere perdendi pulcherrimum opus.*

d Vos qui ſub mortalitatis fato.] *Legendum: vos qui Deorum ſatu orti eſtis. & ſic eſt apud Ciceronem.*

e Hæc ſunt indiſſolubilia nutu meo.] *Melius ſic, quàm quomodo vulgo apud Ciceronem: quæ per me facta, non ſunt diſſoluta me invito. Ubi nullus eſt ſenſus, niſi legatur, me non invito, ἐμοῦ θέλοντος.*

f Sed haudquaquam bonum eſt.] *Apud Ciceronem meliùs, haudquaquam boni eſt κακοῦ.*

g Ratione junctum velle diſſolvere.] *Hæc quæ ſequuntur, ſic ſunt ſcribenda: ratione vinctum velle diſſolvere. Sed quoniam orti eſtis, immortales vos quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis, nec unquam tamen diſſolvemini, neque vos ulla mortis fata periment, &c.*

h Neque enim continuo concedendum eſt globos iſtos.] *Hanc quæſtionem ſolvere nunquam eſt Aug. auſus: nam videbat, Origenem cum Platone ſuo ſenſiſſe, traxiſſeq́; in ſententiam ingenioſos plerosque.*

i Vocabulum vilem faciat palliatorum.] *Toga Romanorum erat, pallium Græcorum: qui Græcanice volebant eruditione videri, palliati incidebant, iique & cultu & moribus & eruditione Græca inſignes ac ſuſpiciendi erant. Nam ut nunc artes omnes Latinè traduntur, diſcuntur, ita tunc Græcè. Raritas ipſa horum admirabiliores eos reddebat.*

α QUia ſcilicet ejus perfectam beatitudinem.] *Ita Plato exiſtimavit, animæ fugiendum eſſe corpus ad hoc, ut beatum ſit. Porphyrius negabat, aliter beatum hominem eſſe poſſe, niſi depoſito corpore, & illud animæ eſſe impedimento, quo minus beatitudinem conſequatur; Exiſtimabant ii, corpus ipſum eſſe vinculum quoddam & animæ carcerem; Eodemque modo Plotinus ſæpius, præſertim autem Ennead. 6. lib. 9. cap. 9.* Hinc emigrare *(inquit)* properandum eſt, dolendumque nobis, quod aliqua hic ex parte alligati vivamus, ut toto penitus animo complectamur Deum, nihilque reliqui ſit in nobis, quo non pariter attingamus. *Reſpondet hic D. Auguſtinus, non quodlibet corpus nec ſub qualicumque diſpoſitione, ſed corruptibile aggravare animam, & illi eſſe impedimento ad beatitudinem: anima enim jam beata conjungetur corpori, ad quod habet naturalem quandam propenſionem. verum corpus licet idem futurum ſit ſecundum naturam. longe tamen alias habiturum eſt diſpoſitiones & qualitates. D. Auguſtinus lib. 12. de Geneſ. ad liter. cap. 35.* Cum hoc corpus jam non animale, ſed per futuram conjunctionem ſpirituale receperit, anima Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ ſuæ modum. *& contra hujusmodi philoſophos differit multa ſermon. 143. de tempore.* P. L. Cop.

β Sed cum apertiſſimè Plato Deos] *Argumentatur ab authoritate Platonis. Cum enim velit Deos minores à ſummo Deo factos citra dubitationem beatos habere*

 immor-

immortalia corpora, argumento eſt, Platonem ipſum non exiſtimaſſe, quodlibet omnino corpus impedimento eſſe ipſi animæ, quo minus ſit beata. per hujuſmodi autem Deos minores, dæmones intellexit Plato, quorum alios bonos, alios malos exiſtimavit. Eodem argumento utitur & ſerm. 143. de tempore.

γ Sicut ea Cicero in Latinum vertit.] *Libello de univerſitate, qui eſt pars quædam Timæi Platonis.*

δ Vos qui Deorum ortu ſati eſtis.] *Hæc Platonis verba ex Timæo refert Theodoretus, ſerm. 3. θεραπευτ. & Juſtinus Martyr in exhortatione ad Gentes, ut ex ſententia Platonis unum Deum ſummum oſtendant.*

ε Neque enim ei continuo concedendum eſt.] *Aſtra, quæ globos hic luminum, ſeu orbiculos die ſeu nocte fulgentes vocat; Platonici animata eſſe putarunt, & id cenſuit Plato in Epinomide, ubi jubet ea ut Deos à nobis coli & honorari. Philo lib. de opificio mundi, libro item de ſomniis, & lib. de Gigantibus ſtellas & viventes & intelligentes eſſe ſentit. Origenes Platonicus ut plurimum plus æquo, tom. 1. Comment. in Joan. ſtellas non modo putat eſſe animatas, ſed etiam virtutis atque ſilentii capaces, quod Job. cap. 25. appellet ſtellas immundas, & lib. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 7. docet, aſtra eſſe animalia, & ratione prædita, quæ in virtutibus proficiunt & deficiunt. D. Auguſtinus in hac quæſtione valde dubius fuit; In 2. lib. de Geneſi ad lit. proponit hanc quæſtionem, ſed nihil circa eam definit. In Enchiridio, cap. 58. ait, non ſibi eſſe certum, an ſidera ſenſum & mentem habeant, & ad ſocietatem Beatorum Angelorum pertineant. In 1. lib. Retract. cap. 3. & 11. revocat & corrigit quod ſcripſerat in libro de immortalitate animi, cap. 15. & quod ſcripſerat lib. 6. de muſica, cap. 14. mundum eſſe animatum, & magnum quoddam animal. Sed corrigit (inquam) non tanquam falsò, ſed tanquam temere dictum, cum de veritate rei nihil ſibi compertum eſſe dicat. Et hoc cap. dicit, non continuò concedendum eſſe Platoni, hujuſmodi corpora eſſe animata, & mundum eſſe magnum quoddam animal: ſubjicit tamen, hujuſmodi quæſtionem alias ſibi eſſe diſcutiendam, quam nullibi ab eo diſcuſſam eſſe memini, ſed videtur magis propendere in eam ſententiam, globos iſtos luminum ſive orbiculos non eſſe animatos, quæ ſententia jam communis ferè eſt. Eam Lactantius amplectitur, lib. 2. divin. inſtit. cap. 5. Ambroſius lib. 2. Hexam. cap. 4. Hieronymus in cap. 45. Iſaiæ, & epiſt. 59. ad Avitum inter errores Origenis recenſet, quod dicat, Solem & Lunam, & cætera aſtra eſſe animantia. Baſil. hom. 3. in Hexam. Idem ſentit Damaſcen. lib. 2. fidei orthod. cap. 6. D. Thom. 1. p. q. 10. art. 3. & Scholaſtici 2. ſentent. diſtinct. 14.*

ζ Cujus ſuperbia nominis erubeſcunt eſſe Chriſtiani.] *Similia his ſcribit Theodoretus ſermone 1. θεραπευτικῆς, qui eſt de fide,* βάρβαρον κατὰ τὴν θείαν γραφὴν ὀνομάζουσι. μαθεῖν δὲ τἀληθὲς παρὰ ταύτης αἰσχρὸν ὑπειλήφασι, ἐξ ἀνοίας δὲ αὐτοῖς τὸ τῆς ἀλαζονείας ἐπιγίνεται πάθημα, *id eſt,* Divinam ſcripturam barbaram nuncupant, ac turpe ſibi eſſe & ignominioſum deputant, ſi hac magiſtra veritatem diſcant. Ex ipſa enim ignorantia peſtem ſuperbiæ contraxerunt.

η Vilem faciat palliatorum.] *Pallium Græcorum erat geſtamen; ut toga Romanorum. Suetonius in Auguſto.* Sed cæteros continuos dies inter varia munuſcula,

togas

togas inſuper & pallia diſtribuit, lege propoſita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu uterentur. *Pallium etiam Philoſophorum erat. A. Gellius lib. 9.* Video (*inquit Herodes*) barbam & pallium, Philoſophum nondú video. *Hoc ſenſu palliatorum nomine Philoſophos intelligit. Eo alludit Cyprianus, lib. de bono patientiæ, quo ſignificat, Chriſtianos non ſolitos incedere palliatos, ſed ſimplici ac communi cæteris indumento, his verbis:* Nos autem, fratres dilectiſſimi, qui Philoſopi non verbis, ſed factis ſumus, nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus. *& cum quis Ethnicus ad philoſophiam ſe conferebat, jactabatur vulgò illud dicterium, Ita* à toga ad pallium.

CAP. XVII.

Contra eos, qui aſſerunt, terrena corpora incorruptibilia fieri & æterna non poſſe.

CONtendunt etiam iſti, terreſtria corpora ſempiterna eſſe non poſſe, cùm ipſam univerſam terram Dei ſui non quidem ſummi, ſed tamen magni, id eſt totius hujus mundi membrum in medio poſitum & ſempiternum eſſe non dubitent. Cum ergo *a* Deus ille ſummus fecerit alterum quem putant Deum, id eſt iſtum mundum, cæteris diis qui infra eum ſunt præferendum, eundemque exiſtimant eſſe animantem, anima ſcilicet ſicut aſſerunt rationali vel intellectuali, in tam magna mole corporis ejus incluſa: ipſiusque corporis tanquam membra locis ſuis poſita atque digeſta, quatuor conſtituerit elementa, quorum juncturam, ne unquam Deus eorum tam magnus moriatur, indiſſolubilem ac ſempiternam velint: quid cauſæ eſt, ut in corpore majoris animantis tanquam medium membrum æterna ſit terra, & aliorum animantium terreſtrium corpora, ſi Deus ſicut illud velit, æterna eſſe non poſſint? *a β* Sed terræ, inquiunt, terra reddenda eſt, unde animalium terreſtrium ſumpta ſunt corpora, ex quo fit, inquiunt, ut ea ſit neceſſe diſſolvi & emori: & eo modo terræ ſtabili ac ſempiternæ, unde fuerant ſumpta, reſtitui? Si quis hoc etiam de igne ſimiliter affirmet, & dicat, reddenda eſſe univerſo igni corpora, quæ inde ſumpta ſunt, ut cœleſtia fierent animalia, nónne immortalitas quam talibus diis velut Deo ſummo loquente promiſit Plato, tanquam violentia diſputationis hujus intercidet? An ibi propterea non fit, quia Deus non vult, cujus voluntatem, ut ait Plato, nulla vis vincit? Quid ergo prohibet, ut hoc etiam de terreſtribus corporibus Deus poſſit efficere, quandoquidem ut nec ea quæ orta ſunt, occidant, nec ea quæ ſunt juncta ſolvantur, nec ea quæ ſunt ex elementis ſumpta reddantur, atque ut animæ in corporibus conſtitutæ, nec unquam ea deſerant, & cum eis immortalitate ac ſempiterna beatitudine perfruantur, poſſe Deum facere confitetur Plato? Cur ergo non poſſit, ut nec terreſtria moriantur? *γ* An Deus non eſt potens quouſque Chriſtiani credunt, ſed quouſque Platonici volunt? Nimirum quippe conſilium Dei & poteſtatem potuerunt Philoſophi, non potuerunt noſſe Prophetæ, *δ* cùm potius econtrario Dei Prophetas, ad enunciandam ejus, quantum dignatus eſt voluntatem, ſpiritus ejus docuerit, philoſophos autem in ea cognoſcen-

Philoſophi conjecturâ humanâ decepti.

ſcenda conjectura humana deceperit? Verùm non uſque adeò decipi debuerunt, non ſolùm ignorantia, verum etiam pervicacia, ut & ſibi apertiſſimè refragentur magnis diſputationum viribus, aſſerentes, animæ, ut beata eſſe poſſit, non terrenum tantùm, ſed omne corpus eſſe fugiendum: *b* & deos rurſus dicentes habere beatiſſimas animas, & tamen æternis corporibus illigatas, cœleſtibus quidem & igneis. Jovis autem ipſius animam, quem mundum iſtum volunt, omnibus omnino corporeis elementis, quibus hæc tanta moles à terra in cœlum ſurgit, incluſam. Hanc enim animam Plato ab intimo terræ medio, *c* quod geometræ centrum vocant, per omnes partes ejus uſque ad cœli ſumma & extrema diffundi & *d* extendi per numeros muſicos opinatur, ut ſit iſte mundus animal maximum, beatiſſimum, ſempiternum, cujus anima & perfectam ſapientiæ felicitatem teneret, & corpus proprium non relinqueret, cujusque corpus & in æternum ex illa viveret, & eam quamvis non ſimplex, ſed tot corporibus tantisque compactum, habere atque tardare non poſſet. Cùm igitur ſuſpicionibus ſuis iſta permittant, cur nolunt credere, divina voluntate atque potentia immortalia corpora fieri poſſe terrena, in quibus animæ nulla ab eis morte ſeparatæ, nullis eorum oneribus aggravatæ, ſempiternè ac feliciter vivant, quod deos ſuos poſſe aſſerunt in corporibus igneis, Jovemque ipſum eorum regem in omnibus corporeis elementis? Nam ſi animæ ut beata ſit, corpus eſt omne fugiendum, fugiant dii eorum de globis ſiderum, fugiat Jupiter de cœlo & terra, aut ſi non poſſunt, miſeri judicentur. Sed neutrum iſti volunt, qui neque à corporibus ſeparationem audent dare diis ſuis, ne illos mortales colere videantur: nec beatitudinis privationem, ne infelices eos eſſe fateantur: Non ergo ad beatitudinem conſequendam omnia fugienda ſunt corpora, ſed corruptibilia, moleſta, gravia, moribunda, *e* non qualia fecit primis hominibus bonitas Dei, ſed qualia eſſe compulit peccati pœna.

L. Vives. *a* SEd terræ, inquiunt, terra reddenda eſt.] *Terrã eſſe corpus, & in terram abire, ex ſacris literis eſt, & inde ad Græcos ſcriptores per Homerum manavit. Hinc enim Hectoris cadaver terram nominat. Et Phocylides antiquiſſimus ſcriptor.*

> Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
> Λυόμενοι κόνις ἐσμέν.
> *Ex terra corpus nobis eſt, rurſus in illam*
> *Solvimur, & pulvis ſumus.*

Et Euripides, quos verſus in primo Tuſculanarum quæſtionum vertit Cicero, in quibus ſunt eadem verba, quæ Auguſtinus inducit:

> *Mors eſt finitas omnibus, quæ generi humano angorem*
> *Ne quicquam afferunt, reddenda eſt terra terra.*

b Et terreſtres deos rurſus dicentes.] *In exemplari Brugen. ſic eſt: Sed omne corpus eſſe fugiendum, & deos rurſus dicentes habere beatiſſimas animas, & tamen æternis corporibus illigatas cœleſtibus quidem & igneis: quæ lectio verior videtur. Nam Auguſtinus nihil hic locutus eſt de diis terrenis.*

c Quod geometræ centrum vocant.] *Centrum eſt punctum in medio ſive orbe, ſive*

ſive globo, à quo ad extimam partem omnes recta lineæ ducta ſunt æquæ: ac ideo punctum imaginantur eſſe centrum, & inſectile, nam ſi ſecari poſſet, ac partes haberet, nec totum eſſet in medio, nec omnes ab eo radii ad circumflexum æquales eſſent, nempe qui non ab eadem parte traherentur. Plato in Timæo mundi animam in meditullio locatam à ſummo Deo dicit, inde ſe in circuitum per univerſum porrexiſſe, & inducta converſione animam vitamq́; per mundi corpus fuſam eſſe divinam, ſempiternam, & ſapientem.

d Extendi per numeros muſicos.] *De his Macrobius, Chalcidius, & Marſilius Ficinus in compendio quod propoſuit in Timæo Platonis, quem vel ipſe vertit, vel ab alio verſum incude ſua recuſum edidit. Hi numeri obſcuritate ſua in proverbium venerunt.*

α DEus ille ſummus fecerit alterum.] *Ita docet Plato in Timæo, & ex eo Cicero lib. de univerſitate.* F.L.Cog.

β Sed terræ, *inquit,* terra reddenda eſt.] *Apud Ciceronem lib. 1. Tuſculan. quæſt. ex Euripide. conſentaneum id Scripturæ,* Pulvis es, & in pulverem reverteris.

γ An non eſt potens quouſque Chriſtiani credunt.] *Omnipotentia Dei non ita conſtat ratione, ut ex ſcriptura ſacra nobis eſt manifeſtiſſima, neque Platonici ipſi, qui de Deo videntur melius præ cæteris philoſophari, eam habuêre ſatis compertam. Non ergo metienda eſt voluntate Platonicorum, ut credamus Deum potentem quantum volunt Platonici, qui exiſtimant, Deum efficere non poſſe, ut ex terra conſtata noſtra corpora immortalia reddantur; fides ipſa corrigit errores & vanas opiniones philoſophorum. Platonici id quidem non admittunt, verum Chriſtiani id credunt, certiſſima fides Chriſtianorum, & quæcumque huic contradicunt Philoſophorum opiniones, futiles ſunt & vanæ. Nobis minimè curæ eſt, quid Plato ſenſerit, ſed quid Paulus doceat, quid fides ipſa tradat, quæ innititur veritati, cui nullo modo falſum ſubeſſe poteſt. Nec mirum eſt, ſi Platonici hæc ignorarunt, quæ Chriſtiana fides nobis tradit. Nam, ut egregie Theodoretus ſermone 1.* θεραπευτικ. καθάπερ δεόμεθα τῶν τοῦ σώματος ὀφθαλμῶν εἰς τὴν θεωρίαν τῶν ὁρατῶν, οὕτω δήπου χρῄζομεν πίστεως εἰς τὴν ἐποπτείαν τῶν θείων. ὅπερ γὰρ δή ἐστιν ὀφθαλμὸς ἐν σώματι, τοῦτο ἄρα πίστις ἐν διανοίᾳ, μᾶλλον δὲ ὥσπερ ὀφθαλμὸς δεῖται φωτὸς ἐπιδεικνύντος τὰ ὁρατὰ, οὕτω δὴ αὖ καὶ ὁ νοῦς δεῖται τῆς πίστεως ἐπιδεικνυούσης τὰ θεῖα *Certe vel hominem creatum eſſe immortalem ante peccatum, vel etiam reſurrectura corpora noſtra & immortalitati reſtituenda, non niſi ex verbo Dei conſtat, quod philoſophos ipſos latuit.*

δ Cùm potius è contrario Dei Prophetas.] *Non niſi divinitus edocti & inſpirati conſilium & voluntatem Dei nos docuerunt ipſi Prophetæ.* Hi ſoli, *ait Juſtinus Dialogo cum Thryphone,* verum & intellexerunt ipſi & hominibus enuntiarunt nullius metu deterriti, nec victi opinione aut gloria impulſi, ſed ea ſola prædixerunt, quæ ſancti Spiritus pleni audiviſſent atque vidiſſent; *Quibus & majorem authoritatem quam omni rationi, tribuendam contendit. Philoſophi verò in his, quæ docuerunt, non niſi conjectura quadam ducti ſunt, quæ facile eos deceperit, ut cum D. Auguſtino fusè Euſebius lib. 14. de præparat. Evangel. etiam ex ipſo Porphyrio docet.*

ε Non qualia fecit primis hominibus bonitas Dei.] *An verò primorum parentum*

 tum

rum corpora ab initio condita ſunt incorruptibilia & ſpiritualia, non verò corruptibilia & animalia, qualia fuère poſt peccatum? Ita videtur docere hoc loco, cum ait, bonitatem Dei non condidiſſe ea corruptibilia, gravia, moribunda, ſed talia eſſe compuliſſe peccati pœnam. Hanc quæſtionem etiam movet lib. 6. de Geneſ. ad liter. cap. 19. Solet quæri, *inquit*, utrum animale corpus prius homini formatum ſit è limo, quale nunc habemus, an ſpirituale, qualiter reſurgentes habebimus. Quanquam enim hoc illud mutabitur, ſeminatur enim corpus animale, conſurget corpus ſpirituale, tamen quid prius homini factum ſit, ideò diſceptatur, quia ſi animale factum eſt, non hoc recipiemus quod in illo perdidimus, ſed tanto melius, quanto ſpirituale animali præponendum eſt, quando erimus æquales Angelis Dei, *cap. 25. Reſpondet*, corpus primi hominis fuiſſe mortale ex conſtitutione naturæ & conditione corporis animalis, licet eſſet immortale beneficio conditoris: ſi enim corpus animale, utique mortale, quia & mori poterat, quamvis & immorrtale, ideo quia & non mori poterat. Neque enim immortale, quod omnino mori non poſſit, erit niſi ſpirituale, quod nobis futurum in reſurrectione promittitur. Ac per hoc illud animale, & ob hoc mortale, quod propter juſtitiam ſpirituale fieret, & ob hoc mortale omni modo factum eſt propter peccatum non mortale, quia & antea erat, ſed mortuum, quod poſſet non fieri, ſi homo non peccaſſet, *& cap. 26.* Animale hoc corpus ſicut & primi hominis fuit, ſed hoc in ipſo animalis genere multo eſt deterius, habet enim neceſſitatem moriendi, quod illud non habuit. Quamvis enim reſtabat adhuc ut immutaretur, & ſpirituale factum plenam immortalitatem perciperet, ubi cibo corruptibili non egeret, tamen ſi juſtè viveret homo, & in ſpiritualem habitudinem ejus corpus mutaretur, non iret in mortem: in nobis autem etiam juſtè viventibus corpus moriturum eſt, propter quam neceſſitatem ex illius primi hominis peccato venientem non mortale, ſed mortuum corpus noſtrum dixit Apoſtolus, quia omnes in Adam morimur, *& cap 27. ſcribit Adam non perdidiſſe per peccatum ſpirituale atque immortale corpus, in quo nondum fuit, & in quo erunt omnes ſancti reſurgentes à mortuis. Et hæc quidem ad illuſtrandum hunc locum, ut non ſit ſenſus D. Auguſtini hoc loco, Deum feciſſe ab initio corpora primorum parentum immortalia, incorporalia, & ſpiritualia alterius qualitatis à noſtris, qualia futura ſunt in reſurrectione; ſed ita ut ſi non peccaſſent, minimè mortui eſſent, quia mors peccati pœna, ſed in ſpiritualem ſtatum tranſlati eſſent. D. Thom. 1. par. q. 97. art. 1. ad 4.* Differt, *inquit*, immortalitas gloriæ quæ promittitur in præmium, ab immortalitate, quæ fuit homini collata in ſtatu innocentiæ, ſi quidem tum ea immortalitate erat immortalis, quæ poſſet non mori, quemadmodum poterat non peccare, verum immortalitas gloriæ ea erit, qua non poterunt ſancti amplius mori, ut nec peccare.

Cap.

CAP. XVIII.

De terrenis corporibus, quæ Philoſophi affirmant in cœleſtibus eſſe non poſſe, quia quod terrenum eſt, naturali pondere vocetur ad terram.

SEd *a* neceſſe eſt, inquiunt, ut terrena corpora naturale pondus, vel in terra teneat, vel cogat ad terram, & ideo in cœlo eſſe non poſſunt. Primi quidem illi homines in terra erant nemoroſa atque fructuoſa, quæ paradiſi nomen obtinuit. *β* Sed quia & ad hoc reſpondendum eſt vel propter Chriſti corpus, cum quo aſcendit in cœlum, vel propter ſanctorum, qualia in reſurrectione futura ſunt, intueantur paulò attentius pondera ipſa terrena. *γ* Si enim ars humana efficit, ut ex metallis, quæ in aquis poſita, continuò ſubmerguntur, quibusdam modis vaſa fabricata etiam natare poſſint, quantò credibilius & efficacius occultus aliquis modus operationis Dei, cujus omnipotentiſſima voluntate Plato dicit, nec orta interire, nec colligata poſſe diſſolvi, cùm multò mirabilius incorporea corporeis, quàm quæcumque corpora quibuscunque corporibus copulentur, *a* poteſt molibus præſtare terrenis, ut nullo in ima pondere deprimantur: *δ* ipſisque animis perfectiſſimè beatis, ut quamvis terrena tamen incorruptibilia jam corpora ubi volunt ponant, & quò volunt, agant, ſitu motuque facillimo? *b ε* An verò ſi hoc angeli faciant, ut quælibet animalia terreſtria rapiant unde libet, conſtituantque, ubi libet, aut eos ſine labore non poſſe, aut onera ſentire, credendum eſt? Cur ergo ſanctorum perfectos atque beatos divino munere ſpiritus ſine ulla difficultate poſſe ferre quò voluerint, & ſiſtere ubi voluerint ſua corpora, non credamus: *ζ* Nam cùm terrenorum corporum ſicut onera in geſtando ſentire conſuevimus, *c* quantò major eſt quantitas, tantò major fit & gravitas, ita ut plura pondo quàm pauciora plus premant, membra tamen ſuæ carnis levius portet anima, quum in ſanitate robuſta ſunt, quàm in languore quum macra ſunt. Et quum aliis geſtantibus oneroſior ſit ſanus & validus, quàm exilis & morbidus, ipſe tamen ad ſuum corpus movendum atque portandum agilior eſt, quum in bona valetudine plus habet molis, quàm cùm in peſte vel in fame minimum roboris. Tantum valet in habendis etiam terrenis corporibus, quamvis adhuc corruptibilibus atque mortalibus non quantitatis pondus, ſed temperationis modus. Et quis verbis explicet, quantum diſtat inter præſentem, quam dicimus ſanitatem, & immortalitatem futuram? Non itaque noſtram fidem redarguant philoſophi de ponderibus corporum. Nolo enim quærere cur non credant terrenum poſſe eſſe corpus in cœlo, *d η* quum terra univerſa libretur in nihilo. Fortaſſis enim de ipſo medio mundi loco, eo quod in eum cocant quæque graviora, etiam argumentatio veriſimilior habeatur. Illud dico, ſi dii minores *θ* quibus inter animalia terreſtria cætera etiam hominem faciendum commiſit Plato, *e ι* potuerunt ſicut dicit ab igne removere urendi qualitatem, lucendi relinquere, quæ per oculos emicaret: itáne Deo ſummo concedere dubitamus, cujus ille voluntati poteſtatique ne moriantur conceſſit, quæ orta ſint, & tam diverſa, tam diſſimilia, id eſt corporea & incorporea ſibimet connexa,

nexa, nulla poſſint diſſolutione ſejungi, ut de carne hominis cui donat immortalitatem, corruptionem auferat, naturam relinquat, congruentiam figuræ membrorumque detineat, detrahat ponderis tarditatem? Sed de fide reſurrectionis mortuorum, & de corporibus eorum immortalibus diligentius, ſi Deus voluerit, in fine hujus operis diſſerendum eſt.

L. Vives. *a* POteſt molibus præſtare terrenis.] *Hæc à Deo fiunt omnipotentia ſua & hominibus admiranda, in eiſq; credendis eſt meritum fidei quam Deo debemus. Miror, in ſcholis de his & ſimilibus inquiri definiriq; ex rationibus hujus naturæ.*

b An verò ſi hoc angeli faciant.] *Quanta ſit uniuscujusque angeli vis, ut naturæ rationes ac ſcholas præteream, ex illo uno dicto faciamus conjecturam, quòd angelus Domini percuſſit una nocte centum octoginta millia virorum de exercitu Aſſyriorum, 2. Reg. 19. Eat nunc humanum genus, & jactet ſuperbam ſuam infirmitatem.*

c Quanto major eſt quantitas.] *Non eſt hic de quantitate ſecundi prædicamenti argutandum, nec an res ſit alia, quam ipſum quod facit quantum, an eadem Quantitatem hic, pro mole capit, ut capi ſolet.*

d Cùm terra univerſa libretur in nihilo.] *Non in nihilo, ſed in aëre, cæterùm qui terræ ponderi cederet, ni illa medium mundi nacta vi ſua ibi ſe ſiſteret immobilem: ita ut mirati ſint plerique philoſophorum, eam non cadere, cùm in aëre pendeat. Ideo fulciri columnis ſunt arbitrati: verùm caſus quem putant, deſcenſus non eſſet, ſed aſcenſus: quoquo verſus enim à medio ad cœlum moveatur, aſcendet. Et quemadmodum mirandum non eſt, eam ex noſtra parte in cœlum extollere, ita nec ex alia quamvis non ſe ad ambitum cœleſte agere: nam idem eſſet ubique motus, qui hinc in cœlum, quippe qui in globo medium eſſet undique infimum, extimum, ſupremum. Sed haud dubiè ſuſpendiſſe in levi & cedenti aëre molem tam immanem immotam admirandum, & adorandum eſt.*

Terra pila ſimilis nullo fulcimine nixa,
Aëre ſuſpenſo, tam grave pendet onus. inquit Ovid.

e Potuerunt ſicut dicit ab igne removere urendi.] *Plato in Timæo de fabrica humani corporis loquens, oculos, inquit, participes factos illius ignis, qui non urit, ſed gratam lucem, diemque mundo affert: ſolarem denotat. Nam intimum corporis noſtri ignem hujus cœleſtis germanum per hanc partem, ſed præcipuè per pupillam emanare, dii juſſerunt, non tamen craſſiorem illum, & turbulentum, ſed defæcatiorem & puriorem. Idcircò cùm diei lumen ſe huic noſtro conjungit in complexu & cohærentia duarum rerum tam cognatarum ejuſdemq; naturæ fit viſio. Colores quoque eodem opere ne per aliud fiat viſus quàm per ignem, fulgores eſſe definivit è corporibus manavit. Illa quæſtio non eſt hoc loco tractanda, fiatne viſio emiſſo in res ab oculo radio, an à rebus ad oculum recepto. Plato exire vult radium ab oculo, cujus ſententiam Ariſtoteles in libello de ſenſoriis refellit, in problematis videtur probare. Stoici ad res ire radios dicunt, quos Auguſtinus in opere de Trinitate ſecutus eſt, & multi Peripateticorum Alexander Aphrodiſieus prodire ab oculis ſpiritus cenſet, alii ad oculos potius tendere, ut Plinius. Hali Arabs egredi & regredi ab oculo ad oculum ſpecies incredibili celeritate arbitratur. Recentiores Peripatetici ſecuti Guilhelmum*

Ocha-

Ochamum, & Durandum Portianum, nullas ſpecies hinc vel inde relinqui. ſed hæc alias. Plato verò & emittere aliquid oculum, & recipere vult.

α SEd neceſſe eſt *(inquiunt)* ut terrena corpora.] *Hoc erat argumentum Platonicorum, ſi quidem gravium locus naturalis, in quibus prædominatur terra, quæ ſubſidet omnibus elementis, eſtque gravis ſimpliciter, deorſum eſt, naturale igitur pondus impellet deorſum noſtra corpora, nec ſinet ea ferri ſurſum. Idem D. Auguſt. lib. de fide & Symbolo cap. 6.* Solet *(inquit)* quoſdam offendere vel impios Gentiles vel hæreticos, quod credamus aſſumptum terrenum corpus in cœlum. At Gentiles plerique philoſophorum argumentis nobiſcum agunt, ut dicant, terrenum aliquid in cœlo eſſe non poſſe; noſtras enim ſcripturas non noverunt, nec ſciverunt quomodo dictum ſit: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. *Huic eidem argumento reſpondet D. Thom. 4. cont. Gentes cap. 87.* Frivolum, *inquit*, videtur contra hanc divinam promiſſionem ex naturali elementorum poſitione argumentari, quaſi impoſſibile ſit, corpus hominis cum ſit terrenum, & ſecundum ſuam naturam infimum locum habens, ſupra elementa levia elevari. Manifeſtum eſt enim, quod ex virtute animæ eſt, quod corpus ab anima perfectum, elementorum inclinationes non ſequatur. Ipſa enim anima ſua virtute etiam continet corpus quamdiu vivimus, ne ex contrarietate elementorum diſſolvatur, & virtute etiam animæ motivæ corpus in altum elevatur; & tanto amplius, quanto virtus motiva fortior fuerit. Manifeſtum eſt autem, quod tunc anima perfectæ virtutis erit, quando Deo per viſionem conjungetur. Non igitur debet grave videri, ſi tunc animæ virtute corpus, & ab omni corruptione ſervetur immune, & ſupra quæcumque corpora elevetur. P. L. Cap.

β Sed ad hoc reſpondendum eſt.] *Chriſtus eodem corpore terreno, quod aſſumpſerat, in cælum aſcendit, & reſuſcitabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, adeò ut poſt reſurrectionem corpora ſanctorum futura ſint in cælo ſupra omnia elementa. Quemadmodum igitur defendenda fides hæc eſt contra philoſophos, ita eorum argumentis propoſitis in contrarium reſpondendum.*

γ Si enim ars humana effecit.] *Argumento à ſimili, vel etiam à minori oſtendit, non eſſe abſurdum, ſupra omnia elementa in ipſo cælo collocare ipſa terrena corpora. Longè enim efficacior eſt omnipotentiſſima Dei voluntas ipſa arte humana; ſi igitur arte humana fieri poteſt, ut ex metallis quæ continuò ſubmerguntur, vaſa quædam fabricentur, quæ ſupernatent aquæ, etſi natura illi ſubſideant, multo credibilius eſt, Deum omnipotentia ſua & virtute quæ infinita eſt, efficere poſſe, ut ipſa gravia nullo pondere deorſum ferantur. Ita Patres in explicandis fidei myſteriis ſæpius argumentati ſunt à natura ipſa, vel à rebus ſenſu perceptis, non quod ea neceſſaria exiſtimarent, ſed ſaltem veriſimilia, quæ oſtenderent, non repugnare ipſa myſteria eſſe vera. Ita Apoſtolus Paulus:* Inſipiens quod ſeminas, *&c. ad oſtendendam reſurrectionem mortuorum non repugnare ipſi naturæ.*

δ Ipſiſque animis perfectiſſimè beatis ut quamvis terrena.] *Subdetur omninò ipſum corpus animæ, jam beatitudinem & gloriam conſecutæ.*

ε An vero ſi hoc Angeli faciant.] *Patet ex Abacuc rapto ab Angelo, & delato*

temporis momento in Babylonem, & concitatiſſimo motu, Danielis 14. & ex Philippo diacono rapto in Azotum Act. 8. Si ergo tanta eſt Angeli virtus motiva, ut ſubitò quodcumque corpus rapiat, in quemcumque locum transferre poſſit, cùm ſit majus imperium animæ beatæ in corpus proprium, cui conjungitur non modo per contactum, & ut motor mobili, quemadmodum Angelus ipſi corpori quod movet, verùm ut forma propriæ materiæ, & quidem naturali & arctiſſima unione, multo magis poterit ipſa anima beata movere proprium corpus, non modò deorſum ex inclinatione & naturali pondere corporis, verum etiam ſurſum tum ex imperio animæ in corpus ipſum, tum ex qualitatibus inditis ipſi corpori: ſeminatur enim corpus animale, ſurget ſpirituale, quod futurum ſit omnino ſubditum ipſi ſpiritui.

ζ Nam cum terrenorum corporum.] *Alio argumento à minori oſtendit, non repugnare, ipſa corpora ita obedire animæ, ut etiam ſurſum ferantur. Cùm enim corpus ipſum robuſtum eſt & ſanum, etſi mole majus & gravius, facilius tamen obedit animæ & defertur quo velit, quam cum infirmum & debile. Ubi ergo perfectæ ſanitati immortale poſt reſurrectionem factum reſtitutum fuerit, cui ſanitati hæc præſens minimè conferri poſſit, multo magis ſubjacebit ipſi animæ, ut quocumque velit, feratur ſubitò.*

η Cum terra univerſa libretur in nihilo.] *Hinc licet admirari potentiam & ſapientiam ſummi illius architecti Job. 38.* Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras ejus ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem ejus? *Terra enim cum gravis ſit, nulla re nititur, ſed per ſe cohæret, ut Job dixerat cap. 26.* Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum, *id eſt, facit ut terra ſuo loco ſtabilis ſit, cum re nulla alia ſtabili & firma nitatur, ut Pſalm. 103. Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi.*

θ Quibus inter animalia terreſtria cætera & hominem.] *Ita Plato in Timæo inducit Deum ſummum Deos minores alloquentem, ut cum antea procrearit animos, illis creandorum corporum curam committat, & ut immortali parti attexerent mortalem. Ibidem Plato* τοῖς νέοις παρέδωκεν θεοῖς σώματα πλάττειν θνητὰ τότ' ἐπίλοιπον ὅσον ἐςὶ ψυχῆς ἀνθρωπίνης δέον προσγίνεσθαι. Id eſt, diis junioribus permiſit, ut mortalia corpora effingerent, quantumque eſſet reliquum ex humano animo, quod deberet accedere, id omne & quæ ſequentia eſſent perpolirent & abſolverent.

ι Potuerunt ſicut dicit ab igne.] *Hoc poſtremo argumento docet, Deum omnipotentia ſua poſſe ſeparare naturale pondus ſeu gravitatem à corpore. Si enim dii inferiores potuerunt ab igne removere urendi qualitatem, & lucendi relinquere, cum tamen utrumque igni ſit naturale, multo magis id ſummo Deo concedendum, ut à carne hominis, cui immortalitatem donat, auferat corruptionem, naturam ipſam relinquens, & detrahat tarditatem ponderis ſeu gravitatem, figura membrorumque congruentiam detinens, itaque mortalitas, pondus illud ſeu gravitas, non ſunt adeò humano corpori intrinſeca, & ut ſic loquar, eſſentialia, ut divina virtute auferri nequeant;*

queant; eæ ſunt qualitates aliæ à corporis humani ſubſtantia, quæ immutabuntur, ſalva nihilominus ipſa corporis ſubſtantia. Eadem ſcribit Epiſt. 146. ad Conſentium. Valet (*inquit*) divina providentia de iſta viſibili atque tractabili natura corporum quibusdam manentibus auferre, quas voluerit qualitates, ac per hoc valet etiam membra mortalia formæ lineamentis manentibus, corruptione verò mortalitatis emortua ſtabili vigore firmare, ut abſit labes, adſit effigies, adſit motio, abſit fatigatio, adſit veſcendi poteſtas, abſit eſuriendi neceſſitas, *& Irenæus lib. 4. cap. 13.* Poteſt (*inquit*) & mortali immortalitatem, & corruptibili circundare incorruptibilitatem.

CAP. XIX.

Contra eorum dogmata, qui primos homines ſi non peccaſſent, immortales futuros fuiſſe, non credunt.

NUnc de corporibus primorum hominum, quod inſtituimus, explicemus, quoniam nec mors iſta, quæ bona perhibetur bonis, nec tantum paucis intelligentibus ſive credentibus, ſed omnibus nota eſt, qua fit animæ à corpore ſeparatio, qua certè corpus animantis, quod evidenter vivebat, evidenter emoritur, eis potuiſſet accidere, niſi peccati meritum ſequeretur. Licet enim α juſtorum ac piorum animæ defunctorum, quòd in requie vivant, dubitare fas non ſit. β uſque adeò tamen eis melius eſſet α cum ſuis corporibus bene valentibus vivere, ut etiam illi, qui omni modo eſſe ſine corpore beatiſſimum exiſtimant, hanc opinionem ſua ſententia repugnante convincant. γ Neque enim quiſquam audebit illorum ſapientes homines, ſive morituros, ſive jam mortuos, i. e. aut carentes corporibus, aut corpora relicturos, diis immortalibus anteponere, quibus Deus ſummus apud Platonem munus ingens indiſſolubilem ſcilicet vitam, id eſt æternum cum ſuis corporibus conſortium pollicetur. δ Optimè autem cum hominibus agi arbitratur idem Plato, ſi tamen hanc vitam piè juſtèque peregerint, ut à ſuis corporibus ſeparati, in ipſorum deorum, qui ſua corpora nunquam deſerunt, recipiantur ſinum:

Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant, Æn. 6.
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti.

ε Quod Vergilius ex Platonico dogmate dixiſſe laudatur. Ita quippe animas mortalium, nec in ſuis corporibus ſemper eſſe poſſe exiſtimant, ſed mortis neceſſitate diſſolvi, nec ſine corporibus durare perpetuò, ſed alternantibus vicibus indeſinenter vivos ex mortuis, & ex vivis mortuos fieri putat: η ut à cæteris hominibus hoc videantur differre ſapientes, quòd poſt mortem feruntur ad ſidera, ζ ut aliquando diutius in aſtro ſibi congruo quisque requieſcat, atque inde rurſus miſeriæ priſtinæ oblitus, & cupiditate habendi corporis victus, redeat ad labores ærumnasque mortalium. Illi verò qui ſtultam duxerunt vitam, ad corpora ſuis meritis debita, ſive hominum, ſive beſtiarum de proximo revolvantur. In hac itaque duriſſima conditione conſtituit etiam bonas atque ſapientes animas, quibus non talia corpora diſtributa ſunt, cùm quibus ſemper atque immortali-

taliter viverent, ut neque in corporibus permanere, neque ſine his poſſint in æterna puritate durare. De quo Platonico dogmate jam in libris ſuperioribus diximus, Chriſtiano tempore erubuiſſe Porphirium, & non ſolùm ab humanis animis removiſſe corpora beſtiarum, verum etiam ſapientium animas ita voluiſſe de corporeis nexibus liberari, ut corpus omne fugientes beatæ apud patrem ſine fine teneantur. Itaque ne à Chriſto vinci videretur, vitam ſanctis pollicente perpetuam, etiam ipſe purgatas animas ſine ullo ad miſerias priſtinas reditu, in æterna felicitate conſtituit. Et ut Chriſto adverſaretur, reſurrectionem incorruptibilium corporum negans, non ſolum ſine terrenis, ſed ſine ullis omnino corporibus eas aſſeruit in ſempiternum eſſe victuras. Nec tamen iſta qualicunque opinione præcepit, ſaltem ne diis corporatis religionis obſequio ſubderentur. Quid ita? niſi quia eas quamvis nulli corpori ſociatas, non credidit illis eſſe meliores? quapropter, ſi non audebunt iſti, ſicut eos auſuros eſſe non arbitror, diis beatisſimis, & tamen in æternis corporibus conſtitutis, humanas animas anteponere: cur eis videtur abſurdum, quòd fides Chriſtiana prædicat, & primos homines ita fuiſſe conditos, ut ſi non peccaſſent, nulla morte à ſuis corporibus ſolverentur: ſed pro meritis obedientiæ cuſtoditæ immortalitate donati, cum eis viverent in æternum: & talia ſanctos in reſurrectione habituros ea ipſa, in quibus hìc laboraverunt corpora, ut nec eorum carni aliquid corruptionis vel difficultatis, nec eorum beatitudini aliquid doloris & infelicitatis poſſit accidere?

L. Vives. a Cum ſuis corporibus bene valentibus.] *Si eis illa neceſſe eſſet accidere, quæ Platoni eſt viſum, quod ſtatim explicat.*

b Ut à cæteris hominibus hoc videantur differre ſapientes.] *Plato in Phædro ex animabus alias dicit optimè Deum ſecutas, & ſimiles illius redditas, easq́; cum convexo cœli verti, quousque in inferiorem partem vergat, tum eas decidere. Alias modo ſe erigere, alias ſubmerſas prorſum ferri: illas eſſe ſapientiſſimas, has ſtultiſſimas: medias eſſe etiam in vita media ejusdem ſortis, inter ſtultitiam & ſapientiam. Itaque anima ſapiens elato in ſupercæleſtem plagam capite fertur, quousque neceſſitate vertiginis in devexum it præceps, & deſinit verum videre: aliæ ſuapte ſponte fractis alis ruunt, nec dum volvatur orbis expectant, ſed prius fiunt miſeræ. Deinde ait Philoſophorum animas poſt tria annorum millia, ad aſtrum unde diſceſſerant, remigrare; aliorum verò animas non ante decem annorum millia.*

P. L. Coq. a Juſtorum ac piorum animæ, quod in requie vivant.] *De qua requie Apocal. 14.* A modo jam dicit ſpiritus ut requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequetur illos. *Illam autem requiem intelligit Auguſtinus beatitudinem ſanctorum, quæ in Dei viſione conſiſtit. Vide Bellarmin. lib. de ſanctor. beatitud. cap. 5. ubi ad hanc ſententiam, quod beatorum animæ ante extremum judicium fruantur viſione divina, multa adfert teſtimonia D. Auguſtini, & quæ ex eodem adduci poſſent in contrarium, interpretatur.*

β Eis melius eſſet cum ſuis corporibus.] *Obſervavit idem Bellarminus, D. Auguſtinum exiſtimaſſe, beatorum animas videre quidem Deum, non tamen ita perfectè, ut*

ctè, ut videbunt poſt reſurrectionem, propterea quod naturale deſiderium recipiendi corpus non ſinat animas toto conatu ferri in Deum, & hoc eſſe diſcrimen inter Angelos & homines, quod Angeli cum nihil amplius exſpectent, toti ferantur in Deum: animæ ſanctorum partim ad Deum, partim ad corpus reſpiciant, quod patet ex 12. Geneſ. ad liter. cap. 35. & liv. 1. Retractat. cap. 14. proponit eandem quæſtionem. An animæ beatorum ad contemplandam oculis cordis veritatem facie ad faciem aliquid minus habeant ex eo quod carent corpore ſuo, quod naturaliter appetunt, ubi tamen nihil definit. Idem inſinuat forte hoc loco his verbis. Illis animabus melius eſſe cum ſuis corporibus vivere. *Quod tamen ita intelligendum, fore quidem tum majorem extenſivè beatitudinem, quæ etiam corpori communicanda ſit, intenſivè tamen minime, cum non perfectius viſura ſit Deum reunita corpori, quam nunc ſeparata, & communicabitur tum quidem beatitudo quædam accidentalis ipſi animæ ex reunione ad corpus, beatitudini tamen eſſentiali nihil inde accedet.*

γ Neque tamen quiſquam audebit.] *Oſtendit etiam ex ſententia Platonis, melius eſſe ipſis ſpiritibus eſſe in corporibus, quam ab eis ſeparari, quod Dii ipſi immortales ex corporibus etiam concreti ex voluntate ſummi Dei habentes vitam inſolubilem & immortalem, præferendi ſunt ipſis hominum ſpiritibus ſeparatis etiam à corpore, & beatitudine, qualem Plato imaginatus eſt, ipſas manere à corpore ſejunctas, jam fruentibus, maximè cum Plato non aliunde fœlices animas ipſas à corpore ſeparatas fore arbitretur, quam quod in conſortium recipiantur eorum deorum, quibus ſummus ille pater æternum cum ſuis corporibus pollicetur conſortium.*

δ Optimè autem cum hominibus agi arbitratur Plato.] *Nimirum in Phædone, ubi dicit, impurum animum, & qui aliquo ſcelere ſe commacularit, profectum ad eum locum, ubi ſunt alii animi, quemlibet alium animum averſari & refugere, & ei neque comitem, neque ducem eſſe velle, de pura verò anima ita habet,* ἡ δὲ καθαρῶς καὶ μετρίως τὸν βίον διεξελθοῦσα καὶ ξυνεμπόρων καὶ ἡγεμόνων θεῶν τυχοῦσα ᾤκησε τὸν αὐτῇ ἑκάστῃ προσήκοντα: Quæ, *inquit*, purè & moderatè vitam traduxerit, Deos comites & duces conſecuta, eum locum, & qui ſibi propriè & peculiariter attributus fuerit, inhabitat.

ε Quod Virgilius ex Platonico dogmate.] *Doctrina ſexti libri Virgilii Platonica fere eſt, ſiquidem ex aliquot Platonis dialogis, ut ex Phædone potiſſimum, ex Achaio & ex Apologia, aliiſque locis multa ibi deſumpta ſunt.*

ζ Ut aliquanto diutius in aſtro ſibi congruo.] *Ita Plato in Phædro philoſophatur, aut ut verius dicam, fabulatur, & hallucinatur.*

CAP. XX.

Quod caro ſanctorum, quæ nunc requieſcit in ſpe, in meliorem reparanda ſit qualitatem, quàm fuit primorum hominum ante peccatum.

PRoinde nunc ſanctorum animæ defunctorum, ideo non habent gravem mortem, qua ſeparatæ ſunt à corporibus ſuis, quia caro eorum requieſcit in ſpe, quamlibet ſine ullo jam ſenſu contumelias accepiſſe videatur. Non enim ſicut Platoni viſum eſt, corporum oblivionem deſiderant: ſed potius, quia *a* memi-

Luc.21. nerunt, quid ſibi ab eo ſit promiſſum, qui neminem fallit: *a* qui eis etiam de capillorum ſuorum integritate ſecuritatem dedit, reſurrectionem corporum, in quibus multa dura perpeſſi ſunt, nihil in eis ulterius tale ſenſuri deſiderabiliter & patienter expectant. Eph.5. *b* β Si enim carnem ſuam non oderant, quando eam ſuæ menti infirmitate reſiſtentem ſpiritali jure coërcebant, quantò magis eam diligunt etiam ipſam ſpiritalem futuram? Sicut enim ſpiritui ſerviens non incongruè carnalis, ita caro ſpiritui ſerviens rectè appellatur ſpiritalis, *c* γ non quia in ſpiritum convertetur, ſicut nonnulli putant, eo quòd ſcriptum eſt: 1.Cor.15. *Seminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpiritale:* ſed quia ſpiritui ſumma & mirabili obtemperandi facilitate † ſubdetur, uſque ad implendam immortalitatis indiſſolubilis, ſecuriſſimam voluntatem, omni moleſtiæ ſenſu, omni corruptibilitate & tarditate detracta. (al. felicitate.) δ Non ſolum enim non erit tale quale nunc eſt in quavis optima valetudine, ſed nec tale quidem, quale fuit in primis hominibus ante peccatum. Qui licet morituri non eſſent niſi peccaſſent, alimentis tamen ut homines utebantur, nondum ſpiritalia, ſed adhuc animalia corpora terrena geſtantes. (Hominis primi corpus.) ε Quæ licet ſenio non veteraſcerent, ut neceſſitate perducerentur ad mortem, ζ qui ſtatus eis de ligno vitæ, quod in medio paradiſi cum arbore vetita ſimulcrat, mirabili Dei gratia præſtabatur: tamen & alios ſumebant cibos præter unam arborem, quæ fuerat interdicta, non quia ipſa erat malum, ſed propter commendatum puræ & ſimplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus eſt rationalis creaturæ ſub creatore domino conſtitutæ. Nam ubi nullum malum tangebatur, profectò ſi prohibitum tangeretur, ſola inobedientia peccabatur. (al. agebatur.) Alebantur † ergo aliis quæ ſumebant, ne animalia corpora moleſtiæ aliquid eſuriendo ac ſitiendo ſentirent. De ligno autem vitæ propterea guſtabatur, ne mors eis undecunque ſubreperet, vel ſenectute confecti decurſis temporum ſpatiis interirent, tanquàm cætera eſſent alimento, illud ſacramento: ut ſic fuiſſe accipiatur lignum vitæ in paradiſo corporali, ſicut in ſpiritali, hoc eſt, intelligibili paradiſo ſapientia Dei, de qua ſcriptum eſt: Prov.4. Lignum vitæ eſt omnibus amplectentibus eam.

L.Vives. *a* Qui eis etiam de capillorum ſuorum integritate.] *Capillus è capite veſtro non peribit: Lucæ 21.*

b Si enim carnem ſuam non oderant.] *Carnem ſuam nemo odio habuit: ad Epheſ. 5.*

c Non quia in ſpiritum convertetur, ſicut nonnulli putant] *Origenes in libris* περὶ ἀρχῶν *ait, fore, ut omnis corporea creatura in ſpiritalia corpora mutetur, & cuncta ſubſtantia in unum corpus mundiſſimum & omni ſplendore purius convertatur, ac tale quale nunc humana mens cogitare non poteſt: & poſt, inquit, erit Deus omnia in omnibus, ut univerſa natura corporea redigatur in eam ſubſtantiam, quæ omnibus melior eſt, in divinam ſcilicet, qua nulla eſt melior.*

E.L.Coq. *a* Meminerunt, quid ſibi ab eo promiſſum.] *Gloriam corporis intelligit, quæ ſimul cum anima beatitudine poſt reſurrectionem ſanctis eſt communicanda, de qua Apoſtolus ipſe ad Heb. 11.* Hi omnes teſtimonio fidei probati non accepe-

runt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non ſine nobis conſummarentur: *cujus loci ſenſus eſt, ut non ſine nobis beatitudinis conſummationem acciperent, quæ eſt gloria corporis, ut interpretatur D. Auguſt. Epiſt. 99. ad Evodium, nam conſummatio illa apud Paulum integra eſt hominis beatitudo, nunc autem & ſi ſanctorum animæ fruantur beatitudine, at ſuperveſtiri cupiunt & corpore, & gloriam corporis exoptant. Illa ergo repromiſſio quam nondum acceperunt ſancti, gloria ipſius corporis intelligenda eſt. De hac promiſſione D. Dionyſius cap. 6. de divinis nominibus:* Quod longe divinius eſt, nos totos, animos dico & ſocia corpora ad perfectam vitam & immortalitatem transferre pollicetur Deus.

β Si enim carnem ſuam non oderant.] *Epheſ. 5.* Nemo carnem ſuam odio habuit, *imò corpus noſtrum charitate amare poſſumus. Ita D. Auguſtinus lib. 1. de doctrin. Chriſt. cap. 23. quatuor eſſe diligenda ſcribit*, unum quod ſupra nos eſt, alterum quod nos ſumus, tertium quod juxta nos eſt, quartum quod infra nos eſt, *quo nomine noſtrum corpus intelligit.* De ſecundo & quarto, *inquit*, nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat à veritate, manet illi dilectio ſui, & dilectio corporis ſui, *& cap. 24.* Nemo ergò ſe odit, & hinc quidem cum aliqua ſecta nulla quæſtio fuit. Sed neque corpus ſuum quiſquam odit: Verum eſt enim quod ait Apoſtolus Epheſ. 5. Nemo unquam carnem ſuam odio habuerit. Et quod nonnulli dicunt, malle ſe omnino eſſe ſine corpore, falluntur. Non enim corpus ſuum, ſed corruptiones ejus & pondus oderunt, *& quomodo & quoque ordine diligendum ſit proprium corpus, ibidem docet fusè.*

γ Non quia in ſpiritum convertetur.] *Qua ratione poſt reſurrectionem futura ſint ſpiritualia corpora ſanctorum docet, quod nimirum ſpiritui ſumma & mirabili obtemperandi facilitate ſubdentur. Quod idem ſcribit in Enchiridio ad Laurentium cap. 91.* Reſurgent, *inquit*, ſanctorum corpora ſine ullo vitio, ſine ulla deformitate, ſicut ſine ulla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta fœlicitas erit. Propter quod & ſpiritualia dicta ſunt, cum proculdubio ſint corpora futura, non ſpiritus. Sed ſicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus non anima eſt, ita tunc ſpirituale corpus erit, corpus tamen non ſpiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggravat animam, & ad vitia, quibus caro adverſus ſpiritum concupiſcit, tunc non erit caro, ſed corpus, quia & cœleſtia corpora perhibentur; propter quod dictum eſt, Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, & tanquam exponens quid dixerit, neque corruptio, *inquit*, incorruptionem poſſidebit: Quod prius dixit caro & ſanguis, hoc poſterius dixit, corruptio, & quod prius regnum Dei, hoc poſterius incorruptionem. Quantum autem attinet ad ſubſtantiam, etiam tunc caro erit, propter quod & poſt reſurrectionem corpus Chriſti caro appellatum eſt: ſed ideò ait Apoſtolus, ſeminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale, quoniam tanta erit concordia carnis & ſpiritus, vivificante ſpiritu ſine ſuſtentaculi alicujus indigentia ſubditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis, ſed ſicut foris neminem, ita nec intus noſmetipſos patiamur inimicos. *Et lib. 1. de fide & ſymbo. cap. 6.* ſeminatur corpus animale, ſurget ſpirituale, non ita dictum eſt, *inquit*,

inquit, quaſi corpus vertatur in ſpiritum, & ſpiritus fiat; quia & nunc corpus noſtrum, quod animale dicitur, non in animam verſum eſt, & anima factum: ſed ſpirituale corpus intelligitur, quod ita ſpiritui ſubditum eſt, ut cœleſti habitationi conveniat, omni fragilitate ac labe terrena in cœleſtem puritatem ac ſtabilitatem mutata atque converſa. *Eadem ſcribit Epiſt. 146. ad Conſentium. Eodem modo interpretatur D. Gregor. lib. 14. moral. cap 29. & 30. & D. Thom. 4. contra gentes cap. 86.*

δ Non ſolum enim non erit tale.] *Eadem ſcribit lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 5. in ſtatu innocentiæ docet Adamum habuiſſe quidem corpus mortale, licet non eſſet moriturus.* Quam mortalitatem *inquit*, fuerat abſumptura mutatio in æternam incorruptionem, ſi in homine juſtitia, id eſt obedientia permaneret, ſed ipſum mortale non eſt factum mortuum niſi propter peccatum. Quia verò illa, *inquit*, in reſurrectione futura mutatio non ſolum nullam mortem, quæ facta eſt propter peccatum, ſed nec mortalitatem habitura eſt, quam corpus animale habuit ante peccatum, non ait: Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortua corpora veſtra, cum ſupra dixiſſet, corpus mortuum: ſed vivificabit, *inquit*, & mortalia corpora veſtra, ut ſcilicet jam non ſolum non ſint mortua, ſed nec mortalia, cum animale reſurget in ſpirituale, & mortale hoc induet immortalitatem, & abſorbebitur mortale à vita. *& lib. 6. de Geneſ. ad liter. cap. 24.* Renovabitur, *inquit*, à vetuſtate peccati, non in priſtinum corpus animale, in quo fuit Adam, ſed in melius, id eſt, in corpus ſpirituale, cùm efficiemur æquales Angelis Dei, apti cœleſti habitationi, ubi eſca, quæ corrumpitur, non egebimus. *poſt.* Renovabimur etiam carne, cum hoc corruptibile induet incorruptione, ut ſit ſpirituale corpus, in quod nondum mutatus, ſed mutandus erat Adam, niſi mortem etiam corporis animalis peccando meruiſſet. *cap. 25. 26. 27. idem ſcribit.*

ε Quæ licet ſenio non veteraſcerent.] *Idem ſcribit lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap 3.* Neque enim metuendum fuit, ne forte diutius hic vivendo in corpore animali ſenectute gravaretur, & paulatim veteraſcendo perveniret ad mortẽ. Si enim Deus Iſraelitarum veſtimentis & calceamentis præſtitit, quod per tot annos non ſunt obtrita, quid mirum ſi obedienti homini ejuſdem potentia præſtaretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam ſtatum, quo ſine defectu eſſet annoſum, tempore quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem, ſine media morte venturus. *quod & confirmat exemplo Heliæ & Henoch, qui per tam longam ætatem ſenectute non marcuerunt, nec tamen jam ſunt in illam ſpiritualem qualitatem corporis commutati, qualis in reſurrectione promittitur.*

ζ Qui ſtatus ejus de ligno vitæ.] *Vult D. Auguſtinus, lignum vitæ vim habuiſſe ad arcendam mortem, quæ contingere ſolet ex ſenio, paulatim enim humidum radicale abſumitur actione continua caloris naturalis, & vis nutriens diminuitur, & tandem omnino perit, eaque pereunte vita animalis extinguitur. Legi poteſt de ligno vitæ ſententia ejuſdem infra lib. 14. cap. 26. lib. 6. de Geneſ. ad liter. cap. 25. & lib. 8. c. 4. & 5. & lib. 1. de peccator. meritis & remiſſ. cap. 3.* Habebat, *inquit*, Adam & de

ligno-

lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ ſtabilitatem contra ſenectutem. *An verò vis illa ligni vitæ ſervandi hominem à corruptione & morte, fuerit ei naturalis, an ſupernaturalis, legi poteſt Pererius, Tom. 1. Comment. in Geneſim, diſputat. de arbore vitæ, quæſt. 4. D. Auguſtinus hoc & alibi magis in eam ſententiam propendet, ut doceat, eam vim fuiſſe ſupernaturalem; quod indicant illius verba;* Quod *(inquit)* ſenio non veteraſcerent, ut neceſſitate perducerentur ad mortem, de ligno vitæ mirabili Dei gratia eis præſtabatur, *quibus verbis ſignificatur, illam vim fuiſſe ſupernaturalem, non naturalem, quin etiam dicit cætera fuiſſe alimento, illud ſacramento, & lib. 8. de Geneſ. ad liter. cap. 4.* Erat ei in lignis cæteris alimentum, in illo autem ſacramentum. *& cap. 5. id docet expreſſius.* Illud quoque addo, quanquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præſtitiſſe, quo corpus hominis ſanitate ſtabili firmaretur, non ſicut ex alio cibo, ſed nonnulla inſpiratione ſalubritatis occulta. Licet enim uſitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cujus una collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta ſpatio vindicavit, quod certè non erat ex virtute naturali ipſius panis. *D. Bonaventura & Gabriel 2 ſentent. diſtinct. 19. & Bellarminus lib. de gratia prim. hom. cap. 15. ſunt in eadem ſententia. Pererius loco citato, & Molina in tractat. de opere ſex dierum, diſputatione 28. putant, vim illam ligno vitæ fuiſſe naturalem, in quam magis videtur propendere D. Thomas 1. par. quæſt. 97. art. ult. Franciſcus Valeſius de ſacra philoſophia cap. 6. utrumque cenſet probabile. Mihi maximè probatur ſententia D. Auguſtini.*

n Quæ fuerat interdicta, non quia ipſa erat malum.] *Idem ſcribit lib. 8. de Geneſ. ad liter cap. 13.* Si aliquid mali, *inquit*, eſſet lignum illud, unde prohibuit hominem Deus, ejus ipſius mali natura venenatus videretur ad mortem. Quia verò ligna omnia in Paradiſo plantaverat, qui fecit omnia bona valde, nec ulla ibi natura mali erat, quia nuſquam eſt mali ulla natura, ab eo ligno, quod malum non erat prohibitus eſt, ut ipſa per ſe præcepti conſervatio bonum illi eſſet, & transgreſſio malum. Nec potuit melius & diligentius commendari quantum malum ſit ſola inobedientia, cum ideo reus iniquitatis factus eſt homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam ſi non prohibitus tetigiſſet, non utique peccaſſet.

CAP. XXI.

De paradiſo, in quo primi homines fuerant, quòd rectè poſſit ſignificatione ejus ſpiritale aliquid intelligi, ſalva veritate narrationis hiſtoricæ de corporali loco.

UNde *a α* nonnulli totum illum paradiſum, ubi primi homines parentes generis humani ſanctæ Scripturæ veritate fuiſſe narrantur, ad intelligibilia referunt, arboresque illas & ligna fructifera in virtutes vitæ moresque convertunt: *b* tanquam viſibilia & corporalia illa non fuerint, ſed intelligibilium ſignificandorum cauſa eo modo dicta vel ſcripta ſint. Quaſi propterea non potuerit eſſe paradiſus corporalis, quia poteſt etiam ſpiritalis intelligi: *β* tanquàm ideo non

Gal.4. fuerint duæ mulieres, Agar & Sara, & ex illis duo filii Abrahæ, unus de ancilla, Exod 17. alius de libera, quia duo Teſtamenta in eis figurata dicit Apoſtolus: γ aut ideo Num.20. de nulla petra Moyſe percutiente aqua defluxerit, quia poteſt illic figurata ſigni- 1.Cor.10. ficatione etiam Chriſtus intelligi, eodem Apoſtolo dicente: *Petra autem erat Chriſtus.* δ Nemo itaque prohibet intelligi paradiſum, vitam beatorum: ε quatuor ejus flumina, quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque juſtitiam: & ligna ejus, omnes utiles diſciplinas & lignorum fructus, mores piorum: & lignum vitæ, ipſam bonorum omnium matrem ſapientiam: & lignum ſcientiæ boni & mali, tranſgreſſi mandati experimentum. Pœnam enim peccatoribus bene utique, quoniam juſtè, conſtituit Deus, ſed non bono ſuo experitur homo. Poſſunt hæc etiam in eccleſia intelligi, ut ea melius accipiamus tanquam prophetica indicia præcedentia futurorum. Paradiſum ſcilicet ipſam Cant.4. eccleſiam. *d* ſicut de illa legitur in Cantico canticorum: quatuor autem paradiſi flumina, quatuor Evangelia ligna fructifera, ſanctos: fructus autem eorum, opera eorum: lignum vitæ, ſanctum ſanctorum, utique Chriſtum: lignum ſcientiæ boni & mali, proprium voluntatis arbitrium. Nec ſeipſo quippe homo divina voluntate contempta, niſi perniciosè uti poteſt: atque ita diſcit quid interſit, utrum inhæreat communi omnibus bono, an proprio delectetur. Se quippe amans donatur ſibi, ut inde timoribus, mœroribusque completus cantet in Pſal- Pſal.41. mo, ſi tamen mala ſua ſentit: *Ad meipſum anima mea turbata eſt:* correctusque Pſal.58. jam dicat: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam.* Hæc & ſi qua alia commodius dici poſſunt de intelligendo ſpiritualiter paradiſo, nemine prohibente dicantur, dum tamen & illius veritas fideliſſima rerum geſtarum narratione commendata credatur.

L. Vives. a UNde nonnulli totum illum paradiſum.] *De paradiſo tres fuiſſe opiniones, refert idem Auguſtinus lib. de Gen. 8. Alii paradiſum ſpiritualem tantum, alii corporalem tantum, alii utrumque ſimul ponebant: quod ſibi potiſſimum probari Auguſtinus fatetur. Verùm ubi fuerit paradiſus, non parum inter noſtros ſcriptores ambigitur. Joſephus ad orientem plagam ſtatuit. Idem Beda confirmat, additq; circumfuſam oceano regionem à reliquo mundo ſeparatam, nec adiri poſſe tantaque eſſe altitudine, ut lunam ipſam pertingat. Plato amœniſſimum illum in Phedone locum ſupra imbres, omnes flatus fulminaq; conſtituit, quod aliis veriſimile non eſt viſum. Albert. Grotus, Avic. ſed & vetuſtiores, Polybium, & Eratoſthenem ſecutus, ſub æquinoctiali temperatiſſimam omnium ſtatuit regionem, contra veterum fere placita, qui nihil habitare ſub via ſolis voluerunt: æquinoctialis verò medium interſecat cingulum torridum duobus punctis in ariete & libra ſigniferum attingens. Ibi ergo maximam temperiem cenſent duodecim horis toto anno lucis, totidem tenebrarum, hoc loco paradiſum ſtatuit. Scotus cum eo ſenſit, nec contraria eſt opinio ponentium paradiſum in Oriente. Nam & ſuus eſt Oriens ſuusque Occidens ipſi æquinoctiali circo, ſuntq; qui per gladium igneum, aduſtum cœli terrarumque cingulum intelligant, in quo fulminum jactus & fulgetrarum accenſiones, ſicut Arrianus ſcribit. Ex ſacris literis ubi ſit paradiſus non liquere Hieronymus putat, etſi vulgo in Edem ab oriente*

ver-

verterunt LXX. ἐν ἐδὲν κατὰ ἀνατολάς. *Sed Oriens latè patet. Hieronymus ſic inquit, pro paradiſo ortum habet, i. e. Gan. Porrò Eden deliciæ interpretatur, pro quo Symmachus tranſtulit paradiſum florentem. Nec non quod ſequitur. Contra Orientem, in Hebræo* mikkeden *ſcribitur, quod Aquila poſuit* ἀπὸ ἀρχῆς *& nos ab exordio poſſumus dicere. Symmachus verò* ἐκ πρώτης, *& Theodotio* ἐν πρώτοις, *quod & ipſum non orientem, ſed principium ſignificat. Ex quo manifeſtiſſimè comprobatur: quòd priuſquam cælum & terram Deus faceret, paradiſum antè condiderat, ſicut & legitur in Hebræo: Plantaverat autem Deus paradiſum Eden à principio. Hæc apud Hieronymum.*

b Tanquam viſibilia & corporalia non fuerint.] *Nemo negat, paradiſum* ἀλληγορικῶς *poſſe ad res ſpiritales transferri, ut Ambroſius fecit libro de paradiſo. Sed revera paradiſum locum non fuiſſe arboribus conſitum & amœniſſimum, ſicut Damaſcenus ſcribit, & ſimilem illis Elyſiis poëtarum campis, ſacri ſcriptores magno conſenſu reclamant. Hieronymus in Danielem: Unde eorum deliramenta conticeſcant, qui umbras in veritate quærentes, ipſam conantur evertere veritatem, ut flumina, & arbores, & paradiſum putent allegoriæ legibus ſe debere ſubruere. Hujus opinionis fuit Origenes, qui totam illam de paradiſo narrationem ſic ad ſpiritalem ſenſum vertit, ut Auguſtinus docet, paradiſumque in tertio ſtatuit cælo: ſic dici Apoſtolum Paulum uſque in tertium cælum & paradiſum eſſe ſublatum.*

c Quatuor ejus flumina.] *Nilus Ægypti, Euphrates & Tigris, Syriæ, Ganges, Indiæ, quorum idcirco veri fontes ignorantur, & ſubter oceanum alveo in noſtrum mare penetrant, qua de cauſa Ægyptii ſacerdotes, Nilum oceanum nuncupabant, ut Herodotus ſcribit.*

d Sicut de illa legitur in Cantico canticorum.] *Canticorum quarto: Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus, emiſſiones tuæ paradiſus malorum Punicorum.*

a UNde nonnulli totum illum paradiſum.] *An paradiſus ille deſcriptus à Moſe* F.L.Coq.
Geneſ. 3. intelligendus ſit locus aliquis corporeus & terreſtris, an verò figuratè ſit accipiendus de re quapiam intelligibili & ſpirituali, quæritur. Certè Philo Judæus extremo lib. de opific. mundi, & lib. 1. Allegoriar. legis myſticè dumtaxat & allegoricè interpretatur narrationem illam Moyſis de paradiſo, nec aliter intelligendum eſſe cenſet. Eodem modo Origenes tomis ſuper Geneſ. omnem hiſtoriam paradiſi non aliter quam figuratè arbitratur debere accipi. Itaque paradiſum ponit non in terra, ſed in tertio cælo, ad quem ſcil. raptus eſt Paulus; arbores Paradiſi virtutes Angelicas interpretatur, flumina, aquas quæ ſuper firmamentum ſunt, & lib. 4. περὶ ἀρχῶν *cap. 2. plura coacervans, exempla earum rerum, quarum in ſcriptura ſacra non eſt quærenda vera & realis hiſtoriæ narratio, ſed ſola myſtica & ſpiritualis intelligentia, inter cæteras paradiſi voluptates collocavit. Epiphanius multis diſſerit contra hanc Origenis interpretationem tum in Ancorato, tum etiam in Epiſtola, quam ad Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum ſcripſit, & hæreſi 64. D. Hieronymus in cap. 10. Daniel. in hujusmodi allegoricas Paradiſi interpretationes invehitur.* Conticeſcant, *inquit,* eorum deliramenta, qui umbras & imagines in veritate ſequentes, ipſam

conantur evertere veritatem, ut paradiſum & flumina, & arbores putent allegoriæ legibus ſe debere ſubruere. *Et Epiſt. ad Pammachium de erroribus Joannis Hieroſolymitani enumerans Origenis errores:* Sextum *(inquit)* quod ſic paradiſum allegorizet, ut hiſtoriæ auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cœleſtes intelligens, totamque paradiſi deſcriptionem topologica interpretatione ſubvertens. *D. Auguſtinus, lib. de hæreſ. 54. inter cæteros errores Seleucianorum & Hermogenianorum hunc etiam recenſet, quod negaverunt paradiſum viſibilem. Cæterum Joſephus lib. 1. Antiquit. & Baſilius homil. 11. in Hexamer. Chryſoſtomus homil. 13. in Geneſ. adeoque fere omnes patres tum Græci, tum Latini, quos citat pater Thomas Maluenda peculiari libro de paradiſ. voluptatis, cap. 7. conſentiunt, paradiſum, quem deſcribit Moyſes, locum fuiſſe corporeum ac terreſtrem, etiam ſi ſub literali ſenſu ſeu hiſtorico lateant myſtici ſenſus, & allegoricæ interpretationes. D. Auguſtinus lib. 8. ſuper Geneſ. ad liter. cap. 1. tres generales de paradiſo refert ſententias, unam eorum, qui corporaliter tantummodo intelligi paradiſum volunt, aliam eorum, qui ſpiritualiter tantum, tertiam eorum, qui utroque modo paradiſum accipiunt, alias corporaliter, alias ſpiritualiter, & hanc ſibi placere ſententiam affirmat, quod tamen non ſic intelligendum, ut notat Pererius lib. 3. Comment. in Geneſ. diſputat. de hac materia, quaſi velit Auguſtinus hiſtoriam paradiſi partim corporaliter, partim ſpiritualiter eſſe interpretandam. Tota enim ſecundum ſenſum hiſtoricum corporaliter eſt intelligenda; ſed his verbis nihil aliud vult quam veram quidem eſſe hiſtoriam paradiſi, ſuppoſito tamen ſenſu vero hiſtorico, & literali, inde poſſe erui ſenſus myſticos, quod illic inſinuat Auguſtinus ita ſcribens,* Narratio quippe in his libris non genus locutionis figuratarum rerum eſt, ſicut in Cantico canticorum, ſed omnino geſtarum eſt, ſicut in Regum libris, & hujuſmodi cæteris. *Deinde ipſemet quemadmodum & hoc loco exponit allegoricè. Eſt enim ſenſus literalis fundamentum ſenſus ſpiritualis. & cum etiam duplex ſit ſenſus literalis ſcripturæ ſacræ, alius quidem proprius, alius verò figuratus, debemus interpretari ſcripturam in proprio ſenſu, quem voces ipſæ referunt, niſi inde ſequatur aliquid falſum vel abſurdum, vel contrarium fidei & bonis moribus. Cavenda etiam ſunt duo extrema in ſcriptura, ne aut ea quæ propriè accipienda ſint, figuratè & metaphoricè interpretemur, aut è contrario quæ metaphoricè ſunt accipienda, in proprio ſenſu intelligamus.*

β Tanquam ideo non fuerint duæ mulieres, Agar & Sara.] *Ita lib. 8. de Geneſ. ad lit. cap. 4. his verbis:* Verumtamen cum ſit Hieruſalem æterna in cœlis, etiam in terra civitas, qua illa ſignificaretur, condita eſt; Et Sara & Agar quamvis duo teſtamenta ſignificarent, erant tamen etiam quædam mulieres duæ: & cum Chriſtus per paſſionem fluento ſpirituali nos irriget, erat tamen & petra quæ aquam ſitienti populo ligno percuſſa manavit, de qua diceretur, Petra autem erat Chriſtus, aliud quam erant illa omnia ſignificaverunt, ſed tamen etiam ipſa corporaliter fuerunt. Et quando à narrante commemorata ſunt, non erat illa figurata locutio, ſed earum rerum expreſſa narratio, quarum erat figurata præceſſio. *Paradiſus ergo etſi myſticum aliquid & ſpirituale ſignificet, erat tamen locus corporalis, & narratio illa Moſis propriè accipienda eſt.*

γ Auc

γ Aut ideo de nulla Petra.] *Quemadmodum (inquit) ex eo quod prima illa ſignificabat Chriſtum, ex qua manaverunt aquæ copioſiſſimæ ſitienti populo, Num. 16. non rectè quis inferat, non fuiſſe veram & materialem petram, & quæ proprie petra intelligenda ſit; ita ſi quis ſpiritualiter & myſticè paradiſum interpretetur, rectè quidem, non tamen inde ſequetur non fuiſſe verum & corporalem paradiſum, & viſibilem locum, & propriè intelligendum quem deſcribit Moyſes. Legi poteſt D. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 11. & Rupertus lib 2. Comment. in Geneſ. cap. 24. & ſequent.*

δ Nemo itaque prohibet intelligi paradiſum.] *Lib. 2. de Geneſ. contra Manich. cap. 9. Paradiſi delicias allegoricè exponit.*

CAP. XXII.

De corporibus ſanctorum poſt reſurrectionem, quæ ſic ſpiritalia erunt, ut non in ſpiritum caro vertatur.

CORPORA *a* ergo ſanctorum, quæ in reſurrectione futura ſunt, neque ullo ligno indigebunt, quo fiat, ut nullo morbo vel ſenectute inveterata moriantur: neque ullis aliis corporalibus alimentis, quibus eſuriendi, aut ſitiendi, qualiſcunque moleſtia devitetur, quoniam certo & omnimodo inviolabili munere immortalitatis induentur, ut non niſi velint, poſſibilitate, non neceſſitate veſcantur. Quod angeli quoque viſibiliter & tractabiliter apparentes, non quia indigebant, ſed quia volebant & poterant, ut hominibus congruerent ſui miniſterii quadam humanitate fecerunt. *a* β Neque enim in phantaſmate angelos edidiſſe credendum eſt. *b* quando eos homines hoſpitio ſuſceperunt: quamvis utrum angeli eſſent, ignorantibus, conſimili nobis indigentia veſci viderentur. Unde eſt quod ait angelus in libro Thobiæ: *Videbatis me manducare,* γ *ſed viſu veſtro videbatis,* id eſt, neceſſitate reficiendi corporis, ſicut vos facitis, me cibum ſumere putabatis. Sed ſi fortè de angelis aliud credibilius diſputari poteſt: *c* certè δ fides Chriſtiana de ipſo Salvatore non dubitat: quod etiam poſt reſurrectionem jam quidem in ſpiritali carne, ſed tamen vera, cibum ac potum cum diſcipulis ſumpſit. *ε* Non enim poteſtas, ſed egeſtas edendi ac bibendi, talibus corporibus auferetur. Unde & ſpiritalia erunt: non quia corpora eſſe deſiſtent, ſed quia ſpiritu vivificante ſubſiſtent.

Gen. 18. *Tob. 12.* *Luc. 24.*

a NEque enim phantaſmate angelos ediſſe credendum.] *Non ita edebant angeli ut nos, quorum cibus per guttur in ventriculum demiſſus conficitur, & ſuccus per venas in ſingula diſtribuitur membra aliturq; corpus: ſed nec ſic tamen edebant, ut oculis humanis illuderent velut præſtigiis, quod movere viderentur, quod pro maxillis haberent, non moverent tamen, comminuere ſuis illis dentibus panem, aut carnes, quæ remanerent integræ. Verè enim mandebant, ſed non alebantur.* *L. Vives.*

b Quando eos homines hoſpitio ſuſceperunt.] *Abraham & Loth in Geneſi, Thobias in libro Thobiæ.*

c Certè fides Chriſtiana de ipſo Salvatore.] *Lucæ vigeſimo tertio. Quo loco Beda ſic dicit: Aliter aquam abſorbet terra ſitiens, aliter ſolis radius calens. Illa indi-*

gentia, iſte potentia. Itaque cibus ille à domino non eſt, ut à noſtris corporibus ſolet, ſumptus: ſed gloria illa conſumptus, non verſus in corporis ſubſtantiam.

F.L. Cap. α Corpora ergo ſanctorum quæ in reſurrectione.] *Nullum futurum uſum ciborum poſt reſurrectionem multis argumentis probat D. Thom. 4. cont. Gentes, cap. 83.*

β Neque enim in phantaſmate Angelos ediſſe.] *Si Angeli ſunt omninò incorporei, certè non verè & realiter comederunt, ſed tantum viſi ſunt comedere, adeò ut illam actionem in phantaſmate tantum exercuerint. Neque enim corporibus aſſumptis poſſunt verè exercere hujusmodi operationes vitæ, quod & confirmat illud à Raphaele Angelo dictum Tobiæ 12.* Cum eſſem vobiſcum, videbar quidem manducare & bibere, ſed ego cibo inviſibili & potu utor. *Et Theodoretus quæſt 68. in Geneſin.* Sicut Moyſes eos vocavit viros cum nihil virilis naturæ haberent præter externam figuram, ita dicit eos comediſſe, quia viſi ſunt comedere, non quidem cibum inferentes in os & ventrem, nec enim incorporea natura husmodi partibus verè conſtare poterat, ſed cibum ſimulatis illis manibus capientes, & in ſimulatum quoque os ingerentes clam conſumpſerunt, prout illis placuit. *D. Thom. 1. p. quæſt. 51. art. 3. proponit quinto loco hoc argumentum, cujus ſolutio facit ad explicationem hujus articuli.* Comedere proprium eſt animalis, ſi quidem Dominus poſt reſurrectionem in argumentum reſumptæ ab ipſo vitæ manducavit cum diſcipulis, ut traditur Lucæ ultimo: ſed Angeli in aſſumptis corporibus apparentes comederunt, & Abraham eis cibos obtulit, quos tamen prius adoraverat, ut ſcribitur Geneſ. 18. Ergo in aſſumptis corporibus exercent Angeli vitæ actiones & opera. *Ita reſpondet*, non verè Angelos ſi propriè loquamur, dici comediſſe, ſiquidem comeſtio denotat ſumptionem cibi convertibilis in ſubſtantiam comedentis. Quamvis autem cibus à Chriſto poſt reſurrectionem ſumptus, nequaquam in corpus ejus converteretur, ſed reſolveretur in præjacentem mariam, attamen corpus ejus talis erat naturæ, in quod poſſet cibus verè converti, ideòque vera fuit comeſtio: At verò cibus ſumptus ab Angelis nec in corpus ab eis aſſumptum convertebatur, neque natura ſua converti poterat, quamobrem non fuit vera comeſtio Angelorum, ſed figurara ſpiritalis comeſtionis. *Quomodo ergo D. Auguſtinus hic ſcribit, non credendum, eos in phantaſmate ediſſe? Certè in aſſumptis corporibus verè ipſos comedere docet etiam Halenſis 2. par. q. 35. membro 4. Scotus 2. diſt. 8. Verum quia exiſtimant, comeſtionem non eſſe operationem vitalem. Certè hoc cap. D. Auguſtinus utramque opinionem cenſet probabilem, ut dicantur Angeli non verè comedere quidem, vel verè quidem comedere, non tamen neceſſitate, ſed tantùm poteſtate, & Epiſt. 99. ad Deo gratias q. 1. Angelos ſcribit eſcas ſumpſiſſe non modo ficto, & inani phantaſmate, ſed manifeſtiſſima veritate, nec tamen neceſſitate, ſed poteſtate. Videtur diſputatio potius de nomine quam de re. Si enim comeſtio accipiatur ſecundum rationem quandam motus, communem etiam operationi vitali, ſcil. ut per eam cibus conteritur, & in partem interiorem corporis trajicitur, ſic vera cenſeri poteſt illa Angelorum comeſtio, & ſic intelligi debet ſcriptura & D. Auguſtinus. Si verò comeſtio propriè accipiatur, prout actio vitalis eſt profecta ex*

ea et-

ea etiam potentia vitali, qua poſſit cibus in ſubſtantiam ſumentis per mutationem converti, ſic non fuit vera illa & perfecta comeſtio Angelorum. Ea ratione dixit Angelus, Videbar manducare & bibere, *perfectè ſcil. corporatos & viſibiles cibos veſtros comedere, & quaſi ex indigentia ſuſtentanda vita, quaſi dicat, videbar vobis homo, & humano more humano cibo ſuſtentari.*

γ Viſu veſtro videbatis.] Pro viſu vos videbatis. *Ita enim legitur.* ὅρασιν ὑμεῖς ἐθεωρεῖτε. *Videri poteſt intellexiſſe* ὅρασιν θεωρεῖν, *pro* καθ' ὅρασιν.

δ Fides Chriſtiana de ipſo ſalvatore non dubitat.] *Quod verè Chriſtus comederit, conſtat tum ex proprietate verborum, qua in hiſtorica narratione præſertim retinenda eſt quantum fieri poteſt, tum maximè quia Chriſtus exhibuit illud tanquam certum ſignum vitæ, quam per reſurrectionem recuperaverat.*

ε Non enim poteſtas, ſed egeſtas.] *Etſi de Angelis, an verè comederint dubitet, Chriſtum tamen poſt reſurrectionem vere comediſſe, non dubitat, quia comeſtio illa fiebat per potentiam vitalem veri corporis humani, à qua cibus ille poterat in ſubſtantiam ſumentis converti, licet actu quidem non converteretur, quia non erat ei opus cum eſſet incorruptibile.* Non enim poteſtas, ſed egeſtas, *inquit,* edendi aufertur à corporibus glorificatis, *quod idem ſcribit Epiſt. 49. quæſt. 1.* Aliter, *inquit,* abſorbet terra aquam ſitiens, aliter ſolis radius candens. Illa indigentia, iſte potentia. Futuræ ergo reſurrectionis corpus imperfectæ fœlicitatis, ſi cibos ſumere non potuerit, imperfectæ fœlicitatis, ſi cibis eguerit. *D. Thom. 3. p. q. 54. art. 3. ad 3. idem docet.*

CAP. XXIII.

Quid intelligendum ſit de corpore animali, & de corpore ſpiritali: ut qui moriuntur, in Adam: qui verò vivificantur, in Chriſto.

NAm ſi cui iſta quæ habent animam viventem, nondum ſpiritum vivificantem, animalia dicuntur corpora: nec tamen animæ ſunt, ſed corpora: ita illa ſpiritalia vocantur corpora. Abſit tamen, ut ſpiritus ea credamus futura, ſed corpora α carnis habitura ſubſiſtentiam, ſed nullam tarditatem, corruptionemque carnalem ſpiritu vivificante paſſura. Tunc jam non terrenus, ſed cœleſtis homo erit, non quia corpus, quod de terra factum eſt, non ipſum erit, ſed quia dono cœleſti jam tale erit, ut etiam cœlo incolendo non amiſſa natura, ſed mutata qualitate conveniat. *Primus autem homo de terra terrenus,* a β in animam viventem factus eſt, γ non in *b* ſpiritum vivificantem, quod ei per obedientiæ meritum ſervabatur. Ideo corpus ejus quod cibo ac potu egebat, ne fame afficeretur ac ſiti, & non immortalitate illa abſoluta atque indiſſolubili, ſed ligno vitæ à mortis neceſſitate prohibebatur, atque in juventutis flore retinebatur, non ſpiritale, ſed animale fuiſſe non dubium eſt, nequaquam tamen moriturum, niſi in Dei prædicentis minantiſque ſententiam delinquendo corruiſſet. Et alimentis quidem etiam extra paradiſum non negatis, à ligno tamen vitæ prohibitus *c* † tardius eſſet tempore vetuſtateque finiendus, in ea duntaxat vita, quam in corpore licet animali donec ſpiritale obedientiæ merito fieret, poſſet in paradiſo ni-

a 1. Cor. 15.

al. traditus eſſet tempori vetuſtatique

ſo niſi peccaſſet habere perpetuam. Quapropter etiam ſi mortem iſtam manifeſtam, qua fit animæ à corpore ſeparatio, intelligamus ſimul ſignificatam, in eo
Gen.2. quod Deus dixerat: *d Qua die ederitis ex illo, morte moriemini:* δ nod ideo debet abſurdum videri: quia non eo prorſus die à corpore ſunt ſoluti, quo cibum interdictum mortiferumque ſumpſerunt. Eo quippe die mutata in deterius vitiataque natura, atque à ligno vitæ ſeparatione juſtiſſima, mortis in eis etiam corporalis neceſſitas facta eſt, cum qua nos neceſſitate nati ſumus. Propter quod
Rom.8. Apoſtolus non ait, *corpus quidem moriturum eſt propter peccatum: ſed* ait, *ſ corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus autem vita eſt propter juſtitiam.* Deinde ſubjungit: *Si autem ſpiritus ejus qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis, habitat in vobis, qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, per inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.* Tunc ergo erit corpus in ſpiritum vivificantem quod nunc eſt in animam viventem, & tamen mortuum dicit Apoſtolus, quia jam moriendi neceſſitate conſtrictum eſt. Tunc autem ita erat in animam viventem, quamvis non in ſpiritum vivificantem, ut tamen mortuum dici rectè non poſſet, quia niſi perpetratione peccati neceſſitatem moriendi habere non poſſet. Cùm verò Deus & dicendo, *Adam ubi es?* mortem ſignificaverit
Gen.3. animæ, quæ facta eſt illo deſerente: & dicendo, *Terra es, & in terram ibis,* mortem ſignificaverit, corporis quæ illi fit anima decedente: propterea de morte ſecunda nihil dixiſſe credendum eſt, quia occultam eſſe voluit propter diſpenſationem teſtamenti novi, ubi ſecunda mors apertiſſimè declaratur, ut prius iſta mors prima, quæ communis eſt omnibus, proderetur ex illo veniſſe peccato, quod in uno commune factum eſt omnibus: mors verò ſecunda non utique communis eſt omnibus, propter eos qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſan-
Rom.8. cti, *quos antè præſcivit & prædeſtinavit,* ſicut ait Apoſtolus, *conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus,* quos à ſecunda morte per mediatorem Dei gratia liberavit. In corpore ergo animali primum hominem factum, ſicut Apoſtolus loquitur. Volens enim ab ſpiritali quod in reſurrectione
1.Cor.15. futurum eſt, hoc quod nunc eſt, animale diſcernere. *Seminatur,* inquit, *in corruptione ſurget in incorruptione: ſeminatur in contumelia, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* Deinde ut hoc probaret, Si eſt, inquit, corpus animale, eſt & ſpiritale. Et ut quid eſſet corpus animale oſtenderet, ſic inquit, ſcriptum eſt: *Factus eſt primus homo in animam viventem.* Iſto igitur modo voluit oſtendere quid ſit corpus animale, quamvis ſcriptura non dixerit de primo homine, qui eſt appellatus Adam, quando illa anima flatu Dei creata eſt, & factus eſt homo in corpore animali, ſed factus eſt homo in animam viventem. In eo ergo quod ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo in animam viventem, voluit Apoſtolus intelligi corpus hominis animale. ſpiritale autem quemadmodum intelligendum eſſet, oſtendit addendo: Noviſſimus autem Adam in ſpiritum vivificantem: procul dubio Chriſtum ſignificans, qui jam ex mortuis ita reſurrexit, ut mori omnino deinceps non poſſit. Deinde ſequitur & dicit: Sed non primum quod ſpiritale eſt, ſed quod animale,

male, poſtea ſpiritale. Ubi multò apertius declaravit, ſe animale corpus inſinuaſſe in eo quod ſcriptum eſt: Factum eſſe primum hominem in animam viventem: ſpiritale autem in eo quod ait, Noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem. Prius eſt enim animale corpus: quale habuit primus Adam, quamvis non moriturum, niſi peccaſſet: quale nunc habemus & nos hactenus ejus mutata, vitiataque natura, quatenus in illo, poſteaquam peccavit, effectum eſt, unde haberet jam moriendi neceſſitatem, ζ quale pro nobis etiam Chriſtus primitus habere dignatus eſt: non quidem neceſſitate, ſed poteſtate: poſtea η verò ſpiritale, quale jam præceſſit in Chriſto tanquam in capite noſtro, θ ſecuturum eſt autem in membris ejus ultima reſurrectione mortuorum. Adjungit deinde Apoſtolus, duorum iſtorum hominum evidentiſſimam differentiam, dicens: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Et quomodo induimus imaginem terreni: induamus & imaginem ejus qui de cœlo eſt.* Hoc Apoſtolus ita poſuit, ut nunc quidem in nobis ſecundum ſacramentum regenerationis fiat: ſicut alibi dicit: *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis:* re autem ipſa tunc perficietur, cùm & in nobis quod eſt animale naſcendo, ſpiritale factum fuerit reſurgendo. Ut enim ejuſdem verbis utar: *Spe ſalvi facti ſumus.* Induimus autem imaginem terreni hominis propagatione prævaricationis & mortis, quam nobis intulit generatio: ſed induimus imaginem cœleſtis hominis gratia indulgentiæ vitæque perpetuæ: quod nobis præſtat regeneratio, non niſi per mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum, ι quem cœleſtem hominem vult intelligi, quia de cœlo venit, ut terrenæ mortalitatis corpore veſtiretur, quod cœleſti immortalitate veſtiret. Cœleſtes verò ideo appellat & alios, quia fiunt per gratiam membra ejus: ut cum illis ſit unus Chriſtus, velut caput & corpus. Hoc in eadem epiſtola evidentius ita ponit: *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Jam utique in corpore ſpirituali quod erit in ſpiritum vivificantem. κ non quia omnes, qui in Adam moriuntur, membra erunt Chriſti: Ex illis enim multò plures ſecunda in æternum morte plectentur. Sed ideo dictum eſt omnes atque omnes, quia ſicut nemo corpore animali niſi in Adam moritur, ita nemo corpore ſpiritali niſi in Chriſto vivificatur. Proinde nequaquam putandum eſt, nos in reſurrectione tale corpus habituros, quale habuit homo primus ante peccatum: neque illud quod dictum eſt, Qualis terrenus, tales & terreni: ſecundum illud intelligendum eſt, quod factum eſt admiſſione peccati. Non enim exiſtimandum eſt, eum prius quàm peccaſſet, ſpiritale corpus habuiſſe, & peccati merito in animale mutatum. Ut enim hoc putetur, parum attenduntur tanti verba doctoris, qui ait: *Si eſt corpus animale, eſt & ſpiritale: ſicut ſcriptum eſt. Primus homo Adam factus eſt in animam viventem.* Nunquid hoc poſt peccatum factum eſt cùm ſit iſta hominis prima conditio, de qua beatiſſimus Apoſtolus ad corpus animale monſtrandum, hoc teſtimonium legis aſſumpſerat.

Gal. 3. Rom. 8. 1. Cor. 15.

a In animam viventem factus.] *Vel anima vivens, vel cum anima vivente. Sed prius illud crebrius in ſacris literis.*

b Spiritum vivificantem.] *Is eſt beatus, eſt junctus jam Deo: ut ea communione, quæ illi eſt cum Deo, poſſit & ipſe quoque integritatem atque immortalitatem corpori præbere.*

c Tardius eſſe tempore.] *Ex variis lectionibus ſic colligo legendum: A ligno tamen vitæ prohibitus tardius eſſet tempori vetuſtatique finiendus. Itaque anima vivens eſt, quæ ipſa vivit, ſpiritus vivificans eſt, qui ipſe dat vitam.*

d Qua die ederitis ex illo, &c.] *Hieronymus in Geneſin: Melius, inquit, interpretatus eſt Symmachus, mortalis eris, ſed nos ex quo naſcimur mori incipimus, ut Manilius ait:*

Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet.

F.L.Coq. a Carnis habitura ſubſtantiam, ſed nullam tarditatem.] *Etſi futura ſint eadem corpora beatorum poſt reſurrectionem, habuit tamen longè alium ſtatum, & alias qualitates ac perfectiones, ipſam excedentes naturam. Omnes Theologi concedunt fore quatuor dotes corporis glorioſi, claritatem, agilitatem, impaſſibilitatem, & ſubtilitatem, quæ etiam ex ipſa ſcriptura facile colliguntur. Duarum hic meminit, quod enim corpora illa nullam habitura tarditatem vel corruptionem carnalem ſcribit, agilitate & impaſſibilitate, ſeu immortalitate ornanda intelligit. De agilitate illud Apoſtoli intelligitur 1. Corint. 15.* Seminatur in infirmitate; ſurget in virtute, *quia ſine ulla difficulate aut defatigatione poterit, quo voluerit, ſe movere, & dicitur ſpirituale corpus, quia ſicut ſpiritus facile ſe movet quo vult, ita & corpus glorioſum: quo referri poſſunt Iſaiæ 40.* Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. *Ita enim interpretatur Hilarius in Pſalm. 138. circa illa verba.* Si ſumpſero pennas meas diluculo, *quæ de Chriſto intelligit,* qui cum pennas ſuas ſumpſit in reſurrectione, corpore jam non gravatur. *& poſtea dicit pennas has pertinere ad demutationem terrenorum corporum in ſpiritualem naturam. Sap. 3. dicitur de beatis,* fulgebunt juſti, & tanqum ſcintillæ in arundineto diſcurrent: *quibus verbis, claritatis & agilitatis donum aperte ſignificatur, ut docet etiam Innocentius 3. lib. 4. de myſter. miſſa. cap. 12. Cyrillus Hieroſolymitan. catech. 18.* Reſurget, *inquit,* hoc corpus, ſed non tale manebit, verum erit æternum, & non amplius cibis opus habebit, neque ſcalis ad aſcenſum: fiet enim ut ſpiritale, & ſplendebit ut ſol.

β In animam viventem factus eſt.] *Geneſ. 1. Id eſt, factus eſt homo habens animam facientem ipſum vivere, vel anima vocabulo ſignificatur ipſe homo, ut ſit ſenſus per illam Dei inſpirationem, qua anima corpori infuſa eſt, factus eſt Adam in hominem viventem, id eſt, homo vivens. Illa tum anima præbebat vitam corpori, non tamen omnino immortale reddebat.*

γ Non in ſpiritum vivificantem.] *De quo Apoſtolus Rom. 8.* Si ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum, habitat in vobis, *per dona ſcil. gratiarum, & maximè per charitatem diffuſam in cordibus veſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt vobis,*

ille

ille idem ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis, *ut jam ſcil. non ſolum ſint, non mortua, ſed nec mortalia, cum animale reſurget in ſpirituale, & mortale hoc induet immortalitatem, & abſorbebitur mortale hoc à vita; quia illa in reſurrectione futura mutatio non ſolum nullam mortem, quæ facta eſt propter peccatum, ſed nec mortalitatem habitura eſt, quam corpus animale habuit ante peccatum. Ita interpretatur lib 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 6.*

δ Non ideo debet abſurdum videri.] *Qua ratione illa Dei ſententia*, qua die ederitis, morte moriemini, *etiam de morte corporali intelligatur, etſi eo die mortui non ſint, docet. Eo enim die mutata & vitiata natura in mortis neceſſitatē incurrerunt, cum antea poſſent non mori, atque eidem neceſſitati moriendi facti ſumus obnoxii, qui peccatum ſimul cum natura contrahimus ab Adamo.*

ε Sed ait quidem corpus mortuum eſt.] *Quò tendat maximè ſenſus Apoſtoli in illis verbis, explicat egregie lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 7.* Hoc dictum eſt, *inquit*, ne ideo putarent homines vel nullum, vel parvum ſe habere beneficium de gratia Chriſti, quia neceſſario morituri ſunt corpore. Attendere quippe debent corpus quidem adhuc peccati meritum gerere, quod conditioni mortis obſtrictum eſt, ſed jam ſpiritum cœpiſſe vivere propter juſtitiam fidei; qui & ipſe in homine fuerat quadam morte infidelitatis extinctus. Non igitur, *inquit*, vobis parum muneris putetis eſſe collatum per id quod Chriſtus in vobis eſt, quod in corpore jam propter peccatum mortuo jam propter juſtitiam ſpiritus veſter vivit, nec ideò de vita quoque ipſius corporis deſperetis. Si enim ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis, habitat in vobis, qui ſuſcitavit Chriſtum Jeſum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra per inhabitationem Spiritus ejus in vobis. *& ſupra cap. 6. ſcripſerat.* Ne humana ignorantia de reſurrectione corporis nihil ſperaret, etiam ipſum quod propter meritum peccati in præſenti ſæculo dixerat mortuum, in futuro propter meritum juſtitiæ dicit vivificandum, nec ſicut tantum ut ex mortuo vivum fiat, verum etiam ex mortali immortale.

ζ Quale pro nobis Chriſtus habere dignatus eſt.] *Licet enim ab inſtanti conceptionis eſſet beatus in anima, & beatitudo illa naturaliter deberet redundare in corpus, ob complendum tamen noſtræ redemptionis myſterium ſol ille retraxit radios ſuos, & impedivit ne gloria animæ redundaret in corpus, atque ita ſimul fuit viator & comprehenſor, & tum anima beata ac glorificata corpus habuit paſſibile & morti obnoxium, non quidem neceſſitate (inquit) ſed poteſtate, quod idem docet D. Thom. 3. p. q. 14. art. 3. ad 1.* Caro Chriſti aſſumpſit ex virgine naturam abſque culpa, ſed voluit ſuſcipere pœnam propter opus noſtræ redemptionis implendam, & ideo habuit hujuſmodi defectus non contrahendo, ſed voluntariè aſſumendo.

η Poſtea verò ſpirituale quale jam præceſſit in Chriſto.] Primitiæ enim dormientium Chriſtus, *1. Cor. 15.* & primogenitus mortuorum *Apocalyp. 1. Ex quo patet neminem ante Chriſtum reſurrexiſſe ad vitam immortalem. D. Thom. 3. p. q. 53. art. 3.* Dona gratiæ *(inquit)* debuerunt prius aliis communicari quàm Chriſto, quia erant præparatoria ad Chriſtum; dona autem gloriæ ſive animæ, ſive cor-

poris, quia non dantur ut diſpoſitiones ad aliud, ſed tanquam ultimum præmium & conſecutio finis, decuit prius eſſe in Chriſto ſicut in authore gloriæ. *Deinde reſurrectio Chriſti ad gloriam eſt cauſa noſtræ reſurrectionis exemplaris, & efficiens, & finalis: præterea ille primus eſt prædeſtinatorum, prædeſtinati autem ex vi prædeſtinationis conſecuturi ſunt tum gloriam animæ, tum etiam corporis: ſpirituale itaque corpus debebat in Chriſto præcedere.*

h Secuturum eſt in membris ejus.] *Philip. 3.* Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. *Quemadmodum enim meruit membris ſuis cætera dona ſupernaturalia, ita & reſurrectionem corporis in gloria, & reſurrectio ipſa Chriſti cauſa eſt noſtræ reſurrectionis, ut docet D. Thom. 3. p. q. 56. art. 1.*

i Quem cœleſtem hominem vult intelligi.] *Nonnulli hæretici perperam interpretati ſunt hunc locum, ut dicatur* cœleſtis, *quia corpus cœleſte habuit & non terrenum, ut Valentinus, teſte D. Auguſt. hæreſ. 11. & Tertulliano lib. de præſcript. cap. 49. & Gnoſtici apud Irenæum lib. 1. cap. 5. Hoc loco docet, dici Chriſtum* hominem cœleſtem, quia de cœlo venit, ut terrenæ mortalitatis corpore veſtiretur, quod cœleſti immortalitate veſtiret. *Ita cœleſtes appellat juſtos, quia ſiunt per gratiam ejus membra, & hi ſunt, quorum converſatio eſt in cœlis, qui quæ ſurſum ſunt, quærunt. Dicitur cœleſtis homo Chriſtus, quia impeccabilis fuit omnino, & cœleſtem vitam vixit; Adam dicitur terrenus, utpote ſubditus peccato. Ita Tertull. lib. de car. Chriſti, cap. 8. Secundo dicitur Chriſtus homo cœleſtis propter gloriam, quam habuit à principio, etſi enim illam in corpore non habuerit usque ad reſurrectionem, illi tamen erat debita & connaturalis, primus verò homo dicitur terrenus propter mortalitatem contractam ex peccato. Hæc interpretatio colligitur ex hoc cap. & eſt etiam D. Chryſoſt. homil. 42. in 1. ad Corint. & Tertull. lib. de reſurrect. carnis cap. 49. & ſeqq. Tertio dicitur homo cœleſtis ratione divini ſuppoſiti: qua ratione dicitur etiam de cœlo deſcendiſſe Joan. 3. & 6. Ita D. Nazianz. oratio 51. dicitur poſtremo cœleſtis propter ineffabilem modum conceptionis ſupra totum naturæ ordinem cœleſti quadam virtute effecta; ita exponit Hilarius lib. 10. de Trinit. & D. Auguſt. Dialog. ad Oroſium quæſt. 4. & D. Thom. 3. p q. 5. art. 2. ad 1.*

k Non quia omnes qui in Adam moriuntur, membra erunt Chriſti.] *Idem epiſt. 57. ad Dardanum etiam circa eadem verba Apoſtoli,* ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur. Omnes & omnes ideo dixit *(inquit)* quia in mortem nemo niſi per illum, in vitam nemo niſi per iſtum. *& lib. 6. contra Julian. cap. 12. ita interpretatur hunc locum Apoſtoli,* Quia omnes ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Chriſtum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur, *id eſt,* ex prima origine generis humani nemo ad mortem niſi per Adam, & nemo per Adam niſi ad mortem: & nemo ad vitam, niſi per Chriſtum, & nemo per Chriſtum niſi ad vitam.

Cap.

CAP. XXIV.

Qualiter accipienda ſit vel illa inſufflatio, in qua primus homo factus eſt in animam viventem, vel illa quam dominus fecit, dicens: Accipite Spiritum ſanctum.

UNde α & illud parum conſideratè quibuſdam viſum eſt in eo quod legitur: β *Inſpiravit Deus in faciem ejus ſpiritum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem:* α non tunc animam primo homini datam, ſed eam quæ jam inerat Spiritu ſancto vivificatam. Movet enim eos, quod Dominus Jeſus poſteaquam reſurrexit à mortuis, inſufflavit, γ dicens diſcipulis ſuis: *Accipite Spiritum ſanctum.* Unde tale aliquid exiſtimant factum, quale tunc factum eſt, quaſi & hic ſecutus Evangeliſta dixerit: Et facti ſunt in animam viventem. Quod quidem ſi dictum eſſet, hoc intelligeremus, quod animarum quædam vita ſit Spiritus Dei, ſine quo animæ rationales mortuæ deputandæ ſunt, quamvis earum præſentia vivere corpora videantur. Sed non ita factum, quando eſt conditus homo, ſatis ipſa libri verba teſtantur, quæ ita ſe habent: *b* δ *Et formavit Deus hominem pulverem de terra.* Quod quidam planius interpretandum putantes dixerunt, *c Et finxit Deus hominem de limo terræ:* quoniam ſuperiùs dictum fuerat, *Fons autem aſcendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ:* ut ex hoc limus intelligendus videretur, humore ſcilicet terraque concretus. Ubi enim hoc dictum eſt, continuò ſequitur, *Et formavit Deus hominem pulverem de terra:* ſicut Græci codices habent, *d* ε unde in Latinam linguam ſcriptura ipſa converſa eſt. Sive autem formavit, ſive finxit, quis dicere voluerit, quod Græcè dicitur ἔπλασεν, ad rem nihil intereſt, *e* magis tamen propriè dicitur finxit, Sed ambiguitas viſa eſt devitanda eis, qui formavit dicere maluerunt: eo quòd in Latina lingua illud magis obtinuit conſuetudo, *f* ut hi dicantur *fingere,* ζ qui aliquid mendacio ſimulante componunt. Hunc igitur formatum hominem de terræ pulvere, ſive limo, erat enim pulvis humectus: hunc inquam, ut expreſſius dicam, ſicut ſcriptura locuta eſt, pulverem de terra, animale corpus factum eſſe docet Apoſtolus, cùm animam accepit. *Et factus eſt iſte homo in animam viventem,* id eſt, formatus iſte pulvis factus eſt in animam viventem. Jam, inquiunt, η habebat animam, alioquin non appellaretur homo: quoniam homo non eſt corpus ſolum, vel anima ſola, ſed qui ex anima conſtat & corpore. Hoc quidem verum eſt, quòd non totus homo, ſed pars melior hominis anima eſt: nec totus homo corpus, ſed inferior hominis pars eſt. Sed cùm eſt utrumque conjunctum ſimul, habet hominis nomen, quod tamen ſingula non amittunt, etiam cum de ſingulis loquimur. Quis enim dicere prohibetur quotidiani quadam lege ſermonis, homo ille defunctus eſt, & nunc in requie eſt, vel in pœnis, cùm de anima ſola poſſit hoc dici: & illo aut illo loco homo ille ſepultus eſt, cum hoc niſi de ſolo corpore non poſſit intelligi? An dicturi ſunt, ſic loqui ſcripturam non ſolere divinam? Imò verò illa ita nobis in hoc atteſtatur, ut etiam cùm duo iſta conjuncta ſunt, & vivit homo, tamen etiam ſingula hominis vocabulo appellet, animam

Gen. 2.

Ioh. 20.

Gen. 2.

ſcilicet interiorem hominem, corpus verò exteriorem hominem vocans, tanquam duo ſint homines, cùm ſimul utrunque ſit homo unus. *f* Sed intelligendum eſt, ſecundùm quid dicatur homo ad imaginem Dei, & homo de terra atque iturus in terram. Illud enim ſecundùm animam rationalem dicitur, qualem Deus inſufflando, vel ſi commodius dicitur, inſpirando indidit homini, id eſt, hominis corpori: hoc autem ſecundùm corpus: qualem hominem Deus finxit ex pulvere, cui data eſt anima ut fieret corpus animale, id eſt, homo in animam viventem, quapropter in eo quod Dominus fecit, quando inſufflavit dicens: *Accipite Spiritum ſanctum:* nimirum hoc intelligi voluit, quod Spiritus ſanctus non tantùm ſit Patris, verum etiam unigenti ipſius ſpiritus. Idem ipſe quippe Spiritus eſt Patris & Filii, cum quo eſt Trinitas Pater & Filius & Spiritus ſanctus, non creatura, ſed creator. Neque enim flatus ille corporeus de carnis ore procedens ſubſtantia erat Spiritus ſancti atque natura, *ι* ſed potius ſignificatio, qua intelligeremus, ut dixi, Spiritum ſanctum Patri eſſe Filioque communem: quia *κ* non ſunt eis ſinguli ſinguli, ſed unus amborum eſt. Semper autem iſte Spiritus *λ* in Scripturis ſanctis Græco vocabulo πνεῦμα dicitur, ſicut eum & hoc loco Dominus appellavit, quando eum corporalis ſui oris flatu ſignificans, diſcipulis ſuis dedit: & locis omnibus divinorum eloquiorum non mihi aliter unquam nuncupatus occurrit. Hic verò, ubi legitur: Et finxit Deus hominem pulverem de terra, & inſufflavit ſive inſpiravit in faciem ejus ſpiritum vitæ, *g μ* non ait Græcus πνεῦμα, quod ſolet dici Spiritus ſanctus, ſed πνοὴν: quod nomen in creatura quàm in creatore frequentius legitur: unde nonnulli etiam Latini propter differentiam hoc vocabulum non ſpiritum, ſed flatum appellare maluerunt. Hoc enim eſt in Græco, etiam illo loco apud Eſaiam ubi Deus dicit, *h ν Omnem flatum ego feci,* omnem animam ſine dubitatione ſignificans. Quod itaque Græcè πνοὴ dicitur, noſtri aliquando flatum, aliquando ſpiritum, aliquando inſpirationem ſive aſpirationem, *i* aliquando etiam animam interpretati ſunt, πνεῦμα verò nunquam niſi ſpiritum: ſive hominis, de quo ait Apoſtolus: *Quis enim ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Sive pecoris, ſicut in Salomonis libro ſcriptum eſt: *Quis ſcit ſi ſpiritus hominis aſcendat ſurſum in cælum, & ſpiritus pecoris deſcendat deorſum in terram?* Sive iſtum corporeum, qui etiam ventus dicitur: nam ejus hoc nomen eſt, ubi in Pſalmo canitur: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis.* Sive jam non creatum, ſed creatorem, ſicut eſt de quo dicit Dominus in Evangelio: Accipite Spiritum ſanctum, eum corporeo ſui oris ſignificans flatu: & ubi ait: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ubi ipſa Trinitas excellentiſſimè & evidentiſſimè commendata eſt. Et ubi legitur: Deus ſpiritus eſt. Et aliis plurimis ſacrarum literarum locis. In his quippe omnibus teſtimoniis ſcripturarum, quantum ad Græcos attinet, non πνοὴν videmus ſcriptum eſſe, ſed πνεῦμα: quantum autem ad Latinos non flatum, ſed ſpiritum. Quapropter in eo quod ſcriptum eſt, Inſpiravit: vel ſi magis propriè dicendum eſt, *Inſufflavit in faciem ejus ſpiritum vitæ,* ſi Græcus non πνοὴν, ſicut ibi legitur, ſed πνεῦμα poſuiſſet, *ξ* nec ſic eſſet conſequens, ut crea-

torem

torem ſpiritum, qui propriè dicitur in Trinitate Spiritus ſanctus, intelligere cogeremur: quandoquidem πνεῦμα, ut dictum eſt, non ſolùm de creatore, ſed etiam de creatura dici ſolere manifeſtum eſt. Sed cùm dixiſſet, inquiunt, *ſpiritum*, non adderet *vitæ*, niſi illum Spiritum ſanctum vellet intelligi. Et cum dixiſſet: *Factus eſt homo in animam*: non adderet, *viventem*, niſi animæ vitam ſignificaret, quæ illi divinitus impertitur dono ſpiritus Dei. Cùm enim vivat anima, inquiunt, proprio ſuo vitæ modo, quid opus erat addere viventem, niſi ut ea vita intelligeretur, quæ illi per Spiritum ſanctum datur? Hoc quid eſt aliud niſi diligenter pro humana ſuſpicione contendere, & ſcripturas ſanctas negligenter attendere? Quid enim magnum erat non ire longius, ſed in eodem libro ipſo paulò ſuperius legere: *Producat terra animam viventem*, quando animantia terreſtria cuncta creata ſunt? Deinde aliquantis interpoſitis, in eodem tamen ipſo libro quid magnum erat advertere quod ſcriptum eſt, Et *omnia quæ habent ſpiritum vitæ, & omnis qui erat ſuper aridam mortuus eſt*: cùm inſinuaret omnia quæ vivebant in terra periiſſe diluvio? Si ergo & animam viventem, & ſpiritum vitæ etiam in pecoribus invenimus: ſicut loqui divina ſcriptura conſuevit, & cùm hoc quoque loco ubi legitur, omnia quæ habent ſpiritum vitæ, non Græcus πνεῦμα, ſed πνοὴν dixerit: cur non dicimus, quid opus erat ut adderet, viventem, cùm anima niſi vivat, eſſe non poſſit? Aut quid opus erat ut adderet vitæ, cùm dixiſſet ſpiritum? Sed intelligimus ſpiritum vitæ, & animam viventem ſcripturam ſuo more dixiſſe, cùm animalia, id eſt corpora animata vellet intelligi, quibus ineſſet per animam perſpicuus iſte etiam corporis ſenſus. In hominis autem conditione obliviſcimur, quemadmodum loqui ſcriptura conſueverit, cùm ſuo prorſus more locuta ſit: quo inſinuaret hominem etiam rationali anima accepta, quam & non ſicut aliarum carnium aquis & terra producentibus, ſed Deo flante creatam voluit intelligi: ſic tamen factum, ut in corpore animali quod fit anima in eo vivente, ſicut illa animalia viveret, de quibus dixit: Producat terra animam viventem: & quæ itidem dixiſſet habuiſſe in ſe ſpiritum vitæ: ubi etiam in Græco non dixit πνεῦμα, ſed πνοὴν, non utique Spiritum ſanctum, ſed eorum animam tali exprimens nomine. *o* Si † enim Dei flatus, inquiunt, Dei ore exiſſe intelligitur, quem ſi animam crediderimus, conſequens erit, *l* ut ejuſdem fateamur eſſe ſubſtantiæ, paremque illius ſapientiæ, quæ dicit: *Ego ex ore altiſſimi prodivi*. Non quidem dixit ſapientia, ore Dei efflatam ſe fuiſſe, ſed ex ejus ore prodiſſe. Sicut autem nos poſſumus, non de noſtra natura qua homines ſumus, ſed de iſto aëre circumfuſo, quem ſpirando ac reſpiarndo ducimus ac reddimus, flatum facere cum ſufflamus: ita omnipotens Deus non de ſua natura, neque de ſubjacenti creatura, ſed etiam de nihilo potuit facere flatum, quem corpori hominis inſerendo inſpiraſſe vel inſufflaſſe convenientiſſimè dictus eſt, incorporeus incorporeum, ſed immutabilis mutabilem: quia non creatus creatum. Verum tamen ut ſciant iſti, qui de ſcripturis loqui volunt & ſcripturarum locutiones non advertunt: non hoc ſolum dici exire ex ore Dei, quod eſt æqualis ejuſdemque naturæ, audiant, vel legant, quod Deo dicente ſcriptum eſt: *Quoniam tepidus es*

al. Sed. *Eccl. 24.* *Apoc. 3.*

dus es, & neque calidus neque frigidus, incipiam te evomere ex ore meo. Nulla itaque cauſa eſt, cur apertiſſimè loquenti reſiſtamus Apoſtolo, ubi ab ſpiritali corpore corpus animale diſcernens, id eſt ab illo, in quo futuri ſumus, hoc in quo
1.Cor.15. nunc ſumus, ait, *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale: ſi eſt corpus animale, eſt & ſpiritale, ſicut ſcriptum eſt, Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem: ſed non primum quod ſpiritale eſt ſed quod animale, poſtea quod ſpiritale. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus & imaginem ejus qui de cœlo eſt.* De quibus omnibus apoſtolicis verbis ſuperiùs locuti ſumus. Corpus igitur animale, in quo primum hominem Adam factum eſſe dicit Apoſtolus, ſic erat factum, non ut mori omnino non poſſet, ſed ut non moreretur niſi homo peccaſſet. Nam illud quod ſpiritu vivificante ſpiritale erit & immortale, mori omnino non poterit: ſicut anima creata eſt immortalis, quæ licet peccato mortua perhibeatur carens quadam vita ſua, hoc eſt Dei ſpiritu, quo etiam ſapienter & beatè vivere poterat: tamen propria quadam, licet miſera vita ſua non deſinit vivere: quia immortalis eſt creata. Sicut etiam deſertores angeli, licet ſecundùm modum quendam mortui ſint peccando: quia fontem vitæ deſeruerunt, qui Deus eſt, quem potando, ſapienter beateque poterant vivere: tamen non ſic mori potuerunt, ut omnino deſiſterent vivere atque ſentire. ⁊ quoniam immortales creati ſunt, atque ita in ſecundam mortem poſt ultimum præcipitabuntur judicium, ut nec illic vita careant: quandoquidem etiam ſenſu, cum in doloribus futuri ſunt, non carebunt. Sed homines ad Dei gratiam pertinentes cives ſanctorum angelorum in beata vita manentium, ita ſpiritalibus corporibus induentur, ut neque peccent amplius, neque moriantur: ea tamen immortalitate veſtiti, quæ ſicut angelorum nec peccato poſſint auferri. natura quidem manente carnis, ſed nulla omnino carnali corruptibilitate vel tarditate remanente. Sequitur autem quæſtio neceſſario pertractanda, & domino Deo veritatis adjuvante ſolvenda. Si libido membrorum inobedientium ex peccato inobedientiæ in illis primis hominibus cum illos divina gratia deſeruiſſet, exorta eſt: unde in ſuam nuditatem oculos aperuerunt, id eſt, eam curioſius adverterunt: & quia impudens motus voluntatis arbitrio reſiſtebat, pudenda texerunt: quomodo eſſent filios propagaturi, ſi ut creati fuerant, ſine prævaricatione manſiſſent. Sed quia & liber iſte claudendus eſt, nec tanta quæſtio in ſermonis anguſtias coartanda, in eum qui ſequitur commodiore diſputatione differatur.

L. Vives. a NOn tunc animam primo homini datam.] *Hæc fuit Manichæorum opinio, ut ipſe Auguſtinus diſputat, lib. 2. de Geneſi contra Manichæos, cap. 8.*

b Et formavit Deus hominem pulverem de terra.] *Septuaginta ſic verterunt:* καὶ ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς. *Et finxit Deus hominem pulvere de terra ſumpto. Suſpicor, hoc Auguſtini loco deeſſe unum verbum, ut ſit: Finxit Deus hominem pulverem capiens de terra. Aut in ablativo, pulvere capto de terra. Nam Laurini codex pulvere habet. Tametſi in Targo Chaldæo legitur: Creavit Deus*

homi-

hominem pulverem de terra, ut eſt in Bibliis, quæ linguis quatuor edi curavit Cardinalis Ximenus, qui Croium meum præceſſit, adjutus cùm aliis doctis nonnullis, tum præcipuè, quantum ad Græcitatem attinet, ab Joanne Vergara, viro eruditione tam rara, quàm vulgò incognita: & quod eam ad rem permagni referebat, judicio ſaniſſimo, ac ſupra quàm dici poſſit exacto. Horum Pentateuchum accommodavit mihi eximius ſui ordinis Ludovicus Coronellus Theologus, paſſusq́; eſt ſe libro in primis ſibi neceſſario tam diu carere, dum publicæ utilitati, cui hoc quicquid eſt operis, à nobis elaboratur, ſerviret.

c Et finxit Deus hominem de limo terræ.] *Sic Hieronymus.*

d Unde in Latinam linguam ſcriptura.] *Oſtendit, olim uſas eccleſias Latinas interpretatione Latina ex Septuaginta verſa, non hac Hieronymi: ut mirer, eſſe qui tantum nefas exiſtiment, translationes attingi, modò ſobriè ac prudenter fiat.*

e Magis tamen propriè dicitur, finxit.] *Sic enim dicitur πλάττειν apud Græcos, ut nos de his loquimur, qui luto aliquid efficiunt, quod fingi vocatur. Eoq́; vocabulo etiam in condendis hominibus magni autores utuntur, ut Saluſtius: Pecora natura prona, atque ventri obedientia finxit. Et apud Ciceronem pro Murena de Catone Minore: Finxit enim te ipſa natura ad honeſtatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, juſtitiam ad omnes denique virtutes magnum hominem & excelſum: & formare certè neſcio an in alia inveniatur mente quàm formam dare.*

*(f Ut hi dicantur fingere.] *Si quis hoc tempore de verbis in opere Theologico ſic diſſereret, pro grammatico rejiceretur. Auguſtinum vetuſtas ſua tuetur, qui ſi reviviſceret cum Paulo, certè ille contemptui eſſet rhetorculus aut grammaticulus. Paulus verò vel inſanire, vel hæreticus videretur.*)*

g Non ait Græcus πνεῦμα, &c. πνοὴν] *Chaldæum habet: Et inſpiravit in faciem ejus animam vitæ, & factus eſt homo in ſpiritum loquentem. Auguſtinus ſatis ex hoc loco declarat, quanti ſit momenti ad omnes artes diſciplinasq́; intelligendas vera & germana vocabulorum cognitio.*

h Omnem flatum ego feci.] *Vulgo legimus, Spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam: Eſaiæ 57. Lxx. verò πνεῦμα γὰρ ἐμοῦ ἐξελεύσεται, καὶ πνοὴν πᾶσαν ἐγὼ ἐποίησα. Animum & animam pro aëre & flatu multi Latinorum poſuerunt. Pro aëre Vergil.*

Semina terrarúmque animæq́; mariſq́; fuiſſent.

Pro flatu & anhelitu Cicero in Acad. Si unus & ſimplex, utrum ſit ignis, an anima, an ſanguis? Et Terentius: Compreſſi animam. Et Plautus: Fœtet anima uxoris tuæ. Et Plinius: Anima leonis virus grave, urſi peſtilens.

i Aliquando etiam animam.] *Hic locus longè aliter ſcribitur in codice Brugenſ. nempe ſic: quando verò Dei dicitur, interpretati ſunt πνεῦμα. πνοὴν verò nunquam niſi ſpiritum etiam. ſed mihi magis placet vulgatior lectio, nec poteſt aliter congruere. nam in Eccleſiaſte, & locis, quæ ex ſacris literis adducit, πνεῦμα eſt Græcè, non πνοή.*

k Non ſicut aliarum carnium aquis & terra producentibus.] *Si dicamus, ſenſiſſe Auguſtinum, hominis animam non in corpore generari, ſed foris à Deo immitti:*

quod videtur Ariſtoteles in libris de generatione animalium voluiſſe, cùm eam ait foris venire, & foras abire: ea ſententia multi recentiores damnantur, & inprimis S. Thomas. Sin intelligamus non eodem modo generari hanc, qua mortales, quod illa vi materiæ ita habitæ imbantur, rationalis divinitus ibi creetur, nulla materia potente illam in ſe virtute ſua ingignere tunc commune hoc erit cum omnibus, atque in hunc modum dictum illud Ariſtotelis acciperent: quod profectò convenire nec dicto ejus videtur, cùm foris dicit venire: nec dogmatis qui immortale eſſe ingenitum contendit: ſi modò explorata eſt Ariſtotelis de anima noſtra ſententia, de quo video inter veteres interpretes magnopere dubitari.

l Ut ejusdem fateamur eſſe ſubſtantiæ.] *Humanam animam de ſubſtantia eſſe Dei, non ſolùm gentilium plerique philoſophorum exiſtimarunt, ſicut aliàs eſt per nos oſtenſum, ſed & ex Chriſtianis nonnulli: nec ſolùm hæretici, ut Priſcillianiſtæ, & alii nonnulli, ſed homo Chriſtiano pectore Lactantius, non quòd in hoc vel à me, vel à quoquam rectius ſapiente comprobetur, ſed quòd magno in Chriſtum ardore videbatur flagrare. Neque enim ob unum aut alterum erratum averſatur tendentem ad ſe Chriſtus: præſertim ubi mens intenta ſemper eſt in ſcopum illum veræ pietatis. Verba Lactantii hæc ſunt lib. 2. Inſtit. divin. Ficto enim corpore ſpiravit ei animam de vitali fonte ſpiritus ſui, qui eſt perennis. Quibus velle videtur, animam de ſpiritu Dei in hominem demanaſſe.*

F.L.Coq. *a* Unde illud non parum conſideratè.] *Redarguit quorumdam errorem qui colligebant, animam hominis non tunc primum factam fuiſſe, cum Deus in faciem Adami inſpiravit, ſed animam, quæ jam in homine erat, per Spiritum ſanctum fuiſſe vivificatam, quemadmodum Joan. 20. non dedit Chriſtus Apoſtolis animam, ſed jam datam Spiritu ſancto vivificavit: Et verba Geneſ. 2.* Inſpiravit in faciem ejus ſpiritum vitæ, ita interpretabantur, *ut illud* ſpiraculum vitæ, *quod Hebraicè* נשמת חיים, *quæ vox Hebræa ſignificat* Flatum, Halitum, Spiritum, *vellent eſſe Spiritum ſanctum, ut non tunc primus homo productus fuerit corpore & anima conſtans, ſed ei jam formato Deus tum intelligatur largitus Spiritum ſanctum, quo ejus vivificaretur anima. Meminit ejusdem erroris lib. 2. de Geneſ. contra Manichæos c. 8.*

β Inſpiravit in faciem ejus.] *Auguſt. loco citato inſpirationem ſeu inſufflationem illam operationem Dei interpretatur, qua fecit animam in homine ſpiritu potentiæ ſuæ.*

γ Inſufflavit dicens diſcipulis ſuis.] *D. Cyrillus lib. 12. in Joann. cap. 56. dicit, Chriſtum inſufflaſſe in Apòſtolos, cum daturus eſſet Spiritum ſanctum,* Ut oſtenderet ſe eundem eſſe, qui à principio homini inſufflando animam dedit. *Geneſ. 2.* Inſpiravit in faciem ejus, ut idem nimirum intelligatur creator hominis à principio author vitæ corporalis, per infuſionem animæ, & tandem author vitæ ſpiritualis per infuſionem Spiritus ſancti. *Idem etiam D. Athanaſius obſervavit quæſt. 29. ad dicta & interpretationes parabolar. ſacræ ſcripturæ,* ὥσπερ ἐπὶ τοῦ τυφλοῦ ἐποίησε πηλὸν καὶ ἐπέχρισε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ἵνα δείξῃ, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ πλάσας κατ' ἀρχὰς τὸν ἄνθρωπον ἐκ τοῦ πηλοῦ, τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ τοῖς μαθηταῖς ἐνεφύσησε, δεικνὺς ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ δοὺς πνοὴν καὶ ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις διὰ τοῦ παλαιοῦ ἐμ-

φυσήμα-

φυσήματος, ὃ πρὸς τὸν Ἀδάμ. *id eſt,* Quemadmodum ſuper cæco fecit lutum, & ejus oculos illinivit, ut oſtenderet quod ipſe ſit, qui ab initio formavit hominem ex luto, ad eundem modum flavit etiam in diſcipulos, declarans ſe eſſe, qui ſpiritum det & vitam hominibus per primitivam illam inſpirationem, quam in Adam inſpiravit.

δ Formavit Deus hominem pulverem de terra.] *Ita legit etiam lib. 6. & 7. de Geneſ. ad liter. cap. 1. & Tertullianus lib. de reſurrect. carnis.* Limum de terra; *ita ad verbum Hebræus textus.* וייצר יהוה אלהים את־האדם עפר. *Græci etiam Codices ſic habent,* καὶ ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς, *quæ ita transfert;* & formavit Deus hominem pulverem de terra.

ε Unde in Latinam linguam ſcriptura ipſa.] *Interpretatione enim Latina ſecundùm translationem LXX. tum Eccleſia utebatur, & nec dum ex Hebræo tranſtulerat D. Hieronymus in Latinam linguam, aut certe illius translatio nondum recepta erat in Eccleſia. Nam, ut ſcribit Epiſt. 19. ad eundem, nolebant illius interpretationem ex Hebræo in Eccleſiis legi, ne ſi contra ſeptuaginta authoritatem tanquam novum aliquod proferretur, magno ſcandalo perturbarentur plebes Chriſti, quarum aures & corda illam interpretationem audire conſueverant, quæ etiam ab Apoſtolis comprobata eſt. Converſionem autem ex ſeptuaginta in Latinam linguam meo judicio Italicam intelligit,* quæ *ut idem author eſt lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 15.* cæteris Latinis interpretationibus præferebatur, ut quæ eſſet verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ.

ζ Fingere qui aliquid mendacio ſimulante componunt.] *Uſurpatur quidem in eo ſignificatu, ſed tamen & compono, & formo apud Claſſicos auctores ſignificat. Saluſtius in Catilin.* Quæ natura ventri prona atque obedientia finxit. *Lactant. lib. 1.* Homines deorum ſimulacra finxerunt, *quibus locis formare & componere ſignificat.*

η Jam, inquiunt, habebat animam.] *Hoc eſt argumentum quo nitebantur. Homo enim cum conſtet anima & corpore, certè ubi dicitur factus homo in animam viventem, videtur per animam illam viventem non poſſe intelligi anima ipſa, aliàs non diceretur homo. Cui reſpondet ex more loquendi ſcripturæ, & ex quotidiano uſu loquendi id dictum eſſe, quo homo ipſe intelligitur nomine utriusque partis, & corporis, & animæ; ita deinde exponit, ut pulvis iſte formatus ſit in animam viventem.*

θ Sed intelligendum eſt ſecundum quod dicatur homo.] *Cum duabus partibus homo conſtet, corpore & anima, & utraque ſeorſim dicatur homo, & apud Apoſtolum corpus dicatur homo exterior, anima interior, & in Geneſi dicatur* homo factus ad imaginem Dei, *& dicatur in pulverem reverſurus,* illud *(inquit)* intelligendum eſt ſecundùm animam rationalem, hoc ſecundùm corpus. *Futile itaque erat argumentum Anthropomorphitarum, de quibus Nicephor. lib. 11. cap. 14. & lib. 13. cap. 10. qui figuram humani corporis Deo tribuebant, eo verò argumento imprimis nitebantur, quod ſcriptura non dicat tantum animam hominis, ſed ipſum hominem factum ad imaginem Dei; non igitur ſecundùm animam tantùm, ſed etiam ſecundùm corpus homo ſimilis eſt Deo. Verùm ut hic obſervavit D. Auguſtinus, uſitatum*

eſt in ſcripturis totum aliquid dici tale ex eo, quod uni alicujus parti convenit; hominem verò non eſſe ad imaginem Dei ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animam, oſtendunt etiam Baſil. hom. 10. in Hexam. & Ambroſ. cap. 8 lib. 6. Hexam. D. Auguſt. etiam lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos cap. 7. refutat Manichæos, inſultantes Catholicis, quaſi credentibus, hominem eſſe factum ad imaginem Dei, quaſi Deus figuram habeat humani corporis, oſtenditque ibi, hominem gerere Dei imaginem non corpore, ſed animo. Ex ipſa tamen ſtatura & forma corporis humani admonetur homo, animum, qui in ipſo eſt, eſſe creatum ad imaginem Dei. quod ipſe declarat lib. 6. de Geneſ. ad liter. cap. 12. Si & hominem de terra, & beſtias de terra ipſa formavit, quid habet homo excellentius illis, niſi quod ipſe ad imaginem Dei creatus eſt? Nec hoc habet ſecundùm corpus, ſed ſecundùm intellectum mentis: quanquam in ipſo corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet quod erecta ſtatura factus eſt, ut hoc ipſo admoneretur, non ſibi terrena eſſe ſectanda, veluti ſectantur pecora, quorum omnis voluptas in terra eſt.

ι Sed potius ſignificatio qua intelligeremus Spiritum ſanctum.] *Id etiam ſignificatum eſſe ea inſufflatione, docet lib. 10. de Geneſ. ad liter. cap. 5.* Neque enim, *inquit*, flatus ille ex corpore Domini ſubſtantia erat Spiritus ſancti, quando ſufflavit & ait, Accipite Spiritum ſanctum; ſed utique ſignificatum eſt hic, etiam ab ipſo procedere Spiritum ſanctum, quomodo ab ejus corpore flatus ille proceſſit, *& lib. 4. de Trinit. cap. 20. ait*, inde demonſtratum per congruam ſignificationem, non tantùm à Patre, ſed à Filio procedere Spiritum ſanctum.

κ Non ſunt eis ſingulis ſinguli, ſed unus amborum eſt.] *Quemadmodum enim unicum verbum procedit in divinis perfectiſſimum ex intellectu paterno, ita ex amore utriusque procedit tertia perſona, quæ eſt Spiritus ſanctus, qui dicitur donum & amor. Videndus D. Thomas cum ſuis interpretibus 1. p. q. 27. art. 5. ubi oſtendit, non poſſe eſſe plures proceſſiones in divinis quàm duas, & qu. 14. art. 6. ubi oſtendit, actus notionales ad plures perſonas terminari non poſſe.*

λ In ſcripturis ſanctis Græco vocabulo πνεῦμα dicitur.] *Certè in ſacris literis quoties huic nomini præponitur articulus, ferè de Spiritu ſancto intelligendum obſervavit Didymus lib. 1. de Spiritu ſancto, & D. Athanaſ. Epiſt. ad Serapionem contra eos, qui dicunt, Spiritum ſanctum creaturam eſſe.*

μ Non ait Græcus πνεῦμα, ſed πνοὴν, quod nomen in creatura.] *Aliquando etiam πνοὴν de Spiritu ſancto apud Patres dici obſervabam. Nam Athanaſ. in Epiſt. ad Serapio. Spiritũ S. vocat, πνοὴν τοῦ υἱοῦ, halitũ filii: Et ipſe D. Auguſtinus lib. 1. de anima & ejus origine cap. 14. locum Iſaiæ 42.* Dans flatum populo, qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam. *Ubi LXX. habent διδοὺς πνοὴν τῷ λαῷ τῷ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ πνεῦμα τοῖς πατοῦσιν αὐτήν, ait illo* ſcripturæ loco non aliud eſſe flatum, aliud ſpiritum, πνοὴν καὶ πνεῦμα, ſed ejusdem ſententiæ repetitionem, *ubi ſcribis de Spiritu ſancto intelligi poſſe.*

ν Omnem flatum ego feci, omnem animam.] *Ita etiam interpretatur lib. 1. de anima & ejus origine cap. 14. Epiſt. 146. ad Conſentium, & 157. ad Optatum.*

ξ Nec ſic eſſet conſequens ut creatorem ſpiritum.] *Æquivocum enim eſſe nomen*

men

men πνεῦμα *apud Græcos, quemadmodum nomen* ſpiritus *apud Latinos, docet Cyrillus Hieroſolymitan. catech. 16. & Athanaſius tractat. de definit. Didymus lib. 1. de Spiritu ſancto, & Damaſcenus lib. 1. fidei orthodoxæ cap. 8.*

o Si enim Dei flatus *(inquiunt)* Dei ore.] *Creatio animæ rationalis vocabulo inſpirationis ſeu inflationis ſignificatur; primo ut placet Theodoreto, quo intelligatur, tam facilem eſſe Deo creationem animæ rationalis, quàm facile eſt homini ex ore ſuo flatum emittere. Secundo ut hinc intelligamus, naturam rationalem non educi de potentia materiæ, ſed aliunde corpori advenire, ex nihilo ſcil. à Deo creatam, ideoque immaterialem eſſe & immortalem. Deinde ut intelligeremus, animam ipſam non praexiſtere corpori, ſed ſimul creari à Deo, & infundi corpori: nam vocabulo inſpirationis ſeu ſufflationis utrumque ſignificatum eſt, & creatio animæ rationalis & infuſio ejus in corpus. Sic etiam ſignificata eſt præſtantia ipſius animæ rationalis præ cæteris, quæ ſunt reliquorum animantium. At quia flatus provenit ex corpore flantis, ideo nonnulli falſo ſibi perſuaſerunt, hominis animam ex ſubſtantia Dei eſſe creatam, & ita videtur ſentire Lactantius lib. 2. divin. Inſti. Verùm ille flatus corporeus non eſt intelligendus, & qui ſpirat etiam aliquid, non emittit de propria ſubſtantia. Vide D. Thom. 1. p. quæſt. 90. art. 1. & hic egregiè D. Auguſtinus, qui & epiſtola 146. ad Conſentium quærens,* utrum Dei flatus ille in Adam idem ipſe ſit anima, *breviter reſpondet,* anima ipſe eſt, aut ipſe anima facta eſt, ſed & ſi ipſe eſt, factus eſt, de anima quippe loquitur per Iſaiam prophetam Deus. Omnem flatum ego feci, *&c.*

π Quoniam immortales creati ſunt.] *Sunt enim omnino incorporei & immateriales, & ab intrinſeco omnino incorruptibiles, licet non ſint entia abſolutè neceſſaria; quemadmodum enim per creationem à Deo acceperunt eſſe, ita etiam poſſent ab eodem omnino redigi in nihilum. Hæc doctrina D. Auguſtini eſt etiam D. Dionyſii cap. 4. & 6. de divin. nomin. & Sophronii in epiſtola quæ habetur 6. Synodo act. 11. D. Nazianzeni orat. 2. de Theologia. Gregorii 5. Moralium cap. 25. Theodoreti lib. divin. decret. cap. de Angelis. Euſebii lib. 3. de præpar. cap. 3. Ita de intelligentiis ſenſit Ariſtoteles lib. 12. metaphyſic. text. 44. & 4. de cœlo text. 36. Alii etiam Philoſophi apud Eugubinum lib. 8. de perenni philoſophia: quemadmodum enim ex Dei voluntate acceperunt eſſe, ita etiam ex Dei voluntate conſervantur in eſſe, ut non ſint entia neceſſaria neceſſitate abſoluta, quam logicam vocant, ſed neceſſitate phyſica. Solus enim Deus omnimodo eſt neceſſarius, qua ratione dicitur:* Solus habere immortalitatem, *1. Timoth. 6. per quam omnimoda immutabilitas & neceſſitas eſſendi ſignificata eſt.*

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI *AD MARCELLINUM* DE CIVITATE DEI

LIBER XIV.

Cap. I.

Per inobedientiam primi hominis in ſecundæ mortis perpetuitatem ruituros omnes fuiſſe, niſi multos Dei gratia liberaret.

Mors unde. DIximus jam in ſuperioribus libris, ad humanum genus non ſolùm naturæ ſimilitudine ſociandum, verum etiam quadam cognationis neceſſitudine in unitatem concordem pacis vinculo colligandum, ex homine uno Deum voluiſſe homines inſtituere: neque hoc genus fuiſſe in ſingulis quibusque moriturum, niſi duo primi quorum creatus eſt unus ex nullo, alter ex illo, id inobedientia meruiſſent: α à quibus admiſſum eſt tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in poſteros obligatione peccati & mortis neceſſitate tranſmiſſa. β Mortis autem regnum in homines uſque adeò dominatum eſt, ut omnes in ſecundam quoque mortem, cujus nullus eſt finis, pœna debita præcipites ageret, γ niſi inde quosdam *a* indebita Dei gratia liberaret: ac per hoc factum eſt, ut cùm tot tantæque gentes per terrarum orbem diverſis ritibus moribusque viventes, multiplici linguarum, armorum, veſtium ſint varietate diſtinctæ: δ non tamen amplius quàm duo quædam genera humanæ ſocietatis exiſterent, quas civitates duas ſecundum ſcripturas noſtras meritò appellare poſſumus. Una quippe eſt hominum ſecundum carnem, altera ſecundum ſpiritum vivere in ſui cujusque generis pace volentium: & cùm id quod expetunt aſſequuntur, in ſui cujusque generis pace viventium.

L. Vives. *a* INdebita Dei gratia.] *Nemini enim debet Deus, ideoq; gratia in uno ſenſu dicitur, quòd gratis detur: in altero, quòd gratum faciat eum cui adhæſerit. Paulus ad Rom. 11. Quis dedit illi prior, & retribuetur ei? Nam ſi deberet, non faceret, ſed referret gratiam. Et ad Titum idem Apoſtolus: Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.*

F.L. Coq. α AQuibus admiſſum eſt tam grave peccatum] *Hæc duo à Theologis diſputantur,* An peccatum Adami fuerit omnium graviſſimum, *&* quod fuerit peccatum gravius, Adami an Evæ, *de quibus D. Thomas 2. 2. quæſt. 163. articul. 3. & 4. & cæteri Theologi 2. Diſtinct. 21. Bellarminus lib. 3. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati, Pererius ad cap. 3. Gen. diſputat. de gravitate peccati primorum hominũ. Quantum ad primũ dici poteſt, peccatum Adami non fuiſſe abſolutè & ſecundùm ſuam ſpeciem omnium graviſſimum. Gravius enim fuiſſet ſi peccaſſet per blaſphemiam & infidelitatem, per contemptum vel odium Dei, peccavit autem per ſuperbiam & inobedienti-*

entiam, quæ opponuntur humilitati & obedientiæ. Peccata enim contra Theologicas virtutes ſunt omnium maxima, quia quemadmodum illæ virtutes habent pro fine & immediato objecto ipſum Deum, ita etiam ipſa peccata quæ illis opponuntur, directè & immediatè ſunt contra Deum. Præterea Adam peccavit contra legem naturalem & contra præceptum de re non per ſe & ſuapte natura mala, ſed indifferenti & in materia levi, in qua tamen Deus potuit obligare ad peccatum mortale: Si tamen damnum quod conſecutum eſt ex eo peccato conſideres, certe fuit quodammodo omnium graviſſimum. Ex eo enim peccato læſa fuit & damnationi addicta tota natura humana, etiam in poſteros obligatione peccati & mortis neceſſitate tranſmiſſa. Accedit quod maxima ingratitudine Adam peccavit, qui tanta fœlicitate in paradiſo fruebatur, & tot gratiæ donis à Deo donatus fuerat. Denique gravius reddit illud peccatum, quod nullam experiretur in ſtatu illo innocentiæ, natura adhuc integra, difficultatem ad bonum vel propenſionem ad malum. Ex quo conſiderat infr. cap. 12. illius peccati gravitatem. Neque verò quia infecta fuerit tota natura humana illo peccato, ſequitur abſolutè, & ſecundum ſuam ſpeciem fuiſſe omnium graviſſimum. Nam ut ſcribit D. Thomas 2. 2. q. 162. art. 5. ad 2. magnitudo pœnæ, quæ conſecuta eſt illud primum peccatum, non correſpondet ei ſecundùm quantitatem propriæ ſpeciei, ſed in quantum fuit primum, quia ex hoc interrupta eſt innocentia primi ſtatus, qua ſubtracta, deordinata eſt tota natura humana.

β Mortis autem regnum.] *Idem Epiſtola 89. dicit, mortis regnum ſolam Dei gratiam abſtuliſſe,* quia regnum mortis, *inquit,* in eis tantum non eſt, qui Chriſti gratia renati ad ejus regnum pertinent; Quod enim reſurgamus à peccato, quod eſt mors animæ, & vivamus juſtitiæ, eſt ex merito Chriſti: quod idem reſurgamus in vitam æternam, beati anima & corpore, non amplius ſubjecti peccato & morti, Chriſti meritis adſcribendum.

γ Niſi inde quoſdam indebita Dei gratia liberavit.] *Idem de corrept. & grat. cap. 10.* Quotquot ex hac ſtirpe Dei gratia liberantur, a damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obſtricti. Unde etiamſi nullus liberaretur, juſtum Dei judicium nemo reprehenderet. Quod ergo pauci in comparatione pereuntium, in ſuo vero numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ ſunt agendæ, quia fit. *Dicitur verò* gratia indebita, quia ſi ex operibus vel meritis redderetur, jam non eſſet gratia. *Et ea eſt conſtans ac perpetua doctrina D. Auguſtini in Pſalm. 49.* Si gratia vocatur, gratis datur. *lib. de natu. & gratia cap. 4.* Hæc gratia Chriſti non meritis redditur, ſed gratis datur, propter quod gratia nominatur: juſtificati, *inquit,* gratis per ſanguinem ipſius. *Libro de gratia & libr. arbitr. cap. 5. id probat multis teſtimoniis ſcripturæ, ubi & refert in Concilio Palæſtino id inter cætera objectum eſſe Pelagio, quod diceret, Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari:* quod ſic alienum eſt, *inquit,* à catholica doctrina, & inimicum gratiæ Chriſti, ut niſi hoc objectum ſibi anathematiſaſſet ipſe, inde anathematiſatus exiiſſet. *Ibi tamen hæreticus ille fictè & falsò anathematiſavit propoſitionem anathemate dignam, & cap. 6. ita concludit.* His & talibus teſtimoniis divinis probatur, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari, quandoquidem non ſolum nullis bonis, ſed etiam

multis

multis malis meritis præcedentibus eam datam eſſe, & quotidie dari videmus: Sed planè cum data fuerit, incipiunt eſſe etiam merita noſtra bona per illam tamen. *Epiſt. 105. ad Sixtum.* Quod eſt meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum noſtrum non in nobis faciat niſi gratia? *Et Epiſt. 106.* Fatemur, gratiam non dari ſecundùm merita noſtra, ut vera ſit gratia. i. e. gratis data per ejus miſericordiam, quis enim prior dedit ei & retribuetur? *ſerm. 15. de verbis Apoſt.* Gratia præcedit meritum, non gratia ex merito, ſed meritum ex gratia. Nam ſi gratia ex merito, emiſti, non gratis accepiſti. *Id docet D. Thom. 1. 2. q. 114. artic. 5. Id definitum in pluribus Conciliis contra Pelagianos, & in Concilio Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 5. & 8.*

δ Non tamen amplius quam duo genera humanæ ſocietatis,] *Ita Apoſtolus alios vocat*, vaſa in honorem, *alios* vaſa in contumeliam, *ex eadem maſſa*, i. e. *natura humana corrupta. nam vel omnes pertinent ad Civitatem Dei, vel certè ad civitatem Diaboli; omnes ſub Chriſto militant, vel ſub Diabolo; omnes vel pertinent ad ſecundum hominem Chriſtum de cælo cæleſtem, vel ad primum Adamum; omnes in univerſum vel ſunt prædeſtinati, vel reprobi, & ut hic loquitur*, Alii ſecundùm carnem, alii ſecundum Spiritum vivunt; *quæ diſtinctio ſumitur ex Divo Paulo Rom. 8.* Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini, ſi Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Et*, non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt, qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſpiritus ſunt, ſapiunt. *&*, vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis.

CAP. II.

De vita carnali, quæ non ex corporis tantùm, ſed etiam ex animi ſit intelligenda vitiis.

PRius α ergo videndum eſt, quid ſit ſecundùm carnem, quid ſecundum ſpiritum vivere. Quiſquis enim hoc, quod diximus, prima fronte inſpicit, vel non recolens, vel minus advertens quemadmodum ſcripturæ ſanctæ loquantur, poteſt putare, philoſophos quidem Epicureos ſecundùm carnem vivere: quia ſummum bonum hominis in corporis voluptate poſuerunt: & ſi qui alii ſunt, qui quoquo modo corporis bonum ſummum bonum eſſe hominis opinati ſunt: & omne eorum vulgus qui non aliquo dogmate, vel eo modo philoſophantur, ſed proclives ad libinem, niſi ex voluptatibus, quas corporeis ſenſibus capiunt, gaudere neſciunt. Stoicos autem qui ſummum bonum hominis in animo ponunt, ſecundùm ſpiritum vivere: quia & hominis animus quid eſt niſi ſpiritus? Sed ſicut loquitur Scriptura divina, ſecundùm carnem vivere utrique monſtrantur. Carnem quippe appellat, non ſolùm corpus terreni atque mortalis animantis: veluti cùm dicit: *Non omnis caro eadem caro, ſed alia quidem hominis, alia autem caro pecoris, alia volucrum, alia piſcium:* ſed aliis multis modis ſignificatione hujus nominis utitur, inter quos varios locutionis modos, ſæpe etiam β ipſum hominem, id eſt, naturam hominis carnem nuncupat, modo locutionis à parte totum

Epicurei.

Stoici.

tum ſignificans, quale eſt: *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* Quid enim hîc voluit intelligi, niſi omnis homo? quod apertius paulò poſt ait: *In lege nemo juſtificabitur.* Et ad Galatas: *Scientes quia non juſtificabitur omnis homo ex operibus legis.* γ Secundùm hoc intelligitur, *Et verbum caro factum eſt:* id eſt homo. Quod non rectè accipientes quidam, *a* δ putaverunt Chriſto humanam animam defuiſſe. Sicut enim à toto pars accipitur, ubi Mariæ Magdalenæ verba in Evangelio leguntur dicentis, *Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum:* cùm de ſola Chriſti carne loqueretur, quam ſepultam de monumento putabat ablatam: ita & à parte totum carne nominata intelligitur homo: ſicut ea ſunt quæ ſuprà commemoravimus. Cùm igitur multis modis, quos perſcrutari & colligere longum eſt, divina Scriptura nuncupet carnem: quid ſit ſecundùm carnem vivere: quod profectò malum eſt, ε cùm ipſa carnis natura non ſit malum, ut indagare poſſimus, inſpiciamus diligenter ζ illum locum epiſtolæ Pauli Apoſtoli, quam ſcripſit ad Galatas, ubi ait: *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt adulteria, fornicationes, immunditia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, b animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, invidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut & prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Iſte totus epiſtolæ Apoſtolicæ locus, quantum ad rem præſentem ſatis eſſe videbitur, conſideratus poterit hanc diſſolvere quæſtionem, quid ſit ſecundùm carnem vivere. In operibus namque carnis, quæ manifeſta eſſe dixit, eaque commemorata damnavit, non illa tantùm invenimus, quæ ad voluptatem pertinent carnis: ſicuti ſunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, ebrietates, comeſſationes: verùm etiam illa quibus animi vitia demonſtrantur, à voluptate carnis aliena. Quis enim ſervitutem quæ idolis exhibetur, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, invidias, non potius intelligat animi vitia eſſe quàm carnis? Quandoquidem fieri poteſt, η ut propter idololatriam vel hæreſis alicujus errorem à voluptatibus carnis temperetur: & tamen etiam tunc homo, quamvis carnis libidine continere atque cohibere videatur, ſecundùm carnem vivere, hac Apoſtolica autoritate convincitur: & in eo quòd abſtinet à voluptatibus carnis, damnabilia opera carnis agere demonſtratur. Quis inimicitias non in animo habeat: aut quis ita loquitur, ut inimico ſuo, vel quem putat inimicum, dicat: malam carnem, ac non potius, malum animum habes adverſum me? Poſtremò ſicut carnalitates, ut ita dicam, ſi quis audiſſet, non dubitaret carni tribuere: ita nemo dubitat animoſitates ad animum pertinere. Cur ergo hæc omnia & his ſimilia doctor gentium in fide & veritate opera carnis appellat, niſi quia eo locutionis modo, quo totum ſignificatur à parte, θ ipſum hominem vult nomine carnis intelligi?

Gal. 3. Ioh. 1. Ioh. 10. Gal. 5.

a PUtaverunt Chriſto humanam animam defuiſſe.] *Hic fuit error Apollinariſtarum, ut ipſe docet in Evangelium Joannis, & ſermone contra Arrium & lib. 83. Quæſt. Idem putarunt Cerdoniani, & Appellitæ de erroribus ad Quod vult Deum.* L. Vives.

b Animoſitates.] *θυμοὶ animi, iræ, ſic Hieronymus legit: ſed Latinè quoque ani-*

mi pro ira ponuntur, ut apud Salluſtium: Luçullus ſuperiore anno quantis animis ierit in L. Quintium, vidiſtis. Hinc animoſus & animoſitas. Animoſos Euros dixit Vergilius, quaſi iracundos. Animoſitate pro ira utitur Macrobius 2. de Somnio Scipionis. Porrò hæc ira, quæ eſt θυμὸς, *eſt* ὀξὺς, καὶ ὀλιγοχρόνιος, *quod Cicero ſic finit: Excandeſcentia eſt ira naſcens, & modo deſiſtens, quæ* θύμωσις *Græcè dicitur. Poſtea in dicto Pauli ſequitur rixa, quod Auguſtinus non addidit* ἐριθεῖαι.

I. L. Co. α Summum bonum hominis in corporis voluptate poſuerunt.] *Athenæus lib. 12. obſcœna Epicuri dogmata de voluptate corporis recenſet,* ὁ Ἐπίκουρος φησὶν, ἀρχὴ καὶ ῥίζα παντὸς ἀγαθοῦ ἡ γαστρὸς ἡδονὴ καὶ τὰ σοφὰ τὰ περιοσὰ ἐπὶ ταύτην ἔχει τὴν ἀναφοράν. κἂν τῷ περὶ τέλους δὲ πάλιν φησὶ, τιμητέον τὸ καλὸν καὶ τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰ τοιουτότροπα ἐὰν ἡδονὴν παρασκευάζῃ, ἐὰν δὲ μὴ παρασκευάζῃ, χαίρειν ἐατέον, σαφῶς ὑπουργὸν ποιῶν ἐν τούτοις τὴν ἀρετὴν τῆς ἡδονῆς, καὶ θεραπαίνης τάξιν ἐπέχουσαν, κἂν ἄλλοις δέ φησι, προσπτύω τῷ καλῷ, καὶ τοῖς κενῶς αὐτὸ θαυμάζουσιν, ὅταν μηδεμίαν ἡδονὴν ποιῇ. *Pernicioſa certè dogmata. unde ſapienter factum eſt à Romanis, qui urbe Alcæum & Philiſcum Epicureos ejecerunt, voluptatis aſſertores & patronos, & multarum flagitioſarumque libidinum authores adoleſcentibus, ut pari decreto oppido ſuo Epicureos Meſſenii expulerunt. Teſtis ibidem Athenæus & Ælianus, lib. 9. variæ hiſtoriæ, cap. 12.*

β Ipſum hominem. *i. e.* naturam hominis carnem nuncupat.] *Ita Iſaia 40.* Videbit omnis caro ſalutare Dei. *i.e.* omnis homo. *Pſal. 55.* Non timebo, quid faciat mihi caro. *Pſal. 64.* Ad te omnis caro veniet. *Pſal. 144.* Benedicat omnis caro nomini ſancto ejus. *Author Theſauri linguæ Græcæ obſervat, vocem* σὰρξ, *in teſtamento novo etiam pro toto homine poni ex ſermonis Hebraicæ conſuetudine. Matthæi 24.* οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σὰρξ. *ſic apud D. Paulum locis hic citatis à D. Auguſtino.*

γ Secundum hoc intelligitur, verbum caro factum eſt:] *Unde myſterium illud ſignificatur à Theologis, nomine incarnationis. Cur vero Joannes potius dixerit,* carnem *quàm* hominem, *facilè reſpondetur, id feciſſe Evangeliſtam, ut illam, quam vocat Paulus verbi exinanitionem & humilitatem, à parte hominis ignobiliore & à divinitate remotiore ſignificaret. Ita D. Auguſtinus, epiſt. 120. ad Honoratum, cap. 4.* More *(inquit)* ſuo ſcriptura ut Chriſti humilitatem magis oſtenderet, ne carnis nomen quaſi indignum refugiſſe videretur, carnem pro homine poſuit. *Et Gregori us Nazianz. epiſt. 1. ad Cledonium.* Accedit *(inquit)* quod non aliter Dei erga nos amor declarari potuit, quam ex carnis commemoratione, & quod noſtra cauſa etiam ſe ad deteriorem partem dejecit. *D. Thomas 3. p. q. 5. art. 3. ad 1.* Ideo *(inquit)* totus homo per carnem ſignificatur, quia per carnem filius Dei viſibilis apparuit. *1.* ad Timoth. quod manifeſtatum eſt in carne, Vel ideò quia, *ut Auguſtinus dicit, lib. 83. quæ. q. 80.* in tota illa unitate ſuſceptionis principale verbum eſt, extrema atque ultima caro. Volens itaque Evangeliſta commendare pro nobis dilectionem humilitatis Chriſti, verbum & carnem nominavit, omittens animam, quæ eſt verbo inferior, carne præſtantior. Rationabile enim fuit, ut nominaret carnem, quæ propter hoc, quod magis diſtat à verbo, minùs aſſum-

ptibilis

ptibilis fuit. *Denique quia filius Dei aſſumpſit carnem mediante anima, ut ex D. Auguſtino, epiſt. 3. ad Voluſianum docet D. Thomas 3. p. q. 6. art. 1. per aſſumptionem carnis intelligitur facilè & aſſumpta anima, adeoque tota natura humana. Cyrillus Alexandr. epiſt. 1.* Dicitur verbum caro factum *(inquit) i. e.* carni rationalem animam habenti unitum.

δ Putaverunt, Chriſto humanam animam defuiſſe.] *Ejusdem hæreſis meminit lib. de agone Chriſti cap. 21.* Non eos audiamus *(inquit)* qui ſolum humanum corpus dicunt eſſe ſuſceptum à verbo Dei, & ſic audiunt quod dictum eſt, & verbum caro factum eſt, ut negent, illum hominem vel animam, vel aliquid hominis habuiſſe niſi carnem ſolam. *Hæc primò fuit hæreſis Arrianorum, negantium, fuiſſe in Chriſto veram animam. Dicebant enim, verbum illi fuiſſe loco animæ. Teſtes Epiphan. hæreſ. 69. D. Auguſt. hæreſ. 49. & libr. contra ſermonem Arrianorum, cap. 9. Nazianzenus orat. 51. Fuit ſecundò hæreſis Apollinarii, qui primò dicitur ſenſiſſe cum Arrianis, poſtea verò quibusdam coactus teſtimoniis ſcripturæ aſſeruit, in Chriſto eſſe animam ſentientem, non tamen mentem. Teſtis Epiphanius hæreſ. 77. epiſtola Athanaſii ad Epictetum contra hanc hæreſin utens. Et D. Auguſtinus hæreſ. 55. his verbis:* Apollinariſtas Apollinarius inſtituit, quid de anima Chriſti à Catholicis diſſenſerunt dicentes ſicut Arriani, Deum Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe. In quæſtione teſtimoniis Evangelicis victi, mentem, qua rationalis eſt anima hominis, non fuiſſe in anima Chriſti, ſed pro hac ipſum verbum in ea fuiſſe dixerunt. *Hæc hæreſis condemnata ab Eccleſia in Concil. Epheſ. in Epiſtola Cyrilli ad Neſtorium, quæ ibidem cano. 3. approbatur. Concilio Chalcedon. act. 1. 5. Synodo ſeſſ. 8. cano. 4. & 11. 6. Synodo act. 11. in Epiſtola Sophronii. contra eandem diſputat D. Auguſtinus libr. contra Fœlicianum Arrianum, cap. 13. ubi potiſſimum argumentatur ex fine incarnationis; nec enim ſine anima rationali potuiſſet Chriſtus orare, mereri, ſatisfacere. Deinde cum incarnatus fuerit ad redimendum genus humanum, aſſumere debuit id quod erat in homine potiſſimum.*

ε Illum locum epiſtolæ Pauli quam ſcripſit ad Galatas.] *cap. 5. Ex quo docet, qua ratione intelligendi ſint aliqui ſecundum carnem vivere, ut alii ſecundùm ſpiritum. Quotquot enim ſunt homines, vel ſecundùm carnem, vel ſecundùm ſpiritum vivunt: ne quis autem exiſtimaret, ea tantùm eſſe opera carnis, quæ humanus animus per carnem, & cum carne operatur, & non ea etiam quæ per ſe, quia ex primo peccato languet & infirmatur, ſolet operari, hunc Apoſtoli locum propoſuit, quo Apoſtolus cum multa carnis opera enumeret, multa tamen ex his ſunt, quibus potius ipſe animus per ſe, quam cum carne delinquit; Hujusmodi ſunt hæreſes, diſſenſiones, invidiæ. vide D. Thom. 1. 2. q. 72. art. 2.*

ζ Cum ipſa natura carnis non ſit malum.] *Idem de continent. cap. 9. & ſerm. 13. de verbis Apoſtoli. Patriciani, ut refert hæreſ. 61. ſubſtantiam carnis humanæ non à Deo, ſed à Diabolo conditam dicebant, & Priſcillianiſtæ, ut idem teſtatur hæreſ. 70. opificium carnis non Deo bono & vero, ſed malignis Angelis tribuebant ſerm. 28. de verbis Apoſtoli, docet contra Manichæ. carnem ſua natura non eſſe malam, & eſſe opus Dei.*

η Ut propter Idololatriam vel hæreſis alicujus errorem à voluptatibus carnis temperetur] *Nam & nonnulli hæretici damnarunt nuptias, & quemadmodum ſcribit tract. 13. in Joannem.* Et hæretici habent virgines & multæ ſunt virgines hæreticorum, *&, ut ſcribit Tertull. lib. 2. ad uxorem,* Gentiles ſathanæ ſuo & virginitatis, & viduitatis ſacerdotia perſerunt. *& lib. de præſcript.* habet & virgines, habet & continentes.

ϑ Ipſum vult hominem nomine carnis intelligi.] *Ita etiam docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 72. art. 2. ad 1. quod illa peccata, quæ perficiuntur in delectatione ſpirituali, & ſunt ſpiritualia, cujusmodi ſunt idolorum ſervitus, hæreſes, diſſenſiones, invidia, dicuntur* opera carnis, *non quia in voluptate carnis perficiantur, ſed caro ſumitur ibi pro homine, qui dum ſecundùm ſe vivit, ſecundùm carnem vivere dicitur, & citat hunc locum D. Auguſtini. Et hujus ratio eſt ex hoc, quod omnis rationis humanæ defectus ex ſenſu carnali aliquo modo initium habet.* Et opera carnis, *dicuntur ab Apoſtolo i. e. opera carnalis hominis & peccato corrupti.*

Cap. III.

Peccati cauſam ex anima non ex carne prodiſſe, & corruptionem ex peccato contractam, non peccatum eſſe, ſed pœnam.

Quod ſi quisquam dicit, carnem cauſam eſſe in malis moribus quorumcunque vitiorum, eo quòd anima carne affecta ſic vivit: profectò non univer-
Sap. 9. ſam hominis naturam diligenter advertit. *Nam Corpus* quidem corruptibile *aggravat animam.* Unde etiam idem Apoſtolus agens de hoc corruptibili corpore,
2. Cor. 4. de quo paulò antè dixerat, *Etſi exterior homo noſter corrumpitur. Scimus,* inquit, *quia & ſi terrena noſtra domus habitationis diſſolvatur, ædificationem habemus ex*
2. Cor. 5. *Deo domum non manufactam æternam in cœlis. Etenim in hoc ingemiſcimus habitaculum noſtrum quod de cœlo eſt ſuperindui cupientes: ſi tamen induti, non nudi inveniamur. Etenim qui ſumus in hac habitatione ingemiſcimus gravati:* eo quòd nolumus ſpoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur mortale à vita. Et aggravamur igitur corruptibili corpore, & ipſius aggravationis cauſam, non naturam, ſubſtantiamque corporis, ſed ejus corruptionem ſcientes nolumus corpore expoliari, ſed ejus immortalitate ſuperveſtiri. Et tunc ergo erit corpus, ſed quia corruptibile non erit, non aggravabit. Aggravat ergo nunc animam corruptibile,
Sap. 9. & *deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Veruntamen qui omnia animæ mala ex corpore putant accidiſſe, in errore ſunt. α Quamvis enim Vergilius Platonicam videatur luculentis verſibus explicare ſententiam dicens:

Æn. 6. *Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo*
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus moribundaq; membra:

Omnesque illas notiſſimas quatuor animi perturbationes, *b* β cupiditatem, timorem, lætitiam, triſtitiam, quaſi origines omnium peccatorum atque vitiorum volens intelligi ex corpore accidere, ſubjungat & dicat:

γ Hinc metuunt cupiúntque, dolent, gaudéntque: nec auras
Suſpiciunt, clauſæ tenebris, & carcere cæco:

δ Tamen ſe aliter habet fides noſtra. Nam corruptio corporis, quæ aggravat animam, non peccati primi eſt cauſa, ſed pœna: nec caro corruptibilis animam peccatricem, ſed anima peccatrix fecit eſſe corruptibilem carnem. Ex qua corruptione carnis licet exiſtant quædam incitamenta vitiorum, & ipſa deſideria vitioſa, non tamen omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda ſunt carni, ε ne ab his omnibus purgemus diabolum, qui non habet carnem. c Etſi enim diabolus fornicator vel ebrioſus, vel ſi quid aliud hujuſmodi mali eſt quod ad carnis pertinet voluptates, non poteſt dici, quum ſit etiam talium peccatorum ſuaſor & inſtigator occultus: ζ eſt tamen maximè ſuperbus atque invidus. Quæ illum vitioſitas ſic obtinuit, η ut propter hanc eſſet in carceribus caliginoſi hujus aëris æterno ſupplicio deſtinatus. Hæc autem vitia quæ tenent in diabolo principatum, carni tribuit Apoſtolus, quam certum eſt diabolum non habere: dicit enim inimicitias, contentiones, æmulationes, animoſitates, invidias, opera eſſe carnis: θ quorum omnium malorum caput atque origo ſuperbia eſt, quæ ſine carne regnat in diabolo. ι Quis autem illo eſt inimicitior ſanctis? Quis adverſus eos contenſioſior, animoſior, & magis æmulus atque invidus invenitur? Et hæc omnia quum habeat ſine carne, quomodo ſunt opera carnis: niſi quia opera ſunt hominis, quem ſicut dixi, nomine carnis appellat? Non enim habendo carnem, quam non habet diabolus, ſed vivendo ſecundùm ſeipſum, hoc eſt, ſecundùm hominem: factus eſt homo ſimilis diabolo: quia & ille ſecundùm ſeipſum vivere voluit, quando *in veritate non ſtetit*. ut non de Dei, ſed *de ſuo mendacium loqueretur*, qui non ſolùm mendax, *verum etiam mendacii pater eſt*. Primus eſt quippe mentitus, & à quo peccatum, ab illo cœpit eſſe mendacium.

Diabolo ſine carne opera carnis habet & edit. *2. Pet. 2.* *Gal. 5.* *Ioh. 8.*

a QUamvis enim.] *Non magis Platonicam, quam Pythagoricam: etſi in multis eidem omnino ſunt. Ratio hujus totius rei lib. 8. eſt mihi ſat multis expoſita.* L. Vives.

b Cupiditatem tim.] *Quatuor ponuntur principio animi affectus, ut Cicero in Tuſculan. quæſt. docet, duo jucundi, totidem triſtes, ex jucundis unus ad præſentes res ſpectat, lætitia, quæ eſt opinio boni præſentis, alter ad futuras: libido, opinio boni futuri, quam per cupiditatem hic intelligi vult. ex triſtibus triſtitia opinio mali præſentis. timor opinio venturi mali. Ex his quemadmodum affectus cæteri proficiſcantur, nempe invidentia, æmulatio, obtrectatio, miſericordia, angor, luctus, mæror, ærumna, dolor, lamentatio, ſolicitudo, modeſtia, afflictatio, deſperatio ex triſtitia. Tum pigritia, pudor, error, pavor, exanimatio, conturbatio, formido ex timore. Iam malevolentia lætans malo alieno delectatio, jactatio ex lætitia. Hinc ira, excandeſcentia, odium, inimicitia, diſcordia, indigentia, deſiderium ex cupiditate: idem Cicero quarto Tuſcul. declarat.*

c Etſi enim diabolus fornicator.] *De hoc poſtea.*

α SI terrena noſtra domus habitationis diſſolvatur.] *Terreſtrem domum Græci & Latini exponunt hoc corpus mortale, ſeu præſentem vitam corporalem, quia ut hic etiam obſervavit D. Auguſtinus, in fine capitis ſuperioris dixerat,* Si exterior homo noſter corrumpitur: *quod itaque hic dixit terreſtrem domum, ibi dixit hominem exteriorem, ita interpretatur Tertullianus libr. de reſurrect. carn. cap. 41.* Per hoc F.L.Cop.

quod diſſolvetur caro noſtra per paſſiones, domicilium conſecuturi ſumus in cœlis: *Quanquam & de domicilio mundi poteſt intelligi, quò diſſoluto æterna ſedes repromittitur in cœlis.*

β Cupiditatem, timorem.] *Etſi paſſiones vulgò numerentur undecim à Philoſophis, quæ vel reſpiciunt bonum & malum ſimpliciter ac pertinent ad appetitum concupiſcibilem; vel ad appetitum iraſcibilem, & reſpiciunt bonum vel malum arduum, ad quatuor tamen veluti præcipua capita reducuntur, quæ ſunt gaudium, triſtitia, ſpes & timor. Hanc diviſionem probat hic D. Auguſtinus & D. Hieronymus in Comment. ad cap. 1. Cicero lib. 4. Tuſculan. quæſt. Boetius lib. 1. de conſolatio. Philoſophiæ metro 7. dicuntur hæ paſſiones omnium præcipuæ, quòd aliarum complementum ſint vel finis, ideoque alias omnes conſequantur, ut docet Ariſtoteles 2. Ethicor. cap. 1. Timor & ſpes non ſimpliciter hujusmodi complementum obtinent, ſed in genere motus appetitui ad aliquid: reſpectu enim boni incipit motus in amore, progreditur ad deſiderium, terminatur in ſpe; comparatione mali motus incipit ab odio, tendit in fugam, finitur in timore: unde numerus harum quatuor paſſionum ſecundùm differentiam præſentis & futuri ſpectatur. Motus enim futurum reſpicit, quies eſt in aliquo præſenti; de præſenti ergò bono eſt gaudium, de præſenti malo triſtitia, de bono futuro ſpes, de malo futuro timor. Cæteræ paſſiones, quæ circa bonum, aut malum, præſens aut futurum verſantur, ad has reducuntur.*

γ Hinc metuunt cupiuntque.] *Id videtur conſentire cum Stoicis, qui quatuor tantùm affectus eſſe volebant, ad quos tanquam ad primarios fontes cæteros omnes revocarunt. vide Ciceronem 3. Tuſculanar. q. Iſtarum perturbationum meminit Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos.*

δ Tamen ſe aliter habet fides noſtra.] *Ex ſententia Virgilii in illis verſibus, videbatur caro ipſa eſſe animæ radix & origo omnium vitiorum, quod ex corpore vellent accidere hujusmodi perturbationes, quæ ſunt origenes omnium vitiorum. aliter tamen (inquit) habet fides noſtra. Nam philoſophi, ut qui peccatum originale ignorarent, docuerunt, affectus eſſe naturales. i. e. naturæ noſtræ conditiones. Verùm nos fide divina illuſtrati aliter ſentimus. D. Thom. 1. 2. q. 85. art. 3. & 5.*

ε Ne ab his omnibus purgemus Diabolum.] *D. Dionyſius cap. 4. de divin. nomin. eo utitur argumento, ut probet, vitium à corpore non eſſe in anima,* ὅτι δὲ οὐδὲ κακίας αἴτιον τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα δῆλον ἐκ τοῦ δυνατὸν εἶναι καὶ αὐτοῦ σώματος.

ζ Eſt tamen maximè ſuperbus atque invidus.] *D. Thomas 1. p. q. 63. art. 2. docet, peccatum poſſe eſſe in aliquo dupliciter, uno modo ſecundùm reatum, alio modo ſecundùm affectum. Ergo ſecundùm reatum Diaboli poſſunt peccare omni genere peccatorum, quæ ab hominibus committũtur. Dum enim homines ad omnia peccata inducũt, omnium peccatorum reatum incurrunt. ſecundùm affectum verò cum ſint incorporei, non poſſunt peccare, niſi circa objecta ſpiritualia, ut appetendo ſingularem aliquam excellentiam contra ordinem & modum ipſis præfixum à providentia divina, quod eſt ſuperbiæ peccatum; vel etiam invidendo homini fœlicitatem, unde fit in peccatis hominum quibuscumque delectentur, in quantũ impedimenta ſunt boni humani. Etſi verò Diabolus inducat homines ad omnia genera peccatorum, ut tamen rectè docet D.*

Thomas

Thomas. 1. 2. q. 80. art. 4. Non omnia peccata hominum ſunt ex ſuggeſtione Diaboli. Etſi enim Diabolus non eſſet, homines haberent appetitum ciborum & venereorum & hujusmodi, qui poſſet eſſe inordinatus, niſi ratione ordinaretur, quia ſubjacet libero arbitrio, occaſionaliter tamen & indirectè dici poteſt cauſa omnium noſtrorum peccatorum, in quantum induxit primum hominem ad peccandum, ex cujus peccato in tantum corrupta eſt humana natura, ut omnes ad peccatum ſimus proclives.

n Propter hanc eſſet in carceribus caliginoſi hujus aëris.] *Etſi locus, qui debetur dæmonibus ratione ſua culpa, ſit infernus, qui tamen debetur ratione excitationis humanæ, eſt hic aer caliginoſus. D. Thom. 1. p. q. 64. art. 4. & licet poſt diem judicii omnes includendi ſint in inferno, nec inde amplius abire concedatur, tamen usque ad diem judicii plurimi remanent in hoc aere caliginoſo. Teſtis Auguſtinus lib. de agone Chriſtiano cap. 3. & 5. libro de nat. boni contra Manich. cap. 33. Gregorius lib. 2. moralium cap. 25. D. Paulus ad Epheſ. 2. vocat dæmonem principem aeris hujus, & cap. 6. vocat,* mundi rectores & ſpirituales nequitias in cœleſtibus. *i. e. in aere. Judas in ſua canonica dicit dæmonem reſervari in caligine in judicium magni Dei.*

g Quorum omnium malorum caput atque origo ſuperbia eſt.] *Ita docet etiam D. Gregorius lib. 31. moral. c. 17.* Radix cuncti mali ſuperbia eſt, de qua ſcriptura teſtante dicitur, Initium omnis peccati eſt ſuperbia. Primæ autem ejus ſoboles ſeptem nimirum principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur, ſcilicet inanis gloria, invidia, ira, triſtitia. *i. e.* accidia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his ſeptem ſuperbiæ vitiis nos captos doluit, idcirco redemptor noſter ad ſpirituale liberationis prælium ſpiritu ſeptiformis gratiæ plenus venit. *Proſper lib. 3. de vita contemplativa, cap. 2.* Scriptura divina immobilem ſententiam protulit dicens, Initium omnis peccati ſuperbia, initium (inquit) non alicujus, ſed omnis peccati ſuperbia, ut evidenter oſtenderet, quod ipſa ſit omnium peccatorum cauſa. *Qua ratione verò ſuperbia ſit origo omnis peccati, docet D. Thom. 1. 2. q. 84. art. 2. & 2. 2. quæſt. 162. art. 2. & art. 5. ad 5. & art. 7. ad 1. Ex ſuperbia verò oriri poſſunt peccata omnia duplici ratione, una per ſe, in quantum ſcilicet alia peccata ordinantur ad finem ſuperbiæ, quæ eſt propria excellentia, ad quam poteſt id omne ordinari quod quis inordinatè appetit; alia indirectè & quaſi per accidens, ſcilicet removendo prohibens, in quantum ſcilicet homo per ſuperbiam divinam legem contemnit, per quam prohibetur à peccato. Sciendum tamen, ut docet etiam Divus Thomas, omnia quidem vitia ex ſuperbia oriri poſſe, non verò ad eam pertinet, quod omnia vitia ſemper ex ſuperbia oriantur. Etſi enim omnia divinæ legis præcepta poſſit transgredi aliquis, non tamen ex contemptu ſemper divina præcepta transgreditur, verum quandoque ex ignorantia, quandoque ex infirmitate.*

i Quis illo inimicior ſanctis.] *Dicitur Apocalypſ. 12.* Accuſator fratrum, & Sathanas. *i. e.* adverſarius.

CAP. IV.

Quid ſit ſecundùm hominem, quidve ſecundùm Deum vivere.

CUm *a* ergo vivit homo ſecundùm hominem, non ſecundùm Deum, ſimilis

eſt

eſt diabolo: 'quia nec angelo ſecundùm angelum, ſed ſecundùm Deum vivendum fuit, β ut ſtaret in veritate,& γ veritatem de illius, non de ſuo mendacium loqueretur: nam & de homine alio loco idem Apoſtolus ait: *Si autem ve-*
Rom.3. al Noſtrum. *ritas Dei in meo mendacio abundavit:* † Meum dixit mendacium, veritatem Dei. Quum itaque vivit homo ſecundùm veritatem, non vivit ſecundum ſeipſum, ſed
Joh.14. ſecundùm Deum. Deus eſt enim qui dixit: *Ego ſum veritas.* Quum verò vivit ſecundùm ſeipſum, hoc eſt, ſecundùm hominem, non ſecundum Deum. profectò ſecundùm mendacium vivit: non quia homo ipſe mendacium eſt, quum ſit ejus autor & creator Deus, qui non eſt utique autor, creatorque mendacii, ſed quia homo factus eſt rectus, ut non ſecundùm ſeipſum, ſed ſecundùm eum, à quo factus eſt viveret, id eſt, illius potius quàm ſuam faceret voluntatem: non autem ita vivere, quemadmodum eſt factus ut viveret, hoc eſt mendacium. δ Beatus quippe vult eſſe, etiam non ſic vivendo, ut poſſit eſſe. *b* ε Quid eſt hac voluntate mendacius? Unde non fruſtrà dici poteſt, omne peccatum eſſe mendacium. Non enim fit peccatum, niſi ea voluntate, qua volumus, ut bene ſit nobis, vel nolumus, ut malè ſit nobis. Ergo mendacium eſt, quod quum fiat, ut bene ſit nobis, hinc potius malè eſt nobis, vel quum fiat ut melius ſit nobis, hinc potius pejus eſt nobis. Unde hoc, ζ niſi quia de Deo poteſt bene eſſe homini, quem delinquendo deſerit: non de ſeipſo, ſecundùm quem vivendo delinquit? Quod itaque diximus, hinc extitiſſe civitates duas diverſas inter ſe atque contrarias, quòd alii ſecundùm carnem, alii ſecundùm ſpiritum viverent: poteſt etiam iſto modo dici, η quòd alii ſecundùm hominem, alii ſecundùm Deum vivant. Apertiſſimè
1. Cor. 3. quippe Paulus ad Corinthios dicit. *Quum enim inter vos ſint æmulatio & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?* Quod ergo eſt ambulare ſecundùm hominem, hoc eſt, eſſe carnalem, quod à carne, id eſt, à parte hominis minore, intelligitur homo. Eoſdem ipſos quippe dixit ſuperius animales, quos
1. Cor. 2. poſtea carnales, ita loquens: *c Quis enim ſcit,* inquit, *hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Sic, & quæ Dei ſunt, nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem,* inquit, *non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in ſapientia humanæ doctis verbis: d ſed docti Spiritu, ſpiritualibus ſpiritalia comparantes. Animalis autem homo non percipit quæ ſunt Spiritus Dei: e ſtultitia eſt enim illi.* Ta-
1. Cor. 3. libus igitur, id eſt animalibus, paulò poſt dicit: *Et ego fratres non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus.* Et illud ex hoc eodem loquendi modo intelligitur, id eſt, à parte totum. Et ab anima namque, & à carne, quæ ſunt partes hominis, poteſt totum ſignificari quod eſt homo, atque ita non eſt aliud animalis homo, aliud carnalis: ſed idem eſt utrumque, id eſt, ſecundùm hominem vivens homo. Sicut & non aliud, quàm homines ſignificantur, ſive ubi legitur, Ex operibus legis *f* non juſtificabitur omnis caro: ſive quod ſcriptum eſt: *g* θ Septuaginta quinque animæ deſcenderunt cum Jacob in Ægyptum. Et ibi enim per omnem carnem, omnis homo: & ibi per ſeptuaginta quinque animas,
1. Cor. 2. ſeptuaginta quinque homines intelliguntur. Et quod dictum eſt: *Non in ſapien-*
tia

tiæ humanæ doctis verbis: potuit dici, Non in ſapientiæ carnalis, ſicut quod dictum eſt, Secundùm hominem ambulatis: potuit dici,ſecundùm carnem. Magis autem hoc apparuit,in his quæ ſubjunxit. *Cùm enim quis dicat,Ego ſum Pauli, alius autem ego Apollo: nónne homines eſtis?* Quod dicebat, *Animales eſtis:* & *Carnales eſtis:* expreſſius dixit, *Homines eſtis,* quod eſt, ſecundùm hominem vivitis, non ſecundùm Deum,ſecundùm quem ſi viveretis,dii eſſetis. 1.Cor.1.

a Beatus quippe.] *Nemo eſt,qui,quantumvis malè & ſceleratè vivat,nolit tamen ad beatitudinem pervenire: licet agat ea, quæ quam longiſſimè inde ad certiſſimam miſeriam abducant.*

b Quid eſt hac vol. men.] *Fallacius hac voluntate nihil eſt. Mirè enim decipit, in quo eſt.*

c Quis enim inquit.] *Libro primo locum hunc citans ſic dixit: Quis enim, inquit,ſcit hominum quæ agantur in homine: expreſſius.*

d Sed docti ſpiritu.] *Græcè eſt: ſed doctis ſpiritus:* ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου. *Auguſtinus commodius vertit. Alibi habetur, in doctrina ſpiritus.*

e Stultitia eſt enim illi.] *Spiritualia Dei,ſtultitia ſunt hominibus ex affectu viventibus, ut etiam inter gentiles ſapientia & virtutes ſtultitia craſſis erant divitibus, qui umbras putabant eſſe vera corpora, hæc autem inſanias meras. Unde eſt ſpecus ille apud Platonem in libro de Republica ſeptimo,in quo homines umbris aſſueti,nulla credebant eſſe alia corpora. Obiter annotabo dicendum fuiſſe, ſtultitia illi ſunt. Græcè eſt quidem ſingulariter* μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστί. *Sed figura eſt Attica, cùm nomen neutrius generis verbo ſingulari additur,quod eſt apud illos frequentiſſimum.*

f Non juſtificatur.] *Græcè eſt, juſtificabitur* δικαιωθήσεται.

g Septuaginta quinque animæ.] *Animam pro homine dici Hebraiſmus eſt, ut puto,pro vita verò Græcorum eſt,& Latinorum quoque,ut vita pro anima. Nonius Marcellus pro corporibus ait animas poni,cum Vergil. dicit lib. 11.*

Interea ſocios inhumataque corpora terræ
Mandemus, qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.
Ite ait egregias animas,quæ ſanguine nobis
Hanc patriam peperere ſuo.

Quod an ita ſit, ipſe viderit. Eſt tamen apud Græcos interdum invenire, cùm ψυχὴ *ponitur pro rebus animatis.*

a Cum ergo vivit homo ſecundùm hominem.] *Vivere* ſecundùm carnem *in ſcriptura, & hic vivere* ſecundùm hominem, *eodem plane accedunt. Dicitur enim vivere ſecundùm hominem, quoniam in ſe ipſo conquieſcit & delectatur, nec omnia ſua in Deum refert, quatenus verò vivit & operationes vitæ ſpiritualis ſupra ſeipſum exercet ut particeps divinæ naturæ per gratiam effectus, dicitur vivere ſe*cundùm Deum. *ita Angelus vivebat ſecundùm ſeipſum, utpote nimium delectatus perfectione naturæ ſuæ, non ſeipſum in Deum referens.* F.L.Cop.

β Ut ſtaret in veritate.] *Alludit ad locum Johann. 8.* Diabolus in veritate non ſtetit. *nomine veritatis rectè intelligemus Chriſtum ipſum ſive Deum, in Deo non ſtetit, à Deo averſus eſt.*

γ Veritatem de illius, non de ſuo mendacium loquetur.] *Si quidem Joann.8.* tum mendacium loquitur, ex propriis loquitur, *quibus verbis ſignificavit Chriſtus, diabolum cum quicquid habet boni à Deo acceperit, mendacium tamen à Deo non accepiſſe, ſed ipſum per ſe illud excogitaſſe. Diabolus primus author fuit & inventor mendacii, & quodammodo illud peperit. D. Auguſtin. in Evangel. Joann. tract.5.* nemo habet, *inquit*, de ſuo niſi mendacium & peccatum, ſi quid autem homo habet veritatis atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo. *Poſt.* Si ergo loquitur mendacium, de ſuo loquitur, qui loquitur veritatem, de Deo loquitur. *Rom.3.* Eſt Deus verax, omnis homo mendax.

δ Beatus quippe vult eſſe.] *Etiamſi non ſic vivendo ut poſſit eſſe. Innatum eſt enim deſiderium beatitudinis omnibus, & naturaliter appetitur, etſi plurimi in quo ſita ſit, ignorent, vel etiamſi ſciant, non tamen eas actiones exercent, quæ ad conſequendam eam conferant.*

ε Non fruſtra dici poteſt, omne peccatum eſſe mendacium.] *In ſcriptura ſacra ut plurimum recta & juſta opera dicuntur vera, & opus ſtudioſum verum & veritas, ſic etiam peccata & iniqua opera dicuntur falſa, & falſitas & mendacium Pſalmo 118.* Omnia mandata tua veritas *i. e. juſta & bona. Joan.3.* Qui facit veritatem. *i. e. bona opera*, *venit ad lucem, eſtque Hebraiſmus : veritatem enim Hebræi vocant opus juſtum ac rectum, quia quod verum eſt, rectum eſt, & quod juſtum, verum ac ſibi conſentiens. Pſalm. 24.* ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. *i. e. peccatum.* Errant omnes, qui operantur mendacium. *i.e. peccatum. Pſalm. 115.* Omnis homo mendax, *interpretari poteſt peccator. Hierem. 8.* Apprehenderunt mendacium. *i. e. peccatum*, & noluerunt reverti. *Qua vero ratione omne peccatum ſit mendacium, hic explicat, ſi quidem omne peccatum committitur ea voluntate, qua volumus ut benè ſit nobis, vel certè nolumus ut male ſit nobis, quando enim quis peccatum aliquod committit, certe illud committit quatenus in eo eſt quædam ratio boni, & nemo intendens ad malum operatur, ut docet D. Dionyſius cap. 4. de divin. nominib. Cum ergo peccatum illud fiat ea intentione, ut bene ſit nobis, inde verò potius male ſit nobis, certe mendacium eſt. dicit enim peccatum committens, bene mihi erit, at illud falſum eſt, itaque omne peccatum eſt falſum quoddam & mendacium practicum.*

ζ Niſi quia de Deo poteſt bene eſſe homini.] *Jacob. 1.* Omne donum perfectum & omne datum optimum de ſurſum eſt. *ſolus Deus eſt ſua beatitudo, & ſe ipſo beatus, reliquis beatitudo ſupernaturalis eſt & aliunde.*

η Alii ſecundùm hominem, alii ſecundùm Deum.] *Quemadmodum ſuperius diſtinxit in univerſum duo hominum genera, quorum alii ſecundùm carnem, alii ſecundùm ſpiritum vivunt, ita dicit, alios ſecundùm hominem, alios ſecundùm Deum vivere, iidem etiam, qui ſecundùm ſpiritum & ſecundùm Deum.*

θ Septuaginta quinque ænimæ deſcenderunt cum Jacob.] *Geneſ. 46. & Act. 7. anima eo loco & ſæpe aliàs ſumitur pro toto homine. Geneſ. 14.* Da mihi animas. *i. e. homines, Actuum 27. erant in navi, qua Paulus vehebatur, 276. animæ. Rom. 13.* Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.

Cap. V.

Quòd de corporis animæque natura tolerabilior quidem Platonicorum quàm Manichæorum ſit opinio, ſed & ipſi reprobantur: quoniam vitiorum cauſas naturæ carnis aſcribunt.

NOn igitur opus eſt in peccatis vitiisque noſtris *α* ad creatoris injuriam carnis accuſare naturam: quæ in genere atque ordine ſuo bona eſt, ſed deſerto creatore bono, vivere ſecundùm creatum bonum, non eſt bonum: ſive quisque ſecundùm carnem, ſive ſecundùm animam, ſive ſecundùm totum hominem, qui conſtat ex anima & carne, unde & nomine ſolius animæ, & nomine ſolius carnis ſignificari poteſt, eligat vivere. Nam qui velut ſummum bonum laudat animæ naturam, & tanquam malum naturam carnis accuſat: profectò & animam carnaliter appetit, & carnem carnaliter fugit: quoniam id vanitate ſentit humana, non veritate divina. *a* β Non quidem Platonici ſicut Manichæi deſipiunt, ut tanquam mali naturam terrena corpora deteſtentur, γ cùm omnia elementa quibus iſte mundus viſibilis contrectabilisque compactus eſt, qualitatesque eorum Deo artifici tribuant. δ Veruntamen ex terrenis artubus moribundisque membris ſic affici animas opinantur: ut hinc eis ſint morbi cupiditatum & timorum & lætitiæ ſive triſtitiæ: quibus quatuor perturbationibus, ut Cicero appellat, vel paſſionibus, ut plerique verbum è verbo Græco exprimunt, omnis humanorum morum vitioſitas continetur. Quod ſi ita eſt, quid eſt quod Æneas apud Vergilium, cùm audiſſet à patre apud inferos, animas rurſus ad corpora redituras, hanc opinionem miratur, exclamans: *De fin. bon. & mal.*

O pater anne aliquas ad cælum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas, iterúmque ad tarda reverti *Æn. 6.*
Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?

Nunquid nam hæc tam dira cupido ex terrenis artubus moribundisque membris adhuc ineſt animarum illi prædicatiſſimæ puritati? Nónne ab hujusmodi corporeis, ut dicit, peſtibus omnibus eas aſſerit eſſe purgatas, cum rurſus incipiunt in corpora velle reverti? Unde colligitur, etiam ſi ita ſe haberet, quod eſt omnino vaniſſimum, viciſſim alternans inceſſabiliter euntium atque redeuntium animarum mundatio & inquinatio, non potuiſſe veraciter dici, omnes culpabiles atque vitioſos motus animarum eis ex terrenis corporibus inoleſcere. Siquidem ſecundùm ipſos illa, *b* ut locutor nobilis ait, dira cupido uſque adeò non eſt ex corpore, *c* ut ab omni corporea peſte purgatam, & extra omne corpus animam conſtitutam, ipſam compellat eſſe in corpore. Unde etiam illis fatentibus, non ex carne tantum afficitur anima, ut cupiat, metuat, *d* lætetur & † triſtetur: verùm etiam ex ſeipſa his poteſt motibus agitari. *al. ægreſcat.*

a NOn quidem Platonici ſicut Manichæi.] *Hi omnem carnem, non Dei, ſed malæ mentis perhibent eſſe opificium: ideo ſuos auditores monent, ne animantes occidant, ne offendant principes tenebrarum in cæleſtibus colligatos, à quibus dicunt, omnem carnem originem ducere. Et ſi utantur conjugibus, conceptum tamen gene-* *L. Viv.*

rationemque devitent, ne divina ſubſtantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Auguſtinus ad Quod vult Deum. His aſſenſi ſunt Priſcillianiſtæ.

b Ut locutor nobilis.] *Sic alibi Ciceronem nominavit, hic Vergilium: quanquam alibi ſic legitur: ut poeta præfatus eloquitur, lucis tam dira etiam.*

c Ut ab omni corporea peſte purgatam.] *In aliis libris ſcribitur, Ut ab omni corporea parte purgatam.*

d Lætetur & triſtetur.] *Alibi eſt, Lætetur & ægreſcat, quod non ſecus ſignificat: nam triſtitiam, ægritudinem vocat Cicero, tertio Tuſculanarum quæſtionum.*

P.L.Coq. α AD creatoris injuriam carnis accuſare naturam.] *Qui vel negat, carnis naturam à Deo creatam, vel etiam eam accuſat tanquam malam, & vitiorum originem, certe utroque modo creatori infert injuriam, & blaſphemus eſt. Ita impii Manichæi corpus ſuapte natura malum, & à malo principio factum dicebant, & non licere veſci carnibus, eo quod à Diabolo eſſent. Alphonſus à Caſtro ver. caro & corpus human. Prateolus v. Manichæi.*

β Non quidem Platonici, ſicut Manichæi deſipiunt.] *Quemadmodum Irenæus lib. 3. cap. 45. ſcribit, Platonem religioſiorem eſſe nonnullis hæreticis, & potiſſimùm Marcione, qui dividebat Deum in duo, alterum quidem bonum, alterum judicialem, ut juſtum dicens: Plato verò eundem Deum juſtum & bonum confeſſus eſt; ita hoc loco certè dicere licet, eum Manichæis religioſiorem, quod univerſitatis conditorem adeoque elementorum, & corporis ipſius humani Deum faciat & authorem, neque injurius ſit Deo, ut opus ſuum alteri tribuat, quod faciebant impii Manichæi. Tertullianus lib de pœnitent. cap. 3.* Caro & ſpiritus (*inquit*) Dei ſunt res, alia manu ejus expreſſa, alia adflatu ejus conſummata.

γ Cum omnia elementa, quibus iſte mundus.] *Plato in Timæo id apertè docet.*

δ Verum tamen ex terrenis artibus.] *Etſi aliqua ex parte melius ſentirent Platonici, quàm hæretici Manichæi, quod hi terrena corpora teſtarentur, illi tamen etiam errabant, quòd ab ipſo corpore, vel carne omnium vitiorum animæ originem veluti deducerent, quod reprobat, vel authoritate Virgilii 6. Æneidos. Probat enim, diram quandam cupiditatem etiam ipſis ineſſe ſeparatis à corpore, ut etiam intelligatur anima ex ſeipſa his motibus agitari, atque hos verſus citat D. Auguſtinus ſerm. 143. de temp.*

Cap. VI.

De qualitate voluntatis humanæ, ſub cujus judicio affectiones animi, aut pravæ habentur, aut rectæ.

INtereſt autem, qualis ſit voluntas hominis, quia α ſi perverſa eſt, perverſos habebit hos motus: ſi autem recta eſt, non ſolùm inculpabiles, verùm etiam laudabiles erunt. *a* Voluntas eſt quippe in omnibus: imo omnes nihil aliud quàm voluntates ſunt. Nam quid eſt cupiditas & lætitia, niſi voluntas *b* in eorum conſenſionem, quæ volumus? Et quid eſt metus atque triſtitia, niſi voluntas in diſſenſionem ab his quæ nolumus? Sed cùm conſentimus appetendo ea quæ volumus,

mus, cupiditas? cùm autem conſentimus fruendo his quæ volumus, lætitia vocatur. Itemque cùm diſſentimus ab eo quod accidere nolumus, talis voluntas motus eſt: cùm autem diſſentimus ab eo quod nolentibus accidit, talis voluntas triſtitia eſt. Et omnino pro varietate rerum quæ appetuntur atque fugiuntur, ſicut allicitur, vel offenditur voluntas hominis, ita in hos, vel illos affectus mutatur & vertitur. Quapropter homo qui ſecundùm Deum non ſecundùm hominem vivit, oportet ut ſit amator boni: unde fit conſequens, ut malum oderit. Et Pſ.138.
quoniam nemo natura ſed quisquis malus eſt, vitio malus eſt: *c* perfectum odium debet malis, qui ſecundùm Deum vivit: ut nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem: ſed oderit vitium, amet hominem. Sanato enim vitio, totum quod amare, nihil autem quod debeat odiſſe, remanebit.

a Voluntas eſt quippe in omnibus.] *Stoici βȣλήσεις quod Cicero voluntates vertit, nolunt eſſe, niſi cùm quid prudenter conſtanterq; appetitur: Idcirco voluntas finitur, quæ quid cum ratione deſiderat, quæ eſt in ſolo ſapiente. Quæ autem adverſus rationem incitata eſt vehementius, ea libido dicitur, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus ſtultis reperitur. Peripatetici utrasque voluntates dicunt, has malas, illas bonas. De nominibus eſt controverſia, ut aliàs dixi. Nam & cupiditates Stoici voluntates quoque nominant: nec refert, utrum ſit cum conſilio voluntas, an natura ipſa impulſa: nam voluntas eſt ſemper, niſi quod illa propriè, veréque dicitur voluntas, in qua eſt libertas, & in hac demum vitium eſt, aut virtus.* L. Vives.

b In eorum conſenſionem quæ volumus.] *Non eſt hæc vel conſenſio, vel diſſenſio, qua credimus aliquid eſſe, aut non eſſe, in qua eſt ſcientia, fides, opinio: de quibus multus in Analyticis poſterioribus ſermo: ſed velle aut nolle quæ ad voluntatem ſpectant, cùm illa ad mentem pertineant, & tanquam approbare & decernere, ut vel fiat quid, vel ne fiat.*

c Perfectum odium.] *Declarat quod eſt in Pſalmo 138. Perfecto odio oderam illos.*

a Si perverſa eſt perverſos habet hos motus.] *Quæri poſſet hoc loco, an hujusmodi motus ſeu perturbationes ſint in appetitu ſentiente. i. e. in iraſcibili & concupiſcibili, an verò etiam locum habeant in parte animæ rationis compote. Hæc videtur eſſe ſententia D. Auguſtini hoc loco, nimirum nihil differre à voluntate hujusmodi motus ſeu paſſiones. Ita etiam ſentit Scotus 3. ſentent. Diſtinct. 33. Stoici authore Cic. 4. Tuſculan. voluntatem, quam βούλησιν appellabant, diſtinguebant ab his motibus, eamque illi putabant eſſe in ſolo ſapiente, ita definientes,* Voluntas eſt, quæ quid cum ratione deſiderat: quæ autem adverſa ratione incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrænata, quæ in omnibus ſtultis invenitur. *D. Thom. 1. 2. q. 22. art. 3. docet, tantùm eſſe in appetitu ſentiente, quia tantùm invenitur, ubi eſt transmutatio corporalis, quæ quidem invenitur in actibus appetitus ſenſitivi, in actu verò appetitus intellectivi non requiritur aliqua transmutatio corporalis, cum hujusmodi appetitus non ſit virtus alicujus organi, ſunt tamẽ in voluntate ſimiles actiones, reſpondentes hujusmodi affectibus, ut ibidem docet reſponſ. ad 3. quo ſenſu intellige-* F.L.Cog.

re poſſumus Divum Auguſtinum, voluntatem eſſe in omnibus, aut omnes nihil aliud eſſe quàm voluntates.

Cap. VII.

Amorem & dilectionem indifferenter & in bono & in malo apud ſacras literas inveniri.

NAm cujus propoſitum eſt amare Deum, & non ſecundùm hominem, ſed ſecundùm Deum amare proximum, ſicut etiam ſeipſum: procul dubio propter hunc amorem dicitur voluntatis bonæ, *a* quæ uſitatius in ſcripturis ſacris charitas appellatur: ſed amor quoque ſecundùm eaſdem ſacras literas dicitur. Nam & amatorem boni dicit Apoſtolus eſſe debere, quem regendo populo præcipit eligendum. Et ipſe Dominus Petrum Apoſtolum interrogans, cùm dixiſſet. *a* β *Diligis me plus his?* Ille reſpondit: *b Domine, tu ſcis quia amo te.* Et iterum Dominus quæſivit, non utrum amaret, ſed utrum diligeret eum Petrus. At ille reſpondit ei iterum: *Domine, tu ſcis quia amo te.* Tertia verò interrogatione & ipſe Jeſus non ait, *diligis me, ſed amas me:* ubi ſecutus ait Evangeliſta: *Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me:* cùm Dominus non tertiò, ſed ſemel dixerit, *amas me:* bis autem dixerit, *diligis me.* Unde intelligimus, quod etiam cùm dicebat Dominus, diligis me: nihil aliud dicebat, quàm amas me. Petrus autem non mutavit hujus unius rei verbum, ſed etiam tertiò. Domine, inquit, tu omnia ſcis, tu ſcis quia amo te. Hoc propterea commemorandum putavi, *c* quia nonnulli arbitrantur, aliud eſſe dilectionem ſive charitatem, aliud amorem. *d* Dicunt enim, dilectionem accipiendam eſſe in bono, amorem in malo. Sic autem γ nec ipſos autores ſecularium literarum locutos eſſe, certiſſimum eſt. Sed viderint Philoſophi, utrum vel qua ratione iſta diſcernant. Amorem tamen eos in bonis rebus, & erga ipſum Deum magnipendere, libri eorum ſatis loquuntur. *e* δ Sed ſcripturas religionis noſtræ, quarum autoritatem cæteris quibusque literis anteponimus: non aliud dicere amorem, aliud dilectionem vel charitatem, inſinuandum fuit: nam & amorem in bono dici jam oſtendimus. Sed ne quis exiſtimet, *ε* amorem quidem & in bono & in malo, dilectionem autem non niſi in bono eſſe dicendam, illud attendat quod in Pſalmo ſcriptum eſt: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Et illud Apoſtoli Joannis: *Si quis dilexit mundum: non eſt dilectio patris in eo.* Ecce uno loco dilectio, & in bono & in malo. Amorem autem in malo: quia in bono jam oſtendimus, ne quisquam flagitet, legat quod ſcriptum eſt: *Erunt enim homines ſeipſos amantes, amatores pecuniæ.* Recta itaque voluntas eſt bonus amor, & voluntas perverſa malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas eſt: id autem habens eoque fruens, lætitia. Fugiens quod ei adverſatur, timor eſt: idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt. Proinde mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor: bona, ſi bonus: quod dicimus, de ſcripturis probemus. Concupiſcit Apoſtolus diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Et, *Concupivit anima mea deſiderare judicia tua in omni tempore. f* Vel ſi accommodatius dicitur: Deſideravit anima mea concupiſcere judicia tua. Et, *Concupiſcentia ſapientiæ perducit ad regnum.*

Ioh. 21. — Pſal. 10. — 1. Ioh. 2. — 2. Tim. 3. — Phil. 1. — Pſ. 118. — Sap. 6.

Hoc

Hoc tamen loquendi obtinuit conſuetudo, ut ſi cupiditas vel concupiſcentia dicatur, nec addatur cujus rei ſit, non niſi in malo poſſit intelligi. Lætitia apud Pſalmiſtam in bono eſt: *Lætamini in Domino, & exultate juſti.* Et, *Dediſti lætitiam in cor meum.* Et, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Timor ineſt bono apud Apoſtolum, ubi ait: *Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini.* Et, Noli altum ſapere, ſed time. Et, Timeo autem ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & veſtræ mentes corrumpantur à caſtitate, quæ eſt in Chriſto. De triſtitia verò, *g* quam Cicero magis ægritudinem appellat: dolorem autem Vergilius, ubi ait: Dolent gaudentque: *h* ſed ideo ζ malui triſtitiam dicere, quia ægritudo vel dolor uſitatius in corporibus dicitur, ſcrupuloſior quæſtio eſt, utrum inveniri poſſit in bono.

Pſ. 31. Pſ. 4. Pſ. 15. Phil. 2. Rom. 11 2. Cor. 11

a Diligis me plus his.] *An plus quàm hos, an plus quàm hi? Certè plus quàm hi: & ad tollendam amphibologiam ſic fuit vertendum.*

b Domine, tu ſcis quia amo te.] *Græcè ſic eſt:* λέγει τῷ σίμωνι πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς, σίμων ἰωαννᾶ ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων: λέγει αὐτῷ, ναὶ κύριε σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ, βόσκε τὰ ἀρνία μου: λέγει αὐτῷ πάλιν δεύτερον, σίμων ἰωαννᾶ ἀγαπᾷς με: λέγει αὐτῷ ναὶ κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε: λέγει αὐτῷ. ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. λέγει αὐτῷ τὸ τρίτον, σίμων ἰωαννᾶ φιλεῖς με: ἐλυπήθη ὁ πέτρος, ὅτι εἶπεν αὐτῷ τὸ τρίτον, φιλεῖς με. *Itaque* ἀγαπάω *vertunt diligo,* φιλέω *amo.*

c Quia nonnulli arbitrantur, aliud eſſe dilectionem.] *Origenes homilia prima in Cantica: Videtur mihi quòd divina ſcriptura volens cavere, ne lapſus aliquis legentibus ſub amoris nomine naſceretur, pro infirmioribus quibusque cum qui apud ſapientes ſeculi cupido ſeu amor dicitur, honeſtiore vocabulo charitatem vel dilectionem nominaſſe.*

d Dicunt enim, dilectionem accipiendam eſſe in bono] *Aliam Latini ſcriptores longè diverſam faciunt in iſtis vocabulis differentiam, ut diligere ſit remiſſius, amare ardentius, ut apud Cic. Dolobellam antea diligebam, nunc amo. Et ad Brutum apertius: Clodius Trib. pleb. deſig. valde me diligit. ſeu ut* ἐμφατικώτερον *dicam, valde me amat. Et ſi non negarim amorem ambiguum, & medium nomen, in obſcœnum tamen & flagitioſum plerumque uſurpari, dilectionem rarò: & quam differentiam Latini ponunt inter diligere & amare, eandem Græcorum quidam inter* ἀγαπᾶν καὶ φιλεῖν

e Sed ſcripturas rel. noſtræ.] *Hi loci, quos ex ſacris literis affert ad probandum quod conatur, nihil efficiunt, niſi dicat* φιλεῖν *&* ἀγαπᾶν *ad utrunque, bonum, & malum valere, quod ex dictis illis, in quibus Apoſtoli his vocabulis uſi ſunt declaratur. Latina enim interpretatio linguam & ſignificata vocum interpretis arguit, non ejus qui ſcripſit. Sed fortè illud oſtendere volebat, quòd cum homine Græco diſputaret, nempe Origene.*

f Vel ſi accommodatius dicitur, deſideravit anima mea.] *Sic enim verterunt Lxx.* ἐπεπόθησεν ἡ ψυχή μου τοῦ ἐπιθυμῆσαι τὰ κρίματά σου. *Et incipit oſtendere, nullum ex quatuor illis affectibus malum natura ſua eſſe.*

g Quam Cic. magis ægrit.] *Dixi hoc eſſe apud Cic. 3. & 4. Tuſc. q.*

h Sed

b Sed ideo malui triſtitiam dicere.] *Cic. 2. Tuſc. q. cùm de dolore loquitur, cruciatum in corpore ſignificat, & ægritudinem cruciantem finit lib. 4. ægritudinem in animo eſſe dicit, ſicuti ægrotationem in corpore: ægritudinem quoque non ſejunctam à dolore habere nomen, lib. 3.*

F.L.Coq. *α* QUæ uſitatius in ſcripturis charitas appellatur.] *Nihil frequentius in ſcripturis nomine charitatis, nec quicquam eſt quod nobis magis commendetur. Unde rectè idem D. Auguſtinus præfat. in Pſalm. 140.* Quicquid ſalubriter mente concipitur vel ore profertur, vel de qualibet divina pagina exſculpitur, non habet finem niſi charitatem. *lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 35.* Intelligatur legis & omnium divinarum ſcripturarum plenitudo & finis eſſe dilectio rei, qua fruendum eſt, & rei, quæ nobiſcum ea re frui poteſt, *& 36.* Quisquis divinas ſcripturas vel quamlibet earum partem intellexiſſe ſibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet geminam iſtam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. *Pro hoc vocabulo Græcè legitur ἀγάπη, nomen verò charitatis apud Latinæ linguæ authores ſignificat amorem honeſtum in eos, qui & per ſe amentur gratuito, & viciſſim redamare poſſint, & eſt frequens apud Ciceronem lib. 1. de natur. deor.* Hominum charitas & amicitia gratuita eſſe debet, *lib. 1. officior.* Omnes omnium charitatis patria una complexa eſt. *& paſſim alibi.*

β Diligis me plus his.] *Non eſt ſenſus,* plusquam hos diligis: *nec enim Chriſtus zelotypia laborabat, aut cum cæteris diſcipulis de Petri amore erga ſe contendebat, ſed ſenſus eſt,* diligis me plus *his. i. e.* quàm hi me diligunt.

Tu ſcis quod amo te.] *Ita Græcè legitur, Σίμων Ἰωνᾶ ἀγαπᾷς με, λέγει αὐτῷ, καὶ κύριε σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε. quod Chriſtus utatur hoc verbo* diligo, *& Petrus reſpondeat altero* amo, *etſi D. Ambroſius Lucæ ult. differre exiſtimet, & poni diſt. arbitretur, ut diſtincta ſignificent, quod dilectio habeat animi charitatem, amor quendam æſtum, conceptum corporis ac mentis ardorem, & Petrum velit non ſolùm animi, ſed etiam corporis ſui circa Dei cultum ſignare voluiſſe hoc verbo flagrantiam, veriſimilius eſt tamen, non diverſa, ſed idem ſignificare: ſi quidem in ſcriptura hæc duo verba pro eodem accipiuntur, ut ex hoc loco D. Auguſtini docet Toletus ad eum locum Joannis, etſi aliquando inter ea ſervetur aliquod diſcrimen. In dicto verò loco Joannis pro eodem ſumi probat verbum ſequens, ſequitur enim,* dicit ei tertiò, amas me, *ſi diligere aliud ſignificaret quam amare, non ſcriberetur,* dicit ei tertiò, amas me, *quia verbum quod præceſſit, non idem ſignificaret.*

γ Nec ipſos authores ſæcularium literarum.] *Seneca Epiſtol. 71. apertè ſignificat, amorem in bonum dici, & quidem in propria ſua notione his verbis:* Hæc ſi perſuaſeris tibi, & virtutem adamaveris (amare enim parum eſt) *& apud Ciceronem paſſim, amor in patriam, amor in rempublicam. Ita vero apud probatos authores, & maximè apud Ciceronem hæc duo diſtinguuntur, ut amare intenſius ſit aliquid quàm diligere, teſte Valla lib. 5. cap. 77. Epiſt. 133.* Mihi denique nunc amare videor, ante dilexiſſe: *Epiſt. 1. ad Brutum.* Clodius me valde diligit, vel ut *ἐμφατικώτερον* loquar, valde me amat. *Unde conſtat, aliquanto plus eſſe amare, quàm diligere, quemadmodum tamen in ſcripturis ſacris hæc differentia non obſervatur, ita nec perpetuo*

apud

apud Ciceronem & alios authores profanos, ut obſervat Nizolius in Theſauro Ciceroniano, verbo amo.

δ Scripturas religionis noſtræ non aliud dicere amorem.] *Uſitatum eſſe amoris nomen in ſcripturis ſacris, & quidem in bonum dici, docet D. Dionyſius lib. de divinis nominibus cap. 4.* Nemo, *inquit*, arbitretur, nos præter ſacræ ſcripturæ authoritatem amoris nomen inducere, *paulo poſt*. Audiant, *inquit*, ſcripturam, qui amoris vocabulum in jus trahunt. Ama illam, *inquit*, & ſervabit te, circumda illam tibi, & exaltabit te, honora illam, ut complectatur te, & quæque alia amatoria in literis ſacris celebrantur. Atqui viſum eſt pleriſque ex tractatoribus noſtris, divinius eſſe amoris, quàm dilectionis nomen. Scribit enim divinus Ignatius, Amor meus crucifixus eſt, & in primis ſcripturarum inſtitutionibus quendam de ſapientia divina dixiſſe comperies, Amator factus ſum formæ illius. Non ergo metuamus hoc amoris nomen, neque nos ullus perturbet ſermo terroreve concutiat. Mihi enim videntur Theologi commune quidem arbitrari dilectionis & amoris nomen, cæterùm idcirco divinis magis verum amorem aſſignare, ut hujusmodi hominum ſtultam præſumptionem feriant. Convenientiſſimè enim cum verus amor non à nobis modò, verùm & à ſcripturis ipſis celebretur, turbæ nequaquam capientes uniforme illud amatoriæ in Deo appellationis, pro infirmitate ſua ad dividuum & corporalem diviſumque delapſi ſunt amorem, qui verus profecto amor non eſt, ſed imago potius ſeu magis à vero amore prolapſio. *Quibus verbis plurimum amorem celebrat D. Dionyſius, & in ſcripturis celebrari, atque divinis maximè competere ſcribit, eosque redarguit, qui hujusmodi nomen in malum interpretantur.*

ε Amorem quidem in bono & malo, dilectionem non niſi in bono.] *Oſtendit ex ſcriptura, quemadmodum amor etiam in bonam partem ſumitur, ita etiam dilectionem in malum ſumi. Iſidorus lib. de differ. ſpiritualib. differentia 32.* Inter amorem, dilectionem & charitatem hoc differt *(inquit)* quod amor & dilectio media ſunt & ad utrumque parata, ſive ad bonum ſive ad malum vertatur, charitas autem non niſi ad bonum.

ζ Malui triſtitiam dicere, quia ægritudo vel dolor.] *D. Thom. 3 p. q. 15. art. 5. ita diſtinguit triſtitiam & dolorem*, Quod licet utraque ſit in appetitu ſenſitivo, differant tamen ſecundùm motivum, ſeu objectum. Objectum enim & motivum doloris, eſt læſio, ſenſu tactûs percepta, ut cum aliquis vulneratur; objectum autem ſeu motivum triſtitiæ eſt nocivum ſeu malum interiùs: apprehenſum vel per rationem vel imaginationem.

CAP. VIII.

De tribus perturbationibus, quas in animo ſapientis Stoici eſſe voluerunt, excluſis dolore ſive triſtitia, quam virtus animi ſentire debeat.

QUas *a* α enim Græci appellant εὐπαθείας, Latinè autem Cicero conſtantias nominavit, Stoici tres eſſe voluerunt, pro tribus perturbationibus in animo ſapientis: β pro cupiditate voluntatem; *b* pro γ lætitia gaudium, δ; pro me-

tu cautionem: pro ægritudine verò, vel dolore, quem nos vitandæ ambiguitatis gratia, triſtitiam maluimus dicere, negaverunt eſſe poſſe aliquid in animo ſapientis. Voluntas quippe, inquiunt, appetit bonum, quod facit ſapiens. *b* Gaudium de bono adepto eſt, quod ubique adipiſcitur ſapiens. Cautio devitat malum, quod debet ſapiens devitare. Triſtitia porrò quia de malo eſt, quod jam accidit: nullum autem malum exiſtimant poſſe accidere ſapienti: nihil in ejus animo pro illa eſſe poſſe dixerunt. Sic ergo illi loquuntur, ut velle, gaudere, cavere, negent niſi ſapientem: ſtultùm autem non niſi cupere, lætari, metuere, contriſtari. Et illas tres eſſe conſtantias, has autem quatuor perturbationes ſecundùm Ciceronem: ſecundùm plurimos autem,paſſiones. Græcè autem illæ tres, ſicut dixi, appellantur εὐπάθειαι, iſtæ autem quatuor πάθη. Hæc *c* locutio utrum ſcripturis ſanctis congruat, cùm quærerem quantum potui diligenter, illud inveni,
Iſ.58. quod ait Propheta: *d Non eſt gaudere impiis, dicit Dominus:* tanquam impii lætari poſſint potius quàm gaudere de malis: quia gaudium propriè bonorum & piorum eſt.
Matt.7. Item illud in Evangelio: *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, hæc vos facite illis:* ita dictum videtur, tanquam nemo poſſit aliquid malè vel turpiter velle, ſed cupere. Denique propter conſuetudinem locutionis, nonnulli interpretes addiderunt bona, & ita interpretati ſunt: Quæcunque vultis ut faciant vobis homines bona. Cavendum enim putaverunt, ne quiſquam inhoneſta velit ſibi fieri ab hominibus, ut de turpioribus taceam, certè luxurioſa convivia, in quibus ſe, & ſi ipſe illis faciat ſimilia, hoc præceptum exiſtimet impleturum. Sed *e* in Græco Evangelio, unde in Latinum tranſlatum eſt, non legitur, bona, ſed, *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis:* credo propterea, quia in eo quod dixit vultis, jam voluit intelligi bona. Non enim ait cupitis. Non tamen ſemper his proprietatibus locutio noſtra frænanda eſt, ſed interdum his utendum eſt. Et cùm legimus eos, quorum autoritati reſultare fas non eſt, ibi ſunt intelligendæ, ubi rectus ſenſus alium exitum non poteſt invenire: ſicut iſta ſunt quæ exempli gratia partim ex Propheta, partim ex Evangelio commemoravimus. Quis enim neſcit, impios exultare lætitia? *Et tamen non eſt gaudere impiis, dicit Dominus.* Unde, niſi quia gaudere aliud eſt, quando propriè ſignateque hoc verbum ponitur? Item quis negaverit, non rectè præcipi hominibus, ut quæcunque ſibi ab aliis fieri cupiunt, hæc eis & ipſi faciant: ne ſe invicem turpitudine illicitæ voluptatis oblectent? & tamen ſaluberrimum, veriſſimumque præceptum eſt: Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis. Et hoc unde, niſi quia hoc loco modo quodam proprio voluntas poſita eſt, quæ in malo accipi non poteſt? Locutione verò uſitatiore, quam frequentat maximè conſuetudo ſermonis, *e* non utique diceretur: Noli velle mentiri omne mendacium: niſi eſſet & voluntas mala, à cujus pravi-
Luc.2. tate illa diſtinguitur, quam prædicaverunt angeli dicentes: *f Pax in terr & hominibus bonæ voluntatis.* Nam ex abundanti additum eſt, bonæ, ſi eſſe non poteſt niſi bona. Quid autem magnam in charitatis laudibus dixiſſet Apoſtolus,
1.Cor.13. quod *non gaudeat ſuper iniquitate,* niſi quia ita malignitas gaudet? Nam & apud

auto-

autores ſecularium literarum talis iſtorum verborum indifferentia reperitur. Ait enim Cicero orator ampliſſimus: *g Cupio, patres conſcripti, me eſſe clementem.* Quia hoc verbum in bono poſuit, quis tam perversè doctus exiſtat, qui non eum cupio, ſed volo potius dicere debuiſſe contendat? Porrò apud Terentium flagitioſus adoleſcens inſana flagrans cupidine: *h Nihil volo aliud,* inquit, *niſi Philomenam.* Quam voluntatem fuiſſe libidinem, reſponſio quæ ibi *i* ſervi ejus ſenioris inducitur, ſatis indicat. Ait namque domino ſuo: *Quanto ſatius eſt, te id dare operam, quo iſtum amorem ex animo amoveas tuo, quàm id loqui quò magis libido fruſtrà accendatur tua.* Gaudium verò eos & in malo poſuiſſe, ille ipſe Vergilianus teſtis eſt verſus, ubi has quatuor perturbationes ſumma brevitate complexus eſt:

Hinc metuunt, cupiúntque, dolent, gaudéntque.

i Dixit etiam idem autor:

Mala mentis gaudia. Æn.4.

Proinde volunt, cavent, languent & boni & mali. Atque ut eadem aliis verbis enunciemus, cupiunt, timent, lætantur & boni & mali. Sed illi benè, iſti malè, ſicut hominibus ſeu recta ſeu perverſa voluntas eſt. *x* Ipſa quoque triſtitia, pro qua Stoici nihil in animo ſapientis inveniri poſſe putaverunt, reperitur in bono & maximè apud noſtros. Nam laudat Apoſtolus Corinthios, quòd contriſtati fuerint ſecundùm Deum. Sed fortaſſe quis dixerit, illis Apoſtolum fuiſſe congratulatum, quòd contriſtati fuerint pœnitendo: qualis triſtitia, niſi eorum qui peccaverunt, eſſe non poteſt. Ita enim dicit: *Video quòd Epiſtola illa, etſi ad horam, contriſtavit vos: nunc verò gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim ſecundùm Deum eſt triſtitia, k pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: mundi autem triſtitia mortem operatur. Ecce enim idipſum ſecundùm Deum contriſtari, quantam perfecit in nobis induſtriam.* 1.Cor.7. Ac per hoc poſſunt Stoici pro ſuis partibus reſpondere, ad hoc videri utilem eſſe triſtitiam, ut peccaſſe pœniteat, in animo autem ſapientis ideo eſſe non poſſe, quia nec peccatum in eum cadit cujus pœnitentia contriſtetur, nec ullum aliud malum, quod perpetiendo & ſentiendo ſit triſtis. *l* λ Nam & Alciabidem ferunt, ſi me de nomine hominis memoria non fallit, cùm ſibi beatus videretur *m* Socrate diſputante, & ei quam miſer eſſet, quoniam ſtultus eſſet, demonſtrante, fleviſſe. Huic ergo ſtultitia fuit cauſa etiam hujus utilis optandæque triſtitiæ, qua homo eſſe ſe dolet, quod eſſe non debet. Stoici autem non ſtultum, ſed ſapientem ajunt triſtem eſſe non poſſe.

a QUas enim Græci appellant εὐπαθείας, Cicero conſtantias.] *Hæc omnia apud Ciceronem libro quarto Tuſculan. quæſt. Porrò εὐπάθεια, quaſi. bonus affectus dicitur: quod bifariam poteſt intelligi: & περὶ τῆς τρυφῆς, hoc eſt de voluptate, cujus contrarius eſt mœror & dolor: & περὶ τῆς βουλήσεως, hoc eſt de illa honeſta & ſancta voluntate, quam Stoici ponebant. Nam dixi antea, voluntates ab Stoicis tantùm dici bonas, quod planius Cicero.*

ε Gaudium de bono adepto eſt, quod ubique adipiſcitur ſapiens.] *Seneca ferè totam epiſtol. 59. conſumpſit in probando, gaudium cadere in ſolum ſapientem, his præſertim verbis in fine;* Gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia, non poteſt gaudere niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans. Quid ergo, inquis, ſtulti non gaudent? non magis quàm prædam nacti Leones. *Idem epiſt. 66.* Quædam *(inquit)* ut noſtris videtur prima bona ſunt tanquam gaudium, pax, ſalus patriæ; *quæ conſentanea ſunt maximè D. Paulo, qui enumerans præcipua Chriſtiani hominis bona, ita incipit,* Gaudium, pax, tranquillitas; *verùm illud gaudium, de quo Apoſtolus, non eſt ἐπάθεια illa Stoicorum, ſed actus charitatis, & fructus Spiritus ſancti, de quo D. Thomas 2. 2. quæſt. 28.*

ζ Quod ait Propheta, non eſt gaudere impiis.] *Iſaiæ 57. Sequitur hic editionem Septuaginta. nam vulgata editio, ſequens textum Hebraicum, habet* non eſt pax impiis, *verterunt Septuaginta,* non eſt gaudere impiis, *ut Leo de Caſtro obſervat ex doctrina Platonis in Philebo, ubi veram voluptatem eam eſſe colligit, ubi pax eſt & tranquillitas animi, quam ille ἀλυπίαν nominat, ubi nulla perturbationum animi pugna, tranquillitas ſumma, quæ tantùm veris voluptatibus, & veris gaudiis contingit, & vera hæc gaudia negat malis poſſe contingere. Idem D. Auguſtinus, ſerm. 37. de verb. domi. in Evangel. Lucæ fuſiùs docet, gaudia non eſſe gaudia, quæ vulgus putat, quod idem docet Ariſtot. 7. Ethicorum, Plato in Philebo, & lib. de Republ.*

η In Græco Evangelio unde in Latinum translatum eſt, non legitur bonum.] *Matth. 7. & Luc. 6.* πάντα οὖν ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. *Hoc primum certe naturæ principium, cui ſimile quiddam apud Tobiam legitur cap. 4.* Quæ ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu alteri aliquando facias. *Alexander Severus Imperator, ut refert Lampridius in ejus vita, hanc ſententiam uſque adeo dilexit, ut & in Palatio, & in publicis operibus præſcribi juberet. Et ideò Chriſtianos maximè commendabat, quod quæ ſibi fieri vellent, aliis ea ipſi facerent. Ita vero intelligendum eſt, ut quæcumque volumus, ut faciant nobis ſecundùm rectam rationem: nihil enim præcipitur lege naturæ, quod non ſit conſentaneum rectæ rationi.*

θ Non utique diceretur: noli velle mentiri omne mendacium.] *Eccleſiaſt. 7. quem locum uſurpat D. Auguſtinus, lib. de mendacio ad Conſentium cap. 16. & 17. ut oſtendat, non modo illicitum eſſe mentiri, ſed nec licitum, velle mentiri: Hoc verò, ut oſtendat nomen voluntatis ſumi etiam in deteriorem partem, adeoque ut bonam, ita malam eſſe voluntatem, cùm etiam in ſcriptura ſacra dicatur bona voluntas, Lucæ 2. ſicque quemadmodum voluntas in bonum & malum ſumitur, tùm in ſcriptura ſacra, tùm etiam apud linguæ Latinæ peritos, ita etiam cupiditas & verbum cupio in bonum aliquando ſumitur, quod probat authoritate Ciceronis & Terentii.*

ι Dixit idem author, mala mentis gaudia.] *Seneca epiſt. 59. in principio meminit, & hujus locutionis Virgilianæ. Itaque cum dicit (inquit) Virgilius noſter* mala mentis gaudia, *disertè quidem dicit, ſed parum propriè, nullum enim malum gaudium, voluptatibus hoc nomen impoſuit, & quod voluit, expreſſit.*

κ Ipſa quoque triſtitia.] *Stoici triſtitiam ipſam unam ex quatuor perturbationibus*

nibus eſſe volebant, cum tamen cæteris tribus, utpote cupiditati, lætitiæ, metui aliquam vellent reſpondere in anima ſapientis εὐπάθειαν *ſeu conſtantiam, triſtitiæ, quæ eſt de malo præſenti, nullam* εὐπάθειαν *reſpondere docebant. Oſtendit verò ex loco Apoſtoli, etiam eſſe aliquam triſtitiam bonam. Scribens enim ad Corinthios eos laudat,* Quod contriſtati fuerint ſecundùm Deum, & quæ ſecundùm Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem impœnitendam operatur. *Vulgata editio legit,* in ſalutem ſtabilem, *Græcè legitur,* ἡ κατὰ θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. *Verum (inquit) reſpondere potuerunt Stoici, triſtitiam hujuſmodi eſſe ob peccatum commiſſum, quemadmodum igitur peccatum in ſapientem non cadit, ita neque triſtitia in illius animum cadere poteſt. Verùm ſapientem hujuſmodi Stoicum exiſtimo eſſe inſtar Platonis Reipublicæ, qui animo quidem effingatur, verùm in rerum natura ne vix quidem reperiatur.*

λ Nam & Alcibiadem ferunt.] *Plato in Alcibiade.*

CAP. IX.

De perturbationibus animi, quarum affectus rectos habet vita juſtorum.

VErum his Philoſophis, quod ad iſtam quæſtionem de animi perturbationibus attinet, α jam reſpondimus in nono hujus operis libro: oſtendentes, eos non tàm de rebus, quàm de verbis cupidiores eſſe contentionis, quàm veritatis. β Apud nos autem juxta ſcripturas ſacras, ſacramque doctrinam, cives ſanctæ civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione ſecundùm Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus eſt amor eorum, iſtas omnes affe-
ctiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam. Do- Rom. 8.
lent in ſe al. ſpe, quia ipſi in ſemetipſis adhuc ingemiſcũt adoptionem, expectãtes
redemptionem corporis ſui. Gaudent in ſpe, quia *fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Ab-* 1. Cor. 15.
ſorpta eſt mors in victoriam. Item metuunt peccare, cupiunt perſeverare: dolent
in peccatis, gaudent in operibus bonis. Ut enim metuant peccare, audiunt: *Quo-* Matth.
niam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Ut cupiant perſeverare, 24.
audiunt quod ſcriptum eſt: *Qui perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit.* Ut Matt. 10.
doleant in peccatis, audiunt: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos* 1. Ioh. 1.
ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Ut gaudeant in operibus bonis, audiunt:
Hilarem datorem diligit Deus. Item ſicuti ſe infirmitas eorum firmitasque ha- 2. Cor. 9.
buerit, metuunt tentari, cupiunt tentari: dolent in tentationibus, gaudent in
tentationibus. Ut enim metuant tentari, audiunt: *Si quis præoccupatus fuerit in* Gal. 6.
aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu manſuetudinis, intendens te ipſum ne tu tenteris. Ut autem cupiant tentari, audiunt quendam vi-
rum fortem civitatis Dei dicentem: *Proba me Domine, & tenta me, ure renes me-* Pſ. 25.
os & cor meum. Ut doleant in tentationibus, vident Petrum flentem. Ut gaude- Matth.
ant in tentationibus, audiunt Jacobum dicentem: *Omne gaudium exiſtimate fra-* 26.
tres mei, cùm in tentationes varias incideritis. Non ſolùm autem propter ſemet- Iac. 1.
ipſos his moventur affectibus, verùm etiam propter eos, quos liberari cupiunt,

& ne

b Sed ideo malui triſtitiam dicere.] *Cic. 2. Tuſc. q. cùm de dolore loquitur, cruciatum in corpore ſignificat, & ægritudinem cruciantem finit lib. 4. ægritudinem in animo eſſe dicit, ſicuti ægrotationem in corpore: ægritudinem quoque non ſejunctum à dolore habere nomen, lib. 3.*

F.L.Cap. *α* QUæ uſitatius in ſcripturis charitas appellatur.] *Nihil frequentius in ſcripturis nomine charitatis, nec quicquam eſt quod nobis magis commendetur. Unde rectè idem D. Auguſtinus præfat. in Pſalm. 140.* Quicquid ſalubriter mente concipitur vel ore profertur, vel de qualibet divina pagina exſculpitur, non habet finem niſi charitatem. *lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 35.* Intelligatur legis & omnium divinarum ſcripturarum plenitudo & finis eſſe dilectio rei, qua fruendum eſt, & rei, quæ nobiſcum ea re frui poteſt, *& 36.* Quisquis divinas ſcripturas vel quamlibet earum partem intellexiſſe ſibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet geminam iſtam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. *Pro hoc vocabulo Græcè legitur ἀγάπη, nomen verò charitatis apud Latinæ linguæ authores ſignificat amorem honeſtum in eos, qui & per ſe amentur gratuito, & viciſſim redamare poſſint, & eſt frequens apud Ciceronem lib. 1. de natur. deor.* Hominum charitas & amicitia gratuita eſſe debet, *lib. 1. officior.* Omnes omnium charitatis patria una complexa eſt. *& paſſim alibi.*

β Diligis me plus his.] *Non eſt ſenſus,* plusquam hos diligis: *nec enim Chriſtus zelotypia laborabat, aut cum cæteris diſcipulis de Petri amore erga ſe contendebat, ſed ſenſus eſt,* diligis me plus *his. i. e.* quàm hi me diligunt.

Tu ſcis quod amo te.] *Ita Græcè legitur,* Σίμων Ιωνᾶ ἀγαπᾶς με, λέγει αὐτῷ, ναὶ κύριε σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε. *quod Chriſtus utatur hoc verbo* diligo, *& Petrus reſpondeat altero* amo, *etſi D. Ambroſius Lucæ ult. differre exiſtimet, & poni diſt. arbitretur, ut diſtincta ſignificent, quod dilectio habeat animi charitatem, amor quendam æſtum, conceptum corporis ac mentis ardorem, & Petrum velit non ſolùm animi, ſed etiam corporis ſui circa Dei cultum ſignare voluiſſe hoc verbo flagrantiam, veroſimilius eſt tamen, non diverſa, ſed idem ſignificare: ſi quidem in ſcriptura hæc duo verba pro eodem accipiuntur, ut ex hoc loco D. Auguſtini docet Toletus ad eum locum Joannis, etſi aliquando inter ea ſervetur aliquod diſcrimen. In dicto verò loco Joannis pro eodem ſumi probat verbum ſequens, ſequitur enim,* dicit ei tertiò, amas me, *ſi diligere aliud ſignificaret quam amare, non ſcriberetur,* dicit ei tertiò, amas me, *quia verbum quod præceſſit, non idem ſignificaret.*

γ Nec ipſos authores ſæcularium literarum.] *Seneca Epiſtol. 71. apertè ſignificat, amorem in bonum dici, & quidem in propria ſua notione his verbis:* Hæc ſi perſuaſeris tibi, & virtutem adamaveris (amare enim parum eſt) *& apud Ciceronem paſſim, amor in patriam, amor in rempublicam. Ita vero apud probatos authores, & maximè apud Ciceronem hæc duo diſtinguuntur, ut amare intenſius ſit aliquid quàm diligere, teſte Valla lib. 5. cap. 77. Epiſt. 133.* Mihi denique nunc amare videor, ante dilexiſſe: *Epiſt. 1. ad Brutum.* Clodius me valde diligit, vel ut ἐμφατικώτερον loquar, valde me amat. *Unde conſtat, aliquanto plus eſſe amare, quàm diligere, quemadmodum tamen in ſcripturis ſacris hæc differentia non obſervatur, ita nec perpetuo apud*

apud Cicéronem & alios authores profanos, ut obſervat Nizolius in Theſauro Ciceroniano, verbo amo.

δ Scripturas religionis noſtræ non aliud dicere amorem.] *Uſitatum eſſe amoris nomen in ſcripturis ſacris, & quidem in bonum dici, docet D. Dionyſius lib. de divinis nominibus cap. 4.* Nemo, *inquit,* arbitretur, nos præter ſacræ ſcripturæ authoritatem amoris nomen inducere, *paulo poſt.* Audiant, *inquit,* ſcripturam, qui amoris vocabulum in jus trahunt. Ama illam, *inquit,* & ſervabit te, circumda illam tibi, & exaltabit te, honora illam, ut complectatur te, & quæque alia amatoria in literis ſacris celebrantur. Atqui viſum eſt pleriſque ex tractatoribus noſtris, divinius eſſe amoris, quàm dilectionis nomen. Scribit enim divinus Ignatius, Amor meus crucifixus eſt, & in primis ſcripturarum inſtitutionibus quendam de ſapientia divina dixiſſe comperies, Amator factus ſum formæ illius. Non ergo metuamus hoc amoris nomen, neque nos ullus perturbet ſermo terroreve concutiat. Mihi enim videntur Theologi commune quidem arbitrari dilectionis & amoris nomen, cæterùm idcirco divinis magis verum amorem aſſignare, ut hujuſmodi hominum ſtultam præſumptionem feriant. Convenientiſſimè enim cum verus amor non à nobis modò, verùm & à ſcripturis ipſis celebretur, turbæ nequaquam capientes uniforme illud amatoriæ in Deo appellationis, pro infirmitate ſua ad dividuum & corporalem diviſumque delapſi ſunt amorem, qui verus profecto amor non eſt, ſed imago potius ſeu magis à vero amore prolapſio. *Quibus verbis plurimum amorem celebrat D. Dionyſius, & in ſcripturis celebrari, atque divinis maximè competere ſcribit, eosque redarguit, qui hujuſmodi nomen in malum interpretantur.*

ε Amorem quidem in bono & malo, dilectionem non niſi in bono.] *Oſtendit ex ſcriptura, quemadmodum amor etiam in bonam partem ſumitur, ita etiam dilectionem in malum ſumi. Iſidorus lib. de differ. ſpiritualib. differentia 32.* Inter amorem, dilectionem & charitatem hoc differt *(inquit)* quod amor & dilectio media ſunt & ad utrumque parata, ſive ad bonum ſive ad malum vertatur, charitas autem non niſi ad bonum.

ζ Malui triſtitiam dicere, quia ægritudo vel dolor.] *D. Thom. 3 p. q. 15. art. 5. ita diſtinguit triſtitiam & dolorem*, Quod licet utraque ſit in appetitu ſenſitivo, differant tamen ſecundùm motivum, ſeu objectum. Objectum enim & motivum doloris, eſt læſio, ſenſu tactûs percepta, ut cum aliquis vulneratur; objectum autem ſeu motivum triſtitiæ eſt nocivum ſeu malum interiùs: apprehenſum vel per rationem vel imaginationem.

CAP. VIII.

De tribus perturbationibus, quas in animo ſapientis Stoici eſſe voluerunt, excluſis dolore ſive triſtitia, quam virtus animi ſentire debeat.

QUas *a* α enim Græci appellant εὐπαθείας, Latinè autem Cicero conſtantias nominavit, Stoici tres eſſe voluerunt, pro tribus perturbationibus in animo ſapientis: β pro cupiditate voluntatem; *b* pro γ lætitia gaudium, δ; pro metu cau-

tu cautionem: pro ægritudine verò, vel dolore, quem nos vitandæ ambiguitatis gratia, triſtitiam maluimus dicere, negaverunt eſſe poſſe aliquid in animo ſapientis. Voluntas quippe, inquiunt, appetit bonum, quod facit ſapiens. *ſ* Gaudium de bono adepto eſt, quod ubique adipiſcitur ſapiens. Cautio devitat malum, quod debet ſapiens devitare. Triſtitia porrò quia de malo eſt, quod jam accidit: nullum autem malum exiſtimant poſſe accidere ſapienti: nihil in ejus animo pro illa eſſe poſſe dixerunt. Sic ergo illi loquuntur, ut velle, gaudere, cavere, negent niſi ſapientem: ſtultum autem non niſi cupere, lætari, metuere, contriſtari. Et illas tres eſſe conſtantias, has autem quatuor perturbationes ſecundùm Ciceronem: ſecundùm plurimos autem, paſſiones. Græcè autem illæ tres, ſicut dixi, appellantur εὐπάθειαι, iſtæ autem quatuor πάθη. Hæc *c* locutio utrum ſcripturis ſanctis congruat, cùm quærerem quantum potui diligenter, illud inveni,
Eſ.58. quod ait Propheta: *d Non eſt gaudere impiis, dicit Dominus:* tanquam impii lætari poſſint potius quàm gaudere de malis: quia gaudium propriè bonorum & piorum eſt. Item illud in Evangelio: *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, hæc vos facite illis:* ita dictum videtur, tanquam nemo poſſit aliquid malè vel turpiter velle, ſed cupere. Denique propter conſuetudinem locutionis, nonnulli interpretes addiderunt bona, & ita interpretati ſunt: Quæcunque vultis ut faciant vobis homines bona. Cavendum enim putaverunt, ne quiſquam inhoneſta velit ſibi fieri ab hominibus, ut de turpioribus taceam, certè luxurioſa convivia, in quibus ſe, & ſi ipſe illis faciat ſimilia, hoc præceptum exiſtimet impleturum. Sed *η* in Græco Evangelio, unde in Latinum translatum eſt, non legitur, bona, ſed, *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis:* credo propterea, quia in eo quod dixit vultis, jam voluit intelligi bona. Non enim ait cupitis. Non tamen ſemper his proprietatibus locutio noſtra frænanda eſt, ſed interdum his utendum eſt. Et cùm legimus eos, quorum autoritati reſultare fas non eſt, ibi ſunt intelligendæ, ubi rectus ſenſus alium exitum non poteſt invenire: ſicut iſta ſunt quæ exempli gratia partim ex Propheta, partim ex Evangelio commemoravimus. Quis enim neſcit, impios exultare lætitia? *Et tamen non eſt gaudere impiis, dicit Dominus.* Unde, niſi quia gaudere aliud eſt, quando propriè ſignateque hoc verbum ponitur? Item quis negaverit, non rectè præcipi hominibus, ut quæcunque ſibi ab aliis fieri cupiunt, hæc eis & ipſi faciant: ne ſe invicem turpitudine illicitæ voluptatis oblectent? & tamen ſaluberrimum, veriſſimumque præceptum eſt: Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis. Et hoc unde, niſi quia hoc loco modo quodam proprio voluntas poſita eſt, quæ in malo accipi non poteſt? Locutione verò uſitatiore, quam frequentat maximè conſuetudo ſermonis, *θ* non utique diceretur: Noli velle mentiri omne mendacium: niſi eſſet & voluntas mala, à cujus pravitate illa diſtinguitur, quam prædicaverunt angeli dicentes: *f Pax in terra & hominibus bonæ voluntatis.* Nam ex abundanti additum eſt, bonæ, ſi eſſe non poteſt niſi bona. Quid autem magnum in charitatis laudibus dixiſſet Apoſtolus, quod *non gaudeat ſuper iniquitate*, niſi quia ita malignitas gaudet? Nam & apud auto-

Matt.7. Luc.2. 1.Cor.13.

autores ſecularium literarum talis iſtorum verborum indifferentia reperitur. Ait enim Cicero orator ampliſſimus: *g Cupio, patres conſcripti, me eſſe clementem.* Quia hoc verbum in bono poſuit, quis tam perverſè doctus exiſtat, qui non eum cupio, ſed volo potius dicere debuiſſe contendat? Porrò apud Terentium flagitioſus adoleſcens inſana flagrans cupidine: *h Nihil volo aliud*, inquit, *niſi Philomenam.* Quam voluntatem fuiſſe libidinem, reſponſio quæ ibi *i* ſervi ejus ſenioris inducitur, ſatis indicat. Ait namque domino ſuo: *Quanto ſatius eſt, te id dare operam, quo iſtum amorem ex animo amoveas tuo, quàm id loqui quò magis libido fruſtrà accendatur tua.* Gaudium verò eos & in malo poſuiſſe, ille ipſe Vergilianus teſtis eſt verſus, ubi has quatuor perturbationes ſumma brevitate complexus eſt:

Hinc metuunt, cupiúntque, dolent, gaudéntque.

1 Dixit etiam idem autor:

Mala mentis gaudia. Æn.4.

Proinde volunt, cavent, languent & boni & mali. Atque ut eadem aliis verbis enunciemus, cupiunt, timent, lætantur & boni & mali. Sed illi benè, iſti malè, ſicut hominibus ſeu recta ſeu perverſa voluntas eſt. *x* Ipſa quoque triſtitia, pro qua Stoici nihil in animo ſapientis inveniri poſſe putaverunt, reperitur in bono & maximè apud noſtros. Nam laudat Apoſtolus Corinthios, quòd contriſtati fuerint ſecundùm Deum. Sed fortaſſe quis dixerit, illis Apoſtolum fuiſſe congratulatum, quòd contriſtati fuerint pœnitendo: qualis triſtitia, niſi eorum qui peccaverunt, eſſe non poteſt. Ita enim dicit: *Video quòd Epiſtola illa, etſi ad horam, contriſtavit vos: nunc verò gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim ſecundùm Deum eſt triſtitia, k pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: mundi autem triſtitia mortem operatur. Ecce enim idipſum ſecundùm Deum contriſtari, quantam perfecit in nobis induſtriam.* 1.Cor.7. Ac per hoc poſſunt Stoici pro ſuis partibus reſpondere, ad hoc videri utilem eſſe triſtitiam, ut peccaſſe pœniteat, in animo autem ſapientis ideo eſſe non poſſe, quia nec peccatum in eum cadit cujus pœnitentia contriſtetur, nec ullum aliud malum, quod perpetiendo & ſentiendo ſit triſtis. *l* λ Nam & Alciabidem ferunt, ſi me de nomine hominis memoria non fallit, cùm ſibi beatus videretur *m* Socrate diſputante, & ei quam miſer eſſet, quoniam ſtultus eſſet, demonſtrante, fleviſſe. Huic ergo ſtultitia fuit cauſa etiam hujus utilis optandæque triſtitiæ, qua homo eſſe ſe dolet, quod eſſe non debet. Stoici autem non ſtultum, ſed ſapientem ajunt triſtem eſſe non poſſe.

a QUas enim Græci appellant εὐπαθείας, Cicero conſtantias.] *Hæc omnia apud Ciceronem libro quarto Tuſculan. quæſt. Porrò εὐπάθεια, quaſi. bonus affectus dicitur: quod bifariam poteſt intelligi: & περὶ τῆς τρυφῆς, hoc eſt de voluptate, cujus contrarius eſt mœror & dolor: & περὶ τῆς βουλήσεως, hoc eſt de illa honeſta & ſancta voluntate, quam Stoici ponebant. Nam dixi antea, voluntates ab Stoicis tantùm dici bonas, quod planius Cicero.*

b Pro lætitia gaudium.] *Gaudere enim decet, lætari non decet. Porrò declinatio à malo cum ratione eſt cautio, ſine ratione verò & cum exanimatione humili atque fracta motus.*

c Locutio utrum ſcripturis ſanctis.] *Equidem non video, quò ſpectet tam longa diſputatio de ratione nominum ex interprete duntaxat petita: nam ſi in eadem lingua dicta adduceret, quæ ſunt à ſanctis ſcripta, eſſet aliqua ratio cur fieret.*

d Non eſt gaudere impiis, dicit Dominus.] *Eſaiæ quinquageſimo octavo. Vulgò legimus, Non eſt pax impiis, dicit Dominus. LXX. verterunt, Non eſt gaudium impiis.*

e Sed in Græco Evangelio.] πάντα ὀῦν ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἀνθρωποι, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε ἀυτοῖς. *Otioſum nimis eſſet, ut puto, multis verbis perſuadere velle, cum de ſenſu aut integritate verborum Evangelii Latini dubitatur, ad fontem ipſum recurrendum, ad Græca Exemplaria, quâ lingua Apoſtoli ſcripſere. Hoc Hieronymus clamat, hoc Auguſtinus hic admonet, & præcipit exemplo ſuo. Iſti reclamant, & certius eſſe contendunt, transfuſum in Latinum ſermonem Evangelium quàm in ipſa origine ſua. Sed iſtos non magnoperè referre putem confutari: nam pauci ſunt, & indocti, qui vel ſuapte ſponte tacebunt, cùm ſe intelligent nil proficere, vel eruditorum omnium conſenſu cum abſonis ſuis clamoribus rejicientur.*

f Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.] *Græcè eſt* καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἀνθρώποις εὐδοκία. *In terra pax, hominibus bona voluntas. Sed ad id quod agit, nihil intereſt, ſive bona voluntas dicatur, ſive bonæ voluntatis.*

g Cupio patres conſcripti, me eſſe clementem.] *Prima in Catilinam invectiva. Sed ſic legitur: Cupio, patres conſcripti, me eſſe clementem, cupio in tantis reipublicæ periculis me non diſſolutum videri. Et in hoc ſenſu, cupio, eſt ſexcenties apud Ciceronem: atque hoc argumentum Auguſtini ex ſcriptoribus linguæ Latinæ, in ea re de qua tractat, paulò eſt aptius quàm alia omnia ſacrorum librorum: idq; non tàm contra Græcos Stoicos, quàm contra Latinum Ciceronem.*

h Nihil volo aliud, inquit, niſi Philomenam.] *Verba ſunt Carini in Andria Terentii. Puto dici Philumenam, quaſi charam & amatam.* Φιλουμένη *filia fingitur Chremetis.* *(*Interpres noſter multis antea libris tacitus, hoc demum capite ſolvit ſilentium, & Philumenam, nomen eſſe cujusdam meretricis ait. Hoc non eſt boni viri ex pudica virgine impudicum ſcortum facere: ſed nimirum putat, quod & aliis plerisque noſtro tempore perſuaſum eſt, apud poëtas nullos viros loqui, niſi lenones, aut latrones: nec ullas fœminas, niſi meretrices aut lenas. Ideò lupanarium Latinum vocant, quòd cùm Philumena in lupanari inveniatur, quid ſimplici illi & columbino prædicatoris oculo videri debuit, quàm meretrix?*)*

i Servi ejus ſenioris.] *An ſanioris? ideò melius poterat judicare: nam Carinus in amore non ſat erat ſanus: ſervus hic erat Byrrhia.*

k Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.] *Sic vulgò etiam legimus in Epiſtola Pauli ad Corinthios ſecũdo. In antiquis Auguſtini exemplaribus, in Brugenſi habetur, pœnitentiam in ſalutem impœnitentibus: mendoſè quidem, ſed aliquo tamen veſtigio veræ lectionis, quæ eſt in Colonienſi, ubi legitur: In ſalutem impœnitendam:*

dam: ſic enim Græcè μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον, *pœnitentiam in ſalutem cujus nunquam pœniteat.*

l Nam & Alcibiadem ferunt.] *Hic propinquus erat Periclis principis Athen. cui & pupillus eſt relictus, omnium mortalium formoſiſſimus, idem ingenioſiſſimus, & maxima in re militari induſtriæ. Imperator fuit Athenien. Bellúmque geſſit cum Siculis & Lacedæmoniis. Nullius unquam unius hominis ad res diverſiſſimas vitia, & maximas virtutes, flexibilius ingenium fuit. Ejus vitam & geſta ſcribunt Plutarchus, & Æmilius Probus, & Juſtinus, vulgares ſatis autores.*

m Socrate diſputante.] *Socrates hunc edocuit, quem & ſe amare ſimulavit, ut ab amoribus aliorum, qui impudici erant, averteret, Frequens ejus mentio in Dial. Plat. Socrates hunc interim blandis & ſuavibus, cùm haberet obſequentem, ducebat verbis, ſæpè aſperis & acribus, cùm ferocientem videret, ſibiq́; placentem impendio coërcebat: ut apud Plat. in Alcib. de hominis natura. Cicero 4. Tuſc. Cùm Socrates Alcibiadi perſuaſiſſet, ut accepimus, eum nihil hominis eſſe, nec quicquam inter Alcibiadem ſummo loco natum, & quemvis bajulum intereſſe, cùm ſe Alcibiades affligeret, lacrymansq́; Socrati ſupplex eſſet, ut ſibi virtutem traderet turpitudinemq́; depelleret.*

α QUas Græci appellant εὐπαθείας.] Bonos affectus; *poſſumus interpretari, ut qui ſunt rectæ rationi conformes, conſtantias nominat Cicero, & hi cadunt in ſapientem: perturbationes autem illis contrariæ ſunt affectus, ipſi rectæ rationi repugnantes. Hæc verò omnia, quæ hic D. Auguſtinus ſcribit de quatuor perturbationibus, & de tribus conſtantiis illis reſpondentibus in animo ſapientis, quodque ægritudini nulla conſtantia opponatur, habes apud Ciceronem lib. 4. Tuſculan. quæſtionum.* F.L.Cog.

β Pro cupiditate voluntatem.] *Ita diſtinguebant apud Ciceronem, quod voluntas, quam* βούλησιν *Stoici appellant, ſit ea appetitio, quæ quid cum ratione deſiderat; quæ autem adverſa ratione mutata eſt vehementius; ea libido eſt, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus ſtultis invenitur, ita voluntas erit* εὐπάθεια, *Latinè* conſtantia, cupiditas, πάθος *ſive* perturbatio.

γ Pro lætitia gaudium.] *Cum ratione animus ob bonum præſens movetur placidè atque conſtanter, tum illud gaudium dicitur: cum autem inaniter & effusè animus exultat, tùm illa lætitia geſtiens vel nimia dici poteſt, quam definiunt ſine ratione animi elationem, ita lætitia erit* πάθος, *& non cadet in animum ſapientis, gaudium* εὐπάθεια *& conſtantia.*

δ Pro metu cautionem.] *Ita utrumque diſtinguit, quod ſi declinatio à malo fiet cum ratione; cautio appellabitur, eaque intelligetur eſſe in ſolo ſapiente; quæ verò ſine ratione, & cum exanimatione humili atq; fracta, dicitur metus, ut ſit rationi adverſa cautio. Seneca epiſt. 85. contendit adverſus Peripateticos, ne leviſſimum quidem timorem in ſapientem cadere,* Qui timet quidem, ſed rarius & minus, non caret malitia, ſed leniore vexatur. *Et paulo poſt*, Ut nobis videtur, præbebit ſe periculis, fortis, minime; non timebit illa, ſed vitabit, cautio illum decet, timor non decet. Quid ergo inquis? mortem, vincula, ignes, alia tela fortunæ non timebit? non: ſcit enim illa non eſſe mala, ſed videri.

e Gaudium de bono adepto eſt, quod ubique adipiſcitur ſapiens.] *Seneca ferè totam epiſtol. 59. conſumpſit in probando, gaudium cadere in ſolum ſapientem, his præſertim verbis in fine;* Gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia, non poteſt gaudere niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans. Quid ergo, inquis, ſtulti non gaudent? non magis quàm prædam nacti Leones. *Idem epiſt. 66.* Quædam *(inquit)* ut noſtris videtur prima bona ſunt tanquam gaudium, pax, ſalus patriæ; *quæ conſentanea ſunt maximè D. Paulo, qui enumerans præcipua Chriſtiani hominis bona, ita incipit,* Gaudium, pax, tranquillitas; *verùm illud gaudium, de quo Apoſtolus, non eſt ἐπάρσια illa Stoicorum, ſed actus charitatis, & fructus Spiritus ſancti, de quo D. Thomas 2. 2. quæſt. 28.*

ζ Quod ait Propheta, non eſt gaudere impiis.] *Iſaiæ 57. Sequitur hic editionem Septuaginta. nam vulgata editio, ſequens textum Hebraicum, habet* non eſt pax impiis, *verterunt Septuaginta,* non eſt gaudere impiis, *ut Leo de Caſtro obſervat ex doctrina Platonis in Philebo, ubi veram voluptatem eam eſſe colligit, ubi pax eſt & tranquillitas animi, quam ille ἀλυπίαν nominat, ubi nulla perturbationum animi pugna, tranquillitas ſumma, quæ tantùm veris voluptatibus, & veris gaudiis contingit, & vera hæc gaudia negat malis poſſe contingere. Idem D. Auguſtinus, ſerm. 37. de verb. domi. in Evangel. Lucæ fuſiùs docet, gaudia non eſſe gaudia, quæ vulgus putat, quod idem docet Ariſtot. 7. Ethicorum, Plato in Philebo, & lib. de Republ.*

η In Græco Evangelio unde in Latinum translatum eſt, non legitur bonum.] *Matth. 7. & Luc. 6.* πάντα οὖν ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. *Hoc primum certe naturæ principium, cui ſimile quiddam apud Tobiam legitur cap. 4.* Quæ ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu alteri aliquando facias. *Alexander Severus Imperator, ut refert Lampridius in ejus vita, hanc ſententiam uſque adeo dilexit, ut & in Palatio, & in publicis operibus præſcribi juberet. Et ideò Chriſtianos maximè commendabat, quod quæ ſibi fieri vellent, aliis ea ipſi facerent. Ita vero intelligendum eſt, ut quæcumque volumus, ut faciant nobis ſecundùm rectam rationem: nihil enim præcipitur lege naturæ, quod non ſit conſentaneum rectæ rationi.*

θ Non utique diceretur: noli velle mentiri omne mendacium.] *Eccleſiaſt. 7. quem locum uſurpat D. Auguſtinus, lib. de mendacio ad Conſentium cap. 16. & 17. ut oſtendat, non modo illicitum eſſe mentiri, ſed nec licitum, velle mentiri: Hoc verò, ut oſtendat nomen voluntatis ſumi etiam in deteriorem partem, adeoque ut bonam, ita malam eſſe voluntatem, cùm etiam in ſcriptura ſacra dicatur bona voluntas, Lucæ 2. ſicque quemadmodum voluntas in bonum & malum ſumitur, tùm in ſcriptura ſacra, tùm etiam apud linguæ Latinæ peritos, ita etiam cupiditas & verbum cupio in bonum aliquando ſumitur, quod probat authoritate Ciceronis & Terentii.*

ι Dixit idem author, mala mentis gaudia.] *Seneca epiſt. 59. in principio meminit, & hujus locutionis Virgilianæ. Itaque cum dicit (inquit) Virgilius noſter* mala mentis gaudia, *disertè quidem dicit, ſed parum propriè, nullum enim malum gaudium, voluptatibus hoc nomen impoſuit, & quod voluit, expreſſit.*

κ Ipſa quoque triſtitia.] *Stoici triſtitiam ipſam unam ex quatuor perturbationibus*

nibus eſſe volebant, cum tamen cæteris tribus, utpote cupiditati, lætitiæ, metui aliquam vellent reſpondere in anima ſapientis εὐπάθειαν ſeu conſtantiam, triſtitiæ, quæ eſt de malo præſenti, nullam εὐπάθειαν reſpondere docebant. Oſtendit verò ex loco Apoſtoli, etiam eſſe aliquam triſtitiam bonam. Scribens enim ad Corinthios eos laudat, Quod contriſtati fuerint ſecundùm Deum, & quæ ſecundùm Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem impœnitendam operatur. *Vulgata editio legit,* in ſalutem ſtabilem, *Græcè legitur,* ἡ κτ̀ Θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. *Verum (inquit) reſpondere potuerunt Stoici, triſtitiam hujuſmodi eſſe ob peccatum commiſſum, quemadmodum igitur peccatum in ſapientem non cadit, ita neque triſtitia in illius animum cadere poteſt. Verùm ſapientem hujuſmodi Stoicum exiſtimo eſſe inſtar Platonis Reipublicæ, qui animo quidem effingatur, verùm in rerum natura ne vix quidem reperiatur.*

λ Nam & Alcibiadem ferunt.] *Plato in Alcibiade.*

CAP. IX.

De perturbationibus animi, quarum affectus rectos habet vita juſtorum.

VErum his Philoſophis, quod ad iſtam quæſtionem de animi perturbationibus attinet, α jam reſpondimus in nono hujus operis libro: oſtendentes, eos non tàm de rebus, quàm de verbis cupidiores eſſe contentionis, quàm veritatis. β Apud nos autem juxta ſcripturas ſacras, ſacramque doctrinam, cives ſanctæ civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione ſecundùm Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus eſt amor eorum, iſtas omnes affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam. Dolent in ſe al. ſpe, quia ipſi in ſemetipſis adhuc ingemiſcũt adoptionem, expectãtes redemptionem corporis ſui. Gaudent in ſpe, quia *fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoriam.* Item metuunt peccare, cupiunt perſeverare: dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis. Ut enim metuant peccare, audiunt: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Ut cupiant perſeverare, audiunt quod ſcriptum eſt: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Ut doleant in peccatis, audiunt: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Ut gaudeant in operibus bonis, audiunt: *Hilarem datorem diligit Deus.* Item ſicuti ſe infirmitas eorum firmitasque habuerit, metuunt tentari, cupiunt tentari: dolent in tentationibus, gaudent in tentationibus. Ut enim metuant tentari, audiunt: *Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu manſuetudinis, intendens te ipſum ne tu tenteris.* Ut autem cupiant tentari, audiunt quendam virum fortem civitatis Dei dicentem: *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum.* Ut doleant in tentationibus, vident Petrum flentem. Ut gaudeant in tentationibus, audiunt Jacobum dicentem: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Non ſolùm autem propter ſemetipſos his moventur affectibus, verùm etiam propter eos, quos liberari cupiunt, & ne

Rom. 8.
1. Cor. 15.
Matth. 24.
Matt. 10.
1. Ioh. 1.
2. Cor. 9.
Gal. 6.
Pſ. 25.
Matth. 26.
Iac. 1.

2.Cor.11. & ne pereant metuunt, & dolent ſi pereunt, & gaudent ſi liberantur. Illum quippe optimum & fortiſſimum virum, qui in ſuis infirmitatibus gloriatur, ut eum potiſſimum commemoraremus, qui *a* in Eccleſia Chriſti ex gentibus venimus, γ doctorem gentium in fide & veritate, qui & plus omnibus ſuis coapo-
1.Cor 15. ſtolis laboravit, δ & pluribus epiſtolis populos Dei, non eos tantùm qui præſentes ab illo videbantur, verùm etiam illos qui futuri prævidebantur, inſtruxit: il-
Gal. 1. 1.Cor.4. lum, inquam vetum athletam Chriſti, *b* ε doctum ab illo, *c* ζ unctum de illo,
Phil. 3. *d* η crucifixum cum illo, *e* & θ glorioſum in illo, *f* in theatro hujus mundi, ι cui ſpectaculum factus eſt, & angelis & hominibus, *g* κ legitimè *h* λ magno agone certantem, *i* & palmam *k* ſupernæ vocationis in anteriora ſectantem, oculis fidei libentiſſimè ſpectamus, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus *l* μ foris habentem pugnas, intus timores, cupientem diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: deſiderantem videre Romanos, ut aliquem fructum habeat in illis, ſicut & in cæteris gentibus: æmulantem Corinthios, & ipſa æmulatione metuentem, ne ſeducantur eorum mentes à caſtitate, quæ in Chriſto eſt: magnam triſtitiam & continuum dolorem cordis de Iſraelitis habentem, quod ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non eſſent ſubjecti: nec ſolùm doloré, verùm etiam luctum ſuum denuntiantem de quibusdam, qui ante me peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicationibus ſuis. Hi motus, hi affectus de amore boni & de ſancta charitate venientes, ſi vitia vocanda ſunt, ſinamus, ut ea quæ vera vitia ſunt, virtutes vocentur. Sed quum rectam rationem ſequantur iſtæ affectiones, quando ubi oportet, adhibentur, quis eas tunc morbidas ſeu vitioſas paſſiones audeat dicere? Quamobrem etiam ν ipſe Dominus in forma ſervi agere vitam dignatus humanam, ſed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas, ubi adhibendas eſſe judicavit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus
Marc.3. affectus. Quum ergo ejus in Evangelio iſta referuntur, quòd ſuper duritia cor-
Ioh. 11. dis Judæorum cum ira contriſtatus ſit; quod dixerit, gaudeo propter vos, ut cre-
Luc.22. Matth. datis; quod Lazarum ſuſcitaturus etiam lachrymas fuderit; quòd concupiverit
26. cum diſcipulis ſuis manducare paſcha: quòd propinquante paſſione triſtis fuerit anima ejus uſque ad mortem, non falsò utique referuntur. Verùm ille hos motus certæ diſpenſationis gratia, ita quum voluit, ſuſcepit animo humano, ut quum voluit factus eſt homo. Proinde quod fatendum eſt, etiam cùm rectas, & ſecundùm Deum habemus has affectiones, ξ hujus vitæ ſunt, non illius, quam futuram ſperamus, & ſæpe illis etiam inviti cedimus. Itaque aliquando quamvis non culpabili cupiditate, ſed laudabili charitate moveamur: *m* etiam dum nolumus, flemus. Habemus ergo eas ex humanæ conditionis infirmitate, non autem ita Dominus Jesus, *n* cujus & infirmitas fuit ex poteſtate. Sed dum vitæ hujus infirmitatem gerimus, ſi eas omnino nullas habeamus, tunc potius non
Rom.1. rectè vivimus. Vituperabat enim & deteſtabatur Apoſtolus quosdam, *o* ο quos etiam eſſe dixit ſine affectione. Illos etiam culpavit ſacer Pſalmus, de quibus
Pſal.68. ait: *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit.* Nam omnino non dolere, dum

ſumus

ſumus in hoc loco miſeriæ, profectò *p* ſicut quidam etiam apud ſeculi hujus literatos ſenſit, & dixit, non ſine magna mercede contingit, immanitatis in animo, ſtuporis in corpore. *q* Quocirca illa quæ ἀπάθεια Græcè dicitur, quæ ſi Latinè poſſet, impaſſibilitas diceretur: ſi ita intelligenda eſt (in animo quippe, non in corpore accipitur) ut ſine his affectionibus vivatur, quæ contra rationem accidunt mentemque perturbant, bona planè & maximè optanda eſt: ſed nec ipſa hujus eſt vitæ. Non enim qualiumcunque hominum vox eſt, ſed maximè piorum, multumque juſtorum atque ſanctorum: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Tunc itaque ἀπάθεια 1. Ioh. 1.
iſta erit, quando peccatum in homine nullum erit. *r* π Nunc verò ſatis benè vivitur, ſi ſine crimine: ſine peccato autem qui ſe vivere exiſtimat, non id agit, ut peccatum non habeat, ſed ut veniam non accipiat. Porrò ſi ἀπάθεια illa dicenda eſt, quum animum contingere omninò non poteſt ullus affectus, quis hunc ſtuporem non omnibus vitiis judicet eſſe pejorem? Poteſt ergò non abſurdè dici, perfectam beatitudinem ſine ſtimulo timoris, & ſine ulla triſtitia futuram. Non ibi autem futurum amorem, gaudiumque quis dixerit, niſi omninò à veritate ſecluſus? Si autem ἀπάθεια illa eſt, ubi nec metus ullus exterret, nec angit dolor, averſanda eſt in hac vita, ſi rectè, hoc eſt, ſecundùm Deum vivere volumus. In illa verò beata, quæ ſempiterna promittitur, *ſ* † timor planè ſeparandus eſt. al. planè ſperanda eſt.
Timor namque ille, de quo dicit Apoſtolus Joannes: *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quia timor pœnam habet: qui autem timet, non eſt perfectus in charitate:* non eſt ejus generis timor, cujus ille: quo Ioh. 4.
timebat Apoſtolus Paulus, ne Corinthii ſerpentina ſeducerentur aſtutia: hunc enim timorem habet charitas, imò non habet niſi charitas: ſed illius eſt generis 2. Cor. 11.
timor, qui non eſt in charitate: de quo & ipſe Apoſtolus Paulus ait: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timorem.* ϱ Timor verò ille caſtus σ *permanens in ſeculum ſeculi*, ſi erit & in futuro ſeculo: nam quo alio modo poteſt intelligi permanere in ſeculum ſeculi? non eſt timor exterrens à malo, quod accidere poteſt, ſed tenens in bono, quod amitti non poteſt. Ubi enim boni adepti amor immutabilis eſt, profectò ſi dici poteſt, mali cavendi timor ſecutus eſt. Timoris quippe caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit nolle peccare: & non ſolicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, ſed tranquillitate charitatis cavere peccatum. τ Aut ſi nullius omninò generis timor eſſe poterit in illa certiſſima ſecuritate perpetuorum, feliciumque gaudiorum: ſic dictum eſt, Timor Domini caſtus, perfectus, permanens in ſeculum ſeculi: quemadmodum dictum eſt: *Patientia pauperum non peribit in æternum.* Neque enim æterna erit ipſa patientia, quæ neceſſaria non eſt, niſi ubi toleranda ſunt mala: ſed æternum erit, quò per patientiam pervenitur. Ita fortaſſe timor caſtus in ſeculum ſeculi dictus eſt permanere, quia id permanebit, quo timor ipſe perducit. Quæ quum ita ſint, quoniam recta vita dicenda eſt, qua perveniendum ſit ad beatam, omnes affectus iſtos vita recta rectos habet, perverſa perverſos. Beata verò, eademque æterna amorem habebit, & gaudium non ſolùm rectum, verùm etiam

Rom. 8. Pſ. 18.

iam jam certum: timorem autem & dolorem nullum. Unde jam apparet utcunque, quales eſſe debeant in hac peregrinatione cives civitatis Dei, viventes ſecundùm Spiritum, non ſecundùm carnem, hoc eſt, ſecundùm Deum, non ſecundùm hominem: & quas in illo quò tendunt immortalitate futuri ſint. Civitas porrò, hoc eſt, ſocietas impiorum, non ſecundùm Deum, ſed ſecundùm hominem viventium, & in ipſo cultu falſæ, contemptuque veræ divinitatis, *t* doctrinas hominum, dæmonúmve ſectantium, his affectibus pravis tanquam morbis & perturbationibus quatitur. Et ſi quos cives habet, qui moderari talibus motibus, & eos quaſi temperare videantur: *u* ſic impietate ſuperbi & elati ſunt, ut hoc ipſo in eis ſint majores timores, quo minores dolores. Et ſi nonnulli tantò immaniore, quantò rariore vanitate hoc in ſeipſis adamaverint, ut nullo prorſus erigantur & excitentur, nullo flectantur atque inclinentur affectu: humanitatem totam potius amittunt, quàm veram aſſequantur tranquillitatem. Non enim quia durum aliquid ideò rectum, *x* aut quia ſtupidum eſt, ideò ſanum.

L. Vives. *a* Quem in Eccleſia.] *Paulus non venit ex Gentibus ad Eccleſiam, ſed ex Judaico populo tribu Ben-jamin: ideò melius in veteribus libris, qui in Eccleſiam Chriſti ex Gentibus venimus, ut loquatur Auguſtinus de ſe & aliis, qui ad Chriſtum ex Gentilium genere converſi ſunt.*

b Doctum ab illo.] *Nam erant magiſtri palaſtræ, à quo docebantur athletæ.*

c Unctum de illo.] *In aliis exemplaribus legitur, vinctum de illo, quod ipſe interdum dicit, Ego vinctus Chriſti Jeſu, quod puto eſſe congruentius, quamvis athletæ ungebantur ab alipta, & perſequitur ferè illam athletarum rationem, exercitationem & mores.*

d Crucifixum cum illo.] *Nam certi fines erant, quos non licebat egredi, ſive ſaltando, ſive currendo, ſive luctando.*

e Glorioſum in illo.] *Ad victoriam non ſpectat.*

f In theatro.] *Ad ſpectatores, non comm paucis, aut ignobilibus.*

g Legitimè.] *Nam certis legibus rogabantur, neque enim cuilibet licebat certare.*

h Magno agone.] *Nam erant minora certamina, & majora, ut eorum qui dolichum currebant, & qui pancratiaſtæ dicebantur.*

i Palmam.] *Hoc bravium.*

k In anteriora ſectantem.] *In dies majoribus victoriis meritisq́; inſtructum & ornatum, ut tandem ſit quinquertio, & in omni certaminum genere periodum vincat. Fratres, ego nondum arbitror me comprehendiſſe: unum verò, quæ retrò ſunt oblitus, tendens verò in anteriora deſtinatum perſequor, ad præmium ſcilicet ſupernæ vocationis Dei, per Chriſtum Jeſum, ad Philipp. 3.*

l Foris habentem pugnas.] *Percenſet omnes ferè in Paulo affectus, & eos bonos.*

m Etiam dum nolumus.] *Elabuntur vel imprudentibus, vel invitis lachrymæ affectu intrinſecus moto, ut triſtitia, aut lætitia.*

n Cujus & infirmitas fuit ex poteſt.] *Nam in manu ejus ſui erant affectus, nempe & Dei & hominis beatiſ. laxabatq́; aut contrahebat, tum illos tum omnia corporis animi ſui pro arbitrio: noſtri verò affectus indomiti ſunt, à quibus etiam nos rapimur,*

ita

ita ex infirmitate ſunt, & impotentia, idcirco impotentiam animi in affectibus immodicis nominamus.

o Quos etiam eſſe dixit ſine affectu.] ἄστοργοι. *qui nullo ſunt affectu in ſuos, qui nec fortunis, nec infortunis eorum vel gaudio, vel triſtitia tanguntur, ſimiles ferè ſunt, quos Græci* ἀπαθεῖς *dicunt, de quibus Plinius lib. ſeptimo: Ferunt Socratem clarum ſapientia, eodem ſemper viſum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato. Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam torvitatemq́; naturæ diram & inflexibilem, affectusq́; humanos adimit, quales* ἀπαθεῖς *Græci vocant.*

p Sicut quidam etiam apud ſeculi hujus.] *Crantoris Academici eſt hæc ſententia apud Ciceronem. 3. Tuſc. quæſtion. de indolentia.*

q Quocirca illa quæ ἀπάθεια.] *Seneca libro primo Epiſtolarum, In ambiguitatem incidendum eſt, ſi exprimere* ἀπάθειαν *uno verbo citò voluerimus, & impatientiam dicere: poterit enim contrarium ei, quod ſignificare volumus, intelligi: Nos enim cùm volumus dicere, qui reſpuat omnis mali ſenſum, accipietur is, qui nullum poſſit ferre malum. Vide ergo, num ſatius ſit, aut invulnerabilem animum dicere, aut animũ extra omnem patientiam poſitũ. Hoc inter nos & Epicuræos intereſt. Noſter ſapiens vincit quidem incommodum omne, ſed ſentit: illorum nec ſentit quidem. Sic ille.*

r Nunc verò ſatis benè vivitur ſine crimine.] *Quid peccatum & crimen differant, docet tractatu 41. ſuper Joannem. Nam crimen eſt, inquit, peccatum grave, accuſatione & damnatione digniſſimum: ideò Apoſtolus Paulus, quando eligit ordinandos, vel presbyteros, vel diaconos, & quicunque ordinandus eſt ad præpoſituram eccleſiæ, non ait, ſi quis ſine peccato eſt: hoc enim ſi diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur: ſed ait, ſi quis ſine crimine eſt. Sicut homicidium, adulterium, aliqua invidentia, fornicationes, furtum, fraudes, ſacrilegium, & hujusmodi. Ad explicandam Auguſtini dictum ſatis.*

ſ Timor planè ſeparandus eſt.] *Alibi legitur, In illa verò beatitudine, quæ ſempiterna promittitur, planè ſperanda eſt, apathia ſcilicet.*

t Doctrinas hominum dæmonumque ſectantium.] *Sunt diſciplinæ, quæ dæmones hominibus tradiderunt, ut magia, aſtronomia, & omne divinationis genus præter propheticum. Plato in Phædro dæmonem, cui erat nomen Theuth, inveniſſe ſcribit literas, arithmeticam, geometriam, aſtronomiam, aleam, & ad Thamum Ægypti regem detuliſſe, dialecticam quoque hanc contentioſam & pertinacem, non dubium ab ingenio diabolico eſſe profectam, quod in verum contra niti ſemper, & in melius dicenti nunquam cedere, & falſo verum gaudet vincere.*

u Sic impietate ſup.] *Superbia fuit commune ferè philoſophorum omnium vitium.*

x Aut quia ſtupidum, ideò ſanum.] *Medici quibusdam membris affectis, cum ſanitatem afferre nequeunt, ſtuporem inducunt, ut omni doloris ſenſu vacuefaciant, non quo ſana ſint, ſed ne nihil ſentiant.*

a JAm reſpondimus.] *Initio hujus capitis dicit, ſe ſupra lib. 9. refutaſſe Stoicos omnem non ſolum perturbationem, ſed etiam affectum animi vel breviſſimum quidem à ſapiente auferentes. Præcipua Stoicorum rationes, quibus id probabant, referun-* F.L.Coq.

feruntur maximè à Seneca Epiſt. 85. & quidem via diſputationis contra Peripateticos.

β Apud nos autem juxta ſcripturas ſacras.] *Qua ratione in ſapientes & etiam juſtos cadant ipſi affectus & citra vitium, docet hoc loco ex multis ſcriptura locis, atque ex hac doctrina conſtat, animi affectus non ſemper eſſe pravos, ut volebant Stoici, qui tamen in hoc Peripateticis adverſabantur, contendentes magis in nomine quàm in re ipſa.*

γ Doctorem gentium in fide & veritate.] *Ita Christus Actor. 9.* Vas electionis eſt mihi, ut portet nomen meum coram gentibus, *Galat. 2.* Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes. *Equidem non uni Paulo docendi gentes poteſtas facta eſt, imò omnibus Apoſtolis promiſcuè in omnes gentes doctrina Evangelica diſſeminanda eſt commiſſum officium, Matthai ultimo; in convertendis tamen Gentibus pracipuè Pauli opera ſpectata eſt, & plures nationes docuit & ad fidem convertit quàm reliqui Apoſtoli. Chryſoſtomus homil. 2. de laudibus Pauli.* Angelis quippe ſæpe diverſarum gentium cura commiſſa eſt, ſed nullus illorum ita creditum ſibi populum gubernavit, ut Paulus univerſum gubernavit orbem. *poſt.* Michaeli gens commiſſa eſt Judæorum, Paulo verò terræ ac maris atque univerſi orbis habitatio, ipſumque deſertum. *& Homil. 8.* Paulus alter Aaron, totius mundi populis invictus Sacerdos. *D. Auguſtinus ſermon. 29. de ſanctis egregiè confert Petrum & Paulum, & utriusque officium in pradicando Evangelio Judais & Gentibus. 2. Corinth. 11. dicit, ſe habuiſſe ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, in quem locum D. Chryſoſtomus dicit, Paulum totius terra curam geſſiſſe, & cum cateri Apoſtoli miſſi ſint ad provincias certas, Paulus certè ad omnes gentes ſine certa provincia determinatione. 1. Corinth. 15. dicit, ſe & veriſſimè quidem plus omnibus laboraſſe. D. Hieronymus in cap. 5. Amos ad ea verba,* Qui vocat aquas maris & effundit eas ſuper faciem terræ, *ſcribit, Paulum non ſolum plantaſſe fidem Chriſti per totum eum longiſſimum tractum, qui eſt à Hieruſalem usque ad Illyricum, ut etiam ipſe ait Roman. 15. ſed etiam à mari rubro usque ad Oceanum per totum ferè orbem, ut prius eum terra defecerit, quàm ſtudium pradicandi. Divus Athanaſius ſermone in aſſumptionem Chriſti Paulum vocat* τῆς οἰκουμένης παιδευτὴν, orbis habitati præceptorem. *Divus Bernardus ſermon. 2. de purificat. Maria,* D. Paulus converſus converſionis miniſter factus eſt in univerſo mundo. *Nicephorus lib. 5. hiſtor. Eccleſiaſtica cap. 1. docet, quibus in partibus continentis quisque Apoſtolorum Evangelium pradicaverit, & quomodo D. Paulus tanquam cœleſtis avicula omnes totius orbis provincias pervolaverit.*

δ Et pluribus Epiſtolis populos Dei.] *Propterea dicitur* Apoſtolus *per antonomaſiam. Ita ſcribit lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 3.* Apoſtolus, *inquit,* cum dicitur ſi non exprimatur quis Apoſtolus, non intelligitur niſi Paulus, quia eſt pluribus Epiſtolis notior, & plus omnibus aliis laboravit.

ε Doctum ab illo.] *erat enim* θεοδίδακτος. *Dicit ſe accepiſſe Evangelium non ab hominibus neque per hominem, ſed per revelationem Chriſti. Galat. 1.*

ζ Unctum de illo.] *Chriſtus enim unctus interpretatur. Eſt namque unctus oleo*

gratia

gratia ſpiritus ſancti præ participibus ſuis, & nos Chriſtiani de illo uncti. Spiritus ſanctus dicitur unctio in ſcripturis 2. Corinth. 1. Qui unxit nos Deus, *& 1. Johannis 2.* Unctio ejus docet vos de omnibus, *ubi alludit ad Athletarum morem qui ſolebant ungi, uti viribus eſſent valentiores: ad quem & Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 3.*

η Crucifixum cum illo.] Chriſto confixus ſum cruci.

ϑ Glorioſum in illo.] *Fortaſſe reſpicit ad illud 1. Corinth. 1.* Qui gloriatur, in domino glorietur, *& 2. Corinth. 15.* Si gloriari oportet, veniam ad revelationes, *Ad eumdem modum Tertullianus libr. de coron. milit capite 1. O militem in Deo glorioſum.*

ι Cui ſpectaculum factus.] *Reſpicit ad locum 1. Cor. 9.* ſpectaculum facti ſumus mundo & Angelis & hominibus.

κ Et legitimè.] *2. Timoth. 2.* non coronabitur niſi qui legitimè certaverit.

λ Magno agone certantem.] *1. Corinth. 9.* Omnis, qui in agone contendit, *& 2. Timoth. 1.* Nam & qui certat in agone. *Tertull libr. ad martyres cap. 3.* Bonum agonem ſubituræ eſtis, in quo agonothetes Deus vivus eſt.

μ Foris habentem pugnas, intus timores.] *Docet, omnes fuiſſe in Paulo affectus, eosque non reprehendendos, imò commendatione dignos maxima, ubi nonnulla ex D. Chryſoſtomi egregiis illis homiliis quas de laudibus Pauli inſcripſit, in unum conferri poſſunt. Homil. 1.* Addas, *inquit*, etiam his profectò amariora. *i. e.* pro eis, qui labebantur, dolores, ſolicitudinem, quam pro Eccleſiis, uſtionem, quam pro ſcandaliſatis ſingulis perferebat. *Et poſt.* Quæ enim Job corpore, hæc Paulus mente ſuſtinuit, quem omni verme moleſtior de ſingulis labentibus mæſtitia conſumebat. Unde & ingentes lachrymarum fontes ex eo non diebus ſolum, ſed etiam noctibus effluebant, omnique parturiente vehementius affligebatur in ſingulis. *Homil. 2.* Qui certè ſpe futura maximi præmii paſceretur non perfunctorie aliquid optabat, ſed clamabat dicens: Quoniam triſtitia eſt mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Hunc ergo de ſingulis, ut ita dixerim, habitationibus mundi tam vehementer dolentem, & in commune pro cunctis, & Gentibus videlicet & Judæis, & pro unoquoque peculiariter lamentantem cuinam rerum aliquis poterit comparare, cui ferro, cui adamanti? *Homil. 3.* Sed etiam quando ab Eccleſiæ corpore ſeparabat, quàm multis hoc lacrymis gemituque faciebat? Ex multa, *inquit*, tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrimas, non ut contriſtemini, ſed ut ſciatis, quoniam charitatem habeam abundantius in vos. *2. Cor. 2. & Hom 6. de ira loquens.* Non *(inquit)* commoveri malum eſt, ſed irrationabiliter nulloque juſto flagitante negotio commoveri. *poſt.* Quod ſi omnino hujusmodi uti non oportet affectu, etiam cùm tempus expoſcit, fruſtra nobis videtur ingenitus; ſed profectò non fruſtra, quem certè providus creator nobis inſeruit, ut dormientes animas atque reſolutas ab inertia ac deſidia ſuſcitaret. Quaſi enim gladio aciem, ita menti noſtræ iræ acumen impoſuit, ut eo cùm oportet, utamur. Propterea igitur & Paulus hoc ſæpe eſt uſus

affectu, & modeſtè loquentibus erat melior iratus, cum tempore omnia faciens opportuno pro lucro & commodo prædicandi.

n Etiam ipſe dominus in forma ſervi.] *Contendit & alio argumento paſſiones animi non ſemper eſſe vitioſas, quod quemadmodum Chriſtus cum voluit factus eſt homo, ita etiam certa diſpenſationis gratia eas paſſiones adhibuit, ubi adhibendas eſſe judicavit, & hos motus ſuſcepit. D. Thom. 3. p. q. 15. artic. 4. ex hoc loco D. Auguſtini docet, in Chriſto fuiſſe affectiones appetitus ſenſitivi, ſicut & cæteræ, quæ ad naturam humanam pertinent.* Aliter tamen *(inquit)* fuerunt hujuſmodi paſſiones in Chriſto quàm in nobis quantum ad tria. Primò quidem quantum ad objectum, quia in nobis plerumque paſſiones feruntur ad illicita, quod in Chriſto non fuit; ſecundò quantum ad principium, quia hujuſmodi paſſiones frequenter in nobis præveniunt judicium rationis, ſed in Chriſto omnes motus ſenſitivi appetitus oriebantur ſecundùm diſpoſitionem rationis, *quæ eſt doctrina hujus loci.* Hos motus certæ diſpenſationis gratia ita, cum voluit, Chriſtus ſuſcepit animo humano, ut cum voluit factus eſt homo. Tertiò quantum ad effectum, quia in nobis quandoque hujuſmodi motus non ſiſtunt in appetitu ſenſitivo, ſed trahunt rationem, quod in Chriſto non fuit, quia motus naturaliter humanæ carni convenientes, ſic ex ejus diſpoſitione in appetitu ſenſitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur, *facere ea quæ conveniebant. D. Hieronymus in cap. 26. Matth. & in Epiſt ad Euſtoch. de cuſto. virgin. dicit, in Chriſto fuiſſe propaſſiones, & non paſſiones.* Paſſio enim tunc intelligitur quando rationi dominatur, quando verò eſt inchoata in appetitu ſenſitivo, ſed ulterius non ſe extendit, dicitur propaſſio. *Obſervandum interim, in Chriſto non fuiſſe hujuſmodi affectus ut peccato per originem à primis parentibus contractos: nec etiam fuiſſe in eo affectus, qui ex objecto & materia ſunt mali, ut invidia, avaritia, ambitio, jactantia, arrogantia; itaque longe aliena a pietate & veritate eſt eorum ſententia, quam refert Hugo Victorius lib. 2. de ſacramentis p. 1. cap 7. qui aſſeruerunt, in Chriſto fuiſſe motus repugnantes rationi, non tamen cum conſenſu, ut eſſent illi materia victoria & corona. Id enim repugnabat perfectioni gratia & virtutum, quæ efficiebant appetitum ſentientem rationi perfectè obedientem; & in poteſtate illius erant hujuſmodi affectus, ut laxaret eos, vel contraheret ſuo nutu & arbitrio. Ita Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 20. & 23. dicit, hos affectus fuiſſe in Chriſto voluntarios, quia nihil in illo coactum fuit.*

ξ Hujus vitæ ſunt non illius quam futuram ſperamus.] *Docet, in beatis non eſſe hujuſmodi paſſiones, & certum primo eſt, in eos non cadere affectus, qui ſunt ex objecto & materia mali, ſi quidem cum eorum ſtatu pugnant. Deinde beati ſpiritus metu res formidabilis, periculoſæ, ſævæ, vel aſperæ, & triſtitia nequaquam afficiuntur, cum eorum fœlicitati ac beatitudini repugnent. Habent tamen beati voluntatis actus ſimiles affectibus appetitus ſenſitivi. Eſt enim in illis amor Dei & proximi, odium peccati, gaudium eſſentiale de contemplatione divina eſſentia, & accidentale ex converſione peccatorum, ex exaltatione & laude divini numinis in terris.*

o Quos etiam eſſe dixit ſine affectione.] ἀστόργους. *D. Hieronymus ad Cteſiphontem adverſus Pelagianos impugnat etiam hanc ἀπάθειαν,* quam nos *(inquit)* impaſſi-

impaſſibilitatem vel imperturbationem poſſumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur, & ut ſimpliciter dicam, *ait*, vel ſaxum vel Deus eſt: *Et lib. 2. adverſus Pelagianos referens ſententiam Stoicorum, qui ponunt hujuſmodi ἀπάθειας & Peripateticorum adverſam*: Sententiæ Peripateticorum (*inquit*) omnis ſcripturæ ſacræ conſentit authoritas, *probatque ſententiam Joſephi ſcribentis, frangi & regi poſſe perturbationes animi, non eradicari. D. Bernardus ſermon. 50. ſuper Cantic.* Legi inter alia (*inquit*) quæ ſcribit Apoſtolus, magna & gravia hominum mala, hoc quoque annumeratum, ſcilicet ſine affectione.

☞ Nunc verò ſatis bene vivitur, ſi ſine crimine.] *Ex hoc loco facile colligitur diſtinctio peccatorum, quod alia ſunt mortalia, quæ nomine criminis intelliguntur, alia venialia, quæ nomine peccati. Et confutatur hæreſis Pelagiana, exiſtimabant enim Pelagiani, hominem tam ſanctè vivere poſſe in hac vita, ut careret omni peccato: Catholici verò dixerunt, hominem quidem ſine peccato mortali vivere poſſe, eſſe tamen peccata venialia, ſine quibus quantumvis juſti viri & ſancti vivere non poſſunt, ideoque ab omnibus quotidie petitur, ut eorum delicta remittantur. Etſi Pelagiani id interpretarentur, non quod de ſe ipſis loquerentur viri ſancti & juſti, ſed in perſona Eccleſiæ, ideo agebant eos dicere, dimitte nobis debita noſtra, non debita mea: Et locum D. Joannis hic citatum à D. Auguſtino*, ſi dixerimus quia peccatum non habemus, *ita interpretabantur ut dicta tantum vellent* ob humilitatem. *Verùm in concilio Nilevitano refutatum eſt cano. 6. his verbis.* Si dixerimus quia peccatum non habemus, quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia verè ita eſt, anathema eſto. *& cano. 7.* Placuit ut quicumque dixerit in oratione dominica ideo dicere ſanctos, dimitte nobis debita noſtra, ut non pro ſe ipſis hoc dicant, quia jam non eſt eis neceſſaria hæc petitio, ſed pro aliis qui ſunt in ſuo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque ſanctorum, dimitte mihi debita mea, ſed dimitte nobis debita noſtra, ut hoc pro aliis potius, quàm pro ſe juſtus petere intelligatur, anathema ſit. *cano. 8.* Placuit ut quicumque verba ipſæ divinæ orationis ubi dicimus, dimitte nobis debita noſtra, ita volunt à ſanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema ſit. Quis enim ferat orantem & non hominibus, ſed ipſi Deo mentientem, qui labiis ſuis dicit, dimitti velle & corde dicit quæ ſibi remittantur, ſe debita non habere? *Idem repetitum eſt in concilio Tridentino ſeſſi. 6. cap. 11. Differentiam autem criminis & peccati, quam hic conſtituit, quod aliquis poſſit vivere ſine crimine, minimè verò ſine peccato, habes etiam lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 1.* Nullus (*inquit*) in Eccleſia rectè poſſe ordinari miniſter, ſi dixiſſet Apoſtolus, ſi quis ſine peccato, ubi ait, ſi quis ſine crimine eſt, aut ſi dixiſſet, nullum peccatum habentes, ubi ait, nullum crimen habentes: multi quippe baptizati fideles ſunt ſine crimine, ſine peccato autem neminem in hac vita dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus, adverſus nos inflentur & dirumpantur inſania. *D. Hieronymus libr. 2. contra Pelagianos eodem modo*; Juſtos (*inquit*) eſſe concedo, ſine omni peccato omnino non aſſentior. Etenim abſque

vitio

vitio quod Græcè dicitur *κακία*, hominem poſſe eſſe ajo, *ἀναμάρτητος, id eſt*, ſine peccato eſſe nego: *nomine κακίας ſeu* vitii, *intelligit id quod D. Auguſtinus nomine* criminis, *ſcilicet peccatum mortale. Plato ipſe hanc differentiam peccatorum tum in Gorgia tum in Phædone agnovit, quod alia ſint ἀνίατα, alia verò ἰάσιμα.*

ρ Timor verò ille caſtus.] *Ita legunt Septuaginta Interpretes ὁ φόβος κυρίου ἁγνὸς, & Clemens Alexandrinus libr. 7. στρωμ. Sanctus ἅγιος legit vulgata editio, Hebraicè eſt* שהור mundus, purus.

σ Permanens in ſæculum ſæculi.] *Hebraicè* לעד *Septuaginta, εἰς αἰῶνα αἰῶνος periphraſis eſt æternitatis.*

τ Aut ſi nullius omninò generis timor.] *An aliquis timor remaneat in beatis, non omninò affirmat; cum enim ſcripturæ locum, quo id maximè probari videtur,* Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi, *eo ſenſu dicat intelligi poſſe,* quod id permaneat, quò timor ipſe perducit, *id eſt*, beatitudo ipſa illis collata, qui timore Domini omnem culpam evitarunt, eo ſenſu quo alius ſcripturæ locus explicatur, patientia pauperum non peribit in finem, non quod in beatis futura ſit ipſa patientia, verùm quia id futurum eſt, quò per patientiam pervenient. *Certum eſt tamen, timorem illum caſtum, de quo ſcripturæ locus citatus, manere in ſanctis, & contrarium ponit inter hæreſes Petri Abailardi, Sanderus lib. 7. de viſib. monach. hæreſi 146. De quo videri poteſt D. Thomas 1. 2. q 68. artic. 6. & 2. 2. qu. 19. artic. 11. & Theologi in 3. ſententiar. diſtinct. 14. & 15. item 34. & 35. Quis verò actus timoris futurus ſit in beatis, & quod illud objectum, variè explicant. Hoc loco D. Auguſtinus illis verbis.* Timoris caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit nolle peccare, non ſollicitudine neceſſitatis, ſed tranquillitate charitatis, *videtur docere fugam, quam beatus habet omnis peccati, quatenus à Deo ſeparat, timorem caſtum dici poſſe. D. Thomas 2. 2. quæſt. 19. artic. 1. & quæſt. 81. artic. 2. ad 7. & 3. p. q. 7. artic. 6. dicit, hunc timorem conſiſtere in quodam affectu reverentiæ ad Deum propter ejus eminentiam, quem affectum ad timorem pertinere ita explicat.* Timor enim reſpicit malum, quod ab alio infligi poteſt: neceſſe verò eſt eum, qui poteſt malum infligere, habere quandam eminentem poteſtatem ſuper alium, à quo timetur; ideoque etſi interdum nullum timeatur malum ab eo, qui eminet poteſtate, tamen affectus reverentiæ ad aliquem ob ejus eminentiam, timor appellatur, & dicitur timor reverentialis; *quis verò ſit ille actus reverentiæ ad Deum propter ejus eminentiam explicat Suares 3. p. diſputat. 20. ſect. 2. unde quando D. Auguſtinus paulo infra dicit in beata vita nullum eſſe timorem & dolorem, intelligit vel timorem ſervilem, vel certè quod timor ille non habeat in patria eundem actum, quem habet in præſenti vita. Pater Azor. libr. 9. Inſtitut. moralium cap. 2. timorem Dei hoc loco interpretatur reverentiam, pietatem & religionem in Deum, qua quis ſummam Dei majeſtatem ſibi ante oculos ponens veneratur & ſuſpicit, ſeſe illi intimè & ex corde ſubjiciens, & in omnibus morem gerere ſtudens; unde Septuaginta timorem Dei aliquando vertunt θεοσέβειαν, id eſt,* Dei pietatem; *ſic* timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi, *quaſi dicat, pietas & religio in Deum munda & ſancta, quæ perpetuo in ipſis beatorum ſpirituum mentibus permanet.*

CAP.

CAP. X.

An primos homines in paradiſo conſtitutos nullis perturbationibus prius quàm deliquerint, affectos fuiſſe credendum ſit.

SEd α utrum primus homo, vel primi homines, duorum erat quippe conjugium, habebant iſtos affectus in corpore animali ante peccatum, quales in corpore ſpiritali non habebimus omni purgato finitoque peccato, non immeritò quæritur. Si enim habebant, quomodo erant beati in illo memorabili beatitudinis loco, id eſt, in paradiſo? Quis tandem abſolutè dici beatus poteſt, qui timore afficitur, vel dolore? quid autem timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo: nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipiſceretur, nec inerat quòd carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet? Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter ſe conjugum fida & ſyncera ſocietate viventium, & ex hoc amore grande gaudium, non deſiſtente quod amabatur ad fruendum. Erat devitatio tranquilla peccati, qua manente, nullum omninò aliunde malum, quod contriſtaret, irruebat. An fortè cupiebant prohibitum lignum ad veſcendum contingere, ſed mori metuebant: ac per hoc & cupiditas, & metus jam tunc illos homines etiam in illo perturbabat loco? Abſit ut hoc exiſtimemus fuiſſe, ubi nullum erat omnino peccatum. α β Neque enim nullum peccatum eſt, ea quæ lex Dei prohibet, concupiſcere, γ atque ab his abſtinere timore pœnæ, non amore juſtitiæ. Abſit, inquam, ut ante omne peccatum, jam ibi fuerit tale peccatum, ut hoc de ligno admitterent, quod de muliere Dominus ait: *Si quis viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Matt. 5. Quàm igitur felices erant primi homines, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis: tàm felix univerſa ſocietas eſſet humana, ſi nec illi malum, quod etiam in poſteros trajicerent, nec quiſquam ex eorum ſtirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet. Atque iſta permanente felicitate, donec per illam benedictionem, qua dictum eſt: *Creſcite & multiplicamini:* δ prædeſtinatorum ſanctorum numerus compleretur, Gen. 1. alia major daretur, quæ beatiſſimis Angelis data eſt: ubi jam eſſet certa ſecuritas peccaturum neminem, moriturumque neminem: & talis eſſet vita ſanctorum, poſt nullum laboris, doloris, mortis experimentum, qualis erit poſt hæc omnia in incorruptione corporum, reddita reſurrectione mortuorum.

α NEque enim nullum peccatum eſt.] *Non modò actus ipſe, ſed cupiditas actus mali peccatum eſt. Nec ſolùm in lege divina, verùm etiam in humanis illis exactioribus, ut Cicero Philipp. ſecunda diſputat, ſed in libris philoſophicis accuratius & copioſius. Etſi hujusmodi legibus pœna non eſt huic peccati generi conſtituta: neque enim ſic unquam leges cavent, ſi quis tantum agri aut pecoris habere voluerit, ea multa eſto: quemadmodum Cato ſenior inquit pro Rhodienſibus.* L. Vives.

r,l,cap. α SEd utrum primus homo vel primi homines.] *Diſputat hoc cap. an affectus de quibus ſupra, fuerint etiam in primis parentibus ante peccatum, quam difficultatem attingit etiam lib. de corrept. & grat. cap. 11. D. Thomas 1. p. q. 95. art. 2. diſtinguit hoc modo, quod quædam affectiones ſint, quæ circa malum verſantur, aliæ quæ circa bonum; deinde quæ circa bonum, aliæ circa bonum futurum verſantur, & ratione ſtatus, in quo quis eſt, aliæ circa bonum futurum, ſed comparatione alterius ſtatus. Affectiones ergo, quæ verſantur circa malum, non erant in primo homine, non enim timebant aliquod malum futurum, nec de malo præſenti dolore afficiebantur, affluebant enim bonis omnibus; quæ verò verſantur circa bonum præſens vel circa bonum futurum alterius ſtatus, in eo eſſe poterant & erant, comparatione verò præſentis ſtatus habebat ea omnia, quæ deſiderare potuerat; paſſiones verò quæ fuiſſent in Adamo de bono præſenti, ut amor & gaudium, fuiſſent valdè ordinatæ, in illo enim ſtatu perfectiſſimo appetitus inferior rationi perfectiſſimè ſubdebatur, unde in eo non erant paſſiones animæ niſi conſequentes ipſum rationis judicium, Atque id docet hoc loco D. Auguſtinus. De hac eadem materia diſputant Theologi 2 ſentent. diſtinct. 30. & Pererius lib. 5. comment. in Geneſi. diſputat. de inſtitut. originali q. 1.*

β Neque enim nullum peccatum eſt] *Unde colligimus, non modò actum externum, ſed etiam internum peccatum eſſe, quod Chriſtus Matth. 5. docuit his verbis.* Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo; *& præcepto decalogi,* non concupiſces, *actus interior prohibebatur. in eo errore fuit Joſephus lib. 12. Antiquit. cap. 13. & David Kimhi in Pſal. 66. ut dicerent, actum externum ſolum eſſe prohibitum, non internum, niſi ſignis exterioribus proderetur.*

γ Atque ab his abſtinere timore pœnæ.] *An verò peccatum, eſt abſtinere ab his, quæ lex divina prohibet timore pœnæ. Ita videntur inſinuare verba D. Auguſtini. Certè timor pœnæ duplex eſt, alter quidem, quando ſic ex illo æterna timentur ſupplicia vel pœnæ, ut ſola hæc formido ſit cauſa abſtinendi à peccato, adeò ut ſi non eſſent hujuſmodi ſupplicia decreta peccatis, ea admitteret, & flocci faceret, offendere Deum, & hoc eſt ſeipſum Deo præponere, pluris ſe facere quam Deum. Pœna enim ſibi adverſatur, peccatum verò ipſi Deo, & hic timor culpandus eſt, & hoc modo vitare peccata timore pœnæ, eſt habere affectum ad peccatum: at verò alter timor pœnæ eſt, quando quis à peccatis abſtinet, reformidans quidem pœnam divinam ipſi peccato conſtitutam à Deo, nec tamen habet animum peccandi, etiam ſublata ipſa pœna; atque hic timor bonus eſt, neque excludit amorem juſtitiæ, nec hic culpatur ab Auguſtino, & utile eſt pœnitentibus timore iſto concuti, ut docet Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & ſeſſ. 14. cap. 4.*

δ Prædeſtinatorum ſanctorum numerus completur.] *Hoc loco diſputari poſſet,* an Adamo non peccante iidem homines fuiſſent prædeſtinati, & an illi ſoli nati fuiſſent. *Hæc videtur fuiſſe ſententia D. Anſelmi lib. 1. Cur Deus homo, cap. 18. vult enim, quod ſi homo non peccaſſet in illa prima tentatione, ſtatim fuiſſet confirmatus, & ipſe & omnes, qui ab eo naſcerentur, adeoque omnes, qui naſcerentur, fuiſſent electi; Scotus 2. ſentent diſtinct. 20. q. 2. in ea eſt ſententia, ut velit, Adamo non peccante*

cante Deum eoſdem prædeſtinaturum, & illos ſolos fuiſſe naſcituros. Verùm quis novit ſenſum domini, quemadmodum præſciens Deus ab æterno Adamum peccaturum, & omnes ejus poſteros futuros obnoxios peccato & damnationi, ſtatuit hunc ordinem, quem ex ſcripturis novimus, & alios quidem juſto ſuo judicio damnat, alios verò ex mera gratia, quos prædeſtinavit, ita ſi præſciviſſet ab æterno, Adamum perſeveraturum, alium ordinem potuiſſet ſtatuere. Et Adamo non peccante non conſtat, qui & quot futuri eſſent prædeſtinati, nec utrum omnes ejus poſteri fuiſſent prædeſtinati. Mihi veroſimilius videtur, etſi Adamus non peccaſſet & confirmatus fuiſſet in gratia & translatus in gloriam, nihilominus illius poſteros animale corpus geſtantes potuiſſe peccare, adeo ut licet juſtitia originalis eſſet beneficium totius naturæ propagandum in poſteros, confirmatio tamen in gratia beneficium fuiſſet perſonale. Hanc ſententiam videtur aſſerere manifeſtè hoc cap. D. Auguſtinus, his verbis; Quàm fœlices erant primi homines *(inquit)* tàm fœlix univerſa ſocietas eſſet humana, ſi nec illi malum, quod in poſteros trajicerent, neque quiſquam ex eorum ſtirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet. *Neque verò quæ poſtea adfert, permanſuram illam fælicitatem ſtatus innocentiæ in poſteris, donec per illam benedictionem, qua dictum eſt,* creſcite & multiplicamini, *prædeſtinatorum ſanctorum numerus compleretur, juvat ſententiam Scoti. Cum enim omnia propter electos, & mundus ipſe & reprobi, tum demum finis erit mundi, cum completus erit numerus prædeſtinatorum. quo ſenſu etiam Apocalypſ. 6. legitur;* Suſtinete modicum donec compleatur numerus fratrum veſtrorum. *Verùm concludendum cum D. Auguſtino initio capitis ſequentis, civitatem ſanctam nos debere aſſerere non ſecundùm illud, quod in noſtram cognitionem pervenire non potuit, quia in Dei diſpoſitione non fuit, ſed ſecundùm id quod præſcivit atque diſpoſuit.*

CAP. XI.

De lapſu primi hominis, in quo benè condita natura eſt, nec poteſt niſi à ſuo autore reparari.

SEd quia Deus cuncta præſcivit, & ideò hominem quoque peccaturum ignorare non potuit: ſecundum id quod præſcivit atque diſpoſuit, & civitatem ſanctam debemus aſſerere: non ſecundùm illud quod in noſtram cognitionem pervenire non potuit, quia in Dei diſpoſitione non fuit. Nec enim homo peccato ſuo divinum potuit perturbare conſilium, quaſi Deum, quod ſtatuerat, mutare compulerit: cùm Deus præſciendo utrumque prævenerit, id eſt & homo, quem bonum ipſe creavit, quàm malus eſſet futurus: & quid boni, etiam ſic de Gen. 6.
illo eſſet ipſe facturus. Deus enim etſi dicitur ſtatuta mutare, *a* α unde tropica 1. Reg. 15.
locutione in ſcripturis ſanctis etiam β *pœnituiſſe legitur Deum:* juxta id dicitur, quod homo ſperaverat, vel naturalium cauſarum ordo geſtabat: non juxta id, quo ſe omnipotens facturum eſſe præſciverat. Fecit itaque Deus, ſicut ſcriptum eſt, hominem rectum: ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus eſſet, bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus eſt Dei: cum ea quippe ab illo factus eſt homo. Mala verò voluntas prima, quoniam omnia mala

opera præceſſit in homine,defectus potius fuit quidam ab opere Dei, ad ſua opera,quàm opus ullum. Et ideò mala opera,quia ſecundum ſe non ſecundum Deum, ut eorum operum tanquam fructuum malorum voluntas ipſa eſſet velut arbor mala: aut ipſe homo in quantum malæ voluntatis. Porrò mala voluntas, quamvis non ſit ſecundùm naturam,ſed contra naturam, quia vitium eſt: tamen ejus naturæ eſt, cujus vitium,quod niſi in natura non poteſt eſſe: ſed in ea, quam creavit ex nihilo, non quam genuit creator de ſemetipſo, ſicut genuit verbum, per quod facta ſunt omnia. Quia etſi de terræ pulvere Deus finxit hominem, eadem terra omniſque terrena materies omninò de nihilo eſt: animamque de nihilo factam dedit corpori,cum factus eſt homo. Uſque adeò autem mala vincuntur à bonis,ut quamvis ſinantur eſſe,ad demonſtrandum,quàm poſſit & ipſe benè uti juſtitia providentiſſima creatoris, bona tamen ſine malis eſſe poſſunt, ſicut Deus ipſe verus & ſummus,ſicut omnis ſuper illum caliginoſum aërem cœleſtis inviſibilis viſibiliſque creatura: mala verò ſine bonis eſſe non poſſunt, quia naturæ in quibus ſunt,in quantum naturæ ſunt, utique bonæ ſunt. Detrahitur porrò malum non aliqua natura, quæ acceſſerat, vel ulla ejus parte ſublata, ſed ea quæ vitiata ac depravata fuerat, ſanata atque correcta. *b* Arbitrium igitur voluntatis γ tunc eſt verè liberum,cum vitiis peccatiſque non ſervit. Tale datum eſt à Deo, δ quod amiſſum proprio vitio, ε niſi a quo dari potuit,reddi non
Ioh. 8. poteſt. Unde veritas dicit: *Si vos filius liberaverit,tunc verè liberi eritis.* Idipſum eſt autem,ac ſi diceret: ſi vos filius ſalvos fecerit, tunc verè ſalvi eritis. *c* Inde quippe liberator,unde ſalvator. Vivebat itaque homo ſecundum Deum *d* ζ in paradiſo,& corporali & ſpiritali: neque enim erat paradiſus corporalis propter corporis bona, & propter mentis non erat ſpiritalis. Aut verò erat ſpiritalis, quo per interiores,& non erat corporalis, quo per exteriores ſenſus homo frueretur. Erat planè utrumque propter utrumque. Poſtea verò quàm *e* η ſuperbus ille Angelus, θ ac per hoc invidus, per eandem ſuperbiam à Deo ad ſemetipſum converſus, & quodam quaſi tyrannico faſtu gaudere ſubditis quam eſſet ſubditus eligens, de ſpiritali paradiſo cecidit,de cujus lapſu ſociorumque ejus, qui ex Angelis Dei Angeli ejus effecti ſunt, in libris undecimo & duodecimo hujus operis ſatis quantum potui diſputavi, *f* ι maleſuaſa verſutia in hominis ſenſum ſerpere affectans,cui utique ſtanti,quoniam ipſe ceciderat,invidebat,colubrum in paradiſo corporali, ubi cum duobus illis hominibus,maſculo & fœmina, κ animalia etiam terreſtria cætera ſubdita & innoxia verſabantur, animal ſcilicet lubricum & tortuoſis anfractibus mobile, *g* λ operi ſuo congruum per quem loqueretur elegit: *h* eoque per angelicam præſentiam præſtantioremque naturam ſpiritali nequitia ſibi ſubjecto, & tanquam inſtrumento abutens fallaciam ſermocinatus eſt fœminæ: à parte ſcilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, ut gradatim perveniret ad totum: non exiſtimans, virum facilè credu-
Exod. 32. lum,nec errando poſſe decipi,ſed dum alieno cedit errori. μ Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non conſenſit inductus, ſed ceſſit ob-
3. Reg. 11. ſtrictus: ν nec Salomonem credibile eſt errore putaſſe, idolis eſſe ſerviendum, ſed

ſed blanditiis fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum: ita credendum eſt, illum virum ſuæ fœminæ uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem tranſgrediendam, non tanquam verum loquenti crediddiſſe ſeductum, ſed *i* ſocialia neceſſitudine paruiſſe. Non enim fruſtrà dixit Apoſtolus, *Adam non eſt ſeductus: mulier autem ſeducta eſt:* niſi quia illa, quod ei ſerpens locutus eſt, tanquam verum eſſet accepit, ille autem ab unico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati, nec ideò minus reus, ſed ſciens prudensque peccavit: unde & Apoſtolus non ait, non peccavit, ſed *non eſt ſeductus:* nam utique ipſum peccaſſe oſtendit, ubi dicit: *Per unum hominem intravit peccatum in mundum:* & paulò poſt apertius. *In ſimilitudinem*, inquit, *prævaricationis Adæ.* Hos autem ſeductos intelligi voluit, qui id quod faciunt, non putant eſſe peccatum, ille autem ſcivit. Alioquin quomodo verum erit: Adam non eſt ſeductus? Sed inexpertus divinæ ſeveritatis in eo falli potuit, ut veniale crederet eſſe commiſſum. Ac per hoc in eo quidem quo mulier ſeducta eſt, non eſt ille ſeductus, *k* ſed eum fefellit, quomodo fuerat judicandum quod erat dicturus, *Mulier quam dediſti mihi ſociam, ipſa mihi dedit, & manducavi.* Quid ergò opus eſt pluribus? Et ſi credendo non ſunt ambo decepti, peccando tamen ambo capti ſunt, & Diaboli laqueis implicati.

1 Tim. 2. Rom. 5. Gen. 3.

a UNde tropica locutione.] *Figurata. Tropus eſt, inquit Quintilianus, verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio. Deum pœnituiſſe, metaphora eſt, quam cum aliis tropis, ſi quis ignorat, ſcire tamen avet ad ſacras literas intelligendas, non ex Cicerone petat vel Quintiliano, ſed ab iſtis magnis declamatoribus, qui quid Grammaticen Rhetoricenq; intereſt, adhuc neſciunt, uno verbulo Grammaticen omnia nominant.* L. Vives.

b Arbitrium igitur voluntatis.] *Non quòd aliàs liberum non ſit: nam neque peccaret: ſed quòd tunc nullo criminum onere preſſum, nulli ſubditum pravæ conſuetudini aut pravitati, tyrannis violentis verè ſolutum agit & expeditum, non ſubinde à vitio tractum atque vexatum.*

c Inde quippè liberator unde ſalvator.] *Ex Deo liberare nos, ex Deo ſalvos facere potuit, nec aliunde.*

d In paradiſo & corporali & ſpiritali.] *Paradiſus voluptas eſt & oblectatio. In Paradiſo in quo locatus erat homo, non tantùm corporalis ingens, ſed animi multo maxima voluptas, ſine qua corporalis illa non modo nulla, ſed contrà potius amariſſima fuiſſet. Ex animo enim fons eſt omnis oblectationis, qui ſi mœret, quid in homine lætum erit?*

e Superbus ille angelus, ac per hoc invidus.] *In ſuperbo natura vitii ipſius ſuccreſcit ſtatim invidentia. Sic enim ſe ſuperbus diligit, ut neminem non priorem modò, ſed ne parem quidem patiatur: quod cùm difficile factu ſit, ibi continuò invidia naſcitur, ita fit ut etiam in maximis faſtigiis, & ſupra quæ nihil ſit, invidentia reperiatur, cùm favor populi aliqua de cauſa in alium inclinat, & non totus omni tempore, & per omnia in principem fertur. Declarat Suetonius quemadmodum Caligula Cæſar omni generi hominum etiam infimo inviderit, aliis propter acclamationes populi,*

puli, aliis propter admirationem generis vel formæ. Invidit ergo dæmon homini, ſibi in dignitate illa ſuffecto, & per hanc invidiam mors intravit in orbem terrarum.

f Maleſuaſa verſutia.] *Legendum maleſuada verſutia, ut apud Vergilium maleſuada fames, quaſi mala ſuadens.*

g Operi ſuo congruum per quem loqueretur.] *Idem de Gen. ad literam, inquit, per hoc ſolum animal permiſſum eſſe tentare, ut ſatis declamretur fœmina, venenoſum animal non niſi venenum efflaturum. Pherecydes Scyrus ſcribit, dæmonas è cœlo eſſe à Jove deturbatos, quorum princeps Ophioneus ſit dictus, hoc eſt ſerpentinus.*

h Eoque per angelicam præſentiam.] *Nam dæmon ſerpentem induit, ideò calliđiſſimum omnium animalium videbatur, ut ipſe dicit ſuper Gen.*

i Sociali neceſſitudine.] *Non neceſſitate, ſed benevolentia & conjunctione. Hæc enim omnia eſt neceſſitudo, & crebrius poſteriorib. hæc.*

k Sed cùm fefellit quomodo fuerat judicandum.] *Hoc Adam decepit, quòd exiſtimavit, juſtam ſe excuſationem, & quam Deus facilè acciperet, increpanti & caſtiganti Deo allaturum, ſi id ſe feciſſe diceret, ut gratificaretur ſociæ, atque ei ſociæ, non quam ſumpſiſſet ipſe, ſed quam dediſſet dominus.*

F.L.C.9 α Unde tropica locutione.] *i. e. figurata, quæ frequens eſt in ſcriptura, ut docet lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 29. & lib. 15. de Trinit. cap. 9.*

β Pœnituiſſe legitur Deum.] *Geneſ. 6. 1. Reg. 15. & Pſalm. 109. pœnitentia in Deo intelligenda eſt non ſecundùm affectum animi, ſed ſecundùm effectum operis; nec ſecundùm proprietatem, ſed ſecundùm ſimilitudinem, quia talia facit, qualia facere ſolemus pœnitentia aliqua correpti. D. Thomas 1 p. q. 19. art. 7. ad 1.*

γ Tunc eſt verè liberum, cùm vitiis peccatiſque non ſervit.] *Unde poſſe peccare nec eſt libertas, nec pars libertatis, ſi quidem in Deo eſt liberum arbitrium, ut docet D. Thomas 1. p. q. 19. art. 10. & in Angelis ſanctis, qui peccare non poſſunt, eſt major libertas quàm in nobis, qui peccare poſſumus, ut idem ſcribit 1. p. q. 62. art. 8. ad 3. & in confirmatis in gratia eſt maxima libertas. Unde egregiè D. Auguſtinus lib. de ſpiritu & liter. cap. 20. & ſæpe alias oſtendit, per gratiam non evacari liberum arbitrium, ſed potius ſtatui.* Sicut lex, *inquit,* non evacuatur, ſed ſtatuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur, ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, ſed ſtatuitur, quia gratia ſanat voluntatem, qua juſtitia liberè diligatur. *& in Enchiridio ad Laurentium cap. 105.* multo liberius erit arbitrium, quod omnino ſervire non poterit peccato. *Tamen D. Thomas 1. p. q. 19. artic. 10. ad 1. videtur concedere, verè eſſe libertatem in eo, quod homo peccare poteſt. & id ipſum ſcribit Damaſcenus libr. 2. de fide orthodox. cap. 27. Reſponderi poteſt in eo, qui poteſt peccare, eſſe majorem libertatem quoad extenſionem & libertatem ad plura, verùm illa eſt imperfecta libertas & potiùs defectus ſeu imperfectio libertatis, in eo verò cujus liberum arbitrium confirmatum eſt per gratiam in bono, major eſt libertas. i. e. perfectior, & ſunt in eo plures libertates, eſt ſiquidem liber à coactione, & liber à peccato. & lib. de corrept. & grat. cap. 11.* quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato?, quæ futura erat homini ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti?

δ Quod

δ Quod amiſſum proprio vitio.] *An verò Adam per peccatum amiſit liberum arbitrium? In Enchiridio cap. 30* libero arbitrio malè utens homo & ſe perdidit & ipſum. *& epiſt. 107.* liberum arbitrium, *inquit,* ad diligendum Deum primi peccati gravitate perdidimus, & ſine gratia illud captivum. Si verò volumus defendere liberum arbitrium, *inquit,* non oppugnemus unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, qua noſtrum ad declinandum à malo & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipſe arbitrium ſuum vult eſſe captivum. *Certè libertas arbitrii ad naturæ ipſius perfectionem pertinet, naturalia autem quemadmodum in Angelis, ita in homine poſt peccatum remanſerunt: verùm peccato ipſum effectum eſt, ut homo majorem difficultatem ad bonum & propenſionem ad malum experiretur, atque ideo vulneratum eſt quodammodo & infirmum factum liberum arbitrium; deinde legem divinam implere non poteſt ſine divina gratia, deperdita itaque gratia ex parte dicitur deperditum liberum arbitrium, quo ſenſu remanſerit & perierit, rectè explicat libr. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 2.* Quis noſtrum dicat, *inquit,* quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ habendi fuit in paradiſo plenam cum immortalitate juſtitiam. Propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente domino. Si filius vos liberaverit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad bene juſteque vivendum. Nam liberum arbitrium uſque adeò in peccatore non periit, ut per illud maximè peccent omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. Unde & Apoſtolus inquit, cùm eſſetis ſervi peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ, ecce oſtenduntur etiam peccato minime potuiſſe niſi alia libertate ſervire. Liberi ergo à juſtitia non ſunt, niſi arbitrio voluntatis, liberi autem à peccato non ſunt, niſi gratia ſalvatoris. *& hanc libertatem, quæ potiſſima eſt, ſcilicet à peccato, perdidit Adamus per peccatum.*

ε Niſi à quo dari potuit, reddi non poteſt.] *Solus enim Chriſtus potuit nobis mereri gratiam & veram libertatem, ipſe ſolus juſtus & juſtificans, lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianor. cap. 3.* Nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit. *Eſt enim dominus, omnes ſervi, domini autem eſt ſervos in libertatem aſſerere: & quidem hæc eſt vera & perfecta libertas, quam aſſecuti ſumus per Chriſtum. Rectè Athanaſius ſerm. 3. contra Arrian. inde probat, Chriſtum eſſe filium Dei connaturalem, non creaturam, cum ipſius ſit, à ſervitute liberare.*

ζ In paradiſo & corporali & ſpirituali.] *Contra Origenem & alios, qui ita interpretati ſunt figuratè paradiſum & omnia, quæ in eo fuiſſe narrat ſacra Geneſis, ut hiſtoriæ auferrent veritatem. Fuiſſe vero corporalem locum, in quo Adam in ſtatu innocentiæ habitavit, communis eſt patrum conſenſus, ut docet Bellarminus libr. de gratia primi hominis cap. 10. Vide D. Thom. 1. p. q. 102. art. 1. dicitur verò locus corporalis & ſpiritalis, vel quia idoneus erat maximè locus oblectando tùm corpori, tùm animo maximè, ut hic docet D. Auguſtinus; vel certè corporalis quantum ad hiſtoriæ veritatem, ſpiritualis quoad ſignificationem myſticam. Vide Damaſcenum lib. 2. de fide orthodox. cap. 11. & D. Thom. 1. p. q. 102. art. 2.*

η Super-

n Superbus ille Angelus.] *Deſcribitur illius ſuperbia Iſaiæ 14. Ezechiel. 28. quò alludit Paulus 1. Timoth. 3.* Ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat Diaboli.

ϑ Ac per hoc invidus.] *Si quidem ut ſcribit libr. 11. de Geneſ. ad liter. cap. 14.* Invidia ſequitur ſuperbiam, non præcedit. Non enim cauſa ſuperbiendi eſt invidentia, ſed cauſa invidendi ſuperbia: Cum enim ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ, invidia verò odium fœlicitatis alienæ, quid inde naſcatur ſatis in promptu eſt. Amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus invidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus, ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus, quod eis non coæquetur: ſuperbiendo igitur invidus, non invidendo quiſque ſuperbus eſt.

ι Maleſuada verſutia.] i. male ſuadens, *vel* mala ſuadens, *ut apud Virgilium 6. Æneidos,* maleſuada fames, *& apud Plautum,* maleſuada lena, *& apud Statium 1. Theb.* amor maleſuadus ſceptri, *Græcè κακιϐουλ*ος.

κ Animalia etiam terreſtria cætera ſubdita & innoxia verſabantur.] *Solet in diſputationem adduci, utrum præter hominem etiam alia animalia rationis expertia fecerit in paradiſo. Et quidem negat D. Damaſcenus, lib. 2. de fide orthod. cap. 11. quem ſequitur D. Thomas 1. p. q. 102. artic. 2. ad 2. In eadem ſententia cum Damaſceno Rupertus eſt libr. 3. de Trinit. & ope. ejus cap. 2. & Philo Judæus libr. de plantatione Noe, hoc diſcrimen facit inter arcam Noe & paradiſum terreſtrem, quod intra arcam fuerunt & homines & animalia tàm munda quàm immunda; in paradiſo autem terreſtri nullum fuit animal rationis expers, ſed homo tantùm, & hujus rei rationem quandam reddit tropologicam. Verùm probabilior eſt ſententia D. Auguſtini, quæ eſt etiam Joſephi lib. 1. antiquitat. cap. 2. & D. Baſilii orat. de paradiſo his verbis.* In paradiſo omnia erant avicularum genera, quæ & pulchritudine colorum & dulcedine concentus incredibiliter oblectabant hominem: Erant etiam illis variorum animalium ſpectacula, ſed erant omnia manſueta, obedientia homini, inter ſe concorditer & pacificè viventia, quæ & audiebant inter ſe; & loquebantur ſenſatè: Serpens autem non erat tunc horrendus, ſed mitis & manſuetus, nec terribiliter in terræ ſuperficie veluti natans reptabat, ſed ſublimis & erectis pedibus inſiſtens ingrediebatur. *Eidem ſententiæ ſubſcribit Bellarminus lib. de gratia primi homin. cap 15. & Pererius libr. 3. comment. in Geneſim. Quomodo verò animalia non fuere in paradiſo, cum ad ipſum Adamum in paradiſo verſantem cuncta ſint adducta, ut eis nomina imponeret, eique datum fuerit imperium in omnia animalia, & ſerpens intra paradiſum tentaverit Evam atque deceperit?*

λ Operi ſuo congruum per quem loqueretur elegit.] *Hiſtoriam ſerpentis ad Evam loquentis deridebat Julianus, & fabulæ loco habebat, ut refert Cyrillus lib. 3. contra eundem, verùm eum rectè reprehendit, cum apud Ethnicos, quorum doctrinam Julianus profitebatur, & equi, & fluvii aliquando locuti eſſe credantur: & quemadmodum Numer. 22. Aſina Balaam locuta eſt bono Angelo eam movente, ita de ſerpente ſentiendum, eoque tanquam organo ad decipiendam Evam uſum eſſe Diabolum. mutus ille ſerpens per ſe loqui non poterat, ſed Diabolus per eum, ut per organum, & Apocalypſ. 20. Serpens antiquus, quia ab initio ſerpentem induit. Et verum illum fuiſſe ſerpentem, Patres ſummo conſenſu docuerunt. D. Chryſoſtomus, homil. 16.*

mil. 16. in Geneſ. D. Baſilius oratio. quod Deus non ſit author malorum. D. Epiphanius in hæreſi Ophitarum. D. Auguſtinus ipſe hoc loco, & libr. 11. de Geneſi. cap. 2. atque id conſtat ex hiſtorica narratione Moſis, quæ ad improprium ſenſum & metaphoricum, cùm nihil in ſe contineat abſurdum, minimè detorquenda eſt. Quæri verò poteſt hoc loco, An diabolus ſponte ſua ſerpentem elegerit, per quem Evam ſeduceret, an aliam beſtiam non ſit permiſſus aſſumere quàm ſerpentem? D. Chryſoſtomus, homil. 16. in Geneſim, ſcribit Diabolum de induſtria ſerpentem elegiſſe, quod is videretur aptiſſimus ob naturalem ſuam calliditatem, ad inſidias mulieri faciendas. Eadem videtur ſententia D. Auguſtini hoc loco, cùm dicit Diabolum animal lubricum & tortuoſis anfractibus mobile, operi ſuo congruum, per quem loqueretur, elegiſſe. Idem tamen lib. 11. de Geneſi ad liter. cap. 3. docet Sathanam non fuiſſe uti permiſſum alio inſtrumento quàm ſerpentis ore. Non eſt putandum, *inquit*, quod diabolus ſerpentem, per quem tentaret, elegerit, ſed cum decipere cuperet, non potuit niſi per quod animal poſſe à Deo permiſſus eſt. Nocendi enim cupiditas ineſt cuique à ſe, ſed poteſtas à ſolo Deo eſt. *Huic ultimæ ſententiæ tanquam probabiliori ſubſcribit Bellarminus lib. 3. de amiſſ. grat. & ſtatu peccat. 3.*

μ Sicut enim Aaron erranti populo non conſenſit inductus.] *Exod. 22. habetur hiſtoria de conflato vitulo ab Aaron. Equidem non eſt exiſtimandum fuiſſe aliquem errorem in intellectu ipſius Aaronis, vel ipſum de Deo minus bene ſenſiſſe, vel infidelem fuiſſe, ſed timore inductus ceſſit populo ſibi comminanti mortem. Nec enim infidelitas conſiſtit in ipſo facto, ſed in errore intellectus: neque enim qui concupiſcentia inductus committit fornicationem vel adulterium, hæreticus cenſetur, verùm ille qui fornicationem aſſereret eſſe licitam, nec exiſtimavit ipſe Aaron vitulo conflato ineſſe aliquam divinitatem: de peccato autem Aaronis vide D. Auguſtinum quæſt. 148. in Exod. Theodoretus quæſt. 66. in Exodum, Aaronem non prorſus à venia alienum oſtendit, & oratione Moſis pœnas evaſiſſe, quod divinus Moſes in Deuteronom. cap. 9. commemorat.* Deprecatus ſum dominum pro Aarone fratre meo, & non eſt mortuus. *D. Thomas 4. ſentent. diſtinct. 46. artic. 2. quæſt. 2. ad 5.* Aaron, *inquit*, punitus fuit, quamvis non pœna manifeſta fuit, ſicut & populus, in ſignum quod prælati non debent puniri manifeſtè, ſed occulte propter ſcandalum vitandum. *Pœna autem Aaron dicitur in ipſo fuiſſe & filiis ejus, quod in ſacrificio vitulæ rufæ immundi efficiebantur, ut habetur 19. Num. D. Auguſtinus quæſtio. citata in Exodum hoc occulto Dei judicio adſcribit, qui quibusdam parcit ad tempus, ut in melius commutentur aliis punitis. Cyrillus Hieroſolym. catech. 2. illuminat.* non populus tantùm peccavit, *inquit*, verùm etiam Aaron ſummus ſacerdos. Moyſes enim dicit, Et ſuper Aaron facta eſt ira domini, & rogavi, *inquit*, pro ipſo, & condonavit illi.

ν Nec Salomonem credendum eſt putaſſe errore idolis eſſe ſerviendum.] *Similiter huic loco confert etiam libr. 11. de Geneſi. ad lit. cap. 42. peccatum Adami cum peccato Salomonis.* Salomon *(inquit)* vir tantæ ſapientiæ, nunquidnam credendum eſt, quod in ſimulacrorum cultu credidit eſſe aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti reſiſtere non valuit, faciens quod ſciebat

eſſe non faciendum, ne ſuas, quibus deperibat atque diffluebat, mortiferas delitias contriſtaret. Ita & Adam, poſteaquam de ligno vitæ prohibito ſeducta mulier manducavit, eique dedit ut ſimul ederent, noluit eam contriſtare, quam credebat ſine ſuo ſolatio poſſe contabeſcere, ſi ab ejus alienaretur animo, & omnino illa interire diſcordia; Non quidem carnis victus concupiſcentia, quam nondum ſenſerat in reſiſtente lege membrorum legi mentis ſuæ, ſed amicali quadam benevolentia, quia plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, quod eum non debuiſſe facere divinæ ſententiæ juſtus exitus indicavit. *Scotus authoritate D. Auguſtini fortaſſe fuit inductus ut exiſtimaret Adami peccatum primum fuiſſe inordinatum amorem uxoris lib. 2. ſentent. diſtinct. 21. quæſt. 2. verum ad comedendum quidem adductus eſt Adam nimio amore uxoris, at eum amorem animi elatio & ſuperbia præceſſerat, ut docet D. Auguſtinus loco citato de Geneſ. ad liter.*

ξ Dixit Apoſtolus, Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta eſt.] *An ſeductus fuerit Adamus, ut vera eſſe crederet, quæ ſerpens diceret: non modo hoc loco, ſed & loco citato de Gen. ad liter. negat D. Auguſtinus;* dolo illo ſerpentis, *inquit*, quo mulier ſeducta eſt, nullo modo arbitror potuiſſe ſeduci in illo modo, quo illa potuit. Hanc autem proprie ſeductionem appellavit Apoſtolus, quia id quod ſuadebatur cùm falſum eſſet, verum eſſe putatum eſt. i. e. quod Deus ideò lignum illud tangere prohibuerit, quod ſciebat eos, ſi tetigiſſent, veluti deos futuros, tanquam eis divinitatem invideret, qui eos homines fecerat; ſed etiam ſi virum illum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum internorum ſcrutatorem latere non potuerat, ſollicitavit aliqua experiundi cupiditas, cum mulierem videret accepta illa eſca, non eſſe mortuam, non tamen eum arbitror, ſi jam ſpirituali mente præditus erat, ullo modo credere potuiſſe, quod eos Deus ab eſca illius ligni invidendo vetuiſſet. *Patres tamen ferè docent, Adamum fuiſſe ſeductum, quos refert Bellarminus libr. 3. de amiſ. grati. & ſtat. pec. cap. 7. & Pererius lib. 6. commentar. in Geneſi. diſputat de hac re, & variè interpretatur illum locum Apoſtoli 1. Timoth. 2. Verum duas interpretationes conſentaneas doctrinæ D. Auguſtini maximè probo; prima,* vir non eſt ſeductus, *ſcilicet à ſerpente hoc ſenſu, mulier verè & propriè ſeducta eſt, quia ſerpens eam animo fallendi aſtutè decepit, cum ei falſum propoſuit ſub ſpecie veri; at vir ſeductus quidem aliquo modo eſt à muliere, ſed non propriè, quia nec illa habebat intentionem fallendi, nec ipſe ob ejus perſuaſionem, ſed ob ejus amorem excæcatus eſt; Secunda interpretatio,* vir non eſt ſeductus, *ſcilicet prior, verùm qua ratione doceat non eſſe ſeductum explicat; illi enim propriè ſeduci dicuntur, qui id quod faciunt non putant eſſe peccatum, ille autem ſcivit, verùm putavit eſſe veniale, nec exiſtimavit tamen pœnam illius peccatum conſecuturam eſſe.*

CAP. XII.

De qualitate primi peccati per hominem admiſſi.

SI quem verò movet, *a* cur aliis peccatis ſic natura non mutetur humana, quemadmodum illa duorum primorum hominum prævaricatione mutata

eſt: ut tantæ corruptioni, quantam videmus atque ſentimus, & per hanc ſubjaceret morti, ac tot & tantis tamque inter ſe contrariis perturbaretur & fluctuaret affectibus, qualis in Paradiſo ante peccatum, licet in corpore eſſet animali, utique non fuit. Si quis hoc movetur, ut dixi, non ideò debet exiſtimare β leve ac parvum fuiſſe illud commiſſum, quia in eſca factum eſt, non quidem mala α nec noxia, niſi quia prohibita. Neque enim quicquam mali Deus in illo tantæ felicitatis Paradiſo crearet atque plantaret. γ Sed obedientia commendata eſt in præcepto, *b* quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo eſt omnium cuſtosque virtutum: quandoquidem ſic facta eſt, ut ei ſubditam eſſe ſit utile: perniciosum autem ſuam, non ejus à quo creata eſt facere voluntatem. Hoc itaque de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia ſubjacebat, tam leve præceptum ad obſervandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi præſertim nondum voluntati cupiditas reſiſtebat, quod de pœna tranſgreſſionis poſtea ſubſecutum eſt, δ tanto majore injuſtitia violatum eſt, quanto faciliore poſſet obſervantia cuſtodiri.

α NEc noxia] *Ex ſeipſa.* L.Vivi.

b Quæ virtus in creatura rationali.] *Neque enim aliquid præcipit Deus vel homini vel angelo, quod ejus opere quopiam beatiſſimus ille & nullius rei indigus egeat, ſed obſequentem ſibi & audientem dicto vult eum eſſe. Unde eſt illud præſtare ſacrificio obedientiam Hieronymus in Hieremiam cap. 11. ſuper illo dicto: Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus: non propter generis, inquit, privilegia, non propter circunciſionis injuriam, & otium Sabbati, ſed propter obedientiam & Deus efficitur populi Iſrael, & Iſrael populus ejus. Similia in Eſaiam cap. 44. Inter Auguſtini opera liber eſt de obedientia & humilitate. Hanc de obedientia ſententiam, quòd omnium ſit virtutum mater atque origo, repetit multis in locis libro primo contra adverſarios legum & prophetarum, & in de bono conjugali.*

α CUr aliis peccatis non mutetur natura humana.] *Peccatum primi parentis erat peccatum totius naturæ, adverſabatur juſtitiæ originali, quæ erat ei collata non nomine proprio tantùm, verùm etiam ut transfunderetur in poſteros, ideoque peccatum originale transfunderetur in omnes ab eo deſcendentes, & non ſibi tantùm nocuit, verùm etiam omnibus ejus poſteris. At peccata reliquorum hominum ſunt perſonalia, adverſantur gratiæ perſonali, ideo non transfunduntur, nec naturam ipſam inficiunt aut corrumpunt, ideo ſolum Adami peccatum cum gratia Chriſti confertur: Etſi enim multi alii habeant gratiam, nihilominus gratiam capitis ſolus habet Chriſtus, qui eſt unus juſtus & juſtificatus, unus gratiam influit in alios, & aliis eam meretur, & totam naturam ille unus meliorem reddere potuit, ita de peccato Adami ſentiendum quod de juſtitia Chriſti*, ſicut in Adam omnes moriuntur, ita omnes in Chriſto vivificantur. F.L.Leg.

β Leve ac parvum fuiſſe illud commiſſum, quia in eſca factum.] *Etſi enim in materia levi, Deus tamen potuit eum obligare ad peccatum mortale: nec tamen exiſtimandum peccatum illud fuiſſe omnium graviſſimum, quod tam gravi pœna ſit mulctatum. i. e. tot tantorumque bonorum amiſſione & neceſſitate, tot tantisque malis*

corporis & animæ ſubjacendi. Ut enim docet D. Thomas 2.2. quæſt. 163. artic. 3. ad 2. magnitudo pœnæ, quæ conſecuta eſt, non reſpondebat peccato Adami ſecundùm quantitatem propriæ ſpeciei, ſed in quantum fuit primum, quia ex hoc interrupta eſt innocentia primi ſtatus, qua ſubtracta, deordinata eſt tota natura humana.

γ Sed obedientia commendata eſt in præcepto.] *Eadem qua hic, ſcribit etiam lib. 8. de Geneſ. ad liter. cap. 6.* non fuiſſe illam arborem cibo noxiam, neque enim, qui fecerat omnia bona valdè, in paradiſo inſtituerat aliquid mali; ſed malum fuiſſe homini transgreſſione præcepti. Oportebat autem, ut homo ſub domino Deo poſitus aliunde prohiberetur, ut ei promerendi dominum ſuum virtus eſſet ipſa obedientia, quam poſſum veriſſimè dicere ſolam eſſe virtutem omni creaturæ rationali agenti ſub Dei poteſtate, primumque eſſe & maximum vitium tumoris ad ruinam ſua poteſtate velle uti, cujus vitii nomen eſt inobedientia. Non eſſet ergo unde ſe homo dominum habere cogitaret atque ſentiret, niſi ei aliquid juberetur, *& eodem lib. cap. 13. libr. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 21. ibidem docet*: quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo eſt omnium cuſtosque virtutum. ut enim omnium virtutum actus poſſunt eſſe præcepti, & exerceri, quia præcepti ſunt, ita materia obedientiæ omnium virtutum actibus continetur. *D. Thom. q. 104. art. 3.* quæcumque alia virtutum opera ex hoc meritoria ſunt apud Deum, quòd fiunt ut obediatur voluntati divinæ. Nam ſi quis etiam martyrium ſuſtineret, vel omnia ſua pauperibus erogaret, niſi hæc ordinaret ad impletionem divinæ voluntatis, quod rectè ad obedientiam pertinet, meritoria eſſe non poſſent, ſicut nec ſi fierent ſine charitate, quæ ſine obedientia eſſe non poteſt.

δ Tanto majore injuſtitia violatum eſt.] *Lib. de natur. & grat. cap. 25.* Iniquitatem peccati tanto graviorem quanto facilius homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna juſtiſſima ſubſecuta eſt, ut mercedem mutuam peccati in ſemetipſo reciperet amittens ſub ſe poſitam ſui quodammodo corporis obedientiam, quam præcipuam ſub domino ſuo ipſe contempſerat. *Libr. de corrept. & grat. cap. 12.* Adam & terrente nullo & inſuper contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio non ſtetit in tanta fœlicitate, in tanta non peccandi facilitate.

Cap. XIII.

Quod in prævaricatione Adæ ad opus malum mala præceſſit voluntas.

IN occulto autem mali eſſe cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, niſi præceſſiſſet mala voluntas. Porro α malæ voluntatis initium quod potuit eſſe niſi ſuperbia? Initium enim omnis peccati ſuperbia eſt: quid eſt autem β ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus? Perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri atque eſſe principium. Hoc fit cùm ſibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit quàm ipſe ſibi. Spontaneus eſt autem iſte defectus: quoniam

niam ſi voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur ut videret,& accedebatur ut amaret,& ſtabilis permaneret,non inde ad ſibi placendum averteretur, *a* γ & ex hoc tenebreſceret, & *b* frigeſceret, *c* δ ut vel illa verum crederet dixiſſe ſerpentem, *d* vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, *e* ε putaretque ſe venialiter tranſgreſſorem eſſe præcepti, ſi vitæ ſuæ ſociam non deſereret etiam in ſocietate peccati. Non ergo malum opus factum eſt,id eſt illa tranſgreſſio,ut cibo prohibito veſceretur, niſi ab eis, qui mali jam erant. Neque enim fieret ille fructus malus,niſi ab arbore mala. Ut autem eſſet arbor mala contra naturam factum eſt,quia niſi vitio voluntatis quod contra naturam eſt, non utique fieret: ſed vitio depravari,niſi ex nihilo facta,natura non poſſet. Ac per hoc ut natura ſit,ex eo habet,quòd à Deo facta eſt:ut autem ab eo,à quo facta eſt,deficiat,ex hoc quòd de nihilo facta eſt. Nec ſic defecit homo,ut omnino nihil eſſet,ſed ut inclinatus ad ſeipſum minus eſſet, quàm erat,cùm ei qui ſummè eſt inhærebat. Relicto itaque Deo,eſſe in ſemetipſo,hoc eſt,ſibi placere,nō jam nihil eſſe eſt,ſed nihilo propinquare: unde ſuperbi ſecundùm ſcripturas ſanctas *f* alio nomine appellantur,ſibi placentes. Bonum eſt enim ſurſum habere cor, nōn tamen ad ſeipſum,quod eſt ſuperbiæ,ſed ad Dominum,quod eſt obedientiæ, quæ niſi humiliū non poteſt eſſe. Eſt igitur aliquid humilitatis miro modo quod ſurſum faciat cor,& eſt aliquid elationis quod deorſum faciat cor. Hoc quidem quaſi contrariū videtur,ut elatio ſit deorsū,& humilitas ſursū. Sed pia humilitas facit ſubditū ſuperiori:nihil eſt autē ſuperiꝰ Deo, ζ & ideò exaltat humilitas,quæ facit ſubditum Deo. Elatio autem,quæ in vitio eſt,eo ipſo quo reſpuit ſubjectionem,cadit ab illo,quo non eſt quicquam ſuperius, & ex hoc erit inferius, & fit quod ſcriptum eſt: η *Dejeciſti eos dum extollerentur.* Non enim ait, cùm elati fuiſſent, ut prius extollerentur, & poſtea dejicerentur : ſed cùm extollerentur, tunc dejecti ſunt. Ipſum quippè extolli jam dejici eſt. Quapropter quòd nunc in civitate Dei, & civitati Dei in hoc ſeculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, *g* θ & in ejus Rege,qui eſt Chriſtus, maximè prædicatur: contrariumque huic virtuti elationis vitium, in ejus adverſario,qui eſt diabolus, maximè dominari ſacris literis edocetur: profectò iſta eſt magna differentia, qua civitas, unde loquimur, utraque diſcernitur: una ſcilicet ſocietas piorum hominum, altera impiorum, ſingula quæque cum angelis ad ſe pertinentibus, in quibus præceſſit hac amor Dei, hac amor ſui. Manifeſto ergo apertoque peccato, ubi factum eſt,quod Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non cepiſſet, niſi jam ille ſibiipſi placere cœpiſſet. Hinc enim & delectavit,quod dictum eſt, *h Eritis ſicut Dii:* quod melius eſſe poſſent ſummo veroque principio cohærendo per obedientiam,non ſuum ſibi exiſtendo principium per ſuperbiam. Dii enim creati non ſua virtute,ſed Dei veri participatione ſunt dii : plus autem homo appetendo minus eſt: qui dum ſibi ſufficere delegit,ab illo qui ei verè ſufficit,defecit. Illud itaque malum,quo cùm ſibi homo placet, tanquam & ipſe ſit lumen, avertitur ab eo lumine,quod ei ſi placet,& ipſe fit lumen : illud,inquam,malum præceſſerat in abdito, ut ſequeretur hoc malum, quod perpetratum eſt in aperto.

Matt.12 *Luc.4.* *Pſ.72.* *Gen.3.*

Prov. 16 10. Utrum eſt enim quod ſcriptum eſt: *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur.* Illa prorſus ruina, quæ fit in occulto, præcedit ruinam, quæ fit in manifeſto, dum illa ruina eſſe non putatur. Quis enim exaltationem ruinam putat, cùm jam ſit ibi defectus, quo eſt relictus Excelſus? Quis autem ruinam eſſe non videat, quando fit mandati evidens atque indubitata tranſgreſſio? Propter hoc Deus illud prohibuit, quod cùm eſſet admiſſum, *i* nulla defendi poſſet imaginatione juſtitiæ. Et ideo *ι* audeo dicere, ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo

Matth. 26. ceciderant. *κ* Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit, quàm ſibi placuit, quando præſumpſit. Hoc dicit & ſacer Pſalmus:

Pſ. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine,* id eſt, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui ſibi placuerant, quærendo ſuum.

L. Vives. *a* EX hoc tenebreſceret.] *Amiſſo lumine.*

b Et frigeſceret.] *Amiſſo calore.*

c Ut vel illa verum crederet.] *Huic deeſt lux, nam cæca eſt, non videt.*

d Vel ille Dei mandato.] *Huic ignis, nam friget, nam Dei parentis voluntatem & juſſum conjugis ſocietati poſthabet. Utrunque verò & lux & ignis utrinque abeſt: amor non eſt in muliere, quæ prætulit Deo pomum. Lux deeſt viro, qui non vidit, quò ſe noſque omnes præcipitaret.*

e Putaret ſe venialiter tranſgreſſorem eſſe.] *Non diſputo potueritné Adam venialiter peccare, quod in controverſia eſt Bonaventuræ, & homini ejuſdem ordinis Scoto: graviter & capitaliter egiſſe video, non me miſerum ſentio.*

f Alio nomine appellantur ſibi placentes.] *Ut in epiſtola Petri ſecunda, cap. 2. Audaces ſibi placentes. Græcè* Φιλαυτοὶ *dicuntur, & ſi apud Petrum ſic non eſt, ſed utor Latina interpretatione. Etiam eſt Sapientiæ ſexto: Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum.* Φιλαυτία *igitur id vitium*

Φιλαυτία. *dicitur quaſi amor ſui, quem eſſe maximorum errorum malorumq; fontem Socrates exiſtimabat. Hæc eſt caput omnis ſuperbiæ hæc ignorationis omnis cauſa.*

g Et in ejus Rege, qui eſt Chriſtus.] *Qui factus eſt obediens Patri uſque ad mortem, in qua tanquam ovis ad aram eſt ductus, & tanquam agnus, cum tonderetur, obmutuit, nec cædentibus eſt comminatus, nec maledicentibus remaledixit. O ſalve exemplum obedientiæ, manſuetudinis, mitis animi ac modeſti, quod feroci, indomito, ingrato, impio generi humano pater omnipotens ad imitandum propoſuit.*

h Eritis ſicut Dii.] *Exple fœmina ſuperbum iſtum animum, ſatia cupidinem tui efferendi, quid dari maximum, quid contingere ambitioſiſſimo & ſuperbiſſimo ultimum poteſt? Fieri Deum: ede hoc & eris. O ſtultiſſima fœminarum, quæ te futuram, quæ deam per pomulum ſperaſti.*

i Nulla defendi poſſet imaginatione juſtitiæ.] *Nulla ſpecie, nulla facie, nulla ratione quamlibet ficta, excogitata, imaginata juſtitia. Neque enim peccato apud Deum prætendi poteſt color aut velum juſtitiæ aliquod, quo excuſetur, quo non eſſe malefactum defendatur: accuſatur potius, & majus ſcelus eſſe convincitur.*

Malæ

α MAlæ voluntatis initium quod potuit eſſe niſi ſuperbia.] *Primum peccatum* P.L.Cap.1 *primorum parentum fuiſſe ſuperbiam, docet non tantùm hoc loco, verum etiam lib. 8. de Geneſi. ad liter. cap. 13. & 14. & lib. 11. cap. 36. & in Enchiridio cap. 45. recenſens malos actus, & quaſi partes peccati primi hominis, primo loco ponit ſuperbiam;* Superbia *(inquit)* eſt illic, qua homo in ſua potius eſſe, quàm in Dei poteſtate dilexit, *& tractat. 4. in Epiſt. Joannis;* contempſit Adam in paradiſo poſitus præceptum Dei, & erexit cervicem in poteſtate ſua eſſe cupiens, & nolens ſubdi poteſtati Dei. *Eſt etiam ſententia communis Patrum; Chryſoſt. homil. 16. in Geneſim, & homil. 11. ad popul. Antioch. & lib. 1. de provident. Gregorii libr. 34. moralium cap. 17. Damaſceni lib. 2. cap. 10. Fulgentii lib. 2. de incarnatio. & gratia Chriſti cap. 22. Hæc etiam eſt ſententia D. Thomæ 2. 2. q. 163. artic. 1. 2. & 3. ubi demonſtrat primum peccatum hominis fuiſſe in hoc, quod appetiit quoddam ſpirituale bonum ſupra ſuam menſuram, quod pertinet ad ſuperbiam; Eſt & communis Theologorum 2. diſtinct. 21. & 22. cui ſubſcribit Bellarminus lib. 3. de amiſſ. grat. & ſtat. peccat. cap. 4. & 5. Et Pererius libr. 6. commentarior. in Geneſim; & eſt conſentanea ſcripturæ ſacræ lib. Eccleſiaſt. cap. 10.* Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor ejus; quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia. *Tobiæ 4.* Superbiam nunquam in tuo ſenſu aut in tuo verbo dominari permittas; in ipſa enim ſumpſit initium hominis perditio. *Si quis verò quærat, in quo conſiſtebat hujuſmodi primi hominis ſuperbia, ſatis explicat Divus Auguſtinus ex definitione ſuperbiæ, quæ eſt* perverſæ celſitudinis appetitus. *D. Thom. quæſt. citata articul. 1. ad 1.* Primum *(inquit)* quod inordinatè voluit, fuit propria excellentia, & ideo inobedientia fuit in eo cauſata ex ſuperbia, *quod docet apertè etiam D. Auguſtinus ad Oroſium dialog. 65. qu. q. 4.* quod homo elatus ſuperbiæ ſuaſioni ſerpentis obediens præcepta Dei contempſit.

β Superbia eſt niſi perverſæ celſitudinis appetitus.] *D. Thom. 2. 2. q. 162. art. 1.* Superbia, *inquit*, nominatur ex hoc, quod aliquis per voluntatem tendit ſupra id quod eſt. *Unde dicit Iſidorus lib. Ethymol.* Superbus dicitur, quia ſuper vult videri quàm eſt. Qui enim vult ſupergredi quod eſt, ſuperbus eſt.

γ Et ex hoc tenebreſceret.] *Verum enim lumen mentem illuminans Deus eſt, incommutabile bonum, à quo qui deficit, obtenebratur in ſeipſo.*

δ Ut vel illa verum crederet dixiſſe ſerpentem] *Ita peccavit infidelitate credens ſerpenti falſa & impia de Deo loquenti, & etiam mendacii atque invidiæ Deum inſimulanti, libr. 11. de Geneſ. ad liter. cap. 30.* quomodo, *inquit*, verbis crederet mulier ſerpentis, niſi jam ineſſet menti amor ille propriæ poteſtatis & quædam de ſe ſuperbiæ præſumptio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda.

ε Putaretque ſe venialiter tranſgreſſorem eſſe præcepti.] *Supra cap. 11. Qua occaſione quæri poteſt:* An peccatum Adami potuerit eſſe veniale. *Equidem id docet Scotus 2. Sententia Diſtincti. 21. q. K. Altiſiod. 2. p. tract. 15. q. 4. Gabriel lib. 2. diſtinct. 22. q. unica; Almain. ultimo tractatu moral. cap. 22. nec deſunt rationes, quibus ea ſententia confirmetur. Primo Adamus tenebatur legem naturæ ſervare;*

cum

cum ergo libertatem haberet arbitrii, poterat dicere aliquando vel verbum otioſum, vel aliquod mendacium officioſum, atque id fuiſſet peccatum veniale. Neque enim cæteri Theologi admittunt, quod docet Bonaventura 2. ſent. diſt. 21. art. 3. q. 1. & Albertus magnus potuiſſe Adamum aliquid facere, quod ex objecto quidem fuiſſet tantùm veniale peccatum; illi tamen pro conditione ſtatus, in quo erat, imputandum fuiſſe pro mortali. Neque enim conditio ſtatus etſi peccati augeat gravitatem, poteſt ex veniali facere mortale: Secundò, quemadmodum Deus præcepit ſub pœna mortis ne fructu illius arboris veſcerentur, ita poterat præcipere ſub pœna peccati venialis: igitur ei ſtatui non repugnabat peccatum veniale. Denique confirmati in gratia poſſunt peccare venialiter, ſunt tamen in perfectiori ſtatu quàm in quo fuit Adamus; Ergo potuit & ille peccare venialiter. Recepta tamen eſt jam apud Theologos ſententia D. Thomæ quam docet 1. 2. q. 89. art. 3. & 2. ſentent. diſtinct 22. & qu. 7. de mal. art. 7. quæ eſt etiam Alexandri 2. p. q. 120. membro 6. item Ægidii, Ric. Durandi & aliorum communis; & facilè probatur, primo, quia peccato veniali aliqua pœna debetur, at tanta erat perfectio & fœlicitas illius ſtatus, ut omnis pœna ei adverſaretur; deinde ſi potuiſſet Adamus in eo ſtatu peccare venialiter, potuiſſet etiam peccatis venialibus aſſueſcere, indeque contrahere aliquam difficultatem ad bonum, quod certè illius ſtatus perfectioni repugnabat. Denique peccatum veniale aut certè oritur ex ſubreptione, aut tale eſt ex objecto & genere ſuo. Rurſus quod oritur ex ſubreptione, aut eſt ex appetitu carnis præveniente rationem, ut imperfectum deſiderium adulterii, aut ex ipſa voluntate præveniente perfectam deliberationem rationis, ut imperfectus motus infidelitatis, ac in ſtatu innocentiæ neque appetitus inferior repugnabat rationi, aut etiam voluntatem præveniebat, neque etiam voluntas rationem prævenire poterat, tanta erat conſenſio partium inferiorum cum ſuperioribus; neque in eo ſtatu poterant committi peccata, quæ eſſent venialia ex genere ſuo & ex objecto, eo quod hujuſmodi peccata non fiant, niſi quia ſervato ordine erga finem aliqua fiat deordinatio circa media, quod certè ab eo ſtatu erat alienum: quandiu enim ratio Deo ſubjiciebatur, & voluntas ultimo fini adhærebat, tandiu circa omnes res alias ſervabat ordinem ob rectitudinem illius ſtatus; Peccato ergo veniali in eo ſtatu innocentiæ nullus relinquebatur locus. Ad argumenta in contrarium facilè reſpondetur. Ad primum reſpondetur quidem, Adamum habuiſſe libertatem arbitrii in eo ſtatu, nihilominus ob perfectionem & rectitudinem, quam ille ſtatus requirebat, non poterat nec verbum otioſum, nec mendacium officioſum dicere, nec aliquod aliud peccatum veniale committere. Ad ſecundum, ſi Deus præcepiſſet ſub pœna peccati venialis, niſi mutaſſet ordinem illius ſtatus, non potuiſſet tum eſſe primum peccatum, ſed neceſſariò aliquod aliud peccatum anteceſſit, imò tranſgreſſio illius præcepti non fuit primum hominis peccatum, imo inobedientia illa & tranſgreſſio præcepti divini ex ſuperbia & ex mentis elatione, quæ in homine præceſſit, orta eſt, & ex doctrina D. Auguſtini primo ſuperbia occulta fuit in peccato Adami, deinde inordinatus amor erga uxorem, ac poſtremò aperta divini mandati tranſgreſſio, atque ita licet id Deus præcepiſſet ſub pœna peccati venialis, nihilominus tranſgreſſio illius præcepti licet venialis potuiſſet naſci ex ſuperbia & elatione mentis in eo præcedente. Ad tertium facilè nega-

negatur conſequentia: qui enim confirmati ſunt in gratia, etſi aliqua ex parte ſint in perfectiori ſtatu, quàm fuerit ſtatus innocentiæ, quia habent longe perfectiorem gratiam, & donum perſeverantiæ, tamen non retinent eundem ordinem inferiorum erga ſuperiora, & ſentiunt repugnantiam ac rebellionem carnis, & quamvis retineant ordinem rectum circa Deum ſive circa ultimum finem, tamen pati poſſunt aliquando deordinationem circa media, quod in illo primo ſtatu minimè habebat locum. Quod verò dicit D. Auguſtinus putaſſe Adamum ſe venialiter peccare, intelligit illum exiſtimaſſe peccatum illud ſibi remittendum absque amiſſione perfectiſſimi illius ſtatus, ut non exiſtimaverit tantam pœnam & damnum ſecuturum illud peccatum. De hac quæſtione videri poteſt Bellarmin. lib. 3. de amiſſ. grat. & ſtat. peccati cap. 8. & Pererius lib. 5. commentario. in Geneſim, Diſputatione 2. de excellentia ſtatus innocentiæ quæſt. 2.

ζ Dejeciſti eos dum extollerentur.] Superbis enim Deus reſiſtit, & humilibus dat gratiam, *ita* alta à longe cognoſcit; *ſuperbia Angeli mali ceciderunt, humilitate boni erecti ſunt; ſuperbia Adami præcipitavit nos in damnationem, humilitas Chriſti ſurſum erexit ad ſalutem.*

η Ideò exaltat humilitas, quæ facit ſubditum Deo.] *Ita ſcriptura,* Humiliamini ſub manu potenti Dei, ut vos exaltet: *Rectè D. Bernardus ſerm. 2. de verbis Iſalæ 6.* vidi dominum ſedentem, vide ut ſub ipſo inveniaris, alioquin non eſſe poteris cum ipſo, quid enim putas? homines in illud tantæ beatitudinis templum, qui ne ipſos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo? Aut non diſcernet inter glebas, qui diſcrevit inter ſtellas? examinabit certe argentum, qui ipſum quoque aurum probavit, & reprobavit: Qualem ergo putas neceſſe eſt hominem inveniri, qui repudiati locum Angeli ſortiatur? planè immunem ab omni iniquitate, ſed ab ea maximè, quæ in ipſo quoque Angelo non ad levem offenſam, non ad momentaneam iram inventa eſt, ſed ad odium ſempiternum. Semel turbavit ſuperbia regnum illud, concuſſit muros, etiam proſtravit ex parte, & parte non modica: quid ergo? facile ne deinceps admittenda videtur? numquid non odit civitas illa & vehementer hujuſmodi peſtem abominatur? Certi eſtote fratres, eum qui ſuperbis non pepercit Angelis, nec hominibus parciturum: non eſt contrarius ſibi ipſi, non eſt perſonarum acceptor, ſimilia ſunt judicia ejus. ſola ei placet humilitas ſive in Angelo, ſive in homine, & qui ſedet in throno, ſolos eligit ſubditos, è quibus repleat templum; Scriptum quippe eſt; quis ſicut dominus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra? *Pſalm. 112. quibus verbis cum D. Auguſtino hoc loco ſatis docet, quæ ſit differentia civium civitatis Dei, ſive Angelorum, ſive hominum, & reproborum cum diabolo, quod illi humilitate Deo elegerunt ſubdi, ideoque exaltari meruerunt, iſti verò per ſuperbiam dejecti, quod ſupra ſeipſos ſe extulerunt, & ſub Deo eſſe contempſerunt.*

ϑ Et in ejus Rege qui eſt Chriſtus, maximè prædicatur.] *Matth. 11.* Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, *quod ita interpretantur D. Chryſoſtomus homil. 39. & D. Auguſtinus ſermo. 10. de verbis domini ſecundùm Matthæum, ut ſenſus*

ſit, diſcite meo exemplo mites & humiles eſſe. Chriſtus certè præcipuum humilitatis exemplum. Philip. 2. Humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem. *Ad hoc verò quod hic ſcribit de humilitate Chriſti regis civitatis Dei, in quam non niſi humilitatis illius imitatores cives ſunt conſcripti; & de ſuperbia Diaboli illius adverſarii, qui dicitur etiam in ſcriptura*, Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, *facit quod ſcribit D. Hieronymus, epiſt. 32. ubi oſtendit ſuperbiam imprimis cavendam & Chriſti ſectandam humilitatem;* Quamvis mihi multorum ſim conſcius peccatorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar, delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris, tamen ſciens ſcriptum eſſe ab Apoſtolo, ne inflatus ſuperbia incidat in judicium Diaboli, & in alio loco ſcriptum, ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, nihil ita à pueritia conatus ſum vitare, quam tumentem animam & cervicem erectam Dei contra ſe odium provocantem. Novi enim magiſtrum & dominum & Deum meum in carnis humilitate dixiſſe, Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde; & ante per os David ceciniſſe, Memento domine David & omnis manſuetudinis ejus, & in alio loco legimus; Ante gloriam humiliabitur cor viri, & ante ruinam elevatur. *Proverb. 16. & epiſt. 45.* Dominus noſter humilitatis magiſter, diſceptantibus de dignitate diſcipulis, unum apprehendit è parvulis dicens, Quicumque veſtrum non fuerit converſus ſicut infans, non poteſt introire in regnum cœlorum, quod ne tantum docere nec facere videretur, implevit exemplo, dum diſcipulorum pedes lavat, dum traditorem oſculo excipit, dum loquitur cum Samaritana, dum ad pedes ſibi ſedente Maria de cœlorum diſputat regno, dum ab inferis reſurgens primùm mulierculis apparet. Sathanas autem ex Archangelico faſtigio non aliam ob cauſam niſi ob contrariam humilitati ſuperbiam ruit. Et Judaicus populus primas ſibi cathedras & ſalutationes in foro vindicans, deputato antea in ſtillam ſitulæ gentium populo ſuccedente, deletus eſt. Contra ſophiſtas quoque ſæculi & ſapientes mundi Petrus & Jacobus piſcatores mittuntur, cujus rei cauſa ſcriptura ait, Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, vide frater quantum malum ſit, quod adverſarium habet Deum; ob quod in Evangelio & Phariſæus arrogans ſpernitur, & humilis publicanus auditur.

1 Audeo dicere ſuperbis eſſe utile.] *Ita etiam ſcribit libr. de correptio. & grat. cap. 9.* Adeò juſtis omnia cooperantur in bonum, ut etiam ſi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. *& lib. de natur. & gratia cap. 24.* Sunt mala, quæ proſunt mirabili miſericordia Dei. Numquid ille aliquid boni paſſus eſt, qui dixit, avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus? Non utique: tamen hæc ei conturbatio contra ſuperbiam fuit medicinalis quodammodo. Dixerat enim in abundantia ſua, non movebor in æternum, & ſibi tribuebat quod à domino habebat. Quid enim habebat, quod non acceperat? quare oſtendendum ei fuerat, unde haberet, unde reciperet humilis, quod ſuperbus amiſerat. *& cap. 25.* Deſerit aliquantum Deus unde ſuperbis, ut ſcias non tuum eſſe, ſed ejus eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe. Omnia certè electis cooperantur in bonum his qui ſe-

cundùm

cundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. *Roman. 8. D. Anſelmus, & D. Thomas ita exponunt, ut dicant etiam peccata diligentibus Deum ſeu prædeſtinatis cooperari in bonum. Quod vero utile ſit quibuſdam labi in peccatum, id non eſt ex natura peccati, ſed ex Dei miſericordia, qua fit ut homo poſt peccatum reſurgat ad gratiam, & peccatum præcedens occaſio ſit illi majoris pœnitentiæ. D. Thomas 1. 2. q. 79. artic. 4.* Peccatum *(inquit)* ad duo ordinatur, ad unum quidem per ſe, ſcilicet ad damnationem, ad aliud autem ex divina miſericordia vel providentia, ſcilicet ad ſanationem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum ſuum agnoſcentes humilientur & convertantur.

x Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit.] *Eodem exemplo ad id propoſitum utitur lib. de corrept. & gratia cap. 9.*

CAP. XIV.

De ſuperbia tranſgreſſionis, quæ ipſa fuit tranſgreſſione deterior.

SEd *a* eſt pejor damnabiliorque ſuperbia, quæ etiam in peccatis manifeſtis ſuffugium excuſationis inquiritur, ſicut illi primi homines, quorum & illa dixit: Serpens ſeduxit me, & manducavi: & ille dixit: *Mulier quam dediſti mihi, hæc mihi dedit de ligno, & edi.* Nuſquam hic ſonat petitio veniæ, nuſquam imploratio medicinæ. Nam licet iſti non ſicut Cain, quod commiſerunt negent, adhuc tamen ſuperbia quærit in alium referre, quod perperam fecit: ſuperbia mulieris in ſerpentem, ſuperbia viri in mulierem. Sed accuſatio potius quàm excuſatio vera eſt, ubi mandati divini eſt aperta tranſgreſſio. Neque enim hoc propterea non fecerunt, quia id mulier ſerpente ſuadente, vir muliere impertiente commiſit, *a* quaſi quicquam Deo cui vel crederetur, vel cederetur anteponendum fuerit.

Gen. 3. Gen. 4.

a QUaſi quicquam Deo cui vel crederetur.] *Nihil tale eſſe debet, cui magis credatur, quàm Deo, vel cui poſtponatur Deus. At mulier ſerpenti magis credidit, quàm Deo, & vir uxorem præpoſuit Deo.* L. Vives.

a SEd eſt pejor damnabiliorque ſuperbia.] *Eo graviorem fuiſſe ſuperbiam primorum parentum docet, quod à Deo interrogati non petierint veniam peccati, non implorarint medicinam, non accuſarint, ſed excuſarint culpam propriam, retulerint in alios peccatum, mulier in ſerpentem, vir in uxorem; quo exemplo facile conſtat quale ſit diſcrimen inter virum juſtum & injuſtum.* Juſtus *enim ut ſcribitur Proverb. 18.* prior eſt accuſator ſui. Initium enim bonorum, quæ daturus eſt Deus homini, *ut veriſſimè dixit D. Auguſtinus tractat. 12. in Johannem,* eſt confeſſio malorum, quæ commiſit homo, *negatio verò vel accuſatio & defenſio peccati tantum abeſt, ut ſit diminutio ſceleris, ut etiam ſit aggravatio & exaggeratio, lib. 11. de Geneſi ad lit. cap. 35.* Superbia habet cõfuſionis deformitatẽ, & non habet confeſſionis humilitatem; *& idem libr. 1. de Geneſi. contra Manichæ. cap. 17. Ad hunc locum facit quod ſcribit Gregorius, libr. 22. Moral. cap. 13.* Hæc ſunt *(inquit)* veræ humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire. *At contra uſitatum humani generis vitium eſt, & latendo* F. L. Coq.

peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapſu hominis primi hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipſam radicem traximus culpæ: Sic namque ille dum lignum vetitum contigiſſet, abſcondit ſe à facie domini inter ligna paradiſi. In qua abſconſione ſcilicet quia Deum latere non poterat, non latendi effectus deſcribitur, ſed affectus notatur; Qui cum argueretur à domino, quod de ligno vetito contigiſſet, illico reſpondit, mulier, quam dediſti mihi ſocìam, ipſa mihi dedit de ligno & comedi; ipſa quoque mulier inquiſita reſpondens dixit, Serpens decepit me, & comedi. Ad hoc quippe requiſiti fuerant, ut peccatum, quod transgrediendo commiſerant, confitendo delerent, unde & Serpens ille perſuaſor, qui non eſt revocandus ad veniam, non eſt de culpa requiſitus. Interrogatus eſt itaque homo ubi eſſet, ut perpetratam culpam reſpiceret, & confitendo cognoſceret, quàm longè à conditoris ſui facie abeſſet, ſed adhibere ſibimet utrique defenſionis ſolatia, quàm confeſſionis elegerunt; Cumque excuſare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per ſerpentem, auxerunt culpam, quam tueri conati ſunt, obliquè Adam dominum tangens, quod ipſe peccati eorum author extiterit, qui mulierem fecit, & Eva culpam ad dominum referens, qui ſerpentem in paradiſo poſuiſſet. Qui enim ore Diaboli fallentis audierant, Eritis ſicut dii, quia Deo eſſe ſimiles in divinitate nequierunt, ad erroris ſui cumulum, Deum ſibi facere ſimilem in culpa conati ſunt: Sic ergo reatum ſuum dum defendere moliuntur addiderunt, ut culpa eorum atrocior diſcuſſa fieret, quàm fuerat perpetrata D. Bernardus ſerm. 1. in feſto omn. ſanctor. Quatuor ſunt peccandi gradus, primus interior conſenſus, alter exterior perfectio, tertius conſuetudo, quartus peccati excuſatio vel defenſio, & ad hunc ſupremum gradum primi homines pervenerunt.

CAP. XV.

De juſtitia retributionis, quam primi homines pro ſua inobedientia receperunt.

QUia ergò contemptus eſt Deus jubens, qui hominem creaverat, qui ad ſuam imaginem eum fecerat, *α* qui cæteris animalibus præpoſuerat, qui in Paradiſo conſtituerat, qui rerum omnium copiam ſalutisque præſtiterat, qui præceptis nec pluribus nec grandibus nec difficillibus oneraverat, ſed uno breviſſimo atque leviſſimo ad obedientiæ ſalubritatem adminiculatus fuerat, quo ſuper eam creaturam, *α* cui libera ſervitus expediret, *β* ſe eſſe dominum commonebat, juſta damnatio ſubſecuta eſt: talis quidem damnatio, ut homo, qui cuſtodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne ſpiritalis, fieret etiam mente carnalis: & quia ſua ſuperbia ſibi placuerat, Dei juſtitia ſibi donaretur: *b* nec ſicut affectabat, in ſua eſſet omnimoda poteſtate, *γ* ſed à ſeipſo quoque diſſentiens, ſub illo cui peccando conſenſit, pro libertate quam concupiverat, duram miſeramque ageret ſervitutem, mortuus ſpiritu volens, & corpore moriturus invitus: deſerto æternæ vitæ, etiam æterna, niſi gratia liberaret, morte damnatus. *al. Quicunque.* *δ* † Si quis hujuſmodi damnationem vel nimiam, vel injuſtam putat, metiri profectò neſcit, quanta fuerit iniquitas in peccando, *c ε* ubi tanta erat non peccan-

candi facilitas. c Sicut enim Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium, res difficillima eſt imperata: ita & in paradiſo tantò major inobedientia fuit, quantò id quod præceptum eſt, nullius difficultatis fuit. d n Et ſicut obedientia ſecundi hominis eò prædicabilior, qua factus eſt obediens uſque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eò deteſtabilior, qua factus eſt inobediens uſque ad mortem: ubi enim magna eſt inobedientia pœna propoſita, & res à creatore facilis imperata, quisnam ſatis explicet, quantum malum ſit non obedire in re facili, & tantæ poteſtatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio? Denique ut breviter dicatur, in illius peccati pœna quid inobedientiæ, niſi inobedientia retributa eſt? Nam quæ hominis eſt alia miſeria, niſi adverſus eum ipſum inobedientia ejus ipſius, e ut quoniam noluit quod potuit, quod non poteſt velit? In paradiſo enim etiam ſi non omnia poterat ante peccatum, quicquid tamen non poterat, non volebat, & ideò poterat omnia quæ volebat. Nunc verò ſicut in ejus ſtirpe cognoſcimus, & divina ſcriptura teſtatur, *homo vanitati ſimilis factus eſt*. Quis enim enumeret, quàm multa quæ non poteſt velit, dum ſibiipſi, id eſt, voluntati ejus, f ipſe animus ejus, eoque inferior caro ejus non obtemperat? Ipſo namque invito, & animus plerunque turbatur, & caro dolet, & veteraſcit, & moritur, & quicquid aliud patimur, quod non pateremur inviti, ſi voluntati noſtræ noſtra natura omnimodo atque ex omnibus partibus obediret. g At enim aliquid caro patitur, quo ſervire non ſinitur. Quid intereſt unde, dum tamen per juſtitiam dominantis Dei, cui ſubditi ſervire nolumus, caro noſtra, quæ nobis ſubdita fuerat, non ſerviendo moleſta ſit, quamvis nos Deo non ſerviendo moleſti nobis potuerimus eſſe non illi? i Neque enim ſic ille noſtro, ut nos ſervitio corporis indigemus: ideò noſtra eſt quod percipimus, non illius pœna quod fecimus. Dolores porrò qui dicuntur carnis, animæ ſunt in carne & ex carne. Quid enim caro per ſeipſam ſine anima vel dolet, vel concupiſcit? Sed quum concupiſcere caro dicitur vel dolere, aut ipſe homo eſt, ſicut diſſeruimus, aut aliquid animæ, quod carnis afficit paſſio, vel aſpera, ut faciat dolorem: vel lenis, ut voluptatem. Sed dolor carnis tantummodo offenſio eſt animæ ex carne: h & quædam ab ejus paſſione diſſenſio: ſicuti animæ dolor, quæ triſtitia nuncupatur, diſſenſio eſt ab eis rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt. Sed triſtitiam plerunque præcedit metus, qui & ipſe in anima eſt, non in carne. Dolorem autem carnis non præcedit ullus quaſi metus carnis, qui ante dolorem in carne ſentiatur; i voluptatem verò præcedit appetitus quidam, qui ſentitur in carne, quaſi cupiditas ejus, ſicut fames & ſitis, & ea quæ in genitalibus uſitatius libido nominatur, k quum hoc ſit generale vocabulum omnis cupiditatis. Nam & ipſam l iram nihil aliud eſſe, quàm ulciſcendi libidinem veteres definierunt, quamvis nonnunquam homo, ubi vindictæ nullus eſt ſenſus, etiam rebus inanimis iraſcatur, ut malè ſcribentem ſtylum collidat, vel calamum frangat iratus. Verùm & iſta irrationabilior, tamen quædam ulciſcendi libido eſt, & neſcio quæ (ut ita dixerim) quaſi umbra retributionis, & qui mala faciunt, mala patiantur. Eſt igitur libido ulciſcendi, quæ ira dicitur: eſt libido ha-

Gen. 22. Phil. 2. Pſ. 143.

habendi pecuniam, quæ avaritia: eſt libido quomodocunque vincendi, quæ pervicacia: eſt libido gloriandi, quæ jactantia nuncupatur. Sunt multæ variæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam verò non habent. Quis enim facilè dixerit, quid vocetur libido dominandi, quam tamen plurimum valere in tyrannorum animis, etiam civilia bella teſtantur?

L. Vives. a Qui libera ſervitus expediret.] *Deo enim ſervire hoc demum eſt liberum eſſe, imò verò regnare.*

b Nec ſicut affect.] *Alibi, nec ſic ut in ſua eſſet poteſtate.*

c Ubi tanta erat non peccandi facilitas.] *Admonuit me Nicolaus Valdaura meus legiſſe ſe apud ſcriptorem neſcio quem, fructum illum, quo Adam interdicebatur, noxium ex ſe fuiſſe corpori, quod dicit magis ad agendum crimen Adæ, quam quòd aliquid de ea re compertum habeat.*

d Et ſicut obedientia. ſ. h.] *Chriſti, qui à Paulo vocatur ſecundus homo de cœlo cœleſtis, ut Adam primus de terra terrenus.*

e Ut quoniam noluit quod potuit.] *Invertit Terentii dictum ex Andria:*

Quoniam non poteſt fieri quod vis, id velis quod poſſis.

f Ipſe animus ejus.] *In anima mens eſt, quæ ad rationalem partem ſpectat, & animus qui ad inferiorem animalem, ſeu brutalem, ubi eſt mare illud ſævis affectuum tempeſtatibus aſſiduò agitatum.*

g At enim aliquid caro patitur.] *Nempe defatigationem, & pondus grave & moleſtum in opere, quibus ex rebus nec attollere ſe poteſt, nec durare in labore ſervitutis.*

h Et quædam ab ejus paſ.] *Alibi, Et quædam mali ejus per paſſionem diſſenſio.*

i Voluptatem verò præcedit.] *Hinc illud Epicuræorum, voluptas deſiderio cenſetur, & apud Juvenalem:*

Voluptates commendat rarior uſus.

k Quum hoc ſit generale vocabulum.] *Docuimus hoc ex Cicerone: nam à libendo dicitur, quod per omnia ſe fundit, quæ contra rationem expetuntur.*

l Iram, &c. ulciſcendi lib.] *Cic. 4. Tuſcul. quæſt. Ira eſt libido puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuria. Ariſt. 2. Rhetor. iram definit, apparentis vindictæ appetitum cum dolore.*

F. L. Coq. a Qui cæteris animalibus præpoſuerat.] *Id perſpicuis verbis docet ſcriptura, Geneſi. 3.* Præſit piſcibus maris & volatilibus cœli. *Pſalm. 8.* Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, *lib. Eccleſ. cap. 17. ubi deſcribitur, qualis ſit homo à Deo creatus ab initio, inter cætera & illud dicitur;* Dedit illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram, poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium. *Idipſum approbavit Deus adductis cunctis animantibus ad Adamum, ut nomina eis imponeret; Domini enim eſt ſervis & ſubditis nomina imponere; & id quidem ordo naturalis & ratio divinæ providentiæ poſtulat, ut quæ imperfectiora ſunt, ſubjiciantur perfectioribus, & inferiora regantur per ſuperiora, & ſpiritus vitæ irrationalis per ſpiritum vitæ rationalem. Id jus dominii remanſit in animalia in*

lia in homine etiam poſt peccatum. Debetur enim illi propter naturæ dignitatem, quæ peccato deperdita non eſt; agnovit & Philoſophus ipſe hominem eſſe quodammodo omnium finem, & reliqua animalia eſſe creata propter hominem; Inde 1. politic. etiam affirmat venationem & occiſionem animalium eſſe licitam & naturalem. Idem docet Cicero lib. 2. de nat. deor. Quod autem ſint noxia homini hujusmodi animalia, id certe propter peccatum factum eſt; quod verò in ſtatu innocentiæ perfectiſſimè obedirent homini, & eſſent innoxia, adſcribendum ſingulari Dei providentiæ & curæ.

β Se eſſe dominum commonebat.] *Præceptum illud non edendi ex illa arbore cur Deus impoſuerit Adamo, triplicem cauſam conſiderat Pererius libr. 4. comment. in Geneſi. diſputatio. de hoc præcepto dato Adamo, quæſt. 2. ut ea re Deus declararet ſe eſſe dominum hominis, & homo intelligeret ſe eſſe creaturam & ſervum Dei, cui obedire & ſervire deberet, & hæc ratio aſſignatur hoc loco, & ſervitus Deo exhibita non modo utilis, ſed etiam neceſſaria erat. Secundò illud præceptum impoſitum fuit Adamo, ut ea re declaret Deus hominem à ſe factum liberi arbitrii facultate præditum eſſe, & in ejus poteſtate & voluntate fuiſſe quodlibet agere & non agere. Tertiò, ut materiam homini Deus præberet exercendi obedientiæ virtutem, quæ Deo gratiſſima eſt & homini utiliſſima.*

γ Sed à ſeipſo quoque diſſentiens.] *Si quidem poſt peccatum factum eſt, ut in ſeipſo experiretur pugnam & rebellionem carnis ad ſpiritum, & ſenſus ad rationem.*

δ Si quis hujusmodi damnationem vel nimiam vel injuſtam putet.] *Quæret verò aliquis hoc loco, An peccato, quod momento temporis committitur, juſtè infligatur pœna æterna, de qua quæſtione. legi poteſt D. Thomas 1. 2. quæſt. 87. artic. 3. D. Anſelmus libr. 1. Cur Deus homo cap. 15. Gregor. item lib. 4. Dialog. cap. 44. juſtiſſimè quidem peccato Adami & cuivis peccato mortali pœna æterna debetur, atque hujus rei variæ rationes adferri poſſunt. Prima eſt, quod pœna, ut juſta ſit, non debeat reſpondere quod attinet ad diuturnitatem, ipſi culpæ. ita ut non ſit diuturnior pœna quàm culpa, cum & apud homines peccata, quæ temporis momento committuntur, diuturno ſupplicio coerceantur, ut homicidium punitur exilio perpetuo, punitur etiam mutilatione alicujus membri, quæ pœna toto vitæ tempore permanet, quod etiam amplius eſt, punitur morte, quæ quodammodo videtur pœna æterna, eo quod per mortem ſeparetur aliquis perpetuò ab ea Republica cujus membrum exiſtit. Si ergo apud homines ita agitur cum eo, qui peccat in Rempublicam, ut licet temporis momento breviſſimo committat aliquod peccatum, ſumma tamen æquitate incurrat in perpetuam aliquam pœnam, multo magis qui peccat contra legem æternam, contra Deum ipſum infinitum bonum & æternum, merebitur perpetuò carere æterna vita. Deinde quia in peccato mortali finis ultimus ſemper in aliqua creatura conſtituitur, æquum fuit, ut etiam in æternum ab aliqua creatura, ut igne inferni puniretur; horum alterum ad pœnam damni ſpectat, alterum ad pœnam ſenſus. Altera cauſa eſt, quod non tantùm diuturnitas peccati ſpectanda ſit, ſed multo magis voluntas peccantis, quæ hujusmodi eſt, ut vellet ſemper peccare, ſi poſſet. Nam (ut habet D. Gregorius)* iniqui ſemper vellent vivere, ut ſine fine poſſent in æternum peccare; ergò

ergò ſi voluntatis ratio habeatur, peccato pœna æterna debetur. Poſtremò peccatum eſt injuria graviſſima contra Deum, & averſio ab eo, & converſio ad creaturam: & peccando, quantum in nobis eſt, auferimus illius honorem, unde meremur certè pœnam, quæ graviſſima excogitari poteſt, imò ſemper punit citra condignum; quemadmodum ultra condignum remunerat electos, in quibus breve & momentaneum hujus tribulationis tempus æternum gloriæ pondus operatur.

ε Ubi tanta erat non peccandi facilitas.] *Ita libr. de corrept. & grat. cap. 12.* Ille Adam & terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio, non ſtetit in tanta fœlicitate, in tanta non peccandi facilitate. *Id certè gravius reddebat peccatum Adami, quod ſapientia & gratia Dei excelleret, nullamque haberet vel ad malum propenſionem, vel difficultatem ad bonum, ita ut ſumma facilitate quamlibet tentationem propulſare, & peccatum nullo labore vitare poſſet; ita certè eo major fuit in eo peccandi iniquitas, quo major erat in eo non peccandi facilitas.*

ζ Sicut enim Abrahæ non immerito magna obedientia prædicatur.] *Res difficillima & moleſtiſſima fuit imperata Abrahæ, ut occideret filium, & eo magis prædicanda ejus obedientia. Huc referri poſſunt verba Philonis Judæi lib. de Abrahamo, quibus magnopere commendat & merito quidem & tantam & tàm promptam Abrahæ obedientiam;* Apud omnes, *inquit*, qui rectè ſentiunt, nihil honeſtius, nihilque optabilius dicitur quàm Deo parere; hoc autem ita Abraham facere ſtuduit, ut nullum unquam Dei mandatum non promptè & alacriter exſequeretur, quantumvis moleſtiis & ignominiis laboribusque ac doloribus refertum eſſe. Quamobrem & id quod divino oraculo juſſus eſt de immolando filio fortiter conſtanterque pertulit: Cum enim nulla in ea regione conſuetudo eſſet immolandi liberos, ipſe primus author futurus erat novi & inuſitati exempli; quod nemo mihi videtur laturus fuiſſe, etiam ſi ferreum & adamantinum habuiſſet animum: cum natura enim, ut quidam dixit, pugnare difficillimum eſt; pater erat factus unici filii, quem amabat ſuper modum vulgaris amoris etiam fama celebrati; aderat & illud vehemens amoris incitamentum, quod in ſenecta ei natus fuerat; nam ſerò natos impotentius parentes adamant, vel quia diu deſideratos, vel quia nullam poſtea ſperant prolem natura jam effœta, & ad extremum perducta terminum.

η Et ſicut obedientia ſecundi hominis.] *Utitur antitheſi quadam obedientiæ Chriſti ad inobedientiam Adami, quod in re difficillima Chriſtus fuerit obediens. Ita enim ejus obedientiam commendat Apoſtolus Philipp. 2.* factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; *Adamus verò fuit in re facillima inobediens. Ita Apoſtolus confert utrumque, quod ſicut per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituentur multi. Vocat autem Chriſtum ſecundum hominem, quemadmodum etiam Apoſtolus 1. Corinth. 15. quia ut omnes ab Adamo peccatum contrahunt originale, ita à Chriſto gratiam & juſtitiam conſequuntur, ille caput omnium hominum, & influit in omnes peccatum. Chriſtus verò gratiam, qui eſt juſtus & juſtificans, & ut D. Auguſtinus ſcribit lib. de peccat.*

peccat. merit. & remiſſ. cap. 15. Sicut nullius carnalis generatio niſi per Adam, ſic ſpiritualis nullius niſi per Chriſtum, & quemadmodum generatio carnalis per Adamum omnes habet homines, ita generatio ſpiritualis per Chriſtum juſtos omnes homines. Quia ſicut nemo præter illam homo, ſic nemo præter iſtam juſtus homo, & primo naſcimur filii Adami, ſecundo renaſcimur per Chriſtum filii Dei, ille igitur primus homo, hic ſecundus.

ϑ Adverſus eum ipſum inobedientia ejus ipſius.] *Libr. 1. de nuptiis & concupiſce. cap. 6.* Ibi homo primitus Dei lege transgreſſa aliam legem repugnantem ſuæ menti habere cœpit in membris, & inobedientiæ ſuæ malum ſenſit, quando ſibi retributam digniſſimè ſuæ carnis inobedientiam invenit.

ι Neque enim ſic ille noſtro, ut nos ſervitio corporis indigemus.] *Quod idem ſcribit lib. 8. de Geneſ. ad liter. cap. 11. dominationem Dei non ipſi, ſed homini utilem eſſe. Deus enim ſervitute noſtra non eget; nos autem ſine ejus dominatione eſſe non poſſumus; ſolus ipſe verè eſt, cui non ad ſuam utilitatem, ſed ad noſtram ſervimus. quo ſenſu intelligitur illud Evangelii,* Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, *ipſi ſcilicet tanto domino, non verò nobis, quibus utiliſſimum eſt ejus præcepta ſervare.*

CAP. XVI.

De libidinis malo, cujus nomen quum multis vitiis congruat, propriè tamen moribus obſcœnis corporis adſcribitur.

QUum α igitur ſint multarum libidines rerum, tamen quum libido dicitur, nec cujus rei ſit libido additur, non ferè aſſolet animo occurrere, niſi illa qua obſcœnæ partes corporis excitantur. Hæc autem ſibi non ſolùm totum corpus, nec ſolùm extrinſecus, verùm etiam intrinſecus vendicat, β totumque commovet hominem, animi ſimul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto, ut ea voluptas ſequatur, qua major in corporis voluptatibus nulla eſt: ita γ ut momento ipſum temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, penè omnis acies & quaſi vigilia cogitationis obruatur. Quis autem amicus ſapientiæ ſanctorumque gaudiorum, conjugalem agens vitam, & ſicut Apoſtolus monuit, δ *ſciens vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in morbo deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum,* non mallet, ſi poſſet, ſine hac libidine filios procreare: ut etiam in hoc ſerendæ prolis officio, ſic ejus menti, ea quæ ad hoc opus creata ſunt, quemadmodum cætera: ſuis quæque operibus diſtributa ε membra ſervirent, nutu voluntatis acta, non æſtu libidinis incitata? Sed neque ipſi amatores hujus voluptatis, ſive ad concubitus conjugales, ſive ad immunditias flagitiorum, quum voluerint, commoventur: ζ ſed aliquando motus ille importunus eſt nullo poſcente, aliquando autem deſtituit inhiantem, & quum in animo concupiſcentia ferveat, friget in corpore, atque ita mirum in modum, non ſolùm generandi voluntati, verùm etiam laſciviendi libidini libido non ſervit: & quum tota plerunque menti cohibenti adverſetur, nonnunquam & adverſus ſeipſam dividitur, commotoque animo in commovendo corpore ſe ipſa non ſequitur. 1. Theſſ. 4

L. Vives. a UT momento ipſo temporis.] *Idcirco Hippocrates coitum definivit μικρὴν ἐπιληψίαν, id eſt, parvum morbum comitialem; Architas Tarentinus: ut eſt apud Ciceronem in Catone Majore, quo magis intelligeretur, quanta peſtis eſſet voluptas, fingi animo aliquem jubebat tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima: nemini cenſebat fore dubium, quin tam diu dum ita lætaretur, nihil agitare mente, nihil cogitatione conſequi poſſet.*

F. L. Coq. α CUm igitur multarum ſint libidines rerum.] *Libido ferè ſemper in deteriorem partem ſumitur, cupiditas effrænata, impetus quidam animi non rectus, luxuria. Cicero 4. Tuſculan.* voluntas eſt, quæ quid cum ratione deſiderat; quæ autem adverſus rationem eſt incitata vehementius, ea libido eſt vel cupiditas effrænata, quæ in omnibus ſtultis invenitur. *Saluſtius in Catilin. medium vocabulum eſſe oſtendit, quod tam in meliorem quàm in deteriorem partem accipi poſſit. i. e. pro voluptate tam honeſta, quàm inhoneſta.* Magisque, *inquit,* in decoris armis & militaribus equis, quam in hortis & conviviis libidinem habebant. *Item Cæſarem;* quod ſi bona tibi fuerit libido patriæ & parentibus gratificandi.

β Totumque commovet hominem.] *Ita Ariſtoteles lib. 7. Ethic. excandeſcentias & veneris cupiditates apertè corpus immutare, quibusdam & inſanias gignere ſcribit; Quanta ſit vis furorque amoris, declararunt ſæpe comici Poetæ. Apud Terentium ſervus quidam ita exclamat.* O Di immortales, quid hoc mali eſt, adeò homines immutari ob amorem. *Cicero in Catone ex Archyta Tarentino docet, cum ſive natura, ſive Deus nihil homini mente præſtabilius dediſſet, huic divino muneri ac dono nihil eſſe tam inimicum quàm voluptatem; nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe, nec omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere, quod quo magis percipi poſſet, fingere animo aliquem jubebant tanta incitatum voluptate, quanta percipi poſſet maxima. Idem Cicero παραδόξ. 2.* voluptas quo eſt major, eo magis mentem ex ſua ſede & ſtatu dimovet.

γ Ut momento ipſo temporis.] *Quemadmodum qui animum ad cœleſtia ac divina erectum habent, à corporis voluptate penitus ſunt abſtracti, ita è contrario qui corporis voluptatibus ſeſe involvunt, animum ad venerea prorſus depreſſum habent, non ſui ſunt juris, animalium potius quàm hominis vitam agunt, comparantur jumentis inſipientibus, & ſimiles fiunt illis, fiunt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.*

δ Sciens vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore.] *1. Theſſal. 4. explicat lib. 1. de nupt. & concupiſcentia cap. 8. & lib. 4. contra Julianum. cap. 10.*

ε Membra ſervirent nutu voluntatis acta, non æſtu libidinis incitata.] *Quemadmodum factum fuiſſet ſi homines non peccaſſent: neque enim ſenſiſſent indecentem illum motum pudendorum, unde confundebantur, ut ſcribit libr. 1. de nupt. concupiſc. cap. 5. & 6.*

ζ Aliquando motus ille importunus eſt nullo poſcente.] *Ariſtoteles cor ipſum & virile membrum ſcripſit eſſe velut quædam parva animalia ſeparata, quod habeant motus proprios, & per ſe voluntati ipſi minimè ſubditos.*

Cap.

CAP. XVII.

De nuditate primorum hominum, quam poſt peccatum turpem pudendámque viderunt.

MEritò hujus libidinis maximè pudet, meritò & ipſa membra, quæ ſuo quodam, ut ita dixerim, jure non omnimodo ad arbitrium noſtrum movet, aut non movet, *a* pudenda dicuntur, quod ante peccatum hominis non fuerunt. Nam ſicut ſcriptum eſt: *Nudi erant, & non confundebantur,* non quòd eis ſua nuditas eſſet incognita, *β* ſed turpis nuditas nondum erat: quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat: nondum ad hominis inobedientiam redarguendam ſua inobedientia caro quodammodo teſtimonium perhibebat. *γ* Neque enim cœci creati erant, *a* ut imperitum vulgus opinatur: quandoquidem & ille vidit animalia, quibus nomina impoſuit, & de illa legitur: *Vidit mulier, quia bonum eſt lignum in eſcam, & quia placet oculis ad videndum.* Patebant ergo oculi eorum, ſed adhuc noverant aperti, hoc eſt, non attenti, ut cognoſcerent quid eis indumento gratiæ præſtaretur, quando membra eorum voluntati repugnare neſciebant. Qua gratia remota, ut pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens novitas, unde eſſet indecens nuditas: & fecit attentos, reddiditque confuſos. Hinc eſt, quòd poſteaquam mandatum Dei aperta tranſgreſſione violarunt: ſcriptum eſt de illis: *Et aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt, quia nudi erant, δ & conſuerunt folia fici, & b ε fecerunt ſibi campeſtria.* Aperti ſunt, inquit, oculi amborum, non ad videndum: nam & antea videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, & malum in quod ceciderant. *ζ* Unde & ipſum lignum eò quòd iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum ſcientiæ boni & mali. Experta enim morbi moleſtia, evidentior fit etiam jucunditas ſanitatis. Cognoverunt ergò, quia nudi erant: nudati ſcilicet ea gratia: qua fiebat ut nuditas corporis nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet. Hoc itaque cognoverunt, quod felicius ignorarent, ſi Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent. Proinde confuſi inobedientia carnis ſuæ, tanquam teſte pœna inobedientiæ ſuæ, conſuerunt folia fici, & fecerunt ſibi campeſtria, id eſt, ſuccinctoria genitalium. Nam quidam interpretes ſuccinctoria poſuerunt. Porrò autem campeſtria Latinum quidem verbum eſt, ſed ex eo dictum, quòd juvenes, qui nudi exercebantur in campo pudenda operiebant: unde qui ita ſuccincti ſunt, campeſtratos vulgus appellat. Quod itaque adverſus damnatam culpam inobedientiæ voluntatem, libido inobedienter movebat verecundia pudenter tegebat. *η* Ex hoc omnes gentes, quoniam ab illa ſtirpe procreatæ ſunt, uſque adeò tenent inſitum pudenda velare: *c* ut quidam Barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, ſed cum earum tegumentis lavant. *d θ* Per opacas quoque Indiæ ſolitudines, quum quidam nudi philoſophentur, unde gymnoſophiſtæ nominantur:

Gen. 2. *Gen. 3.* *Pudenda etiam à Barbaris tegi.*

adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent.

a Viu. a UT imperitum vulgus opinatur.] *Ex eo quod ſcriptum eſt, Geneſis 3. Comedit, & aperti ſunt oculi amborum.*

b Fecerunt ſibi campeſtria.] *Sic vocantur femoralia à doctis ſcriptoribus Hor. in Epiſt.*

Penula ſolſtitio, campeſtre nivalibus auris.

Ubi Acron inquit, nihil totius corporis præter inguina tegere. Aſconius in Orationem pro M. Scauro, Cato prætor judicium, quia æſtate agebatur. ſine tunica exercuit, campeſtri ſub togâ cinctus, in forum quoque ſic deſcenderat, jusq; dicebat. Nec ignoro, pro campeſtri capiſtro à nonnullis legi, parum apto ſenſu. Scriptor Hiſtoriæ ſcholaſticæ neſcio qua ratione neget, temporibus Noë femoralia eſſe adhuc inventa.

c Ut quidem Barbari illas corporis partes.] *Herodotus Clio, magno eſſe probro apud Lydos, cæterosq; Barbaros hominem conſpici nudum, ſcribit. Romani, ut Cicero 1. Off. ſcribit, vetere more nec filii puberes cum parentibus, nec generi cum ſoceris lavantur.*

d Per opacas quoque Indiæ ſolitudines.] *Duo dicit, ſolitudines & opacas, ad majorem pudoris commendationem. Solis enim pudore nihil opus eſſet affici: multo minus in ſolitudine ſylveſtri & umbroſa, nam hoc eſt opacum. Sed qui convenit, gymnoſophiſtas in India poni, quum Philoſtratus in peregrinationibus Apollonii in Æthiopia ſtatuat ad Nilum amnem? Ex cujus ſententia Hieronymus Paulino ſcribens, inquit: Reverſus Alex..na. .n perrexit Æthiopiam, ut gymnoſophiſtas & famoſiſſimam ſolis menſam videret in ſabulo. Sed Plinius, Solinus, Strabo, Apulejus, Porphyrius, & alii gymnoſophiſtas in India locant ad ripas Indi fluminis regione Indoſcythica, nec malè tamen Philoſtratus. Non origo illorum philoſophorum Indica eſt, ubi duo genera ſapientum fuiſſe tradit libro 16. Strabo: alios qui in urbibus verſabantur, dictiq; ſunt civiles, Brachmanas vocant. Hi ſindonibus & pellibus corpus velabant, ſicut idem teſtatur Strabo. Philoſtratus illos narrat denudaſſe ſe, ut cum Apollonio lavarent, & ex eis unum epiſtolam ſinu prolatam matri dediſſe adoleſcentis, cujus filius dæmonicis intemperiis exagitabatur. Erant alii in eadem terra philoſophi in ſylvis degentes, nudi, foliis interdum, & arborum corticibus intecti, quos Hermanos & Gymnoſophiſtas nominant, è quibus illi Gymnoſophiſtæ Æthiopici manarunt. Nam accolæ Indi fluvii maxima & validiſſima manu in Æthiopiam narrantur migraſſe, ibiq; juxta Nilum ſedes habuiſſe: eamq; regionem etiam Indiam vocatam, & ſapientes philoſophatos nudos, utrobiq; dictos Hermanos, & à Græcis γυμνοσοφιστὰς, illudq; de ſubligaculis promiſcuum eſſe in India Æthiopiáque ſapientum, & ferè vulgi. Diodorus libro quarto de moribus Æthiopum loquens, alios perhibet nudos prorſum incedere, alios vulpinis caudis pudenda tegere, alios ſubligaculis ex capillis contextis. Et Strabo ex Nicolao Damaſceno octo ſervos Indos à legatis illius gentis dono datos Cæſari Auguſto ſcribit, nudos toto corpore præter virilia, quæ ſubligaculis velabant.*

V.L. Coq. a PUdenda dicuntur, quod ante peccatum hominis non fuerunt.] *Dicunt enim* pudenda *ob indecentem illum motum membrorum, quem niſi homines peccaſſent, procul dubio non haberent lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 5.* quia nihil præceſſerat

ſerat quod non liceret, nihil ſecutum fuerat, quod puderet. *Inhoneſta dicuntur ab Apoſtolo 1. Corinth. 12. Roman. 7. propter legem ſcilicet in membris repugnantem legi mentis, quæ de peccato accidit, non de prima inſtitutione naturæ, lib. 2. retractat. cap. 7. & lib. de nupt. & concupiſc. cap. 21.* Ad me pertinet illa benedictio Dei, Creſcite & multiplicamini: ad hoc opus bonum diverſi ſexus diverſa membra ſunt condita, quæ quidem ante peccatum jam erant, ſed pudenda non erant. *lib. 2. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 22. cur appellentur pudenda poſt peccatum, ita explicat. Animam rationalem, naturali verecundia nunc pudet, quod in carne, in cujus ſervitutem jus poteſtatis accepit, neſcio qua infirmitate efficere non poteſt, ut ſe nolente non moveantur membra, & ſe volente moveantur: quæ propter hoc in quovis caſto meritò appellantur pudenda, quod adverſus dominam mentem quaſi ſuæ ſint poteſtatis, ſicut libitum eſt excitantur, idque ſolum juris in his habent fræna virtutis, ut ad immundas, & ad illicitas corruptiones ea pervenire non ſinant. Hæc igitur carnis inobedientia, quæ in ipſo motu eſt, etſi habere non permittatur effectum, non erat in illis tunc primis hominibus, quando nudi erant, & non confundebantur. Nondum quippe anima rationalis domina carnis inobediens exſtiterat Domino ſuo, ut pœna reciproca inobedientem experiretur carnem famulam ſuam cum ſenſu quodam confuſionis & moleſtiæ ſuæ, quem ſenſum certè ipſa per inobedientiam ſuam non intulit Deo. Neque enim Deo pudendum eſt aut moleſtum, ſi nos ei non obedimus, cujus in nos ſummam poteſtatem nullo modo minuere valeamus, ſed nobis pudendum eſt, quod imperio noſtro caro non ſervit, quia hoc fit per infirmitatem, quam peccando meruimus, vocaturque peccatum habitans in membris noſtris, & lib. 4. contra Julianum cap. 4. & 5.* Ideo pudenda dicuntur, quia in eis movendis plus habet poteſtatis libido, quàm ratio.

β Turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido.] *Libr. 11. de Geneſ. ad liter. cap. 1.* Nudi erant, *inquit*, primi homines & non confundebantur; nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur, nihil putabant velandum, quod nihil ſenſerant refrænandum; Quid enim puderet eos, quando nullam legem ſenſerant in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ? *ergo pudenda ſunt ob indecentem motum & rebellionem illorum membrorum.*

γ Neque enim cæci creati erant, ut imperitum vulgus opinatur.] *Hanc opinionem confutat lib. 11. de Geneſ. ad liter. cap. 31. & lib. 1. de nupt. & concupiſcent. cap. 5. Movebantur autem ita opinantes ex verbis ſcripturæ Geneſ. 3.* Sumens de fructu ejus edit, & dedit ſuo viro ſecum, & ederunt, & aperti ſunt oculi amborum, & agnoverunt quia nudi erant. *Verùm loco citato egregiè D. Auguſtinus;* Nunquid *(inquit)* Agar ancilla Saræ, quando ſitiente & plorante filio aperuit oculos ſuos, & vidit puteum, clauſos prius oculos habuit? Aut illi duo diſcipuli poſt reſurrectionem Domini in via cum illo clauſis oculis ambulabant, de quibꝰ Evangelium loquitur, quod in fractione panis aperti ſunt oculi eorum? Quod ergo ſcriptum eſt de hominibus primis, aperti ſunt oculi amborum, intelligere debemus attentos factos ad intuendum & agnoſcendum, quod novum in eorum corpore acciderat, quod utique corpus patentibus eorum oculis & nudum quotidie

tidie ſubjacebat & notum; *Eadem ſcribit lib. 1. locutionum in Geneſim, num. 9.* Alioquin quomodo ad ſe adductis animalibus terreſtribus & volatilibus omnibus Adam clauſis oculis nomina poſſet imponere, quod niſi diſcernendo non faceret; diſcernere autem non videndo non poſſet? Quomodo denique ipſa mulier ei demonſtrata eſt quando ait; Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea? Poſtremo ſi usque adeò quisquam fuerit contentioſus, ut hæc eum dicat non cernendo, ſed palpando potuiſſe cognoſcere, quid dicturus eſt, ubi legitur mulier lignum de quo fuerat cibum ſumptura, prohibitum vidiſſe, quàm eſſet ſpecioſum oculis ad videndum? *lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 22. eodem modo explicat appetitionem illam oculorum;* Puduit *(inquit)* illos homines nuditatis ſuæ, animadverſo in ſe motu, quem ante non ſenſerant; quæ animadverſio apertio dicta eſt oculorum; neque enim oculis clauſis inter alias arbores oberrabant, & hic apertionem illam oculorum intelligendam eſſe factam non ad videndum, quia antea videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, & malum, in quod inciderant. *Videri poteſt & Rupertus lib. 3. de Trinit. & ejus operib. cap. 10. Theodoretus, quæſt. 33. in Geneſi.* Divina *(inquit)* ſcriptura apertionem oculorum vocat ſenſum peccati & pudorem ſceleris admiſſi; nam patrato flagitio inſurgit continuò adverſus nos conſcientia, nosque vehementer objurgat & condemnat.

δ Et conſuerunt folia fici] *Cur verò ex foliis ficus potius quàm alterius, ſupra dictum eſt.*

ε Fecerunt ſibi campeſtria.] *Septuaginta interpretes habent περιζώματα, quod Latinè ſignificat,* ſuccinctoria *vel* ſubligacula. *nam licet universè ſignificet omne id, quod ambit & circumcingit, propriè tamen hic ſignificat ſuccinctoria lumborum; Latina translatio, qua utebatur Auguſtinus, pro ſuccinctoriis habebat campeſtria, ſuccinctorium vertunt D. Iren. interpres, & D. Ambroſius.*

ζ Unde & ipſum lignum eò quod faceret iſtam dignoſcentiam.] *Dictum eſt lignum ſcientiæ boni & mali ab eventu, & ex eo quod eſum ipſius conſecutum eſt: accidit enim homini, ut experiendo cognoſceret diſcrimen inter bonum, quo ante peccatum fruebatur, & malum in quod peccando incurrit, ideoque ſcientiam haberet boni & mali, quam vocant Theologi experimentalem: nam antea licet ſpeculativè noſſet Adam diſcrimen boni & mali, poſt peccatum tamen practicè, & per experientiam id magis cognovit. Hæc eſt ſententia D. Auguſtini hoc cap. & lib. 8. de Geneſ. ad liter. cap. 6. & 15. Ubi etiam docet, ante peccatum Adami illud nomen tali ligno impoſitum eſſe;* Lignum enim tale nomen *(inquit)* accepit, ut eo ſecundùm prohibitionem non tactu caveretur, quod eo contra prohibitionem tacto ſentiretur, neque enim quia inde contra præceptum manducaverunt, ideo factum eſt illud lignum dignoſcentiæ boni & mali: ſed utique etiamſi obedientes eſſent, & nihil inde contra præceptum uſurpaſſent, id rectè vocaretur. Quod ibi eis accideret, ſi uſurpaſſent: Quemadmodum ſi vocaretur arbor ſaturitatis, quod inde poſſent homines ſatiari, nunquid ſi nemo acceſſiſſet; ideo nomen illud eſſet incongruum, quandoquidem cum accederent & ſaturarentur, tunc probarent, quàm ſic rectè arbor illa vocaretur.

η Per

η Ex hoc omnes gentes.] *Scribit Cicero libr. 1. officiorum, tantum fuiſſe apud Romanos pudoris ſtudium & obſervantiam, ut ne Scenici quidem in publicum ſine ſubligaculis prodirent;* Scenicorum *(inquit)* non tantam habet à vetere diſciplina verecundiam, ut in ſcenam ſine ſubligaculis prodeat nemo, verentur enim ne ſi quo caſu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, aſpiciantur non decorè. *Quin etiam barbaris ipſis magna & religioſa fuit cura velandi pudenda; Nicolaus Damaſcenus apud Strabonem libr. 15. affirmat, ſe Antiochiæ vidiſſe legatos Pyrri Indorum regis ad Auguſtum cum literis miſſos & muneribus, in his erant octo ſervi toto corpore nudi præter pudenda ſubligaculis obtecta. Diodorus Siculus libr. 4. de Æthiopibus ſcribit, eos cætero quidem corpore nudos ingredi, pudenda tamen vel caudis vulpinis, vel ex capillis ſubligaculis contextis velare. Videtur certè hæc tegendorum pudendorum cura ex illo primorum parentum exemplo veluti hereditaria quadam ac naturali diſciplina ad omnes gentes permanaſſe.*

ϑ Per opacas quoque Indiæ ſolitudines.] *Tertullian. in Apolog. cap. 42. Indorum Gymnoſophiſtas vocat ſylvicolas & exules vitæ.*

CAP. XVIII.

De pudore concubitus, non ſolùm vulgari, ſed etiam conjugali.

OPus verò ipſum quod libidine tali peragitur, non ſolùm α in quibusque ſtupris, ubi latebræ ad ſubterfugienda humana judicia requiruntur: verùm etiam β in uſu ſcortorum, *a* quam terrena civitas licitam turpitudinem fecit: quamvis id agatur, quod ejus civitatis nulla lex vindicat, devitat tamen publicum etiam permiſſa atque impunita libido conſpectum: & verecundia naturali habent proviſum lupanaria ipſa ſecretum, faciliusque potuit impudicitia non habere vincula prohibitionis, quàm impudentia removere latibula illius fœditatis. Sed hanc etiam ipſi turpes turpitudinem vocant: cujus licèt ſint amatores, *b* oſtentatores eſſe non audent. Quid concubitus conjugalis, qui ſecundùm matrimonialium præſcripta tabularum procreandorum fit cauſa liberorum? Nónne & ipſe, quanquam ſit licitus & honeſtus, remotum ab arbitris cubile conquirit? Nónne omnes famulos, atque ipſos etiam paranymphos, & quoscunque ingredi quælibet neceſſitudo permiſerat, antè mittit foras, quàm vel blandiri conjunx conjugi incipiat? *c* Et quoniam, ſicut ait quidam γ Romani maximus autor eloquii, omnia rectè facta in luce ſe collocari volunt, id eſt, appetunt ſciri: hoc rectè factum ſic appetit ſciri, ut tamen erubeſcat videri. Quis enim neſcit, ut filii procreentur, quid inter ſe conjuges agant? quandoquidem ut id agatur, tanta celeritate ducuntur uxores: & tamen cùm agitur unde filii naſcantur, δ nec ipſi filii, ſi qui inde jam nati ſunt, teſtes fieri permittuntur. Sic enim hoc rectè factum ad ſui notitiam lucem *d* appetit animorum, ut tamen refugiat oculorum. Unde hoc, niſi quia ſic geritur, quod deceat ex natura, ut etiam quod pudeat, comitetur ex pœna? Cic. l. 2. Tuſc. 29.

a QUam terrena civitas licitam turpitudinem fecit.] *Nam concubinæ & pellices non ſunt prohibitæ: quemadmodum ex legib. de concubinariis oſtenditur libro Digeſtorum 25. Satis apertè Auguſtinus teſtatur, eſſe jure civili vetere Ro-* L. Vivas.

mano

mano multa permiſſa, quæ ſunt contraria legibus divinis. Hoc iſti nolunt, qui dum gentilitatem conjungere & coaptare Chriſtianiſmo laborant, corrupto utroque & alterius impatiente, nec gentilitatem, nec Chriſtianiſmum retinent.

b Oſtentatores eſſe non audent.] *Hoc argumento probat Cicero, voluptates non eſſe bonas, quòd bonum omne prædicandum eſt, & gloriari de illo poteſt, qui habet: at nemo gloriari audeat ſe corporis voluptatibus perfrui.*

c Et quoniam, ſicut ait quidam Romani maximus autor eloquii.] *(Multis libris nihil locutus Paſſavant, nunc tandem inquit, Quis fuerit iſte quidam expoſitor, non dicit, nec ego ſcio. Jura, alioqui non credam. Sed quis poſſit non fidem habere vel injurato, præſertim ubi ſe neſcire confitetur, quod credituri fueramus, etiamſi idem ipſe homo tam apertus & ſimplex in contrarium dejeraret? Quanto ſatius fuiſſet Paſſavant admonitum te à nomine tuo ulterius eſſe progreſſum, neque hic ſiſtere.)* *Verùm hoc titulo Lucanus Ciceronem ornat lib. 7. & Ciceronis illa ſunt verba in 3. Tuſc. quæſt.*

d Lucem appetit animorum.] *Ut ipſi animi quid factum ſit, videant & judicent: non intueantur oculi.*

E.L.Coq. α IN quibuscumque ſtupris.] *Stupri nomen in genere ſeu latè, & ſpecie ſeu ſtrictè ſumitur, in genere ſignificat omnem illicitum coitum, in ſpecie ſeu ſtrictè apud Juriſconſultos ſtuprum dicitur committi cum certis perſonis, ut cum virgine, cum vidua, cum puero perpetratur, & extant leges latæ contra hujusmodi ſtupra committentes. Apud Ciceronem ſtuprum pro adulterio poſitum notavit Budæus in Pandectas, & Rebuffus de verbor. ſignif. L. inter ſtuprum D.*

β In uſu ſcortorum quam terrena civitas turpitudinem fecit.] *Scortum dicitur meretrix, quæ venalem habet turpitudinem, & promiſcuè ſe multorum libidini exponit; Eccleſia verò ac principes Chriſtiani meretrices permittunt, neque legibus puniunt, non quia illud peccatum probent, illud enim quod lege divina ac naturali illicitum eſt & peccatum mortale, fieri non poteſt, ut ullis legibus humanis fiat licitum, neque ulla diſpenſatio cadit in legem divinam ac naturalem, ſed ut gravioribus malis occurrant, & adulteria, inceſtus, atque alia luxuriæ crimina compeſcant; atque eo ſenſu intelligendum eſt quod dicit D. Auguſtinus, terrenam civitatem facere licitum ſcortorum uſum, non quod approbet, ſed quia permittat, & legibus ſuis non animadvertant in meretrices. Solon Athenienſis primus emptas meretrices juventuti comparavit, ut effuſo illic libidinis impetu quid turpius cogitare deſiſterent, ut ſcribit Cœlius Rhodiginus lib. 8. lectio. antiq. cap. 4. & Alexander ab Alex. lib. 4. cap. 1. Nec vero ſequitur, ſcortorum uſus permiſſus eſt in Republica, nec ullis legibus civilibus aut canonicis punitur, eſt igitur licitus. Hanc collectionem (ait Covarruvias Epiſt. in 4. Decretalium cap. 4. num. 8.) deſtruit lex ſingularis L. etſi quis §. D. autem Marcus D. de religio. & ſumpt. funer. reſcripſit Imperator. heredem qui prohibet funerari ab eo, quem teſtator elegit, non rectè facere, pœnam tamen in eum ſtatutam non eſſe. Præterea eſt pœna æterna, quæ in infinitum gravior eſt quavis civili vel canonica, ſtatuta in eos etiam qui quemvis illicitum coitum, vel etiam ſimplicem fornicationem committunt; ſic enim Apoſtolus 1. Corinth. 6.* Neque fornicarii, neque adulteri, ne-

ri, neque molles regnum Dei poſſidebunt. *Ita D. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ ſcriptum reliquit,* aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit; apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & ſolo ſtupro atque adulterio condemnato paſſim per lupanaria & cellulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. *Imò nec civitates benè inſtituta lupanaria aut ſcorta probarunt, ut ex Libanio Declamat. 25. colligere licet.* Neque enim quæ dilertis verbis pulchrè fuere decreta, cenſendum eandem vim habere cum eo, quood prohibitum non eſt, nec ſi minus apertè jubent ſcorta perſequi, etiam honoribus ac muneribus honorari permittunt. *Lactantius lib. 6. cap. 23. lupanaria contendit inventum eſſe dæmonum:* ne quis eſſet, *ait*, qui pœnarum metu abſtineret alieno, lupanaria quoque conſtituit, & pudorem infelicium mulierum publicavit, ut ludibrio haberet tam eos, qui faciunt, quàm quas pati neceſſe eſt; his obſcœnitatibus animas ad ſanitatem genitas velut in cœni gurgite demerſit, pudorem extinxit, pudicitiam profligavit.

γ Romani maximus author eloquii] *Hoc titulo Ciceronem exornat Lucanus lib. 7. & ipſe D. Auguſtinus præter hunc locum lib. 4. de doct. Chriſti. cap. 17.*

δ Nec ipſi filii, ſi qui inde nati ſunt.] *Idem lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 22.* Et nunc omnes erubeſcunt, quando ad concumbendum ſecreta requirunt, neq; hujus operis teſtes audent habere vel filios, quos inde genuerunt, *& lib. de peccat. originali cap. 37.* ubi ad hujuſmodi opus venitur, ſecreta quæruntur, arbitri removentur, filiorum quoque ipſorum, ſi jam inde aliqui nati ſunt, cum jam per ætatem iſta ſentire cœperunt, præſentia devitatur.

CAP. XIX.

Quòd partes iræ atque libidinis tam vitioſè moventur, ut eas neceſſe ſit frænis ſapientiæ cohiberi, quæ in illa ante peccatum naturæ ſanitate non fuerunt.

HInc eſt, quod & illi philoſophi, qui veritati propius acceſſerunt, iram atque libidinem vitioſas animi partes eſſe confeſſi ſunt: eo quòd turbidè atque inordinatè moverentur, ad ea etiam quæ ſapientia perpetrari non vetat: ac per hoc opus habere moderatrice mente atque ratione. *a* α Quam partem animi tertiam velut in arce quadam ad iſtas regendas perhibent collocatam: ut illa imperante, iſtis ſervientibus poſſit in homine juſtitia ex omni parte conſervari. Hæ igitur partes, quas & in homine ſapiente ac temperante fatentur eſſe vitioſas, ut eas ab his rebus ad quas injuſtè moventur, mens compeſcendo & cohibendo refrænet & revocet: atque ad ea permittat, quæ ſapientiæ lege conceſſa ſunt: β ſicut *b* iram ad exercendam juſtam coërcitionem: ſicut libidinem ad propagandæ prolis officium: hæ, inquam, partes in paradiſo ante peccatum vitioſæ non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid movebantur, unde neceſſe eſſet, eas ratione tanquam frænis regentibus abſtinere. Nam quod nunc ita moventur, & ab eis qui temperanter & juſtè & piè vivunt, aliàs facilius, aliàs difficilius, tamen cohibendo & refrænando modificantur: non eſt utique ſanitas

nitas ex natura: ſed languor ex culpa. Quod autem iræ opera aliarumque affectionum in quibusque dictis atque factis non ſic abſcondit verecundia, ut γ opera libidinis quæ fiunt genitalibus membris: quid cauſæ eſt, niſi quia in cæteris membra corporis non ipſæ affectiones, ſed cùm eis conſenſerit, voluntas movet, quæ in uſu eorum omnino dominatur? Nam quisquis verbum emittit iratus, vel etiam quenquam percutit, non poſſet hoc facere niſi lingua & manus jubente quodammodo voluntate moverentur. quæ membra etiam cùm ira nulla eſt, moventur eadem voluntate. At verò genitales corporis partes ita libido ſuo juri quodammodo mancipavit, ut moveri non valeant, ſi ipſa defuerit, & niſi ipſa, vel ultrò, vel excitata ſurrexerit. Hoc eſt quod pudet, hoc eſt quod intuentium oculos erubeſcendo devitat: magisque fert homo ſpectantium multitudinem, quando injuſtè iraſcitur homini, quàm unius aſpectum, quando juſtè miſcetur uxori.

L. Vives. a QUam partem animi tertiam.] *Plato in Timæo ſuo, ex Timæo Locrenſi & cæteris Pythagoricis, tres animæ partes facit. Idem in libro de republica iraſcentiam, quam ſtatuit in corde, concupiſcentiam ſub medio ſepto in jecore & ſplene, rationem in cerebro tanquam in arce mandatricem operum, ut inquit Claudianus, proſpecturámque labori.*

b Iram ad exercendam juſtam coërcitionem.] *Nam cotem fortitudinis appellabant, & adverſus hoſtem & improbum civem motus vehementes concientem, ſicut refert Cicero, & Seneca lib. de ira.*

F. L. Coq. α QUam partem animi tertiam.] *Ita enim Plato tres animæ partes diſtinguebat, iraſcibilem, in qua ponebat iram, concupiſcibilem, in qua libidinem ipſam, & rationalem ſuperiorem, quæ alias regeret, ut rationis eſſet, inſtar aurigæ regere ipſos affectus.*

β Sicut iram ad exercendam juſtam coercitionem.] *Lactantius lib. 6. cap. 19. tres etiam hujusmodi affectus notat in homine, iram, cupiditatem, & libidinem, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, propter quod Poetæ tres furias eſſe dixerunt, quæ mentes hominum exagitent, ira ultionem deſiderat, cupiditas opes, libido voluptates; ſed his omnibus Deus certos limites ſtatuit, quos ſi tranſcenderint, majoresque eſſe cœperint, neceſſe eſt, naturam ſuam depravent, & in morbos ac vitia vertantur; qui verò ſint hi limites, oſtendit: cupiditas ad ea comparanda nobis data eſt, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, libido ad ſobolem propagandam, iræ affectus ad coercenda peccata eorum, qui ſunt in noſtra poteſtate; quæ eadem ſcribit hic D. Auguſtinus.*

γ Ut opera libidinis quæ fiunt genitalibus membris.] *Seneca cap. 2. lib. 7. de beneficiis.* Voluptas, *inquit*, fragilis eſt ac brevis, cujus ſubinde neceſſe eſt aut pœniteat aut pudeat: in qua nihil eſt aut magnificum aut quod naturam hominis Diis proximi deceat: res humilis, membrorum turpium ac vilium miniſterio veniens, exitu fœda.

CAP.

CAP. XX.

De vaniſſima turpitudine Cynicorum.

HOc *a* illi canini philoſophi, hoc eſt, Cynici non viderunt, proferentes contra humanam verecundiam, quid aliud quàm caninam, hoc eſt, immundam impudentemque ſententiam: ut, ſcilicet quoniam juſtum eſt, quod fit in uxore, palàm non pudeat id agere: nec in vico, nec in platea qualibet conjugalem concubitum devitare. Vicit tamen pudor naturalis opinionem hujus erroris. Nam etſi perhibent, hoc aliquando gloriabundum feciſſe Diogenem, ita putantem ſectam ſuam nobiliorem futuram, ſi in hominum memoriam inſignior ejus impudentia figeretur, poſtea tamen à Cynicis fieri ceſſatum eſt: pluſque valuit pudor, ut erubeſcerent homines hominibus, quàm error, ut homines canibus eſſe ſimiles affectarent: Unde & illum, vel illos qui hoc feciſſe referuntur, potius arbitror concumbentium motus dediſſe oculis hominum neſcientium quid ſub pallio gereretur, quàm humano premente conſpectu potuiſſe illam peragi voluptatem. Ibi enim philoſophi non erubeſcebant videri ſe velle concumbere, ubi libido ipſa erubeſceret ſurgere. Et nunc videmus adhuc eſſe philoſophos Cynicos: *b* hi enim ſunt, β qui non ſolùm amiciuntur pallio, verùm etiam clavam ferunt: nemo tamen eorum audet hoc facere: quòd ſi aliqui auſi eſſent, ut non dicam ictibus lapidantium, certè conſpuentium ſalivis obruerentur. Pudet igitur hujus libidinis humanam ſine ulla dubitatione naturam, & meritò pudet. In ejus quippe inobedientia, quæ genitalia corporis membra ſolis ſuis motibus ſubdidit, & poteſtati voluntatis eripuit, ſatis oſtenditur, quid ſit hominis illi primæ inobedientiæ retributum: quod in ea parte maximè oportuit apparere, qua generatur ipſa natura, quæ illo primo, & magno in deterius eſt mutata peccato: à cujus nexu nullus eruitur, niſi id quod cùm omnes in uno eſſent, in communem perniciem perpetratum eſt, & Dei juſtitia vindicatum, Dei gratia in ſingulis expietur.

a HOc illi canini philoſophi, hoc eſt Cynici.] *κυνικοὶ quaſi canini, ἀπὸ τοῦ κυνὸς, Antiſthenes Socratis diſcipulus fuit autor hujus diſciplinæ. Horum erant mores, omnibus convitiari & allatrare, reddere in publico obſcœna ſine pudore, operam liberis dare: denique propalàm facere, quæ quivis noſtrùm ſolus vel cogitare erubeſceret, voluptatum alioqui inſectatores, & inſignes contemptu rerum omnium etiam vitæ. Principes hujus inſtituti fuerunt is, quem modò nominavi, Antiſthenes, & Diogenes Synopæus, Crates Thebanus & Menippus Phœnix. Cicero in Officiis eorum impudentes mores civili vitæ contrarios eſſe & fugiendos docet.* L. Vives.

b Hi enim ſunt qui non ſolùm amiciuntur pallio, verùm etiam clavam ferunt.] *Pallium ſupremum erat indumentum Græcorum, ut Latinorum toga. Cynici pallio utebantur vetere, detrito & pannoſo, quod τριβώνιον Græci nominant, & baculo, clavam Auguſtinus vocat. Hoc cultu ſimiles ſe Herculi eſſe jactabant, quibus pro leonis exuvio eſſet centunculus ille, & pro clava baculus, bellumque gererent contra voluptates, ut ille. Sic Lucianus ἐν βίων πράσει, & Epiſtolæ circumferuntur Græcè Diogenis nomine, in quis Diogenes hæc ornamenta non ſibi alios eſſe loco ait, quàm*

magno regi ſua. Nam pallium eſt pro abolla, & baculus pro ſceptro. Tempore verò Auguſtini, Donatiani & qui ad eandem pertinebant hæreſim, Circumcelliones in Aphrica palliati incedebant, clavisq; utebantur in perniciem verè Chriſtianorum.

v.L.Cap. α HOc illi canini Philoſophi, hoc eſt cynici.] *Fuere ſectatores Antiſthenis, qui primus novum hoc philoſophiæ genus induxit, authore Laertio in ejus vita, ita dicti ſunt à Cynoſarge gymnaſio, in quo Antiſthenes profitebatur, ſive à canina mordacitate, qua in hominum vitas nullo diſcrimine invehebantur, aut certè quod canum more in propatulo coire non dubitarent; quod de Crate & Hipparcho ſcribit Laertius. Cynicos deſcribit Athenæus lib. 5. pedibus illotis humi cubantes, ſub dio cubantes, impuros, guloſos, alienarum facultatum adventitios cœnatores: De eorum placitis videndus Laertius in Menedemo; Eorum impudentiam & obſcœnitatem redarguit Cicero libr. 1. Officio.* Nec vero *(inquit)* audiendi ſint cynici, aut ſi qui fuerunt Stoici penè cynici, qui reprehendunt & irrident, quod ea, quæ turpia re non ſunt, verbis flagitioſa dicamus, illa autem quæ turpia ſint, nominibus appellemus ſuis; latrocinari, fraudare, adulterari re turpe eſt, ſed dicitur non obſcœne: liberis operam dare re honeſtum eſt, nomine obſcœnum, pluraque in eam ſententiam ab eisdem contra verecundiam diſputantur; nos autem naturam ſequamur, & ab omni, quod abhorret ab ipſa oculorum, auriumque comprobatione, fugiamus. *Ipſe D. Auguſtinus lib. de nupt. & concupiſcen. cap. 22 de verecundia naturali loquens meminit & hujusmodi cynicorum impudentiæ;* Cui *(inquit)* verecundiæ naturali cynicorum error Philoſophorum mirabili impudentia reluctatus eſt, quandoquidem hoc quoniam licitum eſſet honeſtumque cum conjuge, palàm faciendum eſſe cenſebant: unde merito immunditia hujus impudentiæ canum nomen accepit, ex hoc quippe cynici nuncupati ſunt.

β Qui non ſolum amiciuntur pallio, verum etiam clavam ferunt.] *Cynici pallio utebantur vetere, detrito, & pannoſo, quod τριβώνιον Græci dicunt, & baculo, clavam vocat D. Auguſtinus: Ita eleganter Apulejus;* Diogeni & Antiſtheni pera & baculus, quod regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituus auguribus. *Circumferuntur quædam epiſtolæ Diogenis, & quidem in una earum ad Auxilianum ſe ſe Agamemnoni comparabat, & eſt elegantiſſima epiſtola,* Πυθαγόρας ἑαυτὸν ἔλεγεν Εὔφορβον γεγενῆσθαι τὸν πάνθου, ἐγὼ δὲ νέον ἐμαυτὸν ἐπέγνων Ἀγαμέμνονα, σκῆπτρόν τε γάρ ἐμοί ἐστι, τὸ βάκτρον, καὶ χλαμὺς ὁ διπλοῖς τρίβων, ἡ δὲ πήρα παρὰ δέρματος ἀλλαγὴ ἀσπίς. εἰ δὲ μὴ καρηκομῶ, νέος ἦν Ἀγαμέμνων, γέρων δ᾽ ἂν γενόμενος ἐψιλοκόρσησε. τοιαῦτα γὰρ ἄξιον φρονεῖν καὶ λέγειν πρὸς τὸν, Αὐτὸς ἔφα. φάσκοντα: *Julianus epiſtola ad Maximum Cynicum philoſophum,* Ἐπανιὼν εἰς τοὺς γαλατικοὺς ἐπεσκέπτουν καὶ τὸ ἐκεῖθεν ἢ κόντων, ἀνεπυνθανόμην, μή τις φιλόσοφος μήτις σχολαστικὸς ἢ τριβώνιον ἢ χλανίδιον φορῶν κατῆρεν, *quod nimirum Maximi Cynici philoſopi videndi deſiderio in Gallia teneretur.*

Cap.

Cap. XXI.

De benedictione multiplicandæ fœcunditatis humanæ ante peccatum, quam prævaricatio non adimeret, & cui libidinis morbus acceſſerit.

ABſit itaque, ut credamus, illos conjuges in Paradiſo conſtitutos per hanc libidinem, de qua erubeſcendo eadem membra texerunt, impleturos fuiſſe, quod in ſua benedictione Deus dixit: *Creſcite & multiplicamini, & implete terram.* Gen. 1. Poſt peccatum quippè orta eſt hæc libido: poſt peccatum eam natura non impudens, amiſſa poteſtate cui corpus ex omni parte ſerviebat, ſenſit, attendit, erubuit, operuit. Illa verò benedictio nuptiarum, ut conjugati creſcerent, & multiplicarentur, & implerent terram: *a* quamvis & in delinquentibus manſerit: tamen antequam delinquerent, data eſt: ut cognoſceretur, procreationem filiorum ad gloriam connubii, non ad pœnam pertinere peccati. Sed nunc homines profectò illius quæ fuit in Paradiſo felicitatis ignari, niſi per hoc quod experti ſunt, id eſt, per libidinem, de qua videmus ipſam etiam honeſtatem erubeſcere nuptiarum non potuiſſe gigni filios opinantur: *a* β alii ſcripturas divinas, ubi legitur poſt peccatum puduiſſe nuditatis, & pudenda eſſe contecta, prorſus non accipientes, ſed infideliter irridentes: *b* alii verò quamvis eas accipiant & honorent, illud tamen quod dictum eſt: γ Creſcite & multiplicamini, non ſecundùm carnalem fœcunditatem volunt intelligi: quia & ſecundùm animam legitur tale aliquid dictum: *c Multiplicabis in anima mea virtutem:* ut id quod in Pſ. 137. Geneſi ſequitur, *Et implete terram, & dominamini ejus:* terram intelligant carnem, quam præſentia ſua implet anima, ejuſque maximè dominatur, cùm in virtute multiplicatur. Carnales autem fœtus ſine libidine, quæ poſt peccatum exorta, inſpecta, confuſa, velata eſt: nec tunc naſci potuiſſe, ſicut neque nunc poſſunt: nec in Paradiſo futuros fuiſſe, ſed foris, ſicut & factum eſt: nam poſteaquàm inde dimiſſi ſunt, ad gignendum filios coierunt, eos genuerunt.

a ALii ſcripturas divinas.] *Hi ſunt Manichæi, qui totum vetus inſtrumentum rejiciebant, ut quodam alio expoſui loco.* L.Viv.

b Alii verò quamvis accipiant.] *Iſti ſunt Adamiani, qui nuptias futuras eſſe non putant, ſi Adam non peccaſſet.*

c Multiplicabis in anima mea virtutem.] *In veteribus libris legitur. Multiplicabis me in anima virtute tua. Credo ſic eſſe ab Auguſtino ſcriptum, qui interpretationem LXX. ſequebatur, illi enim hoc verterunt modo:* πολυωρήσεις με ἐν ψυχῇ μȣ δυνάμει σȣ. *Multiplicabis me in anima mea virtute tua.*

a QUamvis in delinquentibus manſerit, tamen antequam delinquerent, data eſt.] F.L.Coq. *Ita lib. 2. de Geneſ. ad liter. cap. 3.* Si quæratur, ad quam rem fieri oportuerit adjutorium ſimile homini, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos, ſicut adjutorium ſemini terra eſt, ut virgultum ex utroque naſcatur, hoc enim & cum prima rerum conditione dictum erat, maſculum & fœminam fecit eos, & benedixit Deus dicens eis, creſcite & multiplicamini, &

implete terram, & dominamini ejus. Quæ ratio conditionis & conjunctionis maſculi & fœminæ atque benedictio nec poſt peccatum hominis pœnamque defecit. Ipſa enim eſt ſecundùm quam nunc terra hominibus plena eſt dominantibus ejus: quanquam enim jam emiſſi de paradiſo conveniſſe & genuiſſe commemorentur, tamen non video, quid prohibere potuerit, ut eſſent etiam eis in paradiſo honorabiliores nuptiæ & thorus immaculatus, hoc Deo præſtante fideliter juſteque viventibus, eique obedienter ſancteque ſervientibus, ut ſine ullo labore ac dolore pariendi fœtus ex eorum ſemine gignerentur. *Certum itaque, primos parentes ſi perſtitiſſent in ſtatu eo, congreſſuros fuiſſe, & per commixtionem maris ac fœminæ multiplicandum tunc genus humanum, citra tamen ullam libidinem. Ita docet etiam D. Thomas 1. p. q. 98. art. 2. & Theologi 2. ſententiarum, diſtinctione vigeſima.*

β Alii ſcripturas divinas ubi legitur poſt peccatum.] *Hi ſunt Manichæi, qui ſcripturas veteris teſtamenti omnino rejiciebant, teſte eodem lib. de utilit. credendi cap. 2. & alibi ſæpe.*

γ Creſcite & multiplicamini, non ſecundùm carnalem fœcunditatem.] *Redarguit eos, qui ſpiritualiter hæc verba interpretabantur; cujus ſenſus etiam meminit lib. de bono conjugali. cap. 2. Et ab ea etiam opinione non longe fuit alienus aliquando, ut patet ex his, quæ diſſerit tùm in lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos, cap. 19. tum lib. 13. Confeſſ. cap. 24. verum hoc loco, & rectè quidem, interpretatur ad literam, ut his verbis ab initio Deus inſtituerit matrimonium ad generationem prolis, & multiplicationem generis humani.*

Cap. XXII.

De copula conjugali à Deo primitus inſtituta atque benedicta.

Nos autem nullo modo dubitamus, ſecundùm benedictionem Dei, creſcere & multiplicari, & implere terram, α donum eſſe nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio conſtituit, creando maſculum & fœminam: qui ſexus evidens utique in carne eſt. Huic quippè operi Dei etiam benedictio ſubjuncta eſt. Nam cùm ſcriptura dixiſſet, *Maſculum & fœminam fecit eos:* conti-
Gen. 1. nuò ſubdidit, *Et benedixit eis Deus dicens: Creſcite & multiplicamini, & implete terram,* a & dominamini ejus, &c. b Quæ omnia quanquam non inconvenienter β poſſint etiam ad intellectum ſpiritalem referri: maſculum tamen & fœminam non ſicut ſimile aliquid etiam in homine uno intelligi poteſt: quia videlicet γ in eo aliud eſt quod regit, aliud quod regitur: ſed ſicut evidentiſſimè apparet in diverſi ſexus corporibus maſculum & fœminam ita creatos, ut prolem generando creſcerent, & multiplicarentur, & implerent terram. Cui ſententiæ tam evidenti, magnæ abſurditatis eſt reluctari. Neque enim de ſpiritu qui imperat, & carne quæ obtemperat: aut de animo rationali qui regit, & irrationali cupiditate quæ regitur: aut de virtute contemplativa quæ excellit, & de activa quæ ſubditur: aut de intellectu mentis, & ſenſu corporis: ſed apertè de vinculo conjugali, quo invicem ſibi uterque ſexus obſtringitur, dominus interrogatus, utrum licet quacunque ex cauſa dimittere uxorem: quoniam δ propter

pter diuritiam cordis Iſraëlitarum Moyſes dari libellum repudii permiſit, reſpondit atque ait: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una?* Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Certum eſt igitur maſculum & fœminam ita primitus inſtitutos, ut nunc homines duos diverſi ſexus videmus & novimus. Unum autem dici, vel propter conjunctionem, vel propter originem fœminæ, quæ de maſculi latere creata eſt. Nam & Apoſtolus per hoc primum quod Deo inſtituente præceſſit exemplum, ſingulos quoſque admonet, ut viri uxores ſuas diligant.

Matth. 19.

Eph. 5. Col. 3.

a DOminamini ejus.] *Græca phraſis, quam Horatius æmulatus eſt, Agreſtium regnavit populorum.* L. Vives.

b Quæ omnia quanquam non inconvenienter.] *Nihil in ſacris literis ſcriptum, quod morali & ſpiritali ſenſu aptari nequeat: illi tamen primi & genuini ſemper ſunt ſervandi, alioqui magna ſequeretur rerum omnium in pietate confuſio. Nam hæretici omnia pro libito ſuo quò vellent detorquerent. Si Deus cùm dixit: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram: non corporale aliquid quale cernimus, ſed ſpiritale tantùm ſpectavit, quid ſupereſt, niſi ut idem de beſtiis intelligamus, quibus eſt idem præceptum?*

a DOnum eſſe nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis.] *Hinc conſtat, matrimonium eſſe rem per ſe bonam & licitam, quandoquidem illud inſtitutum eſt à Deo ab initio etiam, ante lapſum primorum parentum contra hæreſim Adamianorum, cujus meminit lib de hæreſib. cap. 31. qui ſentiebant, ex Adami peccato proveniſſe conjugium & eſſe malum, neque in ſtatu naturæ integræ illud fuiſſe futurum, ſed per procreationem à Deo fuiſſe tunc ſingulos homines producendos: Hujus erroris meminit etiam lib. de bono conjugali cap. 2. Eundem tribuit Euſtathianis Concilium Grangrenſe in Epiſtola ſynodali, & Socrates lib. 2. hiſt. cap. 33. & Apoſtolicis Bernardus ſerm. 66. in Cantica. Quo verò modo aut quibus verbis Deus nuptias ſeu matrimonium inſtituerit in paradiſo, non omnes idem ſentiunt: Alii enim volunt, à Deo inſtitutum his verbis,* Creſcite & multiplicamini; *alii fuiſſe inſtitutum à Deo non verbis, ſed ipſo facto, dum ex coſta Adami Evam produxit, Vualdenſis libr. de ſacr. 132. Ricard. in 4. diſt. 26. art. 1. quæſt. 3. ſpeculum conjugiorum 1. p. art. 1. & ajunt, illis verbis,* Creſcite & multiplicamini. *ſolum declaraſſe finem, promulgaſſe præceptum, & benedictionem, non tamen inſtituiſſe matrimonium: Et huic ſententiæ favet D. Auguſtinus hoc loco. Alii probabilius cenſent, fuiſſe inſtitutum ſimul ac præceptum à Deo illis verbis.* Creſcite & multiplicamini. *Primò quia tunc Deus fecit illis copiam ut conjungerentur, & mutuam corporum traditionem conceſſit, in quo matrimonium conſiſtit, ſecundo quia illis verbis intimatur potiſſimus matrimonii finis, qui eſt hominum multiplicatio: Per illa igitur inſtitutum eſt matrimonium, quo finis ille comparatur. Equidem exiſtimo, diſtinguendam eſſe matrimonii inſtitutionem ab ejus præcepto, & quidem Deum formando Evam ex Adami coſta tanquam adjutorium ſimile ſibi ipſo facto inſtituiſſe matrimonium in officium naturæ, ideo ſubito formata Eva Ada-* F.L.Cog.

va Adamum agnoviſſe, eam ſibi datam in uxorem, & prorupiſſe in illa verba, Hoc nunc os ex oſſibus meis, *ad congrediendum tamen debuiſſe exſpectare divinum præceptum, Ita docet libr. 9. de Geneſ. ad liter. cap. 4. & D. Thomas 1. p. quæſt 98. art. 2. ad 2.*

β Poſſunt etiam ad intellectualem ſpiritum referri.] *Ita exponit lib. 2. Gen. cont. Manich. cap. 11. ſalva tamen hiſtoriæ veritate*, Ut quod in duobus hominibus, *inquit*, evidentius apparet. i. e. in maſculo & fœmina, etiam in uno homine conſiderari poſſit, ut appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur, habeat mens interior tanquam virilis ratio ſubjugatum, & juſta lege modum imponat adjutorio ſuo, ſicut vir debet fœminam regere, quin nec eam permittere dominari in virum, quod ubi contingit, perverſa & miſera domus eſt.

γ In eo aliud eſt quod regit, aliud quod regitur.] *Libro cit. cap. 12. & lib. 12. de Trinit. cap. 8. & 12. & lib. 2. de Geneſ. contra Manich. cap. 14. docet, nihil aliud in unoquoque noſtrum agi, cum ad peccatum dilabitur, quam tunc actum eſt in illis tribus, ſerpente, muliere, & viro. Primo enim fit ſuggeſtio in ſenſualitate ipſa, quæ eſt appetitus inferior, & debet obtemperare rationi, deinde ratio ipſa conſentit, & quod libido commoverit, faciendum eſſe decernit, ſicque ab omni vita beata tanquam de paradiſo homo expellitur, ſenſualitas itaque cui primo ſuggeretur peccatum, ſignificatur per Evam in homine, ratio per Adamum.*

δ Propter duritiam cordis Iſraelitarum Moſes dare libellum repudii.] *Hæc permiſſio repudii fuit in uſu apud Hebræos, ex Dei permiſſione facta per Moyſem, Deuter. 24.* Si acceperit homo uxorem, & non placuerit in oculis ejus, & dimittet eam, & ſcribet ei libellum repudii. *D. Thomas in additam. q. 63. art. 5. ad 3. probabile putat, quod per libellum repudii ex diſpenſatione Dei ſolvebatur matrimonium, nec Judæi juxta legem mittentes libellum repudii peccabant, nec enim dicere licet, fuiſſe permiſſionem, qua impune fieret tam publicè peccatum, eodem modo quo impune permittuntur meretrices, & quod Matth. 19. dicitur*, Ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis Moſes dari libellum repudii, *duritia cauſa fuit, ut Deus diſpenſaret.*

ε Et dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem.] *Hoc ſacramentum magnum dicit eſſe in Chriſto & in Eccleſia, Apoſtolus Epheſ. 5. Sacra Geneſis refert, ea verba dicta ab Adamo, quia Dei tamen afflatu & inſpiratione edita ſunt, propterea dominus in Evangelio ea verba ut à Deo dicta commemorat. Quibus verbis ſignificatur, majorem & magis indiſſolubilem futuram conjunctionem viri cum uxore ſua quàm cum propriis parentibus: ſignificatur etiam in his verbis magnum myſterium incarnationis Chriſti, & conjunctionis ejuſdem cum Eccleſia. D. Hieronymus interpretans hæc verba Epheſ. 5.* Adam, *inquit*, primus fuit vates, qui myſterium hoc prædixit, *Et Proſper. 1. p. de prædict. & promiſſ. cap. 1.* Et non niſi divina revelatione potuit ſcire Adamus, Evam formatam fuiſſe ex illius latere, revelatio autem fieri non ſolet niſi rei valdè occultæ, & quæ difficile inveſtigari poſſit, adeoque ſub illis latens Chriſti & Eccleſiæ myſterium Adamus intellexit.

Cap. XXIII.

An etiam in Paradiſo generandum fuiſſet, ſi nemo peccaſſet: vel utrùm contra actum libidinis pugnatura illic fuiſſet traditio caſtitatis.

QUiſquis autem dicit *a*, non fuiſſe coituros, nec generaturos niſi peccaſſent, quid dicit, niſi propter numeroſitatem ſanctorum neceſſarium hominis fuiſſe peccatum? Si enim non peccando ſoli remanerent: quia, ſicut putant, niſi peccaſſent, generare non poſſent: profectò ut non ſoli duo juſti homines poſſent eſſe, ſed multi: neceſſarium peccatum fuit. *β* Quod ſi credere abſurdum eſt, illud potiùs eſt credendum, quod ſanctorum numerus quantus complendæ illi ſufficit beatiſſimæ civitati, tantus exiſteret, & ſi nemo peccaſſet, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum, *a γ* quouſque filii hujus ſeculi generant & generantur. Et ideò illæ nuptiæ dignæ felicitate Paradiſi, ſi peccatum non fuiſſet, *δ* & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent. Sed quomodo id fieri poſſet, nunc non eſt quo demonſtretur exemplo. Nec ideò tamen incredibile debet videri, etiam illud unum ſine iſta libidine voluntati potuiſſe ſervire, cui tot membra nunc ſerviunt. *b* An verò manus & pedes movemus quum volumus, ad ea quæ his membris agenda ſunt ſine ullo reniſu tanta facilitate, quanta & in nobis & in aliis videmus, maximè in artificibus quorumcunque operum corporalium: ubi ad exercendam infirmiorem tardioremque naturam, agilior acceſſit induſtria: & non credimus ad opus generationis filiorum, ſi libido non fuiſſet, quæ peccato inobedientiæ retributa eſt, obedienter hominibus ad voluntatis nutum ſimiliter ut cætera potuiſſe illa membra ſervire? Nónne Cicero in libris de Repub. quum de imperiorum differentia diſputaret, & hujus rei ſimilitudinem ex natura hominis aſſumeret, *c ε* ut filiis dixit imperari corporis membris propter obediendi facilitatem: vitioſas verò animi partes ut ſervos aſperiore imperio coërceri? Et utique ordine naturali animus anteponitur corpori, & tamen ipſe animus imperat corpori facilius quàm ſibi. Veruntamen hæc libido, de qua nunc diſſerimus, eò magis erubeſcenda exiſtit, quòd animus in ea, nec ſibi efficaciter imperat, ut omnino non libeat: nec omnimodo corpori, ut pudenda membra voluntas potius quàm libido commoveat: quòd ſi ita eſſet, pudenda omnino non eſſent. Nunc verò pudet animum reſiſti ſibi à corpore, quod ei natura inferiore ſubjectum eſt. In aliis quippè affectionibus cùm ſibi reſiſtit, ideo minus pudet: quia quum à ſeipſo vincitur, ipſe ſe vincit & ſi inordinatè atque vitiosè: quia ex his partibus quæ rationi ſubjici debent, tamen à partibus ſuis: ac per hoc, ut dictum eſt, à ſeipſo vincitur. Nam cùm ordinatè ſe animus vincit, ut irrationales motus ejus menti rationique ſubdantur: ſi tamen & illa Deo ſubdita eſt, laudis atque virtutis eſt. Minus tamen pudet cùm ſibi animus ex vitioſis ſuis partibus non obtemperat, quam cùm ei corpus, quod alterum ab illo, atque infra illum eſt, & cujus ſine illo ulla natura non vivit, volenti jubentique non cedit. Sed cùm alia membra retinentur voluntatis imperio, ſine quibus illa quæ con-

tra voluntatem libidine concitantur, id quod appetunt, implere non poſſunt: pudicitia cuſtoditur, non amiſſa, ſed non permiſſa delectatione peccati. *d* Hunc reniſum, hanc repugnantiam, hanc voluntatis & libidinis rixam, vel certè ad voluntatis ſufficientiam, libidinis indigentiam, procul dubiò (niſi culpabilis inobedientia pœnali inobedientia plecteretur, in paradiſo nuptiæ non haberent, ſed η voluntati membra illa, ut cætera cuncta ſervirent. *e* θ Ita genitale arvum vas in hoc opus creatum ſeminaret, ut nunc terram manus: & quod modo de hac re nobis volentibus diligentius diſputare, verecundia reſiſtit, & compellit *f* veniam honore præfato à pudicis auribus poſcere, cur id fieret nulla cauſa eſſet: ſed in omnia quæ de hujuſmodi membris ſenſum cogitantis attingeret, ſine ullo timore obſcœnitatis liber ſermo ferretur: nec ipſa verba eſſent, quæ vocarentur obſcœna, ſed quicquid inde diceretur, tam honeſtum eſſet, quàm de aliis cùm loquimur corporis partibus. Quiſquis ergo ad has literas impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam: facta denotet ſuæ turpitudinis, non verba noſtræ neceſſitatis, in quibus mihi facillimè pudicus & religioſus lector vel auditor ignoſcet, donec infidelitatem refellam, non de fide rerum inexpertarum, ſed de ſenſu expertarum argumentantem. Leget enim hoc ſine offenſione, qui non exhorret Apoſtolum horrenda fœminarum flagitia reprehendentem, *quæ immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam:* præcipuè quia nos non damnabilem obſcœnitatem nunc, ſicut ille, commemoramus atque reprehendimus, ſed in explicandis quantum poſſumus humanæ generationis affectibus †, verba tamen ſicut ille obſcœna devitamus.

Rom. 1.

al. effectibus.

L. Vives.

a QUouſque filii hujus ſeculi generant & generantur.] *Filii ſunt hujus ſeculi, qui generant, & filios hujus ſeculi generant, ſed beneficio Chriſti fiunt filii regni. Per peccatum enim generantur, per gratiam Dei regenerantur.*

b An verò manus & pedes movemus.] *Hæc eſt vulgaris ſcholarum opinio, quam Petrus Lomb. ponit, lib. 2. Sententiarum Theologicarum, ſect. 20. Tametſi Græcorum nonnulli divinitus putant filios ſine peccato fuiſſe procreandos ſine coitu aliquo viri ac fœminæ: quod non ſit veriſimile. Nam quid attinebat ſexus diſtinguere, & genitalia corporibus addere?*

c Ut filiis dixit imperari.] *Facilius enim quò volumus corporis membra ducimus, quàm animi affectus refractarios & obluctatores, qui perpetuum cum ratione bellum gerunt: ita animus facilius regit corpus, quàm partem inferiorem ſui.*

d Hunc reniſum, hanc repugnantiam.] *Thomas Aquinas non omnem nuptiis illis innoxiis aufert voluptatem, ſed puram relinquit & caſtam, diſſimilem longè huic noſtræ, effrani, obſcœna, fœda.*

e Ita genitale arvum.] *Pro vulva poſuit, ſeu muliebribus locis, tectis & urbanis verbis. Verg. imitatus. 3. Georg.*

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali arvo.

f Veniam honore præfato.] *Præfamur veniam turpia & obſcœna dicturi, ſicut apud Quintilianum in milite Mariano, ut in medio belli Cymbrici ſtrepitu ante ſigna,*

gna, tuis honos ſit habitus ſanctiſſimis auribus, juberet preſtare gladio cinctum. Sic *Plinius præfatione: ut plurimarum rerum aut ruſticis vocabulis & externis, imo barbaris, & cum honoris præfatione ponendis.*

α NOn fuiſſe coituros nec generaturos niſi.] *Lib. 1. Retract. cap. 10. ad illud,* P.L.Cog.
quod docuerat lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 10. benedictionem Dei, qua dictum eſt, Creſcite & multiplicamini, in carnalem fœcunditatem poſt peccatum converſam eſſe credendum; Si *(inquit)* non poteſt alio modo dictum videri, niſi ut putentur illi homines non habituri fuiſſe filios homines, niſi peccaſſent, omnino non approbo; *& cap. 13. & 19. ſcribit, futuras fuiſſe cognationes & affinitates, etiamſi originali nullo exiſtente peccato ſine morte creſceret, & multiplicaretur genus humanum.*

β Quod ſi credere abſurdum eſt.] Niſi *(inquit)* exiſtente peccato fuiſſet generatio, ergo ad hoc peccatum neceſſarium fuit, ut multi generarentur, adeoque juſti & beati fierent; id verò cum abſurdum videatur, ſatius eſt credere, etiam remanente illo ſtatu multiplicandnm genus humanum per generationem; *Ea fere ratione utitur & D. Thomas 1. p. q. 98. art. 1.* In ſtatu, *inquit*, innocentiæ fuiſſet generatio ad multiplicationem generis humani; alioquin peccatum hominis fuiſſet valde neceſſarium, ex quo tantum bonum conſecutum eſt.

γ Quouſque filii hujus ſæculi generant & generantur.] *Etſi qui generant & generantur, regenerentur in Chriſto, & filii Dei fiant, non tamen quatenus filii Dei, & regenerati in Chriſto generantur, ſed quatenus poſteri Adami, ab eo trahentes eandem naturam, ideoque filios, quibus baptiſmo & regeneratione opus ſit, generant. Ita docet libr. 2. de peccat. merit. & remiſſio. cap. 27.* quia renovati parentes non ex primitiis novitatis, ſed ex reliquiis vetuſtatis carnaliter gignunt, & filii ex parentum reliqua vetuſtate toti vetuſti & in præſenti carne propagati damnationem veteri homini debitam ſacramento ſpiritualis regenerationis & renovationis evadunt? ſicq; nec filii licet ex parentibus fidelibus nati, nihilominus nec fideles nec ſancti naſcuntur. *Obſervandum verò, non intelligi hoc loco filios ſæculi prout à filiis Dei diſtinguuntur, ut conſtat lib. 3. cont. duas Epiſtolas Pelagian. cap. 3.* Omnes, *inquit*, homines, qui ſunt filii diaboli, etiam filios ſæculi, non autem omnes filios ſæculi etiam filios diaboli dicimus. Abſit enim ut filios diaboli dicamus fuiſſe ſanctos Patres.

δ Et diligendam partem gignerent & pudendam libidinem non haberent.] *Libro de peccato original. cap. 35. 36. 37. contendit, nuptias futuras fuiſſe in paradiſo, tamen abſque malo libidinis.*

ε Ut filiis dixit imperari corporis membris.] *Etiam agnovit Ariſtoteles duplex in homine imperium, deſpoticum & politicum 6. politic. ut imperio deſpotico voluntas imperet ipſis corporis membris, quæ non poſſunt reſiſtere, ſed ad nutum moventur ipſius voluntatis, quemadmodum ſervi ad nutum domini: Imperio vero politico ratio ſuperior & voluntas imperat ipſi appetitui ſenſitivo, quemadmodum princeps ipſis civibus, qui non ita ad nutum illius moventur, ut non poſſint aliquando reſiſtere, & agere præter illius mentem.*

ζ Niſi culpabilis inobedientia pœnali inobedientia plecteretur.] *Culpabilis enim illa fuit inobedientia, qua homo peccando receſſit ab obedientia creatoris ſui, hanc verò culpam ſubſecuta eſt velut pœna ipſa libido, ipſa lex in membris repugnans legi mentis, ipſa inobedientia & repugnantia inferioris appetitus ad ſuperiorem. Juſtiſſimum enim erat, ut quandoquidem ratio Deo non obtemperabat, nec partes inferiores obtemperarent ipſi rationi.*

η Voluntati membra illa ut cætera cuncta ſerviunt.] *Idem ſcribit lib. 2. de nuptiis & concupiſc. cap. 13.* Libido illa erubeſcenda, unde pudenda ipſa appellata ſunt membra, non fuit in corpore vitæ illius, quæ fuit in paradiſo ante peccatum; ſed cœpit eſſe in corpore mortis hujus retributa inobedientia inobedientiæ poſt peccatum, ſine qua libidine poterat opus fieri conjugum in generatione filiorum, ſicut multa opera fiunt obedientia cæterorum ſine ullo ardore membrorum, quæ voluntate ante moventur, non æſtu libidinis concitantur.

ϑ Ita genitale arvum.] *Metaphoricè pro muliebribus locis: genitale arvum enim dixit Virgilius lib. 3. Georg. & muliebria arva Lucretius lib. 3. Arnobius lib. 3* Caſtè admodum genitalium membrorum partes, quas ex oribus verecundis infame eſt ſuis appellationibus promere, *& lib. 4.* partes illæ, quas pudor abſcondere, quas naturalis verecundiæ lex jubet, quas inter aures caſtas nefas eſt ac ſine honoribus appellare præfatis; deinde pars illa corporis, per quam ſexus fœmineus & ſobolem prodere, & nomen ſolet acquirere generi.

Cap. XXIV.

Quòd inſontes homines & merito obedientiæ in Paradiſo permanentes, ita genitalibus membris fuiſſent uſuri ad generationem prolis, ſicut cæteris ad arbitrium voluntatis.

SEminaret igitur prolem vir, ſuſciperet fœmina genitalibus membris, quando id opus eſſet, & quantum opus eſſet voluntate motis, non libidine concitatis. Neque enim α ea ſola membra movemus ad nutum, quæ compactis articulata ſunt oſſibus: ſicut pedes & manus & digitos, verùm etiam illa β quæ mollibus remiſſa ſunt nervis, quum volumus movemus agitando, & porrigendo producimus, & torquendo flectimus, & conſtringendo duramus: γ ſicut ea ſunt, quæ in ore ac facie quantum poteſt voluntas movet. *a* δ Pulmones denique ipſi omnium niſi medullarum molliſſimi viſcerum, & ob hoc antro pectoris communiti, *b* ε ad ſpiritum ducendum ac remittendum vocemque emittendam ſeu modificandam, ſicut folles fabrorum vel organorum flantis, reſpirantis, loquentis, clamantis, cantantis, ſerviunt voluntati. Omitto quòd animalibus quibusdam naturaliter inſitum eſt, ut tegmen, quo corpus omne veſtitur, ſi quid in quocunque loco ejus ſenſerint abigendum, ibi tantùm moveant, ubi ſentiunt: nec ſolùm inſidentes muſcas, verùm etiam hærentes haſtas cutis tremore diſcutiant. Nunquid quia id non poteſt homo, ideo creator quibus voluit animantibus donare non potuit? Sic ergo & ipſe homo potuit obedientiam etiam inferiorum habere membrorum, quam ſua inobedientia perdidit. Neque enim Deo difficile fuit

le fuit ſic illum condere, ut in ejus carne etiam illud non niſi ejus voluntate moveretur, quod nunc niſi libidine non movetur. Nam & hominum quorundam naturas novimus multum cæteris diſpares, & ipſa raritate mirabiles, nonnulla ut volunt de corpore ſuo facientium, quæ alii nullo modo poſſunt, & audita vix credunt. *c* ζ Sunt enim qui & aures moveant vel ſingulas, vel ambas ſimul. Sunt qui totam cæſariem capite immoto quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, revocantque quum volunt. Sunt qui eorum quæ voraverunt incredibiliter plurima & varia, paululum præcordiis contrectatis, tanquam de ſacculo quod placuerit, integerrimum proferunt. *d* η Quidam voces avium pecorumque & aliorum quorumlibet hominum ſic imitantur atque exprimunt, ut niſi videantur, diſcerni omnino non poſſint. *e* Nonnulli ab imo ſine † pudore ullo ita numeroſos pro arbitrio ſonitus edunt, ut ex illa etiam parte cantare videantur. *f* Ipſe ſum expertus, ſudare hominem ſolere quum vellet. *g* Notum eſt, quoſdam flere quum volunt, atque ubertim lachrymas fundere: Jam illud multò eſt incredibilius, quod plerique fratres memoria recentiſſima experti ſunt: *h* Presbyter fuit quidam nomine Reſtitutus *i* in parœcia *k* Calamenſis eccleſiæ: qui quando ei placebat, (rogabatur autem ut hoc faceret ab eis qui rem mirabilem coràm ſcire cupiebant,) *l* ad imitatas quaſi lamentantis cujuslibet hominis voces, ita ſe auferebat à ſenſibus, & jacebat ſimillimus mortuo, ut non ſolùm vellicantes atque pungentes minimè ſentiret, ſed aliquando etiam igne ureretur admoto, ſine ullo doloris ſenſu, niſi poſtmodum ex vulnere: *m* non autem obtinendo, ſed non ſentiendo non movere corpus, eo probabatur, quòd tanquam in defuncto nullus inveniebatur anhelitus, hominum tamen voces, ſi clarius loquerentur, tanquam de longinquo ſe audiſſe poſtea referebat. Quum itaque corpus etiam nunc quibusdam, licet in carne corruptibili hanc ærumnoſam ducentibus vitam, ita in plerisque motionibus & affectionibus extra uſitatum naturæ modum naturabiliter ſerviat, quid cauſæ eſt, ut non credamus ante inobedientiæ peccatum, corruptionisque ſupplicium, ad propagandam prolem ſine ulla libidine ſervire voluntati humanæ humana membra potuiſſe? Donatus eſt itaque homo ſibi, quia deſeruit Deum placendo ſibi: & non obediens Deo, non potuit obedire nec ſibi. Hinc evidentior miſeria eſt, qua homo non vivit ut vult. Nam ſi ut vellet viveret, beatum ſe putaret: *n* ſed nec ſic tamen eſſet, ſi turpiter viveret.

† al. pudore.

a Pulmones denique ipſi.] *Sic legendum: Pulmones denique ipſi omnium, niſi medullarum, molliſſimi viſcerum, etſi medullæ non ſoleant dici viſcera. Obſervatum eſt, Ciceronem & alios pleroſque doctos, ſemper multitudinis numero pulmones dixiſſe, puto quoniam in geminas vibras eſt ſiſſus, non quòd pulmo etiam non dicatur, ut apud Celſum, & Perſium, & Lactantium.* L. Vives.

b Ad ſpiritum ducendum.] *Nam à pulmone ad os fiſtula protenditur, quam Celſus aſperam nominat, gurgulionem Lactantius in Opificio Dei, per quem ſpiritus ultrò & citrò commeat. Idcirco Ariſt. primo de animalium hiſtoria, officium ejus nihil aliud eſſe dicit, quàm accipere ſpiritum, & reddere.*

c Sunt enim qui & aures moveant.] *Ariſt. ubi homini aures eſſe immobiles dicit, quod intelligendum ſuapte ſponte non agitari, ut in canibus, equis, & aſinis videmus.*

d Quidam voces avium.] *Plutarchus in conviviis meminit cujusdam Parmenonis maximi vocum animantium imitatoris, unde manavit proverbium* οὐδὲν πρὸς τὴν παρμένοντος ὗν, *nihil ad ſuem Parmenonis, quod Eraſmus narrat.*

e Nonnulli ab imo ſine pudore.] *In aliis libris legitur, ſine pedore, q. ſine ſordibus & fœtore id fiat. Talis fuit memoria noſtra in hac terra Germanus quidam in comitatu Maximiliani Cæſaris, & Philippi ejus filii, nec ullum erat carmen, quod non ille crepitibus podicis redderet.*

f Ipſe ſum expertus ſudare hominem.] *Et ipſe Brugis quum proximè tertianis tenerer febribus, quoties ſalutiferum dicebat medicus futurum ſudorem, compreſſo paulisper ſpiritu, ſtragulis opertus ſudabam. Mirabantur qui circunſtabant lectum tam rarum corporis mei texturam, ſed Auguſtinianum ſudatorem magis multò fuiſſent admirati, cui tam facilè erat ſudare, quàm mihi ſpuere.*

g Notum eſt quosdam flere quum volunt.] *Præfica in Italia, & ferè totum genus mulierum.*

h Presbyter f. quidam.] *Simile Plin. lib. 7. de Hermotimo Clazomenio, cujus anima relicto corpore vagari erat ſolita, & quæ in longiſſimis viderat regionibus narrare.*

i In parochia.] *Melius paræcia* παροικία, *q. vicinia, circumhabitatio, à* παροικεῖν. *Sic qui diverſis hemiſphariis, ſed eodem parallelo habitant, paræci à coſmographis nominantur. Parochus verò longè alius eſt ſignificationis, quàm qua nunc uſurpatur pro curione.*

k Calamenſis eccleſiæ.] *Calamiſius oppidum in Italia, Calamo in Phœnicia, de quo credo Auguſtinum loqui: niſi oppidum ſit aliquod in Africa de nomine illius Phœnicis à colonis dictum. Ferè enim illa Africa à Phœnicibus olim eſt poſſeſſa.*

l Ad imitandos quaſi lamentantis.] *In quodam exemplari Brugenſi, bibliotheca Carmelitana habetur: Ad imitatus, in aliis, ad imitatas. Hoc ſignificat imitatum aliquem voces lamentantis, & ſic eum qui audierat phantaſia illa concepta, ſe à corpore ſeparaſſe. Illud alterum ſignificat ipſum imitari ſolitum, & ſic exire corporeos ſenſus.*

m Non autem obtinendo.] *Id eſt, nitendo in ſe, ut quietus jaceret, & immotus ad ſtimulos & ignem.*

n Sed nec ſic tamen eſſet, ſi turpiter viveret.] *Non opinionibus conſiſtit beata vita, ſed re ipſa vera & ſolida, non adumbrata felicitate, & quam ſibi quilibet fingit. Nec beatus ille exiſtimandus eſt haud ignobilis Argis,*

Qui, ut Horat. inquit, *ſe credebat miros audire tragœdos,*
In vacuo ſolus ſeſſor plauſorq; theatro.

E.L.Cap. *a* EA ſola membra moventur ad nutum, quæ compactis articulata ſunt oſſibus.] *In eo conſiſtere naturam articulationis docet Andreas Laurentius lib. 2. hiſtoria anatomica quæſt. 5.* ut oſſium ἄρθρα, *id eſt*, extrema committantur, & ſe ſe tangant, ſive cum motu id fiat, ſive ſine motu, quod nominis, *inquit*, indicat notio:

tio: ἄρθρον cujuscumque oſſis extremitatem qualiscumque illa ſit, denotat, contactus ergo & connexus extremorum propriè articulatio dicitur: *Ubi tamen obſervat, apud veteres ἄρθρου nomen varie uſurpari, & ſæpè pro mobili tantum articulatione. Sic Hippocrati libr. de articul.* ἄρθρα *dicuntur* ἐν οἷσιν αἱ συμβολαὶ τῶν κινουμένων ὀστέων ἐγκυκλέονται, *in quibus oſſium, quæ moventur, compagines ac commiſſuræ vertuntur. Et Galenus lib. de definit. medic.* ἄρθρον *definit* ὀστῶν σύνθεσιν πρὸς τὸ κινεῖσθαι, Oſſium compoſitionem ad motum comparatam, ubi tamen, *inquit*, non negat Galenus dari aliquam articulationem immobilem, ſed quia plures ſunt articulationes cum motu, & illæ in ſenſibus magis conſpicuæ, eas abſolutè & *αὐτονομαστικῶς* articulationes vocat, *& id quidem ut intelligatur D. Auguſtinus, ea membra moveri ad nutum, quæ compactis articulata ſunt oſſibus dicens.*

β Quæ mollibus remiſſa ſunt nervis movemus.] *Nervi à medicis ſenſus & motus organa dicuntur, & motus voluntarii gratia comparatos eſſe nervos docet Hippocrates lib. de oſſ. natura,* τὰ νεῦρα κάμψιν καὶ ξύντασιν καὶ ἔκτασιν παρέχονται, *id eſt*, Nervi flexionem, contractionem ac diſtenſionem præſtant, *quomodo tamen cum cerebro & muſculis ad hoc concurrant, non eſt iſtius loci diſputare fuſius.*

γ Sicut ea quæ ſunt in ore ac facie.] *Cujusmodi ſunt naſus, labia, &c.*

δ Pulmones denique ipſi] *Et pulmo organum ſpirabile & vocale, ſpiritus* ἐργαστήριον, *hauſtum enim aërem excipit, conficit, præparatque cordi,* πνεύμων *Græcis* ἀπὸ τοῦ πνέειν, *quod eſt* reſpirare.

ε Ad ſpiritum ducendum ac remittendum vocemque edendam.] *Pulmonis uſus ſunt varii, iique mirabiles. Plato conſtructum volebat, ut ab eo cor iræ ardore exæſtuans temperaretur; medici pulmonem in ſubſidium pulſationis cordis creatum volunt: externus enim aër in pulmones ceu in thecam reconditur, ut inde paulatim in cor deducatur, qui etiam cordis refrigerandi gratia conſtructum putant: cor namque viſcus calidiſſimum ob continuos & perennes motus æſtu incandeſceret, niſi pulmonum adminiculo quaſi flabello quodam ventilaretur; unde etiam Philoſophi pulmonem cordis flabellum & ventilabrum vocant: Eſt tertius pulmonum uſus ad vocem edendam, & quæ animalia pulmone carent, vocem non edunt; Denique ad aëris præparationem, non enim extraneus aër impurus & de repente irruens fieri poterat interioris ſpiritus conveniens pabulum. Hunc itaque paulatim alterari & familiarem innato ſpiritui qualitatem longiuſcula mora recipere neceſſe erat.*

ζ Sunt enim qui & aures moveant.] *Athenæus lib. 10. ex Epicharmo in Buſiride Herculem deſcripſit,* κινεῖ δ' ἄμφω τὰ ὦτα aurem utramque movet, *In quem locum Caſaubonus.* Iſtud verò plane (*inquit*) communi hominum naturæ contrarium eſt, quibus ἡ πολυποίκιλος τοῦ θεοῦ σοφία aures dedit moveri ſua ſponte neſcias, *narrat tamen Euſtathius, ſacerdotem fuiſſe quendam aures motitantem*; Accepimus autem (*inquit*) à viris fide dignis, viſas manifeſtè aures moveri viro cuidā erudtiſſimo, cùm per Allobrogum fines tranſiens vivi comburi periculum ſibi à magiſtratu imminere intellexiſſet, quod diceretur nefandi criminis reus Tholoſa in Italiam fugere. *Refert & Andreas Veſalius lib. 2. de humani corporis fabrica cap. 13. Patavii duos ſe vidiſſe, unum Forojulienſem, alterum Genuenſem, quibus aures moverentur,*

rentur, & cap. 17. Interdum, *inquit*, quibusdam raris fibris carnalis membranæ, quam carnoſam vocamus, ſupra aures augetur, & modicè auri proximam cutem, & ipſam quoque aurem motu agit arbitrario: *Quin & Andreas Laurentius lib. 11. hiſtor. anatom. cap. 12. ſcribit, ſe in quibusdam obſervaſſe aures moveri, idque exiguorum muſculorum opera fieri exiſtimandum ſcribit, & Valvardus lib. 2. Anatomes corporis humani cap. 2. refert, ſe Romæ vidiſſe Hiſpalenſem quendam, cui nomen erat Manſiglio, qui aurem moveret, id certè rarum, cum ſcribat Ariſtoteles lib. 1. de hiſt. animal. cap. 11. aures homini tantum immobiles. Ibidem*, Unus homo aurem non movet.

a Quidam voces avium pecorumque.] *Nonnulli ita ſcitè varias animantium & hominum voces imitantur ac repræſentant, ut audientibus tantùm non etiam videntibus vera, non imitata voces videantur. Ita Plutarchus in Sympoſia. deca 5. problemat. 2. de quodam Parmenone refert, qui vocem animantium & ſuis ſoleret mirabiliter effingere. Unde etiam natum proverbium,* οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν, Nihil ad Parmenidis ſuem. *Meminit idem in commentariis de audiendis Poetis Parmenonis ac ſuis adumbrata.*

Cap. XXV.

De vera beatitudine, quam temporalis vita non obtinet.

QUanquam ſi diligentiùs attendamus, niſi beatus, non vivit ut vult: & nullus beatus, niſi juſtus. Sed etiam ipſe juſtus non vivit ut vult, niſi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non poſſit: *a* eique ſit certum, ita ſemper futurum. Hoc enim natura expetit: nec plenè atque perfectè beata erit, niſi adepta quod expetit. Nunc verò quis hominum poteſt ut vult vivere, quando ipſum vivere non eſt in poteſtate? Vivere enim vult, mori cogitur. Quomodo ergo vivit ut vult, qui non vivit, quandiu vult? Quòd ſi mori voluerit, quomodo poteſt ut vult vivere, qui non vult vivere: & ſi ideò mori velit, non quo nolit vivere, ſed ut poſt mortem melius poſſit vivere. Nondum ergò ut vult vivit, ſed β quum ad id quod vult, moriendo pervenerit. Verum ecce vivat ut vult, *a* quoniam extorſit ſibique imperavit, non velle quod non poteſt: atque hoc velle quod poteſt, ſicut ait Terentius:

γ *b Quoniam non poteſt id fieri quod vis, id velis quod poſſis.*

Non tamen ideò beatus eſt, quia patienter miſer eſt. Beata quippe vita ſi non amatur, non habetur. Porrò ſi amatur & habetur, cæteris omnibus rebus excellentius neceſſe eſt ametur: quoniam δ propter hanc amandum eſt, quicquid aliud amatur. Porrò ſi tantum amatur, quantum amari digna eſt: non enim beatus eſt, à quo ipſa beata vita non amatur, ut digna eſt: fieri non poteſt, ut eam qui ſic amat, non æternam velit. Tunc igitur beata erit, quando erit æterna.

L. Vives. *a* QUoniam ſe extorſit, qui ſibi imperavit.] *Legendum ſic: Quoniam ſibi extorſit, ſibiq; imperavit, non velle quod non poteſt.*

b Quoniam non poteſt id fieri quod vis, id velis quod poſſis.] *Vetus hoc fuiſſe verbum Plato ſcribit in libro de repub.*

a EIque ſit certum, ita ſemper futurum.] *Securitas enim & hujusmodi certitudo eſt de ratione beatitudinis.* I.L.Cap.

β Cùm ad id quod vult, moriendo pervenerit.] *Non igitur poteſt in hac vita vera obtineri beatitudo; unde in Concilio Viennenſi, ut refertur in Clementina ad noſtram de hæreticis, inter alios errores Begardorum & Beguinarum hic damnatus eſt, quo aſſerebant, poſſe hominem in hac vita conſequi veram beatitudinem. Alphonſus à Caſtro lib. 3. contra hæreſes, v. beatitudo, hæreſi 4.*

γ Quoniam non poteſt id fieri quod vis, id velis quod poſſis.] *Ita Baſilius in quadam Epiſtola,* ὁ μὲν οὖν ὁ στωικὸς λόγος, ἐπειδή φησι μὴ γίνεται πράγματα ὡς βουλόμεθα, ὡς γίνεται βουλόμεθα, ubi res ex animi noſtri ſententia non ſuccedunt, voluntas ipſis rebus accommodanda eſt.

δ Propter hanc amandum eſt quicquid aliud amatur.] *Eſt enim beatitudo objectum ultimum noſtræ voluntatis, quam ultimo ſibi proponit, & ob quam cætera amari debent, & ultimus finis ita ſe habet in movendo voluntatem, ſicut ſe habet in aliis motionibus primum movens; At cauſæ ſecundæ moventes non movent niſi prout moventur à primo movente; ſic igitur ſecunda appetibilia non movent appetitum, neque cadunt ſub voluntatem, niſi in ordine ad primum appetibile, quod eſt ultimus finis, nempe beatitudo ipſa. Ita D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 6.*

CAP. XXVI.

Quòd felicitas in paradiſo viventium ſine erubeſcendo appetitu generandis officium credenda ſit implere potuiſſe.

VIvebat itaque *a* homo in paradiſo ſicut volebat, quamdiu volebat, quod Deus juſſerat: vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: vivebat ſine ulla egeſtate, ita ſemper vivere habens in poteſtate. Cibus aderat, ne eſuriret: potus, ne ſitiret: lignum vitæ, ne illum ſenecta diſſolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas moleſtias ullis ejus ſenſibus ingerebat. Nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus. Summa in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiſo nullus æſtus aut frigus, ſic in ejus habitatione nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluptatis offenſio. Nihil omnino triſte, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetuebatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta: atque inter ſe conjugum fida ex honeſto amore ſocietas, concors mentis corporisque vigilia, & mandati ſine labore cuſtodia. Non laſſitudo fatigabat otioſum, non ſomnus premebat invitum. In tanta facilitate rerum, & felicitate hominum, *β* abſit ut ſuſpicemur, non potuiſſe prolem ſeri ſine libidinis morbo: ſed eo voluntatis nutu moverentur illa membra quo cætera, & ſine ardoris illecebroſo ſtimulo cum tranquillitate animi & corporis *a γ* nulla corruptione integritatis *b δ* infunderetur gremio maritus uxoris. Neque enim quia experientia probari non poteſt, ideò credendum non eſt: quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, ſed ſpontanea poteſtas ſicut opus eſſet adhiberet: ita tunc potuiſſe utero conjugis ſalva integritate fœminei geni-

nitalis virile ſemen immitti: ſicut nunc poteſt eadem integritate ſalva *c* ex utero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti. Eadem quippe via poſſet illud injici, qua hoc poteſt ejici. *e* Ut enim ad pariendum non doloris gemitus, *d* ſed maturitatis impulſus fœminea viſcera relaxaret, ſic ad fœtandum & concipiendum non libidinis appetitus, ſed voluntarius uſus naturam utramque conjungeret. De rebus loquimur nunc pudendis, & ideo quamvis antequam earum puderet, quales eſſe potuiſſent conjiciamus ut poſſumus: tamen neceſſe eſt, ut noſtra diſputatio magis frænetur ea, quæ nos revocat verecundia, quàm eloquentia, quæ nobis parum ſuppetit, adjuvetur. Nam cum id quod dico, nec ipſi experti fuerint, qui experiri potuerunt: quoniam præoccupante peccato exilium de paradiſo antè meruerunt, quàm in opere ferendæ propaginis tranquillo arbitrio convenirent: quomodo nunc cùm iſta commemorantur, ſenſibus occurrit humanis, niſi experientia libidinis turbidæ, non conjectura placidæ voluntatis? Hinc eſt quod impedit loquentem pudor, etſi non deficiat ratio cogitantem. Veruntamen omnipotenti Deo ſummo, ac ſummè bono creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori ac remuneratori, malarum autem relictori & damnatori, utrarumque ordinatori, non defuit utique conſilium, quo *ζ* certum numerum civium ſua ſapientia prædeſtinatum etiam ex damnato genere humano ſuæ civitatis impleret: *η* non eos jam meritis, quandoquidem univerſa maſſa tanquam in vitiata radice damnata eſt, ſed gratia diſcernens, & libertatis non ſolum de ſeipſis, verum etiam de non liberatis, quid eis largiatur, oſtendens. Non enim debita, ſed *θ* gratuita bonitate tunc ſe quiſque agnoſcit erutum à malis: cùm ab eorum hominum conſortio fit immunis, cum quibus illi juſta eſſet pœna communis. Cur ergo non crearet Deus, quos peccaturos eſſe præſcivit: quandoquidem in eis & ex eis, & quid eorum culpa mereretur, & quid ſua gratia donaretur, poſſet oſtendere: nec ſub illo creatore ac diſpoſitore perverſa inordinatio delinquentium, rectum perverteret ordinem rerum?

L. Vive. *a* NUlla corruptione integritatis.] *Quid ergo? non aperta fuiſſet bulga? dicunt Thomas & Bonaventura: quam ſolvi quoque in puerperio neceſſe erat, nam non ſe corpora penetraſſent. Neque hæc eſt corruptio integritatis, non ſecus quàm aperiri os. Ex animo enim omnis pendet integritas. Alii in partu bulgam patere ſinunt, in concubitu clauſam retinent: non ſecus quàm cùm defluit menſtruus cruor, qui haud dubiè cum Auguſtino videntur ſentire.*

b Infunderetur gremio maritus uxoris.] *Vergiliana imitatio libro octavo Æneidos de Vulcano & Venere:*

Optatos dedit amplexus, placidumq; petivit
Conjugis infuſus gremio per membra ſoporem.

c Ex utero virginis fluxus menſtrui.] *Id contingit, cùm pubeſcere incipiunt, & ubera exurgere: Similisq; eſt is cruor menſtruus animalis recens occiſi, contingitq; menſibus ſingulis lunaribus plus minus: aliis enim tardius, aliis celerius, ideo menſtruus dicitur. De hoc Ariſtoteles lib. 7. Hiſtoria animalium.*

d Sed

d Sed maturitatis impulſus.] *Nam nunc etiam maturitas illa pariendi extendit atque aperit oſſa pectinis, quæ alio tempore vix disjungeret ſecuris validè impacta: ſed nunc cum ingenti cr. itu, tunc ſine dolore.*

α Vivebat itaque homo in Paradiſo.] *Fœlicitatem hominis in paradiſo, & amœnitatem ac præſtantiam illius loci, & omnium bonorum homini optabilium abundantiam deſcribit; quem etiam lib. 8. de Geneſ. ad liter. cap. 1. vocat locum amœniſſimum, fructuoſis nemoribus opacum, eundemque magnum & magno fonte fœcundum. Similis eſt deſcriptio paradiſi apud D. Baſilium homilia de paradiſo, & apud D. Damaſcenum lib. 2. de fide Orthodox. cap. 11.* F.L.Cog.

β Abſit ut ſuſpicemur, non potuiſſe prolem fieri ſine libidinis morbo.] *Falsò igitur exiſtimarunt aliqui, ob turpitudinem libidinis & concupiſcentiæ effrenatæ non fuiſſe futuram in paradiſo generationem per coitum, ſiquidem ſine inordinata illa concupiſcentia & libidine fuiſſet coitus. Ut enim docet egregiè D. Thomas 1. p. q. 98. art. 2.* In coitu duo ſunt conſideranda ſecundùm præſentem ſtatum, unum quod naturæ eſt, ſcilicet maris atque fœminæ conjunctio ad generandum. In omni enim generatione requiritur virtus activa & paſſiva. Unde cùm in omnibus, in quibus eſt diſtinctio ſexuum, virtus activa ſit in mare, virtus vero paſſiva ſit in fœmina, naturæ ordo exigit ut ad generandum conveniant per coitum mas & fœmina. Aliud autem quod conſiderari poteſt, eſt quædam deformitas immoderatæ concupiſcentiæ, quæ in ſtatu innocentiæ non fuiſſet, quando inferiores vires omnino rationi ſubdebantur. *Ubi etiam hic locus D. Auguſtini citatur.*

γ Nulla corruptione integritatis.] *Quod ſcribit, futuram in ſtatu innocentiæ generationem prolis ſine ulla corruptione integritatis mulieris, & violatione ſignaculi virginalis, & lib. 2. de peccat. original. cap. 3. id tamen non eſt certum adeò & ut ſcribit Pererius libr. 4. comment. in Geneſim, id majorem habet admirationem quàm fidem. Authoritate tamen hujus capitis adductus D. Thomas videtur etiam ſignificare, in ſtatu innocentiæ virginalem integritatem ad commiſtionem viri & fœminæ nequaquam corruptum iri: cùm in 1. p. qu. 98. art. 2. quarto loco hoc ſibi argumentum objeciſſet. In ſtatu innocentiæ nullam fore corruptionem, at per coitum corrumpi integritatem virginalem, coitum igitur in ſtatu innocentiæ minimè futurum. huic objectioni ſic occurrit.* Ad quartum dicendum, quod ſicut dicit D. Auguſtinus lib. 14. de civitat Dei, in illo ſtatu cum nulla corruptione integritatis infunderetur maritus gremio uxoris, *& utitur ſimilitudine Auguſtini.* Ita enim potuit, *inquit*, utero conjugis, ſalva integritate fœminei genitalis virile ſemen immitti, ſicut nunc pòſt eadem integritate ſalva ex utero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti. *Impugnat Pererius ſententiam D. Thomæ. Molina de opere ſex dierum diſputat. 29. ſic explicat, per coitum & partum aperiendum quidem virginitatis clauſtrum, nec enim tunc fuiſſet corporum penetratio, ſine diſruptione tamen per ſolam dilatationem. Quare manſiſſet clauſtrum integrum, id eſt, non diſruptum & diſcuſſum, apertum tamen; per coitum ergo in innocentiæ ſtatu virginitas amitteretur, quia de ratione virginitatis eſt non ſolum integritas, id eſt, non diſruptio clauſtri, ſed etiam inexperientia coitus, actusque venerei, clauſtrumque ea de cauſa non aperiri.*

viri. Solius enim Deiparæ fuit proprium, concipere & parere ſine ulla prorſus virginitatis jactura; egreſſus quippe filii ex ſanctiſſimo illius utero fuit etiam ſine ulla apertione ac dilatatione clauſtri virginalis per penetrationem corporum ita vero non fuiſſet in ſtatu innocentiæ.

δ Infunderetur maritus gremio uxoris.] *Imitatio Virgiliana 8. Æneidos.*

Conjugis infuſus gremio.

Sic puris honeſtisque verbis venerandum illud concubii pudici ſecretum ſignificavit: Apud Agellium libr. 9. cap. decimo, Ammianus poeta & plerique cum eo ejusdem muſæ viri ſummis aſſiduisque laudibus Virgilii verſus ferebant, quibus Vulcanum & Venerem junctos mixtosque jure conjugii, *id eſt*, rem lege naturæ operiendam verecunda quadam translatione verborum, cum oſtenderet demonſtraretque, protexit:

——— ea verba locutus
Optatos dedit amplexus, placidumque petivit.
Conjugis infuſus gremio per membra ſoporem.

Ex utero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti.] *Tradit Ariſtoteles, initium menſtruorum fieri in principio pubertatis, id autem eſt ab anno 14. ad 17. de ſanguine menſtruo Ariſtoteles lib. 7. de hiſtoria animal cap. 17.*

ε Ad pariendum non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus.] *Equidem naturale eſt mulieri, cum dolore & labore filios parere, ſiquidem naturalis uteri meatus anguſtior eſt, quàm ut per eum fœtus poſſit facile exire; unde clauſtra uteri præter naturalem ejus conſtitutionem vehementer laxari ac dilatari neceſſe eſt, quod ſine ingenti dolore fieri nequit: & Scriptura ſacra magnitudinem alicujus doloris cum exaggerare vult, aſſimilat eum doloribus parientium, & Chriſtus Joan. 16.* Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus. *Si verò naturale eſt mulieri, parere cum dolore, quomodo Deus dicitur inflixiſſe eam pœnam peccato Evæ? Certè id non niſi in ſingulare quoddam beneficium referendum eſt, quo Deus in ſtatu innocentiæ mulierem ipſam omni dolore partus liberaſſet, feciſſetque ut fœtum & ſine labore ac moleſtia in utero gereret, & ſine ullo doloris ſenſu in lucem ederet, quo Dei beneficio ob peccatum mulier privata doloribus partus obnoxia fuit, atque ut mors quidem in ſtatu innocentiæ naturalis erat homini, ſingulari tamen Dei beneficio immortalis erat, & mors propter peccatum inflicta eſt, ut jam ſubeat rationem pœnæ peccati, ita de doloribus partus comparatione mulieris ſentiendum.*

ζ Certum numerum civium ſua ſapientia prædeſtinatum.] *Certus enim eſt numerus prædeſtinatorum in ſuperna fœlicicitate locandus, non modo verò certus & definitus formaliter, ſed & materialiter, id eſt, certum, tot numero ſalvandos, & qui præterea ex toto hominum ordine ſalvandi ſint; atque hi ſunt,* quos prædeſtinavit conformes fieri imagini filii Dei. *Rom. 8.*

η Non eos jam meritis.] *Unde conſtat, merita præviſa non eſſe cauſam prædeſtinationis, imò magis effectus, nec ex operibus, ſed ex vocatione dictum eſt, Jacob dilexi; quod ex eadem maſſa faciat aliud vas in honorem, in bonitatem Dei refert Apoſtolus Rom 9.*

θ Gra-

δ Gratuita bonitate tunc ſe quisque agnoſcit erutum à malis.] *Sic in Enchiridio ad Laurentium cap. 99.* Sola gratia redemptos diſcernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat maſſam ab origine ducta cauſa communis. *quò refertur illud Apoſtoli,* quis enim te diſcernit? *& cætera.* Univerſum humanum genus tam juſto judicio divino in apoſtatica radice damnatum, ut etiamſi nullus inde liberaretur, nemo rectè poſſet Dei vituperare juſtitiam, & qui liberantur ſic oportuiſſe liberari, ut ex pluribus non liberatis atque in damnatione juſtiſſima derelictis oſtenderetur, quod meruiſſet univerſa conſperſio, & quòd etiam juſtos debitum judicium Dei duceret, niſi ejus indebita miſericordia ſubveniret. *Idem ſcribit lib. de corrept. & grat. cap. 10.*

CAP. XXVII.

De peccatoribus, & angelis, & hominibus, quorum perverſitas non perturbat providentiam Dei.

PRoinde peccatores & angeli & homines nihil agunt, quo impediantur *magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus.* Quoniam qui providen- *Pſ. 110.*
ter atque omnipotenter ſua cuique diſtribuit, non ſolum bonis, verùm etiam malis benè uti novit. Ac per hoc propter meritum primæ malæ voluntatis ita damnato atque obdurato angelo malo, ut jam bonam voluntatem ulterius non haberet benè utens Deus, β cur non permitteret, ut ab illo primus homo, qui rectus, hoc eſt, bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur: quandoquidem ſic erat inſtitutus, ut ſi de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret: ſi autem creatorem atque adjutorem Deum ſuperbè ſibi placendo deſereret, vinceretur: meritum bonum habens in adjuta divinitus voluntate recta: malum verò in deſerente Deum voluntate perverſa: quia & ipſum fidere de adjutorio Dei, non quidem poſſet ſine adjutorio Dei, nec tamen ideo ab his divinæ gratiæ beneficiis ſibi placendo, recedere non habebat in poteſtate? γ Nam ſicut in hac carne vivere ſine adjumentis alimentorum, in poteſtate non eſt: non autem in ea vivere in poteſtate eſt: quod faciunt qui ſeipſos necant: ita bene vivere ſine adjutorio Dei, etiam in paradiſo, non erat in poteſtate: erat autem in poteſtate malè vivere, ſed beatitudine non permanſura, & pœna juſtiſſima ſecutura. Quum igitur hujus futuri caſus humani Deus non eſſet ignarus, cur eum non ſineret invidi angeli malignitate tentari? nullo modo quidem quòd vinceretur incertus: ſed nihilominus præſcius, quod ab ejus ſemine adjuto ſua gratia idem ipſe diabolus fuerat ſanctorum gloria majore vincendus. Ita factum eſt, ut nec Deum aliquid futurorum lateret, nec præſciendo quenquam peccare compelleret: & quid intereſſet inter propriam cujusque præſumptionem, & ſuam tuitionem, angelicæ & humanæ rationali creaturæ, conſequenti experientia demonſtraret. Quis enim audeat credere aut dicere, ut neque angelus neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe? Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre: atque ita quantum mali eorum ſuperbia, & quantum boni ſua gratia valeret, oſtendere.

P.L. Cap. α Nihil agunt quo impediantur magna opera domini.] *Nihil enim fit contra voluntatem Dei, nihil recedere poteſt ab ordine divinæ providentiæ, & ſi creatura recedat à voluntate divina uno modo, alio modo fit de ea voluntas divina. Quod ſcribit in Enchiridio ad Laurentium cap. 100.* Hæc ſunt magna opera domini exquiſita in omnes voluntates ejus, & tam ſapienter exquiſita, ut cùm Angelica & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa, feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt quod noluit, impleret ipſe quod voluit, benè utens & malis tanquam ſummè bonus ad eorum damnationem, quos juſte prædeſtinavit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos attinet, quod Deus noluit, fecerunt, quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipſo quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas ejus; propterea namque magna opera domini exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem, quia non fieret, ſi non ſineret, nec utique nolens ſinit, ſed volens, nec ſineret bono fieri male, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè.

β Cur non permitteret ut ab illo primus Homo tentaretur.] *Eandem quæſtionem movet lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 5.* Si quæratur, cur Deus hominem tentari permiſerit, quem tentatori conſenſurum eſſe præſciebat, altitudinem *(inquit)* conſilii ejus penetrare non poſſum, & longè ſupra vires meas hoc eſſe confiteor. Eſt ergo aliqua cauſa fortaſſis occultior, quæ melioribus ſanctioribusque reſervatur, illius gratia potius quàm meritis eorum, ſed tamen quantum vel donat ſapere, vel ſinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis fuiſſe hominem, ſi propterea poſſet bene vivere, quia nemo male vivere ſuaderet. *poſt.* Cur itaque tentari non ſineret, quem conſenſurum eſſe ipſe præſciebat, cum id facturus eſſet propria voluntate per culpam, & ordinandus eſſet illius æquitate per pœnam, ut etiam ſic oſtenderet animæ ſuperbæ ad eruditionem futurorum ſanctorum, quàm recte ipſe uteretur animarum voluntatibus etiam malis, cum illæ perverſæ uterentur naturis bonis? *& capite ſexto:* Sic quidam moventur *(inquit)* de hac primi hominis tentatione, quod eam fieri permiſerit Deus, quaſi nunc non videant univerſum genus humanum diaboli inſidiis ſine ceſſatione tentari. Cur & permittit Deus? An quia probatur & exercetur virtus, & eſt palma glorioſior non conſenſiſſe tentatum, quàm non potuiſſe tentari? *Idem lib. de corrept. & gratia cap. 10.* Deus igitur permiſit hominem tentari, quem ſciebat eſſe caſurum, quia ſimul videbat ſe eo caſu uti poſſe ad miſericordiam & juſtitiam declarandam, dum ex damnata maſſa alios juſte puniet, alios miſericorditer liberabit.

γ Nam ſicut in hac carne vivere ſine adjumẽtis alimentorũ.] *Confert ipſã gratiã collatã Adamo cum ipſis alimentis, quod & facit lib. de corrept. & grat. cap 11 & 12. ubi docet, eam gratiã collatã fuiſſe Adamo, qua poſſet perſeverare ſi vellet, non tamen, qua perſeveraret in gratiã.* Diſtinguenda *(inquit)* ſunt ipſa adjutoria; aliud eſt adjutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit. Nam ſine alimentis

mentis non poſſumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. *poſt.* Alimenta verò non conſequenter faciunt ut homo vivat, ſed tamen ſine illis non poteſt vivere. Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt donum perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.

CAP. XXVIII.

De qualitate duarum civitatum, terrenæ atque cœleſtis.

FEcerunt *a* itaque civitates duas, amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui usque ad contemptum Dei: cœleſtem verò amor Dei uſque ad contemptum ſui. Denique *β* illa in ſeipſa, hæc in Domino gloriatur. Illa enim quærit ab hominibus gloriam, huic autem Deus conſcientiæ teſtis maxima eſt gloria. Illa in gloria ſua exaltat caput ſuum, hæc dicit Deo ſuo: *Gloria mea, & exaltans caput meum.* Pſ. 3. Illi in principibus ejus, vel in eis quas ſubjugat nationibus dominandi libido dominatur: in hac *γ* ſerviunt invicem in charitate, *a δ* & præpoſiti conſulendo, & ſubditi obtemperando. Illa in ſuis potentibus diligit virtutem ſuam, hæc dicit Deo ſuo: *Diligam te Domine virtus mea.* Ideoque in illa ſapientes ejus Pſ. 17. ſecundùm hominem viventes aut corporis aut animi ſui bona aut utriusque ſectati ſunt, aut qui potuerunt cognoſcere Deum, *non ut Deum honoraverunt*, vel gratias *egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim, ſe eſſe ſapientes,* id eſt, dominante ſibi ſuperbia in ſua ſapientia ſeſe extollentes, *ſtulti facti ſunt: & immutaverũt gloriã incorruptibilis Dei* Rom. 1. *in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis hominis & volucrũ, & quadrupedum, & ſerpentium.* Ad hujuscemodi enim ſimulachra adoranda *b* vel duces populorum vel ſectatores fuerunt, & coluerunt atque ſervierunt creaturæ potius quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula. *ζ* In hac autem *c* nulla eſt hominis ſapientia, niſi pietas qua rectè colitur verus Deus, id eſt, expectans præmium in ſocietate ſanctorũ: 1. Cor 15. non ſolùm hominum, verùm etiam angelorum, *ut ſit Deus omnia in omnibus.*

a ET præpoſiti conſulendo, & ſubditi obtemperando.] *Quàm ſcitè duobus verbis optimam reipublicæ formam, multis verbis ab aliis deſcriptam, expreſſit, ubi magiſtratus non regunt, non imperant, ſed velut in excelſiore poſiti ſpecula inferioribus conſulunt. Unde dicti ſunt veteres illi conſules: & ſubditi non obluctantur, nec detrectant conſilia, ſed modeſtè & ſedulo exequuntur.* L. Vives.

b Vel duces populorum, vel ſectatores.] *Alii ex poetis & philoſophis magnorum in populo errorum fuerunt magiſtri: alii populo autore & magiſtro inveteratos errores ſunt ſubſequuti.*

c Nullà eſt hominis ſapientia niſi pietas.] *Non philoſophia, non eloquentia, non reli-*

reliquæ artes & diſciplinæ mundo præclaræ atque admirabirabiles, unica hic eſt ars noſſe & colere Deum.

α FEcerunt itaque civitates duas amores duo.] *Ita de utroque amore ſcribit lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 15.* Hi duo amores, quorum alter ſanctus eſt. alter immundus; alter ſocialis, alter privatus; alter communi utilitati conſulens propter ſupernam ſocietatem; alter etiam rem communem in poteſtatem propriam redigens propter arrogantem dominationem; alter ſubditus, alter æmulus Deo; alter tranquillus, alter turbulentus; alter pacificus, alter ſeditioſus; alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoquomodo laudis avidus; alter amicabilis, alter invidus; alter hoc volens proximo quod ſibi, alter ſubjicere proximum ſibi: alter propter proximi utilitatem regens proximum: alter propter ſuam: præceſſerunt in Angelis, alter in bonis, alter in malis, & diſtinxerunt conditas in genere humano duas civitates ſub admirabili & ineffabili providentia Dei cuncta, quæ creata ſunt adminiſtrantis & ordinantis: alteram juſtorum, alteram iniquorum. quarum etiam quadam temporali commixtione peragitur ſæculum, donec ultimo judicio ſeparentur, & altera conjuncta Angelis bonis in Rege ſuo vitam conſequatur æternam, altera conjuncta Angelis malis in ignem cum rege ſuo mittatur æternum. *Idem in Pſal. 64.* duas civitates faciunt amores duo, Hieruſalem facit amor Dei, Babylonem facit amor ſæculi.

β Illa in ſeipſa, hæc in domino gloriatur] *Juſti enim, qui ædificant civitatem Dei amantes ipſum uſque ad contemptum ſui, ſciunt ſe nihil habere, quod à Deo non acceperint, unde glorientur, non habent gloriam ſuam niſi ipſum, cui dicunt Pſal 3.* Gloria mea & exaltans caput meum: *ad juſtos illud pertinere norunt.* Qui gloriatur, in domino glorietur.

γ Serviunt ſe invicem in charitate.] *Reſpicit ad illud Gal. 5.* per charitatem ſpiritus ſervite invicem.

δ Et præpoſiti conſulendo, & ſubditi obtemperando.] *Hæc certè eſt optima Reipublicæ forma, quam Chriſtus inſtituit, non enim exiſtimare debet qui præeſt Dei Eccleſiæ, ſe poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente fælicem. 1. Pet. 5.* Non ſicut dominantes in clero, ſed ſicut forma facti gregis: *atque in Republica Chriſtiana ſic affecti debent eſſe, quibus incumbit ex officio alios regere,* Ut, *quod dixit alibi D. Auguſtinus,* officio conſulendi, non libidine dominandi aliis præſint, & magis in aliorum utilitatem, quàm propriam incumbant, *Sintque paſtores populorum. quo epitheto reges ipſos honorat Homerus.*

ε Vel duces populorum vel ſectatores fuerunt.] *Libro de Spir. & lit. cap. 11. vitio ſuperbiæ & gloriatione vitioſa de ſuperbia veniente magnos quoſdam viros (Philoſophos intelligit) repulſos à divinæ ſtabilitate ſubſtantiæ, ad idololatriæ dedecus defluxiſſe ſcribit; & quemadmodum videmus nonnullos in apertiſſima luce Evangelii, Scripturæ ſacræ, fidei Catholicæ,* (ſanctæ Eccleſiæ Romanæ)* *denſiſſima caligine occupatos ad hæreſes delabi, poſthabita Chriſti & Apoſtolorum ſaluberrima & ſanctiſſima doctrina, impiorum ac fanaticorum hominum dogmata amplecti, certè non ſecus mihi feciſſe videntur ſapientes illi mundi, qui cum profiterentur ſapientiam,*

& rerum

& rerum viſibilium cognitione in divinitatis notitiam facilè conſcendere potuiſſent, idola tamen coluere, & falſas religiones amplexi ſunt.

ζ In hac autem nulla eſt hominis ſapientia niſi pietas.] *Ita ſcribit lib. de ſpirit. & lit. cap. 11.* Pietas *(inquit)* eſt vera ſapientia, *pietatem dico, quam Græci θεοσέβειαν vocant: Ipſa quippe commendata eſt, cum dictum eſt homini, quod in libro Job legitur: Ecce pietas & ſapientia θεοσέβεια. Porrò ſi ad verbi originem Latinè expreſſam exponeretur, Dei cultus dici poterat, qui in hoc maximè conſtitutus eſt, ut anima ei non ſit ingrata: definit eam Euſebius lib. 1. de præpar. Evang. cap. 1.* ἀνένδοτον πρὸς τὸν ἕνα καὶ μόνον ὡς ἀληθῶς ὁμολογούμενον καὶ ὄντα θεὸν καὶ τὴν κατὰ τοῦτον ζωήν, firmam ſtabilemque converſionem animi ad unum ſolum & verum Deum, & vitam quæ juxta illum peragitur.

DIVI AURELII AUGUSTINI
EPISCOPI
AD MARCELLINUM
DE CIVITATE DEI
LIBER XV.

CAP. I.

De duobus ordinibus generationis humanæ, in diverſos fines ab initio procurrentis.

DE felicitate paradiſi, vel de ipſo paradiſo, & de vita ibi primorum hominum eorumque peccato atque ſupplicio, multi multa ſenſerunt, multa dixerunt, multa literis mandaverunt. Nos quoque ſecundùm ſcripturas ſanctas, vel quod in eis legimus, vel quod ex eis intelligere potuimus, earum congruentes autoritati, de his rebus in ſuperioribus libris diximus. Enucleatius autem ſi iſta quærantur, multiplices atque multimodas pariunt diſputationes, quæ pluribus intexendæ ſunt voluminibus, quàm hoc opus tempuſque depoſcit. Quod non ita largum habemus, ut in omnibus quæ poſſunt requirere ocioſi & ſcrupuloſi, paratiores ad interrogandum, quàm capaciores ad intelligendum, nos oporteat immorari. Arbitror tamen, ſatis nos jam feciſſe magnis & difficillimis quæſtionibus de initio vel mundi, vel animæ, vel ipſius generis humani, quod in duo genera diſtribuimus: unum eorum qui ſecundùm hominem, alterum eorum qui ſecundùm Deum vivunt. Quas etiam myſticè appellamus civitates duas: hoc eſt, duas civitates hominum, quarum eſt una, quæ prædeſtinata eſt in æternum regnare cum Deo: *α* altera æternum ſupplicium ſubire cum diabolo. Sed iſte finis eſt earum, de quo pòſt loquendum eſt. Nunc autem quoniam *β* de exortu earum ſive in angelis, *γ* quorum numerus ignoratur à nobis, ſive in duobus primis hominibus, ſatis dictum eſt: jam mihi videtur earum aggrediendus excurſus,

ſus, ex quo illi duo generare cœperunt, donec homines generare ceſſabunt. hoc enim univerſum tempus, ſive ſeculum, in quo cedunt morientes, ſuccedúntque naſcentes, iſtarum duarum civitatum de quibus diſputamus, excurſus eſt. δ Natus eſt igitur prior Cain ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominum civitatem: poſterior Abel ad civitatem Dei. ε Sicut enim in uno homine quod dixit Apoſtolus, experimur, quia non primum quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, poſtea ſpiritale: unde unuſquiſque quoniam ex † damnata propagine exoritur, primò ſit neceſſe eſt ex Adam malus atque carnalis: quòd ſi in Chriſto renaſcendo profecerit, poſtea erit bonus & ſpiritalis: ſic in univerſo genere humano cum primum duæ iſtæ cœperunt naſcendo atque moriendo procurrere civitates, prior eſt natus civis hujus ſeculi. poſterior autem iſto peregrinus in ſeculo, & pertinens ad civitatem Dei, gratia prædeſtinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorſum, gratia civis ſurſum. nam quantum ad ipſum attinet, ex eadem maſſa oritur, quæ originaliter eſt tota damnata: ſed ζ tanquam figulus Deus (hanc enim ſimilitudinem prudenter introducit Apoſtolus) ex eadem maſſa η fecit *aliud vas in honorem, aliud in contumeliam*. Prius autem factum eſt vas in contumeliam, pòſt verò alterum in honorem: quia & in ipſo uno, ſicut jam dixi, homine prius eſt reprobum, unde neceſſe eſt incipiamus, & ubi non eſt neceſſe ut remaneamus: poſterius verò probum, quò proficientes veniamus, & quò pervenientes maneamus. Proinde non quidem omnis homo malus erit bonus, nemo tamen erit bonus, qui non erat malus: ſed quanto quiſque citius mutatur in melius, hoc in ſe facit nominari quod apprehendit celerius, & poſteriori cooperit vocabulum prius. Scriptum eſt itaque de Cain, quòd condidit civitatem. Abel autem tanquam peregrinus non condidit. Superna eſt enim ſanctorum civitas, quamvis hic pariat cives, in quibus peregrinatur, donec regni ejus tempus adveniat, cùm congregatura eſt omnes in ſuis corporibus reſurgentes, quando eis promiſſum dabitur regnum, ubi cum ſuo principe rege ſeculorum ſine ullo temporis fine regnabunt.

Gen. 4. *al. Adā natā.* *Rom. 9.* *Matth. 25.*

L. Coq. α ALtera æternum ſupplicium ſubire cum Diabolo.] *Etſi recepto uſu Theologorum non niſi electi à Deo ad gloriam prædeſtinati dicantur, quemadmodum reprobi præſciti, nihilominus hoc nomen prædeſtinatio apud ſanctos Patres nonnunquam de reprobis dicitur & ſumitur.* Pro judicio malorum hominum, qui propter peccata prædeſtinati ſunt ad gehennam: *ita hoc loco ſcribit* duarum civitatum, *i. e. duarum hominum ſocietatum*, alteram prædeſtinatam eſſe in æternum regnare cum Deo, alteram æternum ſupplicium ſubire cum Diabolo. *& infra lib. 21. c. 24 reprobos vocat*, prædeſtinatos in æternum ignem ire cum Diabolo, *& lib. 22. c. 24. nominat*, prædeſtinatos ad mortem, *& in Enchiridio cap. 100. dicit*, Deum malos juſtè prædeſtinaſſe ad pœnam, & bonos benignè prædeſtinaſſe ad gratiam. *& Fulgentius cum ſciſcitaretur eum Monimus de quibusdam verbis D. Auguſtini lib. de perfectione juſtitiæ, ubi ſcribit, genus hominum eſſe tale, quod non faciat bonum, illud itaque prædeſtinatum eſſe ad interitum, reſpondet lib. 1. ad eundem cap. 5. apud Auguſtinum intelligendum eſſe*, prædeſtinatos quidem eſſe ad interi-

teritum ſupplicii, non tamen delicti, neque ad malum, quod injuſtè admittunt, ſed ad cruciatum, quem juſtiſſimè patiuntur. *Sic Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 6. dicit, aliquos eſſe in malum finem prædeſtinatos.* Gemina, *inquit*, prædeſtinatio, ſive electorum ad requiem, ſive reproborum ad mortem: *& Conc. Triden. ſeſſ. 6. can. 17. reprobos vocat*, prædeſtinatos ad malum.

β De exortu earum ſive in Angelis.] *Unde Eccleſia cœpit ab Angelis prout fuere primi fideles, & prout quodam modo conſtituitur unum corpus myſticum Eccleſiæ ex Angelis & hominibus, cujus caput ſit ipſe Chriſtus, Epheſiorum c. 1.* Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, ſive quæ in cœlis eſt, ſive quæ in terra. *D. Bernard. hom. 27. in Cantica aſſerit, Deum ſecum habere voluiſſe multitudinem Angelorum tanquam ſponſam ſibi adhærentem, eandemq; Eccleſiam etiam hominibus conſtare decreviſſe.*

γ Quorum numerus ignoratur à nobis.] *Ita Job 25. dicitur*, non eſt numerus militum ejus, *id eſt, Angelorum, ut interpretatur D. Gregor. lib. 17. moral. cap. 7. Apocal. 5.* Vidi & audivi vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium, *& Daniel. 7.* Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei, *ubi ponitur numerus determinatus pro indeterminato. Dionyſ. cap. 9. & 14. de cœleſt. hierarch.*

δ Natus eſt igitur prior Cain.] *Fuit Cain primogenitus Adami. Satis enim indicat Moſis narratio, Evam cum primum cognita eſt à viro, peperiſſe Cain. In duobus illis primis filiis Adami contemplari licet exorientes duas civitates, in Cain majore civitatem Diaboli, in Abel minore civitatem Dei: Et harum duarum civitatum civium proprietates nobis exponunt illorum duorum primorum fratrum diſſimilia ingenia & inſtituta: & quemadmodum ab initio impius ille Cain perſecutus eſt fratrem, ita futurum eſt, ut in perpetuum impii & cives civitatis Diaboli juſtos perſequantur: & quidem in his duobus licet intueri juſtitiam & miſericordiam Dei, juſtiſſimo quidem judicio reprobantis Cain, gratuita verò miſericordia Abel ipſum ad gratiam & gloriam prædeſtinantis. & hic quidem initio obſervare licet, hæreticos homines ubi ſemel à Deo & Eccleſia ſeſe ſepararunt, & eorum mentes Diabolus occupavit, in horrendas quaſque blaſphemias contra Deum & ſanctos facile prorumpere. Irenæus lib. 1. cont. hæreſes cap. 29. inter cætera dogmata impii Marcionis eum docuiſſe refert*, Cain & eos, qui ſimiles ſunt ei, & Sodomitas & Ægyptios, & ſimiles eis, & omnes omnino gentes, quæ in omni permixtione malignitatis ambulaverunt, ſalvatas eſſe à Domino, cùm deſcendiſſet ad inferos, & occurriſſent ei, & in ſuum aſſumpſiſſe regnum: Abel autem & Enoch & Noë & reliquos juſtos, & eos, qui ſunt erga Abraham Patriarcham cum omnibus Prophetis, & his qui placuerunt Deo, non participaſſe ſalutem. Hæc, *inquit*, Marcion verè diaboli os accipiens, & omnia contraria dicens veritati. *& cap. 35. eadem fuit Cajanorum ſententia ſeu blaſphemia, cujus meminit etiam Tertullian. lib. de præſcript. c. 47. Epiphanius cont. hæreſ. 38. & Theodoretus lib. 1. hæretic. fabul. Ipſi præferebant Cain quaſi ex potenti virtute conceptum, quæ operata ſit in ipſo, ipſi Abeli, quem ex inferiori virtute conceptum & procreatum dicebant, & ideò inferiorem repertum.*

ε Sicut enim in uno homine quod dixit Apoſtolus.] *Quemadmodum (inquit) in uno eodemq́; homine primum illud eſt, quòd naſcatur filius Adami, deinde quod in Chriſto regeneretur, primum eſt peccator, deinde filius Dei per gratiam, primum pertinet ad civitatem mundi, deinde ad civitatem Dei: ita in toto genere humano primum cœpit à majore Caino civitas diaboli, deinde ab Abele ex iiſdem parentibus progenito, ſed à poſteriore cœpit civitas Dei ſeu ſocietas ſanctorum. Ita etiam alias D. Auguſtinus ab eo, quod in uno eodemq́; homine repetitur, exprimit id, quod in multis conſequenter deprehenſum eſt: Ita quod in uno eodemq́; Nabuchodonozore ſcriptura docet, eum quidem prius fuiſſe perſecutorem fidelium, & hoſtem populi Dei; poſtmodum verò lege edixiſſe, ne quis blaſphemaret Deum Sydrac, Miſac & Abdenago, epiſt. 48. dixit, completum fuiſſe in Regibus & Principibus mundi, quorum primi perſecuti ſunt Eccleſiam, & leges contra Chriſtianos tulerunt; qui verò conſecuti ſunt poſteriores, fidei & Chriſtianæ religionis acerrimi fuere vindices & aſſertores.*

ζ Tanquam figulus Deus, hanc enim ſimilitudinem.] *Hanc verò ſimilitudinem mutuatus eſt Apoſtolus ex Iſaia 45. & Hierem. 18. ubi Deus figulo aſſimilatur.*

η Fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.] *An verò ex ſola Dei voluntate pendet, quod alia ſint vaſa in honorem, alia in contumeliam? An dicendum, Deum quoſdam homines condidiſſe ad æternam damnationem, ut non minùs Deus quoſdam creaverit ut eos damnaret, quàm alios ut eos ſalvaret? An quòd reprobus ſit Cain, quod vas in contumeliam, ex ſola Dei voluntate pendet, non minus quàm ei ſoli adſcribendum quod electus, quod prædeſtinatus ad gloriam, quod vas in honorem Abel ipſe? Abſit verò à nobis ea dementia. Hæc enim eſt hæreſis & blaſphemia impii Calvini lib. ſuo de æterna Dei prædeſtinat. & lib. 3. ſuarum Inſtitut. ſect. 5. Quid verò magis alienum à Scriptura ſacra, in qua nihil aliud inculcatur, quàm Deum velle omnes homines ſalvos fieri, neminem, quantum in ſe eſt, velle perire, quod omnes adhortetur ad pœnitentiam, quod pro omnibus mortuus ſit, quod per univerſum orbem annunciari voluerit Evangelium, quo omnes homines ſalvi fierent; quid illud?* mortem Deus non fecit, nec delectatur in perditione vivorum, & nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. *Ezech. 18. Eccleſ. 15.* non ſunt ei neceſſarii homines impii. *Quod itaque aſſerit poſt Apoſtolum D. Auguſt. Deum ex eadem maſſa feciſſe Cainum quidem vas in contumeliam, Abelem vas in honorem, ita interpretari poſſumus, ut non ſola magni illius figuli voluntas ſit cauſa reprobationis Cain, ſicut prædeſtinationis Abel, ſed cum non obſtante peccato poſſet utrumque vas facere in honorem, juſtiſſimo tamen judicio & quidem propter peccata reprobavit Cain eumq́; fecit vas in contumeliam, ſola autem miſericordia & gratia, cum ad id nulla lege teneretur, fecit Abel & reliquos ſui ſimiles vaſa in honorem. Et quidem quantum interſit inter prædeſtinatos & reprobos; facile colligitur ex verbis Apoſtoli; de prædeſtinatis enim ait, Deum eos præparaſſe ad gloriam,* ut oſtenderet, *inquit,* divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam: *De reprobis verò non ait, eos aptaſſe ad interitum, ſed ſuſtinuiſſe in multa patientia poſtquam jam apta eſſent ad interitum, ut ipſa prædeſtinatio Abelis & reliquorum ſoli Dei miſericordiæ & voluntati adſcribatur, ipſa verò reprobatio ſaltem quoad actum poſiti-*

vum

vum (ut vocant) qui eſt velle ab æterno damnare, ipſis peccatis ſit adſcribenda. Maſſam verò illam intelligit D. Auguſtinus cum Apoſtolo naturam humanam jam infectam & corruptam peccato originali, totamq; damnationi obnoxiam, ut juſto judicio Deus aliquos relinquat in ea damnatione, alios verò misericorditer inde ſegreget.

CAP. II.

De filiis carnis, & filiis promiſſionis.

UMbra α ſanè quædam civitatis hujus, & imago prophetica ei ſignificandæ potius quàm præſentandæ ſervivit in terris, quo eam tempore demonſtrari oportebat, & dicta eſt etiam ipſa civitas ſancta merito ſignificantis imaginis, non expreſſæ ſicut futura eſt, veritatis. De hac imagine ſerviente, & de illa quam ſignificat libera civitate ſic Apoſtolus ad Galatas loquitur: β *Dicite mihi*, inquit, Gal. 4.
ſub lege volentes eſſe a legem non audiſtis? γ Scriptum eſt enim, quòd Abraham duos filios habuit, δ unum de ancilla, ε & unum de libera. Sed ille quidem ζ qui de ancilla, ſecundùm carnem natus eſt, η qui autem de libera, per repromiſſionem: b θ quæ ſunt in allegoria. ι Hæc enim ſunt duo teſtamenta, c κ unum quidem à monte Sina in ſervitutem generans quæ eſt Agar. d λ Sina enim eſt mons in Arabia, μ qui conjunctus eſt huic, quæ nunc eſt Hieruſalem, ſervit enim cum filiis ſuis. ν Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. ξ Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis, quoniam multi fi- Eſ. 54.
lii deſertæ, magis quàm ejus quæ habet virum. Nos autem fratres o ſecundùm Iſaac promiſſionis filii ſumus. Sed ſicut tunc, qui ſecundùm carnem natus fuerat, e perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum, ita & nunc. Sed quid dicit ſcriptura? Ejice ancillam & filium ejus. Non enim hæres erit f filius ancillæ cum filio liberæ. Nos Gen. 21.
autem fratres non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit. Hæc forma intelligendi de Apoſtolica autoritate deſcendens locum nobis aperit, quemadmodum ſcripturas duorum teſtamentorum veteris & novi accipere debeamus. π Pars enim quædam terrenæ civitatis imago cœleſtis civitatis effecta eſt, non ſe ſignificando, ſed alteram, & ideò ſerviens. Neque enim propter ſeipſam, ſed propter aliam ſignificandam eſt inſtituta, & præcedente alia ſignificatione, & ipſa præfigurans præfigurata eſt. ρ Namque Agar ancilla Saræ, ejusque filius, imago quædam hujus imaginis fuit. Et quoniam tranſituræ erant umbræ luce veniente, ideò dixit libera Sara, quæ ſignificabat liberam civitatem, cui rurſus alio modo ſignificandæ etiam illa umbra ſerviebat: Ejice ancillam & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac, quod ait Apoſtolus cum filio liberæ. Invenimus ergò in terrena civitate duas formas, unam ſuam præſentiam demonſtrantem, alteram cœleſti civitati ſignificandæ ſua præſentia ſervientem. Parit autem cives terrenæ civitatis peccato vitiata natura, cœleſtis verò civitatis cives parit à peccato naturam liberans gratia: unde illa vocantur vaſa iræ, iſta vaſa miſericordiæ. Significatum eſt hoc etiam in duobus filiis Abrahæ, quòd unus de ancilla quæ dicebatur Agar, ſecundùm carnem natus eſt Iſmael: alter autem de Sara libera ſecundùm promiſſionem natus eſt Iſaac.

Uterque quidem de ſemine Abrahæ, ſed illum genuit demonſtrans conſuetudo naturam, iſtum verò dedit promiſſio ſignificans gratiam. Ibi humanus uſus oſtenditur, hic divinum beneficium commendatur.

L. Viv. a Legem non audiſtis.] *Ex Græco melius, quàm ut vulgò habemus, legiſtis: & ſic Hieronymus ad Galatas 4. ἠκούσατε, alii ἀκούετε, auditis.*

b Quæ ſunt in allegoria.] *ἀλληγορούμενα, allegorica. Allegoria, inquit Quintilianus lib. 9. quam inverſionem interpretantur, aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, aut etiam interim contrarium. Hieronymus ait, quam hoc loco allegoricam, alio loco Paulum eundem ſpiritalem intelligentiam nominaſſe.*

c Unum quidem à monte Sina.] *ἀπὸ ὄρους σινᾶ. Sic Hieronymus & Ambroſius.*

d Sina enim mons eſt in Arabia.] *Hunc puto quem Mela Caſſium Arabiæ nominat. Nam eſt & Caſſius Syrius Plinio. Arabicus ille inſignis eſt templo Jovis Caſſii, ſed magis Pompeji Magni tumulo: Sunt qui putent, Arabicè Sina dici Agar.*

e Perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum.] *Geneſ. 21. luſus ſolùm puerorum ponitur, nec perſecutionem inveniri poſſe ſcribit Hieronymus: Nam cum in ædibus Abrahæ convivium ablactationis Iſaac celebraretur, colluderentq́; fratres Iſmaël & Iſaac, non tulit ludum illum Sara, ſed indignata precibus contendit à viro, ut nothus domo pelleretur. Sed hoc non putatur factum, niſi Iſmaël natu major injuria minorem affeciſſet. Hieronymus Hebræos dicit, ludere interpretari idola facere, alios per luſum & jocum primogenituram ſibi uſurpare, quanquàm & ludere pro pugnare ponitur in ſacris literis: ut in libro Regum ſecundo: Surgant pueri, & ludant coram nobis: ſive de vera & odioſa pugna dicatur, ſive de militaribus exercitamentis, & pugna imaginaria.*

f Filius ancillæ cum filio liberæ.] *Vulgò legimus, cum filio meo Iſaac, nam lxx. cùm Hebræis convenit μετὰ τοῦ υἱοῦ μου ἰσαάκ. ſed hic Pauli dictum citavit potius quàm Gen. μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας.*

F. L. Coq. a Umbra ſanè quædam civitatis hujus.] *Cùm alii ſint vaſa iræ, alii vaſa miſericordiæ, alii quidem reprobi, alii vero electi, alii pertineant ad civitatem mundi, alii ad civitatem Dei, alii relinquantur in maſſa corruptionis, alii verò gratia & merito Chriſti ab ea liberentur, ſuperiori cap. utriuſque figuram quandam nobis exhibitam docuit in duobus filiis Adami, Cain & Abel; nunc verò propoſito loco Apoſtoli ad Galatas ex hiſtoria ſacra, Geneſ. 21. cap. figuram quandam & umbram eorum docet, præceſſiſſe in duobus filiis Abrahæ, Iſmaël & Iſaac, ut Iſmaël, qui ſecundùm carnem natus eſt, exhibeat nobis filios carnis; Iſaac verò promiſſus Abrahæ & virtute promiſſionis ex Sara ſterili natus, exhibeat nobis filios promiſſionis, qui ſunt vaſa miſericordiæ: quales ergò illi duo filii Abrahæ, tales & filii carnis & promiſſionis futuri ſunt; Iſmaël ſuſceptus de ancilla, & conditione ſervili, paternæ hæreditatis expers fuit, idem carnalis habitus fuit, quia ipſum Abraham vi ſua genuit; contra Iſaac à ſene præter ordinem naturæ procreatus, ob idq́; ſpiritualis habitus & natura & conditione liber fuit, & paternæ domus heres exſtitit; & quemadmodum in homine eodem prius id quod animale, deinde quod ſpirituale, & in filiis Adami prior Cain præſignificans nobis vaſa iræ, deinde Abel præfigurans vaſa miſericordiæ, ita prior Iſmaël ſecundum car-*

carnem natus, deinde Iſaac ſecundùm promiſſionem. Equidem Apoſtolus ita interpretatur, ut duo illi filii Abrahæ duos ſignificent populos & duo teſtamenta, & Agar & Sara Synagogam & Eccleſiam, Synagoga enim generat filios ſervientes ſub lege, Eccleſia verò, adumbrata in Sara, generat filios Deo per gratiam liberatos in Chriſto. Diſputat enim eo loci Apoſtolus adverſus errorem in quo Galatæ, quos ob id inſenſatos vocat, verſabantur, à credentibus in Chriſtum & legem Evangelicam profeſſis inſuper obſervandas eſſe ceremonias legis exiſtimantes. Rectè verò etiam D. Auguſtinus in illis duobus vult ſignificatos eſſe filios carnis, qui ſunt vaſa iræ, & filios promiſſionis, qui ſunt vaſa miſericordiæ. In populo enim illo veteri legem Moſaicam profitente, fuêre etiam nonnulli ad Chriſtum pertinentes, per ejus gratiam liberati à peccato, & nunc in lege Evangelica multi ſunt filii carnis ſervientes potiùs timore quàm amore, & ad legem magis ſpectantes quàm ad Evangelium: Itaque licet Iſmael nobis referret vetus teſtamentum, & ſub eo ſervientes legi, nihilominus etiam homines liberi per gratiam Chriſti illius temporis adumbrantur in Iſaac, & nunc tempore legis Evangelicæ utrique etiam in utroque, Iſmaele ſcilicet & Iſaac, nobis præſignificantur; figura ergo exſtitit hominum omnium ad gratiam Chriſti pertinentium, & libertate per eum donatorum ſive in veteri, ſive in novo teſtamento ipſe Iſaac; filius enim promiſſionis ille fuit, & hi filii promiſſionis ſunt juxta promiſſionem Abrahæ factam benedicendi in Chriſto omnes nationes, de quo legi poteſt & epiſt. 48. filios verò carnis, qui ſunt vaſa iræ, adumbravit Iſmael tum veteris, tum novi teſtamenti. verùm ſingula expendamus, quæ proponit ex epiſt. ad Galatas.

β Dicite mihi ſub lege volentes eſſe.] *Id eſt, cùm lege Evangelica, cui initiati & quam profeſſi eſtis, inſuper obſervare cupientes ceremonias legis Moſaicæ, quaſi earum obſervatio ſit neceſſaria ad ſalutem, Legem non audiſtis? an ignoratis ea quæ traduntur in lege? legem verò nominat quinque libros Moſis, quos Græci πεντάτευχον, Hebræi vocant תורה, id verò quod adfert D. Paulus ex lege, habetur Geneſ. 21.*

γ Scriptum eſt, quòd Abraham duos filios habuit.] *Equidem defuncta Sara ex Cethura, & alios ſuſcepiſſe liberos refert ſcriptura; verùm quantum ad myſterium, quod tractare inſtituebat Apoſtolus, quia illud in duobus filiis Abrahæ tantùm Iſmael & Iſaac præfigurabatur, propterea duos tantum Abrahæ filios nominavit, ut in uno intelligerentur filii carnis, in alio filii promiſſionis.*

δ Unum de ancilla.] *Iſmaelem de Agar, quæ licet eſſet vera uxor Abrahæ, quantum ad conjugii vinculum, & legitimum matrimonii uſum ac primarium ejus finem, qui eſt procreatio liberorum (neque enim de viro ſanctiſſimo Abrahamo tantum nefas cogitandum, ut adulterium commiſerit cum Agar) erat tamen inferior ipſa Sara, & comparatione ipſius ancilla, & dominatio ac gubernatio familiæ & domus Abrahami non erat penes Agar, ſed penes Saram.*

ε Et unum de libera.] *Id eſt, Iſaac poſteriorem de Sara ejus primaria uxore; ſed horum Abrahami liberorum, ut conditio diſpar, ſic generationis ratio longè diverſa fuit.*

ζ Qui de ancilla ſecundùm carnem natus eſt.] *Id eſt, ſecundùm ordinem, curſum, facultatem & modum naturalem carnalis generationis hominum, ſi quidem*

non

non eſt ſupra vim carnis & naturæ, ut ex puella fœcunda vir etiam ſenex filios generet.

η Qui autem de libera per repromiſſionem] *Id eſt, non per vim carnis, nec ſecundùm uſitatum curſum naturæ, ſed præter naturam Deo exſolvente fidem promiſſi ſui: nam quod ſenex centenarius ex ſene nonagenaria & ſterili filios generet, naturæ vires excedit: Quæ verò fuerit illa promiſſio, expreſſè docet Apoſtol. Rom. 9.* Non qui filii carnis hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine, promiſſionis enim verbum hoc eſt, ſecundùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.

θ Quæ ſunt in allegoria.] ἀλληγορούμενα per allegoriam dicta. *Allegoria apud Rhetores aliter ſumitur, & aliter apud Theologos, cùm inter ſenſus Scripturæ ſacræ myſticos, allegoriam nominant. Apud Rhetores enim allegoria tunc eſt,* Quando aliud ſonant verba ac nos intelligimus, *ut in metaphora, hyperbole, & aliis tropis, unde ſenſus allegoricus apud illos literalis eſt: quando verò ea quæ acciderunt in veteri teſtamento dicimus allegoricè ſignificare myſteria novi teſtamenti, dicitur allegoria facti, & hanc allegoriam intelligit Apoſtolus, ut ſcribit, utramque allegoriam diſtinguens D. Auguſtin. 15. de Trinit. c. 9.* Ubi *(inquit)* allegoriam nominavit Apoſtolus, non in verbis eam repetit, ſed in facto, cum è duobus filiis Abrahæ, uno de ancilla, altero de libera, quod non dictum, ſed etiam factum fuit, duo teſtamenta intelligenda demonſtravit; *& hanc allegoriam facti breviſſimè deſcripſit Ambroſius lib. 1. de Abrahamo cap. 4.* Allegoria eſt, cum aliud geritur, & aliud figuratur. *Equidem non licet à ſenſu allegorico ſeu ſpirituali argumentari, verùm Sacri ſcriptores exploratos etiam habebant ſenſus allegoricos ſcripturæ, & à ſenſu allegorico expoſito in ſcriptum licet argumentari.*

ι Hæc enim ſunt duo teſtamenta.] *Id eſt, iſtæ duæ mulieres, è quibus Abraham duos filios ſuſtulit, duo teſtamenta ſignificant. Cùm enim videmus Cæſaris imaginem, cum referat nobis ipſum Cæſarem, rectè dicimus, hic eſt Cæſar, ita cum duæ illæ mulieres nobis referrent duo teſtamenta, vetus & novum, rectè dictum eſt,* Hæc ſunt duo teſtamenta, *quo ſenſu de petra, quæ figurabat Chriſtum, 1. Corinth. 10. rectè dixit Apoſtolus,* Petra erat Chriſtus; *teſtamenta autem vocat Dei pacta, conventiones & promiſſiones à Deo factas ipſis hominibus.*

κ Unum quidem à monte Sina.] *Ita Græcè legitur, videlicet inde profectum, & principium ſuum inde habens, vulgata habet, in monte Sina, ſcilicet promulgatum & traditum. Ibi enim lex vetus tunc primum Hebræis egreſſis ex Ægypto tradita eſt & impoſita. Illud ergo teſtamentum in ſervitutem generabat, quemadmodum & Agar, quæ ejus teſtamenti ſuſtinebat imaginem, & ſerva ipſa erat, & generavit ſervum Iſmaelem. Duplicem verò ſervitutem habebat lex Moyſis, tùm obſervantiam multiplicium ceremoniarum, quod Act. 15. Petrq dixit,* jugum inſupportabile, *(tum etiam ſpiritum ſervilem timoris, quo populus propter metum pœnæ magis, quàm ob amorem juſtitiæ legem illam obſervabat: Equidem lex illa vetus manum quidem prohibebat, ſed animum non cohibebat, neque conferebat libertatem gratiæ & charitatem, quâ ut filii amore obſervarent Dei præcepta; proponebat deinde ſuis cultoribus*

bus bona non ſpiritualia & æterna, quæ ſunt filiorum, ſed terrena & temporalia tanquam levia quædam munuſcula & minimi pretii, cujuſmodi ſolent ſervis dari. Si præterea notitiam myſteriorum divinorum traditam in novo teſtamento, cum ea, quæ tradita fuit in veteri teſtamento, conferamus, manifeſtiſſimè deprehendemus, Deum in novo teſtamento ſeſe geſſiſſe nobiscum tanquam cum filiis, cùm antiquis illis Patribus tanquam cum ſervis, quibus non ita Dominus facilè occulta ſua revelat myſteria.) Ita Chriſtus Joan. 15.* Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis.

λ Sina enim mons eſt in Arabia.] *Suidas.* Σινὰ ὄρος εἴρηται καὶ τὸ παράδοξον τῆς βάτου θαῦμα κατεῖδε Μωυσῆς. *Hunc montem Græci interpretes volunt etiam lingua Arabica dictum eſſe* Agar, *& in Græcis codicibus reperitur nomen* Agar: *ſic enim habent.* ἥ τις ἐστὶν Ἀγάρ, τὸ γὰρ Ἀγὰρ Σινὰ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ *i. e.* Quæ eſt Agar, ipſum enim Agar Sina mons eſt in Arabia. *iterum Agar poſito nomine, quo ſignificatur ejus montis, quem Hebræi Sina nominant, Agar etiam eſſe nomen: Et quidem juxta hanc lectionem hic erit ſenſus verborum Apoſtoli: Agar aptiſſimè nobis adumbravit vetus teſtamentum, non modo ſua ſervili cognitione, ſed inſuper ipſo ſuo nomine, quod Arabibus ipſe mons Sina, ubi lex data eſt Hebræis, etiam Agar appelletur.*

μ Qui conjunctus eſt huic, quæ nunc eſt Hieruſalem.] *Nempè terrena civitas, in qua vigebat cultus Dei ſecundum inſtituta Moſaica: non ergo ſignificatur conjunctio ſeu vicinitas loci aut ſpatii, cum longè ab invicem diſtent, ſed proportio quædam ac ſimilitudo, quæ in eo conſiſtit, quod ſicut mons Sina, cum in eo dabatur lex, magnum timorem incuſſit Hebræis, ut videre eſt Exodi 20. & Deuter. 5. ſervilemque indidit ſpiritum timoris, quo ad obſervandam legem illam compellebantur, præterea mons ille erat extra terram promiſſionis, nec ejus accolæ ad Dei populum pertinebant, ſic terrena hæc civitas Hieruſalem, & Synagoga ſe habet, ut quæ dare non poteſt ſpiritum libertatis, nec ſuos cultores facere compotes promiſſæ hæreditatis in cælis. Græcè habetur* συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ. συστοιχεῖν *autem, ut tradit Budæus in commentariis linguæ Græcæ, & Henricus Stephanus in theſauro linguæ Græcæ, ea dicuntur,* quæ cognationem quandam inter ſe habent, vel naturæ, vel proprietatis, vel qualitatis alicujus, & σύστοιχα *dicuntur inter ſe* cognata; *&* συστοιχία *dicitur,* ſeries & diſpoſitio rerum inter ſe cognatarum, & quodammodo ſimilium. *Hæc poſſunt dici* σύστοιχα, *Agar Abrahami ancilla, mons Sinai, Hieruſalem terrena, vetus teſtamentum, Synagoga: hæc ergò conjunctio ſeu affinitas montis Sinai ad Hieruſalem terrenam, quod quemadmodum in eo monte data lex Moſaica, ita in Hieruſalem terrena eadem lex obſervabatur, & quemadmodum data eſt in monte Sinai cum magno populi timore, ita à filiis terrenæ Hieruſalem timore magis quàm amore tanquam à ſervis obſervabatur.*

ν Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalem.] *Quemadmodum vetus teſtamentum ſignificatum fuit in Agar, & in ejus filio Iſmael filii carnis, qui ſerviunt, nec liberi ſunt à peccato, ita in Sara libera novum teſtamentum, & lex libertatis ac gratia ſignificata eſt, & in ejus filio Iſaac præter ordinem naturæ virtute divina promiſſionis*

concepto ac generato ſignificati filii promiſſionis per gratiam Chriſti liberati à peccato; nec abſurdè dicemus, per duas illas mulieres ſignificatam utramque ſcilicet civitatem, de qua ſuperius D. Auguſtinus, per Agar quidem civitatem mundanam, cujus cives ſeu etiam filii ſunt ſervilis conditionis, necdum per gratiam Chriſti à peccato liberati, & ita per Iſmael ſignificantur filii carnis & mundi, ad quos non pertinet hæreditas Abrahamo promiſſa; per Saram liberam civitatem Dei, quæ parit cives ſanctorum, domeſticos Dei, filios promiſſionis. Opponit civitati terrenæ, i. e. Synagogæ, vel etiam civitati mundanæ eam, quæ ſurſum eſt Hieruſalem, quo nomine ſignificat cœtum fidelium, & piorum Eccleſiam, in qua & teſtamentum novum viget; & floret libertas à peccato per gratiam Chriſti. Ergo hoc loco Apoſtolus per eam, quæ ſurſum eſt Hieruſalem, intelligit Eccleſiam non triumphantem, ſed militantem in terra, quod ex ejus inſtituto patet, vult enim docere fidelium Eccleſiam præſtare Synagogæ, & novum teſtamentum veteri, non ſecus ac Sara ipſi Agar, & filios Eccleſiæ ipſis filiis Synagogæ, non ſecus ac Iſaac ipſi Iſmael, adeoque filios promiſſionis ipſis filiis carnis, & præterea ad ſalutem inutilem eſſe prorſus obſervationem legalium: Dicitur verò militans Eccleſia ſuperna Hieruſalem, quod ejus cives non ex carne aut ſanguine nati ſint, ſed potius ex Deo geniti, & ad ſuperna ſemper anhelantes, & qui quamvis in terris poſiti, cœleſtia tamen ſemper ſpirent & meditentur, & quorum converſatio in cœlis eſt *Phil. 3. & hæc eſt libera, ſignificata per liberam Saram, quo efficitur, ut & nos liberi ſimus, cùm partus ſequatur ventrem.*

ξ Scriptum eſt enim, lætare ſterilis, quæ non paris.] *His verbis Iſaias cap. 54. alloquitur Eccleſiam Gentilium, quam Spiritu prophetiæ prævidebat in gentibus futuram, eiq; congratulatur de multitudine filiorum, quos erat habitura, tùm ipſam cum Synagoga confert, & futurum prædicit, multitudine filiorum eam longè ſuperaturam Synagogam. ſed infra de his verbis fuſius diſſerendum erit lib. 18. cap. 29.*

ο Secundùm Iſaac promiſſionis filii ſumus.] *Sicut enim Iſaac ſupra naturæ vim promiſſionis virtute natus eſt, ſic nos in Eccleſia fide & ſpiritu naſcimur, per Chriſtum efficimur filii Dei, atque hæc generatio non carnalis eſt, ſed ſpiritualis, non terrena, ſed divina, non naturæ vi fit, ſed ſupra naturam. Hæredem enim eſſe Dei & cohæredem Chriſti planè quid divinum eſt & ſupernaturale.*

π Pars enim quædam terrenæ civitatis.] *Scilicet populus Judaicus & Synagoga ipſa ſignificarunt & populum Chriſtianum, & Eccleſiam ipſam, quam cæleſtem civitatem appellat.* Eſt enim civitas ſancta Hieruſalem nova deſcendens de cœlo, *Apoc. 20.*

ϱ Namque Agar ancilla Saræ ejusque filius.] *Quemadmodum in ſcriptura non modo in ſenſu literali res ſignificantur per voces, verùm etiam res ipſæ in ſenſu myſtico inſtitutæ ſunt ad ſignificandas res alias, ita nonnunquam res ipſæ præſignificatæ per alias ad alias deinde ſignificandas ſunt inſtitutæ. Ita Agar ejusque filius ſignificabant vetus teſtamentum ſeu Synagogam ipſam, & cultores legis Moſaicæ, vetus deinde teſtamentum erat inſtitutum ad novum ſignificandum.*

CAP.

CAP. III.

De ſterilitate Saræ, quam Dei gratia fœcundavit.

SAra quippe ſterilis erat, & α deſperatione prolis, ſaltem de ancilla ſua concupiſcens habere, quod de ſeipſa non ſe poſſe cernebat, dedit eam fœtandam viro, de quo parere voluerat, nec potuerat. Exegit itaque etiam ſic debitum de marito *a* β utens jure ſuo in utero alieno. γ Natus eſt ergo Iſmaël, ſicut naſcuntur homines permixtione ſexus utriusque uſitata lege naturæ. Ideò dictum eſt ſecundùm carnem: non quòd iſta beneficia Dei non ſint, aut non illa operetur Deus, cujus opifex ſapientia attingit, ſicut ſcriptum eſt, *à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter:* ſed ubi ſignificandum fuerat Dei donum, quod indebitum hominibus gratis gratia largiretur, ſic oportuit dari filium, quemadmodum naturæ non debebatur ex curſibus. Negat enim natura jam filios tali commixtioni maris & fœminæ, qualis eſſe poterat Abrahæ & Saræ, in illa jam ætate *b* etiam mulieris accedente ſterilitate, quæ nec tunc parere potuit, quando non ætas fœcunditati, ſed ætati fœcunditas defuit. Quod ergo naturæ ſic affectæ fructus poſteritatis non debebatur, ſignificat, quòd natura generis humani peccato vitiata, ac per hoc jure damnata, nihil veræ felicitatis in poſterū merebatur. Rectè igitur ſignificat δ Iſaac per repromiſſionem natus filios gratiæ, cives civitatis liberæ, ſocios pacis æternæ, ubi ſit non amor propriæ ac privatæ quodammodo voluntatis, ſed communi eodemque immutabili bono gaudens, *c* atque ex multis unum cor faciens, id eſt, perfectè facta concors obedientia charitatis.

Gen. 16. Sap. 8. Act. 4.

a UTens jure ſuo.] *Jure conjugii.* L. Vives.

b Etiam mulieris accedente ſterilitate.] *Nam præterquam quòd erat anus, etiam ſterilitatis erat natura damnata. Naſcuntur enim homines quidam, ut Ariſtoteles docet, tum viri tum fœminæ natura infœcundi.*

c Atque ex multis unum cor faciens.] *Inde concordia, qualis illa deſcribitur Apoſtolorum, Act. 4. Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una.*

α DEſperatione prolis ſaltem de ancilla ſua concupiſcens habere.] *Hiſtoria habetur Geneſ. 16. Ita enim Sara Abraham alloquitur.* Ecce concluſit me Dominus ne parerem, ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam liberos. *Scribit Joſephus lib. 1. Antiquit. cap. 11. Saram monitu Dei ſuaſiſſe Abrahæ conjugium cum Agar, & ad id divina authoritate eum impuliſſe.* F.L.Coq.

β Utens jure ſuo in utero alieno.] *Ita ſcribit etiam in expoſitione cap. 4. epiſt. ad Galatas,* Abraham propagandæ prolis operam ad Agar ancillæ fœcunditatem ab uxoris Saræ ſterilitate tranſtuliſſe, ipſa tamen permittente & ultrò offerente, ut maritus ejus de ancilla ſuſciperet filios. *Antiqua enim juſtitiæ regula eſt, quam commendat ad Corinthios Apoſtolus:* Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. *Hujusmodi enim debita ſicut cætera in eorum quibus debentur, poteſtate conſiſtunt, cui poteſtati qui fraudem non facit, ille caſtitatis conjugalis jura cuſtodit. At verò non eſt univerſaliter verum, quod quis jus ſuum poſſit*

in alium transferre, & maximè in matrimonio: habet enim vir poteſtatem corporis uxoris, & uxor poteſtatem & jus in corpus viri, verùm neuter jus illud in alium transferre poteſt, ſed tunc temporis licita erat polygamia, & conſentiente Sara, etiam in legitimam conjugem Agar, licet non primariam, Abraham accepit. Hoc factum egregiè defendit lib. 22. contra Fauſtum, cap. 31. Neque enim (*inquit*) conſcientiam ſuam flagitio conjugis miſcuit, quo ille ſuam libidinem turpi & illicita voluptate ſatiaret, ſed etiam illa naturali ordine filios volens, ſeque ſterilem ſciens ancillaris uteri fœcunditatem in uſum juris ſui poteſtate licita vindicavit, non cedens viro concupiſcenti, ſed jubens obedienti. *Poſt.* Prolem, quam de ſe habere Sara non poterat, de ancilla habere voluit, ex eo tamen ſemine, ex quo & de ſe ſi poſſet habere deſiderabat. Nunquam hoc faceret mulier, ſi in corpore viri carnali concupiſcentia teneretur. Zelaret enim potius pellicem, non matrem faceret: nunc verò propagandi voluntas propterea pia fuit, quia concumbendi voluntas libidinoſa non fuit. *cap 32.* Quid mirum, ſi videns Abraham ſterilem uxorem cupientem ſibi prolem, quam parere ipſa non potuit, ex famula ſua & ex marito provenire, non ſuæ carnali cupiditati ceſſit, ſed conjugali poteſtati obtemperavit, credens hoc Saram ex Dei nutu voluiſſe, qui jam ex ſeipſo illi hæredem promiſerat, ſed ex qua fœmina non prædixerat?

γ Natus eſt Iſmael ſicut naſcuntur homines.] *Nihil mirabile, nihil novum nihil ſupra naturam in nativitate Iſmaelis, ideò ſecundum carnem natus, & in illo ſignificati omnes qui carnaliter vivunt, & in ipſo præſignificatum vetus teſtamentum,* *(*quod promiſſiones habet tantùm terrenas terrenis & carnalibus largiendas.*)**

δ Iſaac per repromiſſionem natus filios gratiæ.] *Id ſcribit etiam epiſt. 105. ubi defendit Dei gratiam contra Pelagianos.* Commendas (*inquit*) filios promiſſionis, hoc primum ſignificatum oſtendit per Iſaac filium Abrahæ. Evidentius namque opus Dei apparet in eo, quem non genuit uſitatus ordo naturæ de ſterilibus viſceribus & ſenectute confectis, ut in filiis Dei, qui futuri prænunciabantur, hoc eſſet ſignum divini operis, non humani. In Iſaac (*inquit*) vocabitur tibi ſemen, hoc eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed filii promiſſionis deputantur in ſemine.

CAP. IV.

De terrena civitatis, vel concertatione, vel pace.

TErrena porrò civitas, quæ ſempiterna non erit, neque enim cùm extremo ſupplicio damnata fuerit, jam civitas erit, α hic habet bonum ſuum, cujus ſocietate lætatur, qualis eſſe de talibus rebus lætitia poteſt. Et quoniam non eſt tale bonum, ut nullas anguſtias faciat amatoribus ſuis, ideò civitas iſta adverſus ſeipſam plerunque dividitur litigando, bellando atque pugnando, & aut mortiferas aut certè mortales victorias requirendo. Nam ex quacunque ſui parte adverſus alteram ſui partem bellando ſurrexerit, quærit eſſe victrix gentium, cùm ſit captiva vitiorum. Et ſi quidem cùm vicerit, ſuperbius extollitur, etiam ſic mortifera. Si verò conditionem cogitans caſuſque communes, magis quæ accidere poſſunt adverſis angitur, quàm eis, quæ provenerunt ſecundis rebus.

bus inflatur, tantummodo mortalis eſt iſta victoria. Neque enim ſemper dominari poterit permanendo eis, quos potuerit ſubjugare vincendo. Non enim rectè dicuntur ea bona non eſſe, quæ concupiſcit hæc civitas, quando eſt & ipſa in ſuo genere humano melior. Concupiſcit enim terrenam quandam pro rebus infimis pacem: β ad eam namque deſiderat pervenire bellando. Quoniam ſi vicerit, & qui reſiſtat non fuerit, pax erit: quam non habebant partes invicem adverſantes, & pro his rebus, quas ſimul habere non poterant infelici egeſtate certantes. Hanc pacem requirunt laborioſa bella, hanc adipiſcitur, quæ putatur glorioſa victoria. Quando autem vincunt, qui cauſa juſtiore pugnabant, quis dubitet, gratulandam eſſe victoriam, & proveniſſe optabilem pacem? Hæc bona ſunt, & ſine dubio Dei dona ſunt. Sed ſi neglectis melioribus, quæ ad ſupernam pertinent civitatem, ubi erit victoria in æterna & ſumma pace ſecura, bona iſta ſic concupiſcuntur, ut vel ſola eſſe credantur, vel his quæ meliora creduntur, amplius diligantur, neceſſe eſt miſeria conſequatur, & quæ inerat augeatur.

α HIc habet bonum ſuum.] *Nempè regnum terrenum, ſalutem terrenam, hoſtium ſubjugationem, abundantiam filiorum, fœcunditatem frugum, & alia hujusmodi, quæ ſunt quidem Dei dona, non tamen maxima, qualia filiis gratiæ hic, vel in futurum repoſita ſunt: quod ſignificatum eſt in hoc quod Abraham ſolum Iſaac, in quo præſignificabantur filii gratiæ, bonorum ſcripſit hæredem, filiis autem concubinarum dedit munera, quia Deus etiam filiis terrenæ civitatis nonnulla hic largitur temporalia bona.* F.L.Coq.

β Ad eam namque deſiderat pervenire bellando.] *Belli ſiquidem finis pax, & bellum ſuſcipitur, ut pax habeatur.*

CAP. V.

De primo terrenæ civitatis autore fratricida, cujus impietati Romanæ urbis conditor germani cæde reſponderit.

PRimus itaque fuit terrenæ civitatis conditor fratricida: nam ſuum fratrem civem civitatis æternæ in hac terra peregrinantem, α invidentia victus occidit. Unde mirandum non eſt, quòd tantò poſt in ea civitate condenda, quæ fuerat hujus terrenæ civitatis, de qua loquimur, β caput futura, & tam multis gentibus regnatura, huic primo exemplo, & γ ut Græci appellant ἀρχετύπῳ quædam ſui generis imago reſpondit. nam & illuc ſicut ipſum facinus quidam poëta commemoravit illorum,

b Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Sic enim condita eſt Roma, quando occiſum Remum à fratre Romulo Romana teſtatur hiſtoria, niſi quòd iſti terrenæ civitatis ambo cives erant, & ambo gloriam de Romanæ reipub. inſtitutione quærebant. Sed ambo eam tantam, δ quantam ſi unus eſſet, habere non poterant. Qui enim volebat gloriando dominari, minus utique dominaretur, ſi ejus poteſtas vivo conſorte minueretur. Ut ergo totam dominationem haberet unus, ablatus eſt ſocius: & ſcelere crevit in pejus,

quod innocentia minus eſſet in melius. Hi autem fratres Cain & Abel non habebant ambo inter ſe ſimilem rerum terrenarum cupiditatem: nec in hoc alter alteri invidit, quòd ejus dominatus fieret anguſtior qui alterum occidit, ſi ambo dominarentur. Abel quippe non quærebat dominationem *c* in ea civitate, quæ condebatur à fratre, ſed invidentia illa diabolica, qua invident bonis mali, nulla alia cauſa eſt, niſi quia illi boni ſunt, illi mali. Nullo enim modo fit minor, accedente ſeu permanente conſorte, poſſeſſio bonitatis: imò poſſeſſio bonitatis tantò fit latior, quantò concordior eam individua ſociorum poſſidet charitas. Non habebit denique iſtam paſſionem, qui eam noluerit habere communem: & tantò eam reperiet ampliorem, quantò amplius ibi potuerit amare conſortem. Illud igitur quod inter Remum & Romulum exortum eſt, quemadmodum adverſus ſeipſam terrena civitas dividatur, oſtendit: quod autem inter Cain & Abel, inter duas ipſas civitates, Dei & hominum, inimicitias demonſtravit. *d* ζ Pugnant ergo inter ſe mali & mali. Item pugnant inter ſe boni & mali. Boni verò & boni, ſi perfecti ſunt, inter ſe pugnare non poſſunt. Proficientes autem nondumque perfecti, ita poſſunt, ut bonus quisque ex ea parte pugnet contra alterum, qua etiam contra ſemetipſum. Et in uno quippe homine *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Concupiſcentia ergò ſpiritalis contra alterius poteſt pugnare carnalem, vel concupiſcentia carnalis contra alterius ſpiritalem, ſicut inter ſe pugnant boni & mali: vel certè ipſæ concupiſcentiæ carnales inter ſe duorum bonorum nondum utique perfectorum, ſicut inter ſe pugnant mali & mali, donec eorum qui curantur, ad ultimam victoriam ſanitas perducatur.

Gen. 4. Gal. 5.

L. Vives. *a* Ἀρχετύπῳ.] *Eſt primum illud exemplar, ad quod reliqua effinguntur, unde archetypi libri. Juven.*

Et jubet archetypos pluteum ſervare Cleanthas.

b Fraterno primi.] *Verſus Luc. 1. Pharſalidos. nota eſt hiſtoria.*

c In ea civitate quæ con. à frat.] *An jam tum condebat Cainam urbem? an de civitate hac terrena intelligendum, quam vitia & ſeparatio à Deo condunt? Hoc puto.*

d Pugnant ergo inter ſe.] *Hoc eſt quod dicitur, vitio nec cum virtute, nec cum vitio convenire, ſolosq́ bonos eſſe amicos, malos nec inter ſe, nec cum bonis amicitiam ſervare poſſe.*

F. L. Leq. α INvidentia victus occidit.] Invidentia ſeu invidia *vitium eſt* inclinans ad inordinatè triſtandum de bono alieno. *Indeq́ ſuam excellentiam minuit; Ita Ariſtoteles 2. Rhetor. & Divus Thomas 2 2. quæſt. 36. art. 1. & opponitur charitati proximi, atque invidere vitium capitale inter reliqua peccata, parit etiam odium proximi: & contriſtabatur Cain, Geneſ 4. non ob peccatum ſuum, ſed ob fratris proſperitatem; cur etiam occiderit fratrem, docet D. Joan. 1. 3.* Non ſicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem: & propter quid occidit eum? quia opera ejus maligna erant, fratris ejus juſta.

β Caput futura & tam multis gentibus regnatura.] *De Romanorum imperio vati-*

vaticinatus fuerat Balaam, Numer. 23. & apud Danielem per ferrum, quod omnia domat, & per beſtiam illam terribilem innominatam præſignificatum fuit.

γ Ut Græci appellant ἀρχετύπῳ] ἀρχέτυπον, exemplar primigenium, *vel* forma primigenia; *Latini etiam* ἀρχέτυπον *dicunt, vocem Græcam retinentes. Cain conditor civitatis mundanæ fratrem Abelem occidit, ita Romulus fratrem Remum.*

δ Quantam ſi unus eſſet, habere non poterant] *Atque ideò regnum non patitur duos, & omnis poteſtas impatiens conſortis erit.*

ε In ea civitate quæ condebatur à fratre.] *Quo nomine non intelligenda eſt illa civitas, quam primum condidit Cain, ſed civitas mundana, quam ſuperius oppoſuit civitati Dei, & quam ædificat amor mundi uſque ad contemptum Dei, & cujus cives ſunt omnes qui terrena ſapiunt, omnes qui fœlicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti, qui ſunt vaſa iræ apta ad interitum. De qua civitate ita D. Hieronymus epiſt. 17. ad Marcellam.* Civitas *(inquit)* magna, quā videlicet primus ædificavit Cain, & nominavit eam ex vocabulo filii ſui; hic mundus intelligendus eſt, quem accuſator fratrum ſuorum diabolus, & fratricida Cain periturus exſtruxit vitiis, ſceleribus condidit, iniquitate complevit.

ζ Pugnant ergo inter ſe.] *Ita nimirum vitia vitiis ſunt contraria, & præterea virtutibus ipſis, quæ inter ſe connexæ ſunt & concatenatæ, & inter ſuperbos ſemper ſunt jurgia, cum alioquin, qui ad ſupernam patriam anhelant, pacem colant inter ſe. non patitur Abraham jurgium aliquod inter ſe & Loth, neque inter paſtores ſuos, & paſtores illius, Geneſ. 13.*

CAP. VI.

De languoribus, quos ex pœna peccati etiam cives civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione patiuntur, & à quibus Deo medente ſanantur.

LAnguor eſt quippe iſte, id eſt, illa inobedientia, de qua in libro quarto decimo diſſeruimus, primæ inobedientiæ ſupplicium: & ideò non natura, ſed vitium eſt: propter quod dicitur proficientibus bonis, & ex fide in hac peregrinatione viventibus: *a* *Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Item alibi dicitur: *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Item alio loco: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, inſtruite hujuſmodi in b ſpiritu manſuetudinis, intendens teipſum, ne & tu tenteris.* Et alibi: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Et in Evangelio: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Item de peccatis, in quibus multorum cavetur offenſio, ſic Apoſtolus dixit: *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Propter hoc & de venia invicem danda multa præcipiuntur. Et magna cura propter tenendam pacem, ſine qua nemo poterit videre Deum: ubi ille terror eſt, *c* quando jubetur ſervus decem millium talentorum reddere debita, quæ illi fuerant relaxata, quoniam debitum de-

Gal. 6. *1. Theſ. 5.* *Rom. 12. Gal. 6.* *Eph. 4.* *Matth. 18.* *1. Tim. 5.* *Ebr. 12.*

nario-

nariorum centum conſervo ſuo non relaxavit. Qua ſimilitudine propoſita, Dominus Jeſus adjecit atque ait: *Sic & vobis faciet Pater veſter cœleſtis, ſi non dimiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Hoc modo curantur cives civitatis Dei in hac terrena peregrinantes, & paci ſupernæ patriæ ſuſpirantes. β Spiritus autem ſanctus operatur intrinſecus, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinſecus. Alioquin etiamſi Deus ipſe utens creatura ſibi ſubdita in aliqua ſpecie humana ſenſus alloquatur humanos, ſive iſtos corporis, ſive illos, quos iſtis ſimillimos habemus in ſomnis, *d* γ nec interiore gratia mentem regat atque agat, nihil prodeſt homini omnis prædicatio veritatis. Facit autem hoc Deus, à vaſis miſericordiæ iræ vaſa diſcernens, diſpenſatione qua ipſe novit multum occulta: ſed tamen juſta. Ipſo quippe adjuvante mirabilibus & latentibus modis, quum peccatum, quod habitat in membris noſtris, *e* quod potius jam pœna peccati eſt, ſicut Apoſtolus præcipit, non regnat in noſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus, nec ei membra noſtra velut iniquitatis arma exhibemus, convertitur ad mentem non ſibi ad mala Deo regente conſentientem: & eam regentem tranquillius nunc, habebit poſtea ſanitate perfecta atque immortalitate percepta homo ſine ullo peccato in æterna pace regnantem.

Matth. 18. · Rom. 6.

L. Vives. *a* INvicem onera veſtra portate.] *Græcè ἀλλήλων τὰ βάρη βαςάζετε. Latinius vertit quàm vulgò, Alter alterius onera portate: nam hoc de duobus tantùm dicitur, ſicut apud Salluſtium: Alter alterius auxilio eget de animo & corpore.*

b Spiritu manſuetudinis.] *Idcirco manſuetè & non ferociter propter id quod ſequitur, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Decet enim reprehenſorem meminiſſe ſe quoque peccare poſſe, ne ſi animo intumuerit, quòd melior ſit fratre peccante, præſto ſit Nemeſis ultrix, & ad peccandum ipſe incitetur.*

c Quando jubetur ſervus.] *Præcipiens dominus remittenda eſſe invicem debita, parabolam de ratione, quam à ſervo rex Dominus exegit, inſeruit, Matth. 18.*

d Nec interiore gratia mentem reg.] *Sic Eccleſiaſtes 7. Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit. Hinc videmus, aliis pauciſſima de moribus præcepta ſufficere, aliis nulla: ſi intrinſecus ad bonum animus non impellitur verba tenuiſſimam vim habent.*

e Quodſi peccatum eſt, ut ſit etiam pœna pec.] *Ex peccato enim illo primo mulctati omnes ſumus, ut corpus noſtrum ad peſſima quæque proclive ſit, & mentem ſecum impetu ſuo provolvat, ni illa magna vi reſiſtat fixa, & altrinſecus corpus ad ſe trahat. Adde etiam quòd nullum eſt peccatum, quod non torqueat angatq́; eum, in quo eſt. Prima hæc eſt ultio, inquit Juvenalis, quòd ſe judice nemo nocens abſolvitur. Sed locus eſt ſanè perobſcurus. In exemplari Colonienſi ſic legitur, Ipſo quippe adjuvante mirabilibus & latentibus modis, quum peccatum quod habitat in membris noſtris, quæ potius jam pœna peccati eſt, ſicut Apoſtolus præcepit, non regnat in noſtro mortali corpore, ad obediendum deſideriis ejus: nec ei membra noſtra velut iniquitatis arma exhibemus, convertitur ad mentem non ſibi à malo Deo regente conſentientem, etiam regentem, &c. Sed hic legendum eſt: ad malum Deo regente conſentientem etiam regentem, ut ſit ſenſus: Si illa peccandi proclivitas, relicta ex*

noxa primorum patrum in maſſa, unde omnes deſumimur, non ſibi regnum totius hominis depoſcat, aut occupet, nec regnet in noſtro mortali corpore, ſicut Apoſtolus monet: ſed potius ſe menti ſubdat, quæ morigeram ſe præbens rectori ſuo Deo, non conſentiat illi pronitati ad flagitium nutanti, ſed ut potius affectus ipſe in malum pronus à mente in vita hac regatur tranquillè, & quaſi à medico tractetur, cui præſit Deus: tunc morbidus ille affectus verè perfecteq; ſanitatem & immortalitatem conſequitur, fitq; hac ratione homo æternùm beatus. Peccatum enim eſt hic nutus ille ad peccandum nos deprimens, quem fomitem Theologi appellant in ſchola.

α INvicem onera veſtra portate.] *Onera vocat peccata, nec modo peccata, ſed mores etiam aliorum graves & moleſtos, id eſt, ne indignemini peccatis aliorum, ſed potius compatimini. Vera enim juſtitia compaſſionem habet, falſa indignationem: indignari peccatis aliorum, phariſaicū eſt, condolere, & manſuetè redarguere, charitatis opus. D. Auguſtin. lib. 83. quæſt. q. 7. hunc locum egregiè tractat;* Non potuit, *inquit*, apertius ſignificari novi teſtamenti donum eſſe charitatem, quam hoc loco Apoſtolus dicit. Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Hanc enim legem Chriſti dicere intelligitur, qua ipſe Dominus præcipit, ut nos invicem diligamus, tantum in ea ſententia præcepti pondus conſtituens, ut diceret, in hoc cognoſcetur, quoniam diſcipuli mei eſtis, ſi vos invicem diligatis; hujus autem dilectionis officium eſt invicem onera noſtra portare, ſed hoc officium, quod ſempiternum non eſt, perducet ſanè ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt noſtra onera, quæ invicem portare jubeamur. Nunc verò cùm in hac vita, *id eſt*, in hac via ſumus, onera noſtra invicem portemus, ut ad eam vitam, quæ caret omni onere, pervenire poſſimus. Ep. L. c. 5.

β Spiritus autem ſanctus operatur intrinſecus, ut valeat medicina.] *Neque enim correptio adhibita ab homine aliquam vim habet, niſi intus operetur gratia Spiritus ſancti. Ita ſcribit libr. de corrept. & grat. cap. 5.* Hæc, *inquit*, correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor pro diverſitate cauſarum ſalubriter adhibetur, & tunc eſt ſalubris, quando ſupernus medicus reſpicit. Non enim aliquid proficit, niſi cum facit, ut peccati ſui quemque pœniteat: & quis hoc dat, niſi qui reſpexit Apoſtolus Petrum negantem, & fecit flentem? *Ibidem.* Tunc correptione proficit homo, cum miſeretur atque adjuvat, qui facit, quos voluerit etiam ſine correptione proficere. *& cap. 14.* Cùm homines per correptionem & viam juſtitiæ ſeu veniunt ſeu revertuntur; quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille, qui quolibet plantante & rigante, & quolibet in agris atque arbuſtulis operante dat incrementum Deus? *& cap. ultim.* Quantum ad nos pertinet, qui prædeſtinatos à non prædeſtinatis diſcernere non valemus, & ob hoc omnes ſalvos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda eſt à nobis medicinaliter ſevera correptio: Dei eſt autem, eam facere utilem illis, quos præſcivit & prædeſtinavit conformes imaginis filii ſui, *&c. Quemadmodum enim externa incitamenta, ut miracula non poſſunt hominem convertere, niſi Deus intus operetur & illuminet: ita de correptione, quæ inſtar remedii & medicinæ contra peccatum adhibetur, exiſtimandum eſt.*

γ Nec interiori gratia hominem regat atque illuminet.] *Adeo verum eſt, neminem poſſe ad Chriſtum venire, niſi Pater eum traxerit, libr. de prædeſt. Sanctor. cap. 8. lib. 3. de Trinit. cap 8.* In ipſa viſa noſtram mentem juſtificando formare non poteſt niſi Deus, prædicare autem Evangelium extrinſecus & homines poſſunt.

CAP. VII.

De cauſa & pertinacia ſceleris Cain, quem à facinore concepto nec Dei ſermo revocavit.

SEd hoc ipſum, quod ſicut potuimus, expoſuimus, quum Deus loquutus eſſet ad Cain *a* α eo modo, quo primis hominibus per creaturam ſubjectam velut eorum ſocius forma congrua loquebatur, quid ei profuit? β Nonne conceptum ſcelus in necando fratre etiam poſt verbum divinæ admonitionis implevit? Nam quum ſacrificia diſcreviſſet amborum, in illius reſpiciens, hujus deſpiciens, *b* γ quod non dubitandum eſt, potuiſſe cognoſci ſigno aliquo atteſtante viſibili: & hoc ideò feciſſet Deus, quia mala erant opera hujus, fratris verò ejus bona: contriſtatus eſt Cain valdè, & concidit facies ejus. δ Sic enim
Gen. 4. ſcriptum eſt, *Et dixit Dominus ad Cain: Quare triſtis factus es, & quare concidit facies tua? c Nonne ſi rectè offeras, rectè autem non dividas, d peccaſti? quieſce, e ad te enim converſio ejus, & tu dominaberis illius.* In hac admonitione quam Deus protulit ad Cain, illud quidem, quod dictum eſt: Nónne ſi rectè offeras, rectè autem non dividas, peccaſti, quia non elucet, cur vel unde ſit dictum, multos ſenſus peperit ejus obſcuritas, quum divinarum ſcripturarum quiſque tractator ſecundùm fidei regulam id conatur exponere. Rectè quippe offertur ſacrificium, quum offertur Deo vero, cui uni tantummodo ſacrificandum eſt. Non autem rectè dividitur, dum non diſcernuntur rectè vel loca, vel tempora, vel res ipſæ, quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur, vel hi quibus ad veſcendum diſtribuitur, quod oblatum eſt: ut diviſionem intelligamus hic † diſcretionem, ſive quum offertur, ubi non oportet, aut quod non ibi, ſed alibi oportet: ſive quum offertur, quando non oportet, aut quod non tunc, ſed aliàs oportet: ſive quum id offertur, quod nuſquam & nunquam penitus debuit: ſive quum electiora ſibi ejuſdem generis rerum tenet homo, quàm ſunt ea, quæ offert Deo: ſive quum ejus rei, quæ oblata eſt, ſit particeps profanus, aut quilibet, quem fas non eſt fieri. In quo autem horum Deo diſplicuerit Cain, facile non poteſt inveniri. Sed quoniam Joannes Apoſtolus, quum de his fratribus loque-
1 Ioh. 3. retur: *Non ſicut Cain,* inquit, *qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et cujus rei gratia occidit eum? quia opera illius maligna fuerunt, fratris autem ejus juſta:* datur intelligi, propterea Deum non reſpexiſſe in munera ejus: quia hoc ipſo malè dividebat, *f* dans Deo aliquid ſuum, ſibi autem ſeipſum. Quod omnes faciunt qui non Dei, ſed ſuam ſectantes voluntatem, id eſt, non recto, ſed perverſo corde viventes offerunt Deo munus, quo putant eum redimi, ut eorum non opituletur ſanandis pravis cupiditatibus, ſed explendis. Et hoc eſt pro-

(margin: *al. diſcretionem.*)

proprium terrenæ civitatis, Deum vel deos colere, quibus adjuvantibus regnet in victoriis & pace terrena non charitate conſulendi, ſed dominandi cupiditate. *s* Boni quippe ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo: mali autem contra, ut fruantur mundo uti volunt Deo, *g* qui tamen eum vel eſſe, vel res humanas curare jam credunt. Sunt enim multò deteriores, qui ne hoc quidem credunt. Cognito itaque Cain, quòd ſuper ejus germani ſacrificium, non ſuper ſuum reſpexerat Deus, utique fratrem bonum mutatus imitari, non elatus debuit æmulari. Sed quia contriſtatus eſt & concidit vultus ejus, hoc peccatum maximè arguit Deus, triſtitiam de alterius bonitate, & hoc fratris. Hoc quippe arguendo interrogavit, dicens: *Quare contriſtatus es, & quare concidit facies tua?* quia enim fratri invidebat, Deus videbat, & hoc arguebat. Nam hominibus, quibus abſconditum eſt cor alterius, eſſe poſſet ambiguum, & prorſus incertum, utrum illa triſtitia malignitatem ſuam, in qua ſe Deo diſplicuiſſe didicerat, an fratris doluerit bonitatem, quæ Deo placuit, quum ſacrificium ejus aſpexit. Sed rationem Deus reddens, cur ejus oblationem accipere noluerit, ut ſibi ipſe potius meritò quàm ei immeritò frater diſpliceret, quum eſſet injuſtus non rectè dividendo, hoc eſt, non rectè vivendo, & indignus cujus approbaretur oblatio, quàm eſſet injuſtior, quòd fratrem juſtum gratis odiſſet, oſtendit. Non tamen eum dimittens ſine mandato ſancto, juſto & bono: *Quieſce*, inquit, *ad te enim converſio ejus, & tu dominaberis illius.* Nunquid fratris? Abſit. Cujus igitur, niſi peccati? Dixerat enim: Peccaſti: tum deinde addidit, *Quieſce, ad te enim converſio ejus, & tu dominaberis illius.* Poteſt quidem ita intelligi, ad ipſum hominem converſionem eſſe debere peccati, ut nulli alii quàm ſibi ſciat tribuere debere quòd peccat. Hæc eſt enim ſalubris pœnitentiæ medicina, & veniæ petitio non incongrua, ut ubi ait, ad te enim converſio ejus, non ſubaudiatur erit, ſed ſit, præcipientis videlicet, non prædicentis modo. Tunc enim dominabitur quiſque peccato, ſi id ſibi non defendendo præpoſuerit, ſed pœnitendo ſubjecerit: alioquin & illi ſerviet dominanti, ſi patrocinium adhibuerit accidenti. Sed ut peccatum intelligatur concupiſcentia ipſa carnalis, de qua dicit Apoſtolus: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum:* in cujus carnis fructibus & invidiam commemorat, qua utique Cain ſtimulabatur & accendebatur in fratris exitium: benè ſubauditur erit, id eſt, ad te enim converſio ejus erit, & tu dominaberis illius. Cùm enim commota fuerit pars ipſa carnalis, quam peccatum appellat Apoſtolus, ubi dicit: *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum:* quam partem animi etiam philoſophi dicunt eſſe vitioſam, non quæ mentem debeat trahere, ſed cui mens debeat imperare, eamque ab illicitis operibus ratione cohibere: cùm ergo commota fuerit ad aliquid perperam committendum, ſi acquieſcatur & obtemperetur dicenti Apoſtolo: *Ne exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato:* ad mentem domita & victa convertitur, ut ſubditæ ratio dominetur. Hoc præcipit Deus huic, qui facibus invidiæ inſlammabatur in fratrem, & quem debuerat imitari, cupiebat auferre, *Quieſce*, inquit, id eſt manus à ſcelere contine: *Non regnet peccatum in tuo mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus,*

Gal. 5. *Rom. 6.* *Rom. 6.* *Gen. 4.*

ejus, ne exhibeas membra tua iniquitatis arma peccato. Ad te enim converſio ejus, dum non adjuvatur relaxando, ſed quieſcendo frænatur. *Et tu dominaberis illius.* Ut cùm forinſecus non permittitur operari, ſub poteſtate mentis regentis & benevolentis, aſſueſcat etiam intrinſecus non moveri. Dictum eſt tale aliquid in eodem divino libro & de muliere, quando poſt peccatum Deo interrogante atque judicante damnationis ſententias acceperunt, in ſerpente diabolus, & in ſeipſis illa & maritus. Cùm enim dixiſſet ei: *Multiplicans multiplicabo triſtitias*
Gen. 3. *tuas & gemitum tuum, & in triſtitiis paries filios:* deinde addidit: *Et ad virum tuum converſio tua, & ipſe dominabitur tui.* Quod dictum eſt ad Cain de peccato vel de vitioſa carnis concupiſcentia, hoc iſto in loco de peccatrice fœmina: ubi intelligendum eſt, virum ad regendam uxorem, animo carnem regenti ſimi-
Eph. 5. lem eſſe oportere. Propter quod dicit Apoſtolus. *Qui diligit uxorem ſuam, ſeipſum diligit. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit.* Sananda ſunt enim hæc, ſicut noſtra: non ſicut aliena damnanda. Sed illud Dei præceptum, Cain ſicut prævaricator accepit. Invaleſcente quippe invidentiæ vitio, fratrem inſidiatus occidit. Talis erat terrenæ conditor civitatis. ζ Quomodo autem ſignificaverit etiam Cain Judæos, à quibus Chriſtus occiſus eſt paſtor ovium hominum, quem paſtor ovium pecorum præfigurabat Abel: quia in allegoria prophetica res eſt: parco nunc dicere, & quædam hinc adverſus Fauſtum Manichæum dixiſſe me recolo.

Vid. etiã Aug. in Pſ. 118. con. 19. in medio. l. 11. c. 9. & 6. b. Vives.

a EO modo.] *Quærit 8. ſuper Gen. ad literam, quomodo Adæ locutus ſit Deus, ſpiritaliter, an corporaliter. Et reſpondet ſic, eſſe Deum locutum homini in paradiſo, ſicut etiam poſtea locutus eſt patribus, ſicut Abrahæ, ſicut Moſi, id eſt, in aliqua ſpecie corporali. Hinc eſt enim, quod audierunt ejus vocem ambulantis in paradiſo.*

b Quod non dub.] *Hieron. in Gen. Unde ſcire poterat Cain, quòd fratris ejus munera ſuſcepiſſet Deus & ſua repudiaſſet, niſi illa interpretatio vera eſſet, quam Theodotio poſuit: Et inflammavit Dominus ſuper Abel & ſuper ſacrificium ejus: ſuper Cain verò & ſuper ſacrificium ejus non inflammavit. Ignem autem ad ſacrificium devorandum ſolitum venire de cœlo, & in dedicatione templi ſub Solomone legimus, & quando Helias in monte Carmelo conſtruxit altare. Hier. hæc.*

c Nónne ſi rectè offeras.] *Sic LXX. Nos verò vulgò legimus: Nónne ſi benè egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Hieron. Et dixit Dominus ad Cain: Quare iraſceris, & quare concidit vultus tuus? nónne ſi rectè offeras, non rectè autem dividas, peccaſti? quieſce, ad te converſio ejus, & tu dominaberis ejus, Neceſſitate compellimur in ſingulis diutius immorari. Siquidem & nunc multò alius in Hebræo, quam in LXX. tranſlatoribus ſenſus eſt. Ait enim Dominus ad Cain: Quare iraſceris, & quare concidit vultus tuus? nónne ſi benè egeris, dimittetur tibi: & ſi non benè egeris, ante fores peccatum tuum ſedebit, & tali janitore comitaberis? Verùm quia liberi arbitrii es, moneo ut non tibi peccatum: ſed tu peccato domineris. Hæc Hieronym.*

d Peccaſti? quieſce.] *Ne rapiaris impetu animi. Monet, non deſperandum à pec-*

peccato, nec omnem de venia fiduciam abjiciendam. Eſt quidem peccati origo in homine ſocia individua: ſed quoniam liberi eſt homo arbitratus, poteſt illi vel ſervire, vel imperare.

e Ad te enim con. c.] *Græcè* ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ. *ubi antea ſimile verbum erat apud LXX.* πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου: *& ad virum tuum converſio tua. Aquila ſocietatem poſuit, Symmachus appetitum vel impetum, Vulgò habemus: Sub viri poteſtate eris: ita hic converſio eſt vel ſocietas, ut ſit peccatum ſocium, vel appetitus peccati ſit in homine, vel impetus, hoc eſt, in ejus manu: quod declarat etiam id quod addidimus: In poteſtate, & hoc eſt proximum vero, intelligi per illa verba, peccatum ſemper in manu & poteſtate hominis futurum, quemadmodum uxorem viri.*

f Dans Deo al.] *Non munera recipit Deus, ſed animum dantis. *(Ideò fruſtra mali ſacrificant, à quis non modò Deus, ſed nec vir bonus donari velit, ut inquit Plato.)**

g Qui tamen.] *Nam non omnes mali hoc credunt: ſed qui credunt mali, captare ſe Deum muneribus putant, ut ea ipſa, aurum utique aut argentum copioſius rependat, ſicut Herculi decima bonorum eſt oblata à Sylla & Craſſo, quò fierent locupletiores.*

α EO modo, quo primis hominibus per creaturam ſubjectam.] *Quomodo Deus loqueretur primis illis hominibus, aliàs dictum eſt, & docet ipſe lib. 9. de Geneſ. ad lit. cap. 2. nec exiſtimandum, Deum immediatè, & per ſeipſum unquam hominibus ſenſibili, & externa voce locutum eſſe, ſed per ſubjectam creaturam, vel etiam aliquando figuram externam, in qua ſui præſentiam exhiberet, qui ubique eſt, & voces formaret, ipſe efformavit.* F.L.Cap.

β Nónne conceptum ſcelus in necando fratre ſuo.] *Adeò obſtinatus & perverſus, ut nec verbis Dei revocaretur à tanto facinore. Ita nihil Sauli profuit Samuelis oratio, nihil Hebræorum juvit plebem prophetica interpellatio.*

γ Quod non dubitandum eſt, potuiſſe cognoſci aliquo ſigno.] *Quod verò fuerit illud externum ſignum, quo cognoverit Cain, oblationem fratris Abel placuiſſe Deo, non autem ſuam, D. Hieronymus tradition. Hebrai. in Geneſim dicit, non fuiſſe aliud quàm de cœlo repentè igne miſſo cremaſſe Deum, & conſumpſiſſe ſacrificium Abel intacta prorſus oblatione Cain. Unde Theodoretus ita hunc locum Geneſis,* Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus, *vertit* ἐνεπύρισεν. inflammavit Dominus ſuper Abel. *Et certè videtur valdè vero ſimilis hæc ſententia cùm nitatur multis ſcripturæ exemplis: Eo enim ſigno legimus poſtea ſæpè declaraſſe Deum ſibi placuiſſe aliquorum hominum ſacrificia, ut de ſacrificio Aaronis proditum eſt Levitici 9. de ſacrificio Gedeonis, Judic. 6. Davidis 1. Paralip. cap. 1. Salomonis 2. Paralip. cap. 7. Eliæ 3. Reg. 18.*

δ Contriſtatus eſt Cain valdè, & concidit facies ejus.] *Theodoret. quæſt. 41. in Geneſ.* ſi triſtatus eſt Cain, non ſuſceptis ejus oblationibus, ergo pœnitentiam egit. Nam pœnitentia eſt triſtitia: Angebat illum *(inquit)* non peccatum ſuum, ſed fratris proſperitas. *Id enim Aquila ſignificavit dicens in hunc modum, & ira-*

tus eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus, & dixit Dominus ad Cain, ſed quid iſthæc iracundia tibi? *εἰς τί ἐργιλόν σοι. Septuaginta ἵνα τί περίλυπος ἐγένου?* quare triſtis factus es?

5 Boni quippe ad hoc utuntur mundo ut fruantur Deo.] *Hæc certè ſumma perverſitas eſt frui utendis, & uti fruendis. Id enim eſt ultimum finem conſtituere in creatura, & Deo ipſo pluris facere creaturam commutabile bonum; quemadmodum definit lib. 1. de doctr. Chriſti. cap 3.* frui eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam; uti autem quod in uſum venerit ad id quod amas obtinendum referre, ſi tamen amandum eſt; & res, quibus fruendum eſt, ſunt quæ nos beatos faciunt, iſtis quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quaſi adminiculamur, ut ad illas, quæ nos beatos faciunt, pervenire atque his inhærere poſſimus: *Hanc differentiam ergò rectè conſtituit inter bonos & malos, quod mali fruantur mundo, ut utantur Deo, boni utantur mundo, ut fruantur Deo.*

ζ Quomodo autem ſignificaverit Cain Judæos.] *Quemadmodum Abel occiſus à fratre figura fuit Chriſti, ita Cain impius invidia & odio accenſus contra fratrem eo quod opera illius bona erant, ſua maligna, ſignificabat Judæos. Dicit verò, ſe in libris contra Fauſtum Manichæum id expoſuiſſe, nimirum lib. 12. cap. 9. ubi inter cætera hæc ſcribit:* Occiditur Abel minor natu à fratre majore natu, ille in campo, iſte in Calvariæ loco: *quod idem ſcribit in Pſal 39. ſicut etiam reprobatum ſacrificium Cain, ita reprobata ſacrificia Judæorum.*

Cap. VIII.

Quæ ratio fuerit, ut Cain inter principia generis humani conderet civitatem.

NUnc autem defendenda videtur mihi hiſtoria, *a* ne ſit ſcriptura incredibilis, quæ dicit, ædificatam ab uno homine civitatem eo tempore, quo non plus quàm viri quatuor, vel potius tres, poſteaquam fratrem frater occidit, fuiſſe videntur in terra: id eſt, primus homo pater omnium, & ipſe Cain & ejus filius Enoch: ex cujus nomine ipſo civitas nuncupata eſt. Sed hoc quos movet, parum conſiderant, *a* non omnes homines, qui tunc eſſe potuerunt, ſcriptorem ſacræ hujus hiſtoriæ neceſſe habuiſſe nominare: ſed eos ſolos, quos operis ſuſcepti ratio poſtulabat. Propoſitum quippe ſcriptoris illius fuit, per quem Spiritus ſanctus id agebat, per ſucceſſiones certarum generationum ex uno homine propagatarum pervenire ad Abraham: ac deinde ex ejus ſemine ad populum Dei: in quo diſtincto à cæteris gentibus præfigurarentur & prænunciarentur omnia, quæ de civitate, cujus æternum erit regnum, & de rege ejus, eodemque conditore Chriſto in ſpiritu prævidebantur eſſe ventura: ita ut nec de altera ſocietate hominum taceretur, quam terrenam dicimus civitatem, quantum ei commemorandæ ſatis eſſet, ut civitas Dei etiam ſuæ adverſariæ comparatione clareſcat. Cùm igitur ſcriptura divina ubi & numerum annorum, quos illi homines vixerunt commemorat, ita concludat, ut dicat de illo, de quo loquebatur, & genuit filios & filias, & fuerunt omnes dies illius vel illius, quos vixit anni tot,

ni tot,& mortuus eſt, nunquid quia eosdem filios & filias non nominat,ideò intelligere non debemus, per tam multos annos,quibus tunc in ſeculi hujus prima ætate vivebant, naſci potuiſſe plurimos homines , quorum cœtibus condi poſſent etiam plurimæ civitates? Sed pertinuit ad Deum, quo iſta inſpirante conſcripta ſunt,has duas ſocietates ſuis diverſis generationibus primitus digerere atque diſtinguere: ut ſeorſum hominum, hoc eſt, ſecundùm hominem viventium, ſeorſum autem filiorum Dei,id eſt,hominum ſecundùm Deum viventium generationes contexerentur uſque ad diluvium, ubi ambarum ſocitatum diſcretio concretioque narrantur: diſcretio quidem, quòd ambarum ſeparatim generationes commemorantur unius fratricidæ Cain: alterius autem qui vocabatur Seth. Natus quippe fuerat & ipſe de Adam, *b* pro illo quem frater occidit. Concretio autem,quia bonis in deterius declinantibus,tales univerſi facti fuerant,ut diluvio delerentur, excepto uno juſto, cui nomen erat Noë,& ejus conjuge,& tribus filiis totidemque nuribus, qui homines octo ex illa omnium vaſtatione mortalium per arcam evadere meruerunt. Quod igitur ſcriptum eſt,*Et cognovit Cain uxorem ſuam,& concipiens peperit Enoch, c & erat ædificans civitatem in nomine filii ſui Enoch:* non eſt quidem conſequens, *d* ut iſtum primum filium genuiſſe credatur. Neque enim hoc ex eo putandum eſt,quia dictus eſt,cognoviſſe uxorem ſuam,quaſi tunc ſe illi primitus concumbendo miſcuiſſet. Nam & de ipſo patre omnium Adam non tunc ſolùm hoc dictum eſt, quando conceptus eſt Cain, quem primogenitum videtur habuiſſe, verùm etiam poſterius eadem ſcriptura: *Cognovit*,inquit,*Adam uxorem ſuam, & concepit & peperit filium, & nominavit nomen illius Seth.* Unde intelligitur,ita ſolere illam ſcripturam loqui,quamvis non ſemper, cùm in ea legitur, factos hominum fuiſſe conceptus,non tamen ſolùm cùm primùm ſibi ſexus uterque miſceretur. Nec illud neceſſario argumento, ut primogenitum patri exiſtimemus Enoch, quòd ejus nomine civitas illa nuncupata eſt. Non enim ab re eſt, ut propter aliquam cauſam , cùm & alios haberet , diligeret eum pater cæteris amplius. *e* Neque enim & Judas primogenitus fuit, à quo & Judæa cognominata eſt & Judæi. Sed etiamſi conditori civitatis illius iſte filius primus eſt natus, non ideò putandum eſt,tunc à patre conditæ civitati nomen ejus impoſitum, quando natus eſt,quia nec conſtitui tunc ab uno poterat civitas, quæ nihil aliud eſt quàm hominum multitudo, aliquo ſocietatis vinculo colligata: ſed cùm illius hominis familia tanta numeroſitate creſceret, ut haberet jam populi quantitatem, tunc potuit utique fieri, ut & conſtitueret, & nomen primogeniti ſui conſtitutæ imponeret civitati. Tam longa quippe vita illorum hominum fuit,ut illic memoratorum, quorum & anni taciti non ſunt, qui minimum vixit ante diluvium, *f* ad ſeptingentos quinquaginta tres perveniret. Nam plures nongentos annos etiam tranſierunt, quamvis nemo ad mille pervenerit. *g* Quis itaque dubitaverit, per unius hominis ætatem tantum multiplicari potuiſſe genus humanum, ut eſſet unde conſtitueretur non una, ſed plurimæ civitates? Quod ex hoc conjici facillimè poteſt,quia ex uno Abraham non multò amplius quadrin-

Gen. 4.
Gen. 4.

dringentis annis numeroſitas Hebrææ gentis tanta procreata eſt, ut in exitu ejusdem populi ex Ægypto ſexcenta millia hominum fuiſſe referantur bellicæ juventutis, ut omittamus gentem Idumæorum non pertinentem ad populum Iſrael, quam genuit frater ejus Eſau nepos Abrahæ, & alias gentes natas ex ſemine ipſius Abrahæ, *b* non per Saram conjugem procreatas.

L. Vivu. *a* NOn omnes homines, qui tunc eſſe potuerunt.] *Noe filium fuiſſe Jonicum nationis ſiderum cælorumque periiiſſimum ferunt, cujus Moſes meminit.*

b Pro illo quem frater occidit.] *Ideò dictus eſt Seth, q. θέσις, ut Hieronymus inquit, hoc eſt, poſitio, quia poſitus eſt pro Abel.*

c Et erat ædificans civitatem.] *Inter prophanos ſcriptores quis urbem primus poſuerit, non convenit, alii Cecropem volunt, ut Plinius, qui eam extruxit, quæ poſtea ἀκρόπολις, id eſt, arx dicta eſt Athenienſibus, prius erat Cecropia. Strabo. Argos prius Phoroneo dicit conditos, quod Homerus Pelaſgun nominat. Ægyptii omnium antiquitatum gloriam ementitis annalibus ad ſe trahunt, & Dioſpolim, quæ ſunt Thebæ, tempore omnes antecedere aſſeverant. Verùm Enochia hæc, ut Joſephus vocat, omnium eſt vetuſtiſſima, quam Cain, cùm exagitaretur furiis cæſi fratris, nec ullus ſibi locus tutus ſatis videretur, condidit, muriſq; cinxit, & terminos agro poſuit: per quam civitatem mundum, & diaboli civitatem ſignificari, teſtatur Hieronymus ad Marcellam.*

d Ut iſtum primum filium genuiſſe credatur.] *Joſephus, ſi modò benè eſt à Ruffino verſus, ſeniorem filium Cain dicit Enoch, ſed is, quod primum legentibus videri in ſacris literis poſſet, eſt ſecutus.*

e Neque enim & Judas primogenitus.] *Fuit enim quartus Jacob filius ex Lea. Judæa olim à filio Can Cananæo Cananæa dicebatur, ſicut Joſephus tradit: deinde à Juda Jacob filio Judæa. Idem Juſtinus lib. XXXVI. qui ſolum decem filios Iſraël ponit: ſed ſic errat, ut cùm narrat ipſum Iſraëlem populum totum de nomine filii Judæ, qui poſt diviſionem, ſed ante patrem de vita diſceſſerat, Judæos vocaſſe. Lactant. lib. 4. Hebræos tradit egreſſos jam Ægyptum in quadam Syriæ ſolitudine, cùm conſediſſent, cœptos appellari Judæos, quòd dux ejuſce examinis erat Judas, & terra quam incoluere Judæa. Verùm credo cognominationem inde ortam: unde & tribus Juda regnum meruit, quòd ea prima poſt Moſen, cæteris cunctantibus inter undas Erythræi maris eſt ingreſſa, quod putant Hebræi intelligi cum Gen. 49. dicit Jacob Judæ. Ex captivitate, fili mi, aſcendiſti. Nam ſic legunt ipſi.*

f Ad ſeptingentos quinquaginta tres.] *De Lamech puta patre Noë, quem Hebraica ſcriptura refert, vixiſſe annos quingentos ſeptuaginta ſeptem: LXX. dicunt, ἔτη ἑπτακόσια πεντηκοντατρία, id eſt, annos ſeptingentos quinquaginta tres.*

g Quis itaque dubitaverit per unius hominis ætatem.] *Fuit memoria patrum vicus penè centum domorum in Hiſpania, cujus omnes incolæ erant à ſene quodam, qui adhuc vivebat, progeniti, ita ut propinquitatis nomen jam deeſſet, quo à minimis natu vocaretur. Lingua enim noſtra ſupra abavum non aſcendit.*

h Non per Saram.] *Iſmaëlitæ ex filio Agar Iſmaële.*

aNe

a NE ſit Scriptura incredibilis, quæ dicit.] *In Scriptura ſacra, Geneſ. 4. ſcribitur, Cainum ædificaſſe civitatem & nomen ejus vocaviſſe ex nomine filii ſui Henoch. Ita Joſephus libro 1. antiquit. cap. 3. de Caino;* ὅρυς ἤγης πρῶτ☉ ἔγετο καὶ πόλιν ἐδείματο καὶ τείχεσιν ὠχύρωσεν. *Sola certè Scriptura divina veritatem continet, & redarguit mendacia reliquorum ſcriptorum, atque inprimis ex eo loco ſcripturæ redarguuntur errores de prima civitatum conſtitutione. Certè Ariſtoteles, qui exiſtimavit mundum æternum, nullum putavit fuiſſe primum civitatum condendarum exordium, ſed ex principio falſò non niſi concluſionem falſam poterat deducere. Alter eorum fuit Poëtarum, qui finxerunt aureo illo ſæculo, quo Saturnus regnavit, nullas fuiſſe urbes, ſed poſtea cœptas ædificari, Jove regnante. Tertius fuit error Ægyptiorum; nam referente Platone in Timæo, ſacerdos quidam Ægyptius Soloni adfirmavit, urbem Athenarum novem annorum millibus conditam eſſe ante tempora Solonis, cùm ab exordio mundi uſque ad Solonem minus tribus annorum millibus & quingentis præteriiſſe conſtet. Quartus error Græcorum fuit & aliorum, ajentium, primam omnium urbem fabricatam eſſe à Cecrope, ob idq; primum Cecropiam, poſtea Acropolim dictam, aliorum dicentium primam urbem fuiſſe Argo, conditam à Phoronæo. At Cecrops fuit ferè æqualis Moſis, & Phoronæus vixit tempore Jacob patriarchæ. Quintus error fuit Ægyptiorum falsò jactantium Dioſpolim, hoc eſt Thebas, fuiſſe antiquiſſimam primamq; omnium, quæ in orbe fuere, civitatem. At certo conſtat ex ſcriptura, hanc eſſe primam civitatem Enochiam, ſeu Enoſam à Caino conditam. Oritur verò dubium qui potuerit aut etiam quorſum voluerit Cain ædificare civitatem: qui enim eam civitatem inhabitarent, non erant niſi tres, Cain, uxor ejus, & ejus filius, aut quinque ad ſummum, ſi utrumque primum parentem Adamum & Evam ſuperſtites comprehendamus eo numero; verùm ab eorum conſortio Cain jam diſceſſerat. Hanc eandem quæſtionem proponit, quæſtione 1. in Geneſim;* Quomodo Cain potuerit condere civitatem, cum civitas alicui utique conſtituatur hominum multitudini, illi autem duo parentes, & duo filii fuiſſe referantur, quorum filiorum ab altero alter occiſus eſt, in cujus occiſi locum alius natus eſſe narratur; *Hanc quæſtionem tribus modis hic diſſolvit, primò reſpondet, ſcripturam ſacram non omnes homines, qui tunc eſſe potuerunt, neceſſe habuiſſe nominare; Etſi igitur meminerit trium perſonarum ſuperius expreſſarum, nihilominus tot eſſe potuerunt; tum cùm Cain ædificavit civitatem; ut huic incolendæ ſufficerent. De unoquoque enim ſcriptura ſacra, cujus prius numerum annorum expreſſerat, referens quod mortuus ſit, ſubjungit,* Et genuit filios & filias. *Secundò reſpondet, non eſſe neceſſe, ut dicamus, Enoch fuiſſe primogenitum Cain, ſed ab eo genitum in ſenectute, ob idq; præter cæteros filios dilectum & charum, quemadmodum refert ſcriptura de Joſeph, quem pater præ cæteris diligebat, eo quod genuiſſet eum in ſenectute, & propterea de nomine ejus voluit civitatem à ſe conditam denominare; Nec verò ex eo, quod ſcriptum eſt, Cain cognoviſſe uxorem ſuam & genuiſſe Enoch, conſequens eſt, ipſum fuiſſe primogenitum. Ita enim Scriptura loquitur non ſolum cùm ſibi uterque ſexus miſcetur, verùm etiam ubi naſcuntur poſteriores filii, ut de Adamo non ſolum dictum eſt, quod cognoverit Evam uxorem ſuam, cum peperit primoge-*

F. L. Cap.

mogenitum ſuum Cain, verùm etiam cùm peperit Seth, qui poſterior fuit Caino & Abele, imò loco Abelis natus, qui eſſet pater juſtorum, qui ſucceſſere, cum omnes poſteri Cain in deterius prolapſi ſunt, dicitur, Et cognovit Adam uxorem ſuam, & concepit & peperit filium, & nominavit nomen illius Seth. *Verùm quia longè probabilius erat, Enoch fuiſſe primogenitum Cain, quod & ſcribit Joſephus libro 1. Antiquitatum, cap. 3. ideò reſpondet tertiò, etiamſi primogenitus fuerit Cain, non tamen tum cum natus ab eo ædificatam eſſe civitatem, ex nomine filii ſui impoſitum ei nomen, ſed multo poſt, ſcilicet jam ſene ipſo Cain, utpote 500. vel 600. vel circiter annum agente, quo temporis ſpatio potuerit tantùm multiplicari progenies, ut non modo civitati, verùm etiam provinciæ inhabitandæ ſufficeret; cui rei argumento eſt adeò numeroſa illa progenies ex uno Abrahamo per 400. annos propagata, ut cum Hebræi ex Ægypto diſcederent, ſexcenta millia hominum fuiſſe referantur bellicæ juventutis, & omnes quidem per unam Saram ex uno Iſaac ab Abrahamo deſcendentes.* Cum ergo primi illi parentes, *ut ſcribit idem Divus Auguſtinus, quæſt. 1. in Geneſim,* pluribus vixerint annis quàm Iſraelitæ in Ægypto fuerunt, quis non videt quàm multi homines naſci potuerunt, unde illa civitas impleretur, ſi Hebræi multo minore tempore ita multiplicari potuerunt? *Beroſus Annianus, i. e. fictitius in lib. ſuo de temporibus ſcribit, Henochiam civitatem eſſe conditam circa Libanum montem, qui eſt ad Orientem comparatione regionis Damaſcenæ, fuiſſeq; ampliſſimam urbem & habitationem Gigantum; quibus addit Joannes Annius Viterbienſis in ſuo commentario, ſuo etiam tempore illius civitatis diruta cerni in monte Libano maxima & ingentis molis fundamenta, & vulgo ab incolis illius regionis dici civitatem Cain, idq; ſe à mercatoribus & peregrinis, qui Damaſcum & ad montem Libanum diverterant, accepiſſe. Genebrardus in Chronolog. putat, fuiſſe in Aſſyria, vel alia regione trans Tigrin, quæ eſſet orientalis ipſi paradiſo Edem. Ante eam Cain locum quemdam ædificaſſe à Joſepho ſcribitur Nais nomine, deinceps auctum familia hanc urbem conſtruxiſſe, ibiq; primum regni aut potius latrocinii, quo pii ad diluvium uſque infeſtati ſunt, formam & ſedem conſtituiſſe. Quid vero impulit Cain ad ædificandam civitatem? Certè Plato in Protagora cauſam cur ſe homines civitatibus incluſerint fuiſſe cenſet, ut ſe adverſus ferarum rabiem tutari ac defendere poſſent. Rectius Ariſtoteles 1. politicor. exordia civitatum à natura hominis repetit, docens, hominem eſſe animal politicum, multo magis ſociabile quàm apes, grues & quodvis aliud gregale animal. Inde vult primo in privatis domibus habitaſſe homines, ex domibus deinde multis pagum coaluiſſe, & ex multis pagis civitates. Fortaſſe etiam quædam privatæ rationes impium Cainum impulerunt, ut conderet civitatem, prima ſcilicet, ut tutior eſſet & ſecurior, perpetuò enim ſibi mortem timebat, quemadmodum ex ejus verbis ad dominum conſtat, ubi dominus eum arguit & convincit fratricidii, ſecunda etiam fortaſſe, ut cuncta illius familia in unum populum coaleſceret, cujus ipſe dominus eſſet. Tertia denique, ut facilius prædari, latrocinia exercere, & prædas agere poſſet, ut enim ſcribit Joſephus,* primus Cain domeſticas facultates per vim & rapinas augere conatus eſt, & aliis Dux ad maleficia exſtitit, eam civitatem ſola multitudine ſuæ poſteritatis implevit. *Iſidorus in Chronic.*

Joſe-

Joſephus, Cedrenus ita de Caino ὁ δὲ Καῒν πρῶτος ἄροτρον εὗρε, καὶ πόλιν ἔκτισε ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ενοχ, καὶ ὅτι μετὰ τὴν καταδίκην ἅρπαξ καὶ πλεονέκτης ἐγένετο μέτρα καὶ σταθμία καὶ ὅρους γῆς πρῶτος ἐπινοήσας, καὶ τοὺς οἰκείους εἰς ἓν συναγωγὼν ἐν πολέμοις ἀκολουθεῖν ἐδίδασκεν.

CAP. IX.

De longa vita hominum, quæ fuit ante diluvium, & de ampliore humanorum corporum forma.

QUamobrem nullus prudens rerum exiſtimator dubitaverit, Cain non ſolum aliquam, verùm etiam magnam potuiſſe condere civitatem, *a* quando in tam longum tempus protendebatur vita mortalium, niſi fortè infidelium quiſpiam ex ipſa numeroſitate annorum nobis ingerat quæſtionem, qua vixiſſe tunc homines, ſcriptum eſt in autoribus † noſtris: & hoc neget eſſe credendum. Ita quippe non credunt etiam magnitudines corporum longè ampliores tunc fuiſſe quàm nunc ſunt. *a* Unde & nobiliſſimus eorum poëta Vergilius, de ingenti lapide, quem in agrorum limite infixum, vir fortiſſimus illorum temporum pugnans, & rapuit, & cucurrit, & intorſit, & immiſit:

Gen. 4.

al. autoritatibus.

> *Vix illud,* inquit, *lecti bis ſex cervice ſubirent.*
> *Qualia nunc hominum producit corpora tellus.*

b Significans majora tunc corpora producere ſolere tellurem. Quanto magis igitur temporibus recentioribus mundi, ante illud nobile diffamatumque diluvium. Sed de corporum magnitudine plerunque incredulos nudata per vetuſtatem, ſive per vim fluminum, varioſque caſus ſepulchra convincunt: ubi apparuerunt, vel unde ceciderunt incredibilis magnitudinis oſſa mortuorum. Vidi ipſe non ſolus, ſed aliquot mecum in Uticenſi littore *c* β molarem hominis dentem tam ingentem, ut ſi in noſtrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuiſſe. Sed illum gigantis alicujus fuiſſe crediderim. Nam præter quòd erant omnium multo majora, quàm noſtra tunc corpora gigantes longè cæteris anteibant. Sicut aliis deinde noſtriſque temporibus rari quidem, ſed nunquam fermè defuerunt, qui modum aliorum plurimum excederent. *d* γ Plinius Secundus doctiſſimus homo, quantò magis magiſque præterit ſeculi excurſus, minora corpora naturam ferre teſtatur. δ Quod etiam Homerum commemorat ſæpè carmine fuiſſe conqueſtum: non hæc velut poëtica figmenta deridens, ſed in hiſtoricam fidem tanquam miraculorum naturalium ſcriptor aſſumens. Verùm, ut dixi, antiquorum magnitudines corporum inventa plerunque oſſa, quoniam diuturna ſunt, etiam multo poſterioribus ſeculis produnt. Annorum autem numeroſitas cujuſque hominis, quæ temporibus illis fuit, nullis nunc talibus documentis venire in experimentum poteſt. Nec tamen ideò fides ſacræ huic hiſtoriæ deroganda eſt, cujus tantò impudentius narrata non credimus, quantò impleri certius prænunciata conſpicimus. *e* Dicit tamen etiam Plinius, eſſe adhuc gentem, ubi ducentos annos vivitur. Si ergò humanarum vitarum diuturnitates, quas experti non ſu-

ſumus, hodie habere creduntur incognita nobis loca, cur non habuiſſe credantur & tempora? An verò eſt credibile alicui eſſe quod hic non eſt: & incredibile eſt aliquando fuiſſe, quod nunc non eſt?

L.Viv. *a* UNde & nobiliſſimus eorum poëta.] *Vergilius duodecimo Æneidos de Turno, quod ex Homero Iliad. 6. ſumpſit, qui in pugna Diomedis & Æneæ, Diomedem canit ſaxum, quod jacebat in agro ingens, & ponderoſius viribus quatuordecim juvenum, οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν, quales, inquit, nunc ſunt homines, raptum intorſiſſe in Æneam: quo ictu hic proſtratus tectus eſt Venere matre, diffuſa caligine nigra. Juvenalis Satyra decima quinta utrumque & Vergilianum & Homericum dictum attigit.*

Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis
Incipiunt torquere domeſtica ſeditione
Tela, nec hunc lapidem quali ſe Turnus & Ajax,
Et quo Tytides percuſſit pondere coxam
Æneæ, ſed quem valeant emittere dextra
Illis diſſimiles, & noſtro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque puſillos,
Ergo Deus quicunque aſpexit, ridet & odit.

b Significans majora nunc corpora.] *Idem Vergil 1. Georg.*

Grandiaq; effoſſis mirabitur oſſa ſepulchris.

c Molarem hominis dentem] *Feſto divi Chriſtophori cùm ſalutatum iſſemus illum ad maximum urbis noſtræ templum, oſtenſus eſt nobis dens molaris pugno major, quem dicebant, eſſe illius. Aderat mecum Hieronymus Burgarinus juvenis ingenio caſtiſſ. & ſupra modum ſobrio, ſtudiiſq; bonarum artium dediſſimo: ad quod cùm ſuapte natura factus & appoſitus eſſet, tum etiam magnum illi erat calcar patris ſapientiſſ. monita & exemplum, qui vir natu grandior, & ampla familia magniſq; opibus & negotiis diſtrictus dabat ſe nihilominus literis, ut hoc ſaltem quod viderent liberi imitarentur.*

d Plinius ſecundus doctiſſimus homo.] *Hujus habemus Hiſtoriam naturæ. Nihil neceſſe eſt, ut vel opus laudetur, vel autoris ingenium, diligentia, eruditio: ejus lib. 7. hæc ſunt verba: In plenum autem cuncto mortalium generi minorem indies fieri ſtaturam propemodum obſervatur, raroſq; patribus proceriores, conſumente ubertatem ſeminum exuſtione, in cujus vices nunc vergat ævum. In Creta terræ motu rupto monte inventum eſt corpus ſtans 46. cubitorum, quod alii Orionis, alii Oti fuiſſe tradunt. Oreſtis corpus oraculi juſſu refoſſum ſeptem cubitorum fuiſſe, monumentis traditur. Jam verò ante annos propè mille vates ille Homerus non ceſſavit minora corpora mortalium, quàm priſca conqueri. Hæc Plinius. Cyprianus in eandem ſententiam ſcribit adverſus Demetrianum, & idem dicit Uriel Angelus Domini Eſdræ. Gellius lib. 3. præter hæc modum eſſe dicit ſummum adoleſcendi humani corporis ſeptem pedes, quod eſſe magis verum arbitramur, quàm quod Herodotus homo fabulator in primo Hiſtoriarum, inventum eſſe ſub terra ſcripſit Oreſtis corpus, cubita ſon-*

m longitudinis habens ſeptem, quæ faciunt pedes 12. & quadrantem, niſi ut Homerus opinatus eſt, vaſtiora prolixioráque fuerunt corpora hominum antiquorum, & nunc quaſi mundo ſeneſcente rerum atque hominum decrementa ſunt. Verùm Plato, Ariſtoteles, & cæteri Philoſophi hos ſecuti, quique immortalem eſſe mundum putant, nec ſeneſcere, nec minui, nec debilitari exiſtimant.

ε Dicit tamen etiam Plinius.] *Eodem libro 7. cap. 48. Hellanicus, inquit, quoſdam in Ætolia Epirorum gentis ducentos explere annos, cui aſtipulatur Damaſtes, memorans Pictoreum ex iis præcipuum corpore viribúſq; etiam ccc. vixiſſe.*

α QUando in tam longum tempus protendebatur vita mortalium.] *Quod* F.L. Cap.
homines in prima illa ætate adeò longævi fuerint, aſcribendum magis divinæ providentiæ quàm naturæ, ut ſtatim initio multiplicaretur genus humanum, ut primi illi homines ſcilicet Adamus primus parens à Deo immediatè edoctus, & ab eo deinde poſteri ad filios longè notitiam Dei creatoris propagarent, de mundi initio & creatione inſtituerent, ſuo exemplo eum colere, ſacrificiis placare, fidem in Chriſtum retinere docerent. Hanc itaque longævitatem referente Genebrardo R. Levi ſcribit, opus fuiſſe providentiæ non naturæ; tamen etiam ab antiquis ut & Gentilibus ſcriptoribus memoriæ proditum fuiſſe, quoſdam vixiſſe ad quingentos & ſexcentos & eo amplius annos; auctor eſt Joſephus, qui libro 1. Antiquit. extremis verbis cap. 4. teſtes hujus rei citat Manethonem Ægyptiarum rerum, Beroſum Chaldaicarum ſcriptores; Item Mochum, Haſtiæum, Hieronymum Ægyptium, qui Phœnicum res proſecuti ſunt; Heſiodum quoque cum Hecatæo, Hellanicum & Aceſilaum, Ephorum & Nicolaum, qui referunt, priſcos illos ad mille annos vitam produxiſſe. Plinius lib. 7. cap. 48. memorat, Alexandrum Cornelium & Xenophontem, qui vixiſſe quoſdam ad quingentos & ſexcentos atque etiam octingentos annos tradiderunt. Lactantius lib. 2. cap. 13. ſcribit, quod cum Varro ignoraret, cur aut quando vita hominis eſſet diminuta, nec ignoraret ex divinis literis proditum & per omnium ſcientiam publicatum in mille annos vitam hominis productam, annos Ægyptios interpretatus eſt, apud quos pro annis menſes habentur, ut non ſolis per duodecim ſigna circuitus faciat annum, ſed Luna, quæ orbem illum ſigniferum triginta dierum ſpatio illuſtrat. *Verùm ſubjungit.* Hoc argumentum, *inquit*, perſpicuè falſum eſt. Nemo enim tunc milleſimum annum tranſgreſſus eſt, nunc verò qui ad centeſimum perveniunt, quod fit ſæpiſſimè, mille certè ac ducentis menſibus vivunt.

β Molarem hominis dentem.] *Hieronymus Magius lib. 1. miſcellaneo. cap. 4. exiſtimat, formæ ſimilitudine Auguſtinum fuiſſe deceptum; non enim centuplo corporibus noſtris majora fuiſſe Gigantum corpora exiſtimandum, quod ex dente illo argueretur, ſed molarem illum Elephanti aut marinæ belluæ fuiſſe; ſed puto, facilè potuiſſe diſcernere Auguſtinum, an dens ille molaris hominis eſſet vel belluæ marinæ, nec nobis imponere voluiſſe, maximè cum legamus exploratores terræ Canaam retuliſſe, ſe vidiſſe filios Enacim, quibus comparati quaſi locuſtæ videbantur. Nec erit abſurdum, ſi D. Auguſtinum hyperbole quadam uſum dicamus, qua voluerit exprimere, in quantam molem aliqui homines ſupra cæteros excreverint.*

γ Plinius ſecundus homo doctiſſimus.] *Habemus illius de hiſtoria naturali triginta ſeptem libros varia eruditione refertos; alia præterea ſcripſit, quorum meminit in Bibliotheca Geſnerus & alii.*

δ Quod etiam Homerum commemorat.] *Humana indies creſcere corpora, Homerus Iliad. libro 5. ubi de Ænea à Diomede vulnerato loquitur, & libro 12. ubi de Ajace, itemque Hectore, haud obſcurè demonſtrat. Ad quæ Homeri loca reſpexit Juvenalis Satyr. 15.*

Nam genus hoc vivo tunc decreſcebat Homero,
Terra malos homines nunc educat atque puſillos.

CAP. X.

De differentia, quæ inter Hebræos & noſtros codices videntur annorum numeri diſſonare.

QUocirca α etſi inter Hebræos & noſtros codices de ipſo numero annorum nonnulla videtur eſſe diſtantia, quod ignoro, qua ratione ſit factum: non tamen tanta eſt, ut illos homines tam longævos fuiſſe diſſentiant: nam ipſe homo primus Adam antequam gigneret filium, qui appellatus eſt Seth, β ducentos triginta annos vixiſſe reperitur α in codicibus noſtris, γ in Hebræis autem centum triginta perhibetur. Sed δ poſteaquàm eum genuit, ſeptingentos vixiſſe legitur in noſtris, octingentos verò in illis. Atque ita in utriusque univerſitatis ſumma concordat. Ac deinde per conſequentes generationes antequàm gignatur, qui gigni commemoratur, minus vixiſſe apud Hebræos pater ejus invenitur centum annos: ſed poſteaquàm eſt genitus, idem ipſi centum minus quàm in Hebræis inveniuntur in noſtris. Atque ita hinc & inde numeri univerſitas conſonat. In ſexta autem generatione nuſquàm utrique codices diſcrepant. ε In ſeptima verò, ubi ille, qui natus eſt ζ Enoch non mortuus, ſed quòd Deo placuerit, translatus eſſe narratur, eadem diſſonantia eſt, quæ in ſuperioribus quinque de centum annis antequàm gigneret eum, qui ibi commemoratus eſt filium: atque ita in ſumma ſimilis conſonantia. Vixit enim annos, antequàm transferretur, ſecundùm utroſque codices CCCLXV. Octava generatio habet quidem nonnullam diverſitatem, ſed minorem ac diſſimilem cæteris. Mathuſalem quippe, cum genuit Enoch, antequàm gigneret eum, qui in ipſo ordine ſequitur, ſecundùm Hebræos non centum minus, ſed viginti amplius vixit annos: qui rurſus in noſtris, poſteaquàm eum genuit, reperiuntur additi, & in utriſque ſibi ſumma univerſi numeri occurrit. In ſola nona generatione, id eſt, in annis Lamech filii Mathuſalem patris autem Noë, ſumma univerſitatis diſcrepat, ſed non plurimum. Viginti enim & quatuor annos plus vixiſſe in Hebræis, quàm in noſtris codicibus invenitur. Nam antequàm gigneret filium, qui vocatus eſt Noë, ſex minus habet in Hebræis, quàm in noſtris: poſtea verò quàm eum genuit, triginta amplius in eisdem quàm in noſtris. Unde ſex illis detractis, reſtant XXIV. ut dictum eſt.

Gen. 5.

a IN codicibus noſtris.] *Codices noſtros appellat, quibus Eccleſia tunc utebatur Latinis, ex interpretatione Septuaginta, antequàm Hieronymi interpretatio vel ederetur, vel reciperetur: codices verò Hebræos, qui ad Hebraicam ſcripturam erant verſi. Hieronymus in Geneſin: Vixit autem Adam ducentos & triginta annos, & genuit filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & vocavit nomen ejus Seth. Sciendum, quòd uſque ad diluvium, ubi in noſtris codicibus ducentorum, & quòd excurrit annorum, genuiſſe quis dicitur, in Hebræo habet centum annos, & reliquos qui ſequuntur. Fuerunt autem dies Adam, poſtquàm genuit Seth, ſeptingenti anni: quia in ducentis erravemt, conſequenter hic poſuit ſeptingentos, cùm in Hebræo hic habentur octingentos. Tantum Hieronymus, qui nihil excipit ex illa ratione computandi. Auguſtinus ſextam generationem demit, qua Jared genuit Enoch. ſed hæc generatio ducentos annos non excedit.* L. Viver.

a ETſi inter Hebræos & noſtros codices de ipſo numero annorum nonnulla videtur eſſe diſtantia] *A creatione Adami uſque ad diluvium, quod 600. anno vitæ Noë contigit, numerantur ſecundùm ſcripturam Hebraicam & editionem vulgatam anni mille ſexcenti quinquaginta ſex, & decem generationes interceſſerunt. Verùm ab hac computatione longè differt ea, quæ eſt ſeptuaginta interpretum. Nam ab Adamo ad diluvium habet numerum annorum 2242. adeò ut quingentis octoginta ſex annis ea ſupputatio ſuperet Hebraicam. Iſidorus in Chronico in annorum ſupputatione ferè ſeptuaginta interpretes ſequitur, ut etiam Julius Africanus, Origenes, Euſebius, aliiq; ex patribus antiquis. Alii verò eam rejiciunt, & enumerandi rationem ſecùndùm codices Hebraicos ſequuntur, Philo, & Hebræorum Chronicon. Divus Hieronymus quæſtionibus in Geneſim.* Sciendum, *inquit*, quod uſque ad diluvium, ubi in noſtris codicibus ducentorum & quod excurrit annorum quis dicitur genuiſſe, in Hebræo habeat centum annos & reliquos, qui ſequuntur. F.L.Coqu.

β Ducentos triginta annos habuiſſe dicitur in codicibus noſtris.] *Ex hoc loco conſtat, Eccleſiam Latinam uſam fuiſſe tunc temporis verſione Latina ex interpretatione ſeptuaginta, antequam D. Hieronymus ſacras ſcripturas verteret ex Hebræo, quæ verſio deinde obtinuit in Eccleſia. Editiones enim Latinæ ante tempora D. Hieronymi plurimæ fuerunt, teſte D. Auguſtino libr. 2. de doctrin. Chriſt. cap. 11.* Qui, *inquit*, ex Hebræa lingua ſcripturas in Græcam verterunt linguam, numerari poſſunt, Latini autem nullo modo: ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibimet utriusque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari: *quod idem teſtatur Divus Hieronymus præfat. in Joſue.* Apud Latinos, *inquit*, tot ſunt exemplaria, quot codices, cum unusquisque pro arbitrio ſuo vel addiderit vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt, *& Latinæ illæ interpretationes factæ erant plurimæ ex verſione ſeptuaginta, ideoq; de his loquens D. Auguſtinus rectè dicit, noſtros codices 230. annos habuiſſe, quia ita tunc temporis habebat verſio ſeptuaginta interpretum; Ex illis tamen Latinis editionibus una erat communior, quæ vetus & vulgata editio dicebatur, ut conſtat ex B. Gregorio præfati. in libros moral. cap 5. & ex B. Hieronymo in cap. 14. & 49. Iſaiæ; quæ videtur eſſe Itala interpretatio, de qua D. Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 15.*

In ipſis interpretationibus Itala cæteris præfertur. nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ. In editione 70. prout ante paucos annos opera Flaminii Nobilii & Græcè & Latinè reddita Romæ edita eſt, legitur ἔζησε δὲ Ἀδὰμ τριάκοντα καὶ διακόσια ἔτη καὶ ἐγέννησε κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ καὶ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Σήθ. *id eſt*, Vixit autem Adam triginta & ducentos annos, & genuit ad figuram ſuam & ad imaginem ſuam, & vocavit nomen ejus Seth.

γ In Hebræis autem centum triginta perhibetur.] *Ita enim habet textus Hebreus* ויק נא ארת שמז שה זיהי ארם שלשים ומארת שנה זיולר נרסותו בצלסן.

δ Poſtquam autem genuit, ſeptingentos.] *In annis vitæ Adami protoparentis concordant & Hebrai codices. & interpretatio ſeptuaginta. Ex utraque enim ſcriptum conſtat, Adamum deceſſiſſe anno vitæ 930. cum conſpicatus eſſet filios filiorum & nepotum ſuorum uſque ad nonam generationem, agente tum Lamecho patre Noe annum ætatis quinquageſimum ſextum.*

ε In ſeptima ubi ille qui natus eſt Enoch.] *In Hebræis codicibus dicitur, Enoch genuiſſe filium Mathuſalem anno ætatis 65. ſed in editione 70. Interpretum dicitur, eum genuiſſe cum haberet ſexaginta & centum annos, in numero tamen annorum vitæ conveniunt. Nam Hebræi codices trecentos annos vitæ addunt Enoch, antequam transferretur à Deo: ſeptuaginta tamen 200. poſtquam genuit Mathuſalem.*

ζ Enoch non mortuus, ſed quòd Deo placuerit translatus] *De eo legitur Sapient. 4.* Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ejus. *Hebræo. 11.* Fide Enoch translatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Dominus. *Eccleſiaſt. 44.* Henoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam. *Translatus autem eſt Heliæ ſociandus, ut duo teſtes idonei ſecundo Chriſti adventui præparentur in confutationem Antichriſti, & in gloriam judicantis filii Dei, Proſper cap. 6. lib. de providentia Dei, à Tertulliano lib. contra Judæos cap. 2. vocatur* æternitatis candidatus, *& lib. de anima cap. 50.* Translatus eſt, *inquit*, Enoch & Helias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet; cæterùm morituri reſervantur, ut Antichriſtũ ſanguine ſuo exſtinguant, *& lib. de reſurr. carn. cap. 58. vocat Enoch & Heliam æternitatis candidatos. Translatum eſſe non mortuum docent, & Philo Judæus lib. de vita ſapientis, ubi ſcribit, Deum illum tranſtuliſſe non per mortem, ſed per ſeparationem à conſortio & frequentia impiorum hominum ad ignotum vulgo virtutis receſſum, Irenæus lib. 1. c. 5 lib. 4. c. 30. D. Hieron. adverſus Pelagianos lib. 3. & Patres omnes, idq; contra Hebræos, qui authore Genebrardo in Chronologia, anno mundi 687. mortuum ferè exiſtimant, & AbenEzra illud,* tranſtulit eum Dominus, *de morte intelligit. Quò translatus ſit & ubi agat quibuſue cibis alatur, aut veſte induatur, quærere ſuperuacuum putat D. Chryſoſtomus hom. 21. in Geneſim & 22. in Epiſtolam ad Hebræos. Inter quæſtiones, quæ ad fidem nihil pertinent, reputat D. Auguſtinus lib. 2. de peccato originali c. 23. minimè inquirendum, docet Theodoretus quæſt. 45. in Geneſ.* οὐ δεῖ ζητεῖν τὰ σεσιγημένα, στέργειν δὲ προσήκει τὰ γεγραμμένα.

ρῆμα. Non inquirenda, quæ ſilentio ſunt tradita, ſed veneranda, quæ ſcripta ſunt.

CAP. XI.

De annis Mathuſalem, cujus ætas quatuordecim annis videtur diluvium excedere.

PEr hanc autem diſcrepantiam Hebræorum codicum atque noſtrorum *a a* exoritur illa famoſiſſima quæſtio: ubi Mathuſalem quatuordecim annos vixiſſe poſt diluvium computatur, quum ſcriptura ex omnibus, qui in terra tunc fuerant, ſolos octo homines in arca exitium commemoret evaſiſſe diluvii, in quibus Mathuſalem non fuit. Secundùm codices enim noſtros, Mathuſalem prius quàm gigneret illum, quem vocavit Lamech, vixit annos centum ſexaginta ſeptem: deinde ipſe Lamech, antequàm ex illo natus eſſet Noë, vixit annos centum octoginta octo, qui ſimul fiunt trecenti quinquaginta quinque. His adduntur ſexcenti Noë, quoto ejus anno diluvium factum eſt: qui fiunt nongenti quinquaginta quinque, ex quo Mathuſalem natus eſt uſque ad annum diluvii. Omnes autem anni vitæ Mathuſalem nongenti ſexaginta novem computantur: quia quum vixiſſet annos centum ſexaginta ſeptem, & genuiſſet filium, qui eſt appellatus Lamech, poſt eum genitum vixit annos octingentos duos: qui omnes, ut diximus, nongenti ſexaginta novem fiunt. Unde detractis nongentis quinquaginta quinque ab ortu Mathuſalem uſque ad diluvium, remanent quatuordecim, quibus vixiſſe creditur poſt diluvium. Propter eum nonnulli, etſi non in terra, ubi omnem carnem quam vivere in aquis natura non ſinit, conſtat fuiſſe deletam, cum patre ſuo, qui translatus fuerat aliquantum fuiſſe, atque ibi donec diluvium præteriret, vixiſſe arbitrantur, nolentes derogare fidem codicibus, quos in autoritatem celebriorem ſuſcepit eccleſia: *β* & credentes, Judæorum potius quà iſtos non habere quod verum eſt. Non enim admittunt, quòd magis hic eſſe potuerit error interpretum, quàm in ea lingua eſſe falſum, unde in noſtram per Græcam ſcriptura ipſa translata eſt. Sed inquiunt, non eſſe credibile Septuaginta interpretes, qui uno ſimul tempore, unoque ſenſu interpretati ſunt, errare potuiſſe: aut ubi nihil eorum intereat, voluiſſe mentiri: Judæos verò dum nobis invident, quòd lex & Prophetæ ad nos interpretando tranſierunt, mutaſſe quædam in codicibus ſuis, ut in noſtris minueretur autoritas. Hanc opinionem vel ſuſpicionem accipiat quiſque ut putaverit, certum eſt tamen, non vixiſſe Mathuſalem poſt diluvium, ſed eodem anno fuiſſe defunctum, ſi verum eſt, quod de numero annorum in Hebræis codicibus invenitur. De illis autem Septuaginta interpretibus quid mihi videatur, ſuo loco diligentius diſſerendum eſt: quum ad ipſa tempora quantum neceſſitas hujus operis poſtulat, commemoranda adjuvante domino venerimus. Præſenti enim ſufficit quæſtioni ſecundùm utroſque codices tam longas habuiſſe vitas illius ævi homines, ut poſſet ætate unius, qui de duobus, quos ſolos terra tunc habuit, parentibus primus eſt natus, ad conſtituendam etiam civitatem multiplicari genus humanum.

1. Pet. 3. *Gen. 5.* *inf l. 18. c. 42 & 43.*

L.Vives. a EXoritur illa famoſiſſima quæſtio.] *Sic etiam Hieronymus celebrem hanc per omnes eccleſias fuiſſe quæſtionem ſcribit. Obiter annotabo famoſum non tam eſſe malæ, quàm multæ famæ, ſicut apud Græcos τηλέκλυτον. Lucanus, famoſa vetuſtas. Hieronymus erratum eſſe à lxx. in numero, quemadmodum in pleriſque aliis, affirmat, & ex libris Hebræorum ac Samaritanorum colligit, eodem anno Mathuſalem obiiſſe, quo diluvium contigit: quàm meritò Auguſtinus deridet eos, qui plus omninò volunt haberi fidei interpretationibus, quam linguis illis, unde ad cæteras ſacræ ſcripturæ manarunt.*

F.L.Coq. a EXoriturillа famoſiſſima quæſtio, ubi Mathuſalem.] *D. Hieronymus lib. de quæſt. Hebraicis in Geneſim.* Famoſiſſima *(inquit)* quæſtio & diſputatione omnium Eccleſiarum ventilata, quod juxta diligentem ſupputationem 14. annis poſt diluvium Mathuſala fuiſſe referatur. Etenim cum eſſet Mathuſala annorum centum ſexaginta ſeptem, genuit Lamech, rurſum Lamech cum eſſet annorum centum octoginta octo, genuit Noe, & fiunt uſque ad diem nativitatis Noe anni vitæ Mathuſala 355. ſexcenteſimo autem anno vitæ Noe diluvium factum eſt, ac per hoc habita ſupputatione per partes nongenteſimo quinquageſimo quinto anno Mathuſala diluvium fuiſſe convincitur. Cum autem nongentis ſexaginta novem annis vixiſſe ſit dictus, nulli dubium eſt, quatuordecim annos eum vixiſſe poſt diluvium, & quomodo verum eſt, quòd octo tantum animæ in arca Noe ſalvæ factæ ſunt; Reſtat ergo, *inquit,* ut quomodo in pleriſque, ita & in hoc ſit error in numero, ſiquidem & in Hebræis, & Samaritanorum libris ita ſcriptum reperi. Et vixit Mathuſala centum octoginta ſeptem annis, & genuit Lamech, & vixit Mathuſalah, poſtquam genuit Lamech ſeptingentos octoginta duos annos, & genuit filios & filias, & fuerunt omnes dies Mathuſala anni 969. & mortuus eſt, & vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit Noe. A die verò nativitatis Mathuſala uſque ad diem nativitatis Noe ſunt anni trecenti ſexaginta novem: his adde ſexcentos annos Noe, quia in ſexcenteſimo vitæ ejus anno factum eſt diluvium, atque ita fit, ut nongenteſimo ſexageſimo nono anno vitæ ſuæ Mathuſala mortuus ſit, eo anno quo cœpit eſſe diluvium. *Ergo computatio ſecundùm editionem ſeptuaginta dat occaſionem huic quæſtioni & difficultati. Verùm ex Hebraico textu facilè ſolvitur. D. Auguſtinus, quæſt. 2. in Geneſim;* Quæri ſolet, quomodo Mathuſalem ſecundùm annorum computationem vivere poſt diluvium potuerit, cum omnes præter eos, qui in arcam ingreſſi ſunt, periiſſe dicantur; ſed hanc quæſtionem plurium codicum mendoſitas peperit. Non ſolum quippe in Hebræis aliter invenitur, verùm etiam in Septuaginta interpretatione Mathuſalem in codicibus paucioribus, ſed veracioribus ſex annos ante diluvium reperitur fuiſſe defunctus. *Certum itaque, corruptos codices ſeptuaginta, quibus diluvium comperitur ſuperaſſe quatuordecim annos. Genebrardus ex Rabbi Salomon in 7. Geneſ. ſcribit, eum mortuum ipſo anno diluvii ſeptem diebus ante aquarum inundationem, ut ſanctè ſepeliri & lugeri à Noe nepote poſſet, & hoc loco ex Hebræis codicibus colligit eodem anno, quo diluvium, fuiſſe defunctum. Vide de eadem quæſtione Adonem in Breviario & Bedam libello de ſex ætatibus.*

ß Gre-

β Credentes, Judæorum potius quàm iſtos non habere quod verum eſt.] *Exiſtimarunt nonnulli, corruptos eſſe codices ab Hebræis, & ita ubi Hebræi Codices diſſentiunt à ſeptuaginta, præferendos eſſe ſeptuaginta ipſi ſcripturæ Hebraicæ. In qua ſententia eſt Julius Epiſcopus Toletanus, libr. 3. contra Judæos, Leo de Caſtro, libr. de tranſlatione ſacræ ſcripturæ, cap. 28. Jacobus de Valentia, præfat. in Pſalmos. Canus lib. 2. cap. 3. de locis Theologicis. Salmeron, prolegomenon 4. Sed de hoc inferius cap. 13.*

CAP. XII.

De opinione eorum, qui primorum temporum homines tam longævos quàm ſcribitur fuiſſe, non credunt.

α NEque enim ullo modo audiendi ſunt, qui putant, aliter annos illis temporibus computatos, id eſt, tantæ brevitatis, ut unus annus noſter decem illos habuiſſe credatur. Quapropter, inquiunt, cùm audierit quisque vel legerit nongentos annos quemquam vixiſſe, debet intelligere nonaginta. Decem quippe ille anni, unus eſt noſter, & decem noſtri, centum illi fuerunt. Ac per hoc, ut putant, viginti trium annorum fuit Adam quando genuit Seth, & ipſe Seth, viginti habebat annos & ſex menſes, quando ex illo natus eſt Enos, quos appellat ſcriptura ducentos & quinque annos. Quoniam ſicut iſti ſuſpicantur, quorum exponimus opinionem, β unum annum, qualem nunc habemus, in decem partes illi dividebant, & easdem partes annos vocabant. *a* Quarum partium habet una quadratum ſenarium, eo quòd Deus ſex diebus perfecerit opera ſua, ut in ſeptimo requieſceret, de qua re in libro undecimo, ſicut potui, diſputavi. Sexies autem ſeni, qui numerus quadratum ſenarium facit, triginta ſex dies fiunt, qui multiplicati decies, ad trecentos ſexaginta perveniunt, id eſt, duodecim menſes lunares. γ Propter quinque dies enim reliquos, quibus ſolaris annus impletur, & diei quadrantem, *b* propter quem quater ductum eo anno, quem biſſextum vocant, unus dies adjicitur, addebantur à veteribus poſtea dies, ut occurreret numerus annorum, quos dies Romani intercalares vocabant. Proinde etiam Enos, quem genuit Seth, decem & novem agebat annos, quando ex illo natus eſt filius Cainan, quos annos dicit ſcriptura centum nonaginta. Et deinceps per omnes generationes, in quibus hominum anni commemorantur ante diluvium, nullus ferè in noſtris codicibus invenitur; qui cùm eſſet centum annorum vel infra, vel etiam centum viginti aut non multo amplius genuerit filium: ſed qui minima ætate genuerunt, annorum centum ſexaginta, & quod excurrit, fuiſſe referuntur: quia nemo, inquiunt, decem annorum homo poteſt gignere filios, qui numerus centum appellabantur anni ab illis hominibus: ſed in annis ſedecim eſt matura pubertas, & proli jam idonea procreandæ, quos centum & ſexaginta annos illa tempora nuncupabant. Ut autem aliter annum tunc fuiſſe computatum non ſit incredibile, adjiciunt quod apud pleroſque ſcriptores hiſtoriæ reperitur, δ Ægyptios habuiſſe annum quatuor menſium, Acarnanas ſex menſium, Lavinios tredecim menſium. *c* Plinius Secundus,

quum commemoraſſet, relatum fuiſſe in literas, quendam vixiſſe centum quinquaginta duos, alium decem amplius, alios ducentorum annorum habuiſſe vitam, alios trecentorum, quoſdam ad quingentos, alios ad ſexcentos, nonnullos ad octingentos etiam perveniſſe, hæc omnia propter inſcitiam temporum accidiſſe arbitratus eſt. Alii quippe, inquit, æſtate unum determinabant annum, & alterum hyeme, alii quadripertitis temporibus, ſicut Arcades, inquit, quorum anni trimeſtres fuere. Adjecit etiam aliquando Ægyptios, quorum parvos annos quaternorum menſium fuiſſe, ſuprà diximus, lunæque fine eorum limitaſſe annum. Itaque apud eos, inquit, aliqui & ſingula millia annorum vixiſſe produntur. His velut probabilibus argumentis quidam non deſtruentes fidem ſacræ hujus hiſtoriæ, ſed aſtruere nitentes, ne ſit incredibile, quòd tam multos annos vixiſſe referuntur antiqui: perſuaſerunt ſibi, nec ſe ſuadere imprudenter exiſtimant, tam exiguum ſpatium temporis tunc annum vocatum, ut illi decem, ſint unus noſter, & decem noſtri, centum illorum. Hoc autem falſiſſimum eſſe, documento evidentiſſimo oſtenditur. Quod antequam faciam, non mihi tacendum videtur, quæ credibilior poſſit eſſe ſuſpicio. Poteramus certè hanc aſſeverationem ex Hebræis codicibus redarguere atque convincere, ubi Adam non ducentorum triginta, ſed centum triginta annorum fuiſſe reperitur, quando tertium genuit filium, qui anni ſi tredecim noſtri ſunt, procul dubio primum genuit, quando duodecim vel non multo amplius annorum fuit. Quis poteſt hac ætate generare uſitata iſta nobiſque notiſſima lege naturæ? Sed hunc omittamus, qui fortaſſe etiam quando creatus eſt potuit. Non enim eum tam parvum, quàm infantes noſtri ſunt factum fuiſſe, credibile eſt. Sed filius ejus non ducentorum quinque, ſicut nos legimus, ſed centum quinque fuit, quando genuit Enos: ac per hoc ſecundùm iſtos nondum habebat undecim annos ætatis. Quid dicam de Cainam ejus filio, qui quum apud nos centum ſeptuaginta reperiatur annorum, apud Hebræos ſeptuaginta legitur fuiſſe, quando genuit Malaleel? Quis generat homo ſeptennis, ſi tunc anni ſeptuaginta nuncupabantur, qui ſeptem fuerunt?

Gen. 5.

L. Vives. a QUarum partium habet una quadratum ſenarium.] *An potius unaquæque? Porrò quadratus aliquis numerus eſt, qui ex multiplicatione ejuſdem per ſe naſcitur, ut ter tria, quater quatuor, ſexies ſex. Annus verò ccclxv. dies habet & ſex horas: has ſex horas cum quinque diebus auferebant iſti computatores, ita partitis ccclx. in decem partes ſingulis ſenos & tricenos dies aſſignabant.*

b Propter quem quater ductum.] *De hoc Suetonius in Cæſare, Cenſorinus, Macrobius, Beda. Habebat enim olim annus ante Cæſarem ccclv. dies. Quumq́; viderent, anno juſto decem dies & ſex horas deeſſe, negotium datum eſt pontificibus, ut alternis annis menſem intercalarent in fine Februarii altera intercalatione xxij. annorum, altera quia quarto quoque anno excurrebant quater ſenæ horæ, id eſt, viginti quatuor xxiij. dierum, qui menſis aliud non habebat nomen, quàm intercalaris. Sic Aſconius dixiſſe ſcribit Ciceronem pro Milone menſe intercalari. C. Cæſar dictator hanc confuſionem intercalandi ſuſtulit, juſſitq́; annum eſſe ccclxv. dierum. Et quarto quo-*

eo quoque anno ineunte dies unus vj. Calend. Martias intercalaretur, qui biſſextus diceretur: quia bis vj. Calen. Martias eo anno computamus. Ut verò hæc nobis magis ad numerum & tempus congruerent, annum unum fecit xv. menſium, interjectis duobus menſibus inter Novembrem & Decembrem, cum intercalato, qui fortè in eum annum inciderat: quo deinde menſes ac dies ad curſum ſolis convenirent, & rationes æſtatis hyemisq; annum confuſionis nominarunt, protenſus eſt enim in cccxliij. dies, Sueton. Macrob.

ε Plinius Secundus quum commemoraſſet.] *Lib. 7. cap. 48.*

α NEque enim ullo modo audiendi ſunt.] *Cum primi homines dicuntur in ſacra Geneſi vitam ad octingentos & nongentos, & eo amplius annos produxiſſe, quod id fidem eorum excedat, interpretantur eos annos, ut non fuerint pares noſtris. Siquidem apud multas Gentes annus longè breviori ſpatio conſtabat, ut apud Ægyptios erat quatuor menſium, apud Arcananas ſex menſium, apud Samios 13. ita non erat apud omnes gentes una & eadem computandi ratio anni. Genebrardus in Chronolog. ad annum mundi 395.* Fruſtra dubitatur *(inquit)* an iſti anni fuerint æquales noſtris, nam ſcriptura nullos alios agnoſcit, & annus diluvii Geneſ. 7. & 8. dierum fuit 365. à 17. menſis ſecundi uſque ad 27. ejusdem menſis vertentis anni, menſium autem 12. nominato ſecundo, ſeptimo, decimo primo, iterum ſecundo, cujus dies vigeſimus ſeptimus exprimitur, ne quis cogitet menſes pauciorum dierum quàm nunc. *Vide Toſtatum in caput 4. Geneſ. quæſt. 4.* P.L.Cap.

β Unum annum qualem nunc habemus in 10. partes illi dividebant.] *Scribit Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 12. Romanos veteres ſuum annum habuiſſe decem menſibus ordinatum; & quilibet menſis conſtabat 36. diebus, decem autem ducta per 36. efficiunt 360. dies, quibus conſtabat annus Romanus, ut etiam apud Ægyptios, quibus adjiciebant quinque dies Solaris circuitus, & quarto quoque anno diem intercalarem, quem biſſextilem vocant.*

γ Propter quinque dies reliquos, quibus Solaris annus.] *Apud veteres Romanos conſtabat annus 360. diebus. Ita enim Cenſorinus libro de natal. Romanorum;* Minimè *(inquit)* videntur errare, qui ad Lunæ curſum menſes civiles accommodarunt, ut in Græcia plerique, apud quos alterni menſes ad triginta dies facti ſunt, Majores quoque Romani idem ſunt æmulati, cum annum dierum 360. haberent. *Macrobius etiam ſcribit, Ægyptios habuiſſe annos 360. dierum, reliquos quinque dies Solaris circuitus anno inſerunt; Quarto inſuper quoque anno diem eodem loco intercalarem, qui ex quadrantibus conſit, annectunt; ita* apud Ægyptios veteres, *ex Macrobio,* Annus erat 365. dierum, ſed extremi quinque dies, non ut partes ab illis enumerabantur, cùm quilibet menſis conſtaret tantum triginta diebus, & 12. ducta per 30. efficiunt 360. ſed ut adjectitii cenſerentur.

δ Ægyptios habuiſſe annum 4. menſium.] *Plinius lib. 7. cap. 48. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 12.*

Cap. XIII.

An in dinumeratione annorum Hebræorum magis quàm Septuaginta interpretum ſit ſequenda autoritas.

SEd quum hoc dixero, continuò referetur illud Judæorum eſſe mendacium: de quo ſuperius ſatis actum eſt. *a* Nam ſeptuaginta interpretes laudabiliter *a* celebratos viros potuiſſe mentiri difficile eſt. Ubi ſi quæram, quid ſit credibilius, Judæorum gentem tam longè lateque diffuſam, in hoc conſcribendum mendacium uno conſilio conſpirare potuiſſe: & dum aliis invideant autoritatem, ſibi abſtuliſſe veritatem: an ſeptuaginta homines, qui etiam ipſi Judæi erant, in uno loco poſitos, quoniam rex Ægypti Ptolomæus eos ad hoc opus aſciverat, ipſam veritatem gentibus alienigenis invidiſſe, & communicato iſtud tunc feciſſe conſilio: quis non videat, quid proclivius faciliusque credatur? *b* Sed abſit, ut prudens quiſpiam, vel Judæos cujuslibet perverſitatis atque malitiæ tantum potuiſſe credat in codicibus tam multis & tam longè lateque diſperſis: vel ſeptuaginta illos memorabiles viros hoc de invidenda gentibus veritate unum communicaſſe conſilium. Credibilius ergo quis dixerit, quum primum de bibliotheca Ptolomæi deſcribi iſta cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuiſſe in codice uno, ſcilicet primitus inde deſcripto, unde jam latius emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam ſcriptoris error. Sed hoc in illa quæſtione de vita Mathuſalem non abſurdum eſt ſuſpicari, & in illo alio ubi ſuperantibus xxiv. annis ſumma non convenit. *c* In his autem, in quibus continuatur ipſius mendoſitatis ſimilitudo, ita ut ante genitum filium, qui ordini inſeritur, alibi ſuperſint centum anni, alibi deſint: poſt genitum autem ubi deerant, ſuperſint: ubi ſupererant, deſint, ut ſumma conveniat, & hoc in prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſeptima generatione invenitur, videtur habere quandam, ſi dici poteſt, error ipſe conſtantiam: nec caſum redolet, ſed induſtriam. Itaque illa diverſitas numerorum aliter ſe habentium in codicibus Græcis & Latinis, aliter in Hebræis, ubi non eſt iſta de centum annis prius additis, & poſtea detractis per tot generationes continuata parilitas: nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ vel prudentiæ ſeptuaginta interpretum, ſed ſcriptoris tribuatur errori, qui de bibliotheca ſupradicti regis codicem deſcribendum primus accepit. Nam etiam nunc ubi numeri non faciunt intentum ad aliquid quod facilè poſſit intelligi, vel quod appareat utiliter diſci, & negligenter deſcribuntur, & negligentius emendantur. Quis enim exiſtimet, ſibi eſſe diſcendum, quot millia hominum tribus Iſraël ſigillatim habere potuerunt? quoniam prodeſſe aliquid non putatur, & quotus quisque hominum eſt, cui profunditas utilitatis hujus appareat? Hîc verò ubi per tot contextas generationes centum anni alibi adſunt, alibi deſunt: & poſt natum qui commemorandus fuerat filium, deſunt ubi adfuerunt, adſunt ubi defuerunt, ut ſumma concordet: nimirum quum vellet perſuadere, qui hoc fecit, ideò numeroſiſſimos annos vixiſſe antiquos, quòd eos breviſſimos nuncupabant: & hoc de maturitate pubertatis, qua idonea filii gigne-

gnerentur, conaretur oſtendere: atque ideò illis centum annis decem noſtros inſinuandos putare incredulis, ne homines tam diu vixiſſe recipere in fidem nollent: addidit centum, ubi gignendis filiis habilem non invenit ætatem: eosdemque poſt genitos filios, ut congrueret ſumma, detraxit. Sic quippe voluit credibile facere idonearum generandæ prolis convenientias ætatum, ut tamen numero non fraudaret univerſas ætates viventium ſingulorum. Quod autem in ſexta generatione id non fecit, hoc ipſum eſt, quod magis movet, illum ideò feciſſe, quum res quam dicimus poſtulavit, quia non fecit ubi non poſtulavit. Invenit namque in eadem generatione apud Hebræos vixiſſe Jared, antequam genuiſſet Enoch centum ſexaginta duos annos, qui ſecundùm illam rationem brevium annorum fiunt anni ſedecim, & aliquid minus quàm menſes duo: quæ jam ætas apta eſt ad gignendum: & ideò addere centum annos breves, ut noſtri viginti ſex fierent, neceſſe non fuit: nec poſt natum Enoch eos detrahere, quos non addiderat ante natum. Sic factum eſt, ut hinc nulla eſſet inter codices utrosque varietas. Sed rurſus movet, *c* cur in octava generatione antequam de Mathuſale naſceretur Lamech, quum apud Hebræos legantur centum lxxxij. anni, viginti minus inveniuntur in codicibus noſtris, ubi potius addi centum ſolent: & poſt genitum Lamech complendam reſtituuntur ad ſummam, quæ in codicibus utriſque non diſcrepat. Si enim centum ſeptuaginta annos propter pubertatis maturitatem, decem & ſeptem volebat intelligi: ſicut nihil addere, ita nihil detrahere jam debebat: quia invenerat ætatem idoneam generationi filiorum, propter quam in aliis centum illos annos, ubi eam non inveniebat, addebat. Hoc autem de viginti annis meritò putaremus caſu mendocitatis accidere potuiſſe, niſi eos, ſicut prius detraxerat, reſtituere poſtea curaret, ut ſummæ conveniret integritas. An fortè aſtutius factum exiſtimandum eſt: ut illa, qua centum anni prius ſolent adjici, & poſtea detrahi, occultaretur induſtria, quum & illic, ubi neceſſe non fuerat, non quidem de centum annis, verumtamen de quantulocunque numero prius detracto, pòſt reddito, tale quid fieret? Sed quomodolibet iſtud accipiatur, ſive credatur ita eſſe factum, ſive non credatur: ſive poſtremo ita, ſive non ita ſit: rectè fieri nullo modo dubitaverim, ut quum diverſum aliquid in utriſque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, *d* ei linguæ potius credatur, unde eſt in aliam per interpretes facta translatio. Nam in quibusdam etiam codicibus Græcis tribus, & uno Latino, & uno etiam Syro inter ſe conſentientibus inventus eſt Mathuſalem ſex annis ante diluvium fuiſſe defunctus. *Gen. 5.*

a CElebratos viros po. men.] *Alibi ſic, nam ſeptuaginta interpretes laudabiliter celebratos viros non poſſe mentiri. ubi ſi quæratur, &c.* *L. Viven.*

b Sed abſi[illegible]t prudens quiſpiam.] *Hoc idem reſponderi poteſt his, qui falſatos corruptosq́; & ab Hebræis codices veteris inſtrumenti, & à Græcis novi objiciunt, ne veritas ſacrorum librorum ex illis fontibus petatur.*

c Cur in octava generatione.] *Hunc locum non ſatis intelligo. Nam & in verſione*

ne Hieronymi, & in LXX. conformiter habetur annos. Mathuſalem priùs quàm gigneret Lamech, fuiſſe centum octoginta ſeptem, niſi aliter Auguſtinus legeris.

d Ei linguæ potiùs credatur unde eſt in aliam.] *Hoc ipſum Hieronymus clamat, hoc ipſa docet ratio: & nullus eſt ſaniore judicio, qui repugnet: ſed fruſtra conſenſus bonorum ingeniorum hoc cenſet. nam rigidus ſtupor velut moles opponitur: non quia iſti inſcii ſunt earum linguarum, nam nec Hebraicè ſciebat Auguſtinus, & Græcè minus quàm mediocriter, ſed non eſt in his ea modeſtia animi, quæ in Auguſtino. Hic undecunque paratus erat doceri, iſti nuſquam volunt doceri, ubique docere quod ignorant.*

T.L.C.13. *a* NAm ſeptuaginta Interpretes laudabiliter celebratos viros.] *Cùm (ut prius dictum eſt) varient nonnunquam Hebræi codices à LXX. Interpretibus, quærit hoc capite, an ſtandum ſit magis authoritati ſcripturæ Hebraicæ, an verò Septuaginta Interpretum. Cùm verò aliqui facerent pluris editionem Septuaginta, dixêre Hebræos codices ab Hebræis ipſis corruptos fuiſſe & vitiatos, quod refutat Auguſtinus. Maximè verò in ſupputatione annorum ab origine mundi variant. Magna certè ſemper fuit in Eccleſia authoritas Septuaginta Interpretum, & quemadmodum teſtatur illuſtriſſimus Baronius in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, ſancta Dei Eccleſia conſuevit antiquitus ſupputare annos ab origine mundi non ſecundùm Hebraicam editionem, ſed ſecundùm Septuaginta Interpretes. Exiſtimabant enim in Hebræos potius codices quàm in eorum editionem aliquod vitium vel mendum irrepſiſſe, quod ſupra cap. 10. ſcripſit D. Auguſtinus. Porrò illos in authoritatem celebriorem ſuſcepit Eccleſia, & credentes Judæorum potius quàm iſtos non habere quod verum eſt, & alia quidem in eandem ſententiam citat teſtimonia. Verùm quod malignitate Judæorum corrupti ſunt Codices Hebræi, certè ab hac ſententia abhorruit D. Auguſtinus. Nec enim credibile eſt Judæorum gentem tam longè latéque diffuſam in hoc unum conſpirare potuiſſe, ut corrumperent codices Hebræos, & dum aliis invident authoritatem, ſibi voluiſſe auferre veritatem, & veroſimilius eſſet interpretes Septuaginta gentibus alienigenis invidiſſe veritatem, & multa perperàm vertiſſe. Verùm utrumque abſurdiſſimum. Nec enim in id conſpirarunt omnes Judæi, ut corrumperent codices Hebræos, nec perperàm verterunt communicato conſilio Septuaginta Interpretes viri ſapientiſſimi, & quorum authoritas non modo apud Judæos, ſed etiam ſemper apud Chriſtianos maxima fuit, ut editio illa divinitus facta ſit exiſtimata, aut id fecêre, ut Gentibus veritatem abſconderet. Error igitur ſi quis irrepſit, nec in Judæos omnes, nec in Septuaginta interpretes rejiciendus; ſcriptura tamen Hebraica, cui noſtra vulgata editio conſentit; in ſupputatione annorum præferenda eſt; & ſuſpicandum potius irrepſiſſe vitium in editionem Septuaginta Interpretum ab eo, qui primus tranſlationem Septuaginta Interpretum ex libro, qui erat in Bibliotheca Ptolemæi, deſcripſit, inſertum. Ex quo libro cùm cæteri omnes codices deſcripti fuerint, mirum non eſt hoc vitium ad omnes codices ex uno quaſi fonte dimanaſſe. Sententiæ D. Auguſtini ſubſcribunt & D. Hieronymus lib. Hebraic. quæſt. ſuper Geneſim, & Beda lib. de ſex ætatibus m[illegible]pputatione annorum, de qua nunc quæſtio eſt, & ubicunque Græci codices diſcrepant ab Hebræis, ut nulla ratione*

ratione concordari poſſint, potius his quàm illis credendum & ſtandum eſſe, præſertim cùm ſcriptura Hebraica non ſicut Græca notis numerorum utatur, quas facile eſt perverti & vitiari, ſed propria ipſorum numerorum nomina adhibeat. Et certè hoc argumento firmiſſimo niti poſſumus pro aſſerenda authoritate Hebraicæ ſcripturæ: ſi quidem juxta editionem Septuaginta Interpretum Mathuſalem quatuordecim annis reperitur ſuperſtes vixiſſe diluvio, quod abſurdiſſimum eſt, cum octo animæ tantùm in arca ſalvæ factæ ſint, & fabuloſum ſit dicere, Mathuſalem tunc temporis cum patre Enoch tranſlatum fuiſſe: at quod nihil abſurdi continet ſecundùm Hebræos codices & vulgatam editionem, Mathuſalem reperietur paulò ante diluvium eodem ipſo anno mortem obiiſſe. De hac quæſtione vide Toſtatum ad cap. 1. Geneſ. quæſt. 3. & 4.

CAP. XIV.

De parilitate annorum, qui iiſdem, quibus nunc ſpatiis & in prioribus ſeculis cucurrerunt.

NUnc jam videamus, quonam modo evidenter poſſit oſtendi, non tam breves, ut illi decem unus eſſet noſter, ſed tantæ prolixitatis annos, quantæ nunc habemus, quos utique circumitus conficit ſolis, in illorum hominum vita prolixiſſima computatos. *a* Sexcenteſimo nempe anno vitæ Noë ſcriptum eſt, factum eſſe diluvium. Cur ergò ibi legitur: *Et aqua diluvii facta eſt ſuper terram ſexcenteſimo anno vitæ Noë, ſecundi menſis, ſeptima & viceſima menſis:* ſi unus ille minimus, quales decem faciunt unum noſtrum, triginta ſex dies habebat, Tantillus quippe annus, ſi antiquo more hoc nomen accepit, aut non habet menſes, aut menſis ejus eſt triduum, ut habeat duodecim menſes. Quomodo igitur hic dictum eſt, ſexcenteſimo anno, ſecundi menſis, ſeptima & viceſima menſis, niſi quia tales, quales nunc ſunt, etiam tunc erant menſes? Nam quo pacto aliter viceſimo & ſeptimo die ſecundi menſis diceretur, cœptum eſſe diluvium? Deinde poſtea in fine diluvii ita legitur: *Et ſedit arca in menſe ſeptimo, ſeptima & viceſima menſis ſuper montes Ararath. Aqua autem minuebatur uſque ad undecimum menſem. In undecimo autem menſe prima die menſis apparuerunt capita montium.* Gen. 8.
Si igitur tales menſes erant, tales profectò & anni erant, quales nunc habemus. Menſes quippe illi triduani, viginti & ſeptem dies habere non poterant. Aut ſi pars triceſima tridui nunc appellabatur dies, ut omnia proportione minuantur: ergo nec toto quatriduo noſtro factum eſt illud tam grande diluvium, quod memoratur factum quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Quis hanc abſurditatem & vanitatem ferat? Proinde removeatur hic error, qui conjectura falſa ita vult aſtruere ſcripturarum noſtrarum fidem, ut alibi deſtruat. Prorſus tantus etiam tunc dies fuit, quantus & nunc eſt: quem viginti & quatuor horæ diurno curriculo nocturnoque determinant. Tantus menſis, quantus & nunc eſt: quem luna cœpta & finita concludit. Tantus annus, quantus & nunc eſt: quem duodecim menſes lunares *a* additis propter curſum ſolarem quinque diebus & quadrante conſummant. Tantus anni ſexcenteſimi vitæ Noë ſecundus

erat menſis, ejuſque menſis viceſimus & ſeptimus dies, quando cœpit eſſe diluvium: in quo dies quadraginta continuatæ ingentes pluviæ memorantur, qui dies non binas ac paulò amplius horas habebant, ſed vicenas & quaternas die noctuque tranſactas, ac per hoc tam magnos annos vixerunt illi antiqui uſque amplius quàm nongentos, quantos poſtea vixit Abraham centum ſeptuaginta quinque: & poſt eum filius Iſaac centum octoginta, & filius ejus Jacob propè centum quinquaginta: & quantos, interpoſita aliquanta ætate Moyſes centum viginti, & quantos etiam nunc vivunt homines ſeptuaginta vel octoginta, vel non multo amplius, de quibus etiam dictum eſt: *Et amplius eorum* † *labor & dolor*. Illa verò numerorum varietas, quæ inter codices Hebræos invenitur & noſtros, neque de hac antiquorum longævitate diſſentit: & ſi quid habet ita diverſum, ut verum eſſe utrumque non poſſit, rerum geſtarum fides ab ea lingua repetenda eſt, ex qua interpretatum eſt, quod habemus. Quæ facultas cùm volentibus ubique gentium præſto ſit, *b* non tamen vacat, quod ſeptuaginta interpretes in plurimis, quæ diverſa dicere videntur, ex Hebræis codicibus emendare auſus eſt nemo, non enim eſt illa diverſitas putata mendoſitas: nec ego ullo modo putandum exiſtimo. Sed ubi non eſt ſcriptoris error, aliquid eos divino ſpiritu, ubi ſenſus eſſet conſentaneus veritati & prædicans veritatem, non interpretantium more †, ſed prophetantium libertate aliter dicere voluiſſe credendum eſt. Unde meritò non ſolùm Hebræis, verùm etiam ipſis, cùm adhibet teſtimonia de ſcripturis, uti Apoſtolica invenitur autoritas. Sed hinc me opportuniore loco, ſi Deus adjuverit, promiſi diligentius locuturum, nunc quod inſtat expediam. Non enim ambigendum eſt, ab homine, qui ex primo homine natus eſt primus, quando tam diu vivebant, potuiſſe conſtitui civitatem ſanè terrenam, non illam, quæ dicitur civitas Dei: de qua, ut ſcriberemus, laborem tanti hujus operis in manus ſumpſimus.

Gen. 25. ib. 35. Deut. 34 al. cir. Pſ. 89. al. munere.

L. Vives. *a* ADditis propter curſum ſolarem quinque diebus & quadrante.] *Menſis lunaris dupliciter poteſt conſiderari: nam vel dum luna diſcedit, & redit ad idem punctum, id fit diebus ſeptem & viginti, vel dum ſolem percurſo ſignifero circulo conſequitur, id fit diebus undetriginta horis duodecim & minutis xliiij. Solem enim eodem quo reliquerat loco non invenit: quippe & ipſe via ſua nonnihil interea confecit, ad quod emetiendum duo dies cum dimidio lunæ dantur. At Judæi vulgò triginta diebus lunarem menſem claudunt, quem plenum vocant.*

b Non tamen vacat.] *Non eſt inane, & ſine myſterio & cauſa.*

B.L. Coq. *a* SExcenteſimo anno vitæ Noë.] *Oſtendit ex ſcriptura ſacra, annos, quibus vixère primæ ætatis longævi illi homines ante diluvium, fuiſſe pares noſtris, non autem, quod quidam exiſtimant, ut denarius illorum annorum conficeret unum ex noſtris annis. Scribitur enim, ſexcenteſimo anno vitæ Noë factum eſſe diluvium, & quidem ſecundo menſe, vigeſima ſeptima menſis, ergo anni illi conſtabant menſibus, & menſes illi conſtabant eo numero dierum, quo noſtri anni; at ſi vera fuiſſet ſententia eorum, ſanè anni illi habuiſſent tantum 36. dies, non verò plures menſes, nec menſes illi dies plures, & nominat etiam ſcriptura ſeptimum menſem, & undecimum menſem anni diluvii.*

b Re-

β Rerum geſtarum fides ab ea lingua repetenda eſt.] *Ideò potiſſimum eſt neceſſaria cognitio illarum linguarum, quibus editæ ſunt ſcripturæ. Ita ſcribit lib. 2. de doctrin. Chriſt. cap. 11.* Et Latinæ quidem linguæ homines, quos nunc inſtruendos ſuſcepimus, duabus aliis ad ſcripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræa ſcilicet & Græca, ut ad præcedentia exemplaria recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum infinita varietas; quia procul dubio, ubi aliqua controverſia vel difficultas occurrit, & aliud alii atque alii habent Codices, fides & veritas ipſa magis repetenda ab ea lingua, in qua quis primo ſcripturam edidit, quàm ab ea, in quam quis vertit.

γ Non enim eſt illa diverſitas putanda mendoſitas.] *Ubi ſeptuaginta interpretes diſcrepant ab Hebraica ſcriptura, ut concordari non poſſint, & in utrolibet neceſſariò fatendum ſit, errorem ſubeſſe, tum per Hebraicam ſcripturam emendandi ſunt Græci codices,* in pluribus tamen *(inquit)* diverſa dicere videntur, quæ tamen ex Hebræis codicibus emendare auſus eſt nemo, quia illa diverſitas non eſt mendoſitas vel error, & quod dixerunt, conſentaneum eſt veritati, & magis ut Prophetas aliquid prædixiſſe, quàm ut interpretes vertere voluiſſe, credendum eſt; *quod docet non hic modo, ſed etiam infra lib. 18. cap. 42. & præterea lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 15.*

CAP. XV.

An credibile ſit, primi ſeculi viros uſque ad ætatem, qua filios generaſſe referuntur, à concubitu continuiſſe.

DIcet *α* ergò aliquis: Itáne credendum eſt, hominem filios generaturum, nec habentem propoſitum continentiæ centum & amplius, vel ſecundùm Hebræos non multò minus, id eſt, octoginta, ſeptuaginta, ſexaginta annos à concumbendi opere vacaviſſe: aut ſi non vacaret, nihil prolis gignere potuiſſe? Hæc quæſtio duobus modis ſolvitur. Aut enim tanto *a* ſerior fuit proportione pubertas, quanto vitæ totius major annoſitas: aut quod magis video eſſe credibile, non hic primogeniti filii commemorati ſunt, ſed quos ſucceſſionis ordo poſcebat, ut perveniretur ad Noë, à quo rurſus ad Abraham videmus eſſe perventum, ac deinde uſque ad certum articulum temporis, quantum oportebat ſignari etiam generationibus commemoratis curſum glorioſiſſimæ civitatis in hoc mundo peregrinantis, & ſupernam patriam requirentis. Quod enim negari non poteſt, prior omnium Cain ex conjunctione maris & fœminæ natus eſt. Neque enim illo nato dixiſſet Adam, quod dixiſſe legitur: *b Acquiſivi hominem per Deum:* niſi illis duobus ipſe fuiſſet homo naſcendo additus primus. Hunc ſecutus Abel, quem major frater occidit, præfiguratione quadam peregrinantis civitatis Dei, quòd eſſet ab impiis, & quodammodo terrigenis, id eſt, terrenam originem diligentibus, & terrenæ civitatis terrena felicitate gaudentibus, perſecutiones iniquas paſſura, primus oſtendit. Sed quot annorum erat Adam, cum eos genuit, non apparet. Exinde digeruntur generationes aliæ de Cain, aliæ de illo, quem genuit Adam in ſucceſſione quem frater occidit, & appellavit nomen

Gen. 4.

illius Seth, dicens ut ſcriptum eſt, *Suſcitavit enim mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Cùm itaque iſtæ duæ ſeries generationum, una de Seth, altera de Cain, has duas de quibus agimus diſtinctis ordinibus inſinuent civitates: unam cœleſtem in terris peregrinantem, alteram terrenam terrenis tanquam ſola ſint, gaudiis inhærentem vel inhiantem: nullus de progenie Cain, cùm dinumerata ſit connumerato Adam uſque ad octavam generationem, quot annorum fuiſſet, expreſſus eſt, quando genuit eum, qui commemoratur poſt eum. Noluit enim ſpiritus Dei in terrenæ civitatis generationibus tempora notare ante diluvium, ſed in cœleſtis maluit, tanquam eſſent memoria digniores. Porrò autem Seth, quando natus eſt, non quidem taciti ſunt anni patris ejus, ſed jam genuerat alios: & utrum ſolos Cain & Abel, affirmare quis audeat? Non enim quia ſoli nominati ſunt propter ordines generationum, quas commemorare oportebat, ideò conſequens videri debet, ſolos fuiſſe tunc generatos ex Adam. Cùm enim ſilentio coopertis omnium nominibus cæterorum, legatur, eum genuiſſe filios & filias, quota fuerit iſta proles ejus, quis præſumat aſſerere, ſi culpam temeritatis evitat? Potuit quippe Adam divinitus admonitus dicere, poſteaquam Seth natus eſt: *Suſcitavit enim mihi Deus ſemen aliud pro Abel:* quando talis erat futurus, qui impleret illius ſanctitatem: non quòd ipſe prior poſt eum temporis ordine naſceretur. Deinde quod ſcriptum eſt: *Vixit autem Seth quinque & ducentos annos:* vel ſecundùm Hebræos *quinque & centum annos, & genuit Enos:* quis poſſit niſi inconſideratus aſſeverare, hunc ejus primogenitũ fuiſſe, ut admirantes meritò requiramus, quomodo per tot annos immunis fuerit à connubio ſine ullo propoſito continentiæ, vel non genuerit conjugatus: quandoquidem etiam de ipſo legitur: *Et genuit filios & filias, & fuerunt omnes dies Seth duodecim & nongenti anni, & mortuus eſt?* Atque ita deinceps quorum anni commemorantur, nec filios filiaſque genuiſſe reticentur. Ac per hoc non apparet omnino, utrum qui nominatur genitus, ipſe fuerit primogenitus: imò verò quoniam credibile non eſt, patres illos ætate tam longa aut impuberes fuiſſe: aut conjugibus caruiſſe vel fœtibus: nec illos eorum filios primos eis natos fuiſſe, credibile eſt. Sed cùm ſacræ ſcriptor hiſtoriæ ad ortum vitamque Noë, cujus tempore diluvium factum eſt, per ſucceſſiones generationum notatis temporibus intenderet pervenire, eas utique commemoravit, non quæ primæ ſuis parentibus fuerint, ſed quæ in propagationis ordinem venerint. Exempli gratia quo id fiat apertius, aliquid interponam, unde nullus ambigat, fieri potuiſſe quod dico. Evangeliſta Matthæus generationem dominicæ carnis per ſeriem parentum volens commendare memoriæ, ordiens à patre Abraham atque ad David primitus ut perveniret intendens, *Abraham,* inquit, *genuit Iſaac:* cur non dixit Iſmahel, quem primitus genuit? Iſaac autem, inquit, genuit Jacob: cur non dixit Eſau, qui ejus primogenitus fuit? Quia ſcilicet per illos ad David pervenire non poſſet, deinde ſequitur: *Jacob autem genuit Judam & fratres ejus:* nunquid Judas primogenitus fuit? *Judas,* inquit, *genuit Phares & Zaram,* nec iſtorum geminorum aliquis fuit primogenitus Judæ, ſed ante illos jam tres genuerat. Eos itaque

Matt. 1.

que tenuit in ordine generationum, per quos ad David, atque inde quò intenderat, perveniret. Ex quo intelligi poteſt, veteres quoque homines ante diluvium non primogenitos, ſed eos fuiſſe commemoratos, per quos ſuccedentium ordo generationum ad Noë patriarcham duceretur, ne ſeræ pubertatis illorum obſcura & non neceſſaria quæſtio nos fatiget.

a SErior fuit proportione pub.] *Pubertas eſt tempus, quo generationi ſunt homines idonei, cùm pubes viris barba innaſcitur, fœminis muliebribus.* L.Vives.

b Acquiſivi hominem per Deum.] *Sive poſſedi, ἐκτησάμην verterant LXX. & Hieronymus dicit Cain interpretari κτῆσιν poſſeſſionem.*

a DIcet ergo aliquis, ita ne credendum eſt.] *Proponit hoc dubium, qua ratione verum eſſe poſſit, quod ſcriptura refert, primæ illius ætatis homines, cùm votum caſtitatis non haberent, tamdiu à concubitu abſtinuiſſe, aut ſi ab opere carnali non continuerunt, tam tardè liberos procreaviſſe. Refert enim ſcriptura, Cainum ſeptuaginta annos natum genuiſſe Malaleel; hic verò cum quinque & ſexaginta annorum eſſet, genuit Jared, & eadem ætate Henoch genuit Mathuſalem. Jared verò centum ſexaginta duos annos natus genuit Henoch, & Mathuſalem centum octoginta ſeptem annorum genuit Lamech, qui centum octoginta duos annos natus genuit Noë, à quo cùm eſſet quingentorum annorum procreati Sem, Cham, & Japhet. Nec certè veriſimile eſt, eos, qui ſero genuerunt, continentiæ ſtudio tamdiu ab uxoribus voluiſſe abſtinere, nam tunc opus ipſum generationis eo tempore, quo multiplicandum erat genus humanum, honeſtum erat & laudabile. Et Henoch, qui propter eximiam & ſingularem ſanctitatem translatus eſt à Deo ante annum ſeptuageſimum generationi operam dediſſe, & liberos procreaſſe legitur. Noë verò ante annum quingenteſimum, vel abſtinuiſſe à conjugio, vel generandi fuiſſe impotentem, vero ſimile non videtur, ſed ex altera parte cum ſupervenit diluvium anno ſexcenteſimo vitæ ejus, non alios habuit filios præter eos, quos ſcriptura prius commemoravit, eum genuiſſe anno quingenteſimo ſuæ ætatis: nam octo animæ tantùm in diluvio ſalvæ factæ ſunt, Noë, & uxor ejus & tres filii, & uxores filiorum ejus, niſi fortaſſe alii prius deceſſerint, & ſcriptura eos tantum commemorare voluerit, qui diluvio ſuperfuere, & per quos multiplicatum eſt ac reparatum genus humanum. Difficultati propoſitæ occurrit duobus modis, quos ex eo etiam tranſcribit Toſtatus ad cap. 5. Geneſ. quæſt. 9. uno modo,* Quod ſicut in illis hominibus ætas longiſſima erat, ita ex proportione ætatis pubertas, vel tempus, quo poſſent generare, ſerius quàm nunc accidebat. *Verùm hæc reſponſio, ut parum habet probabilitatis, ita ei non multum adhæret D. Auguſtinus; nam primo illo ſæculo homines longè erant robuſtiores, ut eadem ætate perfectiorem generandi vim haberent, quàm qui ſuccedentibus ſæculis, & corporis robur ſucceſſu temporis in hominibus magis alioquin deminuitur ac deperditur quàm vires accipiat. Deinde ibidem illo ſæculo Malaleel & Cainam in ſexageſimo & ſeptuageſimo ætatis anno genuerunt, Lamech verò legitur in anno centeſimo octogeſimo ſecundo genuiſſe, & Noë anno quingenteſimo. Certè inter homines ejuſdem ſæculi non poterat eſſe tanta diſtantia temporis, quo pubertas & potentia ad generandum accederet. Alia ergò reſponſio eſt, quæ fidei magis conſona videtur D. Auguſtino, &* F.L.Coq.

plus probabilitatis habere, ſcil. ſeriem illam generationum non eſſe à Moyſe perpetuò deſcriptam per filios primogenitos, verum nonnullis generationibus contextam eſſe per alios filios poſteriores. Intendebat enim divinus ille vates Moſes, rectâ lineâ deducere ſeriem ipſarum generationum ab ipſo Seth uſque ad Noe, & quemadmodum ipſe Seth non fuit primogenitus ipſius Adami, à quo ſeries illa capit generationum, ita neque neceſſarium eſt, exiſtimemus reliquos ſuccedentes rectâ illâ linea, in qua continuatur civitas Dei à Seth uſque ad Noë, eſſe perpetuò primogenitos. Etſi enim fortaſſe Malaleel ſit primogenitus Cainam, quem genuit ſeptuageſimo anno vitæ ſuæ, & Jared primogenitus Malaleel; cùm eum ſexageſimo quinto anno vitæ ſuæ genuerit, non tamen eſt ita veroſimile, Noë fuiſſe primogenitum Lamech, quem 182. anno vitæ ſuæ genuit, uſque ad quod tempus non eſt veriſimile, eum ab uxore voluiſſe abſtinere: nec Sem probabile eſt, fuiſſe primogenitum Noë, ſed eum alios genuiſſe, qui ante ſexcenteſimum illius vitæ annum, qui fuit annus diluvii, obierunt, unde ſcriptura meminerit tantùm horum trium Sem, Cam & Japhet, per quos reſtauratum à diluvio, & multiplicatum genus humanum. Quod verò non ſit perpetuum in ſcriptura ſeries generationum deſcribere per primogenitos, conſtat ex Genealogia Salvatoris deſcripta apud Matthæum, in qua non perpetuo primogeniti ab Abrahamo, ſed hi per quos rectâ lineâ ab Abrahamo Chriſtus ducebat originem, deſcripti fuêre. Cum enim ſacri Evangeliſtæ ſcopus is eſſet, ut oſtenderet Chriſtum tum ab Abrahamo, tum à Davide, cui utrique facta erat promiſſio de Chriſto ex eis naſcituro, ducere originem, nec verò per primogenitos Chriſtus ab eis deſcenderet; nec enim primogenitus Abrahami Iſaac, nec ipſius Iſaac Jacob, nec Jacob Judas, nec Davidis Salomon, certè non debuit eam perpetuo deſcribere per primogenitos; ita intellige factum in ſerie illa generationum ab Adamo protoparente ad Noë decimum ab eo.

CAP. XVI.

De jure conjugiorum, quod diſſimiliter à ſubſequentibus matronis habuerint prima connubia.

CUm igitur genus humanum poſt primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, marium fœminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur, nec eſſent ulli homines, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent, *a* viri ſorores ſuas conjuges acceperunt: quod profectò quanto eſt antiquius compellente neceſſitate, tanto poſtea factum eſt damnabilius, religione prohibente. *a* β Habita eſt enim ratio rectiſſima charitatis, ut homines, quibus eſſet utilis atque honeſta concordia, diverſarum neceſſitudinum vinculis necterentur: nec unus in una multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos: ac ſic ad ſocialem vitam diligentius colligandam plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe & ſocer duarum ſunt neceſſitudinum nomina. Ut ergo alium quisque habeat patrem, alium ſocerum, numeroſius ſe charitas porrigit. Utrumque autem unus Adam eſſe cogebatur, & filiis & filiabus ſuis, quando fratres ſororesque connubio jungebantur. Sic & Eva uxor ejus utrique ſexui filiorum fuit & ſocrus & mater. Quæ ſi duæ fœminæ fuiſſent, mater

ter altera, & ſocrus altera, copioſius ſe ſocialis dilectio colligaret. Ipſa denique jam ſoror, quòd etiam uxor fiebat, duas tenebat una neceſſitudines: quibus per ſingulas diſtributis, ut altera eſſet ſoror, altera uxor, hominum numero ſocialis propinquitas augeretur. Sed hoc unde fieret, tunc non erat, quando niſi fratres & ſorores ex illis duobus primis nulli homines erant. fieri ergo debuit, quando potuit, ut exiſtente copia inde ducerentur uxores, quæ non erant jam ſorores: & non ſolùm iſtud ut fieret nulla neceſſitas eſſet, verùm etiam ſi fieret, neſas eſſet. Nam & ſi nepotes primorum hominum, qui jam conſobrinas poterant accipere conjuges, ſororibus matrimonio jungerentur: non jam duæ, ſed tres in homine uno neceſſitudines fierent, quæ propter charitatem numeroſiore propinquitate nectendam, diſſeminari per ſingulos ſingulæ debuerunt. Eſſet enim unus homo filiis ſuis fratri ſcilicet ſororique conjugibus, & pater & ſocer & avunculus: ita & uxor ejus, iiſdem communibus filiis & mater & amita & ſocrus. Itidemque inter ſe filii eorum, non ſolùm eſſent fratres atque conjuges, *b* verùm etiam conſobrini: quia & fratrum filii. Omnes autem iſtæ neceſſitudines, quæ uni homini tres homines connectebant, novem connecterent, ſi eſſent in ſingulis ſingulæ: ut unus homo haberet alteram ſororem, alteram uxorem, alteram conſobrinam, alterum patrem, alterum avunculum, alterum ſocerum, alteram matrem, alteram amitam, alteram ſocrum: atque ita ſe non in paucitate coartatum, ſed latius atque numeroſius propinquitatibus crebris vinculum ſociale diffunderet. Quod humano genere creſcente & multiplicato, etiam inter impios deorum multorum falſorumque cultores ſic obſervari cernimus: *c* γ ut etiamſi perverſis legibus permittantur fraterna conjugia, & δ melior tamen conſuetudo ipſam malit exhorrere licentiam: & cùm ſorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, ſic averſetur, quaſi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim ſenſum vel alliciendum, vel offendendum, mos valet plurimum. Qui cùm in hac cauſa immoderationem concupiſcentiæ coërceat, eum deſignari atque corrumpi, meritò eſſe nefarium judicatur. Si enim iniquum eſt aviditate poſſidendi tranſgredi limitem agrorum, quanto eſt iniquius libidine concumbendi ſubvertere limitem morum? Experti autem ſumus in connubiis conſobrinarum etiam noſtris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, ε quàm rarò per mores fiebat, quod fieri per leges licebat: quia id nec divina prohibuit, *d* ζ & nondum prohibuerat lex humana. Veruntamen factum etiam licitum, propter vicinitatem horrebatur illiciti: & quod fiebat cum conſobrina, penè cum ſorore fieri videbatur: quia *e* & ipſi inter ſe propter tam propinquam conſanguinitatem fratres vocantur, & penè Germani ſunt: η Fuit autem antiquis patribus religioſæ curæ, ne ipſa propinquitas ſe paulatim propaginum ordinibus dirimens longius abiret, & propinquitas eſſe deſiſteret, eam nondum longè-poſitam rurſus matrimonii vinculo colligare, & quodammodo revocare fugientem. Unde jam pleno hominibus orbe terrarum: non quidem ſorores ex patre vel matre, vel ex ambobus ſuis parentibus natas, ſed tamen amabant de

ſuo

ſuo genere ducere uxores. Veruntamen quis dubitet, honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe conjugia: non ſolum ſecundùm ea, quæ diſputavimus propter multiplicandas affinitates, nec habeat duas neceſſitudines una perſona, cùm duæ poſſint eas habere, & numerus propinquitatis augeri: ſed etiam quia neſcio quomodo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile: ut cui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubeſcere videmus & ipſam pudicitiam conjugalem. *θ* Copulatio igitur maris & fœminæ, quantum attinet ad genus mortalium, quoddam ſeminarium eſt civitatis: ſed terrena civitas generatione tantummodo, cœleſtis autem etiam regeneratione opus habet, ut noxam generationis evadat. *ι* Utrum autem aliquod fuerit, vel ſi fuit, quale fuerit corporale atque viſibile regenerationis ſignum ante diluvium, ſicut Abrahæ circumciſio poſtea eſt imperata, ſacra hiſtoria tacet. *κ* Sacrificaſſe tamen Deo, etiam illos antiquiſſimos homines non tacet, quod in duobus primis fratribus claruit: & Noë poſt diluvium, quum de arca fuiſſet egreſſus, ho-

Gen. 17. ſtias Deo legitur immolaſſe. De qua re in præcedentibus libris jam diximus:

ib. 4. 8. non ob aliud dæmones arrogantes ſibi divinitatem deoſque ſe credi cupientes ſibi expetere ſacrificium, & gaudere hujusmodi honoribus, niſi quia verum ſacrificium vero Deo deberi ſciunt.

L. Vives *a* HAbita eſt enim ratio rectiſſima charitatis.] *Ut neceſſitudinis vinculum in multos diffuſis conjugiis, & non intra eosdem parietes manentibus plures connecteret, & ſe invicem ſanguine juncti diligerent. Sic ſerpere extendiq́; charitatem generis humani docet Cicero quinto de finibus.*

b Verùm etiam conſobrini.] *Filii duorum virorum fratrum patrueles ſunt, filii duorum fratrum viri & fœminæ amitini: duarum ſororum conſobrini. Marcellus lib. de proprietate ſermonis.*

c Ut etiamſi perverſis legibus permittantur fraterna conjugia.] *Ut olim apud deos. Saturnus enim duxit Opem ſororem, Jupiter Junonem. Poſtea apud Ægyptios & Athenienſes, Romani tamen eum morem nunquam receperunt.*

d Et nondum prohibuerat lex humana.] *Plutarchus in Problematis olim neceſſarias ducere, prohibitum fuiſſe ſcribit, quoad lex eſt lata, licere vel patruum vel avunculum fratris ſororisve filiam ducere, propter virum quendam bonum & acceptum popularibus, tenui cenſu, qui fratris ſui filiam nubilem & dotatam ipſe ſibi in matrimonium acceperat, reusq́; ejusce criminis factus pro concione abſolutus eſt, lege ibidem lata & magno conſenſu approbata.*

e Ipſi inter ſe propter, &c. fratres vocantur.] *Sic Abraham vocavit Saram. Et Cicero quinto de finibus, L. Ciceronem patrui ſui filium fratrem nominat. non tamen dicuntur germani: ideò addit, ferè germani ſunt.*

T.L.Coq. *a* VIri ſorores ſuas conjuges acceperunt.] *Equidem compellente neceſſitate, cum aliter non poſſet multiplicari genus humanum, initio licuit fratribus una cum ſororibus commiſceri & inire connubia. Sic enim Cain & fortaſſe etiam Abel ſorores uxores ſuas duxère, ſecluſo tamen eo caſu, hujusmodi matrimonia jure naturæ prohibi-*

bibita: Eſt ſententia D. Auguſtini hoc loco, & lib. 22. contra Fauſtum cap. 35. ubi affirmat, tempore Abrahæ etiam ante legem ſcriptam non licuiſſe fratri cum ſorore ſive ex utroque, ſive ex altero tantum parente nata necti conjugio. Hanc ſententiam tuentur Abulenſis quæſt. 5. in cap. 18. Levit. & ex Scholaſticis Palud. in 4. diſt. 40. quæſt. uni. Joannes Major. ead. diſt. quæſt. 3. Sotus ibidem, Catharinus contra Cajetanum cap. de matrim. Covaruvias in Epitom. lib. 4. part. 2. cap. 6. §. 10. numer. 5. Bellarm. lib. de Sacramento matrimonii cap. 28. Tertullianus etiam in Apologet. cap. 9. Theodoretus lib. 9. θεραπευτ. Arnobius lib. 8. contra Gentes hujuſmodi matrimonia ut omnino juri naturali repugnantia improbant. Ariſtoteles item 2. politicorum cap. 2. abſurdam & deformem reputat hujuſmodi conjunctionem in primo gradu, non modo linea recta, ſed etiam transverſali, id eſt, inter fratres & ſorores; unde reprehendit communionem uxorum, quia ſequeretur, ut filii parentibus, fratres ſororibus conjungerentur. Atque hæc ſententia longè probabilior eſt contraria, etſi illam multi aſſeruerint, ut Cajetanus 2. 2. quæſt. 154. art. 9. Victoria relecta. de matrimon. part. 2. poſt D. Thomam in 4. diſtinct. 41. q. 1. art. 3. D. Bonaventuram eadem diſtinct. pag. 2. q. 2. Scotum, Durandum eadem diſtinct. Halenſem. 2. p. q. 169. Si verò quis objiciat; ſi hujuſmodi conjugia ſunt prohibita jure naturæ, ergo nec initio mundi potuerunt contrahi inter filios Adæ, niſi forte diſpenſaret author naturæ; at nulla tunc legitur facta diſpenſatio, nec videbitur divinam ſapientiam decere eodem tempore & legem condere, & in lege diſpenſare. Ergo hujuſmodi matrimonium fratris cum ſorore jure naturæ non eſt prohibitum. Reſpondet Bellarminus ad hoc argumentum lib. de ſacramento matrimonii cap. 28. primo fieri poſſe, ut Deus cum filiis Adæ diſpenſaverit, ut ſororibus jungerentur, non enim requirebatur externa aliqua diſpenſatio per vocem aut ſcripturam, verùm ſufficiebat interna inſpiratio, ac fortaſſe Deus per Adamum declaravit ſuam voluntatem ejus filiis, nec abſurdum eſt initio mundi in ea lege Deum diſpenſaſſe: voluit enim omnes homines ab uno procedere, nec bonum ſimul judicavit plures maſculos ſimul, & plures fœminas procreare. Secundo dici facilius poteſt, nulla fuiſſe opus diſpenſatione, quia conjugium fratris cum ſorore jure naturæ prohibetur, excepta tamen illa ſumma neceſſitate propagandi generis humani, nec omnia, quæ jure naturæ prohibentur, eodem gradu prohibentur, alia enim dicuntur eo jure prohibita, quia ſunt intrinſeca mala, ita ut ſemper & apud omnes ſint mala, nec poſſint ulla mutatione circumſtantiarum fieri bona, hujuſmodi ſunt mentiri, mœchari, odiſſe Deum, atque hæc ſunt omnino indiſpenſabilia, alia verò jure naturæ prohibentur, quia ſunt de re mala ſemper & apud omnes, in extrema tamen neceſſitate fiunt licita, tale eſt alienum tollere invito domino. Hujuſmodi etiam erit matrimonium fratris cum propria ſorore, quod licitum faciebat extrema neceſſitas propagandi generis humani initio mundi.

β Habita eſt enim ratio rectiſſima charitatis.] *Hæc ſententia D. Auguſtini refertur 35. q. 1. cap. 1. Prohibitio conjugalis inter conſanguineos ex eo juſta cenſetur & rationi conſentanea, quod amicitia ex cognatione naturali orta ſufficiens ſit abſque matrimonii contractu ad charitatem in republica conſervandam: utilius ergò Reipublicæ matrimonia inter extraneos contrahi, quò inter plures diffundatur vinculum*

amicitiæ, quod eſt maximum bonum in Republica: atque hanc rationem attingit etiam Cicero lib. 5. de finibus. Plutarch. in quæſt. Romanis qu. 108. D. Thomas 2. 2. quæſt. 154. art. 9. Antoninus 2. p. ſumma, tit. 5. cap 5. licet alias etiam rationes aferant. Legi etiam poteſt Tiraquellus l. 7. connubiali num. 45. D. Chryſoſtomus homil. 34. in 1. ad Corinthios rationem eandem reddit, cur Moſes Levit. 18. connubia conſanguineorum interdixerit. Aliam *(inquit)* conjunctionis formam commentus eſt, inſuper cognatorum connubio interdicto, ad alienos nos eduxit, illos viciſſim ad nos pellexit, quos naturali neceſſitudine copulari non licet, hos nuptiis conglutinavit, integras ſæpè familias unius nymphæ gratia conciliando genus generi totum permiſcet: Non duces ſororem tuam, inquit, neque ſororem patris, nec aliam ejuscemodi ea generis necesſitudine conjunctam, ut nefas ſit miſceri: ipſis nominibus cognatorum formas recenſens; ſatis cauſæ ſit cur illas ames, ex eodem te eſſe utero prognatum, aliter tibi competent aliæ: cur tu charitatis amplitudinem redigis in anguſtum? aut cur officium charitati neceſſarium non impendis, quo amicitiam conjuge aliunde ducta, & per hanc longiſſimam affinium ſeriem parentes, fratres, & illorum neceſſarios omnes tibi conciliare potes?

γ Ut etiamſi legibus perverſis permittantur fraterna conjugia.] *Apud nonnullas nationes barbaras hujusmodi connubia in uſu fuere, imò quod magis natura abhorret, ut ſcribit Tertullianus in Apologetico cap. 9. Perſas cum ſuis matribus miſceri, refert Cteſias, & Minutius in Octavio;* Jus eſt apud Perſas miſceri cum matribus; magos etiam cenſuiſſe fas & jus eſſe μητρὶ ἢ θυγατρὶ μίγνυσθαι, *Diogenes Laërtius ſcribit in proœmio. Imò non alia inter Magos recepta conjugia docet Strabo lib. 15. de Magis enim loquens:* τούτοις δὲ, *inquit,* καὶ μητράσι συνέρχεσθαι νενόμισται. *Alexander Dario victo hujusmodi inceſtas & nefarias nuptias, & à naturali verecundia abhorrentes inhibuit. Is enim (ut ſcribit Plutarchus lib. de ejus fortuna) docuit Perſas,* σέβεσθαι μητέρας, ἀλλὰ μὴ γαμεῖν. *Ita etiam cum filiabus ac ſororibus miſceri apud Perſas receptum erat. Laertius in Pyrrhone;* Πέρσαι γὰρ οὐκ ἄτοπον ἡγοῦνται θυγατρὶ μίγνυσθαι. *Athenæus lib. 5.* Ἀντισθένης δὲ ἐν θατέρῳ τῶν κύρων κατηλογῶν. Ἀλκιβιάδην καὶ παράνομον εἶναι λέγων καὶ εἰς γυναῖκας καὶ εἰς τὴν ἄλλην δίαιταν. συνεῖναι γὰρ φησὶν αὐτὸν καὶ μητρὶ καὶ θυγατρὶ καὶ ἀδελφῇ ὡς Πέρσας. *D. Hieronymus lib. contra Jovinianum.* Perſæ, Medi, Indi, & Æthiopes regna non mediocria, & Romano imperio paria, cum matribus & aviis, cum filiabus & neptibus copulantur. *Lucianus,* περὶ θυσιῶν, *de Jove loquens,* ἔγημε τὴν ἥραν τὴν ἀδελφὴν κατὰ τοὺς Περσῶν τοῦτο καὶ Ἀσσυρίων νόμους. *Atoſſam Cyri filiam Cambyſi fratri nupſiſſe ſcribit Herodotus lib. 3. atque hinc fortaſſe ſororum matrimonium apud Perſas in uſum venit, cùm apud Perſas id antea fuerit illicitum. Interrogati enim regii Judices à Cambyſe,* Num qua lex ſit, quæ ſinat volentem cum ſorore contrahere matrimonium, *reſponderunt,* nullam quidem ſe invenire legem, quæ ſinat fratri nubere uxorem, quandam tamen invenire legem, qua liceat Regi Perſarum facere quicquid libeat. *Theodoretus lib. 9.* θεραπευτ. κατὰ τοὺς ζαράδας πάλαι Πέρσαι πολιτευόμενοι νόμους καὶ μητράσι καὶ ἀδελφαῖς ἀδεῶς μὲν τοι καὶ

θυγα-

θυγατράσι μιγνύμενοι καὶ νόμον ἔννομον τὴν παρανομίαν νομίζοντες, ἐπειδὴ τοῖς τῶν Ἀλιέων νομοθεσίαις ὑπήκουσαν, τοὺς μὲν Ζαράδου νόμους ὡς παρανομίαν ἐπάτησαν, τὴν βασιλικὴν δὲ συμφερούσην ἠγάπησαν. *ubi videtur indicare hujuſmodi connubia fuiſſe licita legibus Perſarum. Hanc caprinam Perſarum libidinem Clemens Alexandrinus graviter exagitat, lib. 1. pædago. cap 8.* ἢ βήσαντες δὲ ἀδελφαῖς καὶ μητράσι καὶ γυναιξὶ γαμεταῖς τε ἅμα καὶ παλλακίσιν ἀναρίθμοις ἐπιμίσγονται καθάπερ οἱ κάπροι εἰς συνουσίαν ἠσκημένοι. *Has obſcœnas & abominandas Perſarum libidines deteſtatur Agathias lib. 2.* Ἀκολασταίνουσι *(ait)* οὐ μόνον ἀδελφαῖς τε καὶ ἀδελφιδαῖς ἀνέδην μιγνύμενοι, ἀλλὰ πατέρες τε θυγατράσι, καὶ τὸ δὴ πάντων ἀνοσιώτερον, ὦ νόμοι καὶ φύσις, υἱοὶ ταῖς τεκούσαις. *Id alienum eſſe à jure naturæ Socrates apud Xenophontem lib. 3.* ἀπομνημονευμ. *aſſerit, legem illam à Diis poſitam & conditam eſſe* μήτε γονέας παισὶ μίγνυσθαι, μήτε παῖδας γονεῦσιν, *id eſt*, neque parentes filiis miſceri, neque filios parentibus. *Euripides in Andromache hunc morem barbarorum eſſe dicit, ut pater filiæ, & filius matri miſceatur, & frater ſorori,* τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος, πατήρ τε θυγατρὶ παῖς τε μητρὶ μίγνυται, κόρη τ' ἀδελφῷ. *varia & quidem multarum gentium exempla de his illicitis nuptiis congerit Tiraquellus in 7. l. connubial. num. 32. & deinceps.*

δ Melior tamen conſuetudo ipſam malit exhorrere licentiam.] *Solo enim dictamine naturæ melius exculta moribus nationes hujuſmodi connubia vitarunt; ac primum apud Romanos, qui cæteras omnes & prudentia & legum juſtitia facilè ſuperarunt, hujuſmodi nuptias fuiſſe nefarias & inceſtas omninò exiſtimatas, conſtat ex Plutarcho in quæſt. Roman. q. 6.* πρότερον οὐκ ἐγάμουν τὰς ἀφ' αἵματος, ὥσπερ οὐδὲ νῦν τηθίδας οὐδὲ ἀδελφὰς γαμοῦσιν. *Licuiſſe poſtea ducere conſobrinas, & qua occaſione introductum ſit, docet idem Tiraquellus in L. Septimam connubialem multis exemplis Romanorum ad id allatis; poſterioribus tamen temporibus Theodoſius ſenior id matrimonium primus lege probibuit, ut referunt Aurelius Victor & Paulus Diaconus; idque Pontificum decretis & ſanctionibus confirmatum eſt & approbatum, qui uſque ad quartum gradum hanc matrimoniorum probibitionem extenderunt, ut patet ex cap. ult. extra. de conſanguin. & affin. An verò apud Athenienſes Græcorum ſapientiſſimos fas unquam fuerit, ſibi ſororem conjungere matrimonio: Ita tradit Minutius in Octavio;* Ægyptiis *(inquit)* & Athenienſibus cum ſororibus legitima connubia. *Philo Judæus lib. de ſpecialibus legibus author eſt, Solonem Athenienſibus probibuiſſe nuptias dumtaxat cum uterinis germanis, cum eodem patre progenitis reliquiſſe liberum; contra Lacedæmoniorum legis latorem uterinis non interdixiſſe connubia, ſed ſolis eodem patre genitis; ſed Ægyptios omnium ſororum indiſcriminatim legitimas nuptias habuiſſe: Et Cimon Athenienſium vir ſummus fortaſſe hujuſmodi inſtitutum ſecutus, Elpinicem ſororem in uxorem duxit, ut ſcribit Æmilius Prob. in proœmio, & in vita ipſius Cimonis.* Neque enim Cimoni fuit turpe Athenienſium ſummo viro ſororem germanam habere in matrimonio, quippe cùm cives ejus eodem uterentur inſtituto. *Verùm Dionyſius Lambinus ad eum locum, & Muretus lib. 7. variar. lectio. cap. 1. oſtendit, id contra jura & leges Cimonem feciſſe, eoq; nomine per teſtulam è civitate ad aliquot annos pulſum*

 eſſe;

eſſe; & id manifeſtè docent verba Antocidis in orat. contra Alcibiadem. ἀναμνήσθητε καὶ τοὺς προγόνους ὡς ἀγαθοὶ καὶ σώφρονες ἦσαν, οἵτινες ἐξωστράκισαν Κίμωνα διὰ παρανομίας, ὅτι ἀδελφῇ τῇ ἑαυτοῦ συνῴκησε. *Idem confirmat & Suidas verbo*, Κίμων Ἀθηναῖος, οὗτος τῇ ἀδελφῇ Ἐλπινίκῃ συγκοιμηθεὶς διεβλήθη πρὸς τοὺς πολίτας καὶ διὰ τοῦτο ἐξωστρακίσθη πρὸς Ἀθηναίων, *id eſt*, Cimon Athenienſis *bis*, quod cum ſorore Elpinice concubuiſſet, in crimen vocatus eſt apud cives ſuos, atque idcirco ab Athenienſibus per teſtulam in exilium pulſus eſt ad certum tempus.

ε Quam rarò per mores fiebat, quod fieri per leges licebat.] *Tantum poteſt pudor in mentibus hominum, ut etiamſi lege humana aliqua permittantur, quia tamen à talibus natura abhorret, homines ea etiam deteſtentur magis quàm amplectantur. Ita narrat Suetonius, Claudium Cæſarem illecebris Agrippinæ Germanici fratris ſui filiæ per jus oſculi & blanditiarum occaſiones pellectum in amorem ſubornaſſe proximo ſenatu, qui cenſuerunt cogendum ad ducendam eam uxorem, quaſi Reipubl. maxime intereſſet, dandamq; cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus inceſta habebantur, ac vix uno interpoſito die nuptias confeciſſe, non repertis tamen qui ſequerentur exemplum, excepto libertino quodam & altero primipilari, quod & Cornelius Tacitus ſcribit lib. 5. Scribit etiam Agathias lib. 2. apud Perſas quidem congreſſos etiam filios cum matribus*, cùm tamen Pariſatis eidem, cui Semiramis libidinis malo obnoxia (quæ filium ad libidinem ſollicitaverat, quod ægre ferens juvenis matrem adeo impatientem libidinis vegentemque interfecerat) Artaxerxem filium Regem Perſarum incitaret ad congreſſum, ab eo congreſſu cum abhorruiſſe, ὡς οὐχ ὅσιον ὂν τό γε οὐδὲ πάτριον, οὐδὲ τῷ βίῳ συνειθισμένον. quod neque pium id eſſet, neque patrium, nec in communi vita conſuetum.

ζ Nondum prohibuerat lex humana.] *Legibus Romanis antea licita erant matrimonia inter conſobrinos, & diſpenſaſſe olim Cæſares, ut legitima eſſet uxor conſobrina, Caſſiodorus docet lib. 7. variar. c. 46. puniuntur tamen ut inceſtæ hujuſmodi nuptiæ in Cod. Theodoſi. l. 2. de inceſt. nupt. li. 11. Sunt enim conſobrini in ſecundo gradu conſanguinitatis in linea transverſali, & nunc non niſi diſpenſatione Pontificia permittuntur hujuſmodi matrimonia, monetq; concilium Tridentinum, non niſi magnis Principibus concedendam hujuſmodi diſpenſationem. D. Ambroſ. lib. 8. Epiſt. epiſt. 66. refert cautum fuiſſe à Theodoſio, ne amplius inter conſobrinos vel parentes matrimonia fierent, quamvis ab aliis Imperatoribus id videatur in jure civili revocatum fuiſſe, ut conſtat ex Tit. de nupt. inſtit.*

η Fuit autem antiquis patribus religioſæ curæ.] *Ita Gen. 24. legimus, Abrahamum adjuraſſe ſervum ſeniorem domus ſuæ per Deum cœli & terræ, ut non acciperet uxorem filio ſuo de filiabus Chananæorum, inter quos habitabat, ſed ad terram & cognationem ſuam proficiſceretur, indeq; acciperet uxorem filio ſuo Iſaac, & Geneſ. 28. Iſaac præcepit Jacob filio ſuo, ne acciperet conjugem de filiabus Chanaam, ſed proficiſceretur Meſopotamiam Syriæ, & acciperet inde uxorem de filiabus Laban avunculi ſui.*

θ Copulatio igitur maris & fœminæ quoddam ſeminarium.] *Ita docet Ariſtot. lib. 1.* πολιτικῶν, neceſſe eſſe primùm copulare eos, qui ſejuncti eſſe non poſſunt

ceu

ſeu fœminam & marem procreandi cauſa, & ex his duabus ſocietatibus viri & uxoris domini & ſervi dicit conſtare domum, quæ eſt initium condendæ civitatis, atque quemadmodum communiones illæ primæ & imperfectæ domus & pagus ſunt à natura, ita etiam & civitas perfecta communitas & finis illarum eſt à natura.

ɩ Utrum autem aliquod fuerit, vel ſi fuit.] *Tangit obiter hanc quæſtionem, an in lege naturæ vel ante illud diluvium fuerit aliquod inſtitutum externum ſignum, vel ſacramentum, quod vocat* corporale atque viſibile regenerationis ſignum, quo remitteretur peccatum originale, *ſicut fuit poſtea circumciſio imperata ipſi Abrahæ. Hæc quæſtio definitur à Theologis in 4. ſentent. diſtinct. 1. & in 3. part. D. Thomæ qu. 61. D. Auguſtin. eam hic non definit dicens, ſacram hiſtoriam hoc tacuiſſe, & lib. 2. de peccat. original. cap. 30.* Ante Abraham quidem utrùm aliquo corporali & viſibili ſacramento juſti vel eorum parvuli ſignarentur, ſcriptura non exprimit; *alibi tamen apertè docuit, fuiſſe aliquod hujuſmodi remedium ad infantium ſalutem à Deo inſtitutum. Ita ſcribit lib. 5. contra Julianum cap. 11.* nec ideò tamen credendum eſt, ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo ſacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis, quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa ſcriptura tacere voluerit; *& D. Thomas 3. p. quæſt. 61. art. 3. ad 2. ſcribit, ante legem ſcriptam fuiſſe ſacramenta, quæ comparantur ad ſacramenta legis ſcriptæ, ſicut indeterminatum ad determinatum. Dicendum itaque, in lege naturæ ante inſtitutam circumciſionem fuiſſe quoddam ſacramentum ad juſtificationem parvulorum, quamvis ex divina inſtitutione non fuerit determinata ceremonia, ſeu actio ſenſibilis ad ſignificandum impoſita, ſed ex hominum arbitrio ad certum actionis modum definiretur; & quando D. Thomas qu. 70. art. 4. ad 2. ſcribit,* ante legem non fuiſſe requiſitum aliquod ſignum fidei proteſtativum ad juſtificandos parvulos, *debet intelligi de ſigno* determinato & fixo.

ĸ Sacrificaſſe tamen Deo.] *Ita lib. 5. contr. Julianum cap. 11.* Nam & ſacrificia eorum legimus, quibus utique ſanguis ille figurabatur, qui ſolus tollit peccata mundi. *Et ſacrificandi morem antiquum, imò mundo ferè coævum probat tum ex ſacrificio Abelis & Caini, tum ex ſacrificio Noë ſtatim à diluvio, de quo Geneſ. 11. atque deinceps patres illi ſanctiſſimi ſacrificia Deo obtuliſſe leguntur. Eſt enim juris naturæ, Deo ſacrificia offerre tanquam rerum omnium conditori ac domino: Sicut enim inter mortales, qui aliorum imperio ſubjecti ſunt, tributis & muneribus eorum dominium proteſtantur, ſeque eorum profitentur ſervos, ita omnes homines decet exterius atque interius Deum venerari, ut ita profiteantur illius ſupremum dominium, ſeque ejus ſervos. Et ſacrificium latriæ eſt actus, id eſt, adorationis, qui ſoli Deo competit. Etſi verò ex ſanctis Patribus nuſquam proditum ſit vel Adamum, vel Iſaac ſacrificium Deo obtuliſſe, nihil tamen dubitandum, duos illos Patriarchas Deo obtuliſſe ſacrificia, imo Adamus ipſe filios docuit Deo ſacrificare;* verùm quia in eo fuit origo peccati, non videbatur decere, in eo oſtendi etiam originem ſanctitatis & religionis. *Ita D. Thom. 2. 2. qu. 85. Deinde Adamus principium erat utriuſque civi-*

natis, Dei & mundi, vel cœleſtis & terreſtris; ideò in Abel Eccleſia Dei dicitur cœpiſſe & habuiſſe principium, ergò ſcriptura rectè & convenienter ejus primi ſacrificii meminit, quod fuerit Deo gratiſſimum, ut intelligamus, non niſi in Eccleſia ab Eccleſiæ filiis grata Deo poſſe ſacrificia offerri, Iſaac etiam ipſe oblatus fuit in ſacrificium, ideò non legitur ſacrificia externa Deo obtuliſſe.

CAP. XVII.

De duobus ex uno genitore procreatis patribus atque principibus.

CUm ergo eſſet Adam utriusque generis pater, id eſt, & cujus ſeries ad terrenam, & cujus ſeries ad cœleſtem pertinet civitatem: *α* occiſo Abel, atque in ejus interfectione commendato *a* mirabili ſacramento, facti ſunt duo patres ſingulorum generum, Cain & Seth: in quorum filiis, quos commemorari oportebat, duarum iſtarum civitatum in genere mortalium evidentius indicia clarere cœperunt. Cain quippe genuit Enoch, in cujus nomine condidit civitatem *β* terrenam, ſcilicet non peregrinantem in hoc mundo, ſed in ejus temporali pace ac felicitate quieſcentem. *γ* Cain autem interpretatur poſſeſſio: unde dictum eſt, quando natus eſt, ſive à patre ſive à matre ejus: Acquiſivi hominem per Deum. *δ* Enoch verò interpretatur dedicatio: hic enim dedicatur terrena civitas, ubi conditur: quoniam hic habet eum, quem intendit & appetit finem. *b* Porrò ille *ε* Seth reſurrectio interpretatur, & *ζ* Enos filius ejus interpretatur homo: non ſicut Adam: & ipſum enim nomen interpretatur homo, ſed commune perhibetur eſſe in illa lingua, id eſt, Hebræa, maſculo & fœminæ. Nam ſic de illo ſcriptum eſt: Maſculum & fœminam fecit eos, & benedixit illos, & cognominavit nomen eorum Adam. Unde non ambigitur, ſic appellatum fuiſſe fœminam Evam proprio nomine, ut tamen Adam, quod interpretatur homo, nomen eſſet amborum. *c* Enos autem ſic interpretatur homo, ut hoc non poſſe fœminam nuncupari periti linguæ illius aſſeverent, tanquàm filius reſurrectionis, ubi non nubent, neque uxores ducent. Non erit ibi generatio, cùm illuc perduxerit regeneratio. Quare & *η* hoc non incaſſum notandum arbitror, quod in his generationibus, quæ propagantur ex illo, qui eſt appellatus Seth, cùm genuiſſe filios filiasque dicatur, nulla ibi genita nominatim fœmina expreſſa eſt. In his autem, quæ propagantur ex Cain, in ipſo fine quouſque pro-
Gen. 4. tenduntur, noviſſima fœmina genita nominatur. Sic enim legitur: *Mathuſael genuit Lamech, & ſumpſit ſibi Lamech duas uxores, nomen uni Ada, & nomen ſecundæ Sella: & peperit Ada Jobel. Hic erat pater habitantium in tabernaculis pecora-*
al. pecuariorũ. *riorum* †. *Et nomen fratris ejus Jubal: hic fuit, qui oſtendit pſalterium & citharam. Sella autem peperit & ipſa d Tobel: & erat ærarius & malleator æramenti & ferri. Soror autem Tobel Noema.* Hucuſque porrectæ ſunt omnes generationes Cain, quæ ſunt omnes ab Adam octo, annumerato ipſo Adam, ſeptem ſcilicet uſque ad Lamech, *θ* qui duarum maritus uxorum fuit: & octava eſt generatio in filiis ejus, in quibus commemoratur & fœmina: ubi eleganter ſignificatum eſt, terrenam civitatem uſque in ſui finem carnales habituram generationes: quæ marium fœminarumque conjunctione proveniunt. Unde & ipſæ, quod præter Evam

nus-

nuſquàm reperitur ante diluvium nominibus propriis exprimuntur uxores illius hominis, qui nominatur hic noviſſimus pater. Sicut autem Cain, qui interpretatur poſſeſſio, terrenæ conditor civitatis, & filius ejus, in cujus nomine condita eſt Enoch, qui interpretatur dedicatio, indicat iſtam civitatem, & initium, & finem habere terrenum: ubi nihil ſperatur amplius, quàm quod in hoc ſeculo cerni poteſt. Ita Seth interpretatur reſurrectio, qui cùm ſit generationum ſeorſum commemoratarum pater, quid de filio ejus ſacra hæc hiſtoria dicat, intuendum eſt.

a Mirabili ſacramento.] *Primùm mortis Chriſti deinde martyrum, quos mundanus frater perſequitur.* L. Vives.

b Porrò ille Seth reſurrectio.] *Hieronymus poſitionem, ſive poſuit, dixit. Libellus eſt additus calci Bibliæ, qui inſcribitur: De interpretatione nominum Hebraicorum. Is Seth interpretatur poſitionem, ſive poſuit, ſive reſurrectionem.*

c Enos autem ſic interpretatur.] *Hieronymus: Quomodo Adam interpretatur, ita Enos juxta Hebraæ linguæ varietatem, homo, vel vir dicitur.*

d Tubalcain.] *In antiquis codicibus habet Tobel. Non dubium, quin Auguſtinus ſit ſecutus LXX. qui verterunt σελλὰ ἣ ἐτεκεν κα̇ὶ αὐτὴ τὸν Θοβὲλ. Hebræi Tubalcain Sella genitum dicunt, & ſic tradit Joſephus.*

α Occiſo Abel atq; in ejus interfectione commendato mirabili ſacramento.] *Nempe Chriſti mortis, quæ in illius morte adumbrata fuit, ut enim ille à fratre impio Cain interfectus fuit, ita Chriſtus à Judæis, & ut Cain ideò profugus & vagus ſemper ſuper terram, ita Judæi ob mortem illatam Chriſto profugi & vagi & per omnes nationes diſperſi. Ideò fortaſſè Chriſtus dictus* Agnus, occiſus ab origine mundi *Apocalyp. 12. tum quia ab initio mundi illius paſſio & meritum ſalutem hominibus attulerit, tum quia in morte ipſius Abelis adumbrata & præfigurata fuit, nec modo capitis Chriſti mors in interfectione Abelis juſti adumbrata fuit, verùm & omnium juſtorum, qui perſecutionem ab impiis patiuntur. adeoq; totius corporis Eccleſiæ perſecutio præmonſtrata fuit. D. Auguſtin. lib. 12. contra Fauſtum c. 10. Iſidorus Hiſpalen. Comment. in Geneſ. cap. 6.* Occiditur Abel minor natura fratre majore natu, occiditur Chriſtus caput populi minoris natu à populo Judæorum majore natu; ille in campo, iſte in Calvariæ loco: *Eadem Rupertus lib. 4. comment. in Geneſ. c. 5.* F. L. Coq.

β Terrenam ſcilic. non peregrinantem in hoc mundo.] *Nam fideles, qui ad Eccleſiam Dei pertinent, dicuntur* peregrini & advenæ in hoc mundo, utpote cives ſanctorum & domeſtici Dei: *dicuntur*, Non habere civitatem permanentem, ſed futuram inquirere. *Hebr. 11. Jacob patriarcha dies vitæ ſuæ vocat*, dies peregrinationis ſuæ ſuper terram; *qui verò ſunt mundani, fruuntur hoc mundo, & ſunt cives hujus mundi. David;* Advena & peregrinus ſum ſuper terram, ſicut omnes patres mei; *expectabant illi fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor eſt Deus. Iſidorus Hiſpalenſis commentar. in Geneſ. cap. 6.* Quid ſibi per figuram vult, quod impiorum progenies civitatem in ipſa mundi origine conſtruxit, niſi quod noveris, impios in hac vita eſſe fundatos, ſanctos verò hoſpites & pere-

peregrinos? unde & Abel tanquam peregrinus in terris. *i. e.* populus Chriſtianus non condidit civitatem. Superna enim eſt ſanctorum civitas, quamvis hic pariat cives, in quibus peregrinatur, donec regni ejus tempus adveniat.

γ Cain autem interpretatur poſſeſſio.] *D. Hieronymus lib. quæſt. Hebraic. in Geneſ. Cain,* Acquiſitio ſive poſſeſſio interpretatur. *i. e.* κτῆσις; *unde & etymologiam ipſius exprimens ait,* וקניתי איש אתה. poſſedi hominem per Deum.

δ Enoch verò interpretatur dedicatio.] *D. Hieronym. de nom. Hebraic. vocatur enim Hebraicè* חנוך *à verbo* חנך *quod* dedicare *ſignificat.*

ε Ille Seth reſurrectio interpretatur.] *D. Hieronym. lib. de quæſt. Hebraicis in Geneſ. Seth. propriè* θέσις. *i. e.* poſitio *dicitur.* Quia igitur poſuerat eum Deus pro Abel, propterea Seth. *i. e.* poſitio appellatur. *Denique Aquila;* Et vocavit *(inquit)* nomen ejus Seth dicens, quia poſuit Dominus mihi ſemen alterum. *Rectè etiam* reſurrectio *interpretatur,* quia in eo quodammodo Abel reſurrexiſſe & ſemen juſtorum videbatur.

ζ Enoch filius ejus interpretatur homo.] ארם אניש שם כולל לבלבני *generale vocabulum hominis; verum nomen Adam, (inquit) in ſcriptura commune eſt utriq; ſexui. Ita D. Hieronym. lib. 1. contra Jovianum:* Legamus principium Geneſeos, & inveniemus Adam hominem tam virum quàm mulierem nuncupari. *Enos tantùm de maſculino intelligitur; Hebræi tria nomina habent, quibus hominem ſignificant* אנוש איש ארם Adam *ſignificat hominem plebeium,* איש *de præſtandi virtute dicitur, quemadmodum & apud Latinos diſtinguuntur* homo *&* vir, *apud Græcos* ἄνθρωπος *&* ἀνήρ. *Inde Kimhi* הזרו לים בני ארם הם המ:ין העם בניאי שהם. *De ſignificatione horum nominum, vide Euſebium lib. 11. de præpar. Evangel. c. 4. De nomine* Enos, *vide Philonem lib. de Abrahamo, ſtatim initio.*

η Hoc non incaſſum notandum arbitror.] *Nihil recitatur vel exprimitur in ſcriptura ſine myſterio & ſacramento aliquo occulto; atqui certum eſt, non modo in poſteris Cain, & ex ſtirpe illius fuiſſe fœminas, verùm etiam & ex ſtirpe ipſius Seth, imò fortaſſe non niſi aliquot annis ante diluvium, qui erant de ſtirpe Seth, pietatem paternam æmulantes, nonniſi ex ſua ſtirpe uxores duxerunt. Ita docet Theodoretus, qu. 47. in Geneſ.* Separatum erat genus Seth & non permiſcebatur cum cognatione Cain propter illatam ei ab omnium Deo maledictionem. Quod igitur in poſteris Seth, qui reſurrectio interpretatur, nulla nominatim fœmina expreſſa ſit, in generationibus verò, quæ propagantur ex Cain in ipſo fine quouſque protenduntur, noviſſima fœmina genita nominatur Noema, Seth reſurrectio interpretetur, ſignificatur in filiis reſurrectionis fore quod ait Chriſtus Matth. 22. ut non nubant, neque nubantur, ſed ſint ſicut Angeli Dei in cœlo: Etſi enim per carnalem generationem & commixtionem maris & fœminæ multiplicati ſint poſteri Seth non ſecus ac poſteri Cain; verum ſcriptura rationem potiſſimum habuit alterius ſtatus. *i. e.* reſurrectionis juſtorum, qui in Seth adumbratur, in quo revixit Abel, & reſuſcitatum ſemen piorum: At ubi in generationibus, quæ à Cain conditore terrenæ civitatis propagantur, nominatur tandem ultimo loco fœmi-

fœmina, ſignificatur terrenam civitatem, quæ cœpit à Cain, usque in finem carnales habituram generationes, quæ ex marium fœminarumque conjunctione proveniunt.

θ Lamech, qui duarum maritus uxorum fuit.] *Primus fuit, qui contra divinam inſtitutionem & morem majorum induxit ſimultaneam polygamiam. D. Hieronymus Epiſt. 11. ad Ageruchiam viduam de monogamia dicit, eum geſſiſſe figuram hæreticorum. Nam adductis ex 2. Geneſ. verbis illis,* propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, certè non uxoribus. Quod teſtimonium Paulus ediſſerens *(inquit)* ad Chriſtum refert & ad Eccleſiam, ut primus Adam in carne, ſecundus in ſpiritu monogamus ſit; ſit una Eva mater cunctorum viventium, & una Eccleſia parens omnium Chriſtianorum: ſicut illam maledictus Lamech in duas diviſit uxores, ſic ſanè hæretici in plures lacerant Eccleſias, quæ juxta Apocalypſin Joannis ſynagogæ magis diaboli appellandæ ſunt quàm Chriſti conciliabula. *Idem D. Hieronym. lib. 1. contra Jovinian.* Primus Lamech ſanguinarius & homicida unam carnem in duas diviſit uxores, fratricidium & bigamiam eadem cataclyſmi delevit pœna. *Et Epiſtol. 9. ad Salvian.* Primus Lamech maledictus & ſanguinarius, & de Cain ſtirpe deſcendens unam coſtam diviſit in duas, & plantarium bigamiæ protinus diluvii pœna ſubvertit. *D. Thomas lect. 2. in cap. 11. ad Hebræos dicit, Lamech contra naturam primum introduxiſſe bigamiam. Tertull. lib. de exhortati. ad caſtit. cap. 5.* numerus matrimonii *(inquit)* à maledicto viro cœpit; primus Lamech duabus maritatus tres in unam carnem effecit.

CAP. XVIII.

Quid ſignificatum ſit in Abel, & Seth, & Enos, quod appareat ad Chriſtum, & corpus ejus, id eſt, Eccleſiam pertinere.

ET *Seth,* inquit, *natus eſt filius, & nominavit nomen ejus Enos. α Hic ſperavit invocare nomen Domini Dei.* Nempe clamat atteſtatio veritatis. In ſpe igitur vivit homo filius reſurrectionis: in ſpe vivit, quandiu peregrinatur hic civitas Dei, quæ gignitur ex fide reſurrectionis Chriſti. β Ex duobus namq; illis hominibus Abel, qui interpretatur luctus, & fratre Seth, qui interpretatur reſurrectio, mors Chriſti & vita ejus ex mortuis præfiguratur. Ex qua fide gignitur hic civitas Dei, *a* id eſt, homo, qui ſperavit invocare nomē Domini Dei, *Spe enim ſalvi facti ſumꝰ,* ait Apoſtolus. *Spes autē quæ videtur, nō eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiā expectamus.* nam quis vocare hoc exiſtimet ab altitudine ſacramenti? Nunquid enim Abel non ſperavit invocare nomē Domini Dei, cujus ſacrificium ſcriptura tam acceptum Deo fuiſſe commemorat? Nunquid ipſe Seth non ſperavit invocare nomen Domini Dei? de quo dictū eſt: Suſcitavit enim Deus ſemen aliud pro Abel. Cur ergo huic propriè tribuitur, quod piorum omnium intelligitur eſſe commune, niſi quia oportebat in eo, qui de patre generante in meliorem partem, hoc eſt, ſupernæ civitatis patriam, primus commemoratur exortus? præfigurari hominem, id eſt, hominum ſocietatem, quæ non ſecundùm hominem in re terrenæ felicitatis, ſed ſecundùm Deum

Gen. 4.

Rom. 8.

vivit in ſpe felicitatis æternæ? Nec dictum eſt, *Hic ſperavit in Dominum Deum*: aut, Hic invocavit nomen Domini Dei, ſed, *Hic ſperavit*, inquit, *invocare nomen Domini Dei.* Quid ſibi hoc vult, Speravit invocare, niſi quia prophetia eſt, exorturum populum, qui ſecundum electionem gratiæ invocaret nomen Domini Dei? Hoc eſt, quod per alium prophetam dictum, Apoſtolus de hoc populo in-

Rom.10. telligit ad Dei gratiam pertinere. *Et erit, omnis quicunque invocaverit nomen Do-*

Ioel.2. *mini, ſalvus erit.* Hoc enim ipſum quod dicitur: *Et nominavit nomen ejus Enos*, quod interpretatur homo: ac deinde additur: *Hic ſperavit invocare nomen Do-*

Ier.17. *mini Dei*: ſatis oſtenditur, quòd non in ſeipſo ſpem ponere debeat homo. *Maledictus enim omnis*, ſicut alibi legitur, *qui ſpem ſuam ponit in homine*: ac per hoc, nec in ſe, ut ſit civis alterius civitatis, quæ non ſecundùm filium Cain dedicatur hoc tempore, hoc eſt, mortalis hujus ſeculi labente tranſcurſu, ſed in illa immortalitate beatitudinis ſempiternæ.

L. Vives. a ID eſt homo, qui ſperavit.] *Sunt qui putent illud: Hic ſperavit invocare nomen Domini, ſic legi: Hic cœptum eſt invocari nomen Domini, & non de homine, ſed de tempore intelligi. Qualis forma loquendi non rara eſt apud ſcriptores, cum quibus conſentire videtur Hieronymus, qui ſic ait: Tunc initium fuit invocandi nomen Domini. In Chaldæo ſic habetur: Tunc inceperunt filii hominum orare in nomine Domini. Hebræorum plerique putant, tunc primùm in nomine Domini & ſimilitudine ejus facta eſſe idola. Autor eſt Hieronymus. Septuaginta verò verterunt:* οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου τοῦ θεοῦ. *id eſt, Iſte aut hic ſperavit invocare nomen Domini, ut de Enos intelligatur.*

F. L. Coq. a HIc ſperavit invocare nomen Domini.] *Ita ſeptuaginta interpretes verterunt,* οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ. Iſte ſperavit invocare nomen domini Dei; *quod Aquila ſic interpretatus eſt, referente Theodoreto qu. 47. in Geneſ.* τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖν ἐν ὀνόματι κυρίου. Tunc cœptum eſt vocari in nomine Domini, *Hebraicè legitur* לקריא בשמה אזהוחל, tunc cœptum eſt invocari nomen Domini. *Vulgata editio habet*, Ipſe cœpit invocare nomen Domini. *An non verò ante Enoch & juſtus Abel & Seth pietate ac religione valdè inſignis invocarunt nomen Domini vel ſperarunt invocare nomen Domini, ut hic D. Auguſtinus ex translatione ſeptuaginta objicit, quòd illi propriè tribuitur, quod piorum omnium commune eſt. Reſpondet D. Auguſtin. oportuiſſe in eo, qui de patre generante in meliorem partem.* i. e. *civitatis ſupernæ patriam primus exortus commemoratur, præfigurari hominem.* i. e. *hominum eorum ſocietatem, quæ non ſecundùm hominem in re fœlicitatis terrenæ, ſed ſecundùm Deum vivit in ſpe fœlicitatis æternæ. Ita Beda exponens eum locum Geneſ.* Enos, *inquit*, ſucceſſores populi Chriſtiani ſignificat, qui nomen Domini invocant. Sunt enim filii Seth. *i. e.* reſurrectionis, qui in domino ſperant, & invocant nomen Domini. *Ad literam verò probabile eſt, ideò Enos dici* primùm invocaſſe nomen Domini, *quod præ cæteris pius ac religioſius extiterit non modo colendo pietatem & religionem erga Deum, ſed eam etiam prædicando, divulgando, aliosque homines docendo; aut quia etiam primus certis quibusdam ritibus ac ceremoniis non tàm à ſe inventis quàm divinitus inſpi-*

inſpiratis Deum religioſiſſimè coluit, cujusmodi fortaſſe fuit erectio altarium, certorum locorum deſignatio & conſecratio ad Deum colendum & invocandum, & quod Hebraicus textus habet, tunc cœptum eſſe invocari nomen Domini, *fortaſſe ita intelligitur, non quod prius Adam, Abel & Seth non invocarunt nomen Domini, verum quia primus Enos ſuos nepotes & fratres ex Seth veluti in unum populum & in unam Eccleſiam coegerit ad tractandum Dei ſimul cultum, quod fide intelligeret per Chriſtum omnes fideles in unam Eccleſiam cogendos, quæ etiam in fidelibus illis primis ab initio mundi ſua principia repeteret.*

β Ex duobus namque illis hominibus. *i. e.* Abel.] *Non ſine myſterio Enos, cujus eximiam pietatem ſcriptura his verbis ſignificat, quòd* cœperit invocare nomen Domini, *dicitur filius Seth, qui reſurrectionem ſignificat: in* Abel, *qui* luctus *interpretatur, & in* Seth, *qui* reſurrectio, *ſignificatur mors & reſurrectio Chriſti, ex utriusque myſterii fide naſcitur Enos, qui cœpit invocare nomen Domini.* i. e. *naſcuntur fideles adeoq; ipſa Dei civitas ſeu Eccleſia, quæ per Chriſti fidem & invocationem ſanctiſſimi illius nominis ſanctificatur. Eadem ſcribit & Iſidor. Hiſpalenſis lib. commentar. in Geneſ. c. 6. & Beda qu. in Geneſim.*

CAP. XIX.

De ſignificatione, quæ in Enoch translatione monſtratur.

NAm & iſta propago, cujus eſt pater Seth, in ea generatione habet dedicationis nomen, quæ ſeptima eſt ex Adam annumerato Adam: *a* α ſeptimus enim ab illo natus eſt Enoch, qui interpretatur dedicatio, ſed ipſe eſt ille translatus, qui placuit Deo & inſigni numero in ordine generationum, quo ſabbatum conſecratum eſt, ſeptimo ſcilicet ab Adam. Ab ipſo autem patre iſtarum generationum, quæ diſcernuntur à propagine Cain, id eſt, à Seth ſexus eſt: quoto die factus eſt homo, & conſummavit Deus omnia opera ſua. Sed β hujus Enoch translatio noſtræ dedicationis eſt præfigurata dilatio. Quæ quidem jam γ facta eſt in Chriſto capite noſtro, qui ſic reſurrexit, ut non moriatur ulterius, ſed etiam ipſe translatus eſt. Reſtat autem altera dedicatio univerſæ domus, cujus ipſe Chriſtus eſt fundamentum, quæ differtur in finem, quando erit omnium reſurrectio, non moriturorum amplius. Sive autem domus Dei dicatur, ſive templum Dei, ſive civitatis Dei, id ipſum eſt, nec abhorret à Latini eloquii conſuetudine. *b* Nam & Vergilius imperioſiſſimam civitatem domum appellat Aſſaraci, Romanos volens intelligi, qui de Aſſaraco per Trojanos originem ducunt: & domum Æneæ eosdem ipſos, *c* quia eo duce Trojani cùm Italiam veniſſent, ab eis condita eſt Roma. Imitatus namque eſt poëta ille ſacras literas, in quibus dicitur domus Jacob tam ingens populus Hebræorum.

a SEptimus enim ab illo natus eſt Enoch.] *Duo fuerunt Enoch, alter filius Cain, alter filius Jared, ex genere Seth, de quo hîc nunc loquitur.* L. Viv.

b Nam & Vergilius.] *Libro 6. Aſſaraci filius fuit Capis, hujus Anchiſes, à quo Æneas, & gens Romana.*

c Quia eodem duce.] *Ex opinione Salluſtii in bello Catil.*

P.L.619. α SEptimus enim ab illo natus eſt Enoch.] *Duo fuere Enoch, alter quidem filius impii Cain pertinens ad civitatem mundi; alter verò ex poſteris Seth, ſeptimus ab Adamo maximus Dei cultor, quem celebrat Apoſtolus ad Hebr. 11.* Fide Enoch translatus eſt, ne videret mortem, & nõ inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus, *& de quo Eccleſiaſt. 34.* Enoch placuit Deo & translatus eſt, ne videret mortem; *hiſtoria habetur Geneſ. 5. quod in ſtirpe Cain primus* Henoch, *qui* dedicatio *interpretatur, naſcatur, in electorum verò progenie ſeptimus (nam Henoch filius Jared & pater Mathuſalem ſeptimus ab Adamo numeratur) ſcribit Gregorius lib. 16. moral. cap. 6. non vacare myſterio;* Quia videlicet reprobi in hac vita, quæ ante eſt, ſemetipſos ædificando dedicant; electi verò ædificationis ſuæ dedicationem in fine temporis. *i. e.* in ſeptimo tempore exſpectant. Videas namque plurimos temporalia ſola cogitare, honores quærere, ambiendis rebus inhiare, nihil poſt hanc vitam requirere. Quid itaque iſti niſi in prima ſe generàtione dedicant? videas electos nihil præſentis gloriæ quærere, libenter inopiam ſuſtinere, mala mundi æquanimiter ſuſtinere, ut poſſint in fine coronari. Electus ergo Henoch in ſeptima generatione naſcitur, quia ſui dedicationem gaudii in extrema reſurrectionis gloria requirunt.

β Hujus Henoch translatio.] *Ita Iſidorus Hiſpalenſis commentar. in Geneſ. cap. 6. & in Allegoriis ſacræ ſcripturæ;* Enoch *(inquit)* qui fuit ſeptimus ab Adam & translatus eſt, ſignificat ſeptimam requiem futuræ reſurrectionis, quando transferentur ſancti in vitam perpetuæ immortalitatis. *Epiphan. lib. 1. ſect. 9. contr. Samaritas;* Enoch translatus, ut mortem non videat, reſurrectionis eſt typus.

γ Facta eſt in Chriſto capite noſtro.] *Eadem ſcribit præfat. in enarrat. 2. Pſ. 29.* Antequam dies dedicationis domus veniat, videamus quia jam dedicatum eſt caput noſtrum; jam facta eſt dedicatio domus in capite tanquam dedicatio fundamenti; *& ſerm. 3. de verbis Apoſt.* In capite ſuo jam dedicatum eſt templum Dei, quando Dominus reſurrexit à mortuis devicta morte, mortalitate conſumpta aſcendit in cœlum, quia ſcriptus erat de illo Pſalmus dedicationis domus.

δ Ab eo condita eſt Roma.] *De primis urbis Romæ conditoribus variæ fuerunt veterum ſcriptorum ſententiæ, quas videre licet apud Onuphrium Panvinium, licet verior & vulgatior ſit ſententia, Romæ conditorem fuiſſe Romulum ipſum, de quo tamen quis fuerit non una eademq; eſt omnium ſententia. Auguſtin. hoc loco videtur ſecutus ſententiam Salluſtii in principio Catilinar.* Urbem *(inquit)* Romam ſicut ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui Ænea duce profugi incertis ſedibus vagabantur, cumque iis Aborigines genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine Imperio liberum atque ſolutum. Hi poſtquam in una mœnia convenere diſpari lingua, diſſimili genere, alii alio more viventes, incredibile memoratu eſt quàm facilè coaluerint. *Nec Saluſtius modo, verùm & alii Æneam Romæ conditorem ſcripſerunt, ut monuit idem Onuphrius.*

CAP.

CAP. XX.

De eo, quod Cain ſucceſſio in octo ab Adam generationes clauditur; & in poſteris ab eodem patre Adam, Noe decimus invenitur.

DIcet aliquis: Si hoc intendebat ſcriptor hujus hiſtoriæ in commemorandis generationibus ex Adam per filium ejus Seth, ut per illas perveniret ad Noe, ſub quo factum eſt diluvium, à quo rurſus contexeretur ordo naſcentium, quò perveniret ad Abraham, à quo Matthæus Evangeliſta incipit generationes, quibus ad Chriſtum pervenit æternum regem civitatis Dei, quid intendebat in generationibus ex Cain, & quò eas perducere volebat? Reſpondetur, usque ad diluvium, quo totum illud genus terrenæ civitatis abſumptum eſt, ſed reparatum ex filiis Noe. Neque enim deeſſe poterit hæc terrena civitas ſocietasque hominum, ſecundum hominem viventium, usque ad hujus ſeculi finem. De quo Dominus ait: *Filii hujus ſeculi generant & generantur.* Civitatem verò Dei peregrinantem in hoc ſeculo regeneratio perducit ad alterum ſeculum, α cujus filii nec generant nec generantur. Hic ergo generari & generare civitati utrique commune eſt: β quamvis Dei civitas habeat etiam hic multa civium millia, quæ ab opere generandi ſe abſtinent, γ ſed habet etiam illa cives nonnullos iſtis ſimiles ex imitatione quadam, licet errantes. Ad eam namque pertinent etiam, δ qui deviantes ab hujus fide diverſas hæreſes condiderunt. Secundum hominem quippe vivunt, non ſecundum Deum. ε Et ς Indorum gymnoſophiſtæ, qui nudi perhibentur philoſophari in ſolitudinibus Indiæ, cives ejus ſunt, & à generando ſe cohibent. ζ Non enim eſt hoc bonum, niſi ſecundum fidem ſummi boni, qui eſt Deus: hoc tamen η nemo feciſſe ante diluvium reperitur: quandoquidem etiam ipſe Enoch ſeptimus ab Adam, qui translatus refertur eſſe non mortuus, genuit filios & filias antequam transferretur: in quibus fuit Mathuſalem, per quem generationum memorandarum ordo transcurrit. Cur ergo tanta paucitas ſucceſſionum commemoratur in generationibus ex Cain, ſi eas usque ad diluvium perduci oportebat, nec erat diuturna ætas præveniens pubertatem, quæ centum vel amplius annos vacaret à fœtibus? Nam ſi non intendebat autor libri hujus aliquem, ad quem neceſſariò perduceret ſeriem generationum, ſicut in illis, quæ veniunt de ſemine Seth, intendebat pervenire ad Noe, à quo rurſus ordo neceſſarius ſequeretur: quid opus erat prætermittere primogenitos filios, ut perveniretur ad Lamech, in cujus filiis finitur illa connexio, octava generatione ſcilicet ex Adam, ſeptima ex Cain: quaſi eſſet inde aliquid deinceps connectendum, unde perveniretur vel ad Iſraeliticum populum, in quo cœleſti divinitati etiam terrena Hieruſalem figuram propheticam præbuit: vel ad Chriſtum ſecundum carnem, qui eſt *ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*, ſupernæ Hieruſalem fabricator atque regnator, quum tota progenies Cain diluvio ſit deleta? unde videri poteſt in eodem ordine generationum primogenitos fuiſſe commemoratos. Cur ergo tam pauci ſunt? Non enim ad diluvium tot eſſe potuerunt, non vacantibus usque ad centenariam pubertatem patribus ab officio generandi, ſi non erat tunc

Luc. 20. *Rom. 9.*

proportione longævitatis illius etiam ſera pubertas. Ut enim peræquè triginta annorum fuerint, quum filios generare cœperunt octies triceni, quoniam octo ſunt generationes cum Adam, & cum eis quos genuit Lamech, ducenti & quadraginta ſunt anni: num itaque toto deinde tempore usque ad diluvium non generaverunt? Qua tandem cauſa qui hæc ſcripſit, generationes commemorare noluit quæ ſequuntur. Nam ex Adam usque ad diluvium computantur anni ſecundum codices noſtros *b θ* duo millia ducenti ſexaginta duo: ſecundum Hebræos autem mille ſexcenti quinquaginta ſex. Ut ergo iſtum numerum minorem credamus eſſe veriorem, de mille ſexcentis quinquaginta ſex annis, ducenti quadraginta detrahantur, nunquid credibile eſt, per mille quadringentos, & quod excurrit annos qui reſtant usque ad diluvium, progeniem Cain à generationibus vacare potuiſſe? Sed qui ex hoc movetur, meminerit, quum quærerem, quomodo credendum ſit, antiquos illos homines per tam multos annos à gignendis filiis ceſſare potuiſſe, duobus modis iſtam ſolutam eſſe quæſtionem: aut de ſera pubertate, proportione tam longæ vitæ, aut de filiis, qui commemorantur in generationibus, quòd non fuerint primogeniti: ſed hi, per quos ad eum, quem intendebat autor libri, poterat pervenire, ſicut ad Noe in generationibus Seth. Proinde in generationibus Cain, ſi non occurrit qui deberet intendi, ad quem prætermiſſis primogenitis, per eos qui commemorati ſunt, perveniri oportebat, ſera pubertas intelligenda reſtabit: ut aliquanto poſt centum annos, puberes habileſque ad gignendum facti fuerint, ut ordo generationum per primogenitos curreret, & uſque ad diluvium ad numerum annorum tantæ quantitatis occurreret. *c* Quamvis enim fieri poſſit, ut propter aliquam ſecretiorem cauſam, quæ me latet, *κ* uſque ad Lamech & ejus filios generationum perveniente contextu, *d* commendaretur hæc civitas, quam dicimus eſſe terrenam: ac deinde ceſſaret ſcriptor libri commemorare cæteras, quæ uſque ad diluvium eſſe potuerunt. Poteſt & illa eſſe cauſa, cur non ordo generationum per primogenitos duceretur: ut neceſſe non ſit in illis hominibus tam ſeram credere pubertatem: quòd ſcilicet eadem civitas, quam Cain in nomine Enoch filii ſui condidit, longè latèque regnare potuerit, & reges habere non ſimul plures, ſed ſuis ætatibus ſingulos, quos genuiſſent ibi ſucceſſuros quicunque regnaſſent. Horum regum primus eſſe potuit ipſe Cain: ſecundus, filius ejus Enoch, in cujus nomine, ubi regnaretur, condita eſt civitas: tertius Gaidad, quem genuit Enoch: *e* quartus Manihel, quem genuit Gaidad: *f* quintus Mathuſael, quem genuit Manihel, ſextus Lamech: quem genuit Mathuſael, qui ſeptimus eſt ab Adam per Cain: non autem erat conſequens, ut primogeniti in regnum regnantibus ſuccederent patribus, ſed quos regnandi meritum propter virtutem terrenæ utilem civitati, vel ſors aliqua reperiret, vel ille potiſſimùm ſuccederet patri hæreditario quodam jure regnandi, quem præ cæteris filiis dilexiſſet. Potuit autem vivente adhuc Lamech atque regnante fieri diluvium, ut ipſum cum aliis omnibus hominibus, exceptis qui in arca fuerunt, quem perderet, inveniret. Neque enim mirandum eſt, ſi varia quantitate numeroſitatis annorum interpoſita, per tam longam

longam ætatem ab Adam usque ad diluvium non æqualis numeri generationes habuit utraque progenies, ſed per Cain ſeptem, per Seth autem decem: ſeptimus eſt enim (ut jam dixi) ab Adam Lamech, decimus Noe: & ideo non unius filius Lamech, ſicut in cæteris ſuperius, ſed plures commemorati ſunt: quia incertum erat, quis ei fuiſſet mortuo ſucceſſurus, ſi regnandi tempus inter ipſum & diluvium remanſiſſet. Sed quoquo modo ſe habeat ſive per primogenitos, ſive per reges, ex Cain generationum ordo decurrens, illud nihil nullo pacto prætereundum ſilentio videtur, quòd quum Lamech ſeptimus ab Adam fuiſſet inventus, tot ejus annumerati ſunt filii, donec undenarius numerus impleretur, quo ſignificatur peccatum. Adduntur enim tres filii, & una filia. Uxores autem aliud poſſunt ſignificare, non hoc quod nunc commendandum videtur. Nunc enim de generationibus loquitur, illæ verò unde ſint genitæ, tacitum eſt. Quoniam ergo lex denario numero prædicatur, unde eſt memorabilis ille decalogus: profectò numerus undenarius, quoniam transgreditur denarium, transgreſſionem legis, ac per hoc peccatum ſignificat. Hinc eſt, quòd in tabernaculo teſtimonii, quod erat in itinere populi Dei, velut templum deambulatorium λ undecim vela cilicia fieri præcepta ſunt. *Exod. 26.* μ In cilicio quippe recordatio eſt peccatorum, *b* propter hœdos ad ſiniſtram futuros: quia confitentes in cilicio proſternimur, tanquam dicentes, quod in Pſalmo ſcriptum eſt: *Peccatum meum ante me eſt ſemper.* *Pſ. 50.* Progenies ergo ex Adam per Cain ſceleratum undenario numero finitur, quo peccatum ſignificatur, & ipſe numerus à fœmina clauditur, à quo ſexu initium factum eſt peccati, per quod omnes morimur. Commiſſum eſt autem ut & voluptas carnis, quæ ſpiritui reſiſteret, ſequeretur. *i* Nam & ipſa filia Lamech Noema, id eſt voluptas interpretatur. Per Seth autem ad Adam usque ad Noe denarius inſinuatur legitimus numerus. Cui Noe tres adjiciuntur filii, unde uno lapſo duo benedicuntur à patre, ut remoto reprobo, & probatis filiis ad numerum additis, etiam *k* duodenarius numerus intimetur, ν qui & in Patriarcharum & Apoſtolorum numero inſignis eſt / propter ſeptenarii partes, alteram per alteram multiplicatas. Nam ter quaterni vel quater terni ipſum faciunt. His ita ſe habentibus, video conſiderandum & commemorandum, iſta utraque progenies quæ diſtinctis generationibus duas inſinuat civitates, unam terrigenarum, alteram regeneratorum: quomodo poſtea ſic commixta fuerit atque confuſa, ut univerſum genus humanum, exceptis octo hominibus, perire mereretur diluvio.

a ET Indorum gymnoſophiſtæ.] *Sic Strabo lib. 15.* *L. Vives.*

b Duo millia ducenti ſexaginta duo.] *Alibi quinquaginta duo. Apud Euſebium & Bedam ex LXX. habetur, duo millia ducenti quadraginta duo, niſi Auguſtinus poſtpoſitum x. viderit, aut illi præpoſitum: qui error facilè contingit inadvertentia deſcriptoris.*

c Quamvis fieri poſſit, ut propter aliquam ſecretiorem cauſam.] *Credo eſſe enumeratas tantum generationes Cain, quæ puniri debebant propter fratricidium. Sic enim Joſephus ſcribit: Cain ſacrificium celebranti atque poſcenti, ne ob hoc imm*

ſuſci-

ſuſciperet, ſæviorem pœnam homicidii relaxavit, maledictumq; eſſe conſtituit, & ejus ſobolem uſque ad ſeptimam generationem interminatus eſt eſſe puniendam. Tunc etiam quòd uſque ad id tempus vixit Cain, cujus finem vitæ per generationem ejus nolebat narrator prætermittere.

d Commendaretur hæc civitas.] *Melius commemoraretur.*

e Quartus Manichel.] *Alibi Menia, Euſebius Maniael, in LXX.* Μαλαλεὴλ.

f Mathuſael.] *Euſeb. Mathuſalem LXX.* Μαθυσάλα.

g In cilicio quippe.] *Cilicium induere ſolebant Prophetæ, cùm populum ad pœnitentiam adhortari atque inducere conabantur. Hieronymus ſuper Zachariam: Cilicio etiam operiebantur, qui pœnitentiam agebant.*

h Propter hœdos ad ſiniſtram futuros.] *In fine ſeculi ait Servator ſe oves, id eſt ſimplices viros & probos ſtatuturum ad dextram ſuam: hœdos verò petulcos & laſcivos ad ſiniſtram. Cilicia ex caprinis contexebantur pilis, ſic dicta, quòd ea tonſura, ut inquit Varro, uſuſque ejuſmodi tegumenti primùm eſt in Cilicia repertus.*

i Nam & ipſa filia Lamech Noema.] *Alii nomina ex Hebraico expreſſius, ut ajunt: & ſignificat tum voluptatem, tum etiam decus & fidem, interprete Hieronymo.*

k Duodenarius numerus.] *De quo Hieronymus lib. 10. in Ezechielem.*

l Propter ſeptenarii partes.] *Qui eſt numerus myſteriorum plenus, ut alibi diximus.*

F.L.Cap. *α* CUjus filii nec generant nec generantur.] *Matth. 22. Chriſtus reſpondit Sadducæis interrogantibus de illa, quæ ſeptem maritis nupſerat, cujus futura eſſet uxor in reſurrectione*, Erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei. In reſurrectione enim neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo: *quò reſpicit Tertull. lib. 1. ad uxor. c. 1.* Chriſtianis ſæculo digreſſis nulla reſtitutio nuptiarum in diem reſurrectionis repromittitur, translatis ſcilic. in Angelicam qualitatem & ſanctitatem.

β Quamvis Dei civitas habeat hic multa civium millia, quæ ab opere generandi abſtinent.] *Nam ante jam D. Auguſtini fuiſſe refertiſſima monaſteria ſanctorum, & quidem utriuſque ſexus, conſtat ex Hieronymo Epiſtola 7. ad Lætam.* De India, Perſide, Æthiopia monachorum quotidie turmas ſuſcepimus; *& epiſtol. 16. ad Principiam:* Suburbanus ager vobis pro monaſterio fuit, & rus electum pro multitudine, multoque ita vixiſtis tempore, ut ex imitatione veſtri & converſatione multarum, gauderemus Romam factam Hieroſolymam; Crebra virginum monaſteria, monachorum innumerabilis multitudo, ut pro frequentia ſervientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, eſſet poſtea gloriæ. *& epiſt. 17. ad Marcellam:* Flos quidem & pretioſiſſimus lapis inter Eccleſiaſtica ornamenta, Monachorum & virginum chorus eſt: quicumque in Gallia fuerit primus, huc properat, diviſus ab orbe noſtro Britannus, ſi in religione proceſſerit, occiduo Sole dimiſſo, quærit locum fama ſibi tantùm & ſcripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid Perſas, quid Indiæ, quid Æthiopum populos, ipſamque juxta Ægyptum fertilem monachorum Pontum & Cappadociam, Syriam, Cœlem & Meſopotamiam, cunctaque orientis examina? Quæ

juxta

juxta ſalvatoris eloquium dicentis, ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur Aquilæ, concurrunt ad hæc loca, & diverſarum nobis virtutum ſpecimen oſtendunt, vox quidem diſſona, ſed una religio, tot pene pſallentium chori, quot gentium diverſitates. *& Epiſt. 26. ad Pammachium*: Noſtris temporibus Roma poſſidet, quod mundus ante neſcivit; Tunc rari ſapientes, potentes, nobiles Chriſtiani; nunc multi monachi, ſapientes, potentes, nobiles; *& in c. 19. Iſaiæ ſcribit, infinita Monachorum millia tùm Ægypti ſolitudines repleviſſe & Ægyptum ac Meſopotamiam Monachorum floruiſſe examinibus, & pari inter ſe pietate contendiſſe. Hæc ſunt multa civium civitatis Dei millia, quæ ab opere generandi abſtinuiſſe, ac vitam cœlibem duxiſſe ſcribit D. Auguſtinus.* [*Quid igitur oblatrant Syco-* „
phantæ heretici homines impuriſſimi, qui conſilia Evangeliorum reſpuunt, continen- „
tiam ſervatu impoſſibilem impudenter aſſerunt, impuriſſimis ſcil. hominibus, cujusmo- „
di ſunt, qui volutantur in carne & ſanguine, verùm non quibus Deus dederit: Peten- „
tibus verò datur, dicitur enim, petite & accipietis;] *Et quidem ipſe B Hieronym.* „
lib. 1. contra Jovinianum multis exemplis docet, etiam apud Gentiles virginitatem & continentiam in magno pretio fuiſſe habitam; nec nova ſunt cœnobiorum & monaſteriorum inſtituta, ut aſſerunt blaterones illi, quod conſtat ex hoc D. Auguſtini loco & aliis & ex citatis D. Hieronymi, & Epiphanius hæreſ. 58. contra Valeſios, Eunuchos, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum, Apoſtolos interpretatur, & monaſticam vitam degentes, & deinceps virgines. Quod verò initio præceptum eſt primis parentibus, ut procreationi liberorum darent operam & multiplicationi generis humani, rectè Hieronymus lib. 4. contra Jovinianum: Neceſſe fuit prius plantare ſylvam & excreſcere, ut eſſet quod poſtea poſſet exſcindi, ſimulque conſideranda vis verbi, Replete terram, Nuptiæ *(inquit)* terram replent, virginitas paradiſum. *Idem D. Hieronym. eodem libro dicit eos, qui in lege præceſſerunt, ſerviſſe temporibus & conditionibus ſuis, & illam Domini impleſſe ſententiam,* Creſcite & multiplicamini, & replete terram, *& quod his majus eſt, futurorum typos præbuiſſe: nobis autem, quibus dicitur,* tempus in collecto eſt, ſupereſt ut qui habent uxores, ſic ſint quaſi non habeant, *aliud præcipi & virginitatem à ſalvatore virgine dedicari.*

γ Habet etiam illa cives nonnullos iſtis ſimiles.] *Ita Tertullian. lib. 1. ad uxorem c. 7.* Quantum Deo ſanctitas placet, cum etiam illam inimicus adfectat, non utique ut alicujus boni adfinis, ſed ut Dei domini placita cum contumelia adfectans, *& lib. de præſcr. c. 40.* habet diabolus virgines, habet & continentes. *Idem lib. de exhortat. ad caſtitatem c. ult.* Ita veritatis ſimia ſemper fuit falſitas, & ſigna Ægyptiorum imitabantur ſigna, quæ faciebat Moſes, quæ tamen vera ſigna non erant.

δ Qui deviantes ab hujus fide diverſas hæreſes condiderunt.] *Ut qui nuptias damnarunt, de quibus Apoſtolus;* erunt in noviſſimis diebus prohibentes nubere; *Ita enim probatur virginitas in Eccleſia Dei, ut tamen nuptiæ minimè repudiantur,* honorabile connubium, thorus immaculatus, Eccleſia *(inquit Hieron. lib. 1. cont. Jovinianum)* matrimonia nō damnat, ſed ſubjicit, non abjicit, ſed diſpenſat, ſciens

in magna domo non ſolum eſſe vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia: *& ejusdem libri ſtatim initio:* Neque verò nos Marcionis & Manichæi dogma ſectantes nuptiis detrahimus, nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti omnem coitum ſpurcum putamus. qui non ſolum nuptias, ſed cibos quoque, quos Deus creavit ad utendum, damnat & reprobat. Scimus in domo magna non ſolùm vaſa eſſe aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & ſuper fundamentum Chriſti, quod Paulus architectus poſuit, alios ædificare aurum, argentum, lapides pretioſos, alios è contrario fœnum, ligna, ſtipulam: non ignoramus honorabiles nuptias, & thorum immaculatum. Legimus primam ſententiam, Creſcite & multiplicamini, & replete terram; ſed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis naſcitur, præferamus. Nunquid argentum non erit argentum, ſi aurum argento pretioſius eſt? aut arboris & ſegetis contumelia eſt, ſi radici, & foliis & culmo & ariſtis poma præferantur & fructus, ut poma ex arbore, frumentum ex ſtipula, ita virginitas è nuptiis, *& Apologia ad Pammachium:* Tatianum Encratitarum principem, qui abjicit matrimonia, reprehendimus.

ε Indorum Gymnoſophiſtæ.] *Scribit Strabo lib. 15. eam etiam fuiſſe vivendi rationem ſacerdotum Ægypti refert D. Hieronym. lib. 2. contra Jovinianum ex Cheremone Stoico, quòd omnibus mundi negotiis poſthabitis ſemper in templo fuerint, & rerum naturas cauſasque ac rationes ſiderum contemplati ſint, nunquam mulieribus ſe miſcuerint.*

ζ Non enim eſt hoc bonum, niſi ſecundùm finem ſummi boni, qui eſt Deus.] *Virginitas enim Deo quidem acceptiſſima, ſed in Eccleſia*, & in illis, qui *(ut loquitur Tertullianus lib. de velan. virgin. cap. 16.)* nupſerunt Chriſto, illi tradiderunt carnem ſuam; illi ſponſarunt maturitatem ſuam. *Profana ſunt ea templa, quæ idolis conſecrantur, ita profana virginitas, nec Deo accepta, quæ diabolo dedicatur, ut martyrium, caſtitas & reliquæ virtutes extra Eccleſiam non proſunt, ita nec virginitas; quod egregiè docet D. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis;* Grandis labor, ſed grande præmium eſſe quod martyres, eſſe quod Apoſtoli, eſſe quod Chriſtus eſt: quæ quidem univerſa tunc proſunt, cum in Eccleſia fiunt, *& paucis interpoſitis:* Cæterùm, *inquit* virgines, quales apud diverſas hæreſes, & quales apud impuriſſimum Manichæum eſſe dicuntur, ſcorta ſunt exiſtimanda, non virgines. Si enim earum corporis author eſt diabolus *(alludit ad inſanam Manichæorum opinionem, qui corpus non à bono principio, ſed à malo dæmone eſſe volebant)* quomodo poſſunt honorare plasmationem hoſtis ſui; ſed quia ſciunt virginale vocabulum glorioſum, ſub ovium pellibus lupos tegunt, Chriſtum mentitur Antichriſtus, & turpitudinem vitii falſo nominis honore convestiunt, Gaude ſoror, gaude filia, gaude mi virgo, quia quod aliæ ſimulant, tu verè eſſe cœpiſti. *Vides itaque extra Eccleſiam ſi quæ ſint virgines, ut apud hæreticos & infideles, ſcorta eſſe non virgines, virginitatem illam ſimulatam eſſe ac fictam, non verum.*

η Nemo ante diluvium fuiſſe reperitur, quandoquidem ipſe Enoch.] *Hoc argumento Jovinianus extollebat nuptias, ut author eſt D. Hieronym. lib. 1. adverſus eundem*

eundem ſtatim initio, quod nemo ſanctorum illorum Patrum ante diluvium coluiſſet virginitatem, ſed omnes habuerint uxores, & ex Dei ſententia filios procrearint, inter quos Enoch ambulaſſe dicitur cum Deo, & raptus eſſe in cœlum. Cui fusè reſpondet ibidem pro defenſione virginitatis, & de Enoch, Si transfertur *(inquit)* Enoch, non reor idcircò translatum, quod uxorem habuerit, ſed quod primus invocaverit Deum, & crediderit in ſalvatorem. Dici breviter poteſt, tùm temporis ex præcepto domini, creſcite & multiplicamini ſuper terram, debuiſſe homines ad multiplicandum genus humanum vacare generationi; verùm diſtinguenda tempora.

θ Duo millia ducenti ſexaginta duo.] *Ex veriori tamen ſupputatione colliguntur anni tantùm 2242. apud codices ſeptuaginta interpretum; & hunc numerum annorum ſequuntur Euſebius, Hieronymus, Zonaras, Iſidorus, Nicephorus, verùm Scholiaſtes Iſidori Garcias de Loaiſa ad ejus chronicon in prima ætate ſæculi meminit cujusdam Chronici ubi anni 2262. referuntur in hac verba.* ἐν τῷ ἑκατοστῷ ἔτει τοῦ Σὴμ, ἑξακοσιοστῷ δὲ τοῦ Νῶε καὶ ἔτει γενέσεως β, σ, ξ, β, ἐγένετο ὁ κατακλυσμὸς ἐπὶ τῆς γῆς. Anno centeſimo Sem, ſexcenteſimo vero Noë, creationis autem mundi bis milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo factum eſt diluvium ſuper terram. *Non defuere igitur chronica vel etiam codices, quos ſequeretur D. Auguſtinus in hac ſupputatione annorum ab Adamo uſque ad diluvium.*

ι Per mille quadringentos & quod excurrit annos.] *Hac locutione uſus eſt ſupra c.12. & lib.7. de baptiſmo contra Donatiſtas cap.2.* quadraginta & quod excurrit annis peractis, *& lib. poſt collationem cap.3. quæ frequens eſt apud Optatum lib.1.* Ferme ante annos ſexaginta & quod excurrit, *item,* ducentos, & quod excurrit, miniſtros, *lib. 2.* inter quadraginta & quod excurrit baſilicas; *Eandem uſurpat Oroſius lib.7. cap.2. Victor Uticenſis lib.3. de perſecuti. Vandal. & Vegetius lib.1. de re militari cap. ult.* poſt primum bellum viginti & quòd excurrit annorum pax, *& L. Publia §. Titius, D.* depoſui ex ratione patris veſtri decem & quod excurrit. *Vide Cujacium lib.1. Obſervat. cap.40.*

κ Uſque ad Lamech & ejus filios generationum perveniente contextu.] *Rupertus lib.3. commentar. in Geneſ. cap.34. ſcribit in Lamech quidem ſexto à Caino deficere generationes ab eo,* non quòd plures ex illo latere non fuerint, ſed quia attinuit ad rem illarum uſque ad diluvium texere ſucceſſiones, ſcriptore illud intendente, quota generatione occiſus fuerit Cain, qui occidit Abel; fuiſſe namque & alias generationes poſt Lamech ante diluvium ex ipſa litera manifeſtiſſimum eſt. Lamech *(inquit)* accepit uxores duas, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella, genuitque Ada Iabel, qui pater fuit habitantium in tentoriis atque paſtorum, & nomen fratris ejus Tubal, ipſe pater canentium cythara & organo fuit. Sciendum quippe eſt occiſo Abel tardius propagare cœpiſſe generationem hanc, in qua decimus invenitur Noe; ſiquidem Seth centeſimo trigeſimo anno Adæ natus eſt. Quomodo ergo per Seth uſque ad diluvium plures, per Cain vero pauciores haberentur generationes? Illud *(inquit)* ſcriptor in illa generatione, quæ anterius cœpit, intendit, ut illum deſignaret à quo occiſus eſt Cain, &

idcircò ſequentes generationes negligentius prætereundo reticuit: *nihil ergo dubitandum fuiſſe alias generationes à Lamech ſeptimo ab Adamo, & ſexto à Cain ad diluvium non ſine myſterio tamen, verùm propter ſecretiorem aliquam cauſam, quæ ſi Auguſtinum latuit, latet & nos, eas ſcriptura reticuit, ſuperdictam tamen cauſam aſſignat Rupertus; quæ veriſimilis erit, ſi virum occiſum à Lamech, Cainum intelligamus. Nec enim placet Theodoreto qu. 44. in Geneſim, nec Paulo Burgenſi, nec Catharino, nec Hieronymo ab Oleaſtro, Cain occiſum eſſe à Lamech. Deinde* potuit fieri *(ait Auguſtinus)* ut vivente adhuc Lamech diluvium inundaret terram, & ipſe cum cæteris vi aquarum abſorberetur; *cùm itaque usque ad diluvium vellet ſcriptor ſacer poſteros Cain commemorare, & eos fortaſſe potiſſimùm, qui Reges fuere in civitate ab eo condita, hinc fit ut in Lamech deſiverit, cui nemo ſucceſſit filiorum cum regnaret ſuperveniente diluvio: verùm ea eſt conjectura, nec certi aliquid ſtatui poteſt.*

λ Undecim vela cilicina fieri præcepta ſunt.] *Exod. 20.* facies & ſaga cilicina undecim ad operiendum tectum tabernaculi. *Auguſtinus hic* vela *transfert ut etiam qu. 108. in Exodum;* facies vela capillacia operire ſuper tabernaculum, undecim facies ea, *quibus ſubjungit,* quæ capillacia vela ſint, *id eſt,* cilicina, *undecim dicuntur eſſe. In peccatis quippe transgreſſio eſt; transgreſſio verò undecimo numero ſignificatur, quoniam transgreditur denarium, id eſt, legem.*

μ In cilicio recordatio eſt peccatorum.] Propheta *(ait D. Hieronymus in cap. 13. Zachar.)* quando populum ad pœnitentiam provocabant, induebantur cilicio.

ν Qui in patriarcharum & Apoſtolorum numero inſignis eſt.] *D. Hieronymus lib. 10. In Ezechielem duodenarium plenæ conſummatæq; virtutis numerum vocat,* unde duodecim *(inquit)* ſunt filii Jacob, à quibus poſtea duodecim nomina Prophetarum uno volumine continentur. Et Apoſtoli duodecim ſunt, quorum quia unus Judas proditor fuit, in locum ejus Matthias eligitur. *Hæc eadem obſervata leges apud Iſidorum Hiſpalenſem lib. commentar. in Geneſ. cap. 6. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 13.* Cur *(inquit)* 12. Apoſtolos elegit, & non alium quemlibet numerum? næ & ex hoc meum Chriſtum interpretari poſſem non tantùm vocibus Prophetarum, ſed & argumentis rerum prædicatum. Hujus enim numeri figuras apud creatorem deprehendo, duodecim fontes Elim, & duodecim gemmas in tunica ſacerdotali Aaronis, & duodecim lapides ab Jeſu de Jordane electos, & in arcam teſtamenti conditos. Totidem enim Apoſtoli portendebantur, perinde ut fontes & amnes rigaturi aridum retrò & deſertum à notitia ordinem nationum. *Euſebius li. 3. c. 2. per duodecim exploratores miſſos à Moſe vult ſignificatos 12. Apoſtolos miſſos à Salvatore ad inſpiciendas omnes gentes.*

Cap. XXI.

Qua ratione commemorato Enoch, qui fuit filius Cain, totius generationis ejus uſque ad diluvium ſit continuata narratio: commemorato autem Enos, qui fuit filius Seth, ad conditionis humanæ principium ſit reditum.

Primò

PRimò autem intuendum eſt, quemadmodum cùm ex Cain generationes enu-
merarentur, commemorato ante cæteros poſteros ejus, illo in cujus nomine
condita eſt civitas, Enoch: contexti ſunt cæteri uſque ad illum finem, de quo
locutus ſum, donec illud genus atque illa univerſa propago diluvio deleretur:
cùm verò filius Seth unus commemoratus fuiſſet Enos nondum uſque ad dilu-
vium additis cæteris, *a* articulus quidam interponitur: & dicitur: *Hic liber na-
tivitatis hominum, qua die fecit Deus Adam, ad imaginem Dei fecit illum: maſculum* Gen. 5.
*& fœminam fecit eos, & benedixit illos, & cognominavit nomen eorum Adam, qua
die fecit illos.* Quod mihi videtur ad hoc interpoſitum, ut hinc rurſus incipe-
ret ab ipſo Adam dinumeratio temporum, quam noluit facere, qui hæc ſcripſit
in civitate terrena, tanquam eam Deus ſic commemoraret, ut non computaret.
Sed quare hinc reditur ad iſtam recapitulationem, poſteaquam *a* commemora-
tus eſt filius Seth, homo qui ſperavit invocare nomen Domini Dei: niſi quia ſic
oportebat duas iſtas proponere civitates, unam per homicidam uſque ad homi-
cidam: nam & Lamech duabus uxoribus ſuis ſe perpetraſſe homicidium confi-
tetur: alteram per eum, qui ſperavit invocare nomen Domini Dei? Hoc eſt quip-
pe in hoc mundo peregrinantis civitatis Dei totum atque ſummum in hac mor-
talitate negotium, quod per unum hominem, quem ſanè occiſi reſurrectio ge-
nuit, commendandum fuit. Homo quippe ille unus totius ſupernæ civitatis
eſt unitas: nondum quidem completa, ſed præmiſſa iſta prophetica præfigura-
tione complenda. Filius ergò Cain, hoc eſt, filius poſſeſſionis, cujus niſi terrenæ
civitatis habeat nomen in civitate terrena, quæ in ejus nomine condita eſt? De
his eſt enim, de quibus cantatur in Pſalmo: *b Invocabunt nomina eorum in terris* Pſ. 84.
ipſorum: propter quod ſequitur eos, quod in alio Pſalmo ſcriptum eſt, *Domine* Pſ. 72.
in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges: Filius autem Seth, hoc eſt, filius
reſurrectionis, ſperet invocare nomen Domini Dei. Eam quippe ſocietatem
hominum præfigurat, quæ dicit: *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei ſpe-
ravi in miſericordia Dei.* Vanas autem glorias famoſi in terra nominis non re-
quirat. *Beatus enim vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanita-* Pſ. 51.
tes & inſanias falſas. Propoſitis itaque duabus civitatibus una in re hujus ſeculi,
altera in ſpe Dei, tanquam ex communi, quæ aperta eſt in Adam janua mortali-
tatis egreſſis, ut percurrant & excurrant ad diſcretos proprios & debitos fines,
incipit dinumeratio temporum: in qua & aliæ generationes adjiciuntur, facta
recapitulatione ex Adam, ex cujus origine damnata, veluti maſſa una meritæ da-
mnationi tradita fecit Deus alia in contumeliam vaſa iræ, alia in honorem vaſa
miſericordiæ: β *c* illis reddens, quod debetur in pœna, iſtis donans, quod non Rom. 9.
debetur in gratia: ut ex ipſa etiam comparatione vaſorum iræ, ſuperna civitas
diſcat, quæ peregrinatur in terris, *d* non fidere γ libertate arbitrii ſui, ſed ſpe-
ret invocare nomen Domini: quoniam voluntas in natura, qua facta eſt bona à
bono Deo, ſed mutabilis ab immutabili, ex nihilo ab eo qui eſt, & à bono poteſt
declinare, ut faciat malum, quod fit libero arbitrio: & à malo, ut faciat bonum,
quod non fit ſine divino adjutorio.

L. Viues. a COmmemoratus eſt filius Seth ho.] *Enos, quem genuit Seth, qui interpretatur vir.*

b Invocabunt nomina eorum in terris.] *Vulgò in præterito legimus vocaverunt, Pſal. 48. & ſic verterunt LXX.* ἐπεκαλέσαντο τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐπὶ τῶν γαιῶν. *Ad Hebraicam veritatem apertius, & ad hanc rem accommodatius: vocaverunt nominibus ſuis terras ſuas.*

c Illis reddens quod debetur.] *Significat, Deum meritò punire malos, gratis verò felicitatem dare bonis.*

d Non fidere libertate.] *Quod volebat Pelagius.*

F. L. Coq. α ARticulus quidam interponitur, & dicitur hic liber nativitatis hominum.] *Cap. 5. Geneſ. quo recenſentur decem generationes ab Adamo ad diluvium, adeoq; comprehenditur tota prima ætas generis humani, quæ annos complectitur mille ſexcentos quinquaginta ſex juxta ſcripturam Hebraicam & verſionem Latinam: in commemorandis generationibus civitatis terrenæ non ſupputavit tempora vel annos ſcil. à Caino ad Lamech, at verò in his generationibus ab Adamo & Seth ac deinceps usque ad Noe alterum parentem generis humani, dinumeravit tempora & ſupputavit annos, ut intelligamus ex ſcriptura longè majorem ineſſe curam Deo electorum quàm reproborum, dinumeratos eſſe etiam capillos capitis electorum, numerum electorum in ſuperna fœlicitate locandorum Deo ipſi cognitum eſſe, ſcripta eſſe eorum nomina in cœlis; nec hora quidem momento non eſſe curæ ipſi Deo tempora & annos, adeoq; mundum ipſum propter electos diſponi & adminiſtrari à Deo. Omnia enim propter electos, ut ipſi ſalutem conſequantur, & longè probabiliſſimum eſt omnes eos patres ab Adamo ad Noe, quorum adeò ſtudioſè ſcriptura meminit, ut ſingulorum annos & tempora vitæ deſcribat, pertinuiſſe ad civitatem Dei quoad fidem, & præterea ad gloriam fuiſſe prædeſtinatos, & imitatores omnes fuiſſe paternæ pietatis nimirum ipſius Seth. Ita enim ſcribit Joſeph. lib. 1. antiqu. cap. 3. de Seth & ejus poſteris,* τραφεὶς οὗτος καὶ παρελθὼν εἰς ἡλικίαν ἤδη τὰ καλὰ κρίνειν δυνάμενος ἀρετὴν ἐπετήδευσε καὶ γενόμενος αὐτὸς ἄριστος μιμητὰς αὐτοῦ τοῖς ἀπογόνοις κατέλιπεν: *Non ita vero ſollicitè immoratus eſt divinus ſcriptor Moſes in recenſendis temporibus & annis vitæ poſterorum ipſius Cain, utpote reproborum & pertinentium ad civitatem terrenam, & imitatorum impietatis paternæ, prout ſcribit idem Joſephus,* Καῖνος τοῖς ἐκγόνοις πονηροτάτοις συνέβη γενέσθαι κατὰ διαδοχὴν καὶ μίμησιν ἄλλον ἄλλου χείρωνα τελευτῶντα, πρός τε πολέμους εἶχον ἀκρατεῖς καὶ πρὸς λῃστείας ὡρμήκεσαν.

β Illis reddens quod debetur in pœna, iſtis donans quod non debetur in gratia.] *Sola ſiquidem ſua bonitate ductus voluit aliquos ex illa maſſa ereptos ſervare, & ad gloriam perducere, quos ſcilicet prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui; alios verò in ea maſſa juſtiſſimè dereliquit, & permiſit in ſuis peccatis perire: nec eſt quod quis de eo conqueratur, cùm non ſit iniquitas apud Deum. Ait enim,* miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo ei, cui miſericors ero. *Dices verò, an Deus faciat ita vaſa iræ, quemadmodum vaſa miſericordiæ, ſit ne reprobatio æquè illius, quemadmodum & prædeſtinatio, quod etiam partim ſupra cap. 1. diſſeruimus.* ,, [*Certè quod ex eadem maſſa hominum æquè indignorum & peccatorum Deus*

Deus voluerit aliquorum efficaciter miſereri, aliorum vero minimè, in ſolam Dei vo- »
luntatem referendum:] *cæterùm Deus ab æterno neminem ordinavit ad pœnas æter-* »
nas, niſi præviſo peccato, & ob peccata hominum reproborum; in prædeſtinatis aliter ſe habuit. Prius enim eos prædeſtinavit ad gloriam, deinde ordinavit media efficacia, quibus eò pervenirent: at non ordinavit reprobos ad pœnas, niſi ob ipſa peccata; at cum prius fuerit, Deum prævidere lapſum Adami, & in eo totam naturam humanam obnoxiam damnationi; quàm à maſſa illa corruptionis aliquos ſeparare, [*certè* »
quòd hos potius quàm illos inde ſeparaverit, cum juſtiſſimè omnes poſſet damnare, & »
quod à quibusdam voluerit exigere debitum, ab aliis non, id in illius beneplacitum »
referendum; & quod ab aliis exegerit debitum ſupplicii, juſtitiæ fuit; quod aliis re- »
miſerit, inſuper & gloria participes effecerit, gratiæ fuit;] *quod aliis verbis docuit* »
Apoſtolus cum dixit, Stipendium peccati mortem eſſe, gratiæ autem Dei vitam æternam. *Etſi enim meritis reddatur ipſa vita æterna, at etiam merita ipſa ſunt ex Dei gratia. vide eundem lib. de grat. & li. arbit. c. 8. & 9. & alias.*

γ De libertate arbitrii.] *Quemadmodum Pelagiani, qui nimium tribuebant libero arbitrio, & deprimebant ipſam gratiam, ut ipſam non omnino ad bona opera, vel ad conſequendam vitam æternam exiſtimarent neceſſariam, contra quos pluribus in locis diſputat D. Auguſtinus.*

CAP. XXII.

De lapſu filiorum Dei alienigenarum mulierum amore captorum, unde & omnes exceptis octo hominibus diluvio perire meruerunt.

HOc itaque libero voluntatis arbitrio genere humano progrediente atque creſcente, facta eſt permixtio, & iniquitate participata quædam utriusque confuſio civitatis: quod malum à ſexu fœmineo cauſam rurſus invenit, non quidem illo modo, quo ab initio. Non enim cujusquam etiam tunc fallacia ſeductæ illæ fœminæ perſuaſerunt peccatum viris, ſed ab initio, quæ pravis moribus fuerant in terrena civitate, id eſt, in terrigenarum ſocietate, amatæ ſunt à filiis Dei, civibus, ſcilicet peregrinantis in hoc ſeculo alterius civitatis propter pulchritudinem corporum: *a* α quod bonum Dei quidem donum eſt, ſed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis. Deſerto itaque magno bono & bonorum proprio, lapſus eſt factus ad bonum minimum, non bonis proprium, ſed bonis malisque commune: ac ſic filii Dei, filiarum hominum amore ſunt capti, atque ut eis conjugibus fruerentur in amorem ſocietatis terrigenæ defluxerunt, deſerta pietate, quam in ſancta ſocietate ſervabant. Sic enim corporis pulchritudo à Deo quidem factum, ſed temporale, carnale, infimum bonum β malè amatur poſtpoſito Deo æterno, interno, ſempiterno bono: quemadmodum juſtitia deſerta, & aurum amatur ab avaris, nullo peccato auri, ſed hominis: ita ſe habet omnis creatura: cùm enim bona ſit, & benè poteſt amari & malè, benè, ſcilicet ordine cuſtodito, malè autem ordine perturbato. Gen. 6.

b Quod in laude quidam † creatoris breviter verſibus dixit: *al. quondam.*

Hæc tua ſunt, bona ſunt, quia tu bonus iſta creaſti:

Nil

Nil noſtrum eſt in eis, niſi quod peccamus amantes,
Ordine neglecto, pro te quod conditur abs te.

Creator autem, ſi veraciter ametur, hoc eſt, ſi ipſe non aliud pro illo quod non eſt ipſe ametur, malè amari non poteſt. Nam & amor ipſe ordinatè amandus eſt, quod benè amatur, quod amandum eſt, ut ſit in nobis virtus, qua vivitur benè. Unde mihi videtur, quòd definitio brevis & vera virtutis, *c* ordo eſt amoris, propter quod in ſancto Cantico canticorum cantat ſponſa Chriſti, civitas Dei:
Cant. 2. *d γ Ordinate in me charitatem.* Hujus igitur charitatis, hoc eſt, dilectionis & amoris ordine perturbato, Deum filii Dei neglexerunt, & filias hominum dilexerunt. Quibus duobus nominibus ſatis civitas utraque diſcernitur. Neque enim & illi non erant filii hominum per naturam, ſed aliud nomen habere cœperant per gratiam. Nam in eadem ſcriptura, ubi dicti ſunt, dilexiſſe filias hominum
Gen. 6. filii Dei, iidem dicti ſunt etiam Angeli Dei. Unde illos multi putant non homines fuiſſe, ſed angelos.

L. Vives. *a* QUod bonum Dei quidem donum eſt.] *Sic Homerus Iliad. γ. pulcherrimum donum Deorum vocat, & minimè rejiciendum cùm contingit.*

b Quod in laude quidam creatoris.] *In aliis libris ſic legitur: quod in laude quadam cerei breviter verſibus dixi. Nihil habeo, quod hic ſequar.*

c Ordo eſt amoris.] *Ut ametur, quod opus eſt, quantum, & ſicut opus eſt. Sic Plato præfinit gradus amoris, in ratione virtutis vitæq́; optimè inſtituta.*

d Ordinatè in me charitatem.] *Origenes in Cantica hunc ordinem charitatis facit, quem in Evangelio deſcripſit Dominus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Diliges proximum non ex toto corde, ſed ſicut teipſum: diliges inimicos, non ex toto corde dixit, aut ſicut teipſum, ſed tantùm diligere putat eſſe ſatis.*

F. L. Coq. *α* QUod bonum quidem Dei donum eſt.] *Ita ſcribit lib. 4. confeſſ. cap. 10.* Pulchra, quæ extra te nulla eſſent, niſi eſſent abs te. *pulchritudinem divinæ plaſticæ acceſſionem, vocat Tertullianus lib. de cult. fœmin. cap. 2.* Opus Dei & ficturam ejus & plaſticam. *Cyprianus lib. de hab. virg. Plato, ep. 2. ad Dionyſium, Deum omnium regem, αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν,* Omnium pulchrorum cauſam *vocat, quaſi totius pulchritudinis fontem, principium & originem. Paris etiam apud Homerum Iliad 3. dicit eſſe donum Dei glorioſum; ita enim inducit eum reſpondentem Hectori, qui illi formam exprobrabat.*

> Μή μοι δῶρ' ἐρατὰ πρόφερε χρυσῆς Ἀφροδίτης
> Οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα,
> Ὅσα κεν αὐτοὶ δῶσιν ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.

id eſt, Ne mihi dona amabilia objicias aureæ Veneris, non abjicienda ſunt Deorum glorioſa dona, quæcumque ipſi dent, voluntarias autem quis non acciperet? *unde mutuatus Ovid. lib. 3. de arte amandi,* forma Dei munus.

β Male amatur poſtpoſito Deo æterno.] *Eſt enim perverſus amor poſtpoſito ſummo bono inhærere caducis & tranſitoriis, cujuſmodi eſt pulchritudo corporis. Rectè monet lib. 4. confeſſ. cap. 11. qua ratione amanda ſit corporis pulchritudo,* Si placent

cent *(inquit)* corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in iis quæ tibi placent, tu illi diſpliceas.

γ Ordinate in me charitatem.] Hic ordo charitatis eſt, *ut docet lib. 1. de doctr. Chriſtian. cap. 23.* Ut primò diligamus id quod ſupra nos eſt, nimirum Deum ipſum, ſecundo nos ipſos, tertio proximum qui juxta nos, quarto & ultimo corpus proprium, quòd infra nos eſt. *& cap. 27.* Ille juſtè & ſanctè vivit, qui rerum integer æſtimator eſt. Ipſe autem eſt, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non eſt diligendum, aut non diligat quod eſt diligendum; aut amplius diligat, quod eſt minus diligendum, aut æquè diligat, quod vel minus vel amplius diligendum, aut minus vel amplius, quod æquè diligendum. Perverſus ergo amoris ordo eſt, quando quis ab incommutabili & ſummo illo bono convertitur, & adhæret bono commutabili, minus enim diligit, quod amplius diligendum, & magis id quod minus.

δ Satis utraque civitas diſcernitur.] *Nam ſola charitas eſt, quæ diſcernit inter filios regni & perditionis, ut alibi ſcribit: nam filii regni, qui pertinent ad civitatem cœleſtem, reliquis bonis longe Deum præferunt, terrenæ verò civitatis filii fruuntur commutabilibus bonis, illisq; adhærent, neglecto incommutabili & æterno & ſummo bono, adeoq; fruuntur utendis, & utuntur fruendis.*

CAP. XXIII.

An credendum ſit, Angelos ſubſtantiæ ſpiritalis amore ſpecioſarum mulierum captos, earundem iniiſſe conjugia, ex quibus gigantes ſunt creati.

QUam quæſtionem nos tranſeuntes commemoratam in tertio hujus operis operis libro reliquimus inſolutam. Utrum poſſint angeli, cum ſpiritus ſint, corporaliter coire cum fœminis: ſcriptum eſt enim: *Qui facit angelos ſuos ſpiritus: a α* id eſt eos, qui naturâ ſpiritus ſunt, facit eſſe angelos ſuos, injungendo eis officium nuntiandi. Qui *b* enim Græcè dicitur ἄγγελος, quod nomen *c* Latina declinatione angelus perhibetur, Latina lingua nuncius interpretatur. Sed utrum eorum corpora conſequenter adjunxerit, dicendo: *Et miniſtros ſuos ignem ardentem:* an quòd charitate tanquam igne ſpiritali fervere debeant miniſtri ejus, ambiguum eſt: apparuiſſe tamen hominibus angelos in talibus corporibus, ut non ſolùm videri, verùm etiam tangi poſſent, eadem veriſſima ſcriptura teſtatur. *d* Et quoniam creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis, qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Sylvanos β & Faunos †, *e* γ quos vulgò incubos vocant, improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe, ac peregiſſe concubitum, & quosdam dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſiduè immunditiam & tentare, & efficere plures talesque aſſeverant, ut hoc negare impudentiæ videatur, non hic * aliquid audeo temerè definire: utrum aliqui ſpiritus elemento aëreo corporati (nam hoc elementum, etiam cum agitatur flabello, ſenſu corporis tactuque ſentitur) poſſint etiam hanc pati libidinem, ut quomodo poſſint, ſentienti-

Pſ. 103.

al. Panes & Faunos.

al. hinc.

bus fœminis miſceantur: δ Dei tamen Angelos ſanctos nullo modo illo tem-
2.Pet.2. pore ſic labi potuiſſe crediderim: nec de his dixiſſe Apoſtolum Petrum: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in judicio puniendos reſervari:* ſed potius de illis, qui primùm apoſtatantes à Deo cum diabolo principe ſuo ceciderunt, qui primum hominem per invidiam ſerpentina fraude decepit. ε Angelos autem fuiſſe etiam Dei homines nuncupatos, eadem ſcriptura ſancta locupletiſſima teſtis eſt. ζ Nam & de Joanne
Marc.1. ſcriptum eſt: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam*
Mal.3. *tuam.* Et Malachias Propheta propria quadam, id eſt, ſibi propriè impertita gratia, dictus eſt Angelus. η Verum hoc movet quosdam, quod ex illis, qui dicti ſunt Angeli Dei, & ex mulieribus quas amaverunt, non quaſi homines generis noſtri, ſed gigantes legimus eſſe natos: quaſi verò corpora hominum modum noſtrum longè excedentia, quod etiam ſuprà commemoravi, non etiam noſtris temporibus nata ſint. Nonne ante paucos annos cum Romanæ urbis, quod à Gothis factum eſt, appropinquaret excidium, Romæ fuit fœmina cum ſuo patre & ſua matre, quæ corpore quodammodo giganteo longè cæteris præeminerer? Ad quam viſendam mirabilis fiebat uſquequaque concurſus. Et hoc erat maximè admirationi, quòd ambo parentes ejus nec ſaltem tam longi homines erant, quàm longiſſimos videre conſuevimus. Potuerunt ergo gigantes naſci, & prius quàm θ filii Dei, qui & Angeli Dei dicti ſunt, filiabus hominum, hoc eſt, ſecundùm hominem viventium miſcerentur: filii ſcilicet Seth, filiabus Cain. Nam & canonica ſcriptura ſic loquitur, in quo libro hæc legimus, cujus verba iſta ſunt: *Et factum eſt poſtquam cœperunt homines multi fieri ſuper terram, & filiæ natæ ſunt illis, videntes Angeli Dei filias hominum, quia bonæ ſunt, ſumpſerunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerunt. Et dixit Dominus Deus: Non permanebit Spiritus meus in hominibus his in æternum, propter quod caro ſunt. Erunt autem dies eorum centum viginti anni. Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis. Et poſt illud, cùm intrarent filii Dei ad filias hominum, & generarent ſibi, illi erant gigantes, à ſeculo homines nominati.* Hæc libri verba divini ſatis indicant, jam illis diebus fuiſſe gigantes ſuper terram, quando filii Dei acceperunt uxores filias hominum, cum eas amarent bonas, id eſt, pulchras. ι Conſuetudo quippe ſcripturæ hujus eſt, etiam ſpecioſos corpore, bonos vocare. Sed & poſtquam hoc factum eſt, nati ſunt gigantes. Sic enim ait: *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis.* Et poſt illud, *Quum intrarent filii Dei ad filias hominum.* Ergò & antè in illis diebus, & poſt illud. Quod autem ait, *Et generabant ſibi:* ſatis oſtendit, quòd prius antequam ſic caderent filii Dei, Deo generabant non ſibi, id eſt, non dominante libidine coëundi, ſed ſerviente officio propagandi, non familiam faſtus ſui, ſed cives civitatis Dei: quibus annunciarent tanquam Angeli Dei, ut ponerent in Deo ſpem ſuam, ſimiles illius, qui natus eſt de Seth, filius reſurrectio-
Pſ.77. nis, & *ſperavit invocare nomen Domini Dei:* in qua ſpe eſſent cum ſuis poſteris cohæredes æternorum bonorum, & ſub Deo Patre fratres filiorum. Non autem illos ita fuiſſe Angelos Dei, ut homines non eſſent, ſicut quidam putant, ſed homines

mines procul dubio fuiſſe ſcriptura ipſa ſine ulla ambiguitate declarat. Cùm enim præmiſſum eſſet, quod *videntes Angeli Dei filias hominum, quia bonæ ſunt, ſumpſerunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant:* mox adjunctum eſt: *Et dixit Dominus Deus: Non permanebit ſpiritus meus in hominibus his in æternum, propter quod caro ſunt.* Spiritu quippè Dei fuerant facti Angeli Dei, & filii Dei, ſed declinando ad inferiora, homines dicuntur nomine naturæ, non gratiæ: dicuntur & caro deſertores ſpiritus, & deſerendo deſerti. Et ſeptuaginta quidem interpretes & Angelos Dei dixerunt iſtos & filios Dei: quod quidem non omnes codices habent, nam quidam niſi filios Dei non habent. *b* x Aquila autem, quem interpretem Judæi cæteris anteponunt, non Angelos Dei, nec filios Dei, ſed filios deorum interpretatus eſt. Utrumque autem verum eſt. Nam & filii Dei erant, ſub quo patre ſuorum patrum etiam fratres erant: & filii deorum, quoniam à diis geniti erant, cum quibus etiam ipſi dii erant, juxta illud Pſalmi: *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes.* Meritò enim creduntur ſeptuaginta interpretes accepiſſe propheticum ſpiritum, ut ſi quid ejus autoritate mutarent atque aliter quàm erat quod interpretabantur dicerent, neque hoc divinitus eſſe dictum dubitaretur: quamvis hoc in Hebræo eſſe perhibeatur ambiguum, ut & filii Dei, & filii deorum, poſſet interpretari. Omittamus igitur earum ſcripturarum fabulas, λ quæ *i* apocryphæ nuncupantur, eo quòd earum occulta origo non claruit patribus, à quibus uſque ad nos autoritas veracium ſcripturarum certiſſima & notiſſima ſucceſſione pervenit. In his autem apocryphis, etſi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa nulla eſt canonica autoritas. μ Scripſiſſe quidem nonnulla divina Enoch illum ſeptimum ab Adam, negare non poſſumus, *k* cùm hoc in Epiſtola canonica Judas Apoſtolus dicat. Sed non fruſtrà non ſunt in eo canone ſcripta, qui ſervabatur in templo Hebræi populi ſuccedentium diligentia ſacerdotum. Cur autem hoc, niſi quia ob antiquitatem ſuſpectæ fidei judicata ſunt, nec utrum hæc eſſent, quæ ille ſcripſiſſet, poterant inveniri, non talibus proferentibus, quia ea per ſeriem ſucceſſionis reperirentur ritè ſervaſſe. Unde illa, quæ ſub ejus nomine proferuntur, & continent iſtas de gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus judicantur non ipſius eſſe credenda, ν ſicut multa *l* ſub nominibus & aliorum Prophetarum, *m* ξ & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia ſub nomine Apocryphorum autoritate canonica diligenti examinatione remota ſunt. Igitur ſecundùm ſcripturas canonicas Hebræas atque Chriſtianas, multos gigantes ante diluvium fuiſſe dubium non eſt, & hos fuiſſe cives terrigenæ ſocietatis hominum, Dei autem filios, qui ſecundùm carnem de Seth propagati ſunt, in hanc ſocietatem deſerta juſtitia declinaſſe. Nam mirandum eſt, quod etiam de ipſis gigantes naſci potuerunt. Neque enim omnes gigantes fuerunt, ſed magis multi utique tunc fuerunt, quàm poſt diluvium temporibus cæteris. Quas propterea creare placuit creatori, ut etiam hinc oſtenderetur non ſolùm pulchritudines, verùm etiam magnitudines & fortitudines corporum, non magnipendendas eſſe ſapienti, qui ſpiritualibus atque immortalibus longè

Judæ 1.

melioribus atque firmioribus & bonorum propriis, non bonorum malorumque communibus beatificatur bonis. Quam rem alius Propheta commendans ait: *Ibi fuerunt gigantes illi nominati, qui ab initio fuerunt ſtaturoſi, ſcientes prælium. Non hos elegit Dominus nec viam ſcientiæ dedit illis, ſed interierunt, quia non habuerunt ſapientiam, perierunt propter inconſiderantiam.*

L. Vivis. a ID eſt eos, qui natura ſpiritus ſunt.] *Auguſtinum ſenſiſſe angelos & dæmonas corporibus eſſe præditos, legentibus ejus opera, iſtud videlicet, & de natura dæmonum, & de Gen. ad literam, certius eſt, quàm ut pluribus oſtendi debeat: nec ex aliena ſententia tot locis loquutus eſt, ut Petrus Lombardus dicit, quosdam putare, ſed ex ſua ipſius, ſecutus nimirum non pudendos autores, primùm Platonicos omnes, deinde Originem, Lactantium, Baſilium, & conſenſum ferè ſuo tempore ſcribentium. Michael Pſellus de dæmonibus interprete Ficino, oportet enim, ut divinus aſſerit Paulus, ſpiritus miniſtros, qui mittuntur, corpus habere, quo moveantur gradumque ſiſtant, palamque appareant. Noverunt enim hæc myſteria non aliter, quàm corpus aliud perfici poſſe. Quod ſicubi legas in ſcriptum, eos incorporeos appellari, reſpondeo, & noſtros & alios ſolere corpora quidem craſſiora corpora nominare. Corpora verò tenuia, & quæ aſpectum tactumque effugiunt, incorporea frequenter cognominare. Auguſtinus angelis corpora tenuiſſima tribuit, quæ viſum omnem fruſtrentur, ad agendum apta, non ad patiendum. Talia etiam dæmonum corpora, cùm adhuc ſtarent: poſtea verò quàm ceciderunt, denſiora effecta & patibilia: quod idem Pſellus opinatur.*

Angelo. b Qui enim Græcè dicitur ἄγγελος.] *ἄγγελος nuncius eſt: hinc ἀγγέλλω nuncio. Idcirco Hieronymus inquit, angelum non naturæ nomen eſſe, ſed miniſterii: hinc etiam εὐαγγέλιον præmium, quod bona nuncianti datur, apud Homerum & Ciceronem non ſemel ad Atticum.*

c Latina declinatione.] *Et quia γ vertitur in n, & ος, in us.*

d Et quoniam creberrima fama eſt.] *Pſellus ex Marco quodam dæmoniacarum rerum maximè gnaro, refert dæmones ſemen jacere, ex quo perpuſilla quædam oriantur animalia, habereque membra genitalia, ſed non qualia homines, excrementum ex illis manere, quod tamen non omnibus dæmonum generibus contingat, ſed materiæ proximis aqueis & terrenis, qui & aluntur, attracto in ſpongiæ modum humore.*

Incubi. e Quos vulgò incubos vocant.] *Ab incubando dæmones, qui mulieribus commiſcentur, à ſuperventu incubi dicuntur: qui viris, & patiuntur muliebria ſuccubi. Extant hodiè nonnullæ gentes, quæ originem ſuam habere gloriantur à dæmonibus, qui coierint cum fœminis virili forma, aut cum viris fœminea, quod turpius eſſe mihi videtur, quàm referre nobilitatis ſuæ initia in piratas, aut latrones, aut ſicarios inſignes: quod multi faciunt. Verum Ægyptii dæmonicum ſpiritum miſceri poſſe fœminæ fatentur, viro negant. Græci tamen multos viros à diis adamatos tradunt, ut Hyacintum, & Phorbantem, & Hippolytum Sycionyum ab Apolline, Cypariſſum à Silvano.*

f Dei tamen angelos ſanctos.] *Lactantius lib. 2. cap. 15. narrat, Angelos, quos in cuſtodiam generis humani princeps ille delegaverat Deus, cum eſſet eis præceptum, ne terræ contagione maculati ſubſtantiæ cæleſtis amitterent dignitatem, paulatim con-*

*conſuetudine fœminarum pellectos illis inquinatos eſſe, tum in cœlum ob peccata, quibus ſe immerſerant, non receptos cecidiſſe in terram. Sic illos diabolum ex angelis Dei ſuos feciſſe ſatellites ac miniſtros. Qui autem ſunt ex his procreati, quia neque angeli, neque homines fuerunt, ſed mediam quandam naturam gerentes, non ſunt ad inferos recepti, ſicut nec in cœlum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta ſunt, unum cœleſte, alterum terrenum. Hi ſunt immundi ſpiritus malorum, quæ geruntur autores, quorum idem Diabolus eſt princeps. Et Euſeb. lib. 5 Quam rem magis Plutarch. confirmat, dicens, fabuloſas de diis rationes, res quaſdam ſignificare à dæmonibus antiquiſſimis geſtas temporibus, & ea, quæ de gigantibus & titanibus decantantur, dæmonum fuiſſe operatione. *(Inde mihi ſuſpicio nonnunquam incidit, ne iſta illa ſint, quæ ante diluvium à gigantibus facta divina ſcriptura ſubſignificat, de quibus dicitur: Cùm autem vidiſſent angeli Dei filias hominum, quia eſſent ſpecioſæ, elegerunt ſibi ex illis uxores, ex quibus procreati ſunt famoſiſſimi gigantes à ſeculo. Suſpicabitur enim fortaſſe quiſpiam, illos & illorum ſpiritus eſſe, qui ab hominibus poſtea dii putati ſunt, pugnasq; illorum, tumultus & bella eſſe, qui fabuloſè de diis conſcribantur.)**

g Conſuetudo quippe ſcripturæ.] *Ex Græco καλός, quod utrumque eſt, & bonum & pulchrum. Sic apud Latinos Terent. in Phorm. Ut ni vis boni in ipſa ineſſet forma, hæc formam extinguerent: & in Eunucho de pulchritudine, quum rogaret Gnato, quid tibi videtur hoc mancipium? reſpondet Parmeno, non malum.*

h Aquila autem.] *Hic vertit, ſacros libros ex Hebræo ſermone in Græcum Adriano principe, quem curioſum & diligentem interpretem Hieronymus vocat. Hic primus poſt Septuaginta Græcè ſacra volumina interpretatus eſt, quem Euſeb. parum probat. ſed ad id quod agimus, Hieronymus in Gen. Aquila plurali numero filios deorum auſus eſt dicere, deos intelligens ſanctos, ſive angelos. Deus enim ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos diſcernit. Unde & Symmac. iſtiusmodi ſenſum ſequens ait: Videntes filii potentum filias hominum, & reliqua.* Aquila.

i Apocryphæ.] *Latinè abſcondita ſive ſecreta, ἀπόκρυφον à κρύπτω, quod eſt condo ſive recondo. Erant ea ſcripta, quibus publicè Eccleſia nō utebatur, ſed privatim habebat legebatq; qui vellet: qualis erat Apocalypſis Petri Apoſtoli, & liber Actorum ejus.*

k Cùm hoc in Epiſtola canonica.] *Hieronymus in primum cap. Epiſtolæ ad Titum ſcribit, librum apocryphum Enoch citatum à Juda. Verba Judæ ſunt: Porrò Michaël Archangelus, dum cum diabolo in contentione ſuper corpore Moſis altercaretur, non eſt auſus, eum afficere maledicto, tantùm dixit: Caſtiget te Dominus. Cujus Enoch ſint iſta verba, parum conſtat. Illius enim ſeptimi ab Adam, qui vivens à Domino tranſlatus eſt in meliorem vitam, non videntur eſſe: nam ille multo ante Moſen fuit, niſi ſpiritu vatis de venturis præcinebat. Ideò Hieronymus nihil aliud ſignificat, quàm librum illum inſcriptum fuiſſe Enoch.*

l Sub nominibus & aliorum Prophetarum.] *Ut Hieremiæ apud Nazaræos, ſicut Auguſtinus dicit, cap. 27. in Matth.*

m Et recentiora ſub nominibus Apoſtolorum.] *Evangelium Thomæ, Apocalypſis*

lypſis Petri. Evangelium Barnabæ, quod ipſius chirographo ſignatum Alexandriam delatum eſt, Zenone principe.

F.L.Coq. α ID eſt eos, qui natura ſpiritus ſunt.] *Spiritus enim eſt nomen naturæ, Angelus nomen officii, quod etiam ſcribit in Pſalm. 103.* Spiritus Angeli ſunt, & cum ſpiritus ſunt, non ſunt Angeli; cum verò mittuntur, ſiunt angeli. Angelus officii nomen eſt, non naturæ; quæris nomen hujus naturæ, Spiritus eſt; quæris officium, Angelus eſt: ex eo quod eſt, Spiritus eſt, ex eo quod agit, Angelus eſt. *& lib. 5. de Geneſ. ad lit. cap. 19.* Nuntii Græcè Angeli dicuntur, quo nomine generali univerſa illa ſuperna civitas nuncupatur. *Idem notavit Tertullianus lib. contr. Judæos cap. 9. & D. Ambroſ. comment. in c. 1. epiſt. ad Hebræos, quo loco officium Angelorum expreſſit Apoſtolus,* Omnes adminiſtratorii ſunt ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. *Idem docent Hilarius lib. 5. de Trin. Iſidorus lib. 1. ſenten. de ſummo bono. cap. 12. D. Gregor. hom. 34. in Evang. ita interpretatur locum illum Pſalm. 103.* Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, *id eſt,* eos qui ſemper ſunt ſpiritus, tùm Angelos facit, quando ad aliquid nuntiandum mittuntur.

β Sylvanos Faunoſque.] *De his ita Plin. lib. 12. c. 1.* Quin & Sylvanos Faunoſque, & Deorum genera ſylvis ac ſua numina tanquam & cœlo attributa credimus; *Agrorum & ſylvarum putati ſunt Dii, qui poſt prolixum tempus moriuntur, quod è terra ſint geniti, de his Ovid. 1. Metamorph.*

Sunt mihi Semidei, ſunt ruſtica numina Fauni;
Et Nymphæ, Satyrique, & monticolæ Sylvani.

Ex Iſidoro lib. 8. etymolog. cap. 11. Fauni à fando, *velut ἀπὸ τῆς φωνῆς dicti, quod* voce, non ſignis oſtendere viderentur futura. *In lucis enim conſulebantur à Paganis, & reſponſa illis non ſignis, ſed vocibus dabant. Certè in nemoribus Faunos oracula canere ſolitos ex Varrone colligi poteſt;* Fauni *(inquit)* Dii Latinorum, hos verſibus, quos vocant Saturnios in ſylveſtribus locis traditum eſt fari ſolitos.

γ Quos vulgo incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus.] *Supra lib. 8. cap. 4. videtur dubitaſſe an eſſent incubi & ſuccubi. Verùm hoc loco aſſerit eſſe adeò certum, ut ſine impudentia negari non poſſit. Ægyptii incubos eſſe fatentur, ſed ſuccubos negant, Græci fatentur utrumque, imò quædam ſunt gentes, quæ gloriantur ſe à Dæmonibus originem habere, ita referente Martino Delrio lib. 7. diſquiſit. magic. quæſt. 15. Clivenſium ducum ſtemma huc retulerunt nonnulli; Inde etiam fortaſſe nata fabulæ Poetarum, quod homines à Diis geniti ſunt. Egregiam verò laudem, quaſi non ſatius foret, referre originem ſuam in prædones ac perditiſſimos homines, quam in ejuſmodi nefarios ſpiritus Dei creatoris ſui ac generis humani infeſtiſſimos hoſtes. Hanc ſententiam D. Auguſtini de incubis & ſuccubis ſequitur communis ſchola Theologorum; Halenſis 1. p. q. 78. D. Thomas, Bonaventura, Scotus, Durandus, Gabriel in 2. diſt. 8. Abulenſis in cap. 6. Geneſ. qu. 8. & cap. 7. Exodi quæſt. 12.* Incubi autem dæmones dicuntur, quando mulieribus commiſcentur incubando; quando verò viris, & patiuntur muliebria, ſuccubi & idem dæmon qui eſt primo ſuccubus ad virum, eſt poſtea incubus ad mulierem, in quam transfundit

fundit ſemen à viro deciſum, *ita D. Thomas 1. p. q. 51. art. 3. ad 6. neque vero qui ex bujuſmodi ſemine recepto primum à viro & poſtea transfuſo in fœminam per dæmonem generaretur, dicendus eſſet filius dæmonis, ſed illius, à quo ſemen deciſum eſt, ut docuit D. Thomas loco citato & quodlib. 6. articul. 8. ad 6. & colligitur ex doctrina D. Auguſtini lib. 3. de Trinit. cap. 8. & 9.*

δ Dei tamen Angelos ſanctos nullo modo.] *Non defuere tamen qui exiſtimarunt filios Dei, quos Moyſes narrat mixtos eſſe cum filiabus hominum, fuiſſe bonos Angelos, qui fœminarum pulchritudine capti ad obſcœnum earum amorem & concubitum delapſi ſunt. Ita Joſeph. lib. 1. Antiquit. cap. 4.* πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι θεοῦ γυναιξὶν συμμιγέντες ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας διὰ τὴν ἐπὶ δυνάμει πεποίθησιν; *quæ tamen ſic excuſat Zonaras.* ὁ δὲ Ἰώσηπος ἀγγέλους λέγει τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων λαβεῖν οὕτω καλέσας οἶμαι αὐτοὺς υἱοὺς Σὴθ, ὡς εὐαρεστοῦντας θεῷ καὶ τὴν ἐκείνων πολιτείαν ἐπιτηδεύοντας. *Juſtinus Apol. 1. pro Chriſtianis,* θεὸς τὴν μὲν τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν πρόνοιαν ἀγγέλοις, οὓς ἐπὶ τούτοις ἔταξε, παρέδωκεν. οἱ δὲ ἄγγελοι παραβάντες τήνδε τὴν τάξιν, γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν, οἵ εἰσιν οἱ λεγόμενοι δαίμονες. *Clemens Alexandrin. lib. 3. Strom.* ἤδη δὲ καὶ ἄγγελοί τινες ἀκρατεῖς γενόμενοι ἐπιθυμίᾳ ἁλόντες, οὐρανόθεν δεῦρο καταπεπτώκασιν. Jam verò Angeli quidam, cum fuiſſent incontinentes victi cupiditate, hic è cœlo deſcenderunt, *& libr. 5. deſcribit quoſdam Angelos mulierum amore lapſos cœleſtia eis conſilia communicaſſe:* οἱ ἄγγελοι ἐκεῖνοι οἱ τὸν ἄνω κλῆρον εἰληχότες καταλισθήσαντες εἰς ἡδονὰς ἐξεῖπον τὰ ἀπόρρητα ταῖς γυναιξὶν, ὅσα τε εἰς γνῶσιν αὐτῶν ἀφῖκτο κρυπτόντων τῶν ἄλλων ἀγγέλων, μᾶλλον δὲ τηρούντων εἰς τὴν τοῦ κυρίου παρουσίαν. *In eadem ſententia ſunt Athenagoras Orat. ad Antoninum, Euſeb. li. 5. de præpar. Evang. cap. 4. Methodius apud Epiphanium hæreſi 64. Ambroſ. lib. de Arca & Noe cap. 4. Tertullianus lib. de habit. muliebri, & lib. de velandis virginibus, ad Angelos refert illud Pauli 1. Corinth. cap. 11.* Mulierem in Eccleſia debere velari propter Angelos Dei, *ne ſcilicet earum pulchritudo illecebra ſit Angelis ad eas libidinosè adamandas. Lactantius etiam li. 2. divin. inſtitut. cap. 15. cenſet filios Dei mixtos cum filiabus hominum fuiſſe Angelos, quos Deus miſerat ad tutelam cultumque generis humani. Severus Sulpitius idem ſenſit in exordio prioris libri de Sacra Hiſtoria:* Angeli, *inquit,* quibus cœlum ſedes erat, ſpecioſarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt, ac naturæ ſuæ originisque degeneres relictis ſuperioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis ſe mortalibus miſcuerunt. *Rejicit meritò hanc ſententiam D. Auguſtinus, quam etiam refellit D. Chryſoſtomus homil. 22. in Geneſ. his verbis:* Cæterùm quid dicunt iſti? Certè ajunt fuiſſe illos quidem Angelos, ſed quia ad iniquum hoc opus deſcenderunt, ſua eos dignitate excidiſſe. En iterum fabuloſius aliud: quid igitur? non exciderunt Angeli, & hæc ruinæ illorum cauſa fuit? verùm ſcriptura nos aliter docet, antequam formaretur Adam, à ſua dignitate excidiſſe diabolum. Ait enim quidam ſapiens invidia diaboli mortem intraſſe in mundum. Nam ſi non ante factum hominem excidit, quando in tanta dignitate manens invidit homini? Neque enim conſentaneum eſt, Angelum incorporeum & in tanta dignitate conſtitutum invidiſſe:

vidiſſe homini corpus geſtanti, ſed invidet quòd ex ſuprema gloria in extremam ignominiam dejectus fuerit. Licet igitur incorporeus eſſet, videns tamen hominem tantum in corpore honorem benevolentia conditoris ſortitum, invidia exarſit, & deceptione, ad quam ſerpentis opera uſus eſt, hominem mortis ſupplicio fecit obnoxium. Talis enim malitia non poteſt non graviter ferre aliorum fœlicitatem. Nam quantæ dementiæ fuerit dicere Angelos fuiſſe dejectos, ut rem cum mulieribus haberent & incorporea natura copularentur corporibus? An non audis dominum dicentem de Angelorum ſubſtantia, in reſurrectione neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei? non enim poſſibile eſt, incorpoream naturam talem ullo tempore habere concupiſcentiam. *Theodoret. etiam qu. 47 in Geneſim authores hujus opinionis vocat nimis ſtupidos & ſtolidos, putantes ſuæ forſan intemperantiæ patrocinium habituros, ſi Angelos ejuſdem criminis reos tenerent; atque ibi multis ſcripturæ teſtimoniis oſtendit eos, qui deliquerunt allecti pulchritudine mulierum, fuiſſe homines, non Angelos. Philaſtrius lib. de hæreſ. cap. 108. hæreſim cenſet, aſſerere Angelos miſcuiſſe ſe cum fœminis ante diluvium, & inde natos eſſe Gigantes.*

ε Angelos fuiſſe etiam Dei homines nuncupatos.] *Id obſervavit lib. 2. contra Judæos c. 9. Tertullian & idem D. Auguſtin. qu. 3. in Geneſ. 12. D. Chryſoſt. Homil. 21. in Geneſim.*

ζ Nam de Joanne ſcriptum eſt, Ecce mitto Angelum meum.] *Malach. 3. Chriſtus Matthæ. 11. illud prophetæ teſtimonium ad literam dictum de Joanne Baptiſta docet. Perperam ergò nonnulli Joannem Baptiſtam aſſeruerunt fuiſſe Angelum humano corpore veſtitum, ut videri poſſet ab hominibus & eis prædicare. Beda in c. 1. Marci aſſertorem hujus hæreſis facit Origenem, cujus etiam Cyrillus meminit lib. 1. in Joannem cap. 7. ad illa verba,* Fuit homo miſſus a Deo, Adjecit, *inquit,* homo, temeritatem nonnullorum evertens. Jam enim rumores fuerunt non natura hominem, ſed de numero ſanctorum Angelorum Baptiſtam fuiſſe, ac humano corpore uſum prædicaſſe, quod inde adfirmabant, quia dictum eſt, Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, ignorantes videlicet nomen Angeli miniſterium magis quàm ſubſtantiam ſignificare.

η Verum hoc movet quod ex illis qui dicti ſunt Angeli Dei.] *Argumentum, quo potiſſimum nitebantur aliqui, ut exiſtimarent Angelos congreſſos eſſe cum mulieribus, erat illud, quod ex hujuſmodi commixtione homines inuſitatæ ſtaturæ naſcebantur. Reſpondet vero etiam poſterioribus temporibus natos fuiſſe homines inuſitatæ magnitudinis, de quibus tamen dubitare non liceret, eos eſſe natos ex commixtione virili & ex congreſſu mulierum cum viris. Ejuſdem objectionis meminit quæſt. 3. in Geneſim.* Hoc movet, *inquit,* quomodo vel ex hominum concubitu nati ſint Gigantes, vel fœminis ſe miſcere potuerint, ſi non homines, ſed Angeli fuerunt. Sed de Gigantibus. *i.* nimium grandibus atque fortibus puto non eſſe mirandum quod ex hominibus naſci potuerint, quia & poſt diluvium tales quidam fuiſſe reperiuntur; & quædam corpora hominum ad incredibilem modum ingentia noſtris quoque temporibus extiterunt non ſolum virorum, ſed etiam fœminarum,

rum, unde credibilius eſt, homines juſtos appellatos vel Angelos vel filios Dei concupiſcentia lapſos peccaſſe cum fœminis, quam Angelos carnem non habentes usque ad illud peccatum deſcendere potuiſſe, *quamvis de quibuſdam dæmonibus, qui ſint improbi mulieribus, à multis tàm multa dicantur, ut non ſit facilè de hac re definire ſententiam.*

θ Filii ſcilicet Seth filiabus Cain.] *Hæc eſt interpretatio illius loci communis, ut per filios Dei poſteri Seth, per filias hominum, quæ eſſent ex ſtirpe Cain, intelligantur, quæ eſt Ruperti Abbatis lib. 4. comment. in Geneſim c. 12. Cyrilli li. 9. contra Julianum, Theodoreti quæſt. in Geneſim, D Chryſoſtom. Hom. 22. in Geneſ. Caſſiani collat. 8. cap. 21. D. Thomæ 1. p. qu. 51. art. ult. Cur verò filii Seth* filii Dei *vocentur, dici poteſt, id eſſe ob eximiam pietatem Seth & Enos parentum ſuorum, quam illuc usque erant imitati, quodq; pertinerent ad civitatem Dei, cùm poſteri Cain imitantes paternam impietatem pertinerent ad civitatem mundi. Suidas verbo Seth, adſtruit eum eſſe appellatum Deum tùm propter excellentem ejus juſtitiam ac pietatem & inſignem in Deum religionem, tùm propter inventionem literarum & ſcientiæ rerum cœleſtium: Enos autem primus mortalium ſingulari quadam ratione cœpit invocare nomen domini, & hunc fuiſſe cognomento Dei ornatum, teſtis eſt Cyrill. lib. 9. contra Julianum.* Poſteri igitur Seth, cum utrumque parentem agnoſcerent, dicti ſunt in ſcriptura filii Dei, potiſſimum ab Enos, qui primus divinam appellationem ſortitus eſt, & à cognatis vocatus eſt Deus, *ait Theodoret. quæſt. citata, quemadmodum & nos à nomine Chriſti domini noſtri nuncupamur Chriſtiani.*

ι Conſuetudo quippe ſcripturæ.] *Vox* טוב. *Hebrais ſignificat utrumq;* & bonum & pulchrum *ſeu ſpecioſum, & Græcis* καλός.

κ Aquila autem quem interpretem Judæi.] *Hic vixit ſub Hadriano Imperatore, & cùm prius Chriſto nomen dediſſet, quod cùm abduceretur à Mathematicis & Aſtrologicis ſtudiis, quibus nimium erat deditus, ab Apoſtolis & diſcipulis domini, nihilominus in vanis illis ſtudiis perſiſteret, Eccleſia pulſus eſt. Quò factum eſt, ut relicto Chriſtianiſmo tranſiret ad Judaiſmum, & magna poſtea animi contentione Hebræam didicit linguam, eo animo teſte D. Epiphanio, ut oppugnaret translationem Septuaginta, & Vaticinia de Chriſto inverteret, & ita interpretaretur, ut nihil minus in eis, quam de Chriſto agi videretur.*

λ Quæ apocryphæ nuncupantur.] *Scripturæ apocryphæ à canonicis diſtinguuntur, & dicuntur apocryphæ quaſi occultæ, & eo quod in Eccleſia publicè non legantur, & quod inde conſequitur, non habeant robur ad aliquod dogma fidei ſtabiliendum. Eccleſiaſtici ſcriptores non ſemper eodem modo hanc vocem uſurpant. Interdum enim eas ſcripturas vocant apocryphas, quæ non eſt certum an ſint divinæ & canonicæ, etſi nullos conſtet ibi inveniri errores; interdum verò vocant apocryphos eos libros, qui errores habent admixtos, in qua ſignificatione utitur hac voce Origenes homil. 1. in Cantica. D. Hieronym. Epiſtola ad Lætam de inſtitutione filiæ, & D. Auguſt. hoc loco. Gelaſius diſt. 15. eos libros vocat apocryphos, qui ſunt editi ab hæreticis authoribus, vel certè ſuſpectis.*

μ Scripſiſſe nonnulla divina Henoco illum.] *Judas Apoſtolus ſcriptor canoni-*

eus in ſua Epiſtola citat prophetiam quandam Enoch, quam ille creditur literis conſignatam ad poſteros tranſmiſiſſe. Communis opinio eſt, prophetiam illam depromptam fuiſſe ex libro quodam apocrypho, qui olim prænotato nomine Enoch circumferebatur. Librum illum Enoch, apocryphum citat Origenes hom. 28. in Numero, ubi ſcribit, Enoch ſcripta quædam prophetica poſteris reliquiſſe, è quibus Judas Apoſtolus teſtimonium illud de extremo judicio deprompſerit. In illis verò ſcriptis continebantur multa partim vera, partim fabuloſa, ut de nominibus & occultis motibus ſtellarum, de Gigantibus ex Angelorum commixtione cum mulieribus procreatis, & de extremo judicio. In anacephalæoſi librorum de principiis, & lib. 5. contra Celſum citat librum Enoch de Angelis è cœlo delapſis. D. Hieronym. lib. de Eccleſiaſticis ſcriptoribus narrat, epiſtolam Judæ propterea non fuiſſe à multis olim receptam, quod in ea citaretur teſtimonium ex libro Enoch apocrypho depromptum. Idem in caput primum Epiſtol. ad Titum dicit, Judam citando teſtimonium Enoch ex libro apocrypho non totum illum probaſſe, ſed illud teſtimonium dumtaxat, de cujus veritate illi conſtabat. In libris enim apocryphis multa etiam vera continentur, de quibus tamen dubitare licet, cum de veritate ſcripturarum canonicarum, quæ dictatæ ſunt à Spiritu ſancto, ne minimus quidem relinquitur dubitandi locus. Tertullian. lib. de Idololatria cap. 4. & 15. citat librum Enoch, & lib. de habitu muliebri cap. 3. occurrit his, qui negabant illum librum Enoch, ſi ante diluvium ſcriptus fuiſſet, poſt eum caſum orbis omnium rerum abolitorem ſalvum eſſe potuiſſe: vel enim Noe illius nepos in arca ipſum conſervavit, vel abolefactum violentia cataclyſmi, inquit, potuit in ſpiritu rurſus reformare; quemadmodum & Hieroſolymis Babylonica expugnatione deletis omne inſtrumentum ſcripturæ Judaicæ conſtat per Eſdram reſtauratam. Michael Medina, lib. 5. de recta in Deum fide ca. 24. putat, prophetiam illam Enoch à Juda apoſtolo citatam non fuiſſe literis conſignatam, ſed ſola traditione apud Judæos cuſtoditam, nec ullum etiam librum apocryphum exſtitiſſe ipſius Enoch, quod Gelaſius diſt. 15. can. ſancta Romana Eccleſia, diligentiſſimè recenſens omnes libros apocryphos, nullam libri Enoch mentionem fecerit. Verùm citatur à patribus Hieronymo, Auguſtino, Origene, Tertulliano, & D. Auguſtinus hoc loco dicit, nos negare non poſſe ſcripſiſſe aliqua divina, cùm hoc dicat Judas Apoſtolus, qui ſcriptor eſt canonicus; nec argumentum Medinæ magni momenti eſt: nec enim omnium librorum apocryphorum meminit Gelaſius, nec ſuo fortaſſe tempore jam exſtabat. Dico breviter, etſi liber Enoch ſit apocryphus, potuiſſe nihilominus Judam Apoſtolum inde ſumere teſtimonium, quemadmodum ex libris Gentilium videmus Apoſtolum feciſſe aliquando, ut in 1. Cor. 15. & ad Tit. 1. Secundo etſi liber eſſet apocryphus, cum multa inſerta eſſent falſa, nihilominus potuiſſe in eo contineri prophetiam divinitus inſpiratam, qualem citat Judas Apoſtolus. Poſtremò certum eſt illam prophetiam citatam à Juda illius eſſe, quæ tamen illius nomine circumferuntur fabuloſa, non illius ſunt, ut dicit hic D. Auguſtinus. Vide Sixtum Senenſem lib. 2. Biblioth. v. Enoch, Perer. li. 6. commen. in Geneſ. diſputat. de translatione & ſcriptis Henoch qu. 6. Genebrardum ad annum mundi 687. Bellarminum lib. de verbo Dei c. 18.

v Sunt multa ſub nominibus aliorum Prophetarum.] *Clemens Roman. lib. 6. conſt.*

conſt. Apoſtolicarum cap. 16. Atque etiam priſcis temporibus, *inquit,* quidam libros apocryphos ſcripſerunt Moyſis, Enoch, Adam, Eſaiæ, David, Eliæ & trium Patriarcharum, libros dico peſtiferos & veritatis inimicos. Tales tunc libros ediderunt infames hæretici, quibus calumniantur creationem mundi, nuptias, providentiam, procreationem liberorum, legem, Prophetas, ſcribuntque in his eſſe quædam nomina barbara, ut illi quidem ajunt, Angelorum, ut autem verum fateamur, Dæmonum potius, quorum inſtinctu & afflatu iſta ſcripſerunt.

ξ Et recentiora ſub nominibus Apoſtolorum.] *Clemens Romanus loco citato author eſt multos libros falſo inſcriptos nomine Apoſtolorum, ut antiquitus etiam ſub nomine prophetarum.* Scripſimus vobis, *inquit,* ut ſcire poſſitis, qualis ſit noſtra ſcientia, & ne libros, quos impii, noſtri nominis inſcriptione munierunt, approbetis, neque enim nomina Apoſtolorum attendere debetis, ſed naturam rerum & ſententiam nunquam à recto deflexam. Scimus enim Simonem & Cleobulum venenatos libros nomine Chriſti & diſcipulorum ejus compoſuiſſe, quos ad decipiendum eos, qui Chriſti & nos ſervos ejus dilexerunt, circumferunt. *De hujusmodi libris Canon. 59. Apoſtolorum* εἴ τις τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία ὡς ἅγια ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας δημοσιεύοι ἐπὶ λύμῃ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, καθαιρείσθω. *i.* Si quis falſo inſcriptos impiorum libros tanquam ſanctos in Eccleſia Dei publicat ad populi & cleri perniciem, deponatur. *De iisdem ita ſcribit Leo Papa Epiſtol. 93. ad Turibium Aſturic. cap. 15.* Apocryphæ ſcripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolùm interdicendæ, ſed etiam penitus igne auferendæ ſunt atque ignibus concremandæ. Quamvis enim in illis quædam ſint, quæ videantur ſpeciem habere pietatis, numquam tamen vacua ſunt venenis; & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione ſeductos laqueis cujusque erroris involvant. *Idem Pontifex ſermon. 4. de Epiphan.* Apoſtolicas paginas quædam auferendo, quædam inferendo violarunt Manichæi ipſi confingentes ſibi ſub Apoſtolorum nominibus, & ſub verbis ſalvatoris ipſius multa volumina falſitatis. *D. Hieronym. in catalogo Eccleſiaſticorum.* Petri, *inquit,* nomine feruntur quinque libri, quorum primus, Acta Petri inſcribitur, alius Petri Evangelium, tertius, prædicationes Petri, quartus Apocalypſis; quintus, liber Judicii. *& D. Auguſtin. li. 1. de conſenſu Evang. c. 9. & 10. teſtis eſt, librum de Magia Chriſti nomine ad Petrum & Paulum Apoſtolos ſcriptum fuiſſe, mentitos eſſe Gentiles ſive hæreticos. Vulgare ſemper fuit hæreticis imponere Apoſtolis & Sanctis Patribus, ut ſuis erroribus authoritatem adferrent. Plura vide apud Baronium tom. 1. Annal. anno Chriſti 44. apud Gretſerum, lib. 1. de jure & more prohibendi malos libros, c. 5.*

o Non ſolùm pulchritudines, verùm etiam magnitudines & fortitudines corporum.] *Gigantum vocabulum referunt nonnulli ad morum improbitatem, non ad molem corporis, ut in ſcriptura Geneſis intelligantur homines non inuſitata mole corporis ac proceritate, ſed ſuperbi, impii, crudeles. Ita Joſeph. lib. 1. Antiqu.* Πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας καὶ παντὸς ὑπερόπτας καλοῦ, διὰ τὴν ἐπὶ τῇ δυνάμει πεποίθησιν· ὅμοια τοῖς ὑπὸ Γιγάντων τετολ-

μνῆσθαι λεγομένοις ὑφ' Ἑλλήνων καὶ οὗτοι δρᾶσαι παραδίδονται. *Pro Gigantibus violentos interpretatus eſt Symmachus authore Hieronymo lib. qu. Hebraic. in Geneſim. Chryſoſtomus hom. 22. & 23. in Geneſim Gigantes in ſcriptura dici putat robuſtos corpore, proceros ac fortes, non verò homines inſolita quadam corporis ſtatura. Cyrill. Alexandrin. lib. 9. contra Julianum in eadem eſt ſententia ita ſcribens;* Mos eſt divinæ ſcripturæ Gigantes vocare agreſtes & feroces & robuſtos. Nam de Perſis ac Medis Judæam devaſtaturis dixit Deus per Iſaiam, Gigantes venient, ut impleant furorem meum. Non enim ſecundùm Græcorum Poëtas Gigantes fuiſſe nos dicimus tàm excelſis corporibus, ut & inſulas ex medio mari raperent, & in cœlum projicerent, ſed fœdos aſpectu & monſtroſos, & temerarios, nec adhuc tamen tantùm tranſcendentes humanitatis menſuram, quantum Græcorum ſapientibus, qui mentiebantur, dicere viſum fuit. *D. Auguſtinus hoc loco (cujus ſententiam veriorem exiſtimo) Gigantes à Moſe appellari cenſet homines inuſitata corporis mole ac vaſtitate, qui tamen etiam ſuperbi eſſent & impii, & feroces animos gererent, quomodo gloſſa interlinearis Gigantes deſcribit,* immanes corpore, ſuperbos viribus, inconditos moribus. *Eodem ſenſu interpretatur & Theodoret. qu. 48. in Geneſim, improbans interpretationem Origenis ſuppreſſo illius nomine, & Caſſianus collat. 8. c. 21.*

Cap. XXIV.

Quomodo intelligendum ſit, quòd eis, qui diluvio perdendi erant, Dominus dixerit: Erunt dies eorum centum viginti anni.

Gen.6. Quod autem dixit Deus: *Erunt dies eorum centum viginti anni,* a non ſic accipiendum eſt, quaſi prænunciatum ſit poſthac a homines centum viginti annos vivendo non tranſgredi, quum & poſt diluvium etiam quingentos exceſſiſſe inveniamus. Sed intelligendum eſt, hoc Deum dixiſſe, quum circa finem quingentorum annorum eſſet Noe, id eſt, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more ſuo ſcriptura quingentos vocat, nomine totius maximam
Gen.7. partem plerumque ſignificans: ſexcenteſimo quippè anno vitæ Noe ſecundo menſe factum eſt diluvium, ac ſic centum viginti anni prædicti ſunt futuræ vitæ hominum periturorum, quibus tranſactis diluvio delerentur. Nec fruſtrà creditur, ſic factum eſſe diluvium, non inventis in terra, qui non erant digni tali morte defungi, qua in impios vindicatum eſt: non quòd hîc quicquam bonis quandoque morituris tale genus mortis faciat aliquid, quod eis poſſit obeſſe poſt mortem. Veruntamen β nullus eorum diluvio mortuus eſt, quos de ſemine Seth propagatos ſancta ſcriptura commemorat. Sic autem divinitus diluvii cauſa narratur: b *Videns,* inquit, *Dominus Deus, quia multiplicatæ ſunt malitiæ hominum ſuper terram, & quod unuſquiſque cogitat in corde ſuo diligenter ſuper maligna omnes dies, & cogitavit Deus, quia fecit hominem ſuper terram, & recogitavit, & dixit Deus: Delebo hominem, quem feci à facie terræ ab homine uſque ad pecus, & à repentibus uſque ad volatilia cæli, quia iratus ſum, quoniam feci eos.*

a Ho-

a HOmines cxx. annos vivendo.] *Hoc putavit Lactantius lib. 2. inquit enim: Deinde orbe ſiccato, execratus injuſtitiam prioris ſeculi Deus, ne rurſus longitudo vitæ cauſa eſſet excogitandorum malorum, paulatim per ſingulas progenies diminuit hominis ætatem, atque in c. & xx. annis metam collocavit, quam tranſgredi non liceret. Hieronymus verò ſic: ſed erunt cxx. anni dies eorum, hoc eſt, habebunt cxx. annos ad agendam pœnitentiam: non igitur humana vita, ut multi errant, in cxx. contracta eſt. Siquidem invenimus, quod poſt diluvium Abraham vixerit annos clxxv. & cæteri amplius cc. & ccc. annis. Joſephus paulò aliter quàm Lactantius, ſed ferè in eandem ſententiam ſcribit, cœpiſſe poſt inundationem ſpatium humanæ vitæ minui uſque ad Moyſen, poſt quem terminus humanæ vitæ in c. & xx. annis poſitus eſt, hos annos ſtatuente Deo, quot & Moyſen vixiſſe contigit.* L.Vives.

b Videns, inquit, Dominus.] *Ex LXX. ubi nos habemus, pœnituit illi recogitavit* ἐνεθυμήθη.

a NOn ſic accipiendum eſt quaſi prænuntiatum ſit poſt hæc.] *Quæſtio eſt, an ſpatium hoc centum viginti annorum referendum ſit ad vitam hominum deinceps futuram, quaſi ea centum viginti annos transgreſſura non eſſet, an verò ad ſpatium temporis hominibus conceſſum ante diluvium, ad agendam ſcil. pœnitentiam & avertendam Dei vindictam toti humano generi impendentem. Certè Philo lib. de Gigantibus, Joſeph. li. 1. antiquitat. c. 4.* ἐπιτιμώμενος αὐτῶν τὸν βίον καὶ ποιήσας ἐτῶν οὐχ ὅσα πρότερον ἔζων, ἀλλ' ἑκατὸν εἴκοσιν. *Lactant. li. 2. c. 14. Rupert. li. 4. commen. in Geneſim cap. 13. Toſtatus ad caput 6. Geneſ. qu. 11. hæc verba referunt ad hominum vitam deinceps futuram, quod ſcil: deinceps ad centum viginti annos vita hominum contrahenda ſit. Sed hanc interpretationem meritò redarguit Auguſtinus, cùm poſt diluvium etiam quingentos vitæ annos exceſſiſſe quoſdam inveniamus. Sem poſt diluvium quingentos annos vixit: Arphaxad, Salem & Heber plures quadringentis, reliqui uſque ad Abraham plures ducentis, Abraham ipſe centum ſeptuaginta quinque. Iſaac centum octoginta quinque, Jacob centum quadraginta ſeptem. Eſt ergo verior D. Auguſtini ſententia & interpretatio, tempus illud centum viginti annorum non ad futuram hominum ætatem, ſed ad tempus conceſſum hominibus ante diluvium ad reſipiſcendum referri debere, quod docet etiam quæſt. 24. in Geneſim. Ita interpretatur etiam D. Hieronymus quæſtionibus Hebraic. in Geneſ.* Ne videretur, *inquit*, in eo eſſe crudelis, quod peccantibus locum pœnitentiæ non dediſſet, adjecit illud, ſed erunt dies eorum centum viginti anni. *i.* habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annos contracta eſt, ſed generationi illi centum viginti anni ad agendam pœnitentiam dati ſunt, ſiquidem invenimus, quod poſt diluvium Abraham vixerit annos centum ſeptuaginta quinque, & cæteri amplius ducentis & trecentis annis. *Eadem eſt interpretatio D. Chryſoſt. hom. 22. in Geneſim, Trebellius Pollio in vita Claudii Imp. ſcribit, doctiſſimos Mathematicorum centum & viginti annos homini ad vivendum datos indicaſſe, neque amplius cuiquam jactitant eſſe conceſſum, & illud addentes (inquit) Moſem ſolum Dei, ut Judæorum libri loquuntur, familiarem 125. vixiſſe; qui cùm quereretur quod juvenis interiret,* F.L.Coq.

 reſpon-

reſponſum ei ab incerto numine ferunt neminem plus eſſe victurum. Fortaſſe his magis & huic opinioni præbuerunt occaſionem malè intellecta hæc verba, Erunt dies eorum centum viginti annorum. *Difficultas tamen occurrit non levis, quia ex quo tempore Deus hæc verba locutus eſt uſque ad diluvium, non niſi centum anni reperiuntur, quia hæc verba Deus protulit, cum jam Noë quingentos annos natus tres filios genuiſſet, ut conſtat ex fine 5. capitis, diluvium verò evenit anno ſexcenteſimo Noe, ut ex cap. 7. conſtat. Deſunt igitur viginti anni. Hieronymus loco citato exiſtimat, quia homines illi pœnitentiam agere recuſarunt, Deum tempus deſtinatum amputatis viginti annis breviaſſe & maturaſſe diluvium.* Quia verò *(inquit)* pœnitentiam illi agere contempſerunt, noluit Deus tempus exſpectare decretum, ſed viginti annorum ſpatiis amputatis induxit diluvium anno centeſimo agendæ pœnitentiæ deſtinato. *Similia habet D. Chryſoſtomus hom. 25. in Geneſ. Hæc tamen duriuſcula eſt interpretatio, itaque cùm hanc difficultatem præſenſiſſet D. Auguſtinus, aliam commodiorem ſolutionem adfert. Reſpondet ergo, cùm Deus hæc verba protulit, Noë reipſa non fuiſſe quingentorum annorum, ſed quadringentorum & octoginta dumtaxat; quod tamen ſcriptura vocat quingentorum annorum, ut id non de quingenteſimo anno completo intelligendum ſit, ſed de quingenteſimo currente jam ſcil. exactis annis octoginta illius anni quingenteſimi. Sed contra hanc reſponſionem aliquis objiciat, quod hæc verba locutus eſt Deus cùm Noë genuiſſet Sem, Cham, & Japhet. Horum enim generationem prænarravit cap. 5. Geneſ. Deinde referuntur cap. 6. hæc verba à Deo dicta; verùm Noë quingenteſimum annum vitæ expleverat cum genuit Sem, Cham, & Japhet, ergo quingenteſimum annum expleverat, cùm Deus protulit hæc verba, contra quàm ſcribit Auguſtinus. Reſpondetur, Deum hæc verba de centum viginti annis vitæ hominis locutum eſſe, viginti annis antequam Noë genuiſſet Sem: Quod verò Moyſes generationem Sem narravit ante commemorationem horum verborum Dei, fecit id per anticipationem, quæ ſatis frequens eſt in literis ſacris. Voluit enim generationes omnium, qui ab Adamo fuerunt uſque ad diluvium continua ſerie deſcribere, & ut in qualibet priorum generationum dixerat, quot annos natus pater filium genuiſſet, ita dicendum illi fuit, quot annos natus Noë filios genuiſſet, nonnulla tamen ſucceſſerant prius, quæ deinceps illi repetenda fuerunt, ut quod Deus hominibus ad pœnitendum præſcripſiſſet tempus centum viginti annorum; ergo hæc verba viginti annis, antequam Noë generaret filios, à Deo prolata fuere, licèt poſterius à Moſe commemorata.*

β Nullus eorum diluvio mortuus eſt, quos de ſemine Seth ſcriptura commemorat.] *Certum eſt ex poſteris Seth multos diluvio periiſſe, ut quia paterna pietate defecerant, & commiſcuerant ſe cum impio genere Cain: verùm de poſteris Seth piis ac probis, ac etiam de illis, quos ſcriptura nominatim commemorat, nullus diluvio periit, atque ita intelligendus D. Auguſtinus. An verò omnes, qui diluvio perierunt, æternis ſuppliciis damnati fuerint, diſputat fusè Pererius lib. 9. commentar. in Geneſ. diſputatione extrema. Etſi velint aliqui nonnullos ingruente diluvio converſos ad Deum pœnitentiam egiſſe, probabilius tamen mihi videtur omnes aquis diluvii oppreſſos reprobos fuiſſe, ac æternis ſuppliciis obnoxios, ſi de adultis, qui jam ratione &*

libero

libero arbitrio fungebantur, ſermo ſit: nam ex infantibus, qui diluvio periêre, fortaſſe nonnulli fuêre prædeſtinati & ſalvi, ut quibus remedium legis naturæ, quo purgabantur infantes à peccato originali, fuerit applicatum. Etſi enim poſteri Seth à majorum ſuorum pietate & religione defeciſſent, antiqua tamen ratione ritue purgandi infantes à peccato originali à majoribus ſuis accepto eos uſos fuiſſe veriſimile eſt, quemadmodum & Judæi Idololatræ nihilominus circumciſionem obſervabant, & nunc hæretici Baptiſmum obſervant, quo eorum infantes verè à peccato originali liberantur, adeo ut ſi vel aquis obrueretur aliqua civitas, in qua omnes profiterentur hæreſim, vel igne abſumeretur, vel terræ motu penitus concuteretur, extremamq; ruinam pateretur, vel hiatu terræ abſumeretur, ut Num. 16. factum eſt, omnes quidem adulti flammis æternis obnoxii eſſent, infantes tamen, qui baptiſmo eſſent abluti, etſi ab hæreticis & inter hæreticos, virtute illius ſalutem conſequerentur. Ita fortaſſe factum tempore diluvii.

CAP. XXV.

De ira Dei, quæ immutabilem tranquillitatem nulla inflammatione perturbat.

α IRa α Dei non perturbatio animi ejus eſt, ſed judicium, quo irrogatur pœna peccato. β Cogitatio verò ejus & recogitatio, mutandarum rerum eſt immutabilis ratio. Neque enim ſicut hominem γ ita & Deum cujusquam facti ſui pœnitet, cujus eſt de omnibus omnino rebus tam fixa ſententia, quàm certa præſcientia. Sed ſi non utatur ſcriptura talibus verbis, non ſe quodammodo familiarius inſinuabit omni generi hominum, quibus vult eſſe conſultum, ut & perterreat ſuperbientes, & excitet negligentes, & exerceat quærentes, & alat intelligentes. Quod non faceret, ſi non ſe prius inclinaret, & quodammodo deſcenderet ad jacentes. Quod autem etiam interitum omnium animalium terrenorum volatiliumque denunciat, magnitudinem futuræ cladis effatur, non animantibus rationis expertibus tanquam & ipſa peccaverint, minatur exitium.

α IRa Dei non perturbatio animi.] *Scripſit de ira Dei librum Lactantius, ad quem cùm remittat lectorem Hieronymus, meritò & nos quoque remittemus.* L. Viven.

α IRa Dei non perturbatio animi ejus.] *Qua ratione* ira *de Deo dicatur, docet D. Thom. 1. p. q. 3. art. 2. ad 1. & q. 19. art. 11. in corp. & q. 20. art. 1. ad 7. nempe.* F. L. Coqu.
Metaphoricè ſecundùm ſimilitudinem affectus, quia enim proprium eſt irati punire, ejus ira punitio metaphoricè dicitur, & in Deo invenitur, non ſecundùm proprietatem, ſed ſecundùm ſimilitudinem, nec ſecundùm affectum animi, ſed ſecundùm affectum operis, quia Deus talia facit, qualia facere ſolent homines pœnitentia vel ira, vel furore correpti. *Tertull. lib. 2. contra Marcionem cap. 16. cùm objeciſſet verba Marcionis.* Si Deus iraſcitur & æmulatur, & extollitur, & exacerbatur, ergo & corrumpetur, ergo & morietur. *Scitè admodum reſpondet:* Stultiſſimi qui de humanis divina prædicant, ut quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi paſſiones, idcirco & in Deo ejusdem ſtatus exiſtimentur, diſcerne ſubſtantias, & ſuos eis diſtribue ſenſus tam diverſos quàm ſub-

ſubſtantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam & dextra & oculos, & pedes Dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione ſociantur.

β Cogitatio & recogitatio mutandarum rerum eſt immutabilis ratio.] *Eadem Eucherius in Geneſ. D. Auguſt. ſecutus eſt LXX. Interpretes, qui verterunt ἐνεθυμήθη, id eſt* Cogitavit *ſeu* recogitavit. *Hebraic. eſt verbum nacham*, pœnituit, *cujus vim Aquila expreſſit transferens μετεμελήθη*, pœnituit. *D. Ambroſ. lib. de arca & Noe c. 4.* Non cogitabat Deus ſicut homines, *inquit*, ut aliqua ei nova ſuccedat ſententia, neque iraſcitur quaſi mutabilis, ſed ideò hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas, quæ divinam meruerit offenſam, tanquam eò usque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira, aut odio, aut paſſione ulla, provocatus videatur ad iracundiam.

γ Ita Deum cujusque facti ſui pœnitet.] *Quomodo in Deo pœnitentia ſit intelligenda, explicat etiam lib. 1. contra adverſarium legis & prophetarum c. 20. infr. lib. 17. c. 7. D. Chryſoſt. hom. 22. in Geneſ. ad ea verba*, Pœnitet me feciſſe hominem, pœnituit, *inquit*, Deum, non quod pœnitentia cadat in Deum, abſit, ſed juxta humanam conſuetudinem loquitur nobis Deus, quod enormia illorum hominum peccata miſericordem Deum indignari fecerint. *Gloſſa interlinearis*, Videtur *inquit*, Deum pœnitere dum opus mutat, voluntate tamen & diſpoſitione immobili permanente. *Rupertus in Geneſ. lib. 4. c. 14. ad eadem verba*, Hujusmodi, *ait*, dictum de pœnitentia Dei non impaſſibilis, Dei mutabilem, ſed fixam ejus indicat ſententiam ad prioris facti deſtructionem, vel valde neceſſariam ejusdem meliorationem. *Qua ratione etiam pœnitentia hujusmodi ſit in Deo intelligenda, docet Juſtinus martyr quæſt. 36. ad Orthodoxos, & Theodoret. quæſt. 50. in Geneſ.*

Cap. XXVI.

Quòd arca, quam Noe juſſus eſt facere, in omnibus Chriſtum Eccleſiamq; ſignificet.

Jam verò quòd Noe homini juſto, & ſicut de illo ſcriptura veridica loquitur, in ſua generatione perfecto: α (non utique ſicut perficiendi ſunt cives civitatis Dei in illa immortalitate, qua æquabuntur Angelis Dei, ſed ſicut eſſe poſſunt in hac peregrinatione perfecti:) β imperat Deus, ut arcam faciat, in qua cum ſuis, id eſt, uxore, filiis & nuribus, & cum animalibus, quæ ad illum ex Dei præcepto in arcam ingreſſa ſunt, liberaretur à diluvii vaſtitate: procul dubiò γ figura eſt peregrinantis in hoc ſeculo civitatis Dei, hoc eſt, Eccleſiæ, quæ fit ſalva per
1.Tim.2. lignum, in quo pependit *mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.* δ Nam
Vid. & & menſuræ ipſæ longitudinis, altitudinis, latitudinisque ejus, ſignificant corpus
Aug. l. 12. cōtra humanum, in cujus veritate ad homines prænunciatus eſt venturus, & venit.
Fauſt. c. ε Humani quippe corporis longitudo à vertice uſque ad veſtigia ſexies tantum
14. & 16. habet, quàm latitudo, quæ eſt ab uno latere ad alterum latus: & decies tantum, quàm altitudo: cujus altitudinis menſura eſt in latere à dorſo ad ventrem: velut ſi

ſi jacentem hominem metiaris ſupinum ſeu pronum, ſexies tantum longus eſt à capite ad pedes, quàm latus à dextra in ſiniſtram, vel à ſiniſtra in dextram, & decies, quàm altus à terra. Unde facta eſt arca trecentorum in longitudine cubitorum, & quinquaginta in latitudine, & triginta in altitudine. Et quòd oſtium in latere accepit, profectò illud eſt vulnus, quando latus crucifixi lancea perforatum eſt. Hac quippe ad illum venientes ingrediuntur: quia inde ſacramenta manarunt, quibus credentes initiantur. Et quòd de lignis quadratis fieri jubetur, undique ſtabilem vitam ſanctorum ſignificat. Quacunque enim verteris quadratum, ſtabit. Et cætera, quæ in ejuſdem arcæ conſtructione dicuntur, *b* Eccleſiaſticarum ſigna ſunt rerum. Sed ea nunc perſequi longum eſt: & hoc jam fecimus in opere, quod adverſus Fauſtum Manichæum ſcripſimus, negantem in libris Hebræorum aliquid de Chriſto eſſe prophetatum. Et fieri quidem poteſt, ut & nobis quiſpiam, & alius alio exponat hæc aptius: dum tamen ea, quæ dicuntur, ad hanc, de qua loquimur, Dei civitatem in hoc ſeculo maligno tanquam in diluvio peregrinantem, omnia referantur: ſi ab ejus ſenſu, qui iſta conſcripſit, non vult longè aberrare qui exponit. Exempli gratia. Velut ſi quiſpiam quod hic ſcriptum eſt: Inferiora *c* bicamerata & tricamerata facies: non quod ego in illo opere dixi, velit intelligi, quia ex omnibus gentibus Eccleſia congregatur, bicameratam dictam propter duo genera hominum, circumciſionem ſcilicet & præputium: quos Apoſtolus & alio modo dicit *d* Judæos & Græcos. Tricameratam verò, eo quòd omnes gentes de tribus filiis Noë poſt diluvium reparatæ ſunt: ſed aliud dicat aliquid, quod à fidei regula non ſit alienum. Nam quoniam nō ſolùm in inferioribus manſiones habere arcam voluit, verum etiam in ſuperioribus, & hæc dixit bicamerata: & in ſuperioribus ſuperiorum, & hæc appellavit tricamerata: ut ab ibi ſurſum verſus tertia conſurgeret habitatio. Poſſunt hæc intelligi, & illa tria, quæ commendat Apoſtolus: fides, ſpes, charitas. 1. Cor 13. Poſſunt etiam multo convenientius *e* tres illæ ubertates Evangelicæ tricena, Matt. 13 ſexagena, centena: ut in infimo habitet pudicitia conjugalis, ſuprà vidualis, atque hac ſuperior virginalis, & ſi quid melius ſecundùm fidem civitatis hujus intelligi & dici poteſt. Hoc etiam de cæteris, quæ hîc exponenda ſunt, dixerim: quia & ſi non uno diſſeruntur modo, ad unam tamen catholicæ fidei concordiam revocanda ſunt.

a HUmani quippe corporis longitudo.] *Idem ſcribit in Fauſtum Manichæum lib. 12. Quod ſexies, inquit, longa ad latitudinem ſuam, & decies ad altitudinem ſuam humani corporis inſtar oſtendit, quia in corpore humano Chriſtus apparuit. Ambroſ. in lib. de Noë & arca, magnitudinem arcæ ad corpus humanum refert, ſed alia ratione, quàm hic Auguſtinus.* L. Vives.

b Eccleſiaſticarum ſigna ſunt rerum.] *Petrus quoque Apoſtolus per arcam illam intelligi vult Eccleſiam, prima Petri, 3. Ex quo & Hieronymus contra Jovinianum, & contra Luciferianos, arcam eſſe Eccleſiam, oſtendit. Et Cyprianus in ſermone de Spiritu ſancto, ſi modò ejus eſt id operis. De arca quoque interpretatione allegorica Origenes multa, & alii ſacri ſcriptores.*

c Bicamerata & tricamerata.] *Origenes form.am declarat. Duæ enim infimæ regiones arcæ, tres ſuper illas, & continua contignatione junctæ, ut alia ſuper aliam eſſet, in imam reddebant excrementa: in ſecundam ſervabantur pabula omnium animantium, & hæ erant duæ cameræ. Sequebantur tres. In prima feræ beſtiæ & immites, in ſecunda mitiores, in tertia homines. Joſephus tamen quatuor in arca dicit fuiſſe cameras, quum alii quinque ponant, ut dixi. Autor Hiſtoriæ Scholaſt. forſè dicit, prætermiſſam eſſe à Joſepho ſentinam.*

d Judæos & Græcos.] *Ex linguis diſtinxit. Ii enim omnes, quibus cum Paulus verſabatur, aut Hebraicè loquebantur, hi erant Judæi: aut Græcè, hi erant Gentiles. Nam Romæ etiam ſic loquebantur omnes Græcè, ut nos nunc Romanè.*

F.L.Coq. α NOn utique ſicut perficiendi ſunt cives civitatis Dei.] *Quod alia ſit perfectio vitæ præſentis, quæ imperfectioni admixta eſt, alia vero futuræ vitæ, quæ omnem culpam excludit, & quæ non erit in præcepto, ſed præceptorum hic obſervatorum præmium, nec deinceps argumentum recipiet, quemadmodum recipit perfectio præſentis vitæ, docet lib. 2. de peccat. meri. & remiſſ. c. 5. & deinceps, lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagiano. c. 7. & lib. 4. c. 11. ex verbis D. Ambroſii, & lib. de perfectio. juſtitiæ cap. 3.* Tunc, *inquit*, erit plena juſtitia, quando plena ſanitas; tunc plena ſanitas, quando plena charitas, plenitudo enim legis charitas: Tunc autem plena charitas, quando videbimus eum ſicut eſt: neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cùm fides pervenerit ad viſionem, *& c. 8.* Hæc eſt noſtra in ipſa peregrinatione juſtitia, ut ad illam perfectionem plenitudinemque juſtitiæ, ubi in ſpecie decoris ejus jam plena & perfecta charitas erit, nunc ipſius curſus rectitudine & perfectione tendamus, *paulo poſt.* Hæc eſt nunc noſtra juſtitia, qua currimus eſurientes & ſitientes ad perfectionem plenitudinemque juſtitiæ, ut ea poſtea ſaturemur, *& ibidem*, Quotquot perfecti hoc ſapiamus. i. quotquot perfectè currimus, hoc ſapiamus, quod nondum perfecti ſumus, ut illic perficiamur, quò perfectè adhuc currimus, ut cum venerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt deſtruatur. i. non jam ex parte ſit, ſed ex toto; quia cùm fidei & ſpei jam res ipſa non quæ credatur & ſperetur, ſed quæ videatur & teneatur, ſuccedet; Charitas autem, quæ his tribus major eſt, non auferetur, ſed augebitur & implebitur, contemplata quod credebat, & quod ſperabat indepta. *Idem c. 13. & c. 14 D. Tho. 1. p. q. 73. ar. 1. ad 1. diſtinguit perfectionem gratiæ, quæ eſt vitæ præſentis & viatorum, à perfectione gloriæ, quæ eſt comprehenſorum in futura vita, & 2. 2. q. 24. art. 8. diſtinguit perfectionem charitatis patriæ, ubi totum cor hominis actualiter ſemper in Deum totum fertur, à perfectione charitatis in via, & quæſt. 184. art. 2. Noe igitur perfectum quidem vocat ſcriptura, verùm non ea perfectione, quæ erit in illa immortalitate, quando erunt homines ſicut Angeli Dei in cœlo.*

β Imperat Deus ut arcam faciat.] *Gen. 6.* fac tibi arcam de lignis levigatis; *in quem locum egregiè D. Chryſoſt. ho. 24.* Conſidera dignationem Dei & ineffabilem miſericordiam, quæ omnem rationem tranſcendit, ſimulque admirabilem ejus erga nos pietatem imperantis Noë, ut faceret ſibi arcam, ordinantisque modum, quo eſſet conſtruenda, atque ea in re maximam illi conſolationem afferen-

ferentis, dum ſpem ſalutis per arcæ conſtructionem oſtendit: *volebat quoque Deus illos, qui graviſſimè peccaverunt, per fabricationem arcæ admoneri ſuorum ſcelerum, ut reſipiſcendo imminentem indignationem & vindictam nequaquam experirentur: neque enim parvum illud tempus denuò conceſſum eſt ad agendam pœnitentiam, quoad ſcil. perfecta eſt arca, quo vitam corrigere potuiſſent, niſi adeo ſtupidi & ingrati fuiſſent ad ſuorum peccatorum emendationem. Veriſimile enim eſt, quicumque videbant Noe tantæ arcæ fabricationi inſiſtentem, eos cauſam exſtructionis ex ipſo ſciſcitatos, cognoviſſe divinam indignationem; quapropter ſi voluiſſent, facilè potuiſſent ad ſuorum peccatorum agnitionem venire. Verùm hæc illis nullam utilitatem attulerunt, non quia non potuerunt reſipiſcere, ſed quia noluerunt: præcipiente ergo Deo Noe arcam fabricavit, in qua cladem imminentem evaderet, & reſtaurandi generis humani ſeminarium aliquod ſupereſſet, non vero quod Beroſus Annianus comminiſcitur, ex aſtrorum inſpectione & obſervatione prævidit futurum diluvium; & diluvium Noe ſcriptura non aſtris, ſed Dei juſtitiæ & voluntati tribuit, quia* Omnis caro corruperat viam ſuam. *Geneſ. 6. Matth. 24. Lucæ 17.*

γ Figura eſt peregrinantis in hoc ſæculo civitatis Dei, hoc eſt Eccleſiæ.] *Arcam Noe geſſiſſe figuram Eccleſiæ præter D. Auguſtinum hoc loco, & lib. de unit. Eccleſiæ cap. 5. & lib. de catechizandis rudibus c. 19 & 27. & lib. 12. contra Fauſtum c. 14. docent Orig. hom. 2. in cap. Gen. 6. Cyprian. epiſt. 47. & 75. & lib. 1. ad Novatianum hæreticum, quod lapſis non ſit deneganda ſpes veniæ cap. 2. & ſerm. de Spiritu ſancto. D. Hieron. lib. 1. adverſus Jovinianum, & lib. contra Luciferianos. Gregor. hom. 16. in Ezechiel. & hom. 38. in Evangelia. Rupertus lib. 4 comment. in Gen. cap 17. & 18. Iſidorus lib. comment. in Gen. c. 7.* Noë fabricator arcæ Chriſtum referebat, requiem enim ſignificat, at requies noſtra Chriſtus eſt, Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & invenietis requiem animabus veſtris, quod dicitur, invenietis Noach verum in mediis pelagi fluctibus, de Chriſto myſtico Noë vera Lamechi prædictio Gen. 5. Iſte conſolabitur nos ab operibus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus. Ita Apoſtolus 2. Cor. 1. per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Hic Noë arcam, id eſt, Eccleſiam fabricavit, 1. Cor. 3. Dei ædificatio eſtis, ex lignis levigatis fabricata eſt, quia levigatos ac dolatos. i. omni vitiorum ſcabritie carentes, & omnium virtutum ornamentis expolitos Chriſtianos optat domino. *Septuaginta verterunt* ἐξ ξύλων τετραγώνων, ex lignis quadratis, *quò reſpicit D. Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum c. 14. ex lignis quadratis (inquit) arca fabricatur, ſicut Eccleſia de ſanctis conſtruitur, ad omne opus bonum ſemper paratis; quadratum enim quacumque verteris firmiter ſtat, & hic ſtabilem ſanctorum vitam ſignificari putat; In arca erant omnis generis animantia, ita in Eccleſiam, prout ſignificabatur illo linteo è cœlo demiſſo Act. 10. quo continebantur omnis generis animantia, Petrus omnium nationum homines introducturus erat; ex animantibus, quæ in arca erant, alia immunda, alia verò munda, ita in Eccleſia alii juſti, alii peccatores. In magna enim domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia. D. Hieron. lib. contra Luciferianos;* Ut in arca omnium animalium genera, ita & in Eccleſia univerſarum & gentium & hominum mo-

res ſunt, ut ibi pardus & hœdi, lupus & agni, ita & hic juſti & peccatores. Vaſa aurea & argentea cum ligneis & fictilibus commorantur, *& D. Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum cap. 15.* Quod cuncta animalium genera in arca clauduntur, ſimul omnes gentes, quas etiam Petro demonſtratus ille diſcus ſignificavit, Eccleſia continet; Quotquot fuêre extra arcam perierunt & obruti ſunt aquis diluvii, ita extra Eccleſiam nulla eſt ſalus. *Ita D. Hierony epiſt. 57. ad Damaſum.* Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus, ſi quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. *Verùm ut concludam cum D. Hieronymo*, dies me deficeret, ſi omnia arcæ ſacramenta cum Eccleſia componens ediſſererem.

δ Nam & menſuræ ipſæ longitudinis, altitudinis, latitudiniſque.] *Idem ſcribit li. 12. contra Fauſtum c. 12. Eandem etiam ſimilitudinem fabricæ arcæ & corporis humani tradit D. Ambroſ. lib. de arca & Noë c. 6. & Rupertus lib. 4. comment. in Gen. c. 17. Corpori humano Chriſti ſpeciatim accommodat hoc loco arcæ ſignificationem. Hæ etiam dimenſiones arcæ poſſunt aptiſſimè Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti myſticum, aptari, cujus multo major eſt longitudo quàm latitudo, & latitudo, quàm altitudo. Longitudo enim denotat fidem, latitudo charitatem, altitudo celſitudinem ſapientiæ & contemplationis rerum cœleſtium, & ſublimitatem perfectionis Evangelicæ: Ex fidelibus verò pauciores ſunt juſti & præditi charitate, multo plures mali fidem habentes; & inter bonos pauciſſimi ſunt perfecti & rerum divinarum, poſthabita cura rerum mundanarum, contemplationi & amori dediti.*

ε Non quod ergo in illo opere dixi.] *Lib. 11. contra Fauſtum c. 16.*

ζ Tres illæ ubertates Evangelicæ.] *Exiſtimat D. Hierony lib. 1. contra Jovinianum, diverſitatem illam manſionum in arca præſignaſſe Eccleſiæ varietatem:* & triginta, *inquit*, referuntur ad nuptias, ſexaginta ad viduas: porrò centeſimus numerus exprimit virginitatis coronam.

Cap. XXVII.

De arca atque diluvio, nec illis eſſe conſentiendum, qui ſolam hiſtoriam recipiunt ſine allegorica ſignificatione, nec illis, qui ſolas figuras defendunt, repudiata hiſtorica veritate.

NOn α tamen quiſquam putare debet, aut fruſtrà hæc eſſe conſcripta, aut tantummodo rerum geſtarum veritatem ſine ullis allegoricis ſignificationibus hic eſſe quærendam: aut econtrario hæc omnino geſta non eſſe, ſed ſolas eſſe verborum figuras, aut quicquid illud eſt, nequaquam ad prophetiam Eccleſiæ pertinere. Quis enim niſi mente perverſus inaniter ſcriptos eſſe contendat libros per annorum millia tanta religione, & tam ordinatæ ſucceſſionis obſervantia cuſtoditos: aut ſolas res geſtas illic intuendas, ubi certè, ut alia omittam, ſi numeroſitas animalium cogebat arcæ tantam fieri magnitudinem, β immunda bina, & munda ſeptena intromitti animalia quid cogebat, quum æquali numero poſſent utroque ſervari? Aut verò Deus propter reparandum genus ſervanda præcepit, eo modo illa quo inſtituerat, reſtituere non valebat? Qui verò non eſſe geſta, ſed ſolas rerum ſignificandarum figuras eſſe contendunt, primùm γ opinan-

Gen. 7.

pinantur, tam magnum fieri non poſſe diluvium, ut altiſſimos montes quindecim cubitis aqua creſcendo tranſcenderet, *a* propter Olympi verticem montis, ſupra quem perhibentur nubes non poſſe conſcendere, *b* quòd tam ſublimis †, quàm cœlum ſit, ut non ibi ſit aër iſte craſſior, ubi venti, nebulæ, imbresque gignuntur, nec attendunt omnium elementorum craſſiſſimam terram ibi eſſe potuiſſe. An fortè negant, eſſe hanc terram verticem montis? Cur igitur uſque ad illa cœli ſpatia terris exaltari licuiſſe, & aquis exaltari non licuiſſe contendunt, quum iſti menſores & penſores elementorum aquas terris perhibeant ſuperiores atque leviores? Quid itaque rationis afferunt, quare terra gravior & inferior locum cœli tranquillioris invaſerit per volumina tot annorum, & aqua levior ac ſuperior permiſſa non ſit hoc facere, ſaltem ad tempus exiguum? *c* δ Dicunt etiam, non potuiſſe capere arcæ illius quantitatem animalium genera tam multa in utroque ſexu, bina de immundis, ſeptena de mundis: qui mihi videntur non computare niſi trecenta cubita longitudinis, & latitudinis quinquaginta, triginta altitudinis, nec cogitare aliud tantum eſſe in ſuperioribus. Itemque aliud tantum in ſuperioribus ſuperiorum, ac per hoc ter ducta illa cubita fieri nongenta per longum, centum quinquaginta per latum, nonaginta per altum. Si autem cogitemus, quod Origines non ineleganter aſtruxit, Moyſen ſcilicet hominem Dei eruditum, ſicut ſcriptum eſt, omni ſapientia Ægyptiorum, qui Geometricam dilexerunt, geometrica cubita ſignificare potuiſſe, ubi unum quantum ſex noſtra valere aſſeverant, quis non videat quantum rerum capere potuit illa magnitudo? nam illud quod diſputant, tantæ magnitudinis arcam non potuiſſe compingi, ineptiſſimè calumniantur, quum ſciant, immenſas urbes fuiſſe conſtructas, ε nec attendunt centum annos, quibus arca illa eſt fabricata: niſi fortè lapis lapidi adhærere poteſt ſola calce conjunctus, *d* ut murus per tot millia circumagatur, & lignum ligno *e* per ſubſcudines, *f* ζ epiros, clavos & gluten bituminis non poteſt adhærere, ut fabricetur arca, non curvis ſed rectis lignis longè latèque porrecta, quam nullus in mare mittat conatus hominum, ſed levet unda, quum venerit naturali ordine ponderum, η magiſque divina providentia, quàm humana prudentia natantem gubernet, ne incurrat ubicunque naufragium. Quod autem ſcrupuloſiſſimè quæri ſolet de minutiſſimis beſtiolis, non ſolùm quales ſunt mures & *g* ſtelliones, verùm etiam quales locuſtæ, ſcarabei, muſcæ denique & pulices, utrum non amplioris numeri in arca illa fuerint, quàm qui eſt definitus, quum hoc imperaret Deus: prius admonendi ſunt, quos hæc movent, ſic accipiendum eſſe, quod dictum eſt, *Quæ repunt ſuper terram:* θ ut neceſſe non fuerit conſervari in arca, quæ poſſunt in aquis vivere, non ſolùm merſa, ſicut piſces, verùm etiam ſupernatantia, *h* ſicut multæ alites. Deinde quum dicitur, *Maſculus & fœmina erunt:* profectò intelligitur ad reparandum genus dici, ac per hoc nec illa neceſſe fuerat ibi eſſe, quæ poſſunt ſine concubitu, de quibuſque rebus, vel rerum corruptionibus naſci: vel ſi fuerunt, ſicut in domibus eſſe conſueverunt, ſine ullo numero definito eſſe potuiſſe: aut ſi myſterium ſacratiſſimum quod agebatur, & tantæ rei figura etiam

al. ſublime.

Act. 7.

Gen. 7.

iam in veritate facti aliter non poſſet impleri, niſi ut omnia ibi certo illo numero eſſent, quæ vivere in aquis natura prohibente non poſſent, non fuit iſta cura illius hominis, vel illorum hominum, ſed divina. *i* Non enim ea Noë capta intromittebat, ſed venientia & intrantia permittebat. Ad hoc enim valet, quod dictum eſt: Intrabunt ad te, non ſcilicet hominis actu, ſed Dei nutu: ita ſanè, ut non illic fuiſſe credenda ſint, quæ ſexu carent. Præſcriptum eſt enim atque definitum, maſculus & fœmina erunt. Alia ſunt quippe, quæ de quibusque rebus ſine concubitu ita naſcuntur, *i* ut poſtea concumbant & generent, ſicut muſcæ, *k* alia verò, in quibus nihil ſit maris vel fœminæ, ſicut apes. Ea porrò, quæ ſic habent ſexum, ut non habent fœtum, ſicut muli & mulæ, mirum ſi ibi fuerunt, ac non potius parentes eorum ibi fuiſſe ſuffecerit, equinum videlicet atque aſininum genus, *l* & ſi aliqua alia ſunt, quæ commixtione diverſi generis genus aliquod gignunt. Sed & ſi hoc ad myſterium pertinebat, ibi erant. Habet enim & hoc genus maſculum & fœminam. *x* Solet etiam movere nonnullos, genera eſcarum, quæ illic habere poterant animalia, quæ non niſi carne veſci putantur, utrum præter numerum ibi fuerint ſine tranſgreſſione mandati, quæ aliorum alendorum neceſſitas illic coëgiſſet includi: *m* an verò, quod potius eſt credendum, præter carnes aliqua alimenta eſſe potuerunt, quæ omnibus convenirent. *n* Novimus enim quàm multa animalia, quibus caro cibus eſt, frugibus pomiſque veſcantur, & maximè fico atque caſtaneis. Quid ergò mirum, ſi vir ille ſapiens & juſtus etiam divinitus admonitus, quid cuique congrueret, ſine carnibus, aptam cuique generi alimoniam præparavit & recondidit? quid eſt autem, quod veſci non cogeret fames? aut quid non ſuave ac ſalubre facere poſſet Deus, qui etiam, ut ſine cibo viverent, divina facilitate donaret, niſi ut paſcerentur etiam hoc implendæ figuræ tanti myſterii conveniret? Non autem ad præfigurandam Eccleſiam pertinere tam multiplicia rerum ſigna geſtarum, niſi fuerit contentioſus, nemo permittitur opinari. Jam enim gentes ita Eccleſiam repleverunt, mundique & immundi, donec certum perveniatur ad finem, ita ejus unitatis quadam compagine continentur, ut ex hoc uno manifeſtiſſimo etiam de cæteris, quæ obſcurius aliquanto dicta ſunt, & difficilius agnoſci queunt, dubitari fas non ſit. Quæ cùm ita ſint, ſi nec inaniter iſta conſcripta eſſe putare quiſquam vel durus audebit, nec nihil ſignificare cum geſta ſint, nec ſola dicta eſſe ſignificativa non facta, nec aliena eſſe ab Eccleſia ſignificanda, probabiliter dici poteſt: ſed magis credendum eſt, & ſapienter eſſe memoriæ literiſque mandata & geſta eſſe, & ſignificare aliquid, & ipſum aliquid ad præfigurandam Eccleſiam pertinere. Jam uſque ad hanc articulum perductus liber iſte claudendus eſt, ut ambarum civitatum curſus, terrenæ ſcilicet ſecundum hominem viventis, & cœleſtis ſecundum Deum poſt diluvium, & deinceps in rebus conſequentibus requiratur.

L. Vives. Olympo. *a* PRopter Olympi verticem.] *Olympos montes aliquot referunt geographi. Hic de quo loquitur, eſt in Theſſalia decem ſtadiorum altitudine, ut inquit Plutarchus in Æmilio Paulo, cacumen ejus locum, in quo nubes & venti fiunt, ſuperare creditur:*

ditur: argumento eſt, cinerem ſacrificiorum toto anno nec difflari, nec dilui, ut Solinus ſcribit: quod fabuloſum eſſe dicit Franc. Philelphus, qui ſe montem aſcendiſſe affirmat, ut rem tantam exploraret. Et profectò difficile hoc videtur, vel in Olympo, vel in Atho Macedoniæ, vel in quovis alio monte, cùm ambitum terræ, per verticem altiſſimi montis ductum halitus terræ vaporesq́; humorum excedant, præſertim ubi juges ſunt fontes, & fluvii materia imbrium ventorúmque.

b Quòd tam ſublimis, quàm cœlum ſit.] *Alibi, Quòd tam ſublime jam cœlum ſit. Significat, ob altitudinem cœlum eſſe a poëtis vocatum, autore Homero cum aliis multis locis, tum verò 11. Iliad. ubi domos deorum, ſedesq́; in Olympo deſcribit.*

c Dicunt etiam non potuiſſe capere.] *Origen. Homil. 2. in Gen. Quam ego puto, quantum ex his, quæ deſcribuntur, apparet, quatuor angulis ex uno conſurgentibus, eisdemq́; paulatim, uſque ad ſummum in anguſtum attractis in ſpatium unius cubiti fuiſſe collectam. Sic enim refertur, quod in fundamentis ejus trecenti cubiti in longitudine, in latitudine verò quinquaginta ſint poſiti, triginta autem in altitudine ædificati: ſed collectam in cacumen anguſtum, ita ut cubitus ſit latitudinis & longitudinis ejus: & poſt: Verùm tamen quantum ad neceſſitatem pluviarum & diluvii ſpectat, nulla potuit tam conveniens & congrua arcæ ſpecies dari, quàm ut è ſummo, velut è tecto quodam in anguſtum culmine ducto, diffunderet imbrium ruinas, & ima in aquas quadrata ſtabilitate conſiſtens, nec impulſu ventorum, nec impetu fluctuum, nec inquietudine animalium, quæ intrinſecus erant, ut inclinari poſſet, aut mergi. Sed his omnibus tanta arte compoſitis, objiciunt quidam quæſtiones, & præcipuè Apelles, qui fuit diſcipulus quidem Marcionis, ſed alterius hæreſcos magis, quàm ejus, quam à magiſtro ſuſcepit, inventor. Quomodo, inquit, fieri potuit iſtud ſpatium, quod ſcriptum eſt, ut quatuor ſaltem ſolos elephantos capere potuerit? Ajebant ergò majores, quòd Moyſes, qui ut de eo ſcriptura teſtatur, omni ſapientia Ægyptiorum fuerat eruditus, ſecundùm artem geometricam, quam præcipuè Ægyptii callent, cubitórum numeros in hoc loco poſuit: apud geometras enim ſecundùm eam rationem, quæ apud eos virtus vocatur, & ſolido, & quadrato, vel in ſex cubitos unus deputatur, ſi generaliter, vel trecentos, ſi minutatim dicatur: quæ utique ratio, ſi obſervetur in hujus arcæ menſura, invenientur & longitudinis, & latitudinis tanta ſpatia, quæ verè totius mundi reparanda germina, & univerſorum animantium capere rediviva ſeminaria potuerint. Tantum Origenes.*

d Ut murus per tot millia circumagatur.] *Ut murus Babylonis Chaldææ, aut Romæ, aut Memphis, aut Nini. Sed in Thracia eſt urbs, quam Græci* μακρὸν τεῖχος *vocant: quod illinc inciperet murus ſupra fidem ingens uſque ad ſinum Melicum, excluderetq́; Cheroneſum à reliqua Thracia. Miltiades dux Athen. fecit. Ille quoque eſt huic ſimilis, quem à lacu Lemano ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, Cæſar duxit millium paſſuum 19. altitudinis pedum 16. Cæſar primo Comment. belli Gallici, Severus quoque murum fecit in Britannia, quo Barbaros à ſuis diſc[illegible].*

e Per ſuſtudines.] *Legendum ſubſcudines. Tabellæ ſunt, quibus majores tabulæ inter ſe compinguntur. Vitruvius libro 4. Hæq́; trabes compactiles ponantur, ut tan-* Subſcudes.

tam

tam habeant craſſitudinem, quantam ſumma columna erit hypotrachelium, & ita ſint compacta ſubſcudibus & ſecuriclis, ut compactura duorum digitorum habeat laxationem.

f Epiros.] *Vel mendosè ſic legitur, vel quærendum quid rei ſit.*

g Stelliones.] *Sunt ex genere lacertorum, qui morſu ſtupefaciunt, & ex genere areanearum. Plin. lib. 8. & 9. Ariſtoteles.*

h Multæ alites.] *Anates, cygni, cincli, cataractæ, flori.*

i Ut poſtea concumbant & generent, ſicut muſcæ.] *Muſcæ ſunt de iis, quæ ex non genitis gignuntur. De fæce enim creatæ ipſæ coitu maris & fæmellæ vermiculum gignunt, qui in muſcam ſenſim formatur, ut Ariſt. 5. de hiſt. animalium ſcribit.*

k Alia verò, in quibus nihil ſit maſc. & fœ. ſicut apes.] *Ariſt. 5. de animalibus, non conſtare dicit, quomodo apes generentur, aliis negantibus coire, ſed aliunde deportare fœturam, nec unde tamen convenit: alii ex flore callinthri, alii arundinis, alii oleæ putant: Verg. etiam 4. Georgic. gignere eas non putavit. Sic enim ait:*

Illum adeò placuiſſe apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verùm ipſæ è foliis natos, & ſuavibus herbis
Ore legunt.

Sunt qui apes omnes fœminas credant, fucos mares, ita coire: gigni verò ex bubulis carnibus convenit.

l Et ſi aliqua alia ſunt.] *Ut lyciſca, lupi & canis: ſed Plinius libro octavo, obſervatum eſſe dicit à duobus diverſi generis nata, tertii generis fieri, & neutri parentum eſſe ſimilia, eaq; ipſa, quæ ita nata ſunt, non gignere in omni animalium genere, idcirco mulas non parere. Sed de partu mularum alia quæſtio, nam peperiſſe memoriæ eſt traditum, & geſtare uterum frequentius eſt, tum etiam in Cappadocia vulgare, ut inquit Theophraſtus & in Syria ſupra Phœnicen, ut Ariſtoteles: ſed hæ diverſi generis, quàm noſtræ.*

m An verò quod potius credendum.] *Origenes putat, carnes ediſſe illa animalia.*

n Novimus enim quàm multa animalia quibus caro cibus] *Canes, corvi, vulpes, cùm non dantur carnes, frugibus veſcuntur, & maximè ficis & caſtaneis, quæ non ſecus explent & alunt, quàm carnes.*

P.L.Cap. α NOn tamen quiſquam putare debet] *Quæcunque narrat Moyſes de arca Noë fabricata, verè geſta ſunt & ſecundùm hiſtoriam accipienda in eis; tamen latebant multa in Chriſti Eccleſia futura myſteria. Neque enim adeò ſtudiosè ſingula quæque mandaſſet Deus fieri, niſi voluiſſet illis adumbrari & præſignificari altiora quædam circa Eccleſiam à Chriſto in terris ædificandam myſteria. Igitur adeò diſtincta & diligens arcæ deſcriptio ita accipienda eſt, ut nec litera vel hiſtoria myſterium excludat, neque etiam latens myſterium ipſam hiſtoriam.*

β Immunda bina & munda ſeptena intromitti animalia quid cogebat, cùm æquali numero.] *Idem lib. 12. contra Fauſtum cap. 38.* Si cauſa evadendi diluvii opus

po us erat fabricari arcam, quid opus erat menſuras ejus aut ipſas potiſſimum fieri, aut etiam ſcriptis ad religionem poſteritati propagandis commemorari? Si propter genus reparandum animalia includi oportebat, quid opus erat illo potiſſimum numero ſeptena de mundis. bina de immundis? *Quaſi verò dicat id quidem re ipſa præceptum à Deo. Gen. 6. & 7. ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena & ſeptena, maſculum & fœminam: de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum & fœminam: verùm cum æquali numero poſſent utraque ſervari ad reparandas finito diluvio ipſas ſpecies animantium, non ſine myſterio plura ex unaquaque ſpecie mundorum introducta ſunt quàm ex immundis. Cur autem Deus juſſerit plura de mundis animalibus quàm de immundis ſecundùm unamquamque ſpeciem recipi, varias licet cauſas adferre. Unam, quò plura eſſent animalia homini utilia, pauciora verò inutilia, aut etiam noxia: alteram, quod mundis animalibus opus foret ad uſum ſacrificiorum, quæ & ſtatim finito diluvio facta ſunt, nec niſi de mundis animalibus fieri oportebat. Ita Theodoretus docet quæſt. 50. in Geneſ. Tertiam, quod ſtatim diluvio finito Deus fecit copiam homini veſcendi animalibus plurimum mundis. Cùm itaque immunda animalia unam tantùm ob cauſam ſervarentur, videlicet ad propagationem ſpeciei, munda verò animalia & ad ſpeciei propagationem, & ad uſum humani cibi, & præterea ſacrificiorum, plura ex mundis in arcam recipi debuere. Quibus addi poteſt, myſticè etiam ſignificari, plures debere eſſe in Eccleſia Chriſti mundos, quàm immundos. Ut enim ſcribit Apoſt 1. Theſſal. 4.* Vocavit nos Deus non in immunditiam, ſed in ſanctificationem, *quod etiam cùm plures ſint immundi in Eccleſia, quàm mundi, nihilominus in arca, quæ Eccleſiam præmonſtrabat, eſſent plura animalia munda, ſcil. ſeptena & ſeptena, & pauciora immunda, ſcil. bina & bina, nec vacat myſterio. Ut enim ſcribit lib 12. contra Fauſtum c. 15.* Quod ſeptena ſint munda & bina immunda, non quia pauciores ſunt mali quàm boni, ſed quia boni ſervant unitatem ſpiritus in vinculo pacis: Sanctum autem ſpiritum divina ſcriptura in ſeptiformi oratione commendat; ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & timoris Dei; mali autem in binario numero ad ſchiſmata faciles, & quodammodo diviſibiles oſtenduntur.

γ Opinantur tam magnum fieri non poſſe diluvium, ut altiſſimos montes quindecim cubitis.] *Geneſ. 7. ita ſcribit Moſes,* aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram, opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo: quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper omnes montes, quos operuerat. *Nec tamen defuerunt qui dicerent, nonnullos montes, quorum ſcilicet altitudo excedit locum generationis imbrium, ſive mediam aëris regionem, cujuſmodi ferunt eſſe montem Olympum, non fuiſſe diluvio opertos. Hoc itaque argumento nitebantur; diluvium factum eſt potiſſimùm propter pluvias, non ergo potuit adeo increſcere & aſcendere ſupra locum, ubi pluviæ generantur, quem locum cùm vertex montis Olympi tranſcendat (quod & de aliis montibus exiſtimant, ut de Atho in Macedonia & de Atlante in Mauritania) cum certe montem non potuit operire tot cubitis diluvium. Hanc objectionem & refert & diſſolvit D. Auguſtinus.* Si enim terra, quæ eſt in vertice montis Olympi, extolli potuit ſupra locum, ubi generantur aquæ & unde cadunt, cur non et-

jam ſupra eum locum evehi potuit aqua diluvii, quæ ſuapte natura levior eſt quàm terra, & ſupra eam collocari debet? *quam eandem ſolutionem adfert quæſt. 10. in Geneſ.* Si enim terra invadere potuit ſpatium tranquilli illius aëris, ubi dicitur nec nubes videri, nec ventus ſentiri, cur non & aqua creſcendo? *Addo, veriſſimam eſſe ſcripturam ſacram, ea verò univerſali ſigno utitur dicens,* omnes montes, qui ſunt ſub univerſo cœlo, opertos eſſe aquis diluvii: *quis ergo contra expreſſa ſcripturæ verba excipiat aliquot montes? Generales enim ſcripturæ ſententias non licet reſtringere adhibitis exceptionibus, niſi eædem exceptiones ex eadem ſcriptura colligantur, vel niſi eas adhibere cogat aliqua evidens ratio & neceſſaria, quod hic non accidit, & quod de altitudine montis Olympi vel aliorum ſcribunt, fabuloſum eſt, neque vertex eorum pervenit ad mediam regionem aëris; & aquæ diluvii aut non pervenerunt ad mediam aëris regionem, aut certè ſi attigerunt mediam aëris regionem, id fuit quantum ad infimam, & terris proximam ejus partem; Superior verò illius regionis pars fuit ſupra diluvium. Ea enim tam amplè patet, ut ſuprema illius pars longiſſime à terris diſtet. Tertiam enim regionem aëris Mathematici volunt à terris quinquaginta milliaribus diſtare.*

δ Dicunt etiam, non potuiſſe capere arcæ illius quantitatem.] *Idem quæſt. 4. in Geneſ. de arca Noë,* quæri ſolet, utrum tanta capacitate, quanta deſcribitur, animalia omnia, quæ in eam ingreſſa dicuntur, & eſcas eorum ferre potuerit. Quam quæſtionem *(inquit)* cubito Geometrico ſolvit Origenes aſſerens, non fruſtra ſcripturam dixiſſe, quod Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum fuerit eruditus, qui Geometriam dilexerunt; Cubitum autem Geometricum dicit tantum valere, quantum noſtra cubita ſex valent. Si ergò tam magna cubita intelligamus, nulla quæſtio eſt, tantæ capacitatis arcam fuiſſe, ut poſſet illa omnia continere. *verba Origenis extant hom. 2. in c. 6. Geneſ.* Apelles *(inquit)* diſcipulus Marcionis, ſed alterius hæreſeos inventor adverſus ſtructuram arcæ diſputat; probare volens ſcripta Moſis nihil habere divinæ ſapientiæ, nec eſſe à Spiritu ſancto profecta. Diſputat autem, nullo modo fieri poſſe, ut tam breve ſpatium arcæ tot animalium genera, eorumque cibos, qui per totum annum ſufficerent, capere potuerit. Cùm enim bina & bina ex immundis animalibus, id eſt, bini maſculi & fœminæ binæ; ex mundis verò ſeptena & ſeptena in arcam dicantur inducta; quomodo fieri potuit, ut ſpatium illud arcæ deſcriptum a Moſe, vel quatuor tantum Elephantos capere potuiſſet? atque ita per ſingulas animantium ſpecies argumentatur, & tandem concludit Apelles. Conſtat ergò fictam eſſe fabulam, quod ſi eſt, conſtat à Deo non eſſe hanc ſcripturam. *Origenes igitur adverſus calumniantes parvitatem arcæ docere voluit, Moyſem in deſcribenda magnitudine arcæ non vulgaribus, ſed Geometricis cubitis uſum eſſe; quò fit ut longe major exſtiterit arca, quàm ea foret ſi vulgaribus & uſitatis cubitis ejus magnitudinem metiamur, cum uni cubito Geometrico ſex vulgaria reſpondeant; & huic ſententiæ Origenis videtur ſubſcribere D. Auguſtinus: Illam tamen interpretationem Origenis de cubitis Geometricis, quorum quilibet valeat ſex vulgaribus cubitis, in deſcribendo arcæ magnitudinem locutum eſſe Moyſem, ut nec rationi, nec divinæ ſcripturæ*

ptura conſentaneam improbat doctiſſimè Pererius lib. 10. comment. in Geneſ. q. 5. de arca. Primo, quia menſura iſta, quam deſcribit Origenes cubiti Geometrici, nec apud ipſos Geometras, nec in ulla diſciplina, nec apud aliquos artifices, nec denique apud ullas Gentes fuit unquam in uſu: non ergo veriſimile eſt de tali cubito locutum eſſe Moyſem: Secundo Moſes de his cubitis locutus eſt in deſcribenda arcæ magnitudine, de quibus aliàs loquitur, & quorum frequens in aliis ſacris literis fit mentio, alioquin certè magna eſſet æquivocatio in ſcriptura, nec ſatis conſtaret, quando cubitos vulgares vel Geometricos liceret interpretari, ergo hic de vulgaribus cubitis Moſes intelligendus eſt. Quod enim aliàs Moſes de cubitis loquens, vulgares intelligit, & non Geometricos Origenis, confirmari poteſt. Exod. c. 22. Deus præcipit fieri altare longum 5. cubitis, totidemq́; latum, altum verò 3. cubitis, quæ altitudo juxta rationem cubiti Geometrici Origenis contineret 10. & 8. cubitos vulgares. i. pedes 7. & 20. longitudo verò & latitudo ejus altaris fuiſſet 30. cubitorum vulgarium; verùm tanta ejus altaris vaſtitas nulli ad ſacrificia facienda uſui eſſe poterat, & ob ejus altitudinem non niſi ſcalis admotis ad aram ejus aſcendi potuiſſet, quod à ritu ſacrorum omnino abborrebat, imò id vetitum erat c. 20. Exod. non aſcendes per gradus ad altare meum: *quando etiam c. 3. Deuter. dicitur lectus Og Regis Baſam fuiſſe longitudine novem cubitorum, quo ſignificatur Gigantæa ejus Regis proceritas, certè non niſi de vulgaribus cubitis intelligi poteſt, & nullo modo de illis Geometricis. In deſcriptione igitur magnitudinis arcæ cubita vulgaria intelligenda ſunt, non illa Origenis Geometrica. Talis enim dimenſio & capacitas arcæ capiendis omnibus, quæ in eam illata ſunt, ſuffecit abundè. Hanc ſententiam amplectitur etiam Nicolaus de Lyra. Qui tamen velit ſequi cum D. Auguſtino ſententiam & interpretationem Origenis, facilè reſpondebit, in conſtructione quidem arcæ neceſſarium eſſe interpretari de cubitis Geometricis, ut intelligamus, eam recipiendis tot animalibus ſuffeciſſe, in aliis locis verò de cubitis vulgaribus, quia alioquin abſurda, quæ objecimus, ſequerentur, ſi ea loca ſcripturæ de cubitis Geometricis intelligeremus. De magnitudine arcæ diſputat idem Origenes lib. 4. contra Celſum.*

e Nec attendunt centum annos, quibus arca illa eſt fabricata.] *Beroſus Annianus ſcribit, 78. annos in fabricanda arca eſſe conſumptos, nempe fabricari cœptam anno 78. ante diluvium. Verùm 100. annis fabricatam eſſe arcam non modo eſt D. Auguſt. ſententia hoc loco, & lib. 12. contra Fauſtum c. 18. & q. 5. in Geneſ. verùm etiam Origenis lib. 4. cont. Celſum, Gregorii hom. 15. in Ezech. Ruperti lib. 4. comment. in Gen. c. 20. Nam Moſes, cùm dixiſſet extremo c. 5. Noë 500. fuiſſe annorum, proximè ſubjungit, mandatum Dei Noë datum de fabricanda arca, erat ergò Noë 500. annorum, cùm juſſus eſt à Deo fabricare arcam. Nec enim veroſimile eſt, conſtructionem arcæ poſt præceptum à Deo datum in longum tempus differre voluiſſe: diluvium porrò accidit anno 600. vitæ Noë, ſtatim ſcil. ut finita eſt arcæ conſtructio, ea ergo duravit ab anno 500. vitæ Noë ad 600. Occurrit tamen objectio. Nam quando Deus cap. 6. extremis verbis mandavit Noë, ut fabricaret arcam, uſus eſt his verbis;* Ingredieris arcam tu, & filii tui, & uxores filiorum tuorum, *quibus verbis ſignificatur, quo tempore Noë præcepit Deus, ut conſtrueret arcam, jam Noë filios ha-*

habuiſſe uxores; verùm id non potuit eſſe centum annis ante diluvium, ſcil. anno 500. vitæ Noe. Nam ſcriptura c. 11. Gen. refert. Sem filium Noe finito diluvio fuiſſe centum annorum, ergò centum annis ante diluvium, id eſt, 500. anno vitæ Noe natus eſt. Quomodo igitur tum temporis uxorem habere potuiſſet? Huic objectioni reſpondet egregiè Perer. lib. 10. Commentar. in Geneſ. diſput. 6. Primo non omnia, quæ narrat Moyſes hoc capite, Deum Noe uno eodemq; tempore eſſe locutum, ſed alia prius, alia poſterius, licet ea omnia Moyſes continenti ſerie & contextu narrationis conjungat: Itaque mandatum illud exſtruendæ arcæ datum ei fuiſſe centum annis ante diluvium; illud autem de ingreſſu filiorum Noe, eorumq; uxorum in arcam, mandatum eſſe conſtructione arcæ vel planè finita, vel prope abſoluta. Secundo etiam reſponderi poteſt, omnia hæc Deum eodem tempore locutum eſſe. ſed illud de filiis Noe, & uxoribus eorum ingreſſuris in arcam Deum dixiſſe non tanquam jam præſens, ſed ut futurum multo ante denunciaſſe; ea tamen ſententia de centum annis conſumptis in conſtructione arcæ non colligitur certo & manifeſte ex Scriptura.

ζ Epiros.] *Fortaſſe legendum* epiuros *à voce Græca* ἐπίουρος, *quæ clavum ligneum ſignificat.*

η Magiſque divina providentia, quàm humana prudentia natantem gubernet.] *Ita D. Chryſoſt. hom. 21. in Gen.* An non *(inquit)* arcam hinc & illinc moveri & non ſubmergi à tanta aquarum vi, cùm nullus eſſet gubernator, ſupernæ erat gratiæ? Non enim dicere potes, quòd fuerit ad modum navis, ut arte quadam illius iter dirigi potuerit. Arca erat undiquaque clauſa & munita, & propter præceptum conditoris non ſolum eam lædere non potuit aquarum impetus, ſed ſublimior illis facta inhabitantes ad modum ſecuros fecerit. Quando enim Deus operatur aliquid, noli humana ratione exquirere quæ fiunt: tranſcendunt enim mentem noſtram, & non poteſt humana cogitatio aſtringere & comprehendere eorum, quæ à Deo condita ſunt, rationem. Et in hoc quidem figura eſt Eccleſiæ, quæ quod inter tot perſecutiones & ſæviſſimas mundi tempeſtates durat, & triumphum agit, certiſſimum argumentum eſt, divinâ magis quàm humana regi providentia, & divino præcepto, non humano conſilio in terris ædificatam. *D. Hieronymus adverſus Luciferianos.* Periclitata eſt arca in diluvio; periclitatur eccleſia in mundo.

θ Ut neceſſe non fuerit, conſervari in arca, quæ poſſunt in aquis vivere.] *Ut colligitur ex hoc loco, tria genera animalium non ſunt in arcam ingreſſa, primum piſces & omnia quæ vivunt in aquis: iſtis enim diluvium nihil damni attulit, quibus annumerare licet quæ ſunt ambiguæ vitæ, & dicuntur* ἀμφίβια, *licet enim ſæpe extra aquas in terris verſentur, poſſunt tamen in aquis degere. Alterum eſt eorum genus, quæ generantur ex congreſſu animalium diverſæ ſpeciei, ut mulus & mula ex equo & aſina. Satis enim fuit, ſervatos eſſe in aqua parentes eorum, ex quorum commixtione poſt diluvium poterat reparari eorum genus. Tertio loco ea quæ procreantur ex putri materia: cum enim nullo tempore poſt diluvium defutura eſſet putris materia, & vis cæleſtis, unde eorum generatio exiſtit, non fuit in arca neceſſaria eorum conſervatio. Et quidem tria prædicta genera animalium excluſa fuiſſe ab arca, ipſa ſcriptura*

ra non obſcurè docet. Ac de aquatilibus quidem nemini dubium eſſe debet, cum Deus ſola terreſtria & volatilia in arcam introduci juſſerit, nullâ piſcium ſeu aquatilium facta mentione: de cæteris duobus generibus etiam manifeſtum eſt, eò quod in omni genere animalium, quæ Deus in arcam juſſit recipi, diſtinctionem utriusque ſexus, id eſt maris & fœminæ eſſe voluit, ut nimirum tali commixtione ſexus generando ſibi ſimilia ſpeciem ſuam ſervare ac propagare poſſint. Quæcunque ergo aut non habent diſtinctionem ſexus, aut non generantur ex commixtione utriusque ſexus, aut ipſa per commixtionem maris & fœminæ aliquid aliud non generant, ea certè in arca non fuêre. Mulus & mula ex commixtione maris & fœminæ generantur, & habent in ſe diſtinctionem utriusque ſexus, ipſa tamen per hujusmodi commixtionem nihil generant, & ut loquitur Auguſt. Sic habent ſexum, ut non habeant fœtum.

t Non enim ea Noë capta intromittebat, ſed venientia & intrantia.] *Conſtat, voluntate ac poteſtate Dei & miniſterio Angelorum omnia animalia undique congregata deducta eſſe in arcam; quod ſignificari dicit D. Auguſt. his verbis;* Intrabunt ad te, non ſcil. hominis actu, ſed Dei nutu. *i.* ultrò venient, non tua cura aut labore quæſita & congregata. *Cajetan. ad illa verba Geneſ. 6.* Duo ex omnibus venient ad te. Solvitur *(inquit)* hinc quæſtio, quomodo Noë congregavit bina ex omnibus animantibus. Clarè enim Deus abſolvit eum ab hac cura dicendo; venient ad te; divino ſiquidem nutu miniſterio Angelorum venerant ex omnibus animalibus mas & fœmina ad Noë; Ipſius autem Noë cura & opera fuit efficere, ut quæ venerant animantia, ingrederentur in arcam, & invenirent nidos ſive manſiones in ea, & ibi paſcerentur ab ipſo. *Ab hoc miraculo veniendi diſce reliqua conſequentia circa pacem animalium apud Noe; ejusdem enim rationis ſunt.*

u Solet etiam movere nonnullos.] *De carnivoris animalibus, quæ fuerunt in arca, quo cibo tempore diluvii uſa fuerint, non eſt omnino extra controverſiam. Nec enim alio cibo quàm carnibus aliorum animalium veſci & ali potuiſſe videntur, nec alia tamen animalia præter numerum à Deo præſcriptum in arcam introducta fuiſſe videntur. Hanc difficultatem etiam proponit & breviter ſolvit q. 6. in Geneſ.* Quæritur, *inquit,* quomodo in arca Leones & Aquilæ, quæ conſueverunt carnibus vivere, paſci potuerunt, utrum & alia animalia præter illum numerum propter aliorum eſcam fuerint intromiſſa, an aliqua præter carnes (quod magis credendum eſt) à Noe viro ſapiente, vel Deo demonſtrante proviſa ſunt, quæ talium animantium eſcis convenirent. *Propoſitæ quæſtionis hoc loco tangit quatuor ſolutiones, ut obſervavit etiam Pererius lib. 11. in comment. in Gen. q. 13. Prima eſt, etiam animalia, quæ dicuntur carnivora, aliquando veſci frugibus, maximè ficis & caſtaneis. Altera, Noe per ſcientiam rerum naturalium, quam apprime callebat, vel per ſingularem Dei revelationem noviſſe aliqua genera eſcarum, nobis minime nota, quibus etiam carnivora animalia libentius veſcerentur, & ſalubriter nutrirentur. Tertia, licet carnivora libentius veſcantur carnibus, ſed hæ tamen cùm deficiunt, etiam frugibus ac fructibus fame cogente veſci ſolere. Quarta, Dei omnipotentia factum eſſe, ut carnivora ſine eſu carnium & victu aliarum rerum, quoad in arca fuerunt,*

runt, vitam ſuſtentare potuerint; & id quidem miraculi loco habendum, non ſecus ac conventus omnium animalium ad eſcam, ac placida eorum in arca commoratio, ac erga Noe obſequium. Eſtq; ea D. Auguſt. ſententia fere communis, ſcil. non uſa eſſe animalia carnivora ad vitæ ſuſtentationem & alimentum carnibus aliorum animalium, nec enim ex communi ſententia & magis recepta ante diluvium erant carnivora, & qui tamen arbitrantur, animalia ante diluvium, & in mundi exordio fuiſſe carnivora, nihilominus ea negant quoad in arca fuère, ediſſe carnes, ſed vel cogente fame vel ſpeciali Dei providentia cibatu aliarum eſcarum eſſe uſa. Nam Cajetanus aſſerit, carnivora animalia etiam ante diluvium ſolita eſſe carnibus veſci, ſecutus ſententiam D. Thomæ 1. p. q. 96. art. 1. nihilominus in 6. c. Gen. ad ea verba Moſis, Tolles ex omnibus eſcis, quæ mandi poterunt, vel neceſſitatis, *inquit,* tempus, vel ſpecialis tunc divinæ gubernationis efficacia effecit, ut etiam animalia carnivora veſcerentur vegetabilibus. *Contrarium aſſerit Orig. hom. 2. ad c. 6. Geneſ. ſcribens, animalibus carnivoris Noe comparaſſe cibum convenientem, id eſt, carnes aliorum animalium, introducendo in arcam magnum numerum animalium pertinentium ad cibatum & victum carnivororum. Joan Buteo li. de arca Noe idem aſſeruit. Argumentum pro hac ſententia eſſe poteſt, quòd naturale ſit quibusdam animalibus carnibus veſci. Siquidem Ariſtot. l. 1. πολιτικῶν diſtinguit tria genera animalium, quod nonnullis ſit naturale, veſci tantum herbis, ut ſunt pecudes; aliis verò veſci tantum carnibus ut Leonibus; quibusdam indifferenter & utriſque ut homini. Probabilior eſt tamen D. Auguſt. ſententia, quam etiam docuit D. Baſil. hom. 11. in Gen. ſcil. nullum fuiſſe in arca Noe animal carnivorum. Primo, quia nullum ante diluvium fuit animal carnivorum, ut D. Hieronym. ſcribit li. 1. contra Jovinian. Hoc Beda quoque aſſeruit in Hexam. & confirmari poteſt ex Geneſ. 1. ubi Deus dicit,* Se dediſſe herbas & arbores in eſcam cunctis animantibus, *nullum genus animantium excipiens, & nullam de eſu carnium faciens mentionem. Ergo etiam in arca tum non fuère animalia carnivora. Secundo, quia numerum animalium omnium, quæ ingreſſa ſunt in arcam, habemus expreſſè à Deo præſcriptum, bina ex qualibet ſpecie immundorum, ſeptena verò mundorum ſcil. tum ad conſervationem cujusque ſpeciei, tum ad uſum ſacrificiorum, de animalibus verò ad alimentum carnivororum pertinentibus nusquam mentio facta eſt. Ad argumentum verò oppoſitum reſpondери poteſt,* naturale *dupliciter accipi, uno modo quod conſequitur ipſam naturam ſpecificam, & fluit ex principiis ipſius ſpeciei, quomodo naturale eſt homini eſſe viſibilem, & hoc nullo tempore eſt mutabile non magis quam ipſa ſubſtantia: alio modo naturale dicitur, quod conſequitur ipſam naturam individuam, & ipſum corporis temperamentum: Et quia temperamentum hominis & aliorum animalium variatur, hinc fit, ut quod una ætate naturale eſt homini, id ſecundum aliam ætatem non ſit ei naturale, verbi gratia, naturale eſt homini in infantia non veſci carnibus, ſed materno lacte uti, cui tamen adulta jam ætate, variato ſcil. temperamento, naturale ſit veſci carnibus, præter naturam autem ſolo lacte nutriri. Cùm igitur & vis plantarum & ratio temperamenti animalium longe diſſimilis fuerit ante & poſt diluvium, nulli mirum videbitur, animalia, quæ nunc ſunt carnivora, ejusmodi ante diluvium non fuiſſe, ſed ex herbis & fructibus arborum eis naturalem fuiſſe cibum.*

DIVI

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI *AD MARCELLINUM* DE CIVITATE DEI

LIBER XVI.

CAP. I.

An poſt diluvium à Noë uſque ad Abraham aliquæ familiæ ſecundùm Deum viventium reperiantur.

POſt diluvium procurrentis ſanctæ veſtigia civitatis, utrum continuata ſint, an intercurrentibus impietatis interrupta temporibus, ita ut nullus hominum veri unius Dei cultor exiſteret, ad liquidum ſcripturis loquentibus invenire difficile eſt: propterea quia in canonicis libris poſt Noë, qui cum conjuge ac tribus filiis totidemque nuribus ſuis meruit per arcam à vaſtatione diluvii liberari, non invenimus uſque ad Abraham cujusquam pietatem evidenti divino eloquio prædicatam, niſi quòd Noë duos filios ſuos Sem & Japhet prophetica benedictione commendat, intuens & prævidens, quod longè poſt fuerat futurum. Unde factum eſt etiam illud, ut filium ſuum medium, hoc eſt, primogenito minorem, ultimoque majorem, qui peccaverat in patrem, *a* non in ipſo, ſed in filio ejus ſuo nepote malediceret his verbis: *Maledictus Chanaan puer, famulus erit fratribus ſuis.* Chanaan porrò natus fuerat ex Cham, qui patris dormientis nec texerat, ſed potius prodiderat nuditatem. Unde & *a* conſecutus † adjungit β benedictionem duorum maximi & minimi filiorum, dicens: *Benedictus Dominus Deus Sem, & erit Chanaan puer illius: γ lætificet Deus Japhet, b δ & habitet in domibus Sem:* ſicut ipſa ejusdem Noë & vineæ plantatio, & ejus fructu inebriatio, & dormientis nudatio, & quæ ibi cætera facta atque conſcripta ſunt, propheticis ſunt gravidata ſenſibus, & velata tegminibus. *al. unde etiam, quod ſecutus.*

a ET conſecutus.] *Alii, quod ſecutus: & alii, etiam quod ſecutus. meliùs. Illuc enim refertur, propheticis ſunt gravidata ſenſibus.* L. Vives.

b Et habitet in domibus Sem.] *De nobis Chriſtianis intelligi vult Hieronymus, qui expulſis Judæis habitamus in eruditione & ſcientia ſcripturarum.*

a NOn in ipſo, ſed in filio ejus ſuo nepote malediceret.] *Quare verò cùm Cham deliquiſſet, filius ejus Chanaam maledictionem ſuſcepit? D. Ambroſ. lib. de Noe & arca c. 32. tres rationes adfert, unam,* quò acerbior eſſet dolor Cham intelligentis, propter ſuum ſcelus etiam filium, quem unicè diligeret; ut natu minorem, ſibique ingenio & moribus ſimillimum, adeoque etiam ejus poſteros turpisſimæ ſervitutis pœnâ punitum iri; *Alteram,* quod Chanaam tum propriis flagitiis, fuit enim ſceleratisſimus, tum paternæ impietatis imitatione, tali maledictione dignus fuerit: *Tertiam,* quò apertiùs declararetur gravitas peccati Cham, cujus F. L. Cogq.

ſcili-

ſcil. pœna non tantùm in ipſo finita fuerit, ſed & ad poſteros extenſa. *His addi poteſt, vidiſſe Noë ſpiritu prophetico, poſteros Cham ex ejus filio Chanaam generandos, gentem ſcil. Chananæorum fore ſceleſtiſſimam, ideoq; Deo exoſam. Nam in ſcriptura ſacra, ubi videntur ſancti uti vel maledictionibus, vel imprecationibus, non tamen ita interpretandæ ſunt maledictiones, quin potius prædictiones & vaticinia futurorum juxta Dei juſtiſſimam ordinationem. Ita Theodoret. quæſt. 58. in Geneſ.* καὶ τοῦτο δεῖ εἰδέναι ὡς πρόῤῥησις ἐστὶν οὐκ ἀρὰ τοῦ δικαίου τὰ ῥήματα, ἐπειδὴ γὰρ ἤμελλεν ὁ Ἰσραὴλ ἐκ τοῦ Σὴμ κατάγων τὸ γένος, τῆς παλαιστίνης παραλαμβάνειν τὴν δεσποτείαν, ταύτην δὲ πάλαι ᾤκουν οἱ ἐκ τοῦ Χάναάμ βεβλαστηκότες, εἰς ἀρὰν σχηματίζει τὴν πρόῤῥησιν προαγορεύων μὲν τὰ ἐσόμενα, δεδιττόμενος δὲ τοὺς ὕστερον ἐσομένους μὴ πλημμελεῖν εἰς γονέας, καὶ τοῦτο σαφῶς ἡμᾶς ἡ τοῦ Σὴμ εὐλογία διδάσκει. εὐλογητὸς γὰρ φησι κύριος ὁ θεὸς τοῦ Σὴμ καὶ ἔσται Χαναὰμ παῖς αὐτοῦ. *Ibidem verò dicit, Noë non in ipſum Cham, ſed in Chanaam filium ejus maledictionem protuliſſe, quia poſt ſedatum diluvium omnes pariter benedictionis divinæ participes facti ſunt :* Temerarium igitur exiſtimavit Noë, maledictionem illi inferre, qui benedictionem divinam conſecutus erat, itaque ejus filio maledictionem intulit, quod erat ſupplicium juſtum. Quia enim cùm filius eſſet, in patrem deliquit, ob id per maledictionem filii pœnas luit. *Præterea conſiderandum, quod ſi ipſe Cham maledictionem ſuſcepiſſet, in totum genus maledictio ea pervagata fuiſſet : at præſertim Chananæos gentem impiam futuram, & à Deo maledicendam ac exterminandam prævidebat. D. Auguſt. q. 7. in Geneſ.* quæritur quare peccans Cham in patris offenſa non in ſeipſo, ſed in filio ſuo Chanaam maledicitur ; niſi quia prophetatum eſt, terram Chanaam ejectis Chananæis inde & debellatis, accepturos fuiſſe filios Iſrael, qui venirent de ſemine Sem. *Anaſtaſius Sinayta li. 11. Anagog. contemplatio. in Hexam.* non invenies *(inquit)* in tota ſcriptura legis aliqua ex ore Dei fuiſſe benedicta, & rurſus à Deo fuiſſe execrationi obnoxia : & hoc perſpicuum eſt ex Cham filio Noe. Nam is cùm ſe iniquè geſſiſſet in nudatione patris, & poſtquam è ſomno citatus Noe agnoviſſet filii Cham iniquitatem, non auſus eſt Noe execrari filium, quoniam fuit à Deo benedictus poſt diluvium cum duobus ejus fratribus. Quamobrem non dicit Noe, maledictus Cham, ſed maledictus Chanaam, execraturus eos, qui ex ipſo erant naſcituri, & non Cham.

β Benedictionem duorum maximi & minimi filiorum.] *Joſephus lib. 1. antiq. cap. 7. & ferè Hebræorum Talmudici exiſtimant, Sem fuiſſe tertium filium Noe, Japhet verò fuiſſe natu maximum. In hanc ſententiam propendet Genebrardus, eandem ſequuntur Toſtatus, Lyranus, Iſidorus in Chronico, Matthæus Beroaldus lib. 5. Chronic. c. 2. Contrariam ſententiam aſſerit hic D. Auguſt. quæ magis conſentanea eſt ſcripturæ, quæ in ordine filiorum Noe primo loco Sem ipſum nominat. De hoc fuſius diſputat Pererius lib. 15. Comment. in Geneſ. diſput. 10.*

γ Lætificet Deus Japhet.] *Ita etiam legit lib. 12. contra Fauſtum. LXX. legunt* πλατύναι ὁ θεὸς τῷ Ἰαφεθ. dilatet Deus Japhet. *Alluditur ad nomen Japheth, quod latitudinem ſignificat ; dupliciter vero intelligi poteſt dilatatio Japhet, & quantum ad prolem : quod numeroſiſſimam Noë prævideret futuram ejus poſteritatem,*

tem, & quantum ad loca, hoc eſt varias orbis regiones, quas ejus poſteri occupaturi erant D. Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum c. 24. allegoricè exponit de latitudine futuræ Eccleſiæ in Gentibus. In populo enim Gentium totum orbem terrarum occupavit Eccleſia, hoc prorſus, hoc prænuntiabatur, cùm diceretur, lætificet Deus Japhet.

δ Et habitet in domibus Sem.] *Ita legit etiam loco citato, & D. Ambroſ. lib. de arca & Noë c. 32. Ita 70.* καὶ κατοικησάτω ἐν τοῖς οἴκοις τοῦ Σήμ. *In aliis libris Græcis, & apud Chryſoſt. & Theodoret. eſt* ἐν τοῖς σκηνώμασιν. *id eſt*, in tabernaculis, *ut eſt etiam apud D. Hieron. in quæſt. Hebraic. in Geneſ. ubi hæc etiam allegoricè ita exponit.* De Sem Hebræi, de Japhet populus gentium naſcitur. Quia igitur lata eſt multitudo credentium, à latitudine, quæ Japhet dicitur, latitudo nomen accepit. Quod autem ait, & habitet in tabernaculis Sem, de nobis prophetatur, qui in eruditione & ſcientia ſcripturarum, ejecto Iſrael, verſamur. *D. Auguſt. loco citato:* Videte, ſi Japhet non habitet in domibus Sem, *id eſt*, in Eccleſiis, quas filii Prophetarum Apoſtoli conſtruxerunt. *Rupertus lib. 4. comment. in Geneſ. cap. 29. exponit, quæ ſint myſticè tabernacula Sem, in quibus habitet Japhet.*

Cap. II.

Quid in filiis Noë propheticè fuerit præfiguratum.

Sed nunc rerum effectu jam in poſteris conſecuto, quæ operta fuerant, ſatis aperta ſunt. Quis enim hæc diligenter & intelligenter advertens, non agnoſcat in Chriſto? Sem, quippe de cujus ſemine in carne natus eſt Chriſtus, interpretatur nominatus. Quid autem nominatius Chriſto, cujus nomen ubique jam fragrat, ita ut in Cantico canticorum, etiam ipſa præcinente prophetia, unguento comparetur effuſo, in cujus domibus, id eſt, eccleſiis habitat gentium latitudo? Nam Japhet latitudo interpretatur. Cham porrò, qui interpretatur calidus, α medius Noe filius tanquam ſe ab utroque diſcernens, & inter utrumque remanens, nec in primitiis Iſraelitarum, nec in plenitudine gentium, quid ſignificat, niſi β hæreticorum genus calidum, non niſi ſpiritu ſapientiæ? *a* ſed ſpiritu verſipellis aſtutiæ: quo ſolent hæreticorum fervere præcordia, & pacem perturbare ſanctorum? γ Sed hæc in uſum cedunt proficientium juxta illud Apoſtoli: *Oportet hæreſes eſſe, ut probari manifeſti fiant in vobis.* Unde etiam ſcriptum eſt, Filius eruditus ſapiens erit: imprudente autem miniſtro utetur. 1. Cor 11. ε Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum calida inquietudine agitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur: & ab adverſario mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio. Quamvis non ſolùm, qui ſunt apertiſſimè ſeparati, verùm etiam omnes, qui Chriſtiano vocabulo gloriantur, & perditè vivunt, non abſurdè poſſunt videri medio Noe filio figurari: paſſionem quippe Chriſti, quæ illius hominis nuditate ſignificata eſt, & annunciant profitendo, & malè agendo exhonorant. De talibus ergo dictum eſt: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Matt. 7. Ideò Cham in filio ſuo maledictus eſt tamquam in fructu ſuo, id eſt, in opere ſuo. Unde convenienter & ipſe filius ejus ζ Chanaan interpretatur

motus eorum, quod aliud quid eſt quàm opus eorum? *η* Sem verò & Japhet tanquam circumciſio & præputium, vel ſicut alio modo eos appellat Apoſtolus, Judæi & Græci, ſed vocati & juſtificati, cognita quoquo modo nuditate patris, qua ſignificabatur paſſio Redemptoris, ſumentes veſtimentum, poſuerunt ſupra dorſa ſua, & intraverunt averſi, & operuerunt nuditatem patris ſui, nec viderunt, quod reverendo texerunt. Quodam enim modo in paſſione Chriſti, & quod pro nobis factum eſt, honoramus, & Judæorum facinus averſamur. Veſtimentum ſignificat ſacramentum, dorſa memoriam præteritorum, quia paſſionem Chriſti eo ſcilicet jam tempore, quo habitat Japhet in domibus Sem, & malus frater in medio eorum, tranſactam celebrat Eccleſia, non adhuc proſpectat futuram. Sed malus frater in filio ſuo, hoc eſt, in opere ſuo, *b* puer, id eſt, ſervus eſt fratrum bonorum, quum ad exercitationem patientiæ, vel ad profectum ſapienter ſcientiæ utuntur malis boni. Sunt enim, teſte Apoſtolo, qui Chri-

Phil. 1. ſtum annunciant non caſtè. *Sed ſive occaſione, inquit, ſive veritate Chriſtus annuncietur, in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Ipſe quippè plantavit vineam, de qua

Eſ. 5. dicit Propheta: *Vinea Domini Sabaoth domus Iſrael eſt, & bibit de vino ejus.* Sive

Matth. 20. ille calix hic intelligatur, de quo dicit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? &, Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte:* quo ſuam ſine dubio ſi-

Matth. 26. gnificat paſſionem. Sive quia vinum fructus eſt vineæ, hoc potiùs illo ſignificatum eſt, quod ex ipſa vinea, hoc eſt, ex genere Iſraelitarum carnem pro nobis & ſanguinem, ut pati poſſet, aſſumpſit & inebriatus eſt, id eſt, paſſus eſt & nudatus. Ibi namque nudata eſt, id eſt, apparuit ejus infirmitas, de qua dicit Apoſtolus: *Et ſi crucifixus eſt ex infirmitate.* Unde idem dicit: *Infirmum Dei fortius eſt hominibus, & ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus.* Quod verò cùm dictum eſſet, *& nudatus eſt*, addidit ſcriptura, *in domo ſua:* eleganter oſtendit, quod à ſuæ carnis gente & domeſticis ſanguinis ſui, utique à Judæis, fuerat crucem mortemque paſſurus. Hanc paſſionem Chriſti foris in ſono tantùm vocis reprobi annunciant. Non enim quod annunciant, intelligunt. Probi autem in interiore homine habent tam grande myſterium, atque honorant intus in corde infirmum & ſtultum Dei, quia fortius eſt & ſapientius hominibus. Hujus rei figura eſt, quòd Cham exiens hoc nunciavit foris: Sem verò & Japhet, ut hoc velarent, id eſt, honorarent, ingreſſi ſunt, hoc eſt, interius id egerunt. Hæc ſcripturæ ſecreta divinæ indagamus, ut poſſumus, alius alio magis minúsve congruenter, veruntamen fideliter, certum tenentes, non ea ſine aliqua præguratione futurorum geſta atque conſcripta, *θ* neque niſi ad Chriſtum & ejus Eccleſiam, quæ civitas Dei eſt, eſſe referenda, cujus ab initio generis humani non defuit prædicatio, quam per omnia videmus impleri. Benedictis igitur duobus filiis Noe, atque uno in medio eorum maledicto, deinceps uſque ad Abraham de juſtorum aliquorum, qui piè Deum colerent, commemoratione ſilitum eſt *ι* per annos amplius quàm mille. Nec eos defuiſſe crediderim, ſed ſi omnes commemorarentur, nimis longum fieret: & hæc eſſet magis hiſtorica diligentia, quàm prophetica providentia. Illa itaque exequitur literarum ſacrarum ſcriptor iſtarum: vel potius per

eum

eum Dei ſpiritus, quibus non ſolùm narrentur præterita, verùm etiam prænuncientur futura, quæ tamen pertinent ad civitatem Dei: quia & de hominibus, qui non ſunt cives ejus, quicquid hic dicitur, ad hoc dicitur, ut illa ex comparatione contraria vel proficiat, vel emineat. κ Non ſanè omnia, quæ geſta narrantur, aliquid etiam ſignificare putanda ſunt: ſed propter illa, quæ aliquid ſignificant, etiam ea, quæ nihil ſignificant, attexuntur. Solo enim vomere terra proſcinditur: ſed ut hoc fieri poſſit, etiam *c* cætera aratri membra ſunt neceſſaria. Et ſoli nervi in citharis atque hujusmodi vaſis muſicis aptantur ad cantum, ſed ut aptari poſſint, inſunt & cætera in *d* compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus, ſed ea, quæ percuſſa reſonant, his connectuntur. Ita in prophetica hiſtoria dicuntur & aliqua, quæ nihil ſignificant, ſed quibus adhæreant, quæ ſignificant, & quodammodo religentur.

a SEd ſpiritu verſipellis aſtutiæ.] *Alibi legitur, non ſpiritu patientia, ſed impatientia, quo ſolent hæreticorum fervere primordia: etſi præcordia congruentius legitur.* L. Vivis.

b Puer, id eſt, ſervus eſt fratrum bonorum.] *Puer pro ſervo Latinè ponitur, ſicut Græcè* παῖς, *quod eſt item ambiguum: quo vocabulo uſi ſunt LXX.* ἐπικατάρατος Χαναὰν παῖς οἰκέτης ἔσαι τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ. *Execrabilis Chanaan, ſervus domeſticus erit fratribus ſuis. Nugatur Chryſippus, quum diſcrimen fecit inter* οἰκέτην καὶ δοῦλον, ὅτι οἰκέτης μὲν ὁ ἔτι ὑπὸ κτῆσιν, δοῦλος δὲ ὁ ἀπελεύθερος. *Ammonius aliter, ſed nihil ad rem. Certè* οἰκέτης *ſervus eſt, in re familiari miniſtrans* ὑπουργός.

c Etiam cætera aratri membra.] *Dentalia, temo, buris, manipula, ſtiva.*

d Compaginibus organorum.] *Omnia inſtrumenta muſica ſignificat, quorum partes percenſere longum eſſet & ſupervacaneum.*

α MEdius Noe filius tanquam ſe ab utroque diſcernens.] *Vult, Cham geſſiſſe figuram hæreticorum, qui nec in primitiis Iſraëlitarum, qui ſignificati fuére per Sem, nec in plenitudine gentium, quos nobis refert Japhet. lib. 12. contra Fauſtum, cap. 23. vult, Judæos & Gentes vocatos ad gratiam Evangelii, & quibus Chriſtus crucifixus Dei virtus eſt, & Dei ſapientia, ſignificatos fuiſſe per Sem & Japhet, Cham verò medium populum Judæorum reprobum adumbraſſe.* Qui ideò medius, quia nec primatum Apoſtolorum tenuit, nec ultimus in Gentibus credidit. *Eadem Iſidorus lib. comment. in Geneſ. cap. 8.* F. L. Leg.

β Hæreticorum genus callidum non ſpiritu ſapientiæ, ſed ſpiritu verſipellis aſtutiæ.] *In Pſal. 80. confert hæreticos cum vulpibus Samſonis,* Quarum caudæ colligatæ erant ad invicem; ipſi enim de vanitate in unum colligantur, quamvis opinionum varietate diſcordent; ſimili tamen vanitate colligantur, & vanitas retro poſterior eſt. *Poſt* vulpes *(inquit)* inſidioſos maximeque hæreticos ſignificant doloſos, fraudulentos, cavernoſis anfractibus latentes & decipientes, odore etiam tetro putentes, *ita hîc paucis expreſſit hæreticorum ingenium. Rupert. li. 4. comment. in Geneſ.* Quicumque hæreticus ſub Chriſtiano nomine propter hujusmodi infirmitates Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam, verum Deum, de Deo vero non negat ante ſæcula natum, is eſt Cham, quod interpretatur calidus.

dus. *i.* impatiens, ſemperque calens ad rixam, atque contentioſus; qui & infirmitatem patris nuntiat foris, juxta quod Joannes de hujusmodi, ex nobis (ait) exierunt, ſed non erant ex nobis.

γ Sed hæc in uſum cedunt proficientium.] Illis rectè ſervus ſervorum eſt Chanaam (*ait Rupertus lib. 4. comment. in Geneſ. c. 38.) id eſt*, Omnis hæreticus, quia videlicet dum blaſphemat & contendit, imò etiam corporaliter perſequitur, quod maximè furor fecit Arrianus, illorum gloriæ ſervit, & perficiendis coronis famulatur.

δ Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia.] *Hic conſtat, hæreſes non niſi propter aliquod bonum à Deo permitti, quod paſſim docet lib. 1. de Geneſ. contra Manich. c. 1.* Ideo divina providentia multos diverſi erroris hæreticos eſſe permittit, ut cùm inſultant nobis, & interrogant nos ea, quæ neſcimus, vel ſic excutiamus pigritiam, & divinas ſcripturas noſſe cupiamus. *Epiſt. 105. ſub fin.* Hæreticorum quippe inquietudine, ut ſcripturas vigilantius perſcrutemur, unde ne ovili Chriſti noceant, eis poſſit occurri, tanquam de ſomno ignaviæ noſtræ excitatur induſtria: ita per multiplicem gratiam Salvatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus convertit in adjutorium, *lib 7. confeſſ. c. 19.* Improbatio quippe hæreticorum facit eminere, quid Eccleſia tua ſentiat, & quid habeat ſana doctrina; *lib. de vera relig. c. 6.* Eccleſia Catholica per totum orbem validè lateque diffuſa omnibus errantibus utitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem, cùm evigilare voluerint. Utitur enim gentibus ad materiem operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ. *& ca. 8. hæreticos prodeſſe Eccleſiæ dicit* non verum docendo, quod neſciunt, ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpiritales Catholicos excitando. Utamur (*inquit*) hæreticis, non ut eorum approbemus errores, ſed ut Catholicam diſciplinam adverſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem revocare non poſſumus. *Eadem ſcribit & in pſalmum 54. ſub finem, & in pſalm. 67. ad verſum illum,* congregatio taurorum. *& lib. de bono perſever. cap. 20.* didicimus, ſingulas quasque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentius defenderetur ſcriptura divina, quam ſi nulla talis neceſſitas cogeret.

ε Paſſionem Chriſti, quæ illius hominis nuditate ſignificata eſt.] *Ita lib. 12. cont. Fauſt. c. 32.* quod de vinea, quam plantavit, inebriatus Noe nudatus eſt in domo ſua, cui non appareat Chriſtus paſſus in gente ſua? *D. Hieron. contra Luciferianos.* Egreſſus ex arca Noe vineam plantavit, & bibens de ea inebriatus eſt: natus quoque in carne Chriſtus Eccleſiam plantavit, & paſſus eſt: nudatum patrem irriſit major filius, & minor texit, & Deum crucifixum illuſerunt Judæi, & honoraverunt Gentiles. *Rupert. lib. 4. comment. c. 38.* Noe de vinea, quam plantavit ipſe inebriatus, & in tabernaculo ſuo nudatus, ipſe eſt Chriſtus à populo, cui legem dedit, morte affectus, & in eadem gente ſua deſpectui habitus. Nam vinea illa plantata à Chriſto, quæ plantatorem poſtea amaro mortis poculo potavit,

tavit, & conſummata amaritudine inebriavit, ita ut obdormiret ſomno mortis, domus Iſrael eſt. Pſalm. 79. vineam de Ægypto tranſtuliſti.

ζ Chanaam interpretatur motus eorum.] *D. Hieron. in cap. 25. Iſaiæ, principes Chanaam interpretatur fluctuantes atque commotos, & in cap. 16. Ezech. Chanaam interpretatur fluctuationem.*

η Sem verò & Japhet tanquam circumciſio & præputium.] *Referunt enim electos ex utroque populo ſeu vocatos Judæos ac Gentiles, qui nuditatem patris Noe, id eſt, mortem Chriſti, quam nulla neceſſitate adactus, ſed voluntarie obiit, ſummæ illius charitatis in nos argumentum, ſumma pietate venerantur. D. Auguſt. li. 12. contra Fauſtum c. 23.* Unam veſtem à tergo portant, ſacramentum ſcil. jam præteritæ atque tranſactæ Dominicæ paſſionis, nuditatem patris velant, neque intuentur, quia in Chriſti necem non conſentiunt, & tantum honorant velamento, tanquam ſcientes unde ſint nati.

θ Neque niſi ad Chriſtum & ejus Eccleſiám.] *Hinc fit, ut Judæi perperàm ſcripturas interpretentur, qui nec in Chriſtum, nec in Eccleſiam credunt, neque eas ad utrumque referunt, quod oſtendit D. Auguſt lib. 12. contra Fauſtum c. 39. exemplo Philonis Hebræi, qui in interpretatione arcæ Noe, cùm eam ſecundùm rationem humani corporis fabricatam vellet, & omnia ad membra corporis humani accommodaret: An ubi ventum eſt ad oſtium, quod in arcæ latere factum eſt, omnis humani ingenii conjectura defecit; non mirum, inquit, ſi oſtio non invento ſic erravit: quod ſi ad Chriſtum tranſiſſet, ablato velamine ſacramenta Eccleſiæ manantia ex latere hominis illius inveniſſet: nam quia prædictum eſt, erunt duo in carne una, propterea in arca quædam ibi ad Chriſtum, quædam verò ad Eccleſiam referuntur: quod totum Chriſtus eſt, ſic & in cæteris interpretationibus figurarum (inquit) per univerſum textum divinæ ſcripturæ licet conſiderare & comparare ſenſus eorum, qui Chriſtum ibi intelligunt, & eorum qui præter Chriſtum ad alia quælibet ea detorquere conantur: nec mirum, ſi in interpretandis ſcripturis adeo hallucinentur Judæi, qui in illis Chriſtum & Eccleſiam non intelligunt, & in tam abſurdos & impios errores labantur. Recondita prius erant & abſtruſa ſenſa ſcripturarum; at Chriſtus eas adimplendo interpretatus eſt, habet enim ille clavem ſcripturarum, aperuit librum & ſolvit ſignacula ejus, hoc eſt, detexit ſacramenta & myſteria, quæ latebant ſub litera: quid ſibi vellet nuditas Noe, quid Sem & Japhet benedictio & reverentia erga patrem, quid contra deriſio & maledictio Chami, obſcurum antea erat, at ubi Chriſtus paſſus eſt, deriſus à Judæis & infidelibus, quibus Chriſti crux ſcandalum eſt vel ſtultitia, honoratus verò à vocatis Judæis & Gentibus, quibus Chriſtus Dei virtus & ſapientia, facilè intelligimus, omnia illa adumbrata & præſignificata fuiſſe in Noë & filiis ejus, & Chriſtum vineam. i. Eccleſiam plantaſſe, erga quam tanta charitate flagraſſe, ut velut vino quodam amoris ebrius, nudatus pependerit in tabernaculo crucis, & ad mortem usque ſuſtinuerit opprobria à Cham filio proprio i. à populo Judæorum.*

ι Per annos amplius quàm mille.] *Certè hanc ſupputationem non ſatis intelligo: nam à diluvio, vel etiam à benedictione filiorum Noe usque ad Abrahamum longè pauciores anni fluxère. Siquidem ex annis, quos Hebraica ſcriptura & Latina edi-*

gio vulgata cap. 11. lib. Geneſ. ſingulis generationibus tribuunt, evidenter colligitur inter utrumque Tempus interfluxiſſe annos 292. Iſidorus à diluvio usque ad nativita- tem Abrahae annos enumerat 942. Graeci codices 1172. & hos ſecutus eſt D. Auguſtinus. Vide Perer. lib. 16. comment. in Geneſ. diſput. 12. Graeci codices praeter Sem & Thare in aliis omnibus generationibus à diluvio ad Abraham annis, quos ſecundùm Hebraeos & Latinos codices nati dicuntur Patres, priusquam genera unt filios, adducunt alios centum, immò ipſi Phaleg adjiciunt annos centum quatuor, & ipſi Nachor 150. adeo ut à diluvio ad ortum Abrahae efficiant ſummam annorum 1172. & infra cap. 10. con- ſtabit, D. Auguſtinum ſecutum eſſe verſionem LXX.

x Non omnia quae geſta narrantur, aliquid etiam ſignificare putanda ſunt.] *Etſi enim quilibet locus ſcripturae habeat ſenſum literalem, vel proprium, vel metapho- ricum; at minime reliquos ſenſus, ut docet etiam D. Thom. quod lib. 7. art. 16. & conſtat ex illo loco ſcripturae,* Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt, *ubi minime opus eſt, ſenſum alium à literali quaerere, & ita de aliis plerisque; verè autem in his tantum locis reperitur ſenſus ſpiritualis, qui vel hiſtoriam narrant, vel ceremo- nias deſcribunt. D. Gregor. lib. 1. moral. c. 1. id ſignificatum fuiſſe ſcribit ea figura Geneſ. 31. ubi Jacob populeas virgas & amygdalinas partim cortice detracto, partim integras ovibus propoſuit, quo ſignificabatur, ſcripturas ſacras aliquando cortice, hoc eſt litera exuendas eſſe, & exponendas in ſenſu myſtico ſeu ſpirituali; aliquando verò cortice non eſſe ſpoliandas, ſed in ſenſu literali intelligendas. Id vult Tertullianus lib. cont. Praxeam cap. 13. ex his, quae ſcripta ſunt, alia in allegoriis & parabolis, alia ve- rò in definitionibus certis & ſimplicibus habere ſenſum.*

Cap. III.

De generationibus trium filiorum Noë.

GEnerationes ergò filiorum Noe deinceps intuendae, & quod de his dicen- dum videtur, attexendum eſt huic operi, quo civitatis utriusque, terrenae ſci- licet & coeleſtis, per tempora procurſus oſtenditur. Coeptae ſunt commemorari à minimo filio, qui vocatus eſt α Japhet, cujus filii octo nominati ſunt: nepotes autem ſeptem de duobus filiis ejus, tres ex uno, quatuor ex altero: fiunt itaque omnes quindecim. Filii autem Cham, hoc eſt, medii filii Noe, quatuor, & nepo- tes quinque ex uno ejus filio, pronepotes duo ex nepote uno fit eorum ſumma undecim. Quibus enumeratis, reditur tanquam ad caput, & dicitur: β *Chus autem genuit Nemroth: hic coepit eſſe gigas ſuper terram. Hic erat gigas venator contra Dominum Deum. Propter hoc dicunt: Sicut Nemroth gigas venator contra Dominum. a Et factum eſt initium regni ejus Babylon. b γ Oreg. c Archad, & Chalamne in terra Sennaar. δ De terra illa exiit Aſſur, & d ε aedificavit Niniven, & e Robooth civitatem, & Calach, & Daſen inter medium Ninives & Calach: haec eſt civitas magna.* Iſte portò Chus pater gigantis Nemroth primus nominatus eſt Gen. 10. in filiis Cham, cujus quinque filii jam fuerant computati, & nepotes duo. Sed iſtum gigantem aut poſt nepotes ſuos natos genuit, aut quod eſt credibilius, ſeorſum de illo propter ejus eminentiam ſcriptura locuta eſt, quandoquidem & regnum ejus commemoratum eſt. Cujus initium erat illa nobiliſſima Babylon civitas

civitas: & quæ juxta commemoratæ ſunt, ſive civitates, ſive regiones. Quod verò dictum eſt, de terra illa, id eſt, de terra Sennaar, quæ pertinebat ad regnum Nemroth, exiſſe Aſſur, & ædificaſſe Niniven, & alias quas contexuit civitates, longè poſtea factum eſt: quod ex hac occaſione perſtrinxit, propter nobilitatem regni Aſſyriorum, quod mirabiliter dilatavit *f* Ninus, Beli filius, conditor Ninivæ civitatis magnæ: cujus civitatis nomen ex illius nomine derivatum eſt, ut à Nino Ninive vocaretur. Aſſur autem unde Aſſyrii, non fuit in filiis Cham medii filii Noe, ſed in filiis Sem reperitur, qui fuit Noe maximus filius. Unde apparet, de progenie Sem exortos fuiſſe, qui poſtea regnum gigantis illius obtinerent, & inde procederent, atq; alias conderent civitates, quarum prima eſt à Nino appellata Ninive. Hinc reditur ad alium filium Cham, qui vocabatur Meſraim, & commemorantur quos genuit, non tanquam ſinguli homines, ſed nationes ſeptem. Et de ſexta velut de ſexto filio gens commemoratur exiiſſe, quæ appellatur Philiſtim, unde fiunt octo. Inde iterum ad Chanaan reditur, in quo filio maledictus eſt Cham, & quos genuit undecim nominantur. Deinde uſque ad quos fines pervenerint, commemoratis quibuſdam civitatibus dicitur. Ac per hoc filiis ac nepotibus computatis, de progenie Cham triginta unus geniti referuntur. Reſtat commemorare filios Sem maximi filii Noe. Ad eum quippè gradatim generationum iſtarum pervenit, à minimo exorta narratio. Sed unde incipiunt commemorari filii Sem, habet quiddam obſcuritatis, quod expoſitione illuſtrandum eſt: quia & multum ad rem pertinet, quam requirimus. Sic enim legitur: *g* ζ *Et Sem natus eſt etiam ipſi patri omnium filiorum Heber fratri Japhet majori.* Ordo verborum eſt: & Sem natus eſt Heber, etiam ipſi, id eſt, ipſi Sem natus eſt Heber: qui Sem pater eſt omnium filiorum: Sem ergò patriarcham intelligi voluit omnium, qui de ſtirpe ejus exorti ſunt, quos commemoraturus eſt, ſive ſint filii, ſive ſint nepotes & pronepotes, & deinceps inde exorti. Non ſanè iſtum Heber genuit Sem, ſed ab illo quintus in progenitorum ſerie reperitur. Sem quippè inter alios filios genuit Arphaxat. Arphaxat genuit Cainan, Cainan genuit Sela, Sela genuit Heber. Non itaque fruſtrà ipſe primus nominatus eſt in primogenie veniente de Sem: & prælatus eſt etiam filiis, quum ſit quintus nepos: niſi quia verum eſt, quod traditur, *a* ex illo *b* Hebræos eſſe cognominatos, tanquam Hebræos, quum & θ alia poſſit eſſe opinio, ut ex Abraham tanquam Abrahæi dicti eſſe videantur. Sed nimirum hoc verum eſt, quod ex Heber Heberæi appellati ſunt: ac deinde una detracta litera Hebræi: quam linguam ſolus Iſrael populus potuit obtinere, in quo Dei civitas & in ſanctis peregrinata eſt, & in omnibus ſacramento adumbrata. Igitur filii Sem prius ſex nominantur, deinde ex uno eorum nati ſunt quatuor nepotes ejus: itemque alter filiorum Sem genuit ejus nepotem, atque ex illo itidem pronepos natus eſt, atque inde abnepos, qui eſt Heber. *i* Genuit autem Heber duos filios, quorum unum appellavit Phalec, quod interpretatur dividens. Deinde ſcriptura ſubjungens, rationemque hujus nominis reddens: *Quia in diebus*, inquit, *ejus diviſa eſt terra*: hoc autem quid ſit, poſtea apparebit. Alius verò, qui natus eſt ex Heber, genuit duode-

duodecim filios, ac per hoc ſunt omnes progeniti de Sem viginti ſeptem. In ſumma igitur omnes progeniti de tribus filiis Noe, id eſt, quindecim de Japhet, & triginta unus de Cham, viginti ſeptem de Sem, fiunt ſeptuaginta tres. Deinde ſequitur ſcriptura, dicens: *Hi filii Sem in tribubus ſuis ſecundum linguas ſuas, in regionibus ſuis & in gentibus ſuis*, itemque de omnibus: *Hæ*, inquit, *tribus filiorum Noe ſecundum generationes eorum, & ſecundum gentes eorum. Ab his diſperſæ ſunt inſulæ gentium ſuper terram poſt diluvium.* κ Unde colligitur, ſeptuaginta tres, vel potius, quod poſtea demonſtrabitur, ſeptuaginta duas gentes tunc fuiſſe, non homines. Nam & prius, quum fuiſſent commemorati filii Phalec, ita concluſum eſt: *f Ex his ſegregatæ ſunt inſulæ gentium in terra ſua, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam in tribubus ſuis & in gentibus ſuis.* Jam verò in filiis Cham quodam loco apertius gentes commemoratæ ſunt, ſicut ſuperius oſtendi. Meſraim genuit eos, qui dicuntur Ludieim: & eodem modo cæteræ uſque ad ſeptem gentes. Et enumeratis omnibus, poſtea concludens: *Hi filii Cham*, inquit, *in tribubus ſuis, ſecundum linguas ſuas in regionibus ſuis, & in gentibus ſuis.* λ Propterea ergò multorum filii non ſunt commemorati: quia gentibus aliis naſcendo acceſſerunt, ipſi autem gentes facere nequiverunt. Nam qua alia cauſa cùm filii Japhet octo enumerentur, ex duobus eorum tantùm filii nati commemorantur: & cùm filii Cham quatuor nominentur, ex tribus tantùm, qui nati ſunt, adjiciuntur: & cum filii Sem nominentur ſex, duorum tantùm poſteritas attexitur: nunquid cæteri ſine filiis remanſerunt? Abſit hoc credere: ſed gentes propter quas commemorari digni eſſent, non utique fecerunt: quia ſicut naſcebantur, aliis gentibus addebantur.

L. Vives. a ET factum eſt initium regni ejus.] *Hæc loca quænam fuerint apud Græcos, docent Joſephus & Euſebius Pamphili: quos Hieronymus eſt ſecutus. Ex his quantum videbitur deſumemus, cætera in illis lector inveniet: nam vulgares ſunt ſatis, Joſephus duntaxat & Hieronymus. Campus Sennaar eſt in Chaldæa, ubi turris Babylonia ſtructa eſt.*

b Oreg.] *Septuaginta* ὀρέχ *in Hebræo Arach.*

c Archad.] *Sic LXX. in Hebræo verò eſt Achad, quam Hebræi dicunt eſſe in Meſopotamia Niſibum, Antiochiam vocat Plinius.*

d Ædificant Niniven.] *Hæc eſt Ninive Aſſyria, nam eſt altera Judææ Ninive in angulo Arabiæ, quæ poſtea corruptè Neneven eſt dicta. Illam Aſſyriam Plinius Ninum nominat, quondam clariſſimam, Tigri amni impoſitam, ad ſolis occaſum ſpectantem. Idem Ptolemæus. Diodorus Ninam urbem vocat, conditamq́; à Nino Beli filio tradit: nec ullam poſtea urbem tanto ambitu tantaq́; magnitudine extructam. Altitudo murorum fuit pedum centum: latitudo, quæ tres currus junctos caperet: ambitus quadringentorum octoginta ſtadiorum, facie quadranguli. Turres in muris mille & quingentæ, centum altæ pedibus.*

e Et Rhobooth.] *Nos vulgo ſic legimus: De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven & plateas civitatis, & Chale. Rheſen quoque inter Niniven & Chale, hæc eſt civitas magna. ſeptuaginta verò ſic,* καὶ τὴν ῥοωβὼθ πόλιν, καὶ ἀνὰ μέσον χαλὰχ

αὐτῆ

αὐτὴ ἡ πόλις μεγάλη, niſi ſit mendum in codice, ſed ubi nos habemus plateas, Hebraicè relictum eſt Rhoboot.

f Ninus Beli filius.] *Belum Sanchoniato inter filios Saturni numerat ex Theologia Phœnicum: ideò & Jupiter Belus eſt dictus. Fuit & Belus alter nepos Jovis ex Epapho filio rege Ægyptio, qui hunc Belum ex Iſide genuit. Tametſi Euſebius Telegonum facit patrem, cui poſt Apis mortem Iſis denupſerit, regnante in Attica Cecrope. At Belus hic, qui Ninum procreavit, rex fuit Aſſyriorum modico imperio contentus, inclytus bellaci filio, à quo pro Deo & cultus eſt, & coli juſſus, dictusq; Jupiter Babylonius. Ægyptii Belum hunc ſuum eſſe volunt, illum ex quo Ægyptus eſt natus, quem Neptuni & Lybiæ filium dicunt, Epaphi qui Libyam genuit nepotem: hic in Babyloniam colonos deduxit, qui ſedem urbi ad Euphratem amnem quum elegiſſet, ſacerdotes Ægyptio inſtituit more. Plinius Belum hunc, qui in Aſſyria ſacratiſſimus colitur templumq; ejus Babylone etiam ſua memoria duraret, ſyderalis ſcientiæ inventorem fuiſſe perhibet, eiq; Aſſyrios gemmam dicaſſe, qui Beli oculus dicitur.*

g Et Sem natus eſt etiam.] *Ordo verborum dilucidior eſt in Græco propter articulos* καὶ τῷ Σὴμ ἐγεννήθη καὶ αὐτῷ πατρὶ πάντων υἱῶν Ἀβὲρ ἀδελφῷ Ἰαφὲθ τοῦ μείζονος, *& ipſi Semo generatio fuit patri omnium filiorum Aberis fratri minori Japheti.*

h Hebræos eſſe cognominatos.] *Paulus Epiſcopus Brugen. homo Hebraicarum literarum peritiſſimus cenſet, Hebræos eſſe cognominatos quaſi peregrinos, hoc eſſe etymon vocabuli lingua illa: de re non eſſe dubitandum: quis enim neſcit gentem illam & in terra Chanaan, & in Ægypto eſſe peregrinatam?*

i Ex his ſegregatæ ſunt inſulæ gentium.] *LXX.* διεσπάρησαν νῆσοι τῶν ἐθνῶν. *Diſperſæ ſunt inſulæ gentium. Ceu inter ſe diviſæ ſint gentes tanquam inſulæ diſterminatæ mari, fluminibus, montibus, ſylvis, aggeribus, harenis & ſolitudinibus.*

α JAphet, cujus filii octo nominati ſunt.] *D. Auguſt. ſecutus eſt codices Græcos, qui addunt octavum filium Japhet nomine Eliſa, quò fit ut poſteros Japhet numerent quindecim; verum illum Eliſa, nec ſcriptura Hebraica, nec paraphraſis Chaldaica, nec Græca translatio Complutenſis habet, nec codices Græci, quibus uſus eſt D. Hierony. habent, ut conſtat ex quæſtionibus ejus Hebraicis in Gen. ubi ſcribit, ſeptem filios natos ipſi Japhet filio Noe. Idem ſcribit Joſeph. l. 1. antiq. c. 7. Japheto Noe filio fuiſſe ſeptem filios. Editio etiam vulgata edita juſſu Clementis Octavi ſeptem tantùm aſſignat filios, qui ſunt Gomer, Magog, Madal, Javam, Thubal, Moſoch, Thiras, & ex primogenito Gomer tres nepotes Aſchenen, Riphat, Thogorma, ex quarto Jovam quatuor, Eliſa, Tharſis, Cethim, Dodanim, quò fit ut illi poſteri Japhet ſint quatuordecim, & non quindecim.* F.L.Coq.

β Chus autem genuit Nemrod.] *Nemrod rebellis interpretatur à verbo* מרד *marad* rebellavit. *Fuit hic ſextus filius Chus primogeniti Cham, qui ſeparatim à cæteris recenſetur. Nam ob ſingulare robur & audaciam ac potentiam, tum etiam fœlicitatem mundanam, cum ſibi apud omnes famam comparaſſet, ſeorſum ſcriptura ejus meminit. Ita enim ſcribit hic D. Auguſt. ſeorſim de illo propter ejus eminentiam ſcripturam eſſe locutam. Hic primus mortalium affectavit tyrannidem. Nam ante*

hunc in qualibet familia primus natu primus etiam erat authoritate & gradu honoris familiam regens, & lites, ſi qua orirentur, dirimens. Hic verò imperium in alios habere concupivit primo Babylone regnans, qua mater eſt confuſionis, ita D. Hieron. in tradit. Hebraic. in Geneſ. Nemrod arripuit inſuetam primus in populo tyrannidem, regnavitque in Babylone, quæ ab eo, quod ibi confuſæ ſunt linguæ turrim ædificantium, Babel appellata eſt. *Ita Joſephus paucis verbis exprimit illius ingenium lib. 1. antiq. c. 5. ubi loquutus de ſuperbia mortalium illius temporis, qui de ædificanda turre Babel cogitaverant, & de contemptu Dei :* Ἐξῆγε δ᾽ αὐτοὺς πρὸς τὸ ὕβριν καὶ καταφρόνησιν τοῦ θεοῦ Νεμρώδης, ὃς ἐγγονὸς μὲν ὢν Χάμου τοῦ Νώχου, τολμηρὸς δὲ καὶ κατὰ χεῖρα γενναῖος· ἔπειθεν αὐτοὺς μὴ τῷ θεῷ διδόναι τὸ δι᾽ ἐκεῖνον εὐδαιμονεῖν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν ταῦτα παρέχειν αὐτοῖς ἡγεῖσθαι. καὶ περιίστατο κατ᾽ ὀλίγον εἰς τυραννίδα τὰ πράγματα, μόνως οὕτως ἀποστήσειν νομίζων τοὺς ἀνθρώπους παρὰ τοῦ θεοῦ, εἰ χρώμενοι τῇ αὐτοῦ δυνάμει διατελοῖεν. *Huic Joſephi teſtimonio ſuffragantur, & quæ ſcribit Hugo Victorin. Annotat. in Geneſ.* Iſte Nemrod mole corporis & virtute ſuperans alios homines, dominium cœpit exercere ſuper cæteros per violentiam; & induxit eos ad idololatriam, ut ignem quaſi Deum colerent, quia utilitates maximas beneficio Solis, qui igneus eſt, in terra contingere videbat; quem errorem Chaldæi poſtea ſecuti ſunt. Multiplicem injuriam & Deo & homini fecit. Deus enim ſolus debebat præeſſe homini, quod ei ille abſtulit, cùm ſe illi interpoſuit, & in ignorantiam redegit, auferendo ei multum debitum, homini verò injuriam fecit, quia eum dominio injuſto oppreſſit, & in errorem decipiendo induxit. *Iſidor. lib. 7. Etymolog. cap. 6.* Nemrod interpretatur Tyrannus. Iſte enim prior inſuetam in populos arripuit tyrannidem, & ipſe aggreſſus eſt adverſus Deum impietatis ædificare turrim.

γ Arach, Archad & Calumne.] *D. Hieron. quæſtionibus Hebraicis in Geneſ. Arach Edeſſam, Archad Niſibim, Chalamne Seleuciam, vel Cteſiphontem interpretatur, terram Sennaar ipſammet regionem ſeu terram, in qua ædificata eſt turris Babylon.*

δ De terra illa exiit Aſſur.] *Vult, hunc Aſſur eſſe non poſſe ex poſteris Cham vel Nemrod, verùm ex poſteris Sem, cui ſuffragatur Joſephus lib. 1. antiquit. cap. 7. ubi de filiis Sem loquitur,* Ἀσσούρας δὲ Νίνον οἰκίζει πόλιν, καὶ τοὺς ὑπηκόους, Ἀσσυρίους ἐπωνόμασεν. οἳ μάλιστα εὐδαιμόνησαν. *Aſſur habitaſſe in Ninive, & Aſſyrios de ſe ſubditos nominaſſe, quorum opes præ cæteris floruerunt. D. Hieron. li. de locis Hebraic. voce Aſſur etiam exponit perſonam Aſſur, filium Noë. Vult D. Auguſt. Aſſur vel ejus poſteros obtinuiſſe primo regnum Nemrod, quod erat in terra Sennaar, & inde proceſſiſſe ad alias terras & regiones obtinendas, quarum prima fuit ea, quæ ab ipſo Aſſur, ſeu Aſſyria dicta eſt. Alii volunt Aſſur diſceſſiſſe propterea ex terra Sennaar, quod diſcors eſſet ipſi Nemrod propter ejus pravum ingenium & mores & facta. Vatablus ad eum locum,* Aſſur filius Sem pius, cùm videret Nemrod affectare tyrannidem, ceſſit illi, ne cum homine impio habitaret. *Alii legunt, ex hac regione egreſſus eſt in Aſſyriam, ut ſcil. eam ſubjugaret, & imperii ſui fines propagaret, hæc (inquit) interpretatio placet doctioribus. Quia verò Aſſur dicitur in ſcriptura ædificaſſe*

ficaſſe Ninivem, quam Herodotus, Strabo, Plinius Ninum, Diodorus verò Ninam appellant, & omnes ferè conditorem illius urbis Ninum celebrant, ex eo nonnulli concludunt eundem eſſe Ninum, & eum, qui hic Aſſur dicitur. Gerardus Mercator in Chronologia tradit Ninum, qui patri Belo ſucceſſit in regno, eundem eſſe Nemrod, quòd eadem planè de eo ſcriptura narret, quæ hiſtoriographi de Nino. Geneſ. enim 10. dicitur, potens factus in terra; *quaſi qui multos populos & terras ſubjugarit, ut de Nino amplè teſtatur Juſtinus, & vox illa Aſſur Mercatori non ſignificat virum aliquem, ſed ipſam regionem Aſſyriæ, ut ſenſus ſit, Nemrod patrio imperio non contentum in Aſſyriam egreſſum Ninivem condidiſſe, quod de Nino & Semiramide omnes uno ore profitentur. Quod verò Aſſur non virum, ſed regionem Aſſyriam ſignificet, inde colligit, quod præcedente verſu Babel principium tantum regni dicat Moyſes, quo indicat, Nemrod paterno regno Babylonico non contentum plura invaſiſſe, & propagaſſe imperium, quod ante Ninum à nullo Regum factum teſtatur Juſtinus. Hanc ſententiam Mercatoris diſcutit & egregiè impugnat Pererius lib. 15. comment. in Gen. diſput. 3. & illi adverſatur communis Doctorum ſententia, qui Nemrod diverſum faciunt à Nino, id eſt, vel patrem, vel avum ejus: nec initium regni Nini fuit Babylon, ut vult Mercator, quippe qui urbem Ninive caput ac ſedem imperii ſui conſtituerit, ut ex Diodoro lib. 3. intelligere licet, & contendit Nemrod fuiſſe Belum patrem Nini. Certè in tanta rerum difficultate & opinionum varietate non facile ſtatui poteſt quid ſentiendum ſit. Pererius lib. 15. comment. in Gen. quæſt. 5. triplicem habet ſententiam. Primum ſentit, Ninum Regem Aſſyriorum non fuiſſe Aſſur filium Sem, tùm quòd Ninus fuit ex ſtirpe Cham, ſcil. ejus abnepos, fuit enim filius Beli, quem ſupra diſputat. 3. oſtenderat, fuiſſe eundem cum Nemrod nepote ipſius Cham: ſi verò Ninus fuit abnepos Cham, non potuit eſſe filius Sem. Deinde Belus pater Nini fuit vir impius, & parens Idololatriæ, quam imitatus eſt etiã filius Ninus, at Sem pater Aſſur non modo pius vir fuit & ſanctus, verum etiam veræ pietatis cuſtos, doctor, ac propagator, & veroſimile eſt Aſſur ejus filium religionis paternæ imitatorem fuiſſe ac cultorem. Secundo ſentit Pererius, ſi quis contendat, vocabulo Aſſur hoc loco ſignificari Ninum Regem Aſſyriorum, qui condidit Ninivem, concludendum eſſe, vocem Aſſur hoc loco non eſſe nomen proprium filii Sem, ſed vox Aſſur hoc loco ſignificabit Aſſyrium vel regem Aſſyriorum, qua ſignificatione uſurpatur in ſacris literis 4. Reg. c. 15. Pſal. 82. Iſai. 10. & 31. ut ſit ſenſus horum verborum, ex terra Sennaar egreſſum Aſſur. i. Ninum Regem Aſſyriorum non contentum Babylonico regno, quod pater ejus Belus, qui & Nemrod, fundaverat, ad alias gentes ſubjugandas, & alia regna ſibi ſubjicienda proceſſiſſe, inter cætera verò præclara ejus opera ædificaſſe Ninivem, quam voluit eſſe caput regni, quemadmodum Babylon antea ædificata à patre fuerat caput totius illius regni. Tertio exiſtimat, ſi qui nominatur hoc loco Aſſur fuit filius Sem, quod ſubdatur ab eo eſſe ædificatam Ninivem, interpretandum quaſi dictum per anticipationem, ut Aſſur eam quidem ædificaverit, verum Ninus poſtea eam reſtaurans, vel ampliorem ac magnificentiorem reddens, abolita prioris conditoris memoria, & priori urbis appellatione eam de ſuo nomine Ninum vel Ninivem appellarit. D. Hieron. in traditionib. Hebræi. in Geneſ. vult, nomine Aſſur*

ſignificari imperium Aſſyriorum; explanans enim illa verba, de terra illa egreſſus eſt Aſſur, *ſic ait,* De terra illa Aſſyriorum pullulavit imperium, qui ex nomine Nini Beli filii Ninum condiderunt, urbem magnam, quam Hebræi appellant urbem Ninive, ad cujus ruinam vel pœnitentiam tota Jonæ pertinet prophetia. *D. Auguſt. certè vult intelligi filium Sem, ut ſit ſenſus, ex ejus poſteris fuiſſe, qui regnum Nemrod gigantis obtinerent, & inde procederent, atque alias conderent civitates, quarum prima appellata eſt a Nino Ninive. Verùm quomodo poſteri Sem condidiſſent civitatem, eiq; impoſuiſſent nomen ex nomine Nini filii Beli, qui erat ex poſteris Cham? Ex altera parte videtur probabile nomen Aſſyriis dediſſe Aſſur filium Sem. Equidem probabile mihi videtur, ex teſtamento Noë filiis ſuis diviſiſſe primo terram, & eam quidem regionem, quæ Aſſyria dicitur, obtigiſſe poſteris Sem, & ab Aſſur ejus filio primùm occupatam nomen hujuſmodi ſortitam fuiſſe. Verùm poſtea Ninum filium Nemrod ex poſteris Cham non contentum paternis ſedibus tyrannidis patris imitatorem, & juris divini atque humani violatorem invaſiſſe terras poſterorum Sem, atque inprimis ſubjugaſſe Aſſyriam, in qua ædificavit civitatem Ninivem, quam caput regni ſui conſtituit, ſicq; dicitur Aſſur, quia rex Aſſyriorum, & quia primus imperium ampliſſimum Aſſyriorum fundavit atque condidit.*

ε Ædificavit Ninivem & Roboorh] *Non prætereunda ſilentio verba D. Hieron. ad hunc locum in tradit. Hebraic.* Non putemus *(inquit ille)* Ninive & Rehobot duas eſſe urbes, ſed quia Rehobot plateæ interpretantur, ita legendum eſt, & ædificavit Ninive & plateas civitatis, quaſi id adjectum fuerit ad ſignificandum amplitudinem hujus urbis, quæ multas & magnas habuit plateas.

ζ Et Sem natus eſt etiam ipſi Patri.] *Hebraicam lectionem hujus loci Pagninus ſic expreſſit.* Et ipſi Sem natus eſt; Etiam ipſe eſt pater omnium filiorum Heber, *id eſt,* Frater Japhet major natus. *Vatablus ita,* Ipſi quoque Sem, qui eſt pater omnium filiorum Heber, *id eſt,* Hebræorum, & frater major natu ipſius Japhet, nati ſunt filii. *D. Auguſt. reddidis eodem modo quo ſeptuaginta,* καὶ τῷ Σὴμ ἐγεννήθη καὶ αὐτῷ πατρὶ πάντων τῶν υἱῶν Ἔβερ, ἀδελφῷ Ἰάφεθ τοῦ μείζονος. Fratri Japhet majoris. *D. Auguſt. reddidit,* majori, *quod velit, Sem fuiſſe majorem natu ipſo Japhet, cùm ex codicibus Græcis contrarium videatur colligi. Nec enim illud* (τοῦ μείζονος) majoris, *ad Sem referri poteſt, ſed ad Japhet. Obſervat Perer. ordinem verborum, quem diſpoſuit hoc loco D. Auguſt. excludit tam Hebraica quàm Latina lectione, in quibus illud,* De Sem natus eſt, *vel* nati ſunt, *per ſe cohæret, nec jungitur cum ſequentibus, maximè verò cum* Heber: *Significatur enim ipſi Sem nec defuiſſe progeniem, immò fuiſſe numeroſam. Cur verò dictus ſit pater omnium filiorum Heber, id eſt Hebræorum, certè id faciebat plurimum ad dignitatem commendandam ipſius Sem, in quem populus Dei, qui Hebræorum appellationem ab Heber accepit, deinde Chriſtus ipſe Meſſias originem ſuam referat. Cum enim omnes nationes poſt diluvium originem ſuam ad tres filios Noe referrent, non minimum dignitatem commendabat Noë, quod tot ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Reges Deo acceptiſſimi, adeoq; populus ille Hebræus, qui factus eſt pars Domini, ab eo originem ſuam duceret & Chriſtus ipſe.*

η Ex

η Ex illo Hebræos eſſe cognominatos.] *Hac eſt ſententia non modo D. Auguſtini, verum etiam D. Hieron. in tradit. Hebraicis in Geneſ. Joſephi lib. 1. antiqu. c. 7. Rabani Mauri lib. 2. in Gen. c. 11. Toſtati ad cap. 14. Gen. in illa verba,* Nuntiavit Abraham Hebræo. *& in c. 24. Exod. qu. 4. Eugubini in c. 14. Gen. Lyrani in c. 10. Gen. Suidæ v.* Ἑβραῖοι. *Iſidori l. 9. Etymol. c. 2. Atque hæc ſententia facilè confirmatur ex illis verbis, Gen. 10.* De Sem quoque nati ſunt patre omnium filiorum Heber; *ubi Heber quintus à Sem non alia ratione aliis prælatus videtur, niſi quia ab eo lingua ſancta, & populus ille Dei cognomen accepit. Et valdè imbecilla eſt ratio Theodoreti, qua probare intendit nec Hebræos, nec eorum linguam nomen ab Heber ſumpſiſſe, quod oportuiſſet omnes poſteros Heber appellatos eſſe Hebræos, & uſos lingua Hebræa, quod conſtat eſſe falſum. Poſteri enim Heber fuêre Syri, Moabitæ, Ammonitæ, Iſmaelitæ, Idumæi, & aliæ nationes variis differentes linguis. Reſpondetur enim, facile illos tantum poſteros Heber dictos eſſe, ab eo Hebræos, & uſos lingua Hebraica, quos rectâ ſerie generationis ab Heber, uſque ad Jacob deſcendentes Moyſes recenſuit, apud quos ſcil. verus Dei cultus remanſit.*

θ Alia poſſit eſſe opinio, ut ex Abrahamo tanquam Nabrahæi.] *Hanc ſententiam non putavit improbabilem l. 2. retract. c. 26. Imo eam tenuerat li. 1. de conſenſ. Evang. c. 24. Sed eam retractavit loco cit. Retracta. Nec enim ullo modo eſt probabilis. quia ipſe Abraham dictus eſt etiam Hebræus, Gen. 14. impoſſibile autem eſt, quod à ſeipſo quis denominetur, tum etiam quia in Hebræo Abraham ſcribitur initio cum Aleph, Hebræis autem per* ע *ain. Rabbinorum aliqui, ut Rabbi Salomon, Gen. 10. ab Euphratis tranſitu in alienam terram Abraham primum Hebræum, indeq; ejus poſteros Hebræos dictos putant, in qua ſententia refellenda non eſt quod amplius immoremur.*

ι Genuit Heber duos filios, quorum unum appellavit Phaleg.] *Propheta certè fuit Heber, ut qui afflatu Spiritus ſancti filium ſuum Phaleg. i. e. diviſionem nominaverit. Subjungit enim ſcriptura, quia* in diebus ejus diviſa eſt terra, *quod ad finem dierum, & vitæ illius referendum, & longè poſt nativitatem Phaleg contendunt Hebræi c. 1. Chronol. major. ut Spiritu prophetico præviderit, id quod futurum erat, & Genebrardus eos ſequitur.*

κ Unde colligitur ſeptuaginta tres.] *Notat Genebrardus, à tribus filiis Noë diſſeminatas eſſe & diviſas in terra gentes ſeptuaginta, quot notantur capita familiarum, Gen. 10. & 11. nempe 20. è Sem, 50. è Cham, 14. è Japhet; & quamvis Japheti progenies gentibus & linguis nomen dantes initio pauciores fuerint, tandem tamen cæteras numero & multitudine ſuperaſſe, vi paternæ benedictionis,* Dilatet Dominus Japhet, *id eſt, multiplicet ejus ſobolem & amplificet ejus fines ſupra reliquos.*

λ Propterea ergo multorum filii non ſunt commemorati.] *Illi enim ſunt commemorati tantum in ſcriptura ex poſteris Noë. i. e. originem ducentes à tribus ejus filiis, qui Gentibus nomina dedere, non verò illi, qui naſcendo aliis Gentibus acceſſerunt, quia nec ipſi diverſas gentes condere ac denominare potuerunt.*

CAP. IV.

De diverſitate linguarum, principioq; Babylonis.

CUm ergo in ſuis linguis iſtæ gentes fuiſſe referantur, *a* redit tamen ad illud tempus narrator, quando una lingua omnium fuit, & inde tam exponit quid acciderit, ut linguarum diverſitas naſceretur. *Et erat,inquit,omnis terra labium unum,& vox una omnibus. Et factum eſt, quum moverent ipſi ab Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar,& habitaverunt ibi. Et dixit homo proximo ſuo: β Venite,faciamus lateres,& coquamus illos igni. Et facti ſunt illis lateres in lapidem, & & bitumen erat illis lutum,& dixerunt: γ Venite,ædificemus nobiſmetipſis civitatem b, & turrim, δ cujus caput erit uſque ad cœlum c, & faciamus nobis nomen, antequam diſpergamur in faciem omnis terræ. Et deſcendit Dominus videre civitatem & turrim, quam ædificaverunt filii hominum. Et dixit Dominus: Ecce genus unum & labium unum omnium: & hoc inchoaverunt facere, & nunc non deficient ex illis omnia, quæ conati fuerint facere: venite, & deſcendentes confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi ſui. Et diſperſit eos Dominus inde ſuper faciem omnis terræ, d & ceſſaverunt ædificantes civitatem & turrim. Propter hoc appellatum eſt nomen illius Confuſio: quia ibi confudit Dominus labium omnis terræ, & inde diſperſit illos Dominus Deus ſuper faciem omnis terræ.* Iſta civitas,quæ appellata eſt Confuſio, ε ipſa eſt Babylon, *e* cujus mirabilem conſtructionem gentium etiam commendat hiſtoria: Babylon quippe interpretatur confuſio. Unde colligitur, gigantem illum Nemroth fuiſſe illius conditorem,quod ſuperius breviter fuerat intimatum, ubi quum de illo ſcriptura loqueretur, ait: Initium regni ejus fuit Babylon, id eſt, quæ civitatum cæterarum gereret principatum, ubi eſſet tanquam in metropoli habitaculum regni: quamvis perfecta non fuerit uſque in tantum modum, quantum ſuperba cogitabat impietas. Nam nimia diſponebatur altitudo,quæ dicta eſt uſque in cœlum: ſive unius turris,ejus quam præcipuam moliebantur inter alias: ſive omnium turrium, quæ per numerum ſingularem ita ſignificatæ ſunt,ut dicitur miles, & intelliguntur millia militum: ut rana & locuſta, ſic enim appellata eſt multitudo ranarum & locuſtarum in plagis, quibus Ægyptii percuſſi ſunt per Moyſen. Quid autem factura fuerat humana & vana præſumptio? Cujuslibet & quantumlibet in cœlum adverſus Deum altitudinem molis extolleret, quando montes tranſcenderet univerſos, quando ſpatium nebuloſi aëris ejus evaderet? Quid denique noceret Deo, quantacunque vel ſpiritalis,vel corporalis elatio? Tutam veramque in cœlum viam molitur humilitas, ſurſum levans cor ad Dominum, non contra Dominum. Quod non intelligentes nonnulli ambiguo Græco decepti ſunt, ζ ut non interpretarentur contra Dominum,ſed ante Dominum: *f* ἐναντίον quippe & ante & contra ſignificat. Hoc enim verbum eſt etiam in Pſalmo: *Et ploremus ante Dominum, qui fecit nos.* Et hoc verbum eſt etiam in libro Job,ubi ſcriptum eſt: *In furorem erupiſti contra Dominum. g Sic ergo intelligendus eſt gigas ille venator contra Dominum.* η Quid autem ſignificatur hoc nomine, quod eſt venator, niſi animalium terrigenarum deceptor, oppres-

Margin notes: Gen. 11. — Exod. 9. — Gen. 10. — Pſ. 94. — Iob. 15.

preſſor, extinctor? *g* Erigebat ergo cum ſuis populis turrem contra Dominum, qua eſt impia ſignificata ſuperbia. Meritò autem malus punitur affectus, etiam cui non ſuccedit effectus. Genus verò ipſum pœnæ quale fuit? Quoniam *h* enim dominatio imperantis in lingua eſt, ibi damnata eſt ſuperbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere, ut obediret Deo jubenti. Sic illa conſpiratio diſſoluta eſt, quum quiſque ab eo, quem non intelligebat abſcedere: nec ſe niſi ei, cum quo loqui poterat, aggregaret, & per linguas diviſæ ſunt gentes, diſperſæque per terras, ſicut Deo placuit, qui hoc modis occultis nobisque incomprehenſibilibus fecit.

a ET bitumen erat illis.] *Aſphaltus, qui in illis locis affatim ſuppetit.* L.Viv.

b Et turrim cujus caput.] *Simile quiddam profani ſcriptores tradunt de bello gigantæo in deos, cùm montes ſuperſtruere montibus tentaverunt, ut aſcenſum in cœlum facilem ſibi pararent.*

Ter ſunt conati imponere Pelion Oſſæ:
Ter pater extructos disjecit fulmine montes.

Sicut ait Verg. fabula nota. Et fieri poteſt, ut ex hac hiſtoria ſit deflexa, ut alia pleraque ex ſacris apud Gentiles.

c Et faciamus nobis nomen.] *Sit monumentum omnium noſtrûm.*

d Et ceſſaverunt ædificantes civitates.] *Ex proprietate Græca* καὶ ἐπαύσαντο οἰκοδομοῦντες τὴν πόλιν. *Quod ſolet verti: Ceſſaverunt ædificare urbem.*

e Cujus mirabilem conſtructionem.] *Geographi omnes, Plinius, Solinus, Strabo, Mela, Herodotus, & poëtæ frequentes. De hac alibi.*

f ἐναντίον.] *Sic etiam Latinè, contra & adverſus, Etiam in Pſal. 94.* καὶ κλαύσωμεν ἐναντίον κυρίου τοῦ ποιήσαντος ἡμᾶς.

g Sic ergo intelligendus eſt gigas ille.] *Joſephus ſcribit, Nemroth induxiſſe in genus humanum injuriam & ſuperbiam etiam adverſus Dominum: nam quum manu eſſet fortiſſimus, ſuadebat populis, non Deo acceptum ferre, ſi quid contingeret boni, ſed viribus ſuis. Ita tyrannidem inſtituit, & ne quid in eos poſſet Deus, turrim aggreſſi ſunt extruere, qua diluvium, ſi rurſus iraſceretur Deus, effugerent. Multitudo verò gravius putabat eſſe parere Deo, quàm mortali: ideò libenter dictis Nemroth audiens erat, turrim altiſſimam cœpit erigere, quam aquæ obruere nequirent. Hujus turris meminit Sibylla, dicens: Quum omnes homines unius vocis eſſent, quidam turrim ædificaverunt excelſam, tanquam aſcenſuri in cœlum per eam. Dii verò immittentes ventos everterunt turrim, & vocem propriam unicuique partiti ſunt: propterea & vocari contingit Babyloniam civitatem.*

h Quoniam enim dominatio imperantis in lin. eſt.] *Multùm valet ad conciliandos ſubditorum animos oratio principis, quæ ſi non intelligatur, avertit omnes ab ipſo. Mithridates idcirco etiam fractus & fuſus, tamen amicos animos ſuorum, & ad parendum paratos habuit, quod unicuique genti ſua lingua loqueretur.*

a REdit tamen ad illud tempus narrator.] *Idem obſervat Rupert. l. 4. comment. in Gen. c. 41. quæ narrantur cap. 11. de confuſione linguarum & diſperſione hominum per recapitulationem eſſe commemorata. Redit enim Moyſes ad id quod ſupra* F.L.C.

præ ſignificaverat de diviſione hominum ſecundùm varias linguas & regiones à prima repetens origine cauſam ejus diviſionis, docens nimirum quâ occaſione factum ſit, ut cùm antea una fuiſſet hominum lingua, in tam multas tamq; diverſas diviſa ſit. Author hiſt. Scholaſt. in lib. Gen. ſui fin. c 37. & init. 38 ſcribit, ea quæ narrantur à Moſe de ædificatione turris & confuſione linguarum, contigiſſe poſt obitum Noë, in quo certè corrigendus venit. Etenim Noe vixit poſt diluvium annis 350 nam Gen 9. impleti ſunt omnes dies ejus 950. at ſexcenteſimo anno vitæ illius factum eſt diluvium, ergo 350. annis ſuperſtes fuit diluvio; diviſio autem linguarum facta eſt vel eo anno, quo natus eſt Phaleg, cui ab ea diviſione nomen inditum à patre Heber, qui fuit unus & centeſimus poſt diluvium, & ita 249. annis ante mortem Noë, vel ut volunt Hebræi, incidit ea diviſio linguarum extremo anno vitæ Phaleg, cui ſpiritu prophetico à patre longè antea impoſitum erat id nomen, & hic fuit annus 340. poſt diluvium, ſicq; 10. annis ante mortem Noë. Lapſus eſt itaque ille author hiſt. Scholaſt.

β Venite, faciamus lateres.] *His verbis materia ſignificatur, quâ uſi ſunt ad conſtruendum illud ædificium, quippe uſi ſunt lateribus coctis igni loco ſaxorum vel lapidum, & bitumine vice calcis vel luti, de quo Perer. l. 16 comm. in Gen. diſput. 2. cui ſimilia refert Herodotus loquens de exſtruct. Babylon. l. 1. ſub fin.*

γ Venite, ædificemus nobis civitatem & turrim.] *Joſephus l. 1. antiqu. c. 5. docet, Nemrod authorem fuiſſe illis hominibus ædificandi turrim celſiſſimam & civitatem.*

δ Cujus caput pertingat usque ad cœlum.] *Hyperbolica eſt locutio plus ſignificans quàm intelligi oporteat, cujusmodi locutiones & in ſacris & in prophanis literis frequentes ſunt, ſignificatur ergo inuſitata & incredibilis quædam illius ædificii altitudo. Cyril. l. 4. cont. Julian.* Mos ſacræ ſcripturæ eſt ſecundùm communem etiam apud nos ſermonem pro ſummitate cælum accipere. *D. Auguſt. lib. locutionum in Gen.* ſecundùm hyperbolem *(inquit)* dictum eſt, ſi locutionis genus hic accipiendum eſt; ſi autem usque ad cœlum propriè dictum accipitur, inter quæſtiones conſideretur. *quæſt. 21. in Gen. ſimpliciter, & ut verba ſonant intellexiſſe videtur.* Si ſe hoc poſſe crediderunt *(inquit)* nimirum ſtulta audacia & impietas eorum deprehenditur. Et quia ob hoc Dei vindicta ſubſecuta eſt, ut eorum linguæ dividerentur, non abſurdè id cogitaſſe eos credi poteſt. *Philo lib. de confuſ. ling. refert calumniam quandam Ethnicorum adverſus hiſtoriam hanc Moſis. Dicebant enim hæc fabuloſa eſſe, quæ ſcripſit Moſes de ædificatione turris usque ad cœlum, non abſimilia fabulæ Gigantum, quos narrat Homer. conatos eſſe tres maximos montes, Pelion, Oſſam & Olympum alium ſuperimponere alteri, ſperantes hac via ſe in cœlum conſcenſuros, & Jovem inde deturbaturos. Verùm fabuloſa ſunt, quæ de Gigantibus ſcripſit Homerus; ſacra oracula, quæ ſcripſit Moſes, quibus ne minimum quidem inſertum eſt mendacium: itaque vel hyperbolicè intelligenda ſunt ea verba* (cujus culmen pertingat ad cœlum?) *vel ſi ita exiſtimarint poſſe fieri, deridenda maximè vana eorum præſumptio & ſuperbia, quæ nonnunquam ea ſolet aggredi, quæ cùm ſint omnino impoſſibilia, non tamen an ſint talia, prius conſiderat. Sathanam volunt nonnulli appetiiſſe aut ſimpliciter, aut ſecundùm quid æqualitatem Dei, quo pervenire*

nire erat ei omnino impoſſibile. Deinde non ea mente & conſilio homines illi turrim ædificarunt, ut per illam in cœlum aſcendentes adverſus Deum bellum moverent, quod ridiculum planè fuiſſet, neque ea illis mens, & potius fabuloſa videretur ſcripſiſſe Moſes, ſi de eis talia referret, quæ de Gigantibus fabulati ſunt Poëtæ, ſed ut famam apud poſteros hoc monimento omni ævo duraturam relinquerent, quod conſtat ex eorum verbis. Celebremus (inquiunt) nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras. *id eſt, Monimentum aliquod noſtri nominis poſteris relinquamus. Illa ergo verba* (Cujus culmen pertingat ad cœlum) *hyperbolicè accipienda ſunt. Veroſimile eſt, ex hac hiſtoria Moſis Poëtas arripuiſſe occaſionem fingendi, quæ de Gigantibus ſcripſerunt, eos, quò in cœlum ſibi aſcenſum pararent, & bellum adverſus Jovem gererent, altiſſimos Theſſaliæ montes alios ſuper alios impoſuiſſe.*

ε Ipſa eſt Babylon, cujus mirabilem conſtructionem.] *Prima civitas poſt diluvium condita, de cujus conſtructione & amplitudine fusè Herodot. l.1. ſub fin. Strabo l. 16. Plin. l. 6. c. 26. Solin. in polyhiſt. c. 60. Juſtin. l. 1. Q. Curt. l. 5. Diodor. l. 3. Ariſt. l. 3. Polit. c. 2. ait, Babylonem verius provinciam quàm urbem fuiſſe, quæ haberet magis circumſcriptionem gentis, quàm civitatis.*

ζ Gigantem illum Nemrod fuiſſe illius conditorem.] *De primo conditore Babylonis non una omnium ſententia. Auguſtini ſententiæ ſuffragatur Joſephus, Nemrod ſcil. fuiſſe conditorem Babylonis. Oroſius l. 2. c. 6. ſcribit, Nemrod primum Babylonis ædificatorem à multis celebrari. Verùm Belum patrem Nini fundatorem fuiſſe Babylonis, Q. Curt. l. 5. proditum à plerisque affirmat. Communis ferè Græcorum & Latinorum ſcriptorum ſententia Babylonem à Semiramide eſſe conditam. id prodidit Herodotus l. 1. Diodorus Siculus l. 3. Strabo l. 16. Solinus cap. 60. Mela l. 1. cap. 11. Juſtinus l. 1. apud Joſephum lib. 1. contra Appionem. Beroſus Græcos molitionem illius urbis Semiramidi aſſignantes mendacii arguit, tradens, eam civitatem à Rege Nebuchodonoſor exſtructam eſſe. Daniel. 4. inducitur jactans ſe de Babylonis ædificatione his verbis :* Nonne hæc eſt Babylon civitas magna, quam ego ædificavi in domum regni? *Hæc facilè conciliari poſſunt, ſi dicamus, primum omnium conditorem Babylonis (quod indicat ſcriptura ſacra) fuiſſe Nemrod, verùm hunc Nemrod non alium fuiſſe, quam Belum Nini patrem, in quem ita rectè conditionem Babylonis prophani aliqui ſcriptores retulerunt. Verùm quia eam urbem exiguam, & inundationibus Euphratis pene dirutam refecit Semiramis, & longe ampliori murorum circuitu circumvallavit, ac magnificis præterea ædificiis inſtruxit, non immerito tantæ urbis ſtructura ei tributa eſt, quam poſtea contemptam ab Aſſyriorum regibus, qui prætulerunt Ninivem, eamq; regiam ac caput totius imperii fecerunt, Nabuchodonoſor inſtauraſſe credendus eſt, eoq; ſedem regni, ut quondam fuerat, tranſtuliſſe, atque eo modo facilè conciliabuntur ſcriptores, qui de conditore Babylonis variè ſcripſerunt.*

η Ut non interpretarentur contra Dominum, ſed ante Dominum.] *Vox Græca ἐναντίον utrumque ſignificat. Idem lib. locutio. de Gen. legit.* Hic erat Gigas venator contra Dominum Deum : incertum eſt, *(inquit)* utrum poſſit accipi coram Domino Deo, quia & ſic ſolet intelligi, quod Græcè dicitur ἐναντίον. *ut ut ſit,*

D. Auguſt. in malam partem accepit, ut licet legamus, coram Domino, *idem ſit atq;* contra Dominum. *Gloſſa interlinearis. i. e.* Non ignorante Domino, *vel* contra Dominum. *Nonnulli in bonam partem interpretati ſunt, quod Deum ſacrificiis ex captis à ſe feris placare ſtuduerit. Ita ſcribit AbenEzra ad eum locum Geneſ. Nemrod altaria ſtruxiſſe, in quibus feras, quas venabatur, domino obtulerit in holocauſtum. Alii exponunt* (coram Domino) *vel in oculis ſive in conſpectu Domini fuiſſe robuſtum, revera & maximè fuiſſe robuſtum, quod enim apud Deum tale eſt, id maximè tale cenſetur.*

θ Quid autem ſignificatur hoc nomine, quod eſt venator.] *Vox* (venator) *ſi propriè ſumatur, ſignificat eum fuiſſe venatorem ferarum, & maximè deditum venationi, quæ eſt principum & magnatum exercitatio; ſi verò id verbum per metaphoram poſitum intelligatur, ſignificat inſidioſum & violentum oppreſſorem hominum, qualem fuiſſe Nemrod, narratio Moſis oſtendit. Gloſſa interlinearis interpretatur,* Robuſtus venator, animarum deceptor, *quia cogebat homines ignem adorare. Obſervat D. Hieronym. in Pſal. 90. & referuntur illius verba diſtinct. 86. can.* Eſau venator erat, in ſcripturis ſacris non inveniri aliquem ſanctum venatorem. *Gloſſa ordinar. ad iſtum locum Geneſ. ex Alcieno iſta habet. i. e.* Hominum oppreſſor & extinctor, *ita ut de venatione oppreſſiva hominum intelligatur.*

ι Erigebat ergo cum ſuis populis turrim contra Dominum.] *Toſtatus quæſt. 8. in cap. 11. Geneſ. contendit, Nemrod & ſocios illius ædificando civitatem & turrim nullo modo peccaſſe, quia malum finem non intendebant, nec actus iſte de ſe erat malus. Facere enim turrim altiſſimam, de ſe non eſt malum vel bonum, ſed indifferens. Finis etiam iſtorum erat bonus, ſive enim ædificare voluerint illam civitatem, ne diſpergerentur, ut indicat lectio Hebraica, ſive ut famam ſibi apud poſteros compararent, & nomen ſuum celebrarent, ut lectio Græca & Latina videntur ſignificare, neuter finis malus fuit: nec procurabatur iſte honor vel fama per rem malam, cùm ædificare turrim; non ſit de ſe malum, cum magnifica ædificia Deus etiam aliquando juſſerit exſtrui, ut templum Salomonis: nec iſtud erat expreſſe vetitum à Deo. Nec verò quia Deus irritos fecit eorum hominum conatus, & tantum opus abſolvi prohibuit, ideò concluditur neceſſariò, malum fuiſſe eorum hominum conſilium, & in aggrediendo id opus peccaſſe. Deus enim ſua altiſſima & omnibus incomprehenſa providentia, ſæpe aliud in rebus fieri ſtatuit, quam quod homines etiam recta intentione ſtatuerunt efficere. atque ita philoſophatur Toſtatus. Sed adverſatur illi D. Auguſtin. hoc loco, qui tantum conatum ſuperbia tribuit, quam etiam damnatam eſſe vult & vindicatam confuſione linguarum. Et D. Chryſoſt. hom. 30. in Geneſ. ex maxima ſuperbia opus illud profectum eſſe ait, & ſingula eorum hominum facta, quæ ibi narrantur, inſignis alicujus vitii accuſat & condemnat. Joſephus expreſſiſſimis verbis ait, homines illos, contemptis Dei juſſis, perverſiſſimo conſilio ac peſſimo animo opus illud eſſe aggreſſos. Philo lib. de Confuſ. linguar. multiplicem hominum illorum improbitatem deſcripſit pluribus verbis atque confutavit. Ex hiſtoria etiam Moſis id conſtat: nam inducit Deum deſcendentem ad videndam ædificationem illius civitatis & turris; Solet verò ſcriptura ad exaggerandam gravitatem alicujus peccati, & vim divini*

ſuppli-

ſupplicii, quo peccatum illud puniendum eſt, inducere Deum deſcendentem ad videndum illud peccatum, & ſumendum de eo ſupplicium. ſic Gen. 18. Deus dicitur deſcendere ad videndum peccatum Sodomorum. Exod. 3. ad videndum clamorem populi ſui, & crudelitatem Ægyptiorum in Hebraos.

x Dominatio imperantis in lingua eſt.] *Tanta vis eſt eloquentiæ, ut per eam plures ſibi dominium & principatus dignitatem comparaverint. Refert Juſtin. lib. 2. Herodot. lib. 1. Plutarchus in Solone, Cicero 3. de Oratore. Valer. Maxim. lib. 8 cap. 9. Piſiſtratum tantum dicendo valuiſſe, ut ei Athenienſes regium imperium oratione capti permitterent. Pericles etiam vi eloquentiæ liberis Athenarum cervicibus jugum ſervitutis impoſuit, & ſine armis egit urbem ac verſavit arbitrio ſuo. Nonne unus Demoſthenes vi dicendi totam ferè Græciam armavit in Philippum; nihil eſt, quod contineat magis ſubditorum animos in officio, quàm Principis eloquentia & oratio.*

CAP. V.

De deſcenſione Domini ad confundendam linguam ædificantium turrim.

QUod enim ſcriptum eſt: *Et deſcendit Dominus videre civitatem & turrim, quam ædificaverunt filii hominum:* hoc eſt, non filii Dei, ſed illa ſocietas ſecundùm hominem vivens, quam terrenam dicimus civitatem: non loco movetur Deus, qui ſemper ubique eſt totus: α ſed deſcendere dicitur, quum aliquid facit in terra, quod præter uſitatum naturæ curſum mirabiliter factum præſentiam quodammodo ejus oſtendat. Nec videndo diſcit ad tempus, qui nunquam poteſt aliquid ignorare, ſed ad tempus videre & cognoſcere dicitur, quod videri & cognoſci facit. Non ſic ergo videbatur illa civitas, quomodo eam Deus videri fecit, quando ſibi quantum diſpliceret, oſtendit. Quamvis poſſit intelligi Deus ad illam civitatem deſcendiſſe: quia deſcenderunt angeli ejus, in quibus habitat, ut quod adjunctum eſt: *Et dixit Dominus Deus, Ecce genus unum & labium unum omnium,* & cætera, ac deinde additum: *Venite, & deſcendentes confundamus ibi linguam eorum:* recapitulatio ſit, demonſtrans, quemadmodum factum ſit, quod dictum fuerat, *deſcendit Dominus.* Si enim jam deſcenderat, quid ſibi vult, *Venite, & deſcendentes confundamus ibi linguam eorum:* quod intelligitur angelis dictum, niſi per angelos deſcendebat, qui in angelis deſcendentibus erat? Et benè non ait, venite, & deſcendentes confundite: ſed confundamus ibi linguam eorum, oſtendens, ita ſe operari per miniſtros ſuos, ut ſint etiam ipſi cooperatores Dei: ſicut Apoſtolus dicit: *Dei enim ſumus cooperarii.* Gen. 11.

α SEd deſcendere dicitur cum aliquid facit in terra.] *Quomodo intelligi poſſit Deum deſcendiſſe, ut videret ædificium, quod moliebantur illi homines, dupliciter exponit. Primùm* ratione novi effectus, *quem in illo loco produxit, impediendo enim progreſſum ædificii, & unam eorum hominum linguam in multas & varias mirabiliter dividendo, fecit, ut ab omnibus intelligeretur, ſibi illud ædificium vehementer diſplicuiſſe. Secundo intelligi poteſt, ideo Deum deſcendiſſe, quia fecit, ut Angeli de cælo deſcenderent, & in locum illum irent, & conatus illorum hominum impedita ædifica-* F.L.Coq.

ficatione irritos facerent. Cajeta. ideò putat, Deum deſcendiſſe ad videndam ædificationem civitatis, ut ſignificaretur, Dei providentiam non tantum in rebus cœleſtibus conſiſtere, ſed quantum ad ſcientiam, efficientiam, directionem & ordinationem etiam ad infima & minima, quæ in terris ſiunt, deſcendere ac pertingere. Deſcendit Deus *(inquit) i. e.* habuit ſe ad ſimilitudinem deſcendentis, quatenus extendit ſe non quidem corporali motu, ſed cura ac providentia usque ad hæc infima, humanas ſcilicet actiones & ſingularia hæc corporea, qualia ſunt civitas & turris. *D. Baſil in Pſa. 32. ad hæc verba,* De cœlo proſpexit Dominus, *diſcrimen conſtituit inter* videre Deum de cœlo, quid agant homines, *&* deſcendere Deum, *ut* videat quid agant homines. *Illud enim in bonam partem accipi, & de bonis dici, hoc verò ad malos referri.* Eos *(inquit)* qui in propria manent animæ dignitate, & congruentia naturæ faciunt, de cœlo aſpicit Deus, eos verò, qui ad extremum flagitiorum prolapſi ſunt, deſcendendo dicitur inviſere Deus. *Obſervavit Rabbi Moſes Ægyptius, deſcenſum Dei hic debere intelligi iram & vindictam Dei adverſus homines malos, qui in terris ſunt. Julianus ille* παραβάτης *apud Cyrill. lib. 4. deridet narrationem illam Moſis de confuſione linguarum, & ita interpretatur,* Quaſi timeret, ne quid contra ſe molirentur parato ſibi in cœlum aſcenſu. Illud præterea quod dicat, Deum deſcendiſſe de cœlo, non potuit ſurſum facere ut videtur, niſi deſcendiſſet ſuper terram. Opinatur *(inquit Cyrillus)* mentem perfectiſſimam timore aliquando poſſe vinci, neque poſſe dividere hominem in multas linguas niſi deſcenderit in terram, à ſupernis tranſiens, & à ſummis ſedibus deſiliens. Adhæc illi quis dixerit, de Deo tibi ſermo eſt *(amice)* qui univerſum ineffabilibus operationibus fabricavit, ſupraque omnem mentem eſt, ad quem & divinitùs David loquitur Pſallens: Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. & alibi, cœlum ego & terram impleo, dicit dominus. Præterea quomodo non confunditur dicens, niſi deſcendiſſet ſuper terram, non potuiſſet dividere in multiplices linguas eos, qui tunc erant? numquid fortaſſis ſecundum veritatem & corporalem putat fuiſſe adventum? legibusne corporum incorpoream ſubjicit naturam, & localibus mutationibus uſum putat eum, qui eſt ſine quantitate & magnitudine & prorſum incircumſcriptus?

Cap. VI.

Qualis intelligenda ſit locutio, qua Deus angelis loquitur.

Poterat & illud, quando factus eſt homo, de angelis intelligi, quod dictum eſt, *α Faciamus hominem:* quia non dixit faciam: ſed quia ſequitur, ad imaginem noſtram, nefas eſt credere, ad imaginem angelorum hominem factum, aut eandem eſſe imaginem angelorum & Dei. Et ideò rectè illic intelligitur pluralitas trinitatis. Quæ tamen trinitas, quia unus eſt Deus, etiam cùm dixiſſet, facimus: *& fecit,* inquit, *Deus hominem ad imaginem Dei:* non dixit, fecerunt dii, aut ad imaginem deorum. β Poterat & hic eadem intelligi trinitas, tanquam *Gen.* 11. pater dixerit ad filium & Spiritum ſanctum, *Venite, & deſcendentes confundamus ibi linguam eorum:* γ ſi aliquid eſſet, quod angelos prohiberet intelligi: quibus

potius

potius convenit venire ad Deum motibus ſanctis, hoc eſt, cogitationibus piis, quibus ab eis conſulitur incommutabilis veritas tanquam lex æterna in illa eorum curia ſuperna. Neque enim ſibiipſi ſunt veritas, ſed creatricis participes veritatis, ad illam moventur, tanquam ad fontem vitæ, ut quod non habent ex ſeipſis, capiant ex ipſa: & ideò eorum ſtabilis eſt iſte motus, quo veniunt, qui non recedunt. *a* Nec ſic loquitur angelis Deus, quomodo nos invicem loquimur, nobis, vel Deo, vel angelis, vel ipſi angeli nobis, ſive per illos Deus nobis, ſed ineffabili ſuo modo: nobis autem hoc indicatur noſtro modo. Dei quippe ſublimior ante ſuum factum locutio ipſius ſui facti eſt immutabilis ratio, quæ non habet ſonum ſtrepentem atque tranſeuntem, ſed vim ſempiternè manentem & temporaliter operantem. Hac loquitur Deus Angelis ſanctis, nobis autem aliter longè poſitis. Quando autem etiam nos aliquid tale locutionis interioribus auribus capimus, angelis propinquamus. Non itaque mihi aſſiduè reddenda eſt ratio in hoc opere de locutionibus Dei: aut enim veritas incommutabilis per ſeipſam ineffabiliter loquitur, rationalis creaturæ mentibus, aut per mutabilem creaturam loquitur, ſive ſpiritalibus imaginibus noſtro ſpiritui, ſive corporalibus vocibus corporis ſenſui. Illud ſanè quod dictum eſt, Et nunc non deficient ex illis omnia, quæ conati fuerint facere, non dictum eſt confirmando, ſed tanquam interrogando, ſicut ſolet à comminantibus dici, quemadmodum ait quidam:

b Non arma expedient, totaq; ex urbe ſequentur? Æn. 3.

Sic ergò accipiendum eſt tanquam dixerit: Nónne omnia deficient ex illis, quæ conati fuerint facere? Sed ſi ita dicatur, non exprimit comminantem. Verùm propter tardiuſculos adjecimus particulam, id eſt ne, ut diceremus nónne: quoniam voce pronunciantis ſcribere non poſſumus. *c* Ex illis igitur tribus hominibus Noë filiis, ſeptuaginta tres, vel potius, ut ratio declarata eſt, ſeptuaginta duæ gentes totidemque linguæ per terras eſſe cœperunt, quæ creſcendo & inſulas impleverunt. *d* Auctus eſt autem numerus gentium multò amplius quàm linguarum. Nam & in Africa barbaras gentes in una lingua plurimas novimus, & homines quidem multiplicato genere humano, ad inſulas inhabitandas navigio tranſire potuiſſe, quis ambigat?

a FAciamus hominem.] *Hoc dicto Auguſtinus & Hilarius ſubſignificari à Moyſe volunt myſterium Trinitatis.* L. Vives.

b Non arma expedient.] *Æneid. 3. Vergilius verbis Didonis.*

c Pro ne non, & pro ni niſi ſcribere ſolemus.] *In aliis libris manu ſcriptis hæc verba non leguntur.*

d Auctus eſt autem numerus gentium.] *Ego verò difficilius eſſe cenſeo definire, quæ ſit una lingua, quàm quæ ſit una gens. ſed hic non diſputo nec diffinio, tantùm enarro.*

a FAciamus hominem.] *Plurali numero ſcriptum utitur ad diſtinctionem perſonarum in eo ſignificandam. Judæi vero, & Philo Judæus lib. de confuſio. linguæ. ne cogantur fateri tantum myſterium, reſpondere ſolent, Deum angelos eſſe allocutum* F. L. Coqi.

 illis

illis verbis. Verum quemadmodum hic argumentatur D. Auguſt. Cùm nefas ſit credere, vel ad imaginem Angelorum factum eſſe hominem, vel eandem eſſe imaginem Angelorum & Dei, rectè intelligitur ſignificata pluralitas trinitatis divinæ. *Eodem argumento utitur D. Baſil. hom. 9. in Hexam. ut impugnet reſponſionem Judaeorum, & oſtendat, illis verbis ſignificari ſanctiſſimam Trinitatem. D. Hilarius lib. 5. de trinitat. eodem teſtimonio utitur ad oſtendendam diſtinctionem perſonarum. Patres etiam, qui Conſtantini Imperatoris juſſu adverſus Arrium convenerunt in concil. provinciali Syrmienſi anathematiſmo 13. aſſeruerunt, hac eſſe verba patris ad filium,* Si quis quod ſcriptum eſt, faciamus hominem, non Patrem ad Filium dicere, ſed ſeipſum ad ſemetipſum aſſerit dixiſſe Deum, anathema ſit. *& Cyrill. lib. 4. contra Julianum.* Neque enim Deus alios quosdam ad formationem hominis adjutores fecerat, ſed dum dicit, faciamus hominem ſecundùm imaginem noſtram, ſanctæ & conſubſtantialis trinitatis eſt manifeſtatio.

β Poterat & hic eadem intelligi trinitas] *Ita intellexit Marcellin. epiſto. 1. decretali. Eo enim teſtimonio utitur ad probandam eandem eſſe operationem trium perſonarum divinarum, quaſi ibi ſermo ſit patris ad reliquas perſonas divinas. D. Cyrillus lib. 4. contra Julian. his verbis.* Venite, deſcendamus, & confundamus ipſorum linguas. non indicat, *inquit*, alios ſimul aſſumptos Deos, quo pacto enim, vel unde? nulli enim ſunt, ſed ſanctæ Trinitatis venerabile ac magnum & ſanctum ſuboſtendit ſacramentum.

γ Si aliquid eſſet, quod Angelos prohiberet intelligi.] *Magis in eam ſententiam propendet D. Auguſtinus, ut hac verba intelligantur Angelis eſſe dicta: nam quamvis ad perſonas divinas accommodari facile poſſint, quia tamen commodiſſimè de Angelis ipſis exponuntur, ſatius videtur ad eos referri debere.*

δ Nec ſic loquitur Angelis Deus.] *Alias de Dei locutione dictum eſt. Interim obiter notandum, Deum locutum eſſe Angelis, & dixiſſe,* Venite, deſcendamus, & confundamus linguas eorum, *non aliud fuiſſe, quàm Deum revelaſſe Angelis voluntatis ſuæ decretum, ut ædificationem turris & civitatis, confuſa illorum hominum lingua, procedere ulterius prohiberent. Non enim aliud eſt, Deum loqui Angelis, ut aliquid illi vel ſciant vel faciant, quàm declarare illis, quid velit eos ſcire & facere.*

ε Septuaginta gentes totidemque linguæ.] *Hebræi, referente Genebrardo in Chronol. anni diluvii 101. 70 linguas duntaxat conſtituunt, quod faciunt, quia apud Moſem non plura ſtirpium capita & principes notantur juxta numerum filiorum Iſrael profectorum in Ægyptum. Rabbi Salomon Deut. 23. Aben Ezra Gen. 10. & 11. ita interpretantur hunc locum.* Quando dividebat altiſſimus gentes, ſeparabat eos juxta numerum filiorum Iſrael. *Noſtri 72. conſtituunt, ex Japhet. 15. è Cham 30. è Sem 27. Sed poſtea auctus eſt Gentium, plusquam linguarum numerus. Nam à Sem gentes 406. progreſſæ ſunt, lingua 27. è Cham patria 394. lingua 22. ex Japhet populi 200. lingua 23. ut ſint numero 72. linguæ, generationes ſeu gentes 1000. Ita Arnob. in Pſa. 104. Eucher. li. 2. in Gen. ca. 7. & hic Divus Auguſtin.*

CAP.

CAP. VII.

An omne beſtiarum genus, etiam remotiſſimæ à terris inſulæ ex eo numero acceperunt, qui in arca diluvii inundatione ſervatus ſit.

SEd quæſtio de omni genere beſtiarum eſt, quæ ſub cura hominum non ſunt, nec ſicut ranæ naſcuntur ex terra, ſed ſola commixtione maris & fœminæ propagantur, ſicut lupi & hujusmodi cætera, α quomodo poſt diluvium, quo ea, quæ in arca non erant, cuncta deleta ſunt, etiam in inſulis eſſe potuerunt, ſi reparata non ſunt, niſi ex his, quorum genera in utroque ſexu arca ſervavit. Poſſunt quidem credi ad inſulas natando tranſiſſe, ſed proximas. Sunt autem quædam tam longè poſitæ à continentibus terris, ut ad eas nulla videatur natare potuiſſe beſtiarum. β Quòd ſi homines eas captas ſecum adduxerunt, & eo modo, ubi habitabant, earum genera inſtituerunt, a venandi ſtudio fieri potuiſſe incredibile non eſt: quamvis juſſu Dei, ſive permiſſu etiam opere angelorum negandum non ſit, potuiſſe transferri. Si verò è terra exortæ ſunt ſecundùm originem primam, quando dixit Deus: *Producat terra animam vivam:* multo clarius apparet, non tam reparandorum animalium cauſa, quàm figurandarum variarum gentium propter Eccleſiæ ſacramentum in arca fuiſſe omnia genera, ſi in inſulis, quo tranſire non poſſunt, multa animalia terra produxit.

a VEnandi ſtudio, &c. incredibile non eſt.] *In inſulis Fortunatis, & in his, quæ noſtra ætate ſunt inventa, multa animaliū genera, quæ inter nos ſunt frequentiſſima, omninò nulla erant: itaque importata ſunt: quemadmodum in ſtirpium generibus quotidiè uſu venit, ut ſemen aut ſurculus aliquis ab aliis ad alias gentes transferatur.* L.Vives.

α QUomodo poſt diluvium.] *Quemadmodum genus humanum reparatum eſt à tribus filiis Noe, qui ſervati ſunt in arca, & inde per tot regiones propagatum, etiam in inſulas longo maris tractu deportatum, ita non mirum reparata omnia genera animalium & propagata per orbem per eorum commixtionem, quæ fuere in arca Noe.* F.L.Coqu.

β Quod ſi homines eas captas ſecum adduxerunt.] *Quemadmodum enim in ſtirpium generibus fere uſu venit, ut ſemen aut ſurculus aliquis ab aliis regionibus ad alias transferatur, ita & in animalium generibus contingit.*

CAP. VIII.

An ex propagine Adam vel filiorum Noë quædam genera hominum monſtroſa prodierint.

QUæritur etiam, utrum ex filiis Noë, vel potius ex illo uno homine, unde etiam ipſi extiterunt, propagata eſſe credendum a ſit, α quædam monſtroſa hominum genera, quæ gentium narrat hiſtoria: b ſicut β perhibentur quidam, unum habere oculum in fronte media: quibusdam plantas verſas eſſe poſt crura, γ quibusdam utriusque ſexus eſſe naturam, & dextram mammam virilem, ſiniſtram muliebrem, vicibusque alternis coeundo & gignere & parere: δ aliis ora non eſſe, eosque per nares tantummodo ſuſcepto & emiſſo halitu vivere: alios,

lios ſtatura eſſe cubitales, *c* ε quos Pygmæos à cubito Græci vocant: alibi quinquennes concipere fœminas, & octavum vitæ annum non excedere. Item ferunt eſſe gentem, ubi ſingula crura in pedibus habent, nec poplitem flectunt, & ſunt mirabilis celeritatis, ζ quos *d* Sciopodas vocant, quòd per æſtum in terra jacentes reſupini umbra ſe pedum protegant: η quoſdam ſine cervice oculos habere in humeris, & cætera hominum, vel quaſi hominum genera, quæ in maritima platea Carthaginis *e* θ muſivo picta ſunt, ex libris deprompta velut curioſioris hiſtoriæ. Quid dicam *f* ι de Cynocephalis, quorum canina capita atque ipſe latratus magis beſtias, quàm homines confitetur? Sed κ omnia genera hominum, quæ dicuntur eſſe, eſſe credere non eſt neceſſe. Verùm quiſquis uſpiam naſcitur homo, id eſt, animal rationale mortale, quamlibet noſtris inuſitatam ſenſibus gerat corporis formam, ſeu colorem, ſive motum, ſive ſonum, ſive quamlibet vim, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ, ex illo protoplaſto uno originem ducere, nullus fidelium dubitaverit. Apparet tamen, quid in pluribus natura obtinuerit, & quid ſit ipsâ raritate mirabile. λ Qualis autem ratio redditur de monſtroſis apud nos hominum partubus, talis de monſtroſis quibuſdam gentibus reddi poteſt. Deus enim creator eſt omnium, qui ubi & quando creari quid oporteat, vel oportuerit, ipſe novit μ ſciens univerſitatis pulchritudinem quarum partium, vel ſimilitudine, vel diverſitate contexat. Sed qui totum inſpicere non poteſt, tanquam deformitate partis offenditur: quoniam cui congruat, & quò referatur, ignorat. Pluribus quàm quinis digitis in manibus & pedibus naſci homines novimus: & hæc levior eſt, quàm illa diſtantia, ſed tamen abſit, ut quis ita deſipiat, ut exiſtimet, in numero humanorum digitorum erraſſe creatorem, quamvis neſciens, cur hoc fecerit. Ita etſi major diverſitas oriatur, ſcit ille quid egerit, cujus opera juſtè nemo reprehendit. *g* Apud Hipponem natus eſt homo, quaſi lunatas habens plantas, & in eis binos tantummodo digitos, ſimiles & manus. Si aliqua gens talis eſſet, illi curioſæ *h* atque mirabili adderetur hiſtoriæ. Num igitur iſtum propter hoc negabimus ex uno illo, qui primus creatus eſt, eſſe propagatum? *i* Androgyni, quos etiam Hermaphroditos nuncupant, quamvis admodùm rari ſint, difficile eſt tamen, ut temporibus deſint: in quibus ſic uterque ſexus apparet, ut ex quo potius debeant accipere nomen, incertum ſit: à *k* meliore tamen, hoc eſt, à maſculino, ut appellarentur, loquendi conſuetudo prævaluit. Nam nemo unquam Androgynecas †, aut Hermaphroditas nuncupavit. Ante annos aliquot noſtra certè memoria, *l* in oriente duplex homo natus ſuperioribus membris, inferioribus ſimplex. Nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter autem unus, & pedes duo, ſicut uni homini, & tam diu vixit, ut multos ad eum videndum fama contraheret. Quis autem omnes commemorare poſſit humanos fœtus longè diſſimiles his, ex quibus eos natos eſſe certiſſimum eſt? Sicut ergò hæc ex illo negari non poſſunt originem ducere, ita quæcunque gentes in diverſitatibus corporum ab uſitato naturæ curſu, quem plures & propè omnes tenent, *m* velut exorbitaſſe traduntur, *n* ſi definitione illa includuntur, ut rationalia animalia ſint atque morta-

† al. Ἀνδρόγυνα

mortalia, ab eodem ipſo uno primo patre omnium ſtirpem trahere confitendum eſt: ſi tamen vera ſunt, quæ de illarum nationum varietate, & tanta inter ſe atque nobiſcum diverſitate traduntur. Nam & Simias, *o* & cercopithecos, *p* & ſphingas, ſi neſciremus non homines eſſe, ſed beſtias, poſſent illi hiſtorici de ſua curioſitate glorianteѕ, velut gentes aliquas hominum nobis impunita vanitate mentiri. Sed ſi homines ſunt, de quibus illa mira conſcripta ſunt, quid ſi propterea Deus voluit etiam nonnullas gentes ita creare, ne in his monſtris, quæ apud nos patet ex omnibus naſci, ejus ſapientiam, quæ naturam fingit humanam, velut artem cujuſpiam minus perfecti opificis putaremus erraſſe? Non itaque nobis videri abſurdum debet, ut quemadmodum in ſingulis quibuſque gentibus quædam monſtra ſunt hominum, ita in univerſo genere humano quædam monſtra ſunt gentium. *q* Quapropter ut iſtam quæſtionem pedetentim cautèque concludam: *r* aut illa, quæ talia de quibuſdam gentibus ſcripta ſunt, omninò nulla ſunt, aut ſi ſunt, homines non ſunt: aut ex Adam ſunt, ſi homines ſunt.

a SIt quædam monſtruoſa h. g.] *De his Plinius lib. 7.* L. Vives.

b Sicut perhibentur quidam] *Pygmæos non crediderim uno tantùm fuiſſe in loco, nec adeò inter ſe diſſidere ſcriptores. Plinius enim lib. 4. in Thracia ponit Pygmæos ad Geraniam, ubi Pygmæorum, inquit, gens fuiſſe proditur, quos Catizos barbari vocant, creduntq́; à gruibus fugatos. Conſtat enim, plurimas in his locis eſſe grues, unde Strimoniæ dicuntur ab Strimone Thraciæ fluvio. Et Gerania Græco nomine de gruibus dicitur γέρανοι. Idem Plinius in 5. opinionem eorum refert, qui Pygmæos Eudonis Cariæ fluminis putarunt accolas. In 6. ex aliorum traditione Pygmæos in Praſiorum montanis, quæ ſunt in India, ſtatuit, quam ſententiam Philoſtratus ſequitur. In eodem lib. 6. Plinius eſſe qui ante Nili paludes Pygmæos ponant, tradit. Ex quibus eſt Ariſtoteles, qui in Æthiopia regione Troglodytica Pygmæos dicit vivere, ſubireq́; cavernas. & ob eam cauſam Troglodytas vocari, fabulamq́; eſſe negat, quòd vulgò de ſtatura eorum deq́; pugna cum gruibus fertur, quam Homerus cantavit, qui etiam ad meridiem terræ Pygmæos dixit agere: nempe in Æthiopia, ut etiam Strabo interpretatur, in qua regione tanta eſt gruum per hyemem noſtram frequentia, quanta in Thracia per æſtatem, videlicet eiſdem gruibus pro tempore migrantibus & remigrantibus. Mela in Arabia interiore ſcribit, fuiſſe Pygmæos, minutum genus, & quod pro ſatis frugibus contra grues dimicando defecit. Sunt qui eſſe non putent. Ariſt. & Plin. putant.*

c A cubito Græci.] *πυγὼν eſt cubitus, & ab hoc nomine interpres Homeri Euſtathius ait, Pygmæos nominatos eſſe: cubitus verò ſeſquipedem capit, hoc eſt, digitos viginti quatuor. Pes enim duodecim pollicibus conſtat, id eſt, digitis ſedecim & palmis quatuor. Etſi palmus non ſimpliciter dicitur: nam palmus minor eſt, quem dixi: quadrans pedis tribus pollicibus conſtans, & major palmus duodecim digitorum, qui σπιθαμὴ ſpithama dicitur: & dodrans pedis, nempe novem ejus unciæ, qui ſunt pollices novem. Plin. lib. 7. ſuper hos extrema in parte montium Spithamæi Pygmæi narrantur ternas ſpithamas longitudine, hoc eſt, ternos dodrantes non exce-*

dentes. *Idem Gell. lib. 9. Pygmæi, qui longiſſimi ſunt, non ſuperant pedes duos & quadrantem utriusque numeri, & iſtius Gellii, & illius Plin. 36. digiti eſt ſumma. Juvenalis poeticè dixit, ut rem faceret magis ridiculam, Pygmæam cohortem pede uno altiorem non eſſe.*

Sciopodes. *d* Quos Sciopodas.] *Umbripedes, ſi quis verti velit ad verbum: eſt enim σκιὰ umbra.*

Muſivû. *e* Muſivo picta.] *Sic Spartianus in Peſcennino Nigro, De muſivo picta vidimus. Her. Barbarus lib. 36. in Plinium, cui & Ægnatius Baptiſta in Spartianum ſuffragatur, muſivum opus eſſe dicit, quòd vulgò muſeacum vocant, teſſellatum lapillis variorum colorum: ex quîs arte compoſitis & coagmentatis omne genus imaginum redditur. Quale eſt Romæ videre in parietibus, lacunaribus & pavimentis frequens opere vetuſto, nam nunc periiſſe ajunt id artificii. Nos tamen in Hiſpania ſegmentatis utimur tabulis & ſellis, quæ ad eandem operis rationem poſſunt referri. Perottus annotavit, non muſaicum eſſe dicendum, ut vulgò corruptè, ſed muſeacum à muſeis: adducitq; in id Plinii dictum ex libro 36. Ejusdem ſententiæ videtur eſſe Hermolaus. Non vacat nunc diſquirere, quàm rectè uterque ſenſerit. Populus muſaicum dici putat à muſa, quòd ſit opus multæ muſæ, ut ipſi loquuntur, hoc eſt, multæ operæ & artis.*

Cynocephali. *f* De Cynocephalis.] *Alibi dicit, poſſe Latinè nuncupari Canicipites. Solinus ad ſimiarum genus Cynocephalos refert, quos ſcribit, nunquam ſic manſueſcere, ut non ſint magis rabidi. Diodorus cenſet, fera eſſe animalia.*

Hippones. *g* Apud Hipponem.] *In margine addiderant quidam Diaritum & Zaritum. Legendum ſic eſt: apud Hipponem Diarrhytum. Duo ſunt Hippones in Africa Straboni, Melæ, Plinio, Ptole. ab equitibus Græcis dicti, ut Solinus inquit, ἱππεὺς enim eſt Græcè. Alter eſt enim in ſinu Hipponenſi citra Carthaginem. Diarrhytos dicitur, quòd paluſtri agro ſitus à fluore, Plinius. Hujus Epiſcopus fuit divus Auguſtinus. Eſt alter Hippo regius ulterius à regibus inhabitatus. Silius:*

Tùm vaga, & antiquis dilectus regibus Hippo utrumque attigit.

h Illi curioſæ.] *De qua paulò antè dixit hoc eodem cap.*

i Androgyni.] *Ex Græco eſt ad verbum mas & fœmina, ἀῤῥὲς καὶ γυνή. Dicuntur etiam Hermaphroditi, quòd primus ille Semmas filius fingatur à fabulatoribus Hermæ, id eſt, Mercurii & Aphroditis, hoc eſt, Veneris.*

Androgyni. *k* A meliore.] *Nam à maſculo ſexu dicuntur in voce ipſa androgynus, non androgynæ. Sic etiam Latinè ſemimares nominantur apud Livium Luc. & alios, qui quoties olim naſcebantur, pro portentis habebantur.*

l In Oriente.] *In ora Africæ Orientali, quæ ſpectat ad Cyrenem, & hinc ad Nilum. Habet enim Africa hunc Amnem ad Orientem, quo ſeparatur ab Aſia.*

m Velut exorbitaſſe.] *Quia una eſt via, & ceu orbita, quæ natura ipſa vadit.*

n Si definitione.] *Notum eſt à Philoſophis definiri hominem animal rationale, addi etiam mortale: nam plerique omnes deorum, dæmonas quoque animalia eſſe autumant, rationalia, ſed immortalia tamen.*

o Et cercopithecos. *Ex Græco caudatas ſimias: κέρκος cauda, πίθηκος ſimius. Martialis de ſimio:*

Cal-

Callidus admiſſas eludere ſimius haſt.u,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Ariſt. lib. anim. 2. κήβας *vocat, quod ſinit caudatas ſimias. Alii tamen ſunt, quos Strabo cepos nominat lib. 16. facie leonis, corpore reliquo panthera, dama magnitudine dicit eſſe. Sunt & Cepi ad Naotim populi.*

p Et ſphingas.] *Sphinx & ſphinga, animal eſt non abſimile vulgaribus ſimiis, niſi quòd eſt majus, geminis à pectore mammis propendulus, muliebri facie. In Æthiopia naſcitur, docile, ut inquit Solinus, ad feritatis oblivionem. Poetæ ei faciem virginalem tribuunt, ferinos pedes, & in dorſo alas. De hac lib. 18.* Sphinx.

q Mirè quidem, &c. definitum.] *Hæc verba non ſunt in vetuſtis libris manuſcriptis.*

r Aut illa aut alia.] *In antiquis codicibus ſic, Aut illa, quæ talia de quibusdam, &c.*

α QUædam monſtroſa hominum genera.] *Multa refert Plin. li. 6. ca. 30. & li. 7. cap. 2. Solin. ca. 23. & ca. 55. & paſſim Agell. li. 9. ca. 4. Iſidor. lib. 11. etymol. cap. 3. Strabo lib. 15. Geograph.* P. L. Cap.

β Perhibentur quidam unum habere oculum in fronte media.] *Ita proditum de Arimaſpis populis, de quibus Plin. li. 7. c. 2. Herodo. lib. 3. Agell. lib. 9. c. 4. Marcell. lib. 23. Arimaſpos homines luſcos & feros vocat, coclites appellat Varro lib. 6. de LL. Solinus gentem unoculam. Herodot. tamen de his mentionem faciens dicit, ſe nec ipſum credere, ut viri naſcantur unoculi, cæteram naturam habentes aliis hominibus parem. Cyclopas dictos volunt ab eo, quod unum oculum orbicularem in fronte haberent.* Κύκλ☉ *enim circulum ſignificat,* ὄψ *lumen. unde Arimaſporum nomen illis inditum. videri poteſt Muretus lib. 12. variat. lectio. cap. 8.*

γ Quibusdam utriusque ſexus eſſe naturam.] *Id de Androgynis populis in Africa ſuper Naſamonas refert Plin. lib. 7. cap. 2. qui inter ſe vicibus coeant, & ex Ariſtotele adjicit dextram mammam iis virilem, lævam mulierem eſſe. unde hoc deſumpſiſſe videtur D. Auguſtinus.*

δ Aliis ora non eſſe.] *Plin. loco cit.* Ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis, Aſtomorum gentem ſine ore, corpore toto hirtam veſtiri frondium lanugine, halitu tantum viventem, & odore, quem naribus trahant, nullum illis cibum, nullumque potum; tantum radicum florumque varios odores, & ſylveſtrium malorum, quæ ſecum portant longiore itinere, ne deſit olfactus, graviore paulo odore haud difficulter exanimari. *Eadem Solin. cap. 55. Strabo li. 15. Geographia.*

ε Quos Pygmæos à cubito.] Πυγμαῖ☉ *quaſi* πηγμαῖ☉, cubitalis, ἀπὸ τῆς πηχῆς, *quæ eſt menſura ſex digitis brevior quam cubitus, qui Græcis* πῆχυς *dicitur. Plin. lib. 4. cap. 11. in Thracia Pygmæos fuiſſe ſcribit, urbemq; Geraeam tenuiſſe, donec à Gruibus fugati novas ſibi ſedes quærere ſint coacti. Alii Ægypto, alii India etiam Pygmæam gentem tribuunt. Agellius lib. 9. c. 4. eorum longiſſimos non longiores eſſe quàm pedes duos & quadrantem ait. Strabo lib. 1. & lib. 17. quæ dicuntur de Pygmæis, & eorum præliis conficta eſſe putat, quos nemo fide dignus dixerit ſe vidiſſe. Fabula Homerica eſt de Pygmæis, & eorum præliis cum Gruibus.*

ζ Quos Sciopodas vocant.] *Hoc eſt umbripedes. De his Plinius lib. 7. cap. 2. hac ſcribit.* Item hominum genus, qui monoſceli vocarentur, ſingulis cruribus, miræ pernicitatis ad ſaltum, eoſdemque Sciopodas vocari, quod in majori æſtu humi jacentes reſupini *σκιᾷ ποδῶν. i.e.* umbra pedum ſe protegant. *Monomeros vocavit Agell. l. 9. c. 4. de iisdem Solin. ca. 55.*

η Quoſdam ſine cervice oculos habere in humeris.] *Plinius & Agellius, & Solinus locis citatis.*

θ Muſiva picta ſunt.] *Pictum de muſivo dixit Spartianus in Peſcennio Nigro. Anaſtaſius de vitis Pontificum in Leone 3.* Ædificavit eccleſiam cum apſida ampliſſima & cacumina mirifica de muſivo. *Ibidem:* Fecit in Triclinio majori miræ pulchritudinis decoratam apſidam de muſivo ornatam. *Apud eundem in Leone 4.* Decorare ex muſivo, *in Benedicto 3.* Pictura muſivi decorare. *in Zacharia, muſiva & picturis ornare, alibi, ornare ex muſivo, & muſivo depingere. Quæ ſint muſiva explicavit Joſephus Scaliger ad Manilium lib. 5. & Caſaubonus notis in Spartianum,* Pavimenta ſectilibus ſcutulis aut teſſellis ſtructa, & ad regulam exactè perfricata, *& hodie dicitur,* Opus muſaicum, *& artifices ſeu pictores dicuntur* muſivarii.

ι De Cynocephalis.] *A. Gellius lib. 9. cap. 4.* Item eſſe in montibus terræ Indiæ homines caninis capitibus & latratibus, eoſque veſci avium & ferarum venatibus, *de iisdem Plinius lib. 7. cap. 2. & Herodotus lib. 4. & Cteſias de rebus Indicis, hos ab Indis Calyſtraos nominari ſcribit.*

κ Omnia genera hominum, quæ dicuntur eſſe, credere non eſt neceſſe.] *Strabo lib. 2. quæ de hominibus in auribus cubantibus, ore, naribus carentibus, unoculis, longipedibus, digitis retrò averſis præditis referuntur, & de Pygmæis fabularum loco habet.*

λ Qualis ratio redditur de monſtroſis hominum partibus.] *De cauſis monſtroſorum partuum videri poteſt Ariſtot. lib. 4. de generat. animal. cap. 4. Plutarchus lib. 5. de Placitis cap. 8.*

μ Sciens univerſitatis pulchritudinem quarum partium, vel ſimilitudine, vel diverſitate.] *Tum ob alias cauſas, tùm ob univerſi pulchritudinem vult Deus monſtra eſſe in mundo, ut nimirum hoc ſpectabilis mundi theatrum, non elegantium duntaxat, ſed deformium etiam velut imaginum varietate exornetur. Ea enim, quæ fœda ſunt, etiam ad univerſitatis decorem faciunt & elegantiam eo modo, quo gratiam lucis commendat ipſa obſcuritas noctis & umbræ, atriq; colores picturæ augent venuſtatem.*

CAP. IX.

An inferiorem partem terræ, quæ noſtræ habitationi contraria eſt, Antipodas habere credendum ſit.

QUod *a α* verò & Antipodas eſſe fabulantur, id eſt, homines à contraria parte terræ, ubi ſol oritur, quando occidit nobis *b* adverſa pedibus noſtris calcare veſtigia, nulla ratione credendum eſt. Neque hoc ulla hiſtorica cogitatione dici-

didiciſſe ſe affirmant, *c* ſed quaſi ratiocinando conjectant, eò quòd intra convexa cœli terra ſuſpenſa ſit β eundemque *d* locum mundus habeat, & infimum, & medium: & ex hoc opinantur alteram terræ partem, quæ infrà eſt, habitatione hominum carere non poſſe. Nec attendunt, etiam ſi figura conglobata & rotunda mundus eſſe credatur, ſive aliqua ratione monſtretur: non tamen eſſe conſequens, ut etiam ab illa parte ex aquarum congerie nuda ſit terra. Deinde etiam ſi nuda ſit, neque hoc ſtatim neceſſe eſt, ut homines habeat: quando nullo modo ſcriptura iſta mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eo quod ejus prædicta complentur. Nimiſque abſurdum eſt, ut dicatur, aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immenſitate trajecta navigare ac pervenire potuiſſe, ut etiam illis ex uno illo primo homine genus inſtitueretur humanum. Quapropter inter illos tunc hominum populos, qui per ſeptuaginta duas gentes, & totidem linguas colliguntur fuiſſe diviſi, quæramus, ſi poſſumus invenire illam in terris peregrinantem civitatem Dei, quæ uſque ad diluvium arcamque perducta eſt: atque in filiis Noë per eorum benedictiones perſeveraſſe monſtratur, maximè in maximo, qui eſt appellatus Sem: quandoquidem Japhet ita benedictus eſt, ut in ejusdem fratris ſui domibus habitaret.

a QUod verò & Antipodas.] *Coſmographi omnes cœlum, & proinde terram in quinque cingula diviſerunt, quorum poſtremi duo, quòd cœli verticibus ſubjectreſſent, procul à cœli motu, à ſolis orbita duobus perennibus fontibus caloris, perpetuis rigoribus infeſtantur: medium verò, in quo & concitatiſſima eſt cœli vertigo, & via ſolis, nimio peruſtum ardore, cultum omnem humanum abigit: quæ mediæ ſunt inter frigida & toſtum, temperie ſua ſedem animantibus præbent. Cingulum, in quo nos ſumus ad Septentrionem vergens Boreale temperatum dicitur, contrarium illud Auſtrale iisdem temperatum, ἀντίχθονες, qui terram illam poſſident, dicuntur. Tum jubet Cleomedes zonas iſtas duas, quatuor in partes æquas rectis angulis ſecari: qui partes, quæ in eadem ſunt zona, incolunt, inter ſe ſunt περίοικοι, id eſt, circumcolæ: qui in diverſis, aut æqua diſtantia ab occidentali inæquali à polis habitant, ſunt ἄντοικοι, quaſi contra ſe poſiti: aut in æquis omnibus ſunt Antipodes: περίοικοι, luce differunt ac tenebris, non viciſſitudinibus anni & temporum: ἄντοικοι, contra his, non illis: Antipodes utriſque. Opinio veterum, cui Cicero, Mela, & maximi quique ſuffragati ſunt, fuit, auſtralem illam plagam penitus nobis incognitam eſſe. Ciceroq́; in 6. de Repub. interfuſum maximum inter nos & illos ἀντίχθονες Oceanum putavit, quem nemo unquam penetrarit: idq́; fuſiſſimè Macrobius perſequitur: Ego ne ibi multum hæreret lector, velut prætervolavi, ſpatio vix tacto. Hæc fuit Auguſtino cauſa non levis, cur Antipodes negaret, Lactantium ſecutus. Videbat enim homo acutiſſimus, ſi concederetur aditum nulli eorum, qui hanc incolimus Borealem faſciam temperatam, ad auſtrales illos patere, ut Cicero jam magniq́; autores præjudicarant, ſequi neceſſariò illos de genere Adæ non eſſe, maluit illud negare, quàm argumento premi tam moleſto tantis autoritatibus munito: ſed profectò & Antipodes eſſe tam certum eſt, ut negari non poſſit, & ad illos eſſe viam compertiſſimum eſt, etiam nonnullis antiquorum, nedum navigationibus noſtra memoriæ. Nam olim per Arabicum* L. Vives: Antipodes.

 ſinum

ſinum quidam Auguſti Cæſaris potentiam fugientes, perq; imam Æthiopiam mareq; Athalanticum ad Gades Herculis enavigarunt: contra florentibus rebus Carthaginienſium aliqui ex eis ab Herculeo freto in Arabicum mare rubrum: tum etiam Perſicus ſinus, & Indicum, Eoumq; mare Alexandri armis eſt exploratum, inſulaq; Taprobane, & alia in illis tractibus nonnulla, quæ ex poſitu cælorum & ſyderum deprehenduntur, Antipodes eſſe nobis. Tantum enim illis exurgit contrarius ille vertex, tantum ab Occidentali ſuo abſunt, quantum quædam ex terris in zona poſitis.

b Adverſa pedibus noſtris.] *Imitatio Ciceronis in Somnio Scipionis, de Antipodibus enim loquens ait: Adverſa nobis urgent veſtigia.*

c Sed quaſi ratiocinando conjectant.] *Similis enim in adverſa zona temperies eſt, quapropter terra incolantur huic noſtræ, quæ inter æſtum & frigus extenditur.*

d Eundemque locum mundus.] *In rotundo medium eſt infimum, ambitus undique ſublimis & ſupremus eſt.*

e.L.C.9 *a* QUod vero & Antipodas eſſe fabulantur.] *ἀντίποδες qui & ἀντίχθονες. i. e.* Averſipedes *dicuntur, qui pedibus noſtris oppoſitos ſeu adverſos pedes habent. Cicero in 4. Academic.* Nonne etiam dicitis eſſe è regione nobis è contraria parte terræ, qui adverſis veſtigiis ſtent contra noſtra veſtigia, quos *ἀντίποδας* vocatis. *Plin. li. 2. cap. 65.* Ingens hic pugna literarum, contraque vulgi: circumfundi terræ undique homines, converſiſque inter ſe pedibus ſtare, & cunctis ſimilem eſſe cœli verticem, ac ſimili modo ex quacumque parte mediam calcari, illo quærente cur non decidant contra ſit? tanquam non & ratio præſto ſit ut nos non decidere mirentur illi. *lib. 6. c. 22. antichtonas appellat. Antipodas eſſe cum Auguſtino negavit Lactantius lib 3. c. 24. Joannes Tzetzes in varia hiſtoria chilia de 7. Beda lib. de ratione tempor. cap. 32. Lucretius lib. 1. ubi vanum ſtolidis errorem hæc omnia finxiſſe aſſerit. Ratio Lactantii eſt, quia* ſi antipodes ſint, erunt ipſorum veſtigia ſuperiora quam capita, eruntque homines penduli, & quæ apud nos jacent, apud illos univerſa pendebunt, fruges & arbores deorſum verſus creſcent, pluviæ, nives & grandines ſurſum verſus in terram cadent, & miratur *(ait)* aliquis hortos penſiles inter ſeptem miracula narrari, cum philoſophi & agros, & maria, & urbes, & montes penſiles faciant? *Verùm hæc ratio ridicula eſt, ad quam dicendum, cum terra in globi ſpeciem conformata ſit, & ab omnibus cœli partibus perpendicula, pondera, turres, arbores, fruges, pluviæ, denique grana omnia in ſuis collibrata nutibus in centrum mundi vergant, non magis pendulos eſſe Antipodes, quàm nos ſimus, nec debere illis nos magis, quam illos nobis ruinam extimeſcere, cùm utriſque ſit eadem ratio. Antipodes enim ſunt ſuper terram, quemadmodum & nos, & non infra terram. vide Abulenſem ad cap. 33. Exod. quæſt. 16. & ad cap. 7 Deuteron. quæſt. 4. Deinde ſi ob eam rationem ex adverſa terræ parte homines eſſe non poſſunt, nec terra, nec aqua ibidem conſiſterent, ſed in cœlum caderent. Et quidem erravit abſurdè Lactantius in hac ſua opinione etiam circa philoſophiam. Verum Auguſtinum acri ingenio virum & ſummum philoſophum alia longè ratio impulit ad negandos homines Antipodas. Quia etſi figura conglobata & rotunda mundus eſſe credatur, vel aliqua ratione monſtretur, non ideò conſequens ſit, ut etiam ex ea parte, quæ*

nobis

nobis adverſa eſt, aquarum congerie vacet terra. Deinde quia & ſi aquis ſit libera, non ſtatim oportet, ut homines habeat, quos conſtat illuc pervenire non potuiſſe, niſi immenſitate Oceani trajecta. Quod tamen factum non legitur, Geographis conſtituentibus ultimos terræ fines Herculeas columnas. Item quia licet terra nobis contraria habitari poſſet, cum hinc illuc aditus non pateat, ſi inibi homines exiſterent, non eſſent ex genere Adæ, quod ſcripturæ repugnat, quæ ex uno omne hominum genus vult eſſe propagatum. Nec mirum erraſſe in hoc D. Auguſtinum, cùm & Ariſtoteles, ſummus Philoſophus exiſtimaverit, ſub æquinoctiali circulo terram non eſſe habitabilem, & omnes ferè Philoſophi ſibi perſuaſerint terra diviſa in quinque zonas duas eſſe tantùm habitabiles, antequam navigationibus Hiſpanorum, & Luſitanorum ante centum annos contrarium deprehenderetur; & quidem ſub æquinoctiali circulo multi qui cò pervenere, teſtantur habitationem eſſe valde commodam, atque ita non tam ratione in contrarium quàm experientia deprehenſus error Ariſtotelis. ita D. Auguſtino reſpondendum eſſe jam ſatis compertam eſſe magnam terræ partem noſtro orbi oppoſitam non ſolum ab aquis liberam eſſe, ſed ab hominibus etiam habitari. Quo verò pacto illuc pervenerint, non ſatis conſtat, potuerunt ad ornatum mundi, qui hominum gratia conditus fuit eò ab Angelis deportari, à quibus pantheras, lupos, Leones, aliasque hujuſmodi feras in inſulas à continenti disjunctiſſimas poſt diluvium transportatas fuiſſe probabile cenſet idem D. Auguſtinus ſupra cap. 7. potuerunt etiam fortaſſe illuc pedeſtri ire itinere, ut placet quibusdam non levi conjectura opinantibus noſtrum hemiſpherium cum illo aliqua parte aut continuari, aut certè non procul ab eo disjungi; potuerunt etiam illuc navibus deferri, nec enim Oceani vaſtitas ita noſtro ſæculo navigari cœpta eſt, ut à nemine unquam trajecta fuerit, ut videre licet apud Plinium lib. 2. cap. 67. de longinquis adeò navigationibus, & jam compertum eſt, nullam eſſe mundi oram, quæ ob cœli intemperiem ab hominibus non incolatur, aut incoli reipſa non poſſit; compertum jam habitari in æquinoctiali plaga intra & extra tropicos, imò ſub polo arctico aliquot terræ tractus incoli teſtis eſt Olaus Magnus lib. 1. de part. Septentrional.

β Eundemque locum mundus habeat & infimum & medium.] *Terra quemadmodum infimum eſt elementorum, ita in medio mundi ſitam eſſe probat Ariſtot. lib. 2. de cœlo cap. ult. text. 100. probant & Aſtronomici variis rationibus. Eſt enim centrum mundi ex omni parte æquidiſtans à circumferentia.*

Cap. X.

De generatione Sem, in cujus progenie tendens ad Abraham civitatis Dei ordo dirigitur.

TEnenda eſt igitur ſeries generationum ab ipſo Sem, ut ipſa oſtendat poſt diluvium civitatem Dei: ſicut eam ſeries generationum ab illo, qui eſt appellatus Seth, oſtendebat ante diluvium. Propter hoc igitur ſcriptura divina cùm terrenam civitatem in Babylone, hoc eſt, in confuſione eſſe monſtraſſet, ad patriarcham Sem recapitulando revertitur, & orditur inde generationes uſque ad Abraham, commemorato etiam numero annorum, quantò quisque ad hanc ſe-

riem pertinentem filium genuiſſet, quantoque vixiſſet. Ubi certè agnoſcendum eſt, quod ante promiſeram, ut appareat, quare ſit dictum de filiis Heber, *nomen unius Phalec: quia in diebus ejus diviſa eſt terra.* Quid enim aliud intelligendum eſt, terram eſſe diviſam, niſi diverſitatem linguarum? Omiſſis igitur cæteris filiis Sem, ad hanc rem non pertinentibus, illi connectantur in ordine generationum, per quos poſſit ad Abraham perveniri: ſicut illi connectabantur ante diluvium, per quos perveniretur ad Noe, generationibus, quæ propagatæ ſunt ex illo Adam filio, qui appellatus eſt Seth. Sic ergo incipit generationum iſta contextio. *Et hæ generationes Sem. Sem filius Noe centum erat annorum, quum genuit a Arphaxat, a ſecundo anno poſt diluvium. Et vixit Sem, poſtquam genuit Arphaxat quingentos annos, & genuit filios & filias & mortuus eſt.* Sic exequitur cæteros, dicens, quoto quisque anno vitæ ſuæ filium genuerit ad iſtum generationum ordinem pertinentem, qui pertendit ad Abraham: & quot annos poſtmodum vixerit, intimans eum filios filiasque genuiſſe: ut intelligamus, unde potuerint populi accreſcere, ni in paucis, qui commemorantur, hominibus occupati pueriliter hæſitemus, unde tanta ſpatia terrarum atque regnorum repleri potuerit de genere Sem, maximè propter Aſſyriorum regnum, unde Ninus ille orientalium domitor uſquequaque populorum ingenti proſperitate regnavit, & latiſſimum ac fundatiſſimum regnum, quod diuturno tempore duceretur, ſuis poſteris propagavit. Sed nos ne diutius quàm opus eſt immoremur, non quot annos quisque in iſta generationum ſerie vixerit, ſed quoto anno vitæ ſuæ genuerit filium, hoc ordine memorandum tantummodo ponimus: ut & numerum annorum à tranſacto diluvio uſque ad Abraham colligamus, & præter illa, in quibus nos cogit neceſſitas immorari, breviter alia curſimque tangamus. Secundo igitur anno poſt diluvium, Sem cum eſſet centum annorum, genuit Arphaxat. β Arphaxat autem, cùm eſſet centum triginta quinque annorum genuit Cainan, qui cùm eſſet centum triginta annorum genuit Sala: porrò etiam ipſe Sala totidem annorum erat, quando genuit Heber. Centum verò & triginta & quatuor agebat annos Heber, cùm genuit Phalec, in cujus diebus diviſa eſt terra. Ipſe autem Phalec vixit centum triginta annos, & genuit Ragau. Et Ragau centum triginta duos, & genuit Seruch. Et Seruch centum triginta, & genuit Nachor. Et Nachor ſeptuaginta novem, & genuit *b* Thara. Thara autem ſeptuaginta, & genuit Abram, quem poſtea Deus mutato vocabulo vocavit Abraham. γ Fiunt itaque anni à diluvio uſque ad Abraham mille ſeptuaginta & duo, ſecundùm vulgatam editionem, hoc eſt, interpretum ſeptuaginta. δ In Hebræis autem codicibus longè pauciores annos perhibent inveniri: de quibus rationem aut nullam, aut difficillimam reddunt. Cum ergò quærimus in illis ſeptuaginta duabus gentibus civitatem Dei, non poſſumus affirmare illo tempore, quo erat illis labium unum, id eſt, loquela una, tunc jam genus humanum alienatum fuiſſe à cultu veri Dei, ita ut in ſolis iſtis generationibus pietas vera remaneret, quæ deſcendunt de ſemine Sem per Arphaxat, & tendunt ad Abraham: ſed ab illa ſuperbia ædificandæ turris uſque in cœlum, quia impia ſignificatur elatio, terrena apparuit

Gen. 10. Gen. 11. Gen. 17.

civi-

civitas,hoc eſt,ſocietas impiorum. Utrum iſta antè non fuerit, an latuerit, an potiùs utraque permanſerit, pia ſcilicet in duobus filiis Noë, qui benedicti ſunt, eorumque poſteris: impia verò in eo, qui maledictus eſt, atque ejus progenie, ubi etiam exortus eſt gigas venator contra Dominum: non eſt dijudicatio facilis: fortaſſis enim, quod profectò credibilius eſt, & in filiis duorum illorum jam tunc antequam Babylonia cœpiſſet inſtitui, fuerunt contemptores Dei, & in filiis Cham cultores Dei: utrumque tamen hominum genus terris nunquam defuiſſe, credendum eſt. Siquidem & quando dictum eſt: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum:* in utroque Pſalmo, ubi hæc verba ſunt, & hæc leguntur: *Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam in cibo panis?* Erat ergo etiam tunc populus Dei: unde illud, quod dictum eſt: Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum: de filiis hominum dictum eſt, non de filiis Dei. Nam præmiſſum eſt: Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videret, ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Ac deinde illa ſubjuncta, quæ omnes filios hominum, id eſt, ad civitatem pertinentes, quæ vivit ſecundùm hominem, non ſecundùm Deum, reprobos eſſe demonſtrat.

Pſ. 13. *Pſ. 52.*

a ARphaxad.] *Ab hoc Chaldæos ortos eſſe, Hieronymus tradit.* *L. Viv.*

b Thare.] *Hunc ſeptuaginta vocant Θάῤῥα.*

a SEcundo anno poſt diluvium.] *Nonnullis dicitur genitus anno primo diluvii, aliis ſecundo, ac ſic ferè Hebræi, qui illud quod biennio poſt diluvium Geneſ. 11. dicitur natus, interpretantur poſt diluvium ſcilicet inchoatum. Alii, ut Genebrardus, de biennio poſt abſolutum diluvium.* *F. L. Coq.*

β Arphaxad cum eſſet 135. annorum genuit Cainam.] *Ita apud ſeptuaginta interpretes, quos ſecutus eſt D. Auguſt. legitur, nam aliàs 38 annorum natus genuiſſe dicitur Sela Gen. 11. quòd verò inter Arphaxad & Sale interponatur generatio Cainam, arduam certè & explicatu nedum difficilem, verùm & impoſſibilem quæſtionem nobis offert; nam nec ſcriptura Hebraica Gen. 10. & 11. & 1. Parali. 1. nec Paraphraſis Chaldaica, nec Latina editio vulgata eam generationem habent. Verùm ſeptuaginta interpretes Gen. 10. & 11. eam commemorant, & B. Lucas eam ponit cap. 3. genealogiam ſalvatoris aſcendendo ad Adamum uſque deſcribens. difficile certè nodum iſtum diſſolvere. Nam vel manca eſt & mutila ſcriptura Hebraica & vulgata editio, cui hæc generatio deeſt, vel certè editio ſeptuaginta interpretum redundans & ſupervacanea, immò in diſcrimen adducitur Evangelium Lucæ, cùm dicit Arphaxad genuiſſe Cainam, & Cainam genuiſſe Sale, cùm generatio illa Cainam media perperàm ſit inſerta. Genebrardus in Chronolog. reſpondet, primò corruptè apud Septuaginta interpretes Arphaxad dici genuiſſe Cainam, & Caina Selam, cum nullum exemplar Hebraicum mentionem faciat hujus, & præterea vetuſtiſſimi Hebræi nominatim notent à Noe ad Abraham tantum eſſe decem generationes, quot fuere ante diluvium ab Adamo ad Noe quòd verò Lucas cap. 3. inſerat eam generationem,* id fecit, *inquit*, ratione Græcorum, ad quos ſcribebat, & quibus ſola exemplaria ſeptuaginta interpretum nota erant. *Certè quoad primum dictum Genebra. non*

levi conjectura nititur. Nam primò ſeptuaginta interpretes c. 1. li. 1. Paral. Ubi ſeries generationem à diluvio ad Abrahamum deſcribitur, non habent generationum Cainam. Deinde Joſephus, qui fere ſequitur ſeptuaginta interpretes, primo lib. antiq. deſcribens generationes, quæ fuere à diluvio ad Abrahamum, nullam generationis Cainam mentionem facit, & Epiphanius contra hæreſin 55. quæ eſt Melchiſedechianorum ſecundum tranſlationem ſeptuaginta exponens annos ſingularum generationum, quæ fuerunt à diluvio ad Abrahamum, hujus generationis Cainam non meminit. Ex quibus rectè concludi videtur, generationem Cainam non fuiſſe in omnibus libris ſeptuaginta interpretum. unde probabiliter conjicitur, eam non fuiſſe traditam ab illis, & eos codices, qui ea generatione carebant, ut qui cum Hebræis conſentirent, veros & integros eſſe judicandos: eos ajunt, qui generationem Cainam habebant, corruptos & mendoſos. Verum quod dicit Genebrard. Lucam ſecutum eſſe ſeptuaginta propter Græcos, ad quos ſcribebat, & apud quos tranſlatio ſeptuaginta erat in maxima veneratione, nullo modo mihi probatur. Nam admittendum eſſet, erraſſe Evangeliſtam & in Evangelio contineri mendacium, quod ne cogitare quidem fas eſt; quomodo enim à mendacio excuſabitur, qui dicat, Sale fuiſſe filium Cainam, hunc verò Arphaxad, qui revera non fuerit? dicere verò ſecutum fuiſſe ſeptuaginta, ad rem nihil facit. Evangeliſta enim nullius errorem vel mendacium confirmat, quod ergo probabilius videbatur aſſeri de libris Septuaginta interpretum, de Evangelio Lucæ non niſi valdè temerariè aſſeritur. Reſpondet ſecundo loco Genebra. poſſe dici Arphaxad genuiſſe Selam per intermedium Cainam, nam ſæpe gignere tam majoribus reliquis, quam proximis parentibus tribuitur. Sic cum non meminiſſet Cainam Moſes, id B. Lucas poſuit, ſive è veterum Hebræorum hiſtoriis, ſive è S. Sancti afflatu, ſive ex opinione ſeptuaginta, non ſua, quod non novum ſit, ſcripturam loqui ex aliorum ſenſu & opinione, non rei veritate. Ex Auguſt. lib. 2. contra Epiſt. Parmen. 3. Sed id quidem verum eſt; ubi ſcriptura citat, qui dicant id vel opinentur, quemadmodum non eſt verum, Deum peccatores non audire, neque id abſolutè profert D. Joannes, ſed refert dictum Judæis à cæco nato, quod veriſſimum eſt. At B. Lucas non dicit, ſe ex ſeptuaginta tranſlatione ſeriem hanc generationum texere, verum abſolutè dicit Arphaxad genuiſſe Cainam, & eſt ſcriptor canonicus, quem ne minimum quidem mendacium ſcripſiſſe ſuſpicandum eſt. Reſpondent ergò alii, ut Lippomanus in catena ad cap. 11. Gen. & Canus li. 2. de locis Theologicis ca. 18. generationem Cainam revera inter Arphaxad & Sale interceſſiſſe, eamq; ſeptuaginta meritò ſuæ tranſlationi inſeruiſſe, cum eam compertam haberent vel ex certa majorum traditione, vel ex hiſtoriis fide dignis, Moſem verò conſulto & prudenter eam prætermiſiſſe, nimirum cum vellet ſeriem generationum ab Adamo uſque ad diluvium, & à diluvio uſq; ad Abrahamum in duas decades diſtinguere ob aliquam cauſam nobis alioquin occultam, eodem modo, quo B. Matthæus in genealogia ſalvatoris, quam in exordio ſui Evangelii deſcripſit, generationes ab Abraham uſque ad Chriſtum duas & quadraginta dumtaxat nonnullis aliis prætermiſſis recenſuit. ita inter cæteros reſpondet Barrad. lib. 5. hiſt. Evang. c. 29. Alii reſpondent, in ſcriptura Hebraica deeſſe illam generationem, quæ revera legebatur, nec à Moſe, qui eam compertam habuerat, prætermiſſam

fuiſſe.

fuiſſe, & à ſeptuaginta converſam eſſe in Græcum, nunc verò vitio ſcriptorum non habetur, ut nec in vulgata editione, quod emendatiores codices fortaſſe habuerunt ſeptuaginta quàm D. Hieronymus. Et ita quidem reſpondet, quod minus illis periculũ videatur exemplaria Hebraica ea in parte non haberi perfecta, quàm aſſerere in Evangelio aliquem errorem redundare. Verùm tantæ authoritatis eſt vulgata editio Geneſeos, ubi prætermittitur illa generatio, quantæ Evang. Lucæ, nec minus eſt ſcriptura ſacra, & ſcriptor canonicus eſt Moſes ut Lucas: nec probabile videtur, à Moſe commemoratam eſſe & in antiquis codicibus fuiſſe, non verò in poſterioribus, quos viderit D. Hierony. Dicam certè cum Pererio li. 16. comm. in Geneſ. diſputat. 11. in hac difficultate mihi idem accidere, quod contigiſſe ſcribit ſibi Beda præfat. com. ſuorum in Acta Apoſt. Lucas teſtimoniis Græcis utitur potius quàm Hebræis. Ex quo accidit, quod maximè miror, & propter ingenii tarditatem vehementiſſimo ſtupore perculſus neſcio perſcrutari, qua ratione cùm in Hebraica veritate à diluvio usque ad Abrahamum decem tantum generationes inveniantur, ipſe Lucas, qui Spiritu ſancto calamum regente nullatenus falſum ſcribere potuit, undecim generationes juxta ſeptuaginta interpretes adjecto Cainam in Evangelio ponere maluit: *quæ verba Bedæ citat Sixtus Senenſis lib. 5. biblioth. annot. 88. ex D. Hierony. De hac diſputat. videri poteſt Pererius loco citato.*

γ Anni à diluvio usque ad Abrahamum mille ſeptuaginta & duo.] *Pererius li. 7. comm. in Gen diſput. de Chronologia S. Scripturæ qu. 2. docet, olim codices LXX. Interpretum in hac computatione annorum variaſſe plurimum. Quò fit, ut Euſebius ab Adamo usque ad diluvium recenſeat in chronicis annos bis mille ducentos quadraginta duos, quem numerum tradunt etiam Severus Sulpitius & Iſidorus. Poſt diluvium ajunt usque ad Abraham ſunt anni ſecundum Euſebium mille ſeptingenti viginti, ſecundùm D. Auguſtin. mille ſeptuaginta duo, ſecundùm Sulpitium mille ſeptuaginta, ſecundùm Iſidorum nongenti quadraginta duo. Certè non aliunde quàm ex Codicum corruptione tot ſententias promanaſſe arbitror, cùm facile in notis numerorum erretur, indeq́; tot de annis mundi ortæ ſunt opiniones.*

δ In Hebræis codicibus longè pauciores annos perhibent inveniri.] *Nimirùm à diluvio ad Abrahamum 292. annos.*

CAP. XI.

Quòd ea primitus lingua in uſu hominum fuerit, quæ poſtea Hebræa ab Heber nomine nuncupata eſt: & in cujus familia remanſit, cùm diverſitas eſſet facta linguarum.

QUamobrem ſicut lingua una cùm eſſet omnium, non ideò filii peſtilentiæ defuerunt: nam & ante diluvium una erat lingua, & tamen omnes præter unam Noe juſti domum deleri diluvio meruerunt: ita quando merito elatioris impietatis gentes linguarum diverſitate punitæ atque diverſæ ſunt, & civitas impiorum confuſionis nomen accepit, hoc eſt, appellata eſt Babylon, *a* α non defuit domus Heber, ubi ea, quæ antea fuit omnium, lingua remaneret. Unde ſicut ſupra memoravi, cùm cœpiſſent enumerari filii Sem, qui ſinguli gentes ſingulas

gulas procrearunt, primus eſt commemoratus Heber, cùm ſit abnepos ipſius, hoc eſt, ab illo quintus inveniatur exortus. Quia ergo in ejus familia remanſit hæc lingua diviſis per alias linguas cæteris gentibus, quæ lingua priùs humano generi non immeritò creditur fuiſſe communis, ideò deinceps Hebræa eſt nuncupata. Tunc enim opus erat, eam diſtingui ab aliis linguis nomine proprio: ſicut aliæ quoque vocatæ ſunt nominibus propriis. Quando autem erat una, nihil aliud quàm humana lingua, vel humana locutio vocabatur, qua ſola univerſum genus humanum loquebatur. Dixerit aliquis: Si diebus Phalech filii Heber diviſa eſt terra per linguas, id eſt, homines, qui tunc erant in terra, ex ejus nomine potius debuit appellari lingua illa, quæ fuit omnibus antè communis. Sed intelligendum eſt, *b* ipſum Heber propterea tale nomen impoſuiſſe filio ſuo, ut vocaretur Phalech (quod interpretatur diviſio:) β quia tunc ei natus eſt, quando per linguas terra diviſa eſt, id eſt, ipſo tempore, ut hoc ſit, quod dictum eſt: *In diebus ejus diviſa eſt terra.* Nam niſi adhuc Heber viveret, quando linguarum facta eſt multitudo, non ex ejus nomine nomen acciperet lingua, quæ apud illum potuit permanere. Et ideò credenda eſt, ipſa fuiſſe prima illa communis: quoniam de pœna venit multiplicatio mutatioque linguarum: & utique præter hanc pœnam eſſe debuit populus Dei. Nec fruſtrà linguam iſtam, hoc eſt †, quam tenuit Abraham, nec in omnes filios ſuos transmittere potuit, ſed in eos tantum, qui propagati per Jacob, & inſignius atque eminentius in Dei populum coaleſcentes, Dei teſtamenta & ſtirpem Chriſti habere potuerunt. Nec Heber ipſe eandem linguam in univerſam progeniem ſuam refudit: ſed in eam tantùm, cujus generationes perducuntur ad Abraham. Quapropter etiam, ſi non evidenter expreſſum eſt, fuiſſe aliquod pium genus hominum, quando ab impiis Babylonia condebatur: non ad hoc valuit hæc obſcuritas, ut quærentis fraudaretur, ſed potius ut exerceretur intentio. Quum enim legitur, unam fuiſſe linguam primitus omnium, & ante omnes filios Sem commendatur Heber, quamvis ab illo quintus oriatur: & Hebræa vocatur lingua, quam Patriarcharum & Prophetarum, non ſolùm in ſermonibus ſuis, verùm etiam in literis ſacris cuſtodivit autoritas: profectò quum quæritur, in diviſione linguarum ubi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit antè communis: quæ ſine ulla dubitatione ubi remanſit, non ibi fuit illa pœna, quæ facta eſt mutatione linguarum: quid aliud occurrit, niſi quod in hujus gente remanſerit, à cujus nomine nomen accepit: & hoc juſtitiæ gentis hujus non parvum apparuiſſe veſtigium, quod quum aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad iſtam non pervenit tale ſupplicium? Sed adhuc illud movet, quomodo potuerunt ſingulas gentes facere Heber & filius ejus Phalec, ſi una lingua permanſit ambobus? Et certè una eſt Hebræa gens ex Heber propagata uſque ad Abraham, & per eum deinceps donec magnus fieret populus Iſrael. Quomodo igitur omnes filii, qui commemorati ſunt, trium filiorum Noe fecerunt ſingulas gentes, ſi Heber & Phalec ſingulas non fecerunt? Nimirum illud eſt probabilius, *c* quod gigas ille Nemroth fecerit etiam ipſe gentem ſuam: ſed propter excellentiam dominationis & corporis ſeorſum eminen-

a Inf. lib. 8. c. 39.

al. lingua hac eſt.

neneius nominatus eſt, ut maneat numerus ſeptuaginta duarum gentium atque linguarum: Phalec autem propterea commemoratus eſt, non quòd gentem fecerit: nam eadem ipſa eſt ejus gens Hebræa eademque lingua, ſed propter tempus inſigne, quod in diebus ejus terra diviſa eſt. Nec movere nos debet, quomodo potuerit gigas Nemroth ad illud ætatis occurrere, quo Babylon condita eſt, & confuſio facta linguarum, atque ex hac diviſio gentium. Non enim quia Heber ſextus eſt à Noe, ille autem quartus, ideò non potuerunt ad idem tempus convenire vivendo. Hoc enim contigit, quum plus viverent, ubi pauciores ſunt generationes, minus ubi plures: aut ſerius nati eſſent ubi pauciores, maturius ubi plures. Sanè intelligendum eſt, quando terra diviſa eſt: non ſolùm jam natos fuiſſe cæteros filios filiorum Noe, qui commemorantur patres gentium, ſed etiam ejus ætatis fuiſſe, ut numeroſas familias haberent, quæ dignæ fuiſſent nominibus gentium. Unde nequaquam putandum, quòd eo fuerint ordine geniti, quo commemorati leguntur. Alioquin duodecim filii Jectan, qui erat filius alius Heber, frater Phalec, quomodo potuerunt jam gentes facere, ſi poſt Phalec fratrem ſuum Jectan natus eſt, ſicut poſt eum commemoratus eſt: quandoquidem tempore, quo natus eſt Phalec, diviſa eſt terra? γ Proinde intelligendum eſt, priorem quidem Phalec nominatum, ſed longè poſt fratrem ſuum Jectan fuiſſe natum, cujus Jectan duodecim filii tam grandes jam familias haberent, ut in linguas proprias dividi poſſent. Sic enim potuit prior commemorari, qui erat ætate poſterior: quemadmodum prius commemorati ſunt ex tribus filiis Noe procreati filii Japhet, qui erat minimus eorum: deinde filii Cham, qui erat medius: poſtremo filii Sem, qui erat primus & maximus. Illarum autem gentium vocabula partim manſerunt, ita ut hodieque appareat, unde fuerint derivata: ſicut ex Aſſur Aſſyrii, ex Heber Hebræi, *d* partim *d* temporis vetuſtate mutata ſunt: ita ut vix homines doctiſſimi antiquiſſimas hiſtorias perſcrutantes, nec omnium, ſed aliquarum ex iſtis origenes gentium potuerint reperire. *e* Nam *e* quod ex filio Cham, qui vocabatur Meſraim, Ægyptii perhibentur exorti, nulla hic reſonat origo vocabuli: *f* ſicut nec Æthiopum, qui dicuntur, ad eum filium Cham pertinere, qui Chus appellatus eſt. Et ſi omnia conſiderentur, plura mutata quàm manentia nomina apparent.

a NOn defuit domus Heber.] *In hac putant quidam primorum hominum linguam remanſiſſe, quòd in conjunctione illa turris extruendæ non conſenſerint. Pſameticon Ægypti regem ſcribit Herodotus, educari juſſiſſe duos pueros in ſylvis, ubi nullam audirent vocem humanam, ut quam linguam ſuapte ſponte ſine doctore loquerentur, eam judicaret primam fuiſſe generis humani. Poſt tres annos ante ipſum productos hec aliquoties protuliſſe: quumq; lingua Phrygia hec eſſet panis, eam primorum hominum & Phrygas primos fuiſſe homines, pronunciatum eſt. Sed mirum non eſt, ipſos hec dixiſſe, qui inter capras eſſent educati, nullasq; alias voces eſſe loquutos.* L. Vives.

b Ipſum Heber.] *Vaticinando id, quod futurum erat, inquit Hieronymus.*

c Quod gigas ille Nemroth.] *Quam gentem fecerit non conſtat: ubi regnaverit,*

rit, traditur Gen. 10. quæ loca ſic explicat Hieron. Regnum ejus Babylon regnavit & in Arach, hoc eſt, in Edeſſa, & in Achad, quæ nunc dicitur Niſibis: & in Chalanne, quæ poſtea verſo nomine à Seleuco rege dicta eſt Seleucia: vel certè, quæ nunc κτησιφῶν. Forſitan harum gentium eſt autor, non dubium, quin propagator.

d Partim temporis vetuſtate.] *Sicut D. Hieronymus dicit, de omnibus filiis Jectan. Quid mirum in tanta vetuſtate, quum intra annos ducentos mutata ſint omnia penè urbium, montium, fluviorum nomina Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, adventu barbararum nationum?*

e Nam quod ex filio Cham.] *Imò ab Cham dictam Ægyptum tradit Hieronymus, cujus hæc ſunt verba: frequenter LXX. interpretes non valentes heth literam, quæ duplicem aſpirationem ſonat, in Græcum ſermonem vertere, χ Græcam literam addiderunt, ut nos docerent iſtiuſmodi vocabula aſpirare debere: unde & in præſenti loco Cham tranſtulerunt, pro eo quod Ham, à quo & Ægyptiis uſque hodie Ægyptiorum lingua Ham dicitur. Tantum Hieron. Sed fieri potuit, ut Ægyptus de nomine conditoris Meſraim, ſit appellata: nam ſic eam nominant Hebræi, eodem Hieronymo autore. De nomine etiam patris Ham, Ægyptus poſtea dicta eſt aerea, quaſi ἠερόεσσα, quoniam tenebricoſo eſt aëre, ut Stephanus inquit. Nominata eſt etiam eidem autori Heptapolis, à ſeptem urbibus. Deinde ab Ægypto rege Beli filio Ægyptus. Homerus Nilum amnem Ægyptum vocat.*

f Sicut nec Æthiopum.] *Chus ab Hebræis Æthiopia eſt dicta. Hieron. Hæc etiam Atlantia eſt appellata ab Atlante: & Æthiopia poſt, ut quidam volunt ab Æthiope Vulcani filio: ſed magis crediderim de colore & exuſtione eſſe dictos. Nam αἴθιοψ etiam in ſoluta oratione, apud Græcos eſt μέλας, id eſt, niger. Æthiopiam antiquiſſimus ſcriptor Homerus duplicem fecit, ὀδυσσείας α.*

Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος,
Hæc ſolem ſpectat ſurgentem, aſt illa cadentem.

Eſt & Æthiopion regio in Eubœa inſula.

F.L.Coq. *a* NOn defuit domus Heber, ubi ea, quæ antea fuit.] *Hebraica lingua, quæ antea erat communis, apud Hebrum remanſit incorrupta, quod neque conſilii, neque operis eorum, qui turrim in cœlum erigere volebant, particeps fuiſſet. Suidas ſ. Ἑβραῖοι· Ἕβερ οὐ συνεπώνησε τοῖς πυργοποιοῖς, καὶ διέμεινεν ἡ διάλεκτος αὐτοῦ ἀμετάβλητος. Nec verò in omnes poſteros Heber transfuſa eſt, ſed in eos ſolos, qui erant in recta linea, per quam deſcendit Chriſtus. Hebraicam linguam omnium eſſe matricem, & mundo coævam, docet cum D. Auguſt. hoc loco, D. Hierony. in Sophoniam, Orig. hom. 11. in Numeros, & fere Hebræi.* Domus illa Heber Eccleſiam ſignificat, *ut docet Iſidor. lib. comment. in Gen. cap. 9.* quemadmodum enim quando linguarum facta eſt diviſio, lingua illa primæva ſola in domo Heber remanſit, ita nunc in ſola Eccleſia, quæ eſt domus Chriſti, unitam eſſe confeſſionis & fidei pacem, diviſis atque diſperſis omnibus reprobis. *Obſervandus hic obiter error Philaſtrii Epiſcopi Brixienſis in catalogo hæreſeon ca. 106. ubi aſſerit, firmiter eſſe credendum, etiam ante ædificationem Babel multis ſæculis plures ſermonum ac linguarum varietates fuiſſe, quarum ſcientiam omnes homines ex Dei dono uſque ad turris conſtructio-*

ſtructionem & linguarum confuſionem habuerunt: quod verò ſcribit Moſes, terram fuiſſe labii unius, *ideò dictum putat, quia* etſi plura eſſent genera linguarum, omnes ſe invicem tamen intelligebant, eratque omnibus lingua una, & ſermo idem non ſecundùm eundem uſum vocabulorum, ſed ſecundùm eandem ſenſuum intelligentiam, *& contrarium aſſerere, hæreſim putat Philaſtrius. Alphonſus à Caſtro lib. 9. contra hæreſes exiſtimat, eam ſententiam Philaſtrii, & merito quidem, eſſe hæreticam. Eſt enim contraria ſcripturæ, & communi interpretationi Patrum. Vide Sixtum li. 5. biblioth. annotat. 87 Bonaventura Bertramus præfatione in comparationem linguarum Hebraicæ & Aramicæ egregiè docet & probat, linguam Hebraicam omnium eſſe antiquiſſimam & mundo coævam: quod & docet Euſebius lib 10. de præpar. Evang. cap. 2. & D. Hierony. epiſt. 142. ad Damaſum de viſione Iſaiæ. Male itaq; Theodoretus quæſt. 59. in Gen. exiſtimat, linguam omnium antiquiſſimam fuiſſe Syriacam, quod nomina illa Adam, Cain, Abel, Noe, quæ in prima mundi ætate impoſita eſſe legimus, propria ſunt linguæ Syriacæ. Imò verò propria ſunt linguæ Hebraicæ, & eo argumento oſtendit Bonaventura Bertramus, linguam Hebraicam primam eſſe & omnium in mundo antiquiſſimam, & Adamum ipſum Hebraicè locutum, quo eodem argumento utitur Aben Ezra ad cap. 11. Geneſ. Vult verò Theodor. ante Moſem non fuiſſe linguam Hebraicam, verùm à Deo donatam per eum non quidem naturalem, verùm ad docendum aptam. Theodoreto repugnat communis ſententia tùm Hebræorum, tùm Chriſtianorum; frivolum verò ſatis argumentum, quo nititur.* Siquidem, *inquit,* cùm omnes loquantur lingua ejus gentis, in qua nati ſunt, ut qui in Italia, Italicè, qui in Græcia, Græcè, qui in Ægypto, Ægyptiacè loquetur, pueri tamen Hebræorum non ſtatim Hebraica utuntur lingua, ſed eorum, apud quos nati ſunt. At verò cum adoleverint, docentur literarum Hebraicarum characteres, & ſacros libros Hebràicis & verbis & literis ſcriptos addiſcunt. *An verò non omnes, quamdiu ſtetit Reſpublica Hebræorum usque ad captivitatem Babylonicam, Hebraicam linguam loquebantur, eamq; linguam à nutricibus unà cum lacte pueri ſugebant. Verùm poſtquam ea gens in diſperſionem abiit & variis gentibus commixta eſt, uſum naturalem propriæ linguæ perdidit, & imbuta eſt earum gentium linguis, apud quas verſabantur. Unus Joannes Goropius ridiculè ſanè in ſuis originibus Antverpianis lib. 5. contendit, linguam Cimbricam omnium eſſe antiquiſſimam & primam, quod refutatione non eget.*

β Quia tunc ei natus, quando per terras lingua diviſa eſt.] *An diviſio linguarum & Gentium contigerit in ortu ipſius Phaleg; an verò extrema illius ætate; non una omnium eſt ſententia. Hebræi enim in ſuo Chronico, quod appellant Seder Holam,* Ordo ſæculi, *tradunt, diviſionem linguarum factam eſſe extremo tempore vitæ Phaleg, ſc. anno 340. poſt diluvium, decem annis ante mortem Noë. Phaleg enim natus eſt anno centeſimo primo poſt diluvium, & vixit ducentis novem annis, ut colligitur ex 10. Gen. Volunt itaque Hebræi prophetam fuiſſe Heber, ut qui ſpiritu prophetico longè ante præviderit futuram diviſionem linguarum, ideoq; naſcenti filio nomen impoſuerit. Videtur D. Hierony. in traditio. Hebrai. accedere ad hanc ſententiam, affirmans, Heber vaticinio quodam ſc. ex futuro eventu diviſionis linguarum*

nomen

nomen impoſuiſſe filio. Videtur & eadem opinio D. Chryſ. hom 30. in Gen. Conſidera *(inquit)* quemadmodum rei futuræ præſcientiam vocabulo nati pueri declaravit, ut cum videris rem opere adimpletam, non ultra mireris, videns divinitus id pueri nomine prædictum. *Videntur etiam hanc ſententiam probare Lyranus, Toſtatus ad eum locum Gen. 10 & Genebr. in Chrono. Hanc vero ſententiam ita confirmant, quod non ſit vero ſimile, ſpatio dumtaxat centum annorum à diluvio nimirum ad ortum Phaleg, adeò multiplicatum eſſe genus humanum, ut per omnes terræ plagas diſpergi, easque inhabitare potuerit. Verùm hoc argumentum non convincit. Si enim Jacob familia per ducentos & quindecim annos adeò crevit in Ægypto, ut cum egreſſi ſunt, recenſita ſint in illis plusquam ſexcenta millia bellatorum exceptis parvulis, ſenibus, & fœminis, quidni credemus, poſt diluvium etiam minori ſpatio temporis numeroſius propagatam eſſe familiam Noe, maximè, cum Deus ſtatim à diluvio Gen. 9. fœcunditatem naturæ ad celerem & multiplicem generis humani propagationem illis contulerit his verbis,* Creſcite & multiplicamini, & replete terram. *Verior itaque eſt ſententia D. Auguſt. quæ eſt & Joſephi lib. 1. antiq. quam docet Pererius lib. 15. comment. in Gen. diſput. 11. & Matthæus Beroald. in Chronico, nomen* Phaleg *impoſitum fuiſſe non ex futuro eventu, ſed ex eo, quod jam factum & præteritum fuerat, quia enim proximè poſt linguarum diviſionem factam Heber genuit filium ſuum primogenitum, ideo ex re tam memorabili nomen filio impoſuit. Eſt enim* פלג *Hebræis* dividere, פלג diviſio. *& certè ſcripturæ magis conſentaneum videtur, Phaleg ab Heber patre nominatum ex eo, quòd tum contigit, quàm ex eo, quod futurum erat poſtea tam multis annis.*

γ Proinde intelligendum eſt priorem quidem Phaleg.] *Etſi ſcriptura prius inter filios Heber nominet Phaleg quàm Jectam, vult tamen ipſum Jectam multis annis priorem natu fuiſſe, priorem tamen eſſe nominatum, vel propter notabilem caſum confuſionis & diviſionis linguarum, in quem ortus ejus incurrit, vel propter ejus poſteritatis dignitatem, vel aliam quamlibet ob cauſam. Ex quo facile ſolvitur objectio Hebræorum, qua oſtendere ſe putant, diviſionem linguarum non in ortu, ſed extremo tempore vitæ ipſius Phaleg contigiſſe, quod Jectam poſt Phaleg natus ſit, cujus tredecim poſteri fuère, cum diviſio facta eſt linguarum.*

δ Partim temporis vetuſtate mutata ſunt.] *D. Hieronymus lib. de traditio. Hebraic. in Geneſ. de Gentibus propagatis ex poſteris Jectam ita ſcribit.* Harum gentium poſteriora nomina invenire non potui, ſed usque in præſens, quia procul à nobis ſunt, vel ita vocantur ut primum, vel quæ immutata ſunt, ignorantur.

ε Non quod ex filio Cham, qui vocatur Meſraim.] *D. Hieronym.* Chus usque hodie ab Hebræis Æthiopia nuncupatur, Meſraim Ægyptus. verùm ſucceſſu temporis regiones & provinciæ, ut & civitates aliis ſunt nominibus nuncupatæ ab his, qui apud poſteros ita nomen ſuum immortalitate conſecrare voluerunt.

CAP. XII.

De articulo temporis in Abraham, à quo ſanctæ ſucceſſionis novus ordo contexitur.

NUnc jam videamus procurſum civitatis Dei, etiam ab illo articulo temporis, qui factus eſt in patre Abraham, unde incipit eſſe notitia ejus evidentior, & ubi clariora leguntur promiſſa divina, quæ nunc in Chriſto videmus impleri. Sic ergo ſcriptura ſancta indicante didicimus: *a* In regione Chaldæorum natus eſt Abraham: *a β* quæ terra ad regnum pertinebat Aſſyriorum. *γ* Apud Chaldæos autem jam etiam tunc ſuperſtiones impiæ prævalebant, quemadmodum per cæteras gentes. Una igitur Tharæ domus erat, de qua natus eſt Abraham, *Gen. 11.* in qua unius veri Dei cultus, & quantum credibile eſt, in qua jam ſola etiam Hebræa lingua remanſerat: quamvis & ipſe, ſicut jam manifeſtior Dei populus in Ægypto, *δ* ita in Meſopotamia ſerviſſe diis alienis, Jeſu Nave narrante refertur: *Ioſ. 24.* cæteris ex progenie illius Heber in linguas paulatim alias & in nationes alias defluentibus. Proinde, ſicut per aquarum diluvium una domus Noë remanſerat ad reparandum genus humanum: ſic in diluvio multarum ſuperſtitionum per univerſum mundum una remanſerat domus Tharæ, in qua cuſtodita eſt plantatio civitatis Dei. Denique ſicut illic enumeratis ſuprà generationibus ab Adam uſque ad Noe ſimul cum annorum numeris, & expoſita diluvii cauſa, priusquàm Deus inciperet de arca fabricanda loqui, ad Noë dicitur: *Hæ autem generationes Noë:* ita & hic enumeratis generationibus ab illo, qui eſt appellatus Sem, filio Noë, uſque ad Abraham, deinde inſignis articulus ſimiliter ponitur, ut dicatur: *Hæ ſunt generationes Tharæ. Thara genuit Abram & Nachor & Aram: & Aram genuit Loth. Et mortuus eſt Aram b coram Thara patre ſuo in terra, in qua natus eſt in regione Chaldæorum. Et ſumpſerunt Abram & Nachor ſibi uxores. nomen mulieris Abram Sara, & nomen mulieris Nachor Melcha, filia Aram. Iſte Aram pater Melchæ fuit & pater Jeſcæ,* quæ Jeſca creditur, ipſa eſſe etiam Sara uxor Abrahæ.

a QUæ terra ad regnum pertinebat Aſſyriorum.] *Nam in Aſſyria eſt Chaldæa* *L. Vives.* *Melæ, Plinio, Straboni, & aliis: nec ſolùm pars eſt illius Aſſyriæ, quam veteres nihil aliud eſſe quàm Syriam latè patentem putaverunt. Hac Græca voce, illa barbara, ſed illius Aſſyriæ anguſtioris. Strabo, Aſſyriam vocant Babyloniam, & maximam adjacentis terræ portionem. Xenophon in primo de pædia Cyri Syrios & Aſſyrios ponit tanquam diverſos.*

b Coram Thare patre ſuo.] *In Gen. 11. cap. ex omnibus interpretibus, ante patrem ſuum. LXX.* ἐνώπιον Θαῤῥὰ τοῦ πατρὸς, *quaſi eo præſente & inſpectante. Fortè Auguſtinus coram patre, hoc eſt, eo præſente intellexit, antequam ex Chaldæa migraret in Charram, quæ poſtea à Latinis dictæ ſunt Charræ. Civitas hæc eſt Meſopotamiæ, ad quam exercitus Romanus Imperatore M. Craſſo cæſus eſt à Parthis.*

a IN regione Chaldæorum natus eſt Abraham.] *Prima ergo gentis Hebræorum* *F. L. Coſ.* *origo è Chaldæa. Judic. 5. in narrat. Achior,* populus iſte ex progenie Chaldæorum

rum eſt. *Joſephus lib. 1. antiq. cap. 8. idem tradit, ubi etiam celebre teſtimonium Beroſi de Abrahamo commemorat.* μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ χαλδαίοις τὶς ἦν δίκαιος ἀνὴρ μέγας καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος, *& quod Orpheus de Chaldæo cecinit, cui ſoli ſe Deus patefecerit, videtur pertinere ad Abrahamum. Euſeb. lib. 9. de præpar. Evang. cap. 4. & in Chronico docet, Abrahamum fuiſſe Chaldæum, Proſper li. de promiſſ. & prædict. par. 1. ca. 10.* Abraham *(inquit)* apud Chaldæos gentium ſcriptura teſtatur. *Zonaras tomo 1. annal.* τοῦ δὲ ἑβραίων γένους προπάτωρ καὶ πατριάρχης τὸ αὐτοῦ πατρίων ὁ μέγας οὗτος γέγονεν Ἀβραάμ, ὃς χαλδαῖος μὲν ἦν τὸ γένος. *Tertull. li. de pallio cap. 2. vocat Hebræos Chaldæum ſemen, quod parens eorum ſc. Abraham ex ea regione originem duxerit. Philo & Joſephus à Chaldæis deducunt Moſis originem, & Clemens Alexandr. lib. 1.* στρωμα. Moſes cum ex alto petita origine eſſet Chaldæus, natus eſt in Ægypto. *Idem tradit & Juſtinus martyr in Exhorta. at certum eſt, Moſem originem ſuam ab Abrahamo repetere. Videndus Pererius in 12. cap. Gen. diſput. 1.*

β Quæ terra ad regnum pertinebat Aſſyriorum.] *Aliquando quidem coaluerunt in unum regna Chaldæorum & Aſſyriorum, & Chaldæorum monarchia Aſſyriorum à Joſepho appellatur, quoniam Babylonii ad ſe Ninivitarum potentiam rapuerant, & Babylon Aſſyriæ pars erat, neque tamen confundendi ſunt Reges Aſſyriorum cum regibus Chaldæorum in ſacris bibliis. Joſephus Scaliger lib. 6. de emendat. temporum.*

γ Apud Chaldæos etiam jam tunc impiæ ſuperſtitiones prævalebant.] *Ita docet Philo lib. de Abrahamo: Deinde Nemrod fuit primus idololatriæ inventor apud Chaldæos, authore Joſepho, imò Judic. 5. dicuntur majores Hebræorum noluiſſe adorare deos Chaldæorum, atque migraſſe ex Chaldæa, quod gentis illius ſuperſtitionibus nollent adhærere.*

δ Ita in Meſopotamia ſerviſſe Diis alienis.] *Vocabulo* Meſopotamiæ *ſignificatur omnis illa regio, quæ trans fluvium Euphratem erat, habito reſpectu ad terram Chanaam. i. e. Syria, Meſopotamia, Chaldæa, & Babylonia. & in actib. Apoſtolorum ſignificatur eadem regio nomine Meſopotamiæ & Chaldææ. Cùm enim dixiſſet Stephanus, Deum apparuiſſe Abrahæ, cum eſſet in Meſopotamia, & illi dixiſſe,* Egredere de terra tua; *mox ſubjecit,* Tum exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charam. *An Thare pater Abrahæ, vel etiam Abraham ipſe fuerit aliquando cultor falſorum deorum, quæri poteſt hoc loco. Certè Andreas Maſius comment. in Joſue ad locum illum, quem ex cap. 24. hic citat D. Auguſtin. exiſtimat, non modo Thare, verùm etiam Abrahamum, cum eſſet in Chaldæa, priuſquam à Deo vocaretur, patrio more Deos illius gentis coluiſſe; quod & ſentire videtur Philo lib. de Abrahamo. docet idem Genebrard. in ſua Chronologia circa annum mundi 1949. authoritate Hebræorum id affirmantium ex ſententia duorum nobilium Rabinorum, Joanem, & Hanina, à quibus proditum eſt, Abrahamum 48. ætatis anno cœpiſſe agnoſcere verum Deum, & omnem idololatriæ ſuſpicionem abjeciſſe. Et D. Auguſt. idem videtur hic ſentire: illud enim* (quamvis & ipſe) *referri poteſt etiam ad Abrahamum ipſum. Benedictus Arias Montanus ad cap. 24. Joſue in illa verba,* Tuli ego patrem veſtrum,

ſtrum, *ab erroribus & à perverſa, laborioſa, & inutili, imo nefaria religionis confuſione deceptum Abrahamum dicit. Nec verò minorem ideò dicemus fuiſſe Dei favorem in Patriarcham illum ſanctiſſimum, immò ut ſcribit Maſius, tanto illuſtrior eſt Dei gratia, qua illum eſt complexus, quanto ille fuit ſceleratior, minusq; tanto dignus favore. Multi tamen volunt, per omnem ætatem immunem & alienum fuiſſe magnum illum fidei parentem ab omni idololatriæ crimine.* *Quod vero Joſue 24. dicitur, Patres Hebræorum ſerviſſe diis alienis, interpretantur de patribus, qui præceſſerunt ipſum Thare. & de ipſo Thare, poſtquam ex Chaldæa venit in Meſopotamiam; vel etiam apud Chaldæos ipſe Thare cultor idolorum fuit, neq; ita facilè excuſari poteſt ab idololatria, ut Abrahamus ipſe omnium credentium futurus pater, omnium quotquot eum præceſſerunt, vel etiam in veteri teſtamento ei ſucceſſerant, longe ſanctiſſimus & Deo acceptiſſimus, in quem tot collata à Deo beneficia ſcriptura ſacra commemorat. De hoc diſputavit ex profeſſo Pererius lib. 16. in Gen. diſputa. 16. & 17. Alphonſus Mendoza Auguſtinianus in quæſtionib. quodlibeticis q. 7. poſitiva.* Hebræi in Bereſchit Rabba volunt, Thare fuiſſe ſtatuarium, idolorum fictorem & venditorem, *non putat verum Genebrar. ſed tamen fuiſſe idolorum cultorem ex Joſue 24. Zonaras Annalium tom. 1.* οὗτος προγόνων ὢν ἀσεβῶν πρῶτος ἔγνω θεὸν ἕνα τὸν τῶν ὅλων δημιουργὸν ἐκ τῶν ποιημάτων καταλαβὼν τὸν ποιητήν, καὶ τούτῳ μόνῳ δεῖν λατρείαν ἀπονέμειν ἔλεγεν. στασιαζόντων δὲ διὰ ταῦτα πρὸς αὐτὸν τῶν Χαλδαίων μετῴκησεν ἐκεῖθεν τοῦ γνωσθέντος αὐτῷ κελεύσει θεοῦ, καὶ τὴν Χαναναίαν ᾤκησε γῆν.

ε Mortuus eſt Aram coram Thare patre ſuo.] *Vel* in facie patris ſui. *Hebraiſmus, pro* vivente patre ſuo *Thare. Primus eſt Aram, quem refert ſcriptura præmortuum patri, licet alii fortaſſe præmortui ſint patribus, quorum non meminit ſcriptura. Joſephus lib. 1. cap. 7.* Aranes relicto filio Lotho & filiabus Sara & Melcha in regione Chaldæorum mortuus eſt in urbe, quæ Ura Chaldæorum vocatur, & ſepulchrum ejus nunc usque oſtenditur.

ζ Quæ Jeſcha creditur ipſa etiam eſſe Sara.] *Id tradit Joſephus li. 1. cap. 7. Hebræi in lib. Seder Holam cap. 2. & ex illis Genebrardus ſcribunt, Saram dictam Jeſcham ab æſoc, ſive conſpiciendo, quoniam pulchritudine ſua excitabat homines ad ſui conſpectum. Hinc illud,* & laudaverunt eam apud Pharaonem; *vel quia cernebat futura per propheticam facultatem, quod ſignificavit his verbis Deus Abrahæ;* quicquid dixerit tibi Sara, fac & audi vocem ejus. *Hieronymus etiam in traditionibus Hebraicis Saram dicit fuiſſe* διώνυμον, *dictam ſcilicet & Saram & Jeſcham.*

CAP. XIII.

Quæ ratio feciſſe videtur, ut in tranſmigratione Tharæ, qua Chaldæos deſerens in Meſopotamiam tranſivit nulla filii ejus Nachor facta ſit mentio.

DEinde narratur, quemadmodum Thara cum ſuis regionem reliquerit Chaldæorum, & *a α* venerit in Meſopotamiam, & habitaverit in Charram. Tacetur autem de uno filio ejus, qui vocabatur Nachor, tanquam eum non duxerit ſecum. Nam ita narratur: *Et ſumpſit Tharæ Abraham filium ſuum, & Loth filium* Gen. 11.

Aram, filium filii ſui, β *& Sarai nurum ſuam, uxorem Abraham filii ſui, & eduxit illos de regione Chaldæorum in terram Chanaan, & venit in Charram, & habitavit ibi.* γ Nuſquam hic nominatur Nachor, & uxor ejus Melcha. Sed invenimus poſtea, cùm ſervum ſuum mitteret Abraham ad accipiendam uxorem filio ſuo Iſaac, ita ſcriptum: *Et accepit puer decem camelos de camelis domini ſui, & de omnibus bonis domini ſui ſecum, & exurgens profectus eſt in Meſopotamiam in civitatem Nachor.* Iſto & aliis ſacræ hujus hiſtoriæ teſtimoniis oſtenditur, etiam Nachor fratrem Abrahæ exiſſe de regione Chaldæorum, ſedesque conſtituiſſe in Meſopotamia, ubi cum patre ſuo habitaverat Abraham. Cur ergò ſcriptura eum non commemoravit, quando ex gente Chaldæorum cum ſuis profectus eſt Thara, & habitavit in Meſopotamia, ubi non ſolum Abraham filius ejus, verùm etiam Sara nurus ejus & Loth nepos ejus commemorantur, quòd eos duxerit ſecum? Cur putamus, niſi fortè quòd à paterna & fraterna pietate deſciverat, & ſuperſtitioni adhæſerat Chaldæorum, & poſtea inde, ſive pœnitendo, ſive perſecutionem paſſus, quòd ſuſpectus haberetur, & ipſe emigravit? In libro enim, qui inſcribitur Judith, cùm quæreret Holofernes hoſtis Iſraëlitarum, quænam gens illa eſſet, utrum adverſus eam bellandum fuiſſet, ſic ei reſpondit Achior dux Ammonitarum: *Audiat Dominus noſter verbum de ore pueri ſui, & referam tibi veritatem de populo, qui habitat juxta montana hæc, & non exibit mendacium de ore ſervi tui. Hæc enim progenies populi eſt Chaldæorum, & antea habitaverunt Meſopotamiam, quia noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui fuerunt in terra Chaldæorum glorioſi, ſed declinaverunt de via parentum ſuorum, & adoraverunt Deum cæli, quem cognoverunt, & projecerunt eos à facie deorum ſuorum: & fugerunt in Meſopotamiam, & habitaverunt ibi dies multos. Dixitq́; illis Deus eorum, ut exirent de habitatione ſua, & irent in terram Chanaan, & habitaverunt ibi,* & cætera, quæ narrat Achior Ammonites. Unde manifeſtum eſt, domum Tharæ perſecutionem paſſam fuiſſe à Chaldæis pro vera pietate, qua unus & verus ab eis colebatur Deus.

Judith. 5

L. Vives. α VEnerit in Meſopotamiam.] *Meſopotamia dicitur quaſi μέσ⊙ ποταμῶν, quia inter Tigrim & Euphratem tota.*

Ml. Coq. α VEnerit in Meſopotamiam & habitaverit in Charam.] *Dubitarit aliquis, qui dicatur Abraham veniſſe in Meſopotamiam & habitaſſe in Charam, cum Act. 7. dicatur Deus apparuiſſe Abrahamo, cum eſſet in Meſopotamia, priusquam moraretur in Charam. Reſpondet Toſtatus qu. 11. in c. 12. Gen. & Hur Chaldæorum, è qua primum egreſſus eſt Abraham monitu & juſſu Dei, fuiſſe in Meſopotamia & etiam Charam in qua poſtea habitavit Thare, cum Abraham aliquamdiu fuiſſet in Meſopotamia. Obſervandum, Meſopotamiam aliquando dici regionem, quæ comparatione Chanaam eſt transfluvium Euphratem, & ita Stephanus act. 7. utitur Meſopotamiæ vocabulo latè ſumpto, eo nomine comprehendens etiam Chaldæam, quod ex textu ſatis colligere licet. Cum enim dixiſſet, Deum apparuiſſe Abrahæ verſanti in Meſopotamia, eiq́; præcepiſſe, ut inde exiret, mox ſubjunxit:* Tunc exiit de terra Chaldæorum & habitavit in Charam, *ubi pro eadem regione uſurpavit nomen Meſopotamia*

mia

miæ & Chaldæa, & ita Ur Chaldæorum, unde oriundus erat Abraham, erat in Meſopotamia. Verùm alias Meſopotamia ſignificat diſtinctam regionem, quæ Hebræis dicitur Aram Neharam *Syriæ fluviorum, quod ſita ſit inter Tigrim & Euphratem, & in ea regione erat Charam, quò venit Abraham cum patre ex Chaldæa egreſſus. Externi verò ſcriptores vocant Charras, & illius meminit Stephanus de urbibus, & Strabo li. 16. locus nobilitatus cæde Craſſi conſulis, & inſigni clade Romani exercitus. Habet hæc regio Tigrim ab Oriente & Euphratem ad Occidentem, à meridie Babyloniam, ab Aquilone Caucaſum montem.*

β Sarai nurum ſuam uxorem Abrahæ filii ſui.] *Ex hoc loco contendunt aliqui probare, Saram non fuiſſe Jeſcam filiam Aram fratris Abrahæ, quia de Thare non dixiſſet Moſes,* Tulit Sarai nurum ſuam, *cum enim major ſit neceſſitudo & propinquitas inter avum & neptem, qui ſunt conſanguinei, quàm inter ſocerum & nurum, qui ſunt tantum affines, dicere potius debuit. tulit Thare neptem ſuam, vel filiam filii ſui, quemadmodum etiam de Loth dixit, Tulit Loth filium Aram filii ſui. Reſponderi poteſt probabiliter cum Toſtato, ſcripturam denominare perſonas à majori dignitate ſua, Sara verò dignior erat in quantum uxor Abrahæ & nurus Thare, quàm in quantum erat filia Aram & neptis Thare. In quantum enim filia Aram nullam habet dignitatem, verùm in quantum uxor Abrahæ, magnam excellentiam conſequitur, quod de ſemine ejus Chriſtus deſcendat, & omnes ſancti Patriarchæ ex ea ducant originem, ſitq́ue ut Abraham pater populi Dei, ita hæc mater. Iſai. 51.* Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos. *Deinde jam eam ſcriptura nominavit filiam Aram ſub nomine Jeſchæ: cùm ergo in diſceſſu jam eſſet matrimonio conjuncta Abrahamo, rectè eam nurum Thare, & uxorem Abrahæ filii ſui vocavit.*

γ Nuſquam hic nominatur Nachor.] *D. Auguſt. vult, Nachor poſt parentem & fratrem Abrahamum reliquiſſe Chaldæam, nec eos ſecutum eſſe, quòd ſuperſtitionem Chaldæorum tùm ſectaretur. Genebrardus in Chronolog. anno mundi 1056. videtur ſentire, Nachor etiam Charras in Meſopotamiam tranſiiſſe cum Thare. Ita enim ſcribit de Thare;* Univerſam ſuam familiam Charras traduxit. Nam filius ejus Nachor illic univerſam ſuam familiam & fortunas conſtituit, nec poſt patris mortem fratrem Abrahamum in terram Chanaan ſecutus eſt, delectatus ea ſede, quæ patriæ erat propior, ubi fortaſſe Diis alienis tandem ſerviit. Nam Laban nepos ejus idola habuit. *Idem videtur ſentire Joſephus li. 1. antiq. cap. 7.* Θάῤῥου μισήσαντος τὴν Χαλδαίαν διὰ τὸ Αῤῥάνου πένθος μετοικίζονται πάντες εἰς Χαῤῥὰν τῆς Μεσοποταμίας. *Verùm probabilius eſt, quod hic ſcribit D. Auguſtin. Nachor in diſceſſu Thare adhæſiſſe Chaldæorum ſuperſtitioni, nec patrem & fratrem ſecutum eſſe; poſtea verò vel pœnitentia ductum vel perſecutionem paſſum Chaldæos reliquiſſe, & ad patrem perrexiſſe Charam. Quod enim Nachor venit Charam in Meſopotamiam, conſtat ex Geneſ. 24. ubi enim Abraham miſit Eliezer ſervum ſuum ad cognationem ſuam, ut acciperet uxorem Iſaac filio ſuo, dicitur iviſſe in Meſopotamiam ad civitatem Nachor.*

CAP. XIV.

De annis Tharæ, qui in Charra vitæ tempus implevit.

DEfuncto autem Thara in Meſopotamia, ubi vixiſſe perhibetur ducentos & quinque annos, jam incipiunt indicari factæ ad Abraham promiſſiones Dei,
Gen. 11. quod ita ſcriptum eſt: *Et fuerunt dies Tharæ in Charra quinque & ducenti anni, & mortuus eſt in Charra.* Non ſic autem accipiendum eſt, a quaſi omnes hos dies ibi egerit, ſed quia omnes dies vitæ ſuæ, qui fuerunt anni ducenti & quinque, ibi compleverit, alioquin neſciretur, quot annos vixerit Thara †, quoniam non legitur, quoto anno vitæ ſuæ in Charram venerit: & abſurdum eſt exiſtimare, in iſta ſerie generationum, ubi diligenter commemoratur, quot annos quiſque vixerit, hujus ſolius numerum annorum vitæ non commendatum eſſe memoriæ. Quod enim quorundam, quos eadem ſcriptura commemorat, taceantur anni, non ſunt in hoc ordine, in quo temporum dinumeratio deceſſione gignentium, & genitorum ſucceſſione contexitur. Iſte autem ordo, qui dirigitur ab Adam uſque ad Noe, & inde uſque Abraham, ſine numero annorum vitæ ſuæ neminem continet.

al. add. in Charra.

F.L.Coq. a QUaſi omnes hos dies ibi egerit.] *Quoto anno nativitatis Tharæ, vel etiam Abrahæ egreſſi ſint de Chaldæa, non refert ſcriptura: id enim ad ſacram chronologiam nihil ſpectabat, ſatis erat ſingulorum, qui in ſerie generationum poſt diluvium ponuntur à Noe ad Abrahamum, annos vitæ commemorare, ut inde conſtaret, quot anni interceſſerint à diluvio ad Abrahamum, quo tempore comprehenditur ſecunda mundi ætas, & deinceps dies vitæ Abrahæ & poſterorum illius. Tradunt verò Hebræi, Abraham, cùm exivit de Vr Chaldæorum fuiſſe 52. annorum, & moratum in Charram 23. annis.*

CAP. XV.

De tempore promiſſionis Abrahæ, quæ ſecundùm præceptum Dei exivit de Charra.

Gen. 12. QUod verò commemorata morte Tharæ patris Abraham deinde legitur: *Et dixit Dominus ad Abraham, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, &c.* non quia hoc ſequitur in ſermone libri, hoc etiam in rerum geſtarum tempore ſequi exiſtimandum eſt. a Erit quippe, ſi ita eſt, indiſſolubilis quæſtio. Poſt hæc enim verba Dei, quæ ad Abraham facta ſunt: ſcriptura ſic loquitur: *Et exiit Abraham, quemadmodum locutus eſt illi Dominus, & abiit cum illo Loth. Abraham autem erat quinque & ſeptuaginta annorum, cùm exivit de Charra.* Quomodo poteſt hoc verum eſſe, ſi poſt mortem patris ſui exiit de Charra? Cùm enim eſſet Thara ſeptuaginta annorum, ſicut ſupra intimatum eſt, genuit Abraham: cui numero additis ſeptuaginta quinque annis, quod agebat Abraham, quando egreſſus eſt de Charra, fiunt anni centum & quadraginta quinque. Tot igitur annorum erat Thara, quando exiit Abraham de illa Meſopotamiæ civitate. Agebat enim annum ætatis ſuæ ſeptuageſimum quintum: ac per hoc pater ejus, qui ſeptuageſimo vitæ ſuæ anno genuerat, agebat, ut dictum eſt,

eſt, centeſimum & quadrageſimum quintum annum. Non ergò inde poſt mortem patris, id eſt, poſt ducentos quinque annos, quibus pater ejus vixit, egreſſus eſt, ſed annus de illo loco profectionis ejus, quoniam ipſius ſeptuageſimus quintus erat, procul dubio patris ejus, qui ſeptuageſimo vitæ ſuæ anno genuerat, centeſimus quadrageſimus quintus fuiſſe colligitur. β Ac per hoc intelligendum eſt, more ſuo ſcripturam rediſſe ad tempus, quod jam narratio illa tranſierat: ſicut ſuperius, cùm filios filiorum Noe commemoraſſet, dixit, illos fuiſſe in gentibus & linguis ſuis: & tamen poſtea, quaſi hoc etiam in ordine temporum ſequeretur: *Et erat*, inquit, *omnis terra labium unum, & vox una omnibus.* Quomodo ergò ſecundùm ſuas gentes, & ſecundùm ſuas linguas erant, ſi una erat omnibus: niſi quia ad illud, quod jam tranſierat, recapitulando eſt reverſa narratio? Sic ergo & hic cùm dictum eſſet, *Et fuerunt dies Thara in Charra quinque & ducenti anni, & mortuus eſt Thara in Charra:* deinde ſcriptura redeundo ad id, quod ideò prætermiſerat, ut prius de Thara id, quod inchoatum fuerat, compleretur: *Et dixit*, inquit, *Dominus ad Abraham, Exi de terra tua, &c.* Poſt quæ Dei verba ſubjungitur, *Et exiit Abraham, quemadmodum locutus eſt illi Dominus, & abiit cum eo Loth.* γ *Abraham autem erat quinque & ſeptuaginta annorum, cùm exiit ex Charra.* Tunc itaque hoc factum eſt, quando pater ejus centeſimum quadrageſimum & quintum annum agebat ætatis. Tunc enim fuit hujus ſeptuageſimus quintus. δ Soluta *b* eſt autem quæſtio iſta & aliter, ut ſeptuaginta quinque anni Abrahæ, quando egreſſus eſt de Charra, ex illo computarentur, ex quo de igne Chaldæorum liberatus eſt, non ex quo natus eſt, tanquam tunc potiùs natus habendus ſit. ε Sed beatus Stephanus in actibus Apoſtolorum, cùm iſta narraret: *Deus*, inquit, *gloriæ apparuit Abrahæ patri noſtro, cùm eſſet in Meſopotamia, priùs quàm habitaret in Charra, & ait ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam tibi demonſtrabo.* Secundùm hæc verba Stephani non poſt mortem patris ejus locutus eſt Deus Abrahæ, qui utique in Charra mortuus eſt, ubi cum illo & ipſe filius habitavit, ſed prius quàm habitaret in eadem civitate, jam tamen cùm eſſet in Meſopotamia. Jam ergò exierat à Chaldæis. Quod itaque adjungit Stephanus. Tunc Abraham egreſſus eſt de terra Chaldæorum, & habitavit in Charra, non demonſtrat, quid ſit factum, poſteaquam locutus eſt illi Deus. Neque enim poſt illa Dei verba egreſſus eſt de terra Chaldæorum, cùm dicat ei, locutum Deum eſſe in Meſopotamia, ſed ad totum illud tempus pertinet, quod ait Tunc, id eſt, ex quo egreſſus eſt à Chaldæis, & habitavit in Charra: Item quod ſequitur: ζ *Et inde poſtquam mortuus eſt pater ejus, collocavit illum in terra hac, in qua vos nunc habitatis, & patres veſtri:* non ait, poſtquam mortuus eſt pater ejus, exiit de Charra, ſed inde poſtquam mortuus eſt pater ejus, hîc eum collocavit. Intelligendùm eſt igitur, locutum Deum fuiſſe cum Abraham, cùm eſſet in Meſopotamia, prius quàm habitaret in Charra, ſed eum in Charram perveniſſe cum patre retento apud ſe præcepto Dei, & inde exiſſe ſeptuageſimo & quinto ſuo, patris autem ſui centeſimo quadrageſimo quinto anno. Collocationem verò ejus in terra Chanaan, non profectionem de Char-

Gen. 11.

Charra poſt mortem patris ejus factum eſſe dixit, quia jam mortuus erat pater ejus, quando emit terram, cujus ibi jam ſuæ rei cœpit eſſe poſſeſſor. Quod autem jam in Meſopotamia conſtituto, hoc eſt, jam egreſſo de terra Chaldæorum, dixit Deus: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, non ut corpus inde ejiceret, quod jam fecerat, ſed ut animam evelleret, dicitur. Non enim exierat inde animo, ſi ſpe redeundi & deſiderio tenebatur, quæ ſpes & deſiderium Deo jubente ac juvante & illo obediente fuerat amputanda. Non ſanè incredibiliter exiſtimatur, cùm poſtea ſecutus eſſet Nachor patrem ſuum, tunc Abraham præceptum Domini impleviſſe, ut cum Sara conjuge ſua & Loth filio fratris ſui exiret de Charra.

L.Vives. *a* ERit quippe, ſi ita eſt, indiſſolubilis quæſtio.] *Sic etiam hanc quæſtionem vocat Hieronymus. qui eam diverſius paulò quàm Auguſtinus hic ſolvit, tametſi conjecturis tribus utitur.*

b Soluta eſt autem quæſtio.] *Hæc eſt una ex ſolutionibus ſancti Hieronymi ex fabula, quam Hebræi narrant. Sic enim ſcribit: Pro eo, quod legimus in regione Chaldæorum, in Hebræo habetur* Ur chaſdim, *id eſt, in igne Chaldæorum. Tradunt autem Hebræi ex hac occaſione iſtiusmodi fabulam. Quòd Abraham in ignem miſſus ſit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus de idololatriæ igne profugerit, quod in ſequentibus ſcribitur, egreſſum eſſe Tharam cum ſobole ſua de regione Chaldæorum, pro eo, quod in Hebræo habetur de incendio Chaldæorum, & hoc eſſe, quod nunc dicitur, mortuus eſt Aran ante conſpectum Thare patris ſui in terra nativitatis ſuæ in igne Chaldæorum, quod videlicet ignem nolens adorare, igne conſumptus ſit. Loquitur autem poſtea Dominus ad Abraham: Ego ſum, qui eduxi te de igne Chaldæorum. Et aliquanto pòſt ubi quæſtionem illam ſibi propoſuiſſet, quam indiſſolubilem nominavit, inquit: Vera eſt igitur illa Hebræorum traditio, quam ſuprà diximus, quòd egreſſus ſit Thare cum filiis ſuis de igne Chaldæorum, & quòd Abraham Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei auxilio ſit liberatus, & ex illo tempore ei dies vitæ & tempus reputetur ætatis, ex quo confeſſus eſt Dominum, ſpernens idola Chaldæorum. Hactenus Hieronymi verba recenſuimus, ſine quibus parum intelligi poſſe Auguſtini ſententia videbatur. Joſephus ſcribit, Tharam, cùm odio haberet Chaldæam propter luctum Aran filii migraſſe cum tota domo Charras, ſepulchrumq; Aran oſtendi in Ur Chaldæorum.*

F.L.Coq. *α* ERit quippe ſi ita eſt, indiſſolubilis quæſtio.] *Ita vocat eam Hieronymus in traditionibus Hebraicis, quæſtio vero eſt, Abraham natus eſt anno 70. patris ſui Thare, hic autem vixit 205. annis, utrumque tradit Moſes cap. 11. Geneſ. poſt mortem autem Thare narrat Moſes egreſſum Abram de civitate Haram, quomodo igitur potuit tum Abraham eſſe 75. annorum, cùm à 70. anno Thare, quo natus eſt Abram uſq; ad 205. annum, quo Thare mortuus eſt, numerentur anni 125.*

β Ac per hoc intelligendum eſt, more ſuo ſcripturam rediiſſe ad tempus.] *Idem quæſt. 25. ſuper Geneſin*, ſolvitur *(inquit)* quæſtio per recapitulationem, quæ indiſſolubilis remaneret, ſi poſt mortem Thare acciperemus, locutum eſſe Dominum ad Abrahamum, ut exiret de Charram, quia non poterat adhuc eſſe

anno-

annorum 75. cùm pater ejus jam mortuus eſſet, qui eum 70. ætatis ſuæ anno genuerat, ut Abraham poſt mortem patris ſui annorum eſſet 135. ſi omnes anni patris ejus 205. fuerint. Recapitulatio itaque iſta ſi advertatur in ſcripturis, multas quæſtiones ſolvit, quæ indiſſolubiles poſſint videri. *quod idem docet lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 36. Inter regulas Tyconii ſextam ponit recapitulationem, in obſcuritate* Scripturarum, *inquit*, ſatis vigilanter inventam. Sic enim dicuntur quædam quaſi ſequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cùm ad priora, quæ prætermiſſa fuerant, latenter narratio revocetur, quod niſi ex hac regula intelligatur, erratur. *Ita Toſtatus qu. 17. in cap. 12. Geneſ. In ſcriptura ſacra dicit aliquando ſervari ordinem rerum naturalem juxta tempus, quo facta ſunt: aliquando verò ſolum ordinem artificialem, quia ea, quæ ſunt poſteriora tempore prius ſcribuntur, & è contrario, idq; ſuadente aliqua ratione; & ſecundùm hoc fiunt duæ figuræ, anticipatio & recapitulatio. Geneſ. ergo 12. ſcriptura loquitur per recapitulationem de diſceſſu Abrahæ ex Meſopotamia in terram Chanaam anno illius ætatis 75. præceſſit enim vocatio Abrahæ, & exitus de Charam ipſam mortem patris ſui Thare, verum ſcriptura præpoſuit mortem patris ſui Thare, non quidem aſſerens, eam præceſſiſſe, ſed eam prius commemorans, eoq; aliquid dixerat de Thare, nec poſtea unquam debebat illius meminiſſe, cum tota narratio ſequens ad Abrahamum pertineat & poſteros ejus in quantum ſegregantur illi à cæteris populis: fuit autem ſegregatio per exitum de Charram, & introitum in terram Chanaam, ideò voluit prius ponere omnia, quæ pertinebant ad Thare, ut poſtea nunquam de eo ſermo fieret, ſed continuaretur hiſtoria Abrahæ, ideoq; ſcripſit de morte Thare, in qua omnia complentur, & tunc rediit adſcribendum vocationem Abrahæ & exitum de Charram, licet præceſſerit mortem Thare, atque deinceps ipſius Abrahæ & illius poſterorum continuatur hiſtoria.*

γ Abraham erat quinque & ſeptuaginta annorum, cùm exiit ex Charram.] *Anno Thare ætatis 145. & ſexaginta annis ante illius mortem, & 430. annis ante legem datam in monte Sinai, ut colligitur ex ca. 3. ad Galat. & 215. annis ante ingreſſum Jacob in Ægyptum.*

δ Soluta eſt iſta quæſtio & aliter.] *Hæc ſolutio poſita eſt ex antiqua traditione Hebræorum, cujus meminit Hieronymus, & ſine illa indiſſolubilem videri ait hanc quæſtionem. Tradunt Hebræi, revera tùm fuiſſe Abraham centum triginta quinque annorum, nec ſeptuaginta quinque annos, quos Moſes hoc loco ei tribuit, computari debere ab ejus ortu, ſed ab eo tempore, quo à Chaldæis, quia cum illis in idololatria conſentire nollet, conjectus eſt in ignem; Unde magno divinæ potentiæ miraculo ereptus eſt. Tum erat Abraham ſexaginta annorum, & quia tum quodammodo regeneratus & denuo natus videtur, ideo conſequentes ejus annos ab eo miraculo Moſes computare voluit. Septuaginta quinque ergo annis poſt tantum miraculum contigit, quod de diſceſſu illius ex civitate Haram ſcripſit Moſes Geneſ. 12. Ejuſdem ſolutionis meminit D. Auguſt. q. 24. ſuper Geneſ. verùm illi non innititur, ut eam obiter tantùm commemoret, & nititur debili fundamento, quod ſc. Abraham fuerit à Chaldæis ob religionem conjectus in ignem. Nec enim per* Vr Chaldæorum, *unde*

eductus dicitur Abraham à Deo, intelligitur ignis, ſed locus nativitatis illius, ut conſtat ex Gen. 11. ubi dicitur Aram mortuus in terra nativitatis ſuæ in Ur Chaldæorum, & Thare eduxiſſe Abraham de Ur Chaldæorum. Deinde ut conſtaret nobis recta ratio temporum, quibus ab initio mundi unaquæque ætas duravit, debuit ſcriptura eorum annos commemorare, quibus hi vixere, ex quorum ſucceſſione colligimus rationem temporum, at quia ab Abrahamo cœpit tertia ætas, & quemadmodum cùm dicit ſcriptura, eum mortuum anno 175. ætatis, de annis vitæ intelligendum, ita cum de Charram egreſſus dicitur anno 75 ætatis, anni certe vitæ hi intelligendi ſunt.

Sed B. Stephanus in actibus Apoſtolorum cùm iſta narraret.] *Duæ dubitationes occurrunt hoc loco, prima; An una & eadem ſit vocatio Abrahæ, cujus meminit Stephanus Actor. 7. & quam commemorat Moſes Geneſ. 12. ubi hoc Dei oraculum & mandatum de relinquenda patria, & adeunda terra Chanaam Abraham à Deo acceperit. Quod attinet ad primam, Toſtatus in cap. 12. Geneſ. qu. 1. & 2. 12. & 18. exiſtimat, non ſemel tantùm, verùm bis Abraham fuiſſe à Deo vocatum, & juſſum egredi terram ſuam. Primùm quidem, cum eſſet in Chaldæa, & de ea vocatione locutum D. Stephanum Act. 7. cùm verò ex Chaldæa veniſſet in civitatem Charam, ibiq; manſiſſet aliquandiu, fuiſſe ſecundò à Deo vocatum, ut inde exiret & iret in terram Chanaam, & de hac ſecunda vocatione Moſem locutum eſſe intelligendum Geneſ. 12. In prima vocatione non dicitur, quoto anno ætatis diſceſſerit ex Chaldæa. In ſecunda vocatione dicitur, eum fuiſſe ſeptuaginta quinque annorum. In prima vocatione comites Abrahæ fuere pater ejus Thare, & uxor ejus Sara & Loth filius Aram fratris ſui. In ſecunda vocatione Thare pater non eum comitatus eſt, ſed recedens Charra, diſceſſit in terram Chanaam cum Sara uxore & Loth, & probat primo, quia ex verbis ſcripturæ videtur alia eſſe vocatio, de qua Actor. 7. facta, cùm Abraham eſſet in Meſopotamia, antequam veniret Charras; & quæ deſcribitur Geneſ 12. videtur facta in Charram, ubi morabatur Abraham, & inde tum dicitur diſceſſiſſe ex Meſopotamia ſeu civitate Charras in terram Chanaam. Secundo quia daretur tunc quod non fuerit aliqua vocatio facta in Charram. Verùm inde Abraham exierit ſine vocatione, quod falſum, quia aliquandiu manſit in Charra. Sub finem enim cap. 11. Geneſ. dicitur Abraham veniſſe in Charram, & habitaſſe ibi, verbum autem habitandi longam & diutinam ſignificat manſionem, & tradunt Hebræi Abraham per 23. annos manſiſſe in Charram, nimirùm à 52. ætatis anno, quo egreſſus ex Chaldæa venit Charras ad 75. quo diſcedens Charris petiit terram Chanaam, divino oraculo accepto. Verùm D. Auguſt. & hoc cap. & q. 25. ſuper Gen. unicam vocationem agnoſcit, quod & faciunt reliqui Patres. Et certè vocationem Abrahæ, quam Stephanus refert, non eſſe diverſam à vocatione ejuſdem, quam commemorat Moſes Gen. 12. argumento eſt, quod Stephanus eandem ſententiam, & eadem verba omnino refert, quæ poſuit Moſes, ut ad vocationem Abrahæ à Moſe commemoratam ſpectarit. Addo quod argueret imperfectam quandam obedientiam Abrahæ, ſi ei duplici vocatione opus fuiſſet. Reſpondebit aliquis, Abram priori vocatione juſſum proficiſci ex Chaldæa in civitatem Haran: poſteriori vocatione præceptum ei eſſe, ut ex Haran proficiſceretur in terram Chanaan; cum ergo fuerint diverſæ vocationes, non arguit tarditatem*

Abraham

Abraham in obtemperando divinæ vocationi, quod is ſit vocatus à Deo; immò utroque accepto oraculo promptiſſimè Deo vocanti obtemperavit. Abrahamum verò ex Chaldæa diſcedentem juſſum eſſe venire in civitatem Charam, non obſcurè docet liber Judith, cap. 5. Deus præcepit eis (*patribus Hebræorum*) ut exirent ex Chaldæa, & habitarent in Charram. *Verùm huic objectioni occurrit Pererius in cap. 12. Gen. ubi doctiſſimè hanc diſputationem agitat, quod ex ſcriptum conſtet, Thare & Abrahamum ex Chaldæa diſceſſiſſe eo anno, ut pergerent per ſe primo & citato curſu in terram Chanaan, non autem in Haran, cap. 11. Gen.* Tulit Thare filium ſuum, & Loth filium Aram filii ſui, & Sarai nurum ſuam, & uxorem Abrahæ, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan. *Quod autem venerint in civitatem Haran, & ibi aliquandiu habitaverint, eò factum eſt, quod tranſeuntibus illis Meſopotamiam, ut irent in terram Chanaan, occurrit civitas Haran; ubi Thare feſſus ex itinere, & ulteriorem peregrinationem pertæſus ac ſecum retinuit Abraham fortaſſe quouſque eò veniret alter ejus filius Nachor: quod verò ex libro Judith allatum eſt, Deum præcepiſſe Abrahæ venienti ex Chaldæa, ut habitaret in Charram, non ita accipiendum, quaſi vellet Deus illum eſſe terminum vocationis & profectionis Abrahæ ex Chaldæa, ſed quod indulgens vel Thare, vel Abram ne patrem deſereret, voluit; ut quoad Nachor illuc veniret, Abram cum patre ſuo Thare maneret. Addo contra Toſtatum quod in vocatione, quam narrat Moſes, poſitum eſt, Deum dixiſſe Abrahæ,* Egredere de terra tua, *at terra Abrahæ erat non civitas Haran, ſed Chaldæa, ergo hæc vocatio non in Haran, ſed in Chaldæa facta eſt, adeoq; una eſt, & eadem cum ea, cujus meminit Stephanus act. 7. Nec ſatisfacit Toſtatus ſcribens in cap. 12. Gen. q. 14. potuiſſe id eſſe verum, etiamſi egrederetur Abram de Charam. Etſi enim ibi non ſit natus, nihilominus, quia diutius ibi manſit, & acquiſivit opes multas, meritò dicitur terra Abrahæ non quidem terra originis, ſed terra habitationis. verùm hoc frivolum. Primò, quia non adeò certum, diutiùs Abraham manſiſſe in Haran, & contrarium ſcribit cap. ſequenti D. Auguſt. Deinde cùm Abraham in Haram manſerit tanquam peregrinus & incola, ac certo conſilio pergendi ad eam terram, ad quam Deus eum vocabat, dici nullo modo poteſt, civitatem Haram fuiſſe patriam Abrami, etſi plures in ea annos manſerit. Ad primum argumentum in oppoſitum reſpondetur breviter, ex ſcriptura magis colligi oppoſitum, nimirum unam & eandem eſſe vocationem Abrahæ, quam Gen. 12. Moſes & Actor. 7. Stephanus commemorat, ut oſtenſum eſt. Ad ſecundum non ſine vocatione quidem divina Abraham diſceſſiſſe ex Charan in terram Chanaam, verùm eam vocationem dico factam in Chaldæa, ubi juſſit eum Deus pergere in terram Chanaam, non autem in Charan, neque relinquens patriam & ſuos ſibi proponebat in animo habitationem in Charan, verùm juxta divinum oraculum in ea terra, ad quam eum Deus vocabat. Quod attinet ad alteram difficultatem propoſitam; ubinam Abraham hoc mandatum de relinquenda patria à Deo acceperit D. Auguſt. affirmat, verba hæc Deum dixiſſe Abrahæ poſt egreſſum ejus ex Chaldæa, & ante ipſius adventum in civitatem Haran, ſc. in ipſo itinere, quo ex Chaldæa tendebat in urbem Haran, vel potiùs in terram Chanaam: probat verò ſuam ſententiam ex verbis Stephani Actor. 7.:* Deus gloriæ apparuit

patri noſtro Abrahæ cum eſſet in Meſopotamia, priusquam moraretur in Charra, & dixit ad illum, exi de terra tua. *Cùm ergo tum eſſet in Meſopotamia, jam diſceſſerat ex Chaldæa, & cùm nec dum perveniſſet Charram, erat in ipſo itinere. Si verò quis Auguſtino objiciat, Deum Abrahamo dixiſſe ut egrederetur, de terra ſua, terra verò Abrahami non erat Meſopotamia, ſed Chaldæa, ergò tale oraculum accepit in Chaldæa, non in Meſopotamia, jam propriam regionem egreſſus, & Act. 7. dicitur hoc mandato accepto tunc exiviſſe de terra Chaldæorum. Hanc objectionem rectè præſenſit D. Auguſt. & diluit, Abraham quidem corpore egreſſum ex patria, retinuiſſe tamen deſiderium & propoſitum illuc revertendi: Juſſit ergo Deus, ut quemadmodum corpore, ita animo egrederetur, voluntatem illuc regrediendi omnino abjiciens. Pererius in cap. 12. Gen diſput. 1. tripliciter refellit hanc ſolutionem D. Auguſtini, primo, quia non videtur literæ conſentanea hæc interpretatio, immò dura & improbabilis,* illud egredere de terra tua, *interpretari non de egreſſu corporali, ſed de egreſſu, quoad affectum revertendi. Secundo, quia excuſari non poſſet Abraham, quin peccaſſet, ſi tantopere cupiviſſet eò redire, unde Deus tam gravi præcepto eum juſſiſſet abire. Verùm reſponderi facilè poſſet, illum affectum habuiſſe imperfectum & indeliberatum, & præterea ſi ſpem omninò & deſiderium eò redeundi habebat, habuiſſe, ut conſtat ex D. Auguſtino, antequam tale præceptum a Deo accepiſſet; accepto verò hujusmodi Dei mandato, abjeciſſe omnem affectum erga patriam & omne deſiderium redeundi. Tertiò cum Abraham reliquiſſet Chaldæam propter odium idololatriæ, quæ ibi maximè exercebatur, & à qua imprimis abhorrebat, qui fit credibile, Abraham illuc reverti voluiſſe? Diſceſſiſſe enim Abraham ex Chaldæa fugientem ejus gentis idololatriam, conſtat ex Judith. 5. in oratione Achor ad Holofernem. Atqui reſponderi facile poteſt, Abrahamum inter ſceleratos potuiſſe pietatem exercere, itaque etſi teneretur deſiderio vel ſpe redeundi in patriam, in animo tamen illius fixum immotumq; manebat, unum Deum ſupremum rerum omnium authorem ac parentem agnoſcere, eiq; rejecta procul omni idololatria & ſuperſtitione debitum ſupremum latriæ cultum deferre. Quod verò reſpondet ad argumentum Auguſtini petitum ex authoritate B. Stephani Actor. 7. qui dixit, Abraham fuiſſe in Meſopotamia cùm vocatus eſt à Deo, Meſopotamiam ibi late ſumi, prout ſignificat omnem illam regionem, quæ erat trans fluvium Euphratem, habito reſpectu ad terram Chanaan, ideoq; complecti etiam Chaldæam, probabiliter quidem dictum, verùm cum Meſopotamia & Chaldæa ſint nomina propria regionum, & quæque regio trans fluvium Euphratem ſuis diſtingueretur propriis nominibus, perperàm certè videtur intelligi regio Chaldæa nomine Meſopotamiæ. Alii exiſtimant, Abram in Civitate Charan hoc Dei oraculum ſeu mandatum accepiſſe. Euſebius in Chronico. Ambroſ. lib. 1. de Abraham cap. 2. Rupertus lib. 2. in Gen. ca. 5. Lyranus & Burgenſis hoc loco, & Toſtatus, verùm alio fundamento, quia exiſtimant, duplicem fuiſſe vocationem Abrahæ, unam in Chaldæa, de qua Actor. 7. alteram in Haran, de qua Gen. 12. ſed improbata iſta ſententia, Pererius in diſputatione citata arbitratur, hanc divinam vocationem Abrahæ eſſe factam, cùm adhuc verſaretur in Chaldæa; eſt quidem probabilis ſententia, non tamen ita validis argumentis confirmatur, ut ſententiam D. Auguſtini*

omninò

omninò evertat, ut omni probabilitate careat, immò ei lubenter adhæremus, nec redargui poteſt ex ſcriptura evidenter.

ς Inde poſtquam mortuus eſt pater ejus collocavit illum in terra hac.] *Actor. 7. ubi vulgata editio habet,* tranſtulit illum in terram iſtam. *Ex hoc loco perperam intellecto aſſerunt nonnulli, Abrahamum non anno 70. patris, ſed 130. id eſt, ſexaginta poſt natum eſſe, ita ſentit Matthæus Beroald. in Chroni. li. 3. cap. 2. quod videatur aſſerere Stephanus diſceſſiſſe Charis poſt mortem patris, idq; anno 75. ætatis patre mortuo annorum 205. Verùm ut hic obſervat D. Aug. & qu. 25. ſuper Geneſ. non dixit ſcriptura, poſtquàm mortuus eſt pater ejus, egreſſus eſt de Charran, ſed inde collocavit eum Deus in terra hac, ut poſt habitationem in Charran collocaretur in terra Chanaam: non poſt mortem patris egreſſus, ſed poſt mortem patris collocatus in terra Chanaam, ut ordo verborum ſit, habitavit in Charran, & inde collocavit illum in terra hac, poſtquam mortuus eſt pater ejus, ut tunc intelligamus collocatum, vel conſtitutum Abraham in terra Chanaam, quando illic eum nepotem ſuſcepit, cujus univerſum ſemen illic fuerat regnaturum ex promiſſo Dei hæreditate donata. Nam ex ipſo Abraham natus eſt Iſmael de Agar, nati & alii ex Cethura, ad quos illius terræ non pertinebat hæreditas. Et ex Iſaac natus eſt Eſau, qui ſimiliter ab illa hæreditate alienatus eſt. Ex Jacob autem filio Iſaac, quotquot filii nati ſint, id eſt, univerſum ſemen ejus, ad illam hæreditatem pertinuit. Sic ergo collocatus & conſtitutus eſt in terra illa Abraham, quoniam vixit uſque ad nativitatem Jacob. Ita etiam Genebrardus in Chronolog. quod vulgata editio habet,* tranſtulit illum, *interpretatur,* μετώκισεν, colonum & habitatorem fecit; *ac ei, quaſi nunquam in poſterum in Meſopotamiam reverſuro, domicilium in terra Chanaam ſtatuit: unde* μετοικία *non eſt ſimplex translatio, ſed colonia; nempe Abraham, cùm ante patris mortem annos 60. magis peregrinaretur in terra Chanaam quàm habitaret, quia per vices patrem & fratres viſeret, poſtea perpetuas illic ſedes collocavit, neque ampliùs in Meſopotamiam reverſus eſt.*

Cap. XVI.

De ordine & qualitate promiſſionum Dei, quæ ad Abraham factæ ſunt.

JAm conſiderandæ ſunt promiſſiones Dei factæ ad Abraham. In his enim apertiora Domini noſtri Jeſu Chriſti, hoc eſt, Dei veri oracula apparere cœperunt de populo piorum †, quem prophetica prænunciavit autoritas: harum prima ita legitur: *Et dixit Dominus ad Abraham,* α *Exi de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, &* β *vade in terram, quam tibi demonſtravero, & faciam te in gentem magnam, & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus, & benedicam benedicentes te, & maledicam maledicentes te, &* γ *benedicentur in te omnes tribus terræ.* Advertendum eſt igitur duas res promiſſas Abrahæ, unam ſcilicet, quòd terram Chanaan poſſeſſurum fuerat ſemen ejus, quod ſignificatur, ubi dictum eſt: Vade in terram, quam tibi demonſtravero, & faciam te in gentem magnam: aliam verò longè præſtantiorem, non de carnali,

† al. impiorum.

Gen. 12.

ſed de ſpiritali ſemine, per quod pater non eſt unius gentis Iſraeliticæ, ſed omnium gentium, quæ fidei ejus veſtigia conſequuntur, quod promitti cœpit his verbis: *Et benedicentur in te omnes tribus terræ.* a Hanc promiſſionem factam arbitratur δ Euſebius ſeptuageſimo quinto anno ætatis Abrahæ, tanquam mox ut facta eſt, de Charra exierit Abraham: quoniam ſcripturæ contradici non poteſt, ubi legitur, Abraham erat quinque & ſeptuaginta annorum, cùm exiit de Charra. Sed ſi eo anno facta eſt iſta promiſſio, jam utique in Charra cum patre ſuo demorabatur Abraham. Neque enim inde exire poſſet, niſi prius ibi habitaſſet. Nunquid nam ergò contradicitur Stephano dicenti: Deus gloriæ apparuit Abrahæ patri noſtro, cùm eſſet in Meſopotamia, priuſquam habitaret in Charra? Sed intelligendum eſt, quòd eodem anno facta ſunt omnia, & Dei promiſſio, antequam in Charra habitaret Abraham, & in Charra habitatio ejus, & inde profectio: non ſolùm qui Euſebius in Chronicis ab anno hujus promiſſionis computat & oſtendit, poſt quadringentos & triginta annos exitum eſſe de Ægypto, quando lex data eſt, verùm etiam b ε quia id commemorat Apoſtolus Paulus.

Act. 7. *Gal. 3.*

L. Vives. a Hanc promiſſionem factam arbitratur Euſebius.] *Sic enim apud illum eſt: Imperante Aſſyriis iiij. Ario, & Sicyoniis Thelaſſione, Abraham cum ſeptuaginta quinque eſſet annorum, divino dignus habetur alloquio, & ea repromiſſione, qua ad illum facta eſt.*

b Quia id commemorat Apoſt. Paulus.] *Ad Galatas 3. quadringentis & triginta annis poſt promiſſiones factas Abrahæ dicit, legem eſſe datam.*

T. L. Coq. α Exi de terra tua.] *Idem li. 12. contra Fauſtum, ca. 25. docet, Abraham in hoc geſſiſſe Chriſti figuram.* Quis enim alius Abraham exit de terra ſua, & de cognatione ſua, ut apud exteros ditetur & locupletetur, niſi qui relicta terra & cognatione Judæorum, unde ſecundum carnem natus eſt, apud Gentes ita præpollet & prævalet ut videmus?

β Vade in terram, quam tibi demonſtravero.] *Illa fuit terra Chanaam, & non Charra, licet aliquandiu ibi manſerit cum patre, illam enim terram oſtendebat, quam erat daturus poſteris Abrahæ, verùm Charra ex promiſſo Dei ad eos nihil ſpectabat.*

γ Benedicentur in te.] *Gen. 22. illud apertius expoſuit.* In ſemine tuo. *Nec enim ex Abrahamo, verùm ex Chriſto benedictio omnibus gentibus contigit. Ita interpretatus eſt D. Paulus Galat. 3. & Epheſ. 1.* Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.

δ Euſebius in Chronico ab anno hujus promiſſionis.] *Refert ingreſſum Jacob cum ſuis in Ægyptum, in annum à promiſſione facta Abrahæ 215. & exitum item filiorum Iſrael ex Ægypto ab ingreſſu Jacob in annum 215.*

ε Verum quia id commemorat Apoſtolus Paulus.] *Cujus certè authoritas ſacroſancta nobis eſſe debet. In epiſt. ad Gal. ca. 3. ſcribit, à promiſſione Abrahæ Gen. 12. anno ætatis illius 75. ad legem datam in monte Sinai ſtatim poſt egreſſum filiorum Iſrael ex Ægypto interceſſiſſe 430. annos, quod facilè conſtat, nam à promiſſione facta Abrahæ*

Abrahæ ad ingreſſum Hebræorum in Ægyptum interceſſere 215. anni & ab ingreſſu Hebræorum in Ægyptum cum Jacob, ad exitum eorundem duce Moſe etiam fluxere anni 215. utrumque facilè oſtenditur. Ac primum quidem ex Gen. 12: 21. 25. & 47. capitibus. Ut enim ex illis locis inter ſe collatis conſtat, à prima promiſſione uſque ad natum Iſaac interceſſerunt anni 25. & Iſaac 60. annos natus genuit Jacob, ergo à promiſſione ad Jacob natum fluxerunt anni 85. Jacob porrò trigeſimum ſupra centeſimum annum agens ingreſſus eſt Ægyptum, una cum filiis & nepotibus ſuis, ergò colliguntur à promiſſione ad ingreſſum anni quindecim ſupra ducentos. Quod verò manſerint Hebræi in Ægypto dumtaxat 215. annis, ſenſerunt Joſeph. lib. 2. antiq. cap. 6. Euſeb. in Chronico. D. Auguſt. q. 47. in Exodum, & conſtat ex authoritate Apoſtoli, qui numerat à promiſſione facta Abrahæ ad datam legem poſt egreſſum ex Ægypto. 430: cum ergo ex ſupputatione temporum conſtet certò 215. annos fluxiſſe à promiſſione Abrahæ facta ad ingreſſum Jacob in Ægyptum, ſuperſunt alii 215. uſque ad datam legem. Id etiam facilè conſtabit. Jacob in Ægypto annos egit 17. vita enim functus eſt in Ægypto annos natus 147. & 130. annos ætatis habebat, cum ſtetit coram Pharaone. Joſephus autem moritur anno poſt patrem ſuum 54. cum aliquot poſt annos conſequitur Levi, qui annos 130. vixit, Exod. 6. itaque mortuus eſt anno 22. aut 23. à morte Joſephi. Moſes autem naſcitur anno ab obitu Levi quadrageſimo & uno, cujus 80. anno liberantur Hebræi ab Ægyptiaca ſervitute 17. autem 54. 54. 21. 41. & 80. in unum collecti 215. ſimul efficient.

CAP. XVII.

De tribus excellentioribus gentium regnis, quorum, id eſt, Aſſyriorum, jam Abraham ſublimius eminebat.

PEr idem tempus eminentia regna erant gentium, in quibus terrigenarum civitas, hoc eſt, ſocietas hominum ſecundùm hominem viventium ſub dominatu angelorum deſertorum inſigniùs excellebat, regna videlicet tria, *a* α Sicyoniorum, *b* β Ægyptiorum, γ Aſſyriorum. Sed Aſſyriorum multò erat potentius atque ſublimius. Nam rex ille Ninus Beli filius excepta India, univerſæ Aſiæ populos ſubjugaverat. *c* δ Aſiam verò dico, non illam partem, quæ hujus majoris Aſiæ una provincia eſt, ſed eam, quæ univerſa Aſia nuncupatur, quam *d* ε quidam in alteram duarum, plerique autem in tertiam totius orbis partem poſuerunt, ut ſint omnes Aſia, Europa & Africa; *e* quod nonnulli æquali diviſione fecerunt. Namque iſta, quæ Aſia nuncupatur à meridie per orientem uſque in ſeptemtrionem pervenit; *f* Europa verò à ſeptemtrione uſque ad occidentem; *g* atque inde Africa ab occidente uſque ad meridiem. Undè videntur, orbem dimidium duæ tenere, Europa & Africa: aliud verò dimidium ſola Aſia. Sed ideò illæ duæ partes factæ ſunt, *h* quia inter utramque ab oceano ingreditur, quicquid aquarum terras interluit, *i* & ab hoc mare magnum nobis facit: quapropter ſi in duas partes orbem dividas, orientis & occidentis, Aſia erit in una, in altera verò Europa & Africa. Quamobrem unum trium regnorum, quæ tunc præcellebant, regnum ſcilicet Sicyoniorum non erat ſub Aſſyriis, quia in Euro-

Europa erat. *k* Ægyptiorum autem quomodo eis non ſubjacebat, à quibus tota Aſia tenebatur, ſolis Indis, ut perhibetur, exceptis. In Aſſyria igitur prævaluerat dominatus impiæ civitatis: hujus caput erat illa Babylon, cujus terrigenæ civitatis nomen aptiſſimum eſt, id eſt, confuſio. Ibi autem Ninus regnabat poſt mortem patris ſui Beli, qui primus illic regnaverat ſexaginta quinque annos. Filius verò ejus Ninus, qui defuncto patre ſucceſſit in regnum, quinquaginta duos regnavit annos, & ζ habebat in regno XL. annos, quando natus eſt Abraham, qui erat annus circiter milleſimus ducenteſimus ante conditam Romam, veluti alteram in occidente Babyloniam.

L. Vives. *a* SIcyoniorum.] *Sycion urbs eſt in Peloponneſo ingreſſis ad lævam antiquiſſima, in qua primus Ægialeus regnavit, ut Pauſanias & Euſebius narrant. Sicyonia ipſa parva eſt in Achaia regio, ſed reges Sicyonis latè per totam Achaiam imperabant,* Sicyon. *Sicyon erat regia. Achaiaq; Ægialia eſt, olim de regis nomine nuncupata Plinio: totam verò Peloponneſum ſic eſſe dictam, ſcribit Euſebius, quæ poſtea Apia vocata eſt ab* Peloponneſus. *Api rege iiij. à Pelope deinde Peloponneſus q. πέλοπος νῆσος, Pelopis inſula. Peninſula enim eſt. Pauſanias non totam Peloponneſon Ægialiam eſſe dictam ſignificat, ſed maritimam tantùm partem q. αἰγιαλὸν littoralem à Corintho ad Tanarum, & ab illo rege ſic eſſe nominatam, pòſt Sicyoniam à Sicyone rege, de qua lib. 18.*

b Ægyptiorum.] *Hoc tempore imperabant Ægyptiis Thebai, quæ regio eſt ſub Delta, à Thebis ingenti urbe & maxima potentia nuncupata.*

c Aſiam verò dico.] *De hac Aſia minore alibi.*

d Quam quidam in alteram.] *Saluſt. in Bel. Jugurt. oſtendit, quoſdam orbem terrarum in duas tantùm partes diviſiſſe, Aſiam & Europam: Africam Europæ partem feciſſe. Hac de cauſa Silius de Lybia, inquit: Aut ingens Aſiæ latus, aut pars tertia rerum. Qui ab Europa non ſeparant Africam, ventos & cœlum ſequuntur, ut Lucanus lib. 9. cujus hæc ſunt verba:*

Tertia pars rerum Lybia, ſi credere famæ
Cuncta velis, at ſi ventos cœlumq; ſequaris,
Pars erit Europæ, nec enim plus littora Nili
Quàm Scythicus Tanais primis à Gadibus abſunt.

Et alia ſuper eadem ratione quadam. Alii terris per mare noſtrum diſterminatis Africam ab Europa ſejunxerunt.

e Quod nonnullæ æquali diviſione fec.] *In antiquis eſt, Quod non æquali diviſione fecerunt. Nam Africa major eſt Europa: at Aſia major ambabus, quam ad orientem latius patere Africa & Europa & mari, quod inter illas immiſſum eſt, autor eſt Mela, certè traditionibus illorum temporum, nam nunc longus Africæ tractus ſub Æthiopia ad meridiem eſt repertus. Nec videbitur abſurdum, ſi quis malit legere, Nonnulli æquali diviſione fecerunt, ut ſit diviſum eſſe orbem à nonnullis in duas æquas partes Europam & Aſiam.*

Europa. *f* Europa verò à ſeptemtrione.] *Europa habet terminos à ſeptemtrione oceanum glacialem & Britannicum, ab occidente Atlanticum mare, à meridie fretum*

Her-

Herculeum, & noſtrum mare, ab oriente Helleſpontum, duos Boſphoros, paludem Mæotidem, & Tanaim fluvium.

g Atque inde Africa.] *Hujus limites juxta veteres ſunt ab oriente Nilus, ab occidente Atlanticus oceanus, & ſeptemtrione mare noſtrum, à meridie Æthiopicus oceanus, veteribus non ſatis cognitus, nunc crebris navigationibus Luſitanorum emenſus.*

h Quia inter utramque ab oceano.] *In libro Brugen. ſic legitur, quia inter utramque pelagus ab oceano ingreditur. Mare, quod Mediterraneum vocatur, à Latinis verò & Græcis noſtrum: nam aliud illæ gentes non habent. Pelagus à Mela nominatur, à columnis Herculis in ſinum Iſſicum ad orientem, ad ſeptemtrionem in Europam & Africam, modo inter Europam & Aſiam.*

i Et ab hoc mare magnum nobis facit.] *Pelagus eſt aqua, quam ab oceano recipit, latum mare efficit illi ore Africæ & adverſæ Europæ, ſed latiſſimè patet inter ſinum Liguſticum & ſinum Hipponenſem, ubi erat Auguſtinus.*

k Ægyptiorum autem quomodo eis.] *Ægyptus non tota eſt in Aſia, niſi quantum à Nilo ad orientem vergit, nec tamen Aſſyriis parebant Ægyptii, ſed regnum poſſidebant opulentiſſimum, qui etiam magnas expeditiones in Aſſyriam fecerunt, latéq; Aſiam domuerunt, ſi libris ipſorum ſit fides.* Ægyptus.

α Sicyoniorum.] Sicyonii *(inquit Iſidor. lib. 9. Originum, cap. 2.)* à Sicyonio rege ſunt nuncupati. Hi primum Agialei vocabantur à rege Agialio, qui primus Sicyoniis imperavit, à quo & Agialea civitas nuncupata eſt, quæ nunc Peloponneſus à Pelope rege ſuo vocatur. *Sicyonis urbis meminit Strabo lib. 8. & vult priùs Myconem fuiſſe dictam, & ante Ægialim; & plurimum temporis ſub tyrannis fuiſſe, ſed ſemper tyrannis uſam eſſe viris moderatis. Sicyoniorum reges 24. enumerat Euſebius, vultq; Sicyone 862. annis regnatum. Pauſanias in Corinthiacis lib. 2. à Sicyone regionem totam Sicyoniam, & urbem, quæ ante Ægiale fuit, Sicyonem nuncupatam eſſe vult. Primus apud Sicyonios authore Euſebio regnavit Ægialeus annis 52. quo defuncto regnavit Europs annis 45. cujus annus 22. erat primus annus Abrahæ, annus ergò nativitatis Abrahæ erat annus 74. inchoati regni Sicyoniorum.* F.L. Cop.

β Ægyptiorum.] *De generis antiquitate contendebant Ægyptii, ſeq; omnium vetuſtiſſimos populos prædicabant, ut eſt apud Herodotum lib. 2. Juſtinum lib. 2. & Diodorum lib. 1. qui apud eos primum Deos regnaſſe ſcribit: deinde poſt Deos primum regnaſſe Menam, quod & ſcribit Herodotus libr. 2. Amena ad Amaſim reges Diodorus commemorat, quo mortuo, Ægyptus venit in poteſtatem Perſarum Cambyſe eis bellum inferente. Juſtinus libr. 1. antiquiores Nino facit Seſoſtrem Ægypti, & Tana in Scythia reges. Regni Ægyptiorum meminit ſcriptura Geneſ. 12.*

γ Aſſyriorum.] *Hanc è quatuor fuiſſe primam monarchiam contendunt, & quidem potiſſimam ſub Nino & Semiramide & antiquiſſimam. Natum enim ferunt Abrahamum 42. anno regni Nini, à Nino ferè auſpicantur exteri hiſtoriam ſcriptores, ut apud eos nihil videatur antiquius, vel ſuperiora tempora ſacrarum literarum inſcii ignorarint. Diodorus Siculus lib. 2.* Primus rex Aſſyriorum ſcriptores nactus eſt Ninus, qui ejus geſta literis traderent. *Tertull. lib. de Pallio, cap. 2.* Si

tamen Ninus regnavit primus, ut autumat ſuperiorum prophanitas, ferme apud vos ultra ſtylus non ſolet. *Genebrardus vir doctiſſimus primam adoleſcentiam monarchiæ Aſſyriorum repetit longè poſterioribus temporibus, ab anno ſcil. diluvii 1670. & quæcumque de ea exteri ſcriptores prodidere, fabuloſa eſſe non contemnendis rationibus oſtendit. Et regum nomina & ſeries, quam a Nino deducunt, ſunt ſuſpectiſſima. Primò, quoniam eorum ne apiculus quidem in ſacris extat, ubi primæ antiquitatis res diligentiſſimè deſignantur. Certè ſi tam potens & ampla fuiſſet iſta monarchia in tanto annorum ſpatio propter viciniam, illi commercium aliquod aut res aliæ fuiſſet cum Judæis, cum Syris, cum finitimis aliis populis, quorum bella & res ſcriptura ſolet attingere. Reliquas rationes, quibus utitur, omitto. Certè Joſephus lib. 1. contra Appionem, Beroſum profert Græcos arguentem, ut multa de hac monarchia fabulatos. Sententiam Genebrardi redarguit Pererius lib. 14. in Geneſ. prima Diſputat. ad cap. 14.*

δ Aſiam nunc dico non illam partem.] *Eſt duplex Aſia, major & minor. Aſia minor in quatuor partes dividitur, in Phrygiam, Lydiam, Myſiam & Cariam. Aſia major dividitur ab Europa Tanaide fluvio, ab Africa autem Nilo.*

ε Quidam in alteram.] *Univerſarum terrarum orbem veteres (quibus novus orbis nondum innotuerat) in tres partes diviſere Aſiam ſcilicet, Europam & Africam. Verùm inventa America, eam pro quarta parte noſtra ætas adjecit. Gerardus Mercator in ſua univerſali tabula hunc orbem in tres continentes diſtinguit, primam vocat eam, quam veteres in tres partitos fuiſſe diximus; Secundam, quam hodie Americam, vel Indiam Occidentalem vocamus, tertiam dicit terram Auſtralem, quam nonnulli Magellanam vocant paucis hactenus littoribus detectam.*

ζ Habeat in regno quadraginta tres annos, quando natus eſt Abraham] *Ita Euſebius in Chronico anno regni Nini 43. vult natum eſſe Abrahamum. Item Hieronymus, Cyrillus, Beda, Iſidorus, Eccleſiaſtici ferè ſcriptores monarchiam Aſſyriorum circumſcribunt mille ducentis quadraginta annis, ejusq; initium ſtatuunt quadraginta duobus annis ante ortum Abrahæ. Oporteret itaque ex Auguſtino tum Romam eſſe conditam, cùm everſa eſt monarchia Aſſyriorum; & certè circa tempora Ezechiæ regis Juda utrumq; accidit, & everſio illius monarchiæ, & urbis Romæ ædificatio Olympiadis 7. annorum. Qui enim ſucceſſit Sennacheribo, qui Hieruſalem obſederat temporibus Ezechiæ, Aſharadon fuit, idem nimirum, quem hiſtorici Sardanapalum vocant teſte Genebrardo. Infra libr. 18. ſcribit tempore, quo Roma condita eſt, populum Iſrael habitaſſe in terra promiſſionis annos ſeptingentos decem & octo, nihilominus à nativitate Abrahæ ad vocationem computantur 75. anni, a vocatione ad exitum filiorum Iſrael ex Ægypto 430. inde ad ingreſſum terræ promiſſionis 40. inde ab initium urbis Romæ 718. qui omnes efficiunt à nato Abrahamo ad urbem conditam anno 1263.*

CAP. XVIII.

De iterato alloquio Dei ad Abraham, quo ei & ſemini ejus Chanaan terra promittitur.

Agreſ-

AGreſſus eſt ergò Abraham de Charra ſeptuageſimo quinto anno ætatis ſuæ, centeſimo autem quadrageſimo & quinto patris ſui, cum Loth filio fratris ſui, & Sara conjuge ſua, & perrexit in terram Chanaan, & *a* α pervenit uſque ad Sichem, ubi rurſus accepit divinum oraculum, de quo ita ſcriptum eſt: *Et apparuit Dominus Abrahæ, & dixit illi, Semini tuo dabo terram hanc:* β Nihil de illo ſemine ei promiſſum eſt, in quo pater factus eſt omniũ gentium, ſed de illo ſolo, de quo pater eſt un9 Iſraeliticæ gentis, ab hoc enim ſemine terra illa poſſeſſa eſt. Gen. 12.

a ET pervenit uſque ad Sichem.] *Hæc erat ſita in finibus Ephraim, quam delevit poſtea Abimelech. Judicum 9. Hieronymus in libro de locis Hebraicis Sicimam Latinè & Græcè dictam perhibet, oſtendiq; veſtigia juxta ſuburbana Neapoleos ad ſepulchrum Joſeph. Fuit & altera Sichem in monte Ephraim civitas fugitivorum.* L. Vives.

α PErvenit uſque ad Sichem.] *De Sichem ita D. Hieronymus teſtatur in locis Hebraicis,* Sichem & Salem, quæ Latinè & Græcè Sicima vocata eſt, civitas Jacob, nunc deſerta eſt. Oſtenditur autem locus in ſuburbanis Neapoleos juxta ſepulchrum Joſeph, quam ſubvertit Abimelech, & ſeminavit in ea ſalem, ſicut in libro Judicum ſcriptum eſt, Poſtea verò inſtaurata eſt à Hieroboan, ut regnorum narrat hiſtoria, & ſita eſt in finibus tribus Ephraim. Sed & filius Emor appellabatur Sichem, à quo & locus nomen acceperat. F. L. Coq.

β Nihil de illo ſemine illi promiſſum eſt.] *Duplex enim eſt ſemen Abrahæ, ſecundum carnem, qui ſunt Hebræi; & ſecundùm promiſſionem, qui ſunt fideles, qui ex Deo nati ſunt, & fidem imitantur ac obedientiam Abrahæ, & ex contagione terrena à Deo vocati ſunt, & prædeſtinati filii Dei. De quo ſemine Apoſtolus Roman. 9.* Non omnes qui ex Iſraël ſunt, hi ſunt Iſraëlitæ: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. *Itaque nonnullæ promiſſiones Abrahæ factæ pertinent ad ſemen illius ſpirituale, ut cum dicit multiplicandum ſemen illius ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam; aliquæ verò ad ſemen carnale. i. e. ad Hebræos Abrahæ poſteros, ut quod dicit ſemen illius affligendum in terra aliena, quod eis promittit ſe daturum terram Chanaan. Hæ enim erant promiſſiones terrenæ, quæ ſpectabant ad ſemen carnale: quemadmodum duplex circumciſio, una carnis in præputio, altera non in expoliatione corporis carnis: ſed cordis. Ut duplex Judæus, ita duplex ſemen Abrahæ, pater enim eſt Abraham unus Iſraeliticæ gentis, ſecundùm carnem, verùm per repromiſſionem benedictionis & fidei, pater multarum gentium.*

CAP. XIX.

De Saræ pudicitia in Ægypto per Dominum cuſtodita, quam Abraham non uxorem ſuam eſſe dixerat, ſed ſororem.

DEinde ædificato ibi altari, & invocato Deo Abraham profectus eſt inde, & habitavit in heremo, atque inde ire in Ægyptum famis neceſſitate compulſus eſt. Ubi α uxorem ſuam dixit ſororem ſuam, *a* nihil mentitus. Erat enim & hoc, quia propinqua erat ſanguine: ſicut etiam Loth eadem propinquitate, quum fratris ejus eſſet filius, frater ejus eſt dictus. Itaque β uxorem tacuit non negavit, conjugis tuendam pudicitiam committens Deo, & humanas inſidias ca-

cavens ut homo: quoniam ſi periculum, quantum cavere poterat, non caveret,
Lib. 22. c. 35. 36. 9. 6. *b* magis tentaret Deum, quàm ſperaret in Deo. De γ qua re contra calumniantem Fauſtum Manichæum multa diximus. Denique factum eſt, quod de Domino præſumpſit Abraham. δ Nam Pharao rex Ægypti, qui eam ſibi uxorem acceperat, graviter afflictus marito reddidit. *e* ε Ubi abſit, ut credamus alieno concubitu fuiſſe pollutam, quia multò eſt credibilius hoc, Pharaonem facere afflictionibus magnis, non fuiſſe permiſſum.

L.Vives *a* Nihil mentitus] *Patrueles enim fratres dicuntur, ut ex Cicerone docui.*

b Magis tentaret.] *Benè ſperari de ſe, ac multum ſibi fidi vult Deus, tentari verò ſe diſertis verbis vetat. Moſes enim in Deuteronomio inquit: Non tentabis Dominum Deum tuum. Chriſtus ipſe verus Deus dictum illud ſanctius & anguſtius uſu ſuo reddidit, Matth. 4.*

e Ubi abſit, ut credamus alieno concubitu.] *Hieronymus oſtendit exemplo de libro Heſter petito, mulierem ad regem introductam ſolere xij. menſibus purgari luſtrarique, ac regio concubitu parari dignam, ita fieri potuiſſe, ut interea morbo ictus Pharao, Saram marito reddiderit.*

F.L.Coq *a* Uxorem ſuam dixit ſororem ſuam, nihil mentitus.] *An Sara verè fuerit ſoror Abrahæ germana i. e. filia Thare, an verò fuerit filia Aran fratris Abraham, & ſoror Loth & neptis Thare ex filio, non omnium eadem eſt ſententia. Multi enim tam veterum, quàm recentiorum exiſtimarunt, Saram fuiſſe ſororem Abrahæ, non tamen uterinam. i. e. ex eodem patre, non tamen ex eadem matre natam, quia tunc temporis non eſſet illicitum ducere in uxorem ſororem ſuam non uterinam. In ea ſententia fuit Clemens Alexand. ſub finem lib. 2. ςρωμ. ὁ Ἀβραὰμ φησὶν ἐπὶ τῆς γυναικὸς σκηπτόμενος ὡς ἀδελφῆς, ἀδελφή μοι ἐστὶν ἐκ πατρὸς, ἀλλ' οὐκ ἐκ τῆς μητρὸς. ἐγένετο δὲ μοι καὶ εἰς γυναῖκα. τὰς ὁμομητρίους μὴ δεῖν ἄγεσθαι πρὸς γάμον διδάσκων. Eandem ſententiam amplectitur Lippomanus in cathena ad c. 20. Gen. & Sotus li. 2. de juſt. & jur. qu. 3. Idipſum adſtruit Cajetanus in ca. 11. Gen. & præterea in ca. 20. D. Hieron. in tradit. Hebræi. in Gen. non videtur alienus ab hac ſententia. Ad illa enim verba cap. 20.* Verè ſoror mea eſt de patre, non de matre, ſignificatur *(inquit)* fratris ejus Aran filiam fuiſſe, non autem ſororis. Sed quia in Hebræo, *ait Hieronymus,* ſic eſt, verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, quod magis ſonat Saram fuiſſe ſororem Abrahæ, in excuſationem ejus dicimus, nec dum illo tempore tales nuptias lege Moſis fuiſſe prohibitas. *Minimè tamen conſtans eſt in ea ſententia. nam in eodem lib. ſup. c. 11. Gen. dicit, Saram alio nomine appellatam fuiſſe Jeſcham, quam genuit Aram frater Abrahæ, & lib. contr. Heliodium apertè profitetur contrarium Saram dictam ſororem Abrahæ eo modo, quo Loth Abrahæ, quo Jacob Laban eſt appellatus frater, & ea verba,* verè ſoror mea eſt de patre, non de matre, *ita interpretatur, id eſt,* fratris eſt filia, non ſororis. *Et ea eſt ferè communis omnium doctorum ſententia, Saram fuiſſe filiam Aran fratris Abrahæ & germanam ſororem Loth, non autem filiam Thare, dictam verò ſororem Abrahæ conſuetudine ſcripturæ, quæ conſanguineos appellat fratres & ſorores. Hæc eſt ſententia D. Auguſtini hoc cap. & lib. 22. contra Fauſtum cap. 35.*

idem

idem docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 116. art. 3. ad 3. eadem fuit ſententia Joſephi lib. 1. antiq. ca. 5. Verùm objici poteſt in contrarium non leve argumentum: Sara decem dumtaxat annis minor natu erat quàm Abraham; ſed Abraham natus erat ante Aran, ſiquidem Moſes commemorando filios Thare nominat primo loco Abraham, ſecundo Nachor, & tertio Aran, ergo Aran ante decimum ſuæ ætatis annum genuit Saram, quod eſt incredibile, vel ergo Abraham non fuit primogenitus Thare, ſed multis annis poſterior natu quàm Aran, vel certè Sara non fuit filia Aran. Perer. lib. 16. comment. in Gen. diſput. 14. ad hoc argumentum reſpondet, Abraham revera non fuiſſe primogenitum filiorum Thare, ſed multis annis poſteriorem ipſo Aran: recenſeri autem primum inter filios Thare non modo propter virtutis ejus præſtantiam, aut propter prærogativam dignitatis, quod futurus eſſet pater multarum gentium & populi Dei, quinetiam omnium credentium, ſed quia ipſe verè genitus fuerat anno illo ſeptuageſimo ætatis Thare, Aran verò multis annis ante. Et quia Moſes voluit eum tantum Thare annum nominari, quo anno genitus fuerat Abraham, ut per ipſum ſeries & ordo temporum continuaretur, idcircò in anno 70. Thare ſignavit ortum Abrahami. Nachor autem & Aran ideò nominantur, quod illi quoque ad ſeriem hujus hiſtoriæ quodammodo pertinerent, Nachor quidem propter uxores Iſaac & Jacob, quæ ab illo genus duxerunt, Aran propter Loth & Saram. Eadem eſt ſententia Toſtati in cap. 11. Gen. q. 19. & q. 31. & Bellarm. lib. de Sacrament. matrimon. c. 28. Poterat ergò Aran eſſe 30. vel 40. annorum, quando genuit Saram, & Aran longè prior natu erat ipſo Abraham. Eadem eſt ſententia Lyrani in cap. 11. Gen. & melius quàm Genebrardus, qui in Chronico ad annum mundi 1056. ſcribit, Abrahamum fuiſſe primogenitum Thare, & ad argumentum propoſitum reſpondet primo, Saram ſe dicere potuiſſe nonagenariam, ut rotundè & breviùs loqueretur, non exactè, quamvis fortaſſe eſſet minor. Deinde non habet pro abſurdo, quod octavo anno tum gignerent, & quod Aran genuerit Saram. ſed hæc opinio improbabilis eſt.

β Uxorem tacuit, non negavit.] *Etſi enim nunquam mentiendum ſit, cum mendacium intrinſecè & de ſui natura ſit malum, nihilominus aliquando veritas reticeri poteſt; quod docet D. Auguſtinus lib. contr. mendac, cap. 10.* non eſt *(inquit)* hoc occultare veritatem, quod eſt proferre mendacium. Quamvis enim omnis, qui mentitur, velit celare, quod verum eſt, non tamen omnis, qui vult, quod verum eſt, celare, mentitur. Plerumque enim verba non mentiendo occultamus, ſed tacendo. Neque enim mentitus eſt Dominus, ubi ait, multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis illa portare modo, vera tacuit, non falſa locutus eſt; quibus veris audiendis eos minus idoneos judicavit, *& paucis interpoſitis:* Qui aſſerunt, *inquit*, aliquando eſſe mentiendum, non convenienter commemorant Abraham hoc feciſſe de Sara, quam ſororem ſuam dixit: non enim dixit, non eſt uxor mea, ſed dixit, ſoror mea eſt, quod erat revera tam propinqua genere, ut ſoror non mendaciter diceretur. Aliquid ergo veri tacuit, non falſi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit ſororem.

γ De qua re contra calumniantem Fauſtum Manichæum.] *Libr. 22. ca. 36. egregiè docet in hoc Abrahamum prudenter ſe geſſiſſe, dicendo quidem Saram ſororem*

rem ſuam, reticendo tamen eſſe uxorem; verba ſunt D. Auguſtin. Dicet aliquis, cur non potius ita de ſuo Deo præſumpſit Abraham? ut fateri non timeret uxorem? numquid enim Deus ab illo mortem non poterat repellere, quam timeat, cumque cum conjuge ſua ab omni pernicie in illa peregrinatione tueri, ut nec uxor ejus, quamvis eſſet pulcherrima, appeteretur ab aliquo, nec propter illam ipſe necaretur? poterat ſanè hoc efficere Deus, quis ita ſit demens, ut hoc neget? Sed ſi interrogatus Abraham illam fœminã ſuam eſſe indicaret uxorem, duas res tuendas committeret Deo, & ſuam vitam, & conjugis pudicitiam. Pertinet autem ad ſanam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non tentare dominum Deum ſuum. Neque enim & ipſe ſalvator non poterat tueri diſcipulos ſuos, quibus tamen ait, ſi vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Cujus rei prior exemplum præbuit. Nam cum haberet poteſtatem ponendi animam ſuam, nec eam poneret, niſi cum vellet, in Ægyptum tamen infans portantibus parentibus fugit, & ad diem feſtum non evidenter, ſed latenter aſcendit, cùm aliàs palam loqueretur Judæis iraſcentibus, & inimiciſſimo animo audientibus, nec tamen valentibus in eum mittere manus, quia nondum venerat hora ejus; non cujus horæ neceſſitate cogeretur mori, ſed cujus horæ opportunitate dignaretur occidi. Qui ergò palàm docendo, & arguendo, & tamen inimicorum rabiem valere in ſe aliquid non ſinendo, Dei demonſtrabat poteſtatem, idem tamen fugiendo & latendo hominis inſtruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, ut quod cavere oportet, evadat. Neque enim & Apoſtolus Paulus deſperaverat adjutorium, protectionemque divinam, fidemque perdiderat, quando per murum in ſporta ſubmiſſus eſt, ut inimicorum manus effugeret. Non ergò in Deum non credendo ſic fugit, ſed Deum tentando fugere noluiſſet, cùm ſic fugere potuiſſet. Proinde cum inter ignotos propter excellentiſſimam pulchritudinem Saræ, & ejus pudicitia & mariti vita eſſet in dubio, nec utrumque poſſet tueri Abraham, verumtamen unum horum poſſet. i. e. vitam, ne Deum ſuum tentaret, fecit quod potuit: quod autem non potuit, illi commiſit. Qui ergò ſe hominem occultare non valuit, maritum ſe occultavit, ne occideretur, uxorem Deo credidit, ne pollueretur. *Huiusque D. Auguſtinus, & cap. 37.* Pater Abraham nec tentavit Deum, quoniam vitæ ſuæ quantum potuit, conſuluit, & ſperavit in Deum, cui pudicitiam uxoris commendavit.

d Nam Pharao rex Ægypti, &c. graviter afflictus] *Ita habet ſcriptura Gen. 12.* flagellavit autem dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus propter Sarai uxorem Abraham: *quæ vero fuerint illa flagella Pharaonis quæritur. Joſephus lib. 1. antiquit. c. 9. flagella illa peſtilentiam interpretatur & ſeditiones. Philo lib. de Abraham ſcribit fuiſſe multiplicem morbum, gravemque animi & corporis cruciatum, uſque adeò ut dies noctesque torqueretur, nec vel puncto temporis quieſcere aut reſpirare poſſet.*

e Ubi abſit ut credamus alieno concubitu fuiſſe pollutam.] *D. Hieronymus lib. de tradit. Hebraicis in Gen. oſtendit exemplo ex lib. Heſter petito apud veteres mulie-*

mulierem, quæ placuiſſet Regi, non ſtatim ad eum introduci ſolitam, verùm ſex menſibus ungebatur prius oleo myrtino, & ſex menſibus in pigmentis variis erat & curationibus fœminarum, & tunc demum ingrediebatur ad Regem. Fieri igitur potuit, ut Sarai, poſtquam Regi placuerat, dum per anum ejus ad regem præparatur introitus, interim Pharao percuſſus ſit à Deo, illa adhuc intacta à concubitu ejus permanente. *D. Auguſtinus q. 26. ſuper Geneſ.* diligentius, *inquit*, à presbytero Hieronymo expoſitum eſt, quare non ſit conſequens, ut cum aliquot dies apud regem Ægypti Sara fuerit, etiam ejus concubitu credatur eſſe polluta, quoniam mos erat regibus vicibus ad ſe admittere mulieres, & niſi fomentis & unguentis diu priùs accurato corpore nulla intrabat ad regem. Quæ dum fierent, afflictus eſt Pharao manu Dei, ut viro reddi juberet intactam, quam ipſi Deo maritus commiſerat tacens, quod uxor eſſet, ſed non mentiens quod ſoror eſſet, ut caveret, quantum homo poterat, & Deo commendaret quod cavere non poterat, & *lib. de 8. quæſtio. ad Dulcit. qu. 7.* Accepit, *inquit*, Pharao Saram uxorem, continuoque ditatus eſt Abraham multis Ægyptiorum muneribus propter illam, ſed non ſcriptum eſt, quod cum ea Pharao dormierit, eique permixtus ſit, quoniam Deus eum multis magniſque cladibus affligendo id facere non permiſit: non enim placitæ regibus ad conjugium fœminæ mox etiam carne copulabantur, ſed ſicut legimus in libro, qui prænotatur Heſter, per aliquot menſes, immò per totum annum unguentis, pigmentis, & aromatibus accurabantur earum corpora, priusquam corpori regio miſcerentur. Hoc ergo ſpatio facta ſunt illa, quæ ſcripta ſunt, donec Pharao contritus & exterritus marito reſtituiſſet uxorem. *Theodor. qu. 61. in Gen. refellit eos, qui aſſerere audeant Pharaonem rem habuiſſe cum Sara.* ποίας οὖν κηδεμονίας ἀπέλαυσεν Ἀβραὰμ παρὰ τοῦ τῶν ὅλων θεοῦ, εἴπερ εἶδεν αὐτοῦ μοιχευομένην τὴν γαμετήν· τί δήποτε δὲ καὶ ἤτασεν ἐτασμοῖς μεγάλοις καὶ φοβεροῖς τὸν Φαραὼ καὶ ἅπαντα τὸν οἶκον αὐτοῦ, εἰ μὴ κωλῦσαι τὴν παράνομον ἠβούλετο συνάφειαν, καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Φαραὼ τὴν ἄγνοιαν εἰς ἀπολογίαν προβάλλεται καὶ μέμφεται τῷ Ἀβραὰμ ἀδελφὴν κεκληκότι τὴν γαμετὴν καὶ διδάσκει ὡς οὐχ ὕβρισεν αὐτήν, ἀλλὰ γῆμαι βουλόμενος ἔλαβεν, *& aliquot interpoſitis,* δῆλον τοίνυν ὡς ἁρπαγείσης τῆς Σάῤῥας ἐπέδησε τῇ νόσῳ τὸν Φαραὼ ὁ τῶν ὅλων πρύτανις, ἡ δὲ νόσος τὴν ὄρεξιν ἠμβλυνεν καὶ τῶν δικτύων εἴσω τὴν θήραν ἔχων ὁ θηρευτὴς οὐκ ἀπέλαυσε τῆς ἄγρας· ἡ γὰρ νόσος ἐκώλυσε.

CAP. XX.

De ceſſione Loth & Abrahæ, quæ illis ſalva charitate complacuit.

REverſo igitur Abraham ex Ægypto in locum, unde venerat, tunc Loth fratris filius ab illo in terram Sodomorum ſalva charitate diſceſſit. Divites quippe facti erant, paſtoreſque multos pecorum habere cœperant, quibus inter ſe rixantibus, eo modo familiarum ſuarum pugnacem diſcordiam vitaverunt. Poterat quippe hinc, ut ſunt humana, etiam inter ipſos aliqua rixa conſurgere. Proinde hoc malũ præcaventis Abrahæ verba ſunt ad Loth: *Nõ ſit rixa inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos, quia homines nos fratres ſumus: a Nonne ecce tota terra ante te eſt? diſcede à me. Si tu in ſiniſtrã, ego in dextrã: vel ſi tu in dextram,* Gen. 13.

trā, ego in ſiniſtrā. b a Hinc fortaſſis effecta eſt, inter homines pacifica conſuetudo, ut quando terrenorum aliquid pariendum eſt, major dividat, minor eligat.

L. Vives. a NOnne ecce tota terra.] *Verba ſunt optionem dantis, ut quà vellet proficiſceretur, ipſe in diverſum abiret.*

b Hinc fortaſſis effecta eſt inter homines.] *Fuiſſe olim hunc morem partiendi ſubſignificant declamatorum leges, quarum una eſt, Major frater dividat, eligat minor. Sen. lib. 6. Declam.*

F. L. Coq. a HInc fortaſſis effecta eſt.] *Patet ex facto Abrahæ proponentis optionem nepoti Loth, ut in quam vellet partem deflecteret; fluxiſſe conſuetudinem, ut quando hereditas dividenda, vel quid aliud partiendum eſt, major dividat, minor eligat, cujus legis meminit etiam Seneca lib. 6. declamat. cap. 6. Quod verò dubitanter Auguſtinus ſcribit, id ſine ulla dubitatione aſſerit Rupertus lib. 5. commentar. in Geneſ. cap. 9.* hujusmodi, *inquit,* usque hodie inter hæredes rectè ſervatur æquitas, ut ob finienda jurgia major dividat, minor eligat. *Exſtat & ſimilis canon. libr. 3. decretal. tit. de paroch. cap. 1. ut inter Epiſcopum hæretico Epiſcopo ſubſtitutum, & ipſum Epiſcopum reverſum & ex diſpenſatione receptum dividatur Epiſcopatus hoc modo, ut alia loca ad illum, alia ad alium pertineant, ita ut ille dividat, qui amplius temporis in Epiſcopatu habet, & minor eligat. Guido Papa quæſt. 289. ſuadet etiam eum tenendum modum, quod antiquior fratrum diviſionem faciat, & minor eligat per text. in cap. 1. de paroch. cujus ſententiam ſequitur Hoſtienſis, Joannes Andreas & Baldus, referente Petro Gregorio lib. 5. Syntagmatis juris ca. 4.*

CAP. XXI.

De tertia promiſſione Dei, qua terram Chanaan Abrahæ & ſemini ejus in perpetuum pollicetur.

CUm ergo digreſſi eſſent ſeparatimque habitarent Abraham & Loth, neceſſitate ſuſtentandæ familiæ, non fœditate diſcordiæ, & Abraham in terra Chanaan, Loth autem eſſet in Sodomis, oraculo tertio Dominus dixit ad Abraham:
Gen. 13. a *Reſpiciens oculis tuis vide à loco, in quo nunc tu es ad Aquilonem & Africum, & Orientem, & a β mare, quia omnem γ terram, quam tu vides, tibi dabo, & ſemini tuo uſque in ſeculum, & faciam ſemen tuum tanquàm arenam terræ. Si poteſt aliquis dinumerare arenam terræ, & ſemen tuum dinumerabitur. Surgens perambula terram in longitudinem ejus, & in latitudinem, quia tibi dabo eam.* In hac promisſione utrum ſit etiam illa, qua pater factus eſt omnium gentium, non evidenter apparet. Poteſt enim videri ad hoc pertinere, *Et faciam ſemen tuum tanquàm arenam terræ:* quod ea locutione dictum eſt, δ quam Græci dicunt b hyperbolen, quæ utique tropica eſt non propria. c Quo tamen modo, ut cæteris tropis uti ſolere ſcripturam nullus qui eam didicit, ambigit. Iſte autem tropus, id eſt, modus locutionis fit, quando id, quod dicitur, longè eſt amplius, quàm quod eo dicto ſignificatur. Quis enim non videat, quàm ſit comparabiliter amplior arenæ numerus, quàm poteſt eſſe omnium hominum ab ipſo Adam uſque ad terminum ſeculi? Quantò ergò magis quàm ſemen Abrahæ, non ſolùm quod

per-

pertinet ad Iſraeliticam gentem, verùm etiam quod eſt & futurum eſt, ſecundùm imitationem fidei toto orbe terrarum in omnibus gentibus. *c* Quod ſemen, *d* in comparatione multitudinis impiorum, profectò in paucis eſt: *e* & quamvis & ipſi pauci faciant innumerabilem multitudinem ſuam, quæ ſignificata eſt ſecundùm hyperbolen, per arenam terræ. Sanè iſta multitudo, quæ promittitur Abrahæ, non Deo eſt innumerabilis, ſed hominibus: *f* & Deo autem nec arenæ terræ. Proinde quia non tantùm gens Iſraelitica, ſed univerſum ſemen Abrahæ, ubi eſt expreſſa promiſſio, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum plurimorum filiorum, congruentius arenæ multitudini comparatur: poteſt hinc intelligi utriusque rei facta promiſſio. Sed ideò diximus, quod non evidenter appareat: quia & illius gentis unius multitudo, quæ ſecundùm carnem nata eſt ex Abraham per ejus nepotem Jacob, *g* in tantum crevit, ut penè omnes partes orbis impleverit. Et ideò potuit & ipſa ſecundùm hyperbolen arenæ multitudini comparari: quia & hæc ſola innumera eſt homini multitudo: terram certè illam ſolam ſignificatam, quæ appellata eſt Chanaan, nemo ambigit. Sed quod dictum eſt: *Tibi dabo eam, & ſemini tuo uſque in ſeculum:* *i* poteſt movere nonnullos, ſi uſque in ſeculum intelligant in æternum. Si autem ſeculum hoc loco ſic accipiant, quemadmodum fideliter tenemus, initium futuri ſeculi, à fine præſentis ordiri, nihil eos movebit: quia etſi expulſi ſunt Iſraelitæ de Hieroſolymis, manent tamen in aliis civitatibus terræ Chanaan, & uſque in finem manebunt: & univerſa terra illa, cùm à Chriſtianis inhabitatur, etiam ipſum ſemen eſt Abrahæ.

a ET mare.] *Syriæ, in qua erat Abraham, mare noſtrum eſt ad occaſum Solis, ideò cùm reliquas tres mundi partes nominaſſet, pro Occidente mare dixit, quod Plinius Phœnicum nominat.* L. Vives.

b Hyperbolen.] *Fit, quum plus dicitur, quàm intelligitur, de qua apud Quintil. in 9.* Hyperbole.

c Quo tamen modo ut cæteris.] *Sicut Jeremiæ xx. locus multorum verſuum, quem per hyperbolen dictum ait Hieronymus & Daniel 4. & Eccleſiaſtes 10. Volucres cæli auferent vocem tuam. Origenes in 1. cap. Epiſt. ad Rom. hyperbolen eſſe oſtendit illo verbo, quòd fides veſtra annunciatur in univerſo mundo. tum in Evangelio & aliis ſacræ ſcripturæ libris eſt hunc tropum invenire, quem fieri Auguſt. lib. contra Jul. 5. docet, ad animos audientium permovendos. miror, eſſe quoſdam, qui ruſtico more ac modo malint divinas ſcripturas enarrari, quàm doctè.*

d In comp. mu.] *Hoc eſt, quod Chriſtus ait in Evangelio: vitæ ſemitam eſſe anguſtam, & paucos eam ingredi, tum multos vocari, paucos eligi.*

e Quamvis & ipſi.] *Hoc eſt, quod Joannes in Revelatione inquit, vidiſſe ſe turbam ingentem, & quam nemo quiret dinumerare.*

f Deo autem nec arenæ terræ.] *Hoc quod ſummi eſt Dei, dæmon ille, qui Delphis reſponſa dabat, ut alia divina permulta ſibi attribuit. Ingreſſis enim templum illud Lydis, quos Crœſus miſerat, Pythia verbis Apollinis in hanc ſententiam loquuta fertur: Novi ego arenarum numerum, ſpatiúmque profundi.*

v.1.Cap. α Cum ergo digreſſi eſſent.] *Poſt digreſſum Loth ſtatim Deus Abræ & ſemini ejus promiſit poſſeſſionem terræ Chanaan, caro ſignificans, illius terræ poſſeſſionem nulla ex parte ad poſteros Loth pertinere, qui quemadmodum Loth ſeparatus eſt ab Abraham, ita ſeparandi erant à poſteris Abrahæ.*

β Et mare.] *Id eſt, occidentem. Ita enim ſita erat terra Chanaan, ut pars ejus Auſtralis eſſet verſus Ægyptum, Aquilonaris verſus Syriam & Euphratem, Orientalis verſus montem Nebo, & terram: quam tenuerunt Moabitæ & Madianitæ, & pars occidentalis verſus mare mediterraneum.*

γ Omnem terram, quam tu vides tibi dabo.] *In his nonnullæ dubitationes occurrunt: primò, quomodo intelligatur tantum terræ promiſſum eſſe Abrahæ, & ſemini ejus, quantum poterat oculis circumſpicere per quatuor cardines mundi. Quantum enim eſt, quod ad terram conſpiciendam acies corporalis viſus poſſit attingere? Reſpondet D. Auguſtinus qu. 28. in Gen.* Nulla eſt *(inquit)* quæſtio, ſi advertamus hoc non ſolùm eſſe promiſſum, non enim dictum eſt, tantum terræ dabo tibi, quantum vides, ſed tibi dabo terram, quam vides. Cum enim & ulterior undique dabatur, profectò hæc præcipuè, quæ videbatur, dabatur. Deinde attendendum eſt quod ſequitur, quoniam ne putaret etiam ipſe Abraham hoc ſolum promitti terrarum, quod aſpicere vel circumſpicere poſſet. Surge, *inquit*, & perambula terram in longitudine ejus & latitudine, quia tibi dabo eam; ut perambulando perveniret ad eam, quam oculus uno loco ſtans videre non poſſet. Significatur autem ea terra, quam priùs populus accepit Iſraël ſemen Abrahæ ſecundùm carnem, non illud latius ſemen ſecundùm fidem. *Vult igitur, Deum promiſiſſe quidem Abrahæ eam terram, quam inde conſpicere poterat, non eam tamen tantùm promiſiſſe. Altera dubitatio eſt, qua ratione vera illa promiſſio Dei dicentis Abrahæ,* Omnem terram quam conſpicis, dabo tibi, *cùm ne paſſum quidem terræ illius poſſederit, ut teſtatur B. Stephanus act. 7. immò Hebræi poſteri Abrahæ non niſi trecentis & ſeptuaginta annis poſt illius mortem eam poſſidere cœperunt, à morte enim Abrahæ ad exitum filiorum Iſrael ex Ægypto fluxere anni 330. quibus 40. addendi ſunt peregrinationis in deſerto. Cajetanus reſpondet, non eſſe ſenſum, quod ipſe Abram in propria perſona poſſeſſurus eſſet terram illam, verùm quod reſpectu illius daturus eſſet illam terram ſemini illius: quia ergo Abræ merito data eſt illa terra poſteris illius, ideò verè dictum eſt, Dabo tibi & ſemini tuo terram hanc. Obſervat etiam Pererius explicans illam dubitationem in c. 13 Gen. uſitatum eſſe in ſacris literis, quædam aliquibus promitti, quæ non præſtantur iis, ſed in eorum poſteris implerentur, promittuntur verò illis, quoniam ſunt ipſi quaſi caput, & principium ejus poſteritatis, & tum ad conſolationem eorum, tùm ad remunerationem egregiorum meritorum. Ita Jacob, Gen. 49. multa prædixit quaſi filiis ſuis eventura, quæ tamen non ipſis, ſed eorum poſteris contigerunt. Ita etiam illud intelligendum in benedictione Jacob, Gen 27.* Incurventur ante te filii matris tuæ, *quod in ipſo Jacob minimè impletum eſt, cùm potiùs ipſe incurvatus ſit ante Eſau fratrem ſuum, & pronus eum ſepties adoraverit. Gen. 33. verùm complementum eſt in poſteris Jacob & Eſau, maximè cum Idumæos poſteros Eſau David tributarios fecit.*

δ Quam

δ Quam Græci dicunt hyperbolen.] *Secundùm Hyperbolem vult dictum ſemen Abrahæ multiplicandum ſicut arenam maris, quod idem ſcribit q.38.in Gen. & q 137. vult eo ſenſu dictum eſſe Gen.41. congregaſſe Joſeph triticum ſicut arenam maris multum valdè. Eſt verò hyperbole figura, cùm ſententia aliqua fidem excedit augendæ rei gratia. Iſidor. lib.1. Etymol. cap.36. Hyperbole* eſt excelſitas fidem excedens ultra quàm credendum eſt, ut ſidera verberat unda. *Hoc enim modo aliquid ultra fidem augetur, nec tamen à tramite ſignificandæ veritatis erratur, quamvis verba, quibus indicatur excedant, ut voluntas loquentis non fallentis appareat.*

ε Quod ſemen in comparatione multitudinis impiorum in paucis eſt.] *Ita verum quod dicit Chriſtus, arctam eſſe viam, quæ ducit ad ſalutem, latam, quæ ad perditionem. Sive enim nomine ſeminis Abrahæ fideles intelligamus, qui ſint eccleſiæ membra, ſive prædeſtinatos ipſos & electos ad gloriam, pauci certè ſunt, in comparatione infidelium & reproborum. Multi enim etſi fideles, excidunt à ſalute, & licet ſecundùm præſentem juſtitiam pertineant ad ſemen Abrahæ, at non ſecundùm æternum Dei propoſitum. Semen enim Abrahæ ſunt filii Dei, alii quidem ſecundùm præſentem juſtitiam, alii verò ſecundùm æternam Dei prædeſtinationem. Ex fidelibus ipſis pauciores eſſe illos, qui ſalventur, quàm qui pereant, docet Gregorius hom.19. in illud Matthæi,* Multi ſunt vocati. Ad fidem, *inquit,* multi veniunt, ſed ad cœleſte regnum pauci perducuntur. *D. Auguſtinus lib.3. contra Creſconium Grammat. cap.66. & lib.4. c.13. comparat malos Chriſtianos paleis, & bonos frumento, dicens, longè plures eſſe malos Chriſtianos quàm bonos. Quàm exiguus ſit numerus ſalvandorum, ſi conferatur cum reprobis, ſatis innuit Chryſoſtomus homil.40. ad populum Antiochenum, ubi dubitat, an ex tot millibus hominum, qui Antiochiam incolebant, vel centum ſalvandi eſſent.* Quot eſſe putatis *(inquit)* in civitate noſtra, qui ſalvi fiant? infeſtum quidem eſt quod dicturus ſum, dicam tamen; non poſſunt in tot millibus centum inveniri, qui ſalventur, quin & de his dubito.

ζ Quamvis ex ipſis pauci faciunt innumerabilem multitudinem ſuam.] *Ita enim de electis D. Joann. in Apocal.7.* Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus.

η Deo autem nec arenæ terræ.] *Eccleſiaſt.1. ſcribitur,* Arenam maris & pluviæ guttas, & dies ſæculi, quis dinumeravit? altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt? *quibus ſignificatur, nulli præter Deum iſta eſſe numerata. Ille ſolus eſt, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Hinc dæmon ille, qui ſub nomine Apollinis Pythii falſis edendis oraculis mortales decipiebat, cùm ſe tanquam Deum credi & coli vellet, ſcientiam numerandi arenam, ut quoddam Dei ſolius proprium, ſibi arrogabat. Lydis enim, quos Crœſus miſerat conſulturos oraculum, templum ingreſſis Pythia verbis Apollinis hæc inter cætera cecinit:*

Οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης.

Novi ego arenarum numerum, ſpatiumque profundi.

θ In tantum crevit, ut penè omnes.] *Idipſum de ſemine carnali, i. e. de poſteris Abrahæ ſecundùm carnem, vaticinatus erat Balaam. Num.23.* Quis dinumerare

poſſit pulverem Jacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſrael? *Ad multiplicationem verò ſeminis ſpiritualis pertinet Vaticinium illud Oſeæ 1.* Erit numerus filiorum Iſrael, quaſi arena maris, quæ ſine menſura eſt; & non numerabitur. *Ita enim interpretatur D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, c. 89. illud non omninò de illo Iſrael eſſe dictum, qui eſt ſecundùm carnem, ſed de illo, de quo Apoſtolus Gentibus dicit Galat. 3.* Vos autem Abrahæ ſemen eſtis, ſecundùm promiſſionem hæredes.

¿ Poteſt movere nonnullos, ſi uſque in ſæculum intelligat in æternum.] *Certè non amplius mille ſexcentis quadraginta annis terram Chanaan Hebræi poſſederunt, cœperunt enim eam poſſidere 40. annis poſt regreſſionem ex Ægypto, poſſeſſionem verò amiſerunt principatu Imperatoris Adriani, cùm tot gladibus affecti ſunt, & tandem ex terra Palæſtinæ extorres omninò facti. Addo quod 70. annos in Babylonica captivitate fuère, & in Judæam tandem concedente Cyro reverſi ſunt, quomodo igitur promittit Deus, æternam illam fore poſſeſſionem? D. Auguſt. qu. 21 in Geneſ. vel in ſempiternum interpretatur, quod in ſeculum, pro tempore ſcil. aliquo finito, ſed indeterminato, vel hic ſpecialem aliquam promiſſionem intelligere cogimur, ut æternum ideò dictum ſit, quia æternum aliquid ſignificat; Hic vero ita interpretatur, quod licet Judæi expulſi fuerint urbe Hieroſolyma, habitant tamen in terra Chanaam, & uſque in finem mundi habitaturi ſunt, & licet ipſi eam non incolerent, quia tamen eam inhabitant Chriſtiani, qui ſunt verum Abrahæ ſemen, in eis effectum habuit Dei promiſſio. Verùm contra objici poteſt. Eam enim terram non modo inhabitandam, verùm etiam poſſidendam promittit Deus Abrahæ poſteris; at nunc temporis & quidem à multis annis eam poſſident, & magna ex parte inhabitant infideles, qui neque ad ſemen carnale, neque ad ſemen ſpirituale Abrahæ ſpectant. Addo manifeſtè, Deum de poſteris loqui Abrahæ ſecundùm carnem, quibus eam terram incolendam dedit, expulſis inde ſeptem gentibus. Reſponderi poteſt, hanc promiſſionem conditionalem fuiſſe, ſicut communiter omnes aliæ factæ Judæis de temporalibus proſperitatibus, quæ intelligebantur, ſi ſervarent præcepta Dei: vel ſempiternum hic accipitur pro magno tempore, & non pro aliquo interminabili, ſicut circumciſio dicitur duratura in æternum Gen. 17. quæ tamen omninò per legem divinã eſt abrogata.*

CAP. XXII.

De ſuperatis ad Abraham hoſtibus Sodomorum, quando Loth de captivitate eripuit, & à Melchiſedec ſacerdote benedictus eſt.

HOc reſponſo promiſſionis accepto migravit Abraham, & manſit in alio ejuſdem terræ loco, id eſt, α juxta quercum Mambræ, quæ erat in Hebron. Deinde ab hoſtibus, qui Sodomis irruerant, quum quinque reges adverſus quatuor bellum gererent: & victis Sodomis etiam Loth captus eſſet, liberavit eum Abraham, adductis ſecum in prælium β trecentis decem & octo vernaculis ſuis: & victoriam fecit de regibus Sodomorum, nihilque ſpoliorum auferre voluit, α quum rex, cui vicerat, obtuliſſet. Sed planè tunc benedictus eſt à γ Melchiſedec, qui erat ſacerdos Dei excelſi: de quo δ in Epiſtola, quæ inſcribitur ad Hebræos: quam plures Apoſtoli Pauli eſſe dicunt, quidam verò negant: multa & [Gen. 14. Hebr. 7.]

magna

magna conſcripta ſunt. *ε* Ibi quippe primum apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longè poſt hoc factum per Prophetam dicitur ad Chriſtum, qui fuerat venturus in carnem: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* *ζ* Non ſcilicet ſecundùm ordinem Aaron: qui ordo fuerat auferendus illuceſcentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.

α CUm rex cui vicerat.] *Baſa rex Sodomorum, quem de regibus aliis vindicavit Abraham, Gen. 14.* L. Vives.

ε De quo in epiſt.] *Hieron. Origen. Auguſt. & alii veterum de hoc ambigunt. Ante ætatem Hieronymi à Latinis ea epiſtola recepta non erat inter ſacras. De hac re multis & doctis verbis diſputat Eraſmus noſter in fine Annotationum ejusce epiſtolæ. Erat enim imago ille panis, tum etiam vinum corporis & ſanguinis Domini, quæ nunc forma panis & vini conſecrantur.*

α JUxta quercum Mambræ.] Hebraicè legitur באלוני ממרא, Elone Mambræ. *Hebræorum quidam ita interpretantur planitiem quandam arboribus conſitam, quales ante mœnia civitatum plantari ſolent.* Elone *alii interpretantur convallem aut quercetum. Chaldæus paraphraſtes planitiem. 70. verterunt,* πρὸς τῇ δρυῒ μαμβρῇ. Juxta quercum Mambræ, *& vulgata editio,* juxta convallem Mambre: *debuit convallis illa nemoroſa eſſe quercuum frequentia.* Mambre *autem nomen erat viri Amorrhæi, qui ejus querceti ſator vel certè poſſeſſor ac dominus fuit.* F. L. Cog.

β Trecentis decem & octo vernaculis ſuis.] *Rupertus lib. 5. comm. in Geneſ. cap. 15. numerum hunc ait eſſe myſticum & ſacrum.* Numerus, *inquit,* præſcriptus totus ſacer eſt, quo & ſancta Nicæna Synodus non humanâ induſtriâ, non compoſitione aliqua, ſed divina agente providentiâ gaviſa eſt, in qua vaſtator Chriſtianitatis Arrius ſuperatus & damnatus fuit. Hujus ſiquidem numeri illic inſigne ſplenduit, i. e. trecenti octodecim convocati fuerunt Epiſcopi, qui numerus, ut prædictum eſt, totus ſanè ſacer eſt. *quod longè antea obſervarat D. Hilarius lib. de Synodis, ubi loquens de trecentis illis decem & octo patribus Concilii Nicæni.* Et mihi quidem ipſe ille, *inquit,* numerus ſanctus eſt: in quo Abraham victor regum impiorum ab eo, qui æterni ſacerdotii eſt forma, benedicitur. *& D. Ambroſ. lib. 1. de fide ad Gratianum Auguſtinum in proœmio de Conciliis.* Id potiſſimum ſequar, quod trecenti decem & octo ſacerdotes tanquam Abrahæ electi judicio conſona fidei virtute victores velut trophæum toto orbe ſubactis perfidis extulerunt, ut mihi videatur, hoc eſſe donum, quod eodem numero in Conciliis fidei habemus oraculum, quo in hiſtoria pietatis exemplum. *Notat & aliud myſterium Rupertus in hoc numero. Græcè enim hic numerus trecentorum decem & octo denotatur tribus literis, τ. ι. η. τ. figurat crucem Chriſti, ι. & η. cum ſupraducta linea ſignificant nomen Jeſu in genitivo caſu, ſiquidem in nominativo caſu additur litera σ hoc modo ιης. Iſidorus comment. in Geneſ. cap. 11.* Quod Abraham non multitudine hominum, nec virtute legionum, ſed tantùm trecentis decem & octo comitibus adverſarios principes debellavit, jam tunc in ſacramento crucis, cujus figura per τ literam Græcam in numero trecentorum exprimitur, imaginabatur,

batur, quod nos Chriſti paſſio liberaret à dominatu quinque carnalium ſenſuum, qui nos antea variis vitiis captivatos exſuperaverant. *Vide etiam D. Ambroſium lib. 1. de Abraham Patriarcha cap 3. & lib. 1. de fide in proœmio, ubi in trecentis illis decem & octo militibus Abrahæ ſignum dominicæ crucis & nominis adumbratum ſcribit.*

γ A Melchiſedec, qui erat ſacerdos Dei excelſi.] *Quis fuerit ille Melchiſedec non omnium una eſt & eadem ſententia. D. Hieron. Epiſt. 126. ad Evagrium hanc appellat famoſiſſimam quæſtionem, & de ea ita diſſerit, ut magis aliorum exponat ſententiam, quàm ſuam aperiat. Eandem quæſtionem duobus locis tractat Epiphan. hæreſ. 55. quæ eſt Melchiſedecianorum, & 67 quæ eſt Hieracitarum ab Hierace quodam Ægyptio. Nonnulli exiſtimarunt, Melchiſedec non fuiſſe verum hominem; alii hominem verum & purum aſſeruerunt. at neutrorum concors eſt ſententia. Ex primis enim alii Angelum eſſe docuerunt, in quam ſententiam D. Hieron. adducit loco citato Origenem & Didymum. Alii putaverunt, eſſe filium Dei, quorum ſententiam tacito nomine refert Epiphanius: nonnulli poſtremò eſſe ſpiritum ſanctum, quæ ſententia continebatur in volumine quodam miſſo ab Evagrio ad D. Hieronymum, ſed volumen illud erat ἀνώνυμον καὶ ἀδέσποτον, ut in eo volumine contineretur ea ſententia, de authore tamen minimè conſtaret. Epiphanius quendam Hieracem Ægyptium nominat defenſorem hujus opinionis, hominem quidem doctum & diſertum, ſed à fide Catholica alienum. Pro ea ſententia acerrimè diſputavit Author quæſtionum veteris & novi Teſtamenti q. 109. qui falſò attribuitur Auguſtino, cùm in eo multi errores contineantur, quos nec per ſomnium quidem cogitavit D. Auguſtinus, & hanc ſententiam ipſe docet eſſe hæreticam li. de hæreſ. neque tamen illam ſententiam tanquam ſuam unquam retractavit; quo argumento meritò Alphonſus à Caſtro lib. 10. contra hæreſ. verbo Melchiſedec poſt Eraſmum negat, eum librum eſſe Auguſtini: fundamentum eorum eſſe potuit, quod dicat Paulus Hebr. 7.* Melchiſedec fuiſſe ſine patre, & ſine matre, & ſine genealogia, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, *&* μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, *quæ non videntur homini convenire, ideo impulſi ſunt aliqui, ut dicerent perſonam divinam vel Filium vel Spiritum ſanctum, qui ſub hominis figura viſus ſit, & Abrahæ occurrerit. Catholici verò docent, Melchiſedec & fuiſſe verum hominem & purum. Unum enim ad alterum conſequitur; quilibet enim verus homo præter Chriſtum eſt purus homo, & fide credendum eſt, naturam humanam neque ante neque poſt filii incarnationem alicui perſonæ divinæ hypoſtaticè eſſe unitam. at Melchiſedec fuit verus homo, & longè ante Chriſti incarnationem exſtitit, nec verò potuit eſſe Angelus & homo ſimul per hypoſtaticam aliquam unionem. Ut enim docent Theologi, ſola perſona divina infinitam habens ſubſtantiam poteſt hypoſtaticè ſibi unire alienam naturam. Fuiſſe verum hominem docet hoc loco Auguſtinus, Epiphanius & Hieronymus locis citatis, Ambroſ. lib. 5. c. 3. de fide, Tertulli. lib. contra Judæos c. 2. & 3. vocat Melchiſedec Patriarcham juſti Abrahæ, & Levitam Levitico ſacerdote antiquiorem, & apertè colligitur ex cap. 14. Gen. ubi dicitur rex Salem ſacerdos Dei altiſſimi exiviſſe obviam Abrahæ, protuliſſe panem & vinum, & decimas accepiſſe ab Abrahamo, quæ certè omnia ſi ſervemus hiſtoriæ*

ſtoriæ veritatem, & ſiſtemus in proprio literali ſenſu, non niſi in unum hominem conveniunt. At neque Patres ipſi, qui Melchiſedec docuerunt eſſe verum & purum hominem, ſunt in eadem ſententia. Aliqui enim exiſtimarunt, illum hominem eſſe gentilem ex Chananæis ortum virum juſtum & ſanctum, regem Hieruſalem, quæ priùs Salem. poſtea Jebus, ad extremum compoſito nomine Hieruſalem dicta eſt. In hanc ſententiam adducit Hieronymus Hippolytum, Irenæum, Euſebium Cæſarienſem, Emiſſenum, Apollinarium, & Euſtachium Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopum, in qua ſententia eſt Theodor. q. 63. in Gen. & ex recentioribus Pererius in cap. 14. Gen. diſp. 3. qui primùm nititur hoc argumento, quòd omnis illa regio, in qua regnabat Melchiſedec, fuerit id temporis poſſeſſa à poſteris Chanaam, non ſit autem credibile, aut Sem regnaſſe inter Chananæos, aut Melchiſedec in Chananæorum regione Pontificatum & regnum obtinentem non fuiſſe Chananæum. Secundò argumentatur ex loco Apoſtoli Hebr. 7. loquens enim de dignitate & excellentia ſacerdotis Melchiſedec, Cujus generatio, *inquit*, non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromiſſionem, benedixit; *his verbis,* cujus generatio non annumeratur in eis, *nihil aliud ſignificari videtur, quàm Melchiſedec à genere & gente Hebræorum omnino fuiſſe extraneum, nec potuiſſe eſſe Sem, unde genus ducebant Hebræi. Adfert ultimò Pererius locupletiſſimum Dionyſii Areopagitæ teſtimonium lib. de cæl. hierarch. ca. 9. ubi præter Hebræos ex aliis Gentibus opera Angelorum quosdam eſſe perductos ad veri Dei cognitionem & cultum, confirmat exemplo ipſius Melchiſedec, qui non modò fidelis erat, verùm etiam cæteris ad veram & ſolam ſupremamque Deitatem convertendis author & dux exſtitit. Altera & poſtrema ſententia ſumitur ex traditione Hebræorum, quam refert Hieron. Epiſt. 126. ad Evagrium. & in tradit. Hebr in Gen. & lib. 12. comm. in Iſaiam ca. 14. Melchiſedec fuiſſe Sem primogenitum Noe & unum ex progenitoribus Abrahæ. Lippomanus in catena Gen 14. dicit, Hebræos in hoc ſequi Jonatham authorem paraphraſis Chaldaicæ. Hanc ſententiam amplexi ſunt Toſtat. q. 15. in Gen. ca. 11. & in c. 14. Lyran. Gloſſa ordinaria. Iſidor. li. de vita & morte ſanctorum c. 5. & lib. 15. etym. cap. 1. Rupert. lib. 5. comm. in Gen. c. 13. Eugebin. in cap. 14. Gen. Ex recentioribus eam aſſeruerunt Henriques lib. 1. de ſacramentis in genere ca. 5. & li. 9. de vero ſacrificio Miſſæ ca. 1. & 10. Suares in 3. p. diſput. 46. ſectio. 4. & videtur ferè communis hæc ſententia. Quod verò objicit Epiphanius, Sem eo jam tempore fuiſſe mortuum, ex falſa Chronologia procedit, nam ex ſcriptura conſtat, Sem Abrahæ vixiſſe ſuperſtitem 35. annis. Sem enim vixit ſexcentis annis 98. ante diluvium, & 502. poſt diluvium, Geneſ. 11. Abrahàm verò natus eſt 292 annis poſt diluvium, ut conſtat ex eodem 11. ca. Gen. cum Sem ageret annum ætatis 390. vixit autem Abraham annis 175. ratione ergo ſubducta invenitur Sem abnepoti ſuo decimi gradus Abraham ſupervixiſſe annos 35. & certum eſt Sem, quandiu vixit, fuiſſe inter fideles magni nominis, & velut principem eorum, qui avitam religionem amplectebantur, nec ad idololatriam deflexerunt, & probabile, neminem eo tempore magis religioſum fuiſſe, nec certum eſt, totam illam regionem fuiſſe tunc à poſteris Chanaam occupatam, immò ut fatetur Epiphanius, pertinebat ad poſteros Sem, etſi poſtmodum vi vel armis ſit à Chananæis occupata. Verum probabile*

babile, in aliqua illius parte regnaſſe Melchiſedec, & tanquam primogenitum Noe vel ortu, vel ſaltem ob benedictionem, qua cæteris fratribus prælatus eſt, ſacerdotis officio functum eſſe. Verùm objicies, Sem habuit patrem & matrem, & finem dierum tam re ipſa, quam ſecundùm narrationem ſcripturæ. At Paulus hæc omnia negat Melchiſedec habuiſſe. Reſpondetur cum D. Hieronymo, non velle Apoſtolum, Melchiſedec absque patre & matre fuiſſe, cum Chriſtus quoque ſecundùm utramque naturam & patrem habuerit & matrem, ſed quia ſubito introducatur in Geneſi occurriſſe Abrahamo à cæde hoſtium revertenti, & nec ante nec poſtea nomen ejus feratur adſcriptum. Addo quod licet ſub nomine Sem ejus genealogia narretur in ſcriptura, tamen ſub nomine Melchiſedec regis & ſacerdotis, qua ratione Chriſtum adumbrabat, nullibi ejus hiſtoria narratur? ſed raptim & quaſi obiter introducitur, nulla prius vel poſteriùs facta illius mentione, nec parentum, nec factorum ejus, nec initii aut finis illius usque ad David, qui illius meminit Pſ. 109. & ſubindicavit, illum Chriſti ſacerdotium præfiguraſſe, & Paulus ad Heb. 7. myſterium reſeravit, nam tribus tantùm illis locis ſcriptura meminit Melchiſedec Gen. 14. Pſ. 109. & in epiſt. ad Hebr. c. 7.

d In epiſtola, quæ inſcribitur ad Hebræos, quamplures Pauli Apoſtoli eſſe dicunt, quidam verò negant.] *Ex hæreticis Marcion & Baſilides eam Pauli Apoſtoli eſſe negarunt, teſte D. Hier. prologo commentarior. Epiſt. ad Tit. Epiphan. hæreſ. 42. Marcionem hæreticum teſtatur hanc Epiſtolam, & eas quæ ſunt ad Timotheum, & ad Titum, ut Apoſtolo Paulo indignas rejeciſſe. Alii hæretici veteres idem ſenſerunt, ut ſcribit Philaſtrius in catalogo hæreſ c. 89. cui titulus eſt, hæreſis quorundam de Epiſtola Pauli ad Hebræos. Arriani etiam teſte Theodoreto in argumento Epiſtolæ ad Hebræos, eam Pauli eſſe negabant, & adulterinam appellabant. Verum ut Theodoretus optimè ait ibidem:* Qui adverſus Deum & ſalvatorem noſtrum linguas moverit, quid non auſi fuerint adverſus ejus benevolos & grandiloquos veritatis præcones? Ipſius enim Domini vox eſt, ſi me perſecuti ſint, & vos perſequentur. *Alii etiam hæretici noſtri temporis eandem rejecerunt; Sed etiam ab Orthodoxis quibusdam initio dubitatum eſt de authore, & de authoritate. Euſeb. lib. 3. hiſtor. c. 3. ſcribit, à quibusdam ac ſi Pauli non eſſet, fidem abrogatam. D. Hieron. Epiſt 126. ad Evagrium ſcribit, eam omnes Græcos quidem; non tamen communiter Latinos recepiſſe, & Epiſto 129. ad Dardanum ſcribit, Latinorum conſuetudinem eam non recepiſſe inter ſcripturas canonicas. Ibidem etiam, & lib. de viris illuſtribus in Paulo ait, quosdam exiſtimaſſe, eam eſſe vel Barnabæ, vel Lucæ, vel Clementis. Cajetanus etiam initio commentariorum in Epiſtolam revocavit in dubium authoritatem illius epiſtolæ. verùm nec de authore, nec minùs de authoritate epiſtolæ jam licet dubitare. Illius authoritatem ſatis ſuperque vindicarunt Driedo lib 2. de Eccleſ dogmat. c. 1. & 2. Canus lib. 2. de locis c. 10. Catharin. libr. 1. annotat. in Cajet. c. 2. Michael Medin. lib. 6. de recta in Deum fide c 25. Bellarm. lib. 1. de verbo Dei, ca. 17. vide etiam Riberam proœmio in eam Epiſtolam, ubi docet, jam antiquitus & à conciliis & à patribus agnitam eſſe pro canonica & quidem Apoſtoli Pauli.*

e Ibi quippe primum apparuit ſacrificium.] *Refert enim ſcriptura Geneſ. 14. Melchiſedec revertenti Abrahamo à cæde regum protuliſſe panem & vinum, erat*

enim ſacerdos Dei altiſſimi, [*unde colligitur verè panem & vinum Deo obtuliſſe in ſacrificium: quorſum enim, poſtquam dixit, protulit panem, addidit tanquam rationem,* Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi? *Etſi enim non negemus convivio excepiſſe Abrahamum, ut ſcribit Joſephus lib. 1. antiq. c. 28. & protuliſſe panem & vinum pro cibo militum, contendimus tamen priùs tanquam ſacerdotem Deo obtuliſſe panem, adeoque in illo facto Melchiſedec interceſſiſſe myſticam figuram, vel ſignificationem ſacram incruenti ſacrificii novæ legis. Nec mirum eſt, hæreticos quidlibet audentes negare quicquam ſubeſſe myſterii in hoc facto Melchiſedec, ſed miror Cajetanum contra communem ſententiam Patrum idipſum etiam aſſeruiſſe. Verùm objiciunt, Melchiſedech non ſacrificaſſe in pane & vino facile colligi ex Paulo Hebr. 7. qui cum accuratè omnia illa explicaſſet, in quibus Melchiſedec videtur præfiguraſſe Chriſtum, illius tamen oblationis in pane & vino nihil omnino meminit, quæ tamen potiſſimum explicanda erat, cum eſſet multo majoris momenti, quam receptio decimarum, & alia, quæ ibi commemorat Paulus. Nihilominus contraria ſententia eſt omnium Patrum, ita D. Auguſt. hoc loco & infra lib. 17. ca. 17. & lib. 1. cont. adverſar. legis & Prophetar. c. 20. & concione 1. in Pſal. 33. & in Pſal. 109. in ea verba.* Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melſchiſedec. *Clemens Alexandrin. lib. 4. ſtromat.* Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ, ὁ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ ὑψίστου, ὁ τὸν οἶνον καὶ τὸν ἄρτον τὴν ἡγιασμένην διδοὺς τροφὴν εἰς τύπον εὐχαριστίας. *Idem docet Theodoretus quæſt. 63. in Gen. moris fuiſſe Melchiſedec Deo panem & vinum offerre in typum futuri myſterii, ideoque dediſſe Abrahamo panem & vinum.* ἄρτους τῷ Ἀβραὰμ καὶ οἶνον καὶ στέαρ ἀπέδωκεν, ὡς τοιαῦτα τυχὸν τινὰ προσφέρειν εἰωθὼς τῷ τῶν ὅλων θεῷ. εἶδεν γὰρ κἀν τούτῳ δεικνῦναι τὸν τύπον. *Ibidem* τῆς δεσποτικῆς εἶχεν ἱερωσύνης τὸν τύπον. *Damaſcenus lib. 4. cap. 14. dicit, menſam illam noſtram adumbraſſe; Chryſoſtom. homil. 35. in Gen. illum panem & vinum fuiſſe figuram Euchariſtiæ, Cyprianus Epiſ. 63. ad Cæcilium.* In ſacerdote Melchiſedec ſacrificii dominici ſacramentum præfiguratum videmus, ſecundùm quod divina ſcriptura teſtatur & dicit, & Melchiſedec rex Salem protulit panem & vinum. *Idem docet Hieron. epiſt. 17. ad Marcellam, ut commigret Bethleem, & epiſt. 126. ad Evagrium, & Iſidorus lib. 7. etymolog. c. 6. & comment. in Gen. c. 12. antiquos Hebræos ita etiam intellexiſſe, in oblatione Melchiſedec adumbratum fuiſſe ſacrificium Meſſiæ tradit. Galat. lib. 10. de arcanis Cathol. verit. ca. 4. 5. & 6. & Genebrardus in Chronologia. Ad id verò, quod objiciebatur, D. Paulum, cùm cætera explicaſſet, non meminiſſe tanti myſterii, quod aliàs non omiſiſſet, ſi in eo facto Melchiſedec revera fuiſſet aliquod myſterium, & non conſuetum quoddam convivium, reſpondetur, Apoſtolum non ſumpſiſſe munus ea omnia explicandi, quibus Melchiſedec Chriſtum præfiguravit, ſed ſolum oſtendendi, Chriſti ſacerdotium eſſe perfectiùs ſacerdotio legali ſeu Aaronico, & illud eſſe æternum, hoc temporale, per illud abrogandum. Ad quod probandum uſus eſt figura Melchiſedec, in qua ea tantùm ponderavit, quæ ad hanc æternitatem & excellentiam ſacerdotii Chriſti ſignificandam referre videbantur, quia igitur ſimilitudo in ritu ſacrificandi adhoc nihil pertinebat, illam omittendam cenſuit, maximè quia ut ſcribit D. Hieron. Hebræis. i. e.* Judæis perſuadebat non jam fidelibus, quibus paſſim proderet ſacra-

„ ſacramentum, & difficultatem rei initio exaggerat dicens; ſuper quo multus no-
„ bis ſermo eſt & interpretabilis, non quia Apoſtolus id non potuerit interpretari,
„ *ait idem*, ſed quia illius temporis non fuerit]

ζ Non ſecundùm ordinem Aaron.] *Objiciet aliquis, quemadmodum Melchiſedec ſacerdos Chriſti fuit figura, ita & Aaron, & ſacerdotium Chriſti in utriuſque ſacerdotio adumbratum, & per ſacrificia legalia Chriſti ſacrificium fuit repræſentatum, ut conſtat ex Apoſtolo Hebr. 9. & 13. qua ratione igitur non dicatur ſacerdos ſecundùm ordinem Aaron, ut ſecundùm ordinem Melchiſedec? Reſpondetur non ſufficere quamcumque præfigurationem, vel repræſentationem, ut Chriſtus dicatur eſſe ſacerdos ſecundum illius ordinem. Primò verò quod ad rem ipſam ſpectat, non poteſt quis dici ſacerdos ſecundùm ordinem Aaron, niſi ſit de ejus ſtirpe & ceremoniis in lege ſtatutis ordinatus, quæ non poſſunt in Chriſtum convenire. Deinde quod ad repræſentationem attinet, ſacerdotium Aaron erat imperfectum & temporale, & præfiguravit Chriſtum ſecundùm ſtatum vitæ paſſibilis; at verò Melchiſedec fuit typus Chriſti ſecundùm omnes perfectiones ſacerdotii ejus, unde ſacrificia legalia tantum figurabant cruentum ſacrificium Chriſti, per quod erant conſummanda & abolenda:*
„ [*ſacrificium verò Melchiſedec præfiguravit Chriſti ſacrificium eo modo, quo incruen-*
„ *tè offerri debebat perpetuò in eccleſia militante, quandiu mundus durabit, unde dici-*
„ *tur* Juge ſacrificium *Daniel. 11. & ſacrificium Melchiſedec non erat auferendum per*
„ *ſacrificium Chriſti, immò perfectiùs reddendum: ut enim ſacrificium Melchiſedec*
„ *erat in pane & vino, ita ſacrificium Evangelicum à Chriſto inſtitutum eſt illius cor-*
„ *poris & ſanguinis, ſed ſub ſpeciebus panis & vini. Unde ſicut lex vetus velut imper-*
„ *fecta, & umbra legis gratiæ per eam abrogata fuit, non tamen lex naturæ, quæ potiùs*
„ *per legem Chriſti confirmata, aucta & perfecta fuit, ita ſacrificium Aaronicum, ſeu*
„ *legale per Chriſti ſacrificium abrogatum fuit, non tamen ſacrificium Melchiſedec,*
„ *quod fuit in lege naturæ.*]

CAP. XXIII.

De verbo Domini ad Abraham, quo ei promittitur ſecundùm multitudinem ſtellarum multiplicanda poſteritas, quod credens juſtificatus eſt adhuc in præputio conſtitutus.

ETiam tunc factum eſt verbum Domini ad Abraham in viſu. α Qui, quum ei protectionem mercedemque promitteret valdè multam, ille de poſteritate ſolicitus β quendam Eliezer vernaculum ſuum futurum ſibi hæredem dixit: continuoque illi promiſſus eſt hæres: non ille vernaculus, γ ſed qui de ipſo Abraham fuerat exiturus, rurſuſque δ ſemen innumerabile, non ſicut arena terræ, ſed ſicut ſtellæ cœli: ubi mihi magis videtur promiſſa poſteritas cœli felicitate
Gen. 15. ſublimis. Nam quantum ad multitudinem pertinet, quid ſunt ſtellæ cœli ad arenam terræ, niſi quis & iſtam comparationem in tantum eſſe ſimilem dicat, in quantum etiam ſtellæ dinumerari non valent? Quia ε nec omnes eas videri poſſe credendum eſt? Nam quanto quiſque acutius intuetur, tanto plures videt: α Unde & acerrimè cernentibus aliquas occultas eſſe meritò exiſtimatur, excepis

ptis eis ſideribus, *b* quæ in alia parte orbis à nobis remotiſſima oriri & occidere perhibentur. Poſtremò ζ quicunque univerſum ſtellarum numerum comprehendiſſe & conſcripſiſſe jactantur, *c* η ſicut Aratus *d* θ vel Eudoxus, vel ſi qui alii ſunt, ι eos libri hujus contemnit autoritas. Hîc ſanè κ illa ſententia ponitur, cujus Apoſtolus meminit propter Dei gratiam commendandam: *Credidit Abraham Deo, & deputatum eſt illi ad juſtitiam,* ne circumciſio gloriaretur, gentesque incircumciſas ad fidem Chriſti nollet admitti. Hoc enim quando factum eſt, ut credenti Abrahæ deputaretur fides ad juſtitiam, nondum fuerat circumciſus. Rom. 4.

a UNde & acerrimè cernentibus.] *Nam in lactea via innumeram eſſe ſtellarum multitudinem, Ariſtoteles & alii magni viri aſſerunt, quæ internoſci nullo humano obtutu queant.* L. Vives.

b Quæ in alia parte.] *Sunt quæ amſtellæ nobis, ſicut vocant Proclus & alii Græci,* ἀφανεῖς, *id eſt, non conſpicuæ, quales ſunt ad axem huic adverſum. Quemadmodum hæ noſtræ nunquam Antipodibus cernuntur, nempe geminæ urſæ, & alia circum Triones.*

c Sicut Aratus.] *Arati duo fuerunt inſignes, alter dux, qui Sicyonem patriam tyrannide Nicoclis preſſam liberavit, alter poëta Pompejopolitanus, quæ urbs eſt in Cilicia, juxta quam in parvo tumulo monumentum hujus Arati viſitur, in quod jacta ſaxa diſſiliunt, incertum qua de cauſa. Vixit ſub Antigono Macedoniæ rege. Scripſit cum alia permulta, quæ recenſet Suidas, tum verò Phænomena de ſideribus, quod opus vertit Cicero juvenis adhuc: fragmentum interpretationis extat: poſtea Jul. Cæſar, ut tradit Firmicus, ſed vulgaris opinio eſt, & ea verior mea ſententia, Germanicum Latinè ceciniſſe Aratæa, niſi & Firmicus Germanicum Julium vocet. Poſtremo Hieronymi ante Avienus Rufus paraphraſim fecit Latinam. Mirum eſt, quod Cicero in primo de oratore dicit, conſtare inter doctos hominem ignarum aſtrologiæ Aratum ornatiſſimè atque optimis verſibus de cœlo ſtelliſq; dixiſſe, tanta eſt vis eloquentiæ.*

d Eudoxus.] *Ex Gaido Curiæ philoſophus mathematicus & medicus ſcripſit verſibus de aſtrologia, ſicut refert Suidas. Plutarchus ait, hunc & Architam primos machinas geometricas inveniſſe. Diogenes Laertius curvas lineas ejus inventum eſſe dicit. Strabo narrat, Eudoxum cum Platone in Ægyptum profectum, ibi peritiam aſtrorum didiciſſe philoſophatumq; in ſaxo, quod de ejus eſt nomine nuncupatum. Faſtos ſcripſiſſe ſignificat Lucanus, qui Cæſarem in convivio Cleopatræ gloriantem facit:*

Nec meus, Eudoxi, vincetur Faſtibus annus.

a QUi cum ei protectionem mercedemque promitteret.] *Gen. 15.* Ego ero protector tuus, & merces tua magna nimis. *Deus enim ipſe merces eſt ſanctorum, hic eſt omne bonum, de quo recinit David Pſal. 102.* Qui replet in bonis deſiderium tuum. *D. Thomas, cùm ad imaginem Chriſti vehementiùs orans audiſſet hanc vocem,* Benè de me ſcripſiſti Thoma: quam ergo mercedem accipies? reſpondit, teipſum Domine. *Volunt verbis illis revelatam eſſe à Deo Abrahæ ſuam* F. L. Coq.

prædeſtinationem, quemadmodum Moſi Exo.33. illis verbis, Inveniſti gratiam coram me; ego oſtendam tibi omne bonum.

β Quendam Eliezer vernaculum ſuum futurum ſibi hæredem.] *Verùm dicet aliquis, videtur Abraham verbis Dei minimè credidiſſe, qui antea ei promiſerat, ſe daturum ſemini ejus terram Chanaam, ſemen ejus multiplicandum inſtar arenæ maris. Reſpondet D. Auguſtin. lib. 22. contra Fauſtum ca. 32. priùs quidem Abrahæ fuiſſe promiſſam terram & innumerabilis multitudinis abundantiam, nondum tamen fuiſſe patefactum, quomodo illius ſeminis eſſet futura propagatio, utrum ex carne Abrahæ, ſi de ſe ipſe generaret, an ex voluntate, ſi aliquem fortè adoptaret. Itaq; Abraham, cum ſibi videret non naſci filios, tamen ſemini ſuo factam promiſſionem teneret, primò de adoptione cogitabat. Hoc indicat, quod cum Deo loquitur ſic de vernaculo ſuo, hic hæres meus erit, tanquam diceret, quia de me ipſo mihi ſemen non dediſti, in iſto comple, quod meo ſemini promiſiſti. Si enim ſemen cujusquam non appellaretur, niſi quod ejus carne naſceretur, nec nos appellaret Apoſtolus ſemen Abrahæ, qui certè originem carnis ab illo non ducimus, ſed imitatione fidei ſemen ejus facti ſumus credentes in Chriſtum, cujus caro ex illius carne propagata eſt. Eodem modo reſpondet Rupertus lib. 5. comment. in Gen. ca. 17.*

γ Sed qui de Abraham fuerat exiturus.] *Ita Geneſ. 15.* Non erit hic hæres tuus, ſed qui egredietur de utero tuo, ipſum habebis hæredem. *Neque tamen, an ex Sara uxore habiturus eſſet filium hæredem, illi manifeſtum fuit.* Hoc illi Deus occultare voluit *(inquit D. Auguſt. loco citato)* donec prius ex ancilla vetus teſtamentum figuraretur.

δ Semen innumerabile ſicut ſtellæ cœli.] *Ita Gen. 15.* Numera ſtellas, ſi potes: ſic erit ſemen tuum, *id eſt, quemadmodum ſtellæ ſunt innumerabiles, ita erit ſemen Abrahæ. An verò ad literam intelligendum ſit illud promiſſum de ſemine carnali, id eſt, de poſteris Abrahæ ſecundùm carnem, an verò de ſemine ſpirituali, id eſt, de de piis & fidelibus prædeſtinatis à Deo tum ex Judæis, tum etiam ex Gentibus? Nam & Moſes alloquens Hebræos affirmat, eos jam eo tempore multiplicatos eſſe ſicut ſtellas cœli, haud dubiè ſpectans ad Dei promiſſum Abrahæ datum. Deuteronom. 2.* Dominus Deus multiplicavit vos, & eſtis hodie ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena, quæ eſt ad aram maris innumerabilis, plurimi. *& 10.* In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum, & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus, ſicut aſtra cœli, *ubi non loquitur Moſes tantùm de Hebræis illis, qui erant ſemen Abrahæ non modo ſecundùm carnem, verùm etiam ſecundùm ſpiritum, hoc eſt, de piis & juſtis. Verùm in univerſum de populo Hebræo. Promiſſum igitur Dei de ſemine Abrahæ ſtellarum inſtar multiplicando, de poſteris ejus ſecundùm carnem rectè intelligitur. Verùm cùm duplex ſit ſemen Abrahæ, unum quidem ſecundùm carnem & ſecundùm legem, & ſecundùm circumciſionem, alterum verò ſecundùm ſpiritum, & ſecundùm promiſſionem præfiguratum in Iſaac, & qui in myſterio prius Abram erat, id eſt, pater excelſus, poſtea dictus ſit Abraham, cui dictum eſt à Deo: Patrem multarum gentium poſui te, rectè etiam aſſeri poteſt, promiſſum Dei de multiplicatione ſeminis Abrahæ inſtar ſtellarum ad literam non modo pertinuiſſe ad multipli-*

tiplicationem ſeminis carnalis, verùm etiam imò magis ad multitudinem ſeminis ſpiritualis, i.e. ad omnes fideles & juſtos deinceps futuros, ſ. vocatos, tum ex Hebræis, tum ex Gentibus, qui cùm filii Dei ſint per adoptionem, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, prædeſtinati ſcil. ad gloriam, ideò rectè dictum ab Auguſtino, illo Dei promiſſo promiſſam fuiſſe Abrahæ poſteritatem cæli fælicitate ſublimem. D. Paulus Galat. 3. Si vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis ſecundùm promiſſionem hæredes. *Et quia idem ſcripturæ locus patitur plures ſenſus literales, ideò promiſſum illud Dei de multiplicatione ſeminis Abrahæ inſtar ſtellarum ad literam de utroque ſemine & carnali & ſpirituali rectè intelligi poteſt. Vide Perer. hæc latius diſputantem in cap. 15. Gen. diſput. 1.*

ε Nec omnes eas videri poſſe credendum eſt.] *Ut quæ ſunt circa polum antarcticum nobis occultum, nunquam videntur, & Aſtronomi alias ſtellas dicunt nobis oriri & occidere, alias verò perpetuæ eſſe apparitionis, alias poſtremò perpetuæ occultationis, & affirmat Ariſtot. & alii eſſe innumerabilem multitudinem ſtellarum minimarum, quæ diſtinctè & clarè ſeſe obtutui minimè offerunt, quæ ipſius circuli lactei ſplendorem efficiunt.*

ζ Quicumque univerſum numerum ſtellarum comprehendiſſe.] *Aſtronomici quidem ſtellas fixas in firmamento viſu perceptibiles 1022. obſervarunt, eaſq; in ſex differentias magnitudinum ratione majoris vel minoris earum ſplendoris diſtinxerunt, ut primæ magnitudinis ſtellas 15. eſſe obſervarunt, ſecundæ 45. tertiæ 208. quartæ 474. quintæ 217. ſextæ 49. præter has alias quinque dictas nebuloſas & novem obſcuriores, & hæ in aliquam dictarum magnitudinum non referuntur propter obſcuritatem, & quia vix ſenſibus noſtris ſeſe ingerunt, earum quantitates obſervari minimè potuerunt: ſi has omnes ſtellas colligas in unam ſummam invenies numerum 1022. Et ex his omnibus conſtituunt 48. imagines ſeu conſtellationes. Eſt verò imago ſeu conſtellatio multitudo quædam ſtellarum formam alicujus animalis, aut alterius cujuſvis rei effigiem ſuo ſitu ac ordine referentium. Ariſtot. l. 2. de cælo tex. 61. dicit, in prima converſione tantam eſſe multitudinem ſtellarum, ut univerſus ordo ſubire non poſſe numerum videatur. D. Auguſt. in Pſal. 146. in ea verba,* Qui numerat multitudinem ſtellarum. Hæc & homines conati ſunt, viderint utrùm implere potuerint, non tamen conarentur, niſi ſe impleturos eſſe ſperarint, illis dimittamus quid potuerint, & quouſque pervenerint.

η Sicut Aratus.] *Poëta Solenſis ex Elicia Aſtronomicæ peritiſſimus, cujus* Φαινόμενα *extant Græcè, & Latinè à Cicerone adhuc adoleſcente verſa, floruit olympiade 124. authore Suida.*

θ Vel Eudoxus.] *Ita de eo Suidas,* Εὔδοξος ὁ αἰσχίνου κνίδιος φιλόσοφος Πλάτωνος ἡλικιώτης, εἶχε πρὸς ἀστρολογίαν ὑπερφυῶς, ἔγραψε δὲ πλεῖστα τοῦ εἴδους τούτων καὶ ὀκταετηρίδα, εἶπε δὲ δι' ἐπῶν ἀστρονομίαν. *De eo ita Cicero l. 2. de divinat.* Eudoxus Platonis auditor in Aſtrologia judicio doctiſſimorum hominum facile princeps; *Illius etiam meminit Strabo l. 14. in Cnidi deſcriptione,* ἄνδρες, *ait,* ἀξιόλογοι Κνίδιοι πρῶτον μὲν Εὔδοξος ὁ μαθηματικὸς τοῦ Πλάτωνος ἑταίρων, *meminit & Ariſtot. l. 12. metaphyſ. c. 4. ejus vitam ſcripſit Diogenes Laert.*

ſ Eos libri hujus contemnit authoritas.] *Teſtatur enim Deus Abrahamo, & in cuilibet mortali innumerabilem eſſe multitudinem ſtellarum; quod & apertius docuit Jerem. cap.33.* Sicut autem dinumerari non poſſunt ſtellæ cœli & metiri arena maris, ſic multiplicabo ſemen David ſervi mei, *immò cognitum habere ſtellarum numerum, ut Dei quiddam proprium prædicat David Pſal. 146.* Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomine vocat. *Seneca etiam l.7. natur. q. c.16. Stellarum iniri non poſſe numerum ſcribit.*

x Illa ſententia ponitur, cujus Apoſtolus meminit.] *In epiſtola ad Rom. c.4. Status illius epiſtolæ eſt oſtendere, nec Judæos ex operibus legis, nec gentes per opera naturæ juſtificari potuiſſe, ſed per fidem in Chriſtum, & id quidem cùm aſſeruiſſet & probaſſet cap.3. Voluit id nunc vehementiùs urgere exemplo ſimul & argumento fidei Abrahæ, idq; ut retundat Judæos, qui circumciſioni ipſi & legis operibus omnem juſtitiæ laudem tribuebant. Proponit enim juſtificationem ipſius Abrahæ quaſi typum & exemplar quoddam juſtificationis hominum. Si enim Abraham pater ipſe fidei nec ex operibus naturæ, nec per circumciſionem, quam primus accepit, verùm per fidem & gratiam juſtificatus eſt, nemo certè vel Judæorum vel Gentium, quibus Abraham ipſe in exemplar perfectiſſimum juſtitiæ & virtutum omnium propoſitus eſt, alicunde juſtitiam ſperet quàm per fidem. Id eſſe D. Paulo potiſſimum propoſitum in 4. illo cap. epiſtolæ ad Rom. ubi citat locum illum Geneſ. ſcribit ipſe D. Auguſt. præfatio. in Pſal.34. Circumciſioni enim non potuit adſcribi juſtificatio Abrahami, cùm ante circumciſionem crediderit Deo, & per fidem juſtificatum dicat ſcriptura, & ut idem ait, circumciſionem acceperit, non per quam juſtificaretur, ſed ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ erat in præputio, quia per fidem nimirum ante circumciſionem juſtificatus fuiſſet. Ideò concludit Apoſtolus, non eſſe ſcriptum tantum propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam, ſed propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui reſuſcitavit Jeſum Chriſtum, hoc eſt, ut certò nobis perſuadeamus juſtificatos nos iri non aliter quam per fidem in Deum & Chriſtum exemplo ipſius Abrahæ, cujus juſtificatio exemplar eſt quoddam noſtræ juſtificationis. In epiſtola etiam ad Galat. c.3. eandem ſententiam repetit.* Sicut ſcriptum eſt *(inquit)* credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Cognoſcite ergo quia qui ex fide ſunt, & hi ſunt filii Abrahæ.

Cap. XXIV.

De ſignificatione ſacrificii, quod Abraham offerre præceptus eſt, quum popoſciſſet, ut de his, quæ crederet, doceretur.

Gen.15. IN eodem viſu, quum loqueretur ei Deus, etiam hoc ait ad illum: *Ego Deus, α qui te eduxi de regione Chaldæorum, ut dem tibi terram hanc, ut hæres ejus ſis.* Ubi quum interrogaſſet Abraham ſecundùm quid ſciret, quòd hæres ejus erit, dixit illi Deus: β *Accipe mihi juvencam, & capream trimam, & arietem trimum, & turturem, & columbam.* Accepit autem ille hæc omnia, *& diviſit illa media, & poſuit ea contra faciem alterum alteri. Aves autem non diviſit: & deſcenderunt,* ſicut ſcriptum eſt, *aves, & ſederunt ſuper corpora, quæ diviſa erant,* a γ *& conſedit illis*

illis Abraham. Circa ſolis autem occaſum pavor irruit ſuper Abraham, & ecce timor tenebroſus magnus incidit ei, & dictum eſt ad Abraham: Sciendo ſcias, quia peregrinum erit ſemen tuum in terra non propria, & in ſervitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis, gentem autem, cui ſervierint, judicabo ego. Poſt hæc verò exibunt cum ſuppellectili multa. Tu autem ibi ad patres tuos cum pace nutritus in ſenecta bona. Quarta verò generatione convertent ſe huc. Nondum enim impleta ſunt peccata Amorrheorum uſque adhuc. Quum autem jam ſol erat ad occaſum, facta eſt flamma, & ecce fornax fumabunda & lampades ignis, quæ pertranſierunt per media diviſa illa. In die illa diſpoſuit Dominus Deus teſtamentum ad Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, à flumine Ægypti uſque ad flumen magnum Euphratem. Cenæos, & Cenezæos, & Cedmonæos, & Cethæos, & Phereſæos, & Raphaim, & Amorrhæos, Chananæos, & Evæos, & Gergeſæos, & Hiebuſæos. Hæc omnia in viſu facta divinitus atque ita ſunt, de quibus ſingulis enucleatè diſſerere longum eſt, & intentionem operis hujus excedit. Quod ergo ſatis eſt, noſſe debemus: poſtea quàm dictum eſt, credidiſſe Abraham Deo, & deputatum eſſe illi ad juſtitiam: *a* non eum in fide defeciſſe, ut diceret, *Dominator Domine ſecundùm quid ſciam, quòd hæres ejus ero?* Terræ quippe illius promiſſa erat hæreditas. Non enim ait: unde ſciam, quaſi adhuc non crederet: ſed ait, ſecundùm quid ſciam: ut ei rei quam crediderat, aliqua ſimilitudo adhiberetur, qua ejus modus agnoſceretur. Sicut non eſt virginis Mariæ diffidentia, quod ait: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quod enim futurum eſſe certa erat, modum quo fieret, inquirebat. Et hoc, cùm quæſiſſet, audivit: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Denique & hic ſimilitudo data eſt de tribus animalibus, juvenca, capra & ariete, & duabus volucribus, turture & columba: ut ſecundùm hæc futurum ſciret, quod futurum eſſe jam non ambigeret. Sive ergo per juvencam ſignificata ſit plebs poſita ſub jugo legis: *b* per capram eadem plebs peccatrix futura; *c* per arietem eadem plebs regnatura. Quæ animalia propterea trima dicuntur, quia cùm ſint inſignes articuli temporum ab Adam uſque ad Noe, & inde uſque ad Abraham, & inde uſque ad David, qui reprobato Saule primus in regno gentis Iſraëliticæ eſt Domini voluntate fundatus: in hoc ordine tertio, qui tenditur ex Abraham uſque ad David, tanquam tertiam ætatem gerens ille populus adolevit: ſive aliquid aliud convenientius iſta ſignificent: nullo tamen modo dubitaverim, ſpiritales in eo præfiguratos additamento turturis & columbæ: & ideò dictum eſt, *Aves autem non diviſit:* quoniam carnales inter ſe dividuntur, ſpiritales autem nullo modo: ſive à negotioſis converſationibus hominum ſe removeant, *d* ſicut turtur: ſive inter illas degant, *e* ſicut columba. Utraque tamen avis eſt ſimplex & innoxia, ſignificans & in illo Iſraëlitico populo, cui terra illa danda erat futuros individuos filios promiſſionis, & hæredes regni in æterna felicitate manſuros. *f* Aves autem deſcendentes ſuper corpora, quæ diviſa erant, non boni aliquid, ſed ſpiritus indicant aëris hujus, paſtum quendam ſuum de carnalium diviſione quærentes. Quod autem illis conſedit Abraham, ſignificat etiam inter

Luc. 1.

Gen. 15.

inter illas carnalium diviſiones, veros uſque in finem ſeculi perſeveraturos fideles. *g* θ Et circa ſolis occaſum, quòd pavor irruit in Abraham, & timor tenebroſus magnus, ſignificat circa hujus ſeculi finem magnam perturbationem ac tribulationem futuram fidelium: de qua Dominus dixit in Evangelio: *Erit enim* Mat.24. *tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio.* Quod verò dictum eſt ad Abra- Gen.15. ham: *Sciendo ſcies, quia peregrinum erit ſemen tuum in terra non propria: & in ſervitutem redigent eos, &* ι *affligent eos quadringentis annis:* de populo Iſrael, qui fuerat in Ægypto ſerviturus, apertiſſimè prophetatum eſt. Non quòd in eadem ſervitute ſub Ægyptiis affligentibus quadringentos annos ille populus fuerat peracturus, ſed in ipſis quadringentis annis prænunciatum eſt hoc futurum. Quemadmodum enim ſcriptum eſt de Thara patre Abrahæ: *Et fuerunt dies Tharæ in Charra quinque & ducenti anni:* non quia ibi omnes acti ſunt: ſed quia ibi completi ſunt: ita & hic: propterea interpoſitum eſt, Et in ſervitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis, quoniam iſte numerus in eadem afflictione completus eſt, non quia ibi univerſus peractus eſt. Quadringenti ſanè dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamvis aliquanto amplius ſint, ſive ex hoc tempore computentur, quo iſta promittebantur Abrahæ: ſive ex quo natus eſt Iſaac propter ſemen Abrahæ, de quo iſta prædicuntur. Computantur enim, ſicut ſuperius jam diximus, ab anno ſeptuageſimo & quinto Abrahæ, quando ad eum facta eſt prima promiſſio, uſque ad exitum Iſraël ex Ægypto Gal.3. quadringenti & triginta anni: quorum Apoſtolus ita meminit. *Hoc autem dico*, inquit, *teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non infirmat ad evacuandam promiſſionem.* Jam ergo iſti quadringenti & triginta anni, quadringenti poterant nuncupari: quia non ſunt multò ampliùs, quantò magis, cùm aliquot jam ex iſto numero præteriſſent, quando illa in viſu demonſtrata & dicta ſunt Abrahæ: vel quando Iſaac natus eſt centenario patri ſuo, à prima promiſſione poſt xxv. annos, cùm jam ex iſtis quadringentis & triginta quadringenti & quinque remanerent, quos Deus quadringentos voluit nominare: & cætera, quæ ſequuntur in verbis prænunciantis Dei, nullus dubitaverit, ad Iſraëliticum populum pertinere. Quòd verò adjungitur: *Cùm autem jam ſol erat ad occaſum* κ *flamma facta eſt, & ecce fornax fumabunda, & lampades ignis, quæ tranſierunt per media diviſa illa:* ſignificat jam in fine ſeculi per ignem judicandos eſſe carnales. Sicut enim afflictio civitatis Dei, qualis antea nunquam fuit, quæ ſub Antichriſto futura ſperatur, ſignificatur tenebroſo timore Abrahæ circa ſolis occaſum, id eſt, propinquante jam fine ſeculi: ſic ad ſolis occaſum, id eſt ad ipſum jam finem: ſignificatur iſto igne dies judicii dirimens carnales per ignem ſalvandos, & in igne damnandos. Deinde teſtamentum factum ad Abraham, terram Chanaan propriè manifeſtat, & nominat in ea undecim gentes à flumine Ægypti usque ad λ flumen magnum Euphratem. Non ergo à flumine magno Ægypti, hoc eſt Nilo, ſed à μ parvo, quod dividit inter Ægyptum & Palæſtinam, ubi eſt civitas *b* ν Rhinocorura.

a ET conſedit illis Abraham.] *Vulgò habetur, Et abigebat eas Abraham: & ſic eſſe in Hebraico teſtatur Hieronym. LXX. verterunt, καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἀβραάμ.* L.Viv.

b Per capram eadem plebs.] *Laborat hoc animal perpetua febre, ut Ariſt. tradit ex Alcmaone.*

c Per arietem eadem plebs.] *Hic eſt dux gregis, an potiùs aries rex ſicut ille Danielis 8.*

d Sicut turtur.] *Verè turtures occultantur, pennaſq́; amittunt, inquit Plinius. Ælianus ſcribit, nec turtures nec columbas noſſe adulteria.*

e Sicut columba.] *Quæ cicurus inter nos degit.*

f Aves autem deſcendentes.] *Joſephus inquit, per hoc etiam voce divina ſignificatum eſſe malignos proli ejus vicinos fore in Ægypto.*

g Quod pavor ir.] *Alibi Gen. 15. legitur non pavor, ſed tum ecſtaſis, ut verterunt LXX. tum ſopor.*

h Rhinocorura.] *Hoc vocabulum in Hebraicis libris non haberi, autor eſt Hieron. ſed additum eſſe à LXX. propter notitiam loci. Plin. Rhinocoluram nominat, & in Idumæa lib. 5. Strabo in Phœnicia, ſed haud dubiè Ægyptii & Judæi eam ſibi vindicaverunt, inculta ab iis, quos victos Æthiopes naſis mutilarunt. Diodorus lib. 2. Actiſanes, inquit, Æthiopum rex occupata partim vi, partim voluntate Ægyptiorum Ægypto, latrocinia novo more compeſcuit, ſontes neque morte plectens, neque linquens impunitos, eorumq́; judicio conſtituto convictos omnes in unum coactos miti ſupplicio affecit. Amputatis enim naribus in ultima deſerti ire compulit, ibiq́; civitatem condidit ab exciſis naribus Rhinocoruram appellatam ea in Ægypti Arabiæq́; finibus haud procul mari ſita omnibus vitæ commodis caret. Nam omnis vicina regio ſalſa eſt, & intra mœnia unicus puteus, atque is inutilis, utpote aqua guſtu amara. Hæc Diodorus.*

a QUi eduxit te de regione Chaldæorum.] *Hebraicè legitur* מאור בשרים, F.L.Coq.
De Vr Chaldæorum, *LXX. Interpretes verterunt* ἐκ χώρας χαλδαίων de regione Chaldæorum. *Vana enim eſt interpretatio Hebræorũ, qui volunt* Vr *ſignificare hic ignem, ut ſit ſenſus horum verborum,* Ego Deus, qui magno potentiæ meæ miraculo, & certiſſimo meæ erga te benevolentiæ argumento te ex igne Chaldaico, in quem ob religionem conjectus fueras, ereptum conſervavi. *Tradunt enim Hebræi Abram ipſum à Chaldæis conjectum in ignẽ; quod more illius gentis illum Dei loco habere noluiſſet; at vana eſt illa traditio; nec ullo fundamento vel teſtimonio ſcripturæ nititur. Deinde conſtat nomẽ* Vr *eſſe proprium loci ſive urbis, ſive regionis. nam Gen. 11. dicitur Thare eduxiſſe filium ſuum Abram & nepotem Loth, & nurum Saram ex Vr Chaldæorum; quis verò interpretetur eos eduxiſſe ex igne Chaldæorum, & non potiùs ex quodam loco ſic nominato? Joſephus etiam l. 1. antiq. cap. 7. fuiſſe Vran Chaldæorum urbem ſcribit. Apud Euſeb. lib. 9. præparat. Evang. c. 4. Epolemus tradit, natum eſſe Abram in Camirine urbe Babyloniæ, quam alii Vr appellant. Verùm dicet aliquis, quid magnum Deus revocat Abrahæ in memoriam, quod eum eduxerit ex urbe quadam vel regione Chaldæa? ut nimirum in eo renovet memoriam, quod*

ei dixerat, cùm primum eum juſſit inde diſcedere in terram Chanaam. Sic enim ei eum dixiſſe legimus. Egredere de terra tua, & veni in terram, quam monſtravero tibi, faciamque te in gentem magnam. *Ut nunc magis roboret illius fidem de futuro ſemine innumerabili inſtar ſtellarum cœli & arenæ maris, ut intelligatur eodem accedere prorſus duas illas promiſſiones, & quæ facta eſt Abrahæ Gen. 12. cùm egreſſus eſt è domo paterna, & quæ Gen. 15. ut etiam ſimul intelligeret, quam amplam mercedem ſuæ obedientiæ & fidei à Deo ſit conſecuturus, ut qui pro domo paterna amplisſimæ regionis poſſidendæ certum à Deo promiſſum accipiat.*

β Accipe mihi juvencam & capram trimam.] *Hebraicè eſt* קחהלי עגלת משולשת ועימשז לשהז איל משולש *Onkedos vertit,* Vitulas tres & capras tres. *Idem ſentit Rabi Salomon. Vox Hebræa ſignificare poteſt &* triennem *&* triplicatam, *ut & ad ætatem & ad numerum referatur. Oleaſter putat legendum eſſe tres triplicatam, & ita vertit paraphraſtes Chaldæus, juxta quam lectionem intendebat Deus aſſumere tria genera animalium terreſtrium, & ex quolibet genere tria individua. i. e. tres vaccas, tres arietes, & tres capras. Lectio trimam probabilior eſt, ut unumquodque animalium deberet eſſe trium annorum. Sic vertunt LXX. ſic legit Joſephus, hanc lectionem ſecuti ſunt Patres. Quid verò hæc animalia diviſa, quidq́; aves non diviſæ ſignificent, habes interpretationem myſticam hic, & ſerm. 54. de tempore.*

γ Et conſedit illis Abraham.] *Hebraicè legitur* אברם וישב אותם, & abegit ea Abram. *D. Auguſt. legit* conſedit *ſecundùm translationem 70. quomodo etiam legit D. Hieronym. in tradit. Hebrai. in Gen.* Sedit cum eis Abram, *συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἄβραμ. Hieronym. vult quod abigebat Abram, ſignificari illius meritò de anguſtiis ſæpè liberatum iri Iſraël.*

δ Non eum in fide defeciſſe.] *Quod dicit, Abraham non dubitaſſe de Dei promiſſione, ſed modum illius implendæ noſſe cupiviſſe, idem tradunt Chryſoſt. hom. 36. in Gen. & Theodoret. qu. 64. in Gen. Rupert. l. 5. comment. in Gen. c. 20. dicit, cupiviſſe Abraham promiſſum firmari aliquo inſigni fœdere & pacto, ſignove aliquo & portento, non quidem ſua cauſa, ut qui certò & indubitatè crederet, ſed propter ſuos poſteros, qui tum ob rei adipiſcendæ difficultatem, tum ob præſentes eorum calamitates dubitare poſſent de hoc promiſſo, niſi ejus fides manifeſto Dei pacto & ingenti aliquo portento eſſet præmunita. D. Thom. 2. 2. q. 97. art. 7. ad 3. dicit Abraham his verbis, unde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſum eam, ſc. terram promiſſam, petiviſſe ſignum ex inſtinctu divino, ideoq́; non peccaſſe, & ibidem dicit dupliciter aliquem à Deo ſignum petere,* Uno modo ad explorandam divinam poteſtatem & veritatem dicti ejus. *& hoc de ſe pertinet ad Dei tentationem.* Alio modo ad hoc quod inſtruatur quid ſit circa aliquod factum placitum Deo, *& hoc nullo modo pertinet ad Dei tentationem, & hoc ſecundo modo intelligendum eſt Abraham petiviſſe ſignum. Id D. Auguſt. oſtendit teſtimonio Beatiſſimæ Virg. quæ cum certò crederet ſe juxta verbum Angeli parituram, modum inquirebat, quo & utitur D. Ambroſ. lib. 2. de Abraham Patriarcha cap. 8.*

ε Per arietem eadem plebs regnatura.] *Eſt enim aries dux gregis, & Daniel. 8. per*

per arietem ſignificatur rex Perſarum, ut per hircum caprarum rex Græcorum.

ζ Aves autem non diviſit, quoniam carnales inter ſe dividuntur, ſpirituales nullo modo.] *Eadem habet ſerm. 54. de tempore*, Illa tria animalia *(inquit)* diviſiſſe in duas partes dicitur Abraham, & contra ſe invicem poſuiſſe. Aves *(inquit)* ſcriptura non diviſit, quare hoc fratres? Quia in Eccleſia carnales dividuntur, ſpirituales omnino non dividuntur: quare ſpirituales non dividuntur? Quia eſt illis cor unum, & anima una in Deum. Eſt enim illis velle ac nolle: illis enim avibus ſimiles ſunt, turturi vel columbæ; in turture caſtitas, in columba ſimplicitas deſignatur. Omnes enim in Eccleſia Catholica Deum timentes, & caſti ſimplicesque eſſe deſignantur, & cum Pſalmiſta dicere poſſunt, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam: & iterum. Turtur invenit ſibi nidum, ubi reponat pullos ſuos. *Eadem fere Ambroſ. lib. 2. de Abraham c. 8. Proſper Auguſtinus de promiſſ. & prædict. Dei p. 3. 1. c. 12. Iſidorus comment. in Gen. c. 21.* Animalia etiam illa quadrupedia *(ait Toſtat.)* deſignant vitam activam, quæ in plura neceſſario dividitur, vita verò contemplativa, quæ per aves deſignatur, non dividitur, quia in ſe collecta in Deum tota mente conſurgit.

η Aves autem deſcendentes ſuper corpora.] *Quia per animalia illa in ſacrificio Abrahæ ſignificabantur illius poſteri, ideò per aves devolantes ad fœdandas vel comedendas carnes animalium etiam authore Joſepho ſignificatur, Ægyptios malos vicinos fore ſuæ poſteritati, qui eam conarentur deprimere ac funditus perdere. Verùm obſiſtente ac prohibente Deo propter fœdus cum Abram percuſſum, omnes Ægyptiorum artes & conatus irritos fore. Theodoretus quæſt. 63. in Geneſ.* Aves illæ, quæ ſupra portiones diviſas volitabant, quas quidem patriarcha à ſacrificiis abigebat, ſententiam Ægyptiorum ſignificabant, qua omnes cædere decreverant. Quam tamen irritam Dominus Deus reddidit, volens ea firma, rataque eſſe, quæ Abrahæ promiſerat. Sicut enim in figura aves illas prædatrices expellebat Abram, ſic Abrahæ honor repreſſit Ægyptios.

θ Circa ſolis occaſum, quod pavor irruit in Abraham.] *Septuaginta verterunt ἔκστασις, Symmacho κάρος*, altiſſimus ſopor. *S. Ambroſius lib. 2. de Abraham patriarch. c. 9.* Tunc itaque divino numine correptus fuit Abram, propheta fuit, illuſtrata mens fuit illius cognitione futurorum. Hæc enim omnia in viſione facta, & quid ſibi vellet illa viſio Dei revelante intellexit. Nec enim ad prophetiam ſufficit viſio imaginaria, verùm etiam requiritur, ut quis intelligat quid ſibi velit illa viſio, & ad quid ſignificandum ordinetur.

ι Affligent eos quadringentis annis.] *Jam alibi à nobis demonſtratum eſt Hebræos in Ægypto manſiſſe tantùm 215. annis. Nam ut conſtat ex Apoſtolo ad Gal. 3. à promiſſione facta Abrahæ, anno ætatis illius 75. usque ad legem datam in monte Sinai tertio menſe ab exitu filiorum Iſraël ex Ægypto fluxère 430. anni, verùm ab eadem promiſſione Abrahæ facta ad ingreſſum filiorum in Ægyptum fluxère anni 215. inde ergo ad eorum exitum remanent alii anni 215. & ita ſensère Joſephus, Euſebius, Hieronymus, Auguſt. Beda, Rupertus, eſtq; communis ſententia. Unus Genebrardus no-*

ſtra ætate vir doctiſſimus, & de republ. Chriſtiana quàm optimè meritus arbitratus eſt, Hebræos manſiſſe in Ægypto 400. annis, aut etiam 430. cujus ſententiam non eſt neceſſe refellamus hoc loco, ne actum agere videamur, nam hæc fecère alii, & inter cæteros Livisius Legionenſis noſter in c. 3. epiſt. ad Galat. Perer. in c. 15. Geneſ. diſput. 6. Innitebatur textu Exod. 12. habitatio filiorum Iſraël, quæ manſerunt in Ægypto, fuit 400. annorum & 30. verùm Euſebius, Auguſtinus & Beda interpretati ſunt illum locum de habitatione Hebræorum tam in Ægypto, quàm in terra Chanaam poſt adventum ſcil. Abrahæ in eam regionem ex Meſopotamia; & hanc expoſitionem confirmat translatio LXX. qui ita locum illum verterunt. Habitatio filiorum Iſraël, qua ipſi & Patres eorum habitaverunt in Ægypto, & in terra Chanaam fuit 430. annorum, *quam lectionem ſequitur Euſebius in Chronico. Quadringenti autem iſti anni, quibus dicit affligendum ſemen Abrahæ, à nato Iſaac, ut etiam hic interpretatur, accipiendi ſunt. Loquitur enim ibi expreſſe ſcriptura non de Abrahamo, ſed de ſemine ejus, non de Iſmaël, qui non ſubiit Ægyptiacam ſervitutem, ſed de Iſaac, neque de ſervitute dumtaxat, ſed & de peregrinatione, ut velit ſcriptura, quod ex quo peregrinari cœperit promiſſionis illud ſemen, conſumentur circiter 400. anni, donec a ſervitute liberetur Ægyptiaca, atqui per peregrinationem & vita ipſa intelligitur Gen 47. & ſi exactè ſupputemus, quinque annos amplius 400. comperiemus. Verùm ſcriptura contenta ſolida annorum ſumma, ſolet ita nuncupare tempora, ut quod de ſumma perfectioris numeri paululum excreſcit, aut infra eſt, non computetur, ut notat D. Auguſt. q. 47. in Exod. & quidem totos 400. annos ſemen Abrahæ peregrinatum eſt in terra non ſua, ut per terram non ſuam, non ſolum terra Ægypti, ſed etiam terra Chanaam intelligenda ſit, quia licet in ea nati ſint Iſaac & Jacob, & ejus incolæ, nihilominus non erant illius poſſeſſores & domini, aliis gentibus eam poſſeſſione & dominatione obtinentibus. D. Auguſt. quæſt. 47. in Exod. ita explicat hunc locum, ut cùm duæ res his verbis denuntientur, & peregrinatio Hebræorum in terra non ſua, & ſervitus atque afflictio, Quadringenti anni illi referendi ſint ad peregrinationem, non ad ſervitutem, nam peregrinatio duravit totos 400. annos & paulò ampliùs, ſervitus verò minimè, licet ſervitus etiam intra annos illos contigerit, immò peregrinationis illius Abrahæ præſignificatæ & ſervitutis idem fuerit terminus. Verba D. Auguſtini hæc ſunt;* non itaque quod ait, in ſervitutem redigent eos, & nocebunt illis, ad quadringentos annos referendum tanquam per tot annos eos habuerint in ſervitute; ſed referendi ſunt quadringenti anni ad id quod dictum eſt, peregrinum erit ſemen tuum in terra non propria, quia ſive in terra Chanaam, ſive in terra Ægypto peregrinum erat illud ſemen, antequam hæreditatem ſumerent terram ex promiſſione Dei, quod factum eſt, poſteaquam ex Ægypto liberati ſunt; ut hyperbaton hic intelligatur, & ordo verborum ſit, ſciendo ſcias, quod peregrinum erit ſemen tuum in terra non propria quadringentis annis: illud autem interpoſitum intelligatur, & in ſervitutem redigent eos, & nocebunt illis; ita, ut ad quadringentos annos iſta interpoſitio non pertineat. In extrema enim parte annorum ſummæ hujus, id eſt, poſt mortem Joſeph factum eſt, ut in Ægypto populus Dei duram perageret ſervitutem. *Hic verò alia ratione exponit, ut*

400. quidem anni etiam ad ſervitutem referantur, non quod tranſigendi ſint omnes in illa ſervitute, ſed quia in ea ſervitute complendi ſunt & finiendi eo modo, quo Gen. 11. legitur dies Thare in Charra fuiſſe 200. & 5. annos, non quod omnes anni ibi acti ſint, ſed quia completi ſint.

κ Flamma facta eſt, & ecce fornax fumibunda, & lampades ignis, quæ tranſierunt per media diviſa illa.] *Fornax illa fumibunda ſignificabat duriſſimam ſervitutem Hebræorum in Ægypto, ſolet enim ſcriptura eam appellare fornacem ferream: ſignificabat item graviſſimum eorum laborem in coquendis lateribus: lampas tranſiens inter illas diviſiones repræſentabat, vel Deum fœdus cum Abraham pangentem, vel præſentiam Dei ferentis opem & liberationem Hebræis afflictis, cùm ſæpè Deus præſentiam ſuam per ignem ſignificaverit, ut in rubo, in monte Sina, in columna.*

λ Nominat in ea undecim Gentes.] *Sequitur Græcos codices, qui habent* undecim gentes. *Hebræi verò & Latini codices habent tantùm,* decem gentes. *Nam Heveos Græci codices nominant, quos omittunt Hebræi & Latini. Quæret aliquis qua ratione memorentur hic decem vel undecim populi habitatores terræ promiſſionis cùm alibi tantùm nominentur ſex, ut Exod. 3. & 33 vel ſeptem, ut Deuter. 7. Joſue 3 & Act. 13. Reſpondet Perer. in cap. 15. Gen. verſ. 20.* Veriſimile eſt, fuiſſe iſtas decem gentes tempore illo Abrahæ in terra Chanaam, poſtea verò in pauciores evaſiſſe, aliis vel extinctis, vel ſub aliarum poteſtatem & dominium redactis. *Poteſt etiam dici habitaſſe quidem decem gentes in terra Chanaam, aliquando tamen tantùm numerari ſeptem, quod hæ aut numero, aut robore, aut ditione & potentia præſtarent, cæterarumq; eſſent principes. D. Auguſt. q. 21. in Joſue movet hanc difficultatem, quod aſſiduè in ſcriptura ſeptem Gentes memorentur, quarum terram Deus Iſraëlitis promiſerit, ut Exod. 33. Deut. 7 & 20. at in Geneſi non tantùm ſeptem Gentes, ſed undecim promittuntur ſemini Abrahæ, ita enim legit quemadmodum & hic. Reſpondet diſtinguendo duplicem terram promiſſam Hebræis, unam, quam ex Ægypto reverſi tenuerunt, deletis ejus habitatoribus, & in hac habitabant ſeptem illæ gentes: aliam verò terram, quam Geneſ. 15. promiſit Deus ſemini Abrahæ à fluvio Ægypti usque ad Euphratem, quam Hebræi nunquam tenuerunt niſi regnante Salomone, de quo ita legitur,* Et erat dominans in omnibus regibus à flumine uſque ad terram Philiſtim, & uſque ad fines Ægypti. Ecce, *inquit,* ubi impletum eſt, quod in Geneſi Deus ad Abraham loquens promittensque prædixerat. *& ibidem paucis interpoſitis;* Sic fuerat conſtitutum filiis Iſraël, ut ſeptem gentium terras exterminatis & perditis illis Gentibus ipſi inhabitarent, aliis autem regnarent ſubditis atque tributariis usque ad flumen Euphratem. Et quamvis in hoc Deo non obtemperaſſent, quia & ex illis, quas exterminare deberent, obedientes aliquos fecerant, Deus tamen temporibus Salomonis fidem ſuæ promiſſionis implevit. *D. Hieron. epiſt. 129. ad Dardan. ſcribit etiam plures fuiſſe terras promiſſas quam traditas Hebræis, loquens de terra promiſſionis, de qua numer. 34. quæ longè lateq; protenditur.* Ego, *inquit,* fatebor hæc tibi repromiſſa, nec tradita, ſi obſervaſſes mandata Dei, & in præceptis illius ambulaſſes, ſi non pro omnipotente Deo co-

 luiſſes

luiſſes Beelphegor, & Baal, & Beelzebuth, & Chamos, quos quia Deo prætuliſti, omnia, quæ tibi promiſſa fuerant, perdidiſti.

μ Sed à parvo, quod dividit inter Ægyptum.] *Quod idem ſcribit q. 21. in Joſue.* Flumen, *inquit,* Ægypti, qui finis eſt diſterminans regnum Iſraël ab Ægypto, non eſt Nilus, ſed alius & non magnus fluvius, qui fluit per Rhinocoruram civitatem, unde jam ad orientem verſus incipit terra promiſſionis.

ν Rhinocorura.] *Rhinocorura meminit Strabo li. 16. in Syria, & ab his dictam ſcribit,* Qui nares truncati eò tranſlati fuêre. *Nam Æthiopum quidam Rex Ægyptum invadens non nece, ſed naſi mutilatione malefica coërcens, eos ibi collocavit, ut propter oris deformitatem redire domum non auderent: quod idem ſcribit Diodor. l. 2. Stephanus de urbibus:* Ῥινοκόρουρα πόλις Αἰγύπτου ἀπὸ τῶν εἰσῳκισμένων ἐκεῖ τὸ παλαιὸν αἰθιόπων τὰς ῥῖνας ἠκρωτηριασμένων οὕτω καλουμένη.

Cap. XXV.

De Agar ancilla Saræ, quam eadem Sara Abrahæ voluit eſſe concubinam.

Gen. 16. JAm hinc tempora conſequuntur filiorum Abrahæ unius de Agar ancilla, alterius de Sara libera, de quibus in libro ſuperiore jam diximus. Quod autem attinet ad rem geſtam, α nullo modo eſt inurendum de hac concubina crimen Abrahæ. β Uſus eſt ea, quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, nec inſultans, ſed potius obediens conjugi, quæ ſuæ ſterilitati credidit eſſe ſolatium, ſi fœcundum ancillæ uterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret ſuum, & eo jure, quo dicit Apoſtolus: *Similiter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier,* uteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex ſeipſa. Nulla eſt hic cupido laſciviæ, nulla nequitiæ turpitudo. Ab uxore cauſa prolis ancilla marito traditur, à marito cauſa prolis accipitur, ab utroque non culpæ luxus, ſed naturæ fructus exquiritur. Denique cum ancilla gravida dominæ ſterili ſuperbiret, & hoc Sara ſuſpicione muliebri viro potius imputaret, etiam ibi demonſtravit Abraham non ſe amatorem ſervum, ſed liberum fuiſſe genitorem, & in Agar Saræ conjugi pudicitiam cuſtodiſſe, nec voluptatem ſuam, ſed voluntatem illius impleviſſe, accepiſſe, nec petiiſſe: acceſſiſſe, non hæſiſſe: ſeminaſſe, non amaſſe. Ait enim: Ecce Ancilla tua in manibus tuis, utere ea, quomodo tibi placuerit. O virum viriliter utentem fœminis, conjuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter.

1. Cor. 7.

F.L.Coq. NUllo modo eſt inurendum de hac concubina crimen Abrahæ.] *Fauſtus ille Manichæus, ut teſtatur D. Auguſt. lib. 22. contra eundem cap. 30. ſanctiſſimo Patri Abrahamo crimen inurebat, & quod habendæ prolis inſana flagrans cupiditate, & Deo, qui id jam ſibi de Sara conjuge promiſerat, minimè credens cum pellice volutatus ſit. Refert etiam Feuardentius in appendice ad libros Alphonſi à Caſtro contra hæreſes lib. 1. verbo Abraham, quoſdam hæreticos modernos, qui non modo novas hæreſes excogitarunt, ſed etiam antiquas ab orco revocaverunt, non minus impios fuiſſe in ſanctiſſimum Patriarcham Abrahamum, ut cui crimen adulterii impingat. Ve-*

rum quomodo pii fuerint in ſanctos, qui nec ipſi Chriſto pepercere? Si patremfamilias Beelzebut vocarunt, quanto magis domeſticos ejus.

β Uſus eſt quippe ea ad generandam prolem, non ad explendam libidinem.] *Patres multas rationes attulere, quibus concubitum illum Abrahæ cum Agar excuſarunt, atque primum ſunt examinandæ rationes D. Auguſt. quas tres adfert. Prima eſt,* Quod id non fecerit ardore libidinis, ſed amore prolis, *atque hæc ratio eſt D. Auguſtin. hoc cap. & contra Fauſt. loco citato. Secunda,* quod id non fecit Abraham proprio conſilio & voluntate ultrò appetens tale conjugium, ſed uxoris Saræ non modo conſenſu, verùm inſuper ſuaſu atque impulſu. *Tertia,* quia Sara uxor Abrahæ ſecundùm poteſtatem, quam habebat in corpus viri, *(ut enim ſcribit D. Paul. 1. Cor. 7.* Vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, neque mulier habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir,) dedit Abrahæ facultatem incundi aliam fœminam prolis ſuſcipiendæ gratia. *Verùm hæ rationes videntur parùm validæ. Prima enim facile impugnari poteſt, quod ex vulgato illo axiomate D. Pauli Rom. 3.* Non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona. *Nec ſatis eſt, bonum eſſe finem agentis, verum & illud quod agitur, bonum & honeſtum eſſe neceſſe eſt, nam bonum eſt ex integra cauſa, & malum ex ſingulis defectibus. & ad hoc, quod ſit actio honeſta, requiritur non modo bonus finis & reliqua circumſtantia, verùm etiam quod ſit circa debitam materiam: nec ſecunda ratio firma ſatis videtur, nam ſi illud per ſe bonum & licitum non erat, non debuit Abraham aſſentiri uxori, nec ad id ullis ejus conſiliis aut ſuaſionibus adduci. Nec enim ſuaſiones & conſilia uxoris excuſant virum à peccato, ſi quid ſuapte natura illicitum committat, ut nec Adamus à peccato excuſatur, quod fructum ſibi à Deo vetitum pellectus blanditiis uxoris comederit. Tertia ratio videtur etiam invalida, non poteſt enim uxor jus illud, quod habet in corpus viri, transferre in alteram mulierem, ut congreſſum viri ſui cum alia muliere aſſenſu ſuo poſſit facere licitum, ut nec vir poteſt transferre in alterum virum illud jus, quod habet in uxorem. Verùm reſpondetur, facile eas rationes uſurpatas eſſe à D. Auguſt. non quod vellet ob eas licitum & legitimum eſſe conjugium Abrahæ & Agar, ſed quod refelleret impuros Manichæos, qui crimen inſanæ libidinis impingebant ſanctiſſimo Patriarchæ, & non niſi inſano ardore libidinis volebant eum cum ancilla conjunctum eſſe: ſciebat enim D. Auguſt. legitimum fuiſſe connubium inter Abrahamum & Agar, & cum ea tanquam ſua rem habuiſſe, ut poſtea docebitur. D. Ambroſ. lib. 1. de Abraham cap. 4. congreſſum illum Abrahæ cum Agar triplici ratione à calumnia & reprehenſione vindicavit. Primò enim etſi illud fuerit adulterium, minimè tamen illud culpandum putat, quod nondum eſſet lege prohibitum.* Sed fortaſſe dicet aliquis, *inquit,* quomodo Abraham nobis proponit imitandum, cùm de ancilla ſuſceperit filium? aut quid ſibi hoc vult eſſe, ut tantus vir huic errori fuerit obnoxius? ſed conſideremus primum, quod Abraham ante legem Moyſi & ante Evangelium fuit, cùm nondum interdictum adulterium videretur, pœna criminis ex tempore legis eſt, quæ crimen inhibuit, nec ante legem ulla rei damnatio eſt. Non ergo in legem commiſit Abraham, ſed prævenit. Deus in paradiſo licet conjugium laudaverit, non adulterium damnavit. *Verùm Ambroſ.*

his

bis verbis,ut obſervat Sixtus Senenſis lib.5. biblioth. ſanct. annot.94. duo præter communem Theologorum ſententiam videtur innuere, primùm quod congreſſus ille fuerit adulterium, ſecundò quòd adulterium temporibꝰ Abrahæ non fuerit illicitum, quòd lex nondum illud interdixerat atque damnarat. Verùm & ſi nulla lege ſcripta vel divina poſitiva vel humana prohibitum eſſet, erat tamen per ſe illicitum & prohibitum lege divina naturali. Alteram ergo rationem adfert, qua & cæteri patres utuntur, quod non fecerit intemperantia libidinis, nec indulgendo voluptati, ſed conſulendo poſteritati & prolem habere cupiendo, quò divinis promiſſis nequaquam fruſtraretur. *Addit etiam ejus conjugii authorem non fuiſſe Abraham, ſed Saram, cujus obſecundando voluntati & conſiliis parendo congreſſus eſt cum ancilla. Addit & tertiam,* quod illud conjugium fuerit in myſterium veteris teſtamenti, *ut etiam explicatum eſt à D. Paul. ad Galat. 4. verùm ratio myſterii vel figura myſtica non facit rem quampiam eſſe bonam vel malam. Ut enim docet D. Greg. lib. 3. mor. c. 16.* plerumque res quælibet per hiſtoriam virtus eſt, per ſignificationem culpa, & aliquando res geſta in facto cauſa damnationis eſt, in ſcripto autem prophetia virtutis, *quod idem docet D. Aug. lib. 3. de doct. Chriſt. c. 23.* in peccatis magnorum virorum aliquando rerum futurarum figuram animadverti & indagari poſſe. *Nihilominus ex myſterio probabiliter poſſumus argumentari. Apoſtolus enim docet, Agar cum filio Iſmaele typum fuiſſe ſynagogæ & prioris teſtamenti, ſicut Sara cum filio Iſaac fuit typus Eccleſiæ, & poſterioris teſtamenti; ſynagoga porrò verè & legitimè Deo quaſi ſponſo juncta fuit. Non fuit ergo Agar per adulterium juncta Patriarchæ, & eo quidem argumento uſus eſt D. Auguſt. lib. 2. contra adverſar. leg. & Prophetarum cap. 9. Dicimus ergo, Agar Abrahæ fuiſſe legitimam uxorem, non concubinam. Oſtendi poteſt primò ex ſcriptura Gen. 16.* Tulit Sara Agar Ægyptiam ancillam ſuam poſt annos decem quàm habitare cœperant in terra Chanaam, & dedit ea viro ſuo uxorem, *vocatur uxor, non ergò pellex, non ſcortum, non fornicaria, non adultera, ſed legitima conjux Patriarchæ. Nec obſtat, quod aliquando dicatur concubina, ut Geneſ. 25. Id enim tantum ſignificat non fuiſſe principalem uxorem, nec eodem loco habitam quo Sara. Mos enim erat tùm apud Hebræos, tùm etiam apud alias gentes, ut ſcribit Agel. lib. 18. cap. 6 ut ſi quis plures haberet uxores, una tamen earum primaria ac principalis eſſet, quæ materfamilias ſola diceretur, ſociaque viri eſſet in gubernatione familiæ, & illius unius liberi bonorum viri heredes cenſebantur, & ea non niſi cum dote & ſtatis ritibus ducebatur. Alia verò ex conditione ſervili ſine dote, ſine ſolenni pompa, tabulisque obſignatis in uxores ſubducebantur, & admittebantur tantùm ad concubitum generandæ prolis gratia, non verò ad æqualem cum viro ſocietatem, ideò ad differentiam primariæ uxoris & matrisfamilias ferè concubinæ dicebantur. Ita ſumitur nomen concubinæ Geneſ. 25. cum ſcribit Moſes Abraham filio ſuo Iſaac dediſſe cuncta, quæ poſſederat, filiis autem concubinarum largitum eſſe munera; & hoc modo exponit Gratianus diſt. 34. can. Is qui canonem ultimum concilii. i. e. Toletani, ubi dicuntur,* admitti poſſe ad communionem ii, qui una muliere contenti ſunt, ſive ea ſit uxor, ſive concubina. *Dicit enim concubinam vocari eam, quæ verè eſſet uxor, ſed privatim ducta ſine*

legalibus

legalibus inſtrumentis, deinde omnes patres & Theologi polygamiam fuiſſe tum diſpenſatione quadam divina licitam docent. D. Auguſt. lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 12. ſufficiendæ, *inquit*, prolis cauſa, erat uxorum plurium ſimul uni viro habendarum inculpabilis conſuetudo, *& infra ca. 83. & tract. 11. in Joan.* & id quidem licebat ad multiplicandos fideles, *& lib. de bono conjugali cap. 15.* uxoris, *inquit*, voluntate adhibere aliam, unde communes filii naſcantur, unius commixtione ac ſemine, alterius autem jure ac poteſtate, apud antiquos Patres fas erat, utrùm & nunc fas ſit, non temere dixerim. Non eſt enim nunc propagandi neceſſitas, quæ tunc fuit, quando & parientibus conjugibus alias propter copioſiorem poſteritatem ſuperducere licebat, quod nunc certè non licet. Nam tantum adfert opportunitatis ad aliquid juſtè agendum ſive non agendum temporum ſecreta diſtinctio, ut nunc meliùs faciat, qui nec unam duxerit, niſi ſe continere non poſſit. Tunc autem etiam plures inculpabiliter ducebant, & qui ſe multo faciliùs continere poſſent, niſi aliud pietas illo tempore poſtularet. *Ita D. Hieronym. Epiſt. ad Gerontiam polygamiam pro varietate temporum, & ad myſteria ſynagogæ & Eccleſiæ præfigurmnda patribus conceſſam fatetur. Theodor. qu. 66. in Geneſ. aſſerit, ideò Abraham non peccaſſe, quòd neque lex ulla tùm ſcripta plures ducere uxores prohiberet. Chryſoſt. hom. 56. in Geneſ. ſcribit, tunc permiſſum fuiſſe patribus cum duabus, vel tribus vel pluribus uxoribus miſceri, ut humanum genus propagaretur, & hom. 56. in Matthæ.* non eſt judicandum, *inquit*, de patribus pro noſtra ratione. Tunc enim licebat polygamum eſſe, modo non licet. *Clemens Alexandr. lib. 2. & 3. ϛρωμα. ait, primis illis temporibus Deum exegiſſe polygamiam, eam tamen nunc non eſſe licitam. Juſtin. Martyr in Dial. cum Tryph. ſcribit, ideò licuiſſe Patribus illis plures habere ſimul uxores, ut futura Chriſti myſteria delinearent. Tertul. lib. de exhort. ad caſtit. cap. 6. qua ratione licitum fuerit patriarchis cum pluribus uxoribus inire connubia ſcribit, ſc.* in typos aliquorum futurorum ſacramentorum, quæ nuptiæ illæ figurabant, & ob præceptum illud, creſcite & multiplicamini. Deinde unius & ejuſdem Dei, *inquit*, utraque pronuntiatio & diſpoſitio eſt, qui tunc quidem in primordio ſementem generis emiſit indultis conjugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec novæ diſciplinæ materia proficeret: nunc verò cum extremitatibus temporum compreſſit quod emiſerat, & revocavit quod indulſerat, non ſine ratione propagationis in primordio, & repaſtinationis in ultimo, ſemper initia laxantur, fines contrahuntur. Propterea ſylvam quis inſtituit & creſcere ſinit, ut tempore ſuo cædat ſylvam. *Innocent. 3. in cap. Gaudemus extr. de divort. & 3. D. Thom. 3. par. qu. 65. art. 3. & diſtin. 33. docent, Patribus tunc id licuiſſe per internam Dei inſpirationem Patriarchis factam, quæ vim habuit cujusdam diſpenſationis. Nihilominus Toſtatus in cap. 19. Matth. q. 34. dicit, nulla tùm fuiſſe opus diſpenſatione, quia nulla erat lex, quæ id prohiberet, neque apertè repugnabat juri naturali, quod etiam docet Durand. in 4. diſt. 33. Utut ſit, non eſt quod multum laboremus in excuſando Abrahamo à crimine, cum fuerit legitimum conjugium inter eum & Agar: nec certè vir ſanctiſſimus Abraham ſi id alias illicitum fuiſſet, tanto facinori unquam conſenſiſſet; nec Sara fœmina ſanctiſſima ad*

id maritum induxiſſet, & uterque ſatis intelligebat, adulterium eſſe lege naturæ illicitum & à Deo reprobatum.

Cap. XXVI.

De teſtificatione ad Abraham, qua eidem ſeni de ſterili Sara filium ſpopondit, patremq́; eum gentium ſtatuit, & promiſſi fides ſacramento circumciſionis obſignatur.

POſt hæc eſt natus Iſmaël ex Agar, in quo putari poſſet impletum, quod ei promiſſum fuerat, cùm ſibi vernaculum ſuum adoptare voluiſſet, dicente Deo: *Non erit hæres tuus hic, ſed qui exiet de te, ille erit hæres tuus.* α Hoc ergo promiſſum, ne in ancillæ filio putaret impletum, jam cùm eſſet annorum nonaginta & novem, apparuit ei Deus, & dixit illi: *Ego ſum Deus, β place in conſpectu meo, & eſto ſine querela, & ponam teſtamentum meum inter me & inter te, & implebo te valdè. Et procidit Abraham in faciem ſuam, & locutus eſt illi Deus, dicens: Et ecce ego, teſtamentum meum tecum: & eris γ pater multitudinis gentium: & non appellabitur adhuc nomen tuum Abram, ſed erit nomen tuum Abraham: quia patrem multarum gentium poſui te: & augebo te valde, & ponam te in gentes, & reges ex te exibunt: & ſtatuam teſtamentum meum inter me & te: & inter ſemen tuum poſt te in generationes eorum in teſtamentum æternum: δ ut ſim tibi Deus, & ſemini tuo poſt te. Et dabo tibi & ſemini tuo poſt te terram, in qua incola es, omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam, & ero illi Deus. Et dixit Deus ad Abraham: Tu autem teſtamentum meum conſervabis: & ſemen tuum poſt te in generationes ſuas. Et hoc eſt teſtamentum meum, quod conſervabis inter me & vos, & inter ſemen tuum poſt te in generationes ſuas. ε Circumcidetur omne veſtrum maſculinum: & circidemini in carne præputii veſtri: ζ & erit in ſignum teſtamenti inter me & vos. Et puer octo dierum circumcidetur vobis, veſtrum omne maſculinum in progenies veſtras. Vernaculus & emptitius ab omni filio alienigena, qui non eſt de ſemine tuo, circumciſione circumcidetur: vernaculus domus tuæ, & emptitius. η Et erit teſtamentum æternum. Et qui non fuerit circumciſus, maſculus, qui non circumcidetur carne præputii ſui octavo die, interibit anima illa de genere ejus, quia teſtamentum meum diſſipavit. Et dixit ad Abraham: Sarai uxor tua non appellabitur nomen ejus ultrà Sarai, ſed Sara erit nomen ejus. Benedicam autem illam, & dabo tibi ex ea filium, & benedicam illum: & erit in nationes, & reges gentium ex eo erunt. Et procidit Abraham ſuper faciem ſuam, & riſit. Et dixit in animo ſuo, dicens: Si mihi centum annos habenti naſcetur filius, & ſi Sara annorum nonaginta pariet? Dixit autem Abraham ad Deum: Hiſmaël hic vivat in conſpectu tuo. Dixit autem Deus ad Abraham: Ita, ecce Sara uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Iſaac, & ſtatuam teſtamentum meum ad illum in teſtamentum æternum, a & ero illi Deus, & ſemini ejus poſt illum. De Hiſmaël autem ecce audivi te. Ecce benedixi eum, & amplificabo, & multiplicabo illum valdè. θ Duodecim gentes generabit: & dabo illum in gentem magnam. Teſtamentum autem meum ſtatuam ad Iſaac, quem pariet tibi Sara in tempore hoc ad annum ſequentem.* ι Hic apertiora promiſſa ſunt de

vocatione gentium in Iſaac, id eſt, in filio promiſſionis, quo ſignificatur gratia, non natura: quia de ſene & anu ſterili promittitur filius, quamvis enim & naturalem procreationis excurſum Deus operetur, ubi tamen evidens opus Dei eſt, vitiata & ceſſante natura, ibi evidentius intelligitur gratia. Et quia hoc non per generationem, ſed per regenerationem futurum erat, ideò nunc imperata eſt circumciſio, quando de Sara promiſſus eſt filius: & quòd omnes, non ſolùm filios, verùm etiam ſervos vernaculos & emptitios circumcidi jubet, ad omnes iſtam gratiam pertinere teſtatur. κ Quid enim aliud circumciſio ſignificat, quàm vetuſtate exuta naturam renovatam? Et quid aliud λ quàm Chriſtum octavus dies, qui hebdomada completa, hoc eſt, poſt ſabbatum reſurrexit? *b* μ Parentum mutantur & nomina, omnia reſonant novitatem, & in teſtamento veteri obumbratur novum. Quid eſt enim, quod dicitur ν teſtamentum vetus, niſi occultatio novi? Et quid eſt aliud, quod dicitur novum, niſi veteris revelatio. ξ Riſus Abrahæ, exultatio eſt gratulantis non irriſio diffidentis. Verba quoque ejus illa in animo ſuo? Si mihi centum annus habenti naſcetur filius, & ſi Sara annorum nonaginta pariet: non ſunt dubitantis, ſed admirantis. Si quem verò movet, quod dictum eſt: Et dabo tibi & ſemini tuo poſt te terram, in qua tu incola es, omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam, quomodo accipiatur impletum, ſive adhuc expectetur implendum: cùm poſſeſſio quæcunque terrena æterna cuilibet genti eſſe non poſſit: ſciat æternum à noſtris interpretari, quod Græci appellant *αἰώνιον*. quod à ſeculo derivatum eſt: *c* *αἰὼν* quippe Græcè ſeculum nuncupatur. Sed non ſunt auſi Latini hoc dicere ſeculare, ne longè in aliud mitterent ſenſum. Secularia quippe dicuntur multa, quæ in hoc ſeculo ſic aguntur, ut brevi etiam tempore tranſeant. *αἰώνιον* autem quod dicitur, aut non habet finem, aut uſque in hujus ſeculi tenditur finem.

a ET ero illi Deus.] *Alibi eſſe illi Deus LXX. εἶναι αὐτῷ θεὸς, proprietas Græca, Latinis dura imitatu.* L. Vivs.

b Parentum mutantur & nomina.] *Dies eſt luſtricus, ut etiam apud gentiles octavus, nomenq; indebatur puero, quo à patre diſtingueretur.*

c αἰών.] *Seculum, & ætas ævum, & æternitas. Sic Cicero & magni autores de Græco vertunt.*

α HOc ergo promiſſum ne in ancillæ filio putaret impletum.] *Malè itaque Fauſt. Manich. apud D. Auguſt. lib. 22. contra eundem, Abrahamum infidelitatis arguebat, quòd Deo, qui ſibi jam ſemen de Sara conjuge promiſerat, minimè credens, de Agar ſuſpicere voluerit. Quo enim tempore uxorem duxit Agar, nondum evidenter ei declaratum fuerat, an ſemen ipſi promiſſum à Deo ex Sara ſuſcipiendum eſſet, an verò ex alia muliere, aliquot enim annis poſt ſuſceptum Iſmael ex Agar, promiſſio facta eſt de Iſaac ex Sara, idq; evidentiſſimè conſtat ex ſcriptura.* Legant (*ait D. Aug.*) qui volunt, & invenient Fauſtum aut falli imprudenter, aut fallere impudenter. F. L. Coq.

β Place in conſpectu meo, & eſto ſine querela.] *Ita Græcè legitur, εὐαρέστει ἐνώπιον ἐμοῦ, καὶ γίνου ἄμεμπτος.* Place in conſpectu meo & eſto inculpabilis.

Hebraic. legitur התהלך לפני והיה תמים. *juxta quam lectionem vulgata editio tranſtulit,* ambula coram me, & eſto perfectus. *Illud ambulare cum Deo ſive coram Deo, 70. interpretati ſunt* placere Deo, *ut hic & ſupra cap. 5. & 6. ubi idem ſcriptum eſt de Enoch & Noe.* Illuſtrarunt *(ait Eugubinus)* quod erat involutum, neque enim aliud eſt coram Deo ambulare, quàm pro viribus ſe ei gratum atque amicum oſtendere.

γ Patrem multarum gentium poſui te.] אב המון גוים נתתיך, pater multitudinis gentium. 70. ἔσῃ πατὴρ πλήθους ἐθνῶν. *Poteſt intelligi tum ſecundum carnem, tùm ſecundùm ſpiritum. Per carnalem enim generationem multæ gentes ex Abraham duxere originem, ut Hebræi ipſi. Idumæi, Iſmaelitæ, & Madianitæ; atque ita Hebræi promiſſum hoc Abrahæ intelligerent, ut qui ſpiritualia non capiunt. Verùm potiſſimum intelligenda eſt ſecundùm ſpiritum illa promiſſio, ac pertinet ad omnes gentes, quæ per Chriſtum convocandæ erant ad gratiam Evangelii; & hic quidem divinæ promiſſionis illius factæ Abrahamo intellectus magis principalis eſt, & à S. Sancto potiſſimum intentus. Ita enim D. Paulus.* πολὺς τὰ θεῖα καὶ θεοδίδακτος, *interpretatus eſt ad Rom. 4. illam promiſſionem, dicens illis verbis* (patrem multarum gentium poſui te) *Abraham hæredem mundi factum eſſe ſc. propter fideles ex omnibus gentibus ad Deum convertendos.* non per legem *(inquit Apoſtol.)* promiſſio Abrahæ aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei. *Ita interpretatur Proſper Aquitanicus lib. de promiſſ. & prædi. p. 1. cap. 13.* Abraham *(inquit)* ante vocatus, Abraham cum creator dominus nuncupat, cujus nominis proprietas deſignatur. Patrem *(inquit)* multarum gentium poſui te, ut hæc promiſſio non ad ſolam progeniem carnis Abrahæ, ex qua populus Judaicus veniebat, crederetur pertinere, & ut eſſet Abraham, ex Abraham in Chriſto pater multarum gentium per fidem, cum unius tantum gentis fuerit per generationem.

δ Sim tibi Deus & ſemini tuo poſt te.] *Etſi enim creatione ſit omnium Deus, nihilominus adoptione & gratia non niſi qui ſemen ſunt Abrahæ fideles, Dei filii ſunt, & populus quidem Iſrael per Iſaac & Jacob ab Abraham deſcendens electus fuit à Deo in populum peculiarem. Deuter. 7.* te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram; *ubi verò per Chriſtum vocatæ ſunt gentes ad gratiam Evangelii, exclamat Apoſtolus Rom. 3.* An Judæorum Deus tantùm, an non & Gentium? immò & gentium, quandoquidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide & præputium per fidem. *Qui enim vocati ſunt cùm ex Judæis tùm ex Gentibus fideles, hi ſunt ſemen Abrahæ, cujus Deus ſe Deum fore ipſi profitetur. Id verò ſignificat his verbis. i. e.* poſteri tui me colent tanquam unum Deum, & eos ego protegam ſingulari providentiæ meæ beneficio.

ε Circumcidetur omne veſtrum maſculinum.] *Gen. 17. Deus inſtituit circumciſionem, eamq́; Abrahæ & toti familiæ ſuæ, adeoque poſteris ejus, ad quos pertinerent promiſſa, & qui in unum populum congregandi erant, injunxit obſervandam. Quinque verò de circumciſione ibi præcepit, primo, ad unum dumtaxat ſexum pertinere circumciſionem, nempe ad mares;* Circumcidetur ex vobis omne maſculinum.

Secundò

Secundò tùm cujus conditionis homines circumcidendi eſſent, præcipiens non modò Abrahamum ejuſque filios, verùm ſervos quoque tàm vernaculos quàm emptitios debere circumcidi. Omne maſculinum in generationibus veſtris & tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur. *Tertio præſcribit tempus, quo deberet fieri circumciſio præfiniens octavum diem ab ortu ipſius infantis,* Infans octo dierum circumcidetur in vobis. *Quartò partem corporis deſignat, cui adhibenda erat circumciſio,* Circumcidetis carnem præputii veſtri. *Quintò finem indicat & uſum, in quem inſtituta ſit circumciſio,* Ut ſit *(inquit)* ſignum fœderis inter me & vos. *Poſtea verò ſtatuit hanc legem in perpetuum duraturam,* Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum, *& capitalem pœnam conſtituit adverſus hujus legis transgreſſores,* Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo. • *Rationem inſtitutæ circumciſ. hanc declarat Joſeph. lib. 1. antiq. cap. 11.* Quia ſc. nolebat genus Abrahæ cum aliis gentibus permiſceri, ideoque corporali hac nota inſigniri ac diſcerni voluit. *Idem ſentit Chryſoſt. hom. 39. in Gen.* Vide *(inquit)* ſapientiam Dei, cum ſciret pravas Hebræorum mentes futuras, ſignum circumciſionis quaſi frænum quoddam eis impoſuit, ne cum gentibus commiſcerentur. Nam quia ſciebat, tantam fore eorum laſciviam, ut licet infinities moniti, ut ſe ab illicitis continerent, non eſſent tamen obtemperaturi, injecit eis circumciſionis ſignum quaſi vinculum quoddam, deditque eis terminos & regulas, ultra quas eis tranſire non liceret & in nullo cum gentibus commiſcerentur, ſed ſua gente contenti eſſent, & ita Patriarchæ ſemen inconfuſum & incontaminatum maneret, ut ſic in eo Dei promiſſa compleri poſſent. *Idem homil. 40. in Gen.* Nulla alia, *inquit,* ex circumciſione fuit utilitas, quam hæc ſola, quod ex hoc ſigno eſſent cognoſcibiles & ab aliis gentibus ſequeſtrarentur Judæi. *Idem docet Theodoret. q. 67. in Geneſim Irenæus lib. 4. cap. 30. dicit circumciſionem in ſignum datam Abrahæ,* Ut cognoſcibile perſeveret genus Abrahæ. *Etſi verò non negandum ſit, alios fines fuiſſe inſtitutionis ipſius circumciſionis, ut remiſſionem peccati originalis, & ſignificationem ipſius noſtri Baptiſmi, & ſpiritualis circumciſionis à peccatis & gratiæ dandæ per Chriſtum, ut ſignificat Paulus Col. 2. prima tamen & potiſſima ratio fuit ad conſignandum populum Dei, & ſegregandum à cæteris gentibus per ſpecialem ac magis expreſſam profesſionem fidei veri Dei & Meſſiæ venturi. Hæc eadem ratio literalis redditur à D. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 1.* Ratio, *inquit,* circumciſionis principalis fuit ad proteſtationem fidei unius Dei; Et quia Abraham fuit primus, qui ſe ab infidelibus ſeparavit, exiens de domo ſua & de cognatione ſua, ideò ipſe primus circumciſionem accepit. *Et ut hæc proteſtatio & imitatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus Judæorum, acceperunt ſignum in carne ſua, cujus oblivìſci non poſſent. Hinc Hebræos aliæ gentes nomine circumciſorum appellabant, & Judæi alias gentes incircumciſos nominabant, & Paulus in univerſum Judæos & Gentiles nomine circumciſionis & præputii ſignificat.*

ζ Erit in ſignum teſtamenti inter me & vos.] *Hinc conſtat circumciſionem fuiſſe religioſam & ſacram ceremoniam, qua addicebantur cultui divino, aſcribebantur*

in populum Dei, ut ait Paulus Gal. 5. Debitores fiebant univerſæ legis faciendæ. *Immerito ergo Manichæi circumciſionem deteſtabantur ut rem indecentem & à malo principio profecta; Verùm nihil mirum, cùm deteſtandi illi homines ita ſentirent de univerſa lege veteri, quam non à Deo bono, ſed à malo principio profectam aſſerebant, contra quos videri poteſt D. Ambroſ. Epiſt. 77. D. Auguſt. lib. contra Adimant. Manichæum cap. 16. & lib. 6. contra Fauſtum cap. 3.*

η Erit teſtamentum meum in carne veſtra inteſtamento æterno.] והיתה בריתי בבשרכם לברית עולם: Et erit pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum: *Nec tamen ſignificatur uſum circumciſionis perpetuo duraturum, ſiquidem abroganda erat univerſa lex. Nam Hebraica vox* עולם*, quod Latinus interpres vertere ſolet vel* æternum, *vel* ſæculum *non ſemper ſignificat tempus infinitum, & nunquam prorſus terminandum, verum tempus longiſſimum, & cujus nullus præfixus ſit terminus. Quia ergò circumciſio longo tempore duratura erat, nimirùm quamdiu lex, & uſque ad Chriſtum, ideò data dicitur* In fœdus æternum. *Hoc ſenſu etiam de quibusdam ceremoniis ſeu ſacrificiorum ritibus legimus, ut Exod. 28.* Legitimum ſempiternum erit Aaron, & ſemini illius poſt eum, & celebrabitis eum diem ſolennem domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno, *Ubi non æternitatem temporis illis verbis dominus ſignificare voluit, ſed tantùm ſæculum ſuum atque periodum, qua lex Moſi vigere debebat.*

θ Duodecim gentes generabit.] שנים עשר נשיאם יוליד. Duodecim duces generabit. *Septuaginta verterunt* δώδεκα ἔθνη γεννήσει, Duodecim gentes generabit. *& utrumque verum, quia quot filii nati ſunt Iſmaeli, tot etiam nationes ab eo prodiere, cum quilibet excreverit in gentem, ut patet ex Gen. 25. cap. ubi nominatim recenſentur duodecim filii Iſmael, quorum ſinguli fuere principes tribuum ſuarum. Neque enim illi congregati ſunt in unum populum, quemadmodum poſteri Iſaac per Jacob filium.*

ι Apertiora promiſſa ſunt de vocatione gentium in Iſaac.] *Quod explicat D. Paulus Rom. 9. & Galat. 4. quemadmodum enim Abrahamo duo fuere filii, Iſmael ex ancilla Agar per vim ſeminis, & Iſaac ex libera Sara per vim promiſſionis, ita alii quidem per carnem originem ducebant ex Abraham carnales Judæi, alii verò per gratiam æſtimantur in ſemine.* Hoc eſt verbum promiſſionis *(ait Apoſt.)* ſecundùm hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. *Qui enim non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis nati ſunt, hi ſunt filii Abrahæ fideles per repromiſſionem. In nativitate ergo Iſaac promiſſi Abrahæ ſignificata eſt gentium vocatio, ſignificatum Abrahamum non modo carnales, verùm etiam ſpirituales filios habiturum, duplex ſemen Abrahæ futurum, unum quidem carnale, alterum verò ſpirituale, Iſmael typus carnalium, & Iſaac typus filiorum promiſſionis. D. Auguſt. epiſt. 105.* Commendans *(inquit)* Apoſtolus filios permiſſionis hoc primùm ſignificatum oſtendit per Iſaac filium Abrahæ. Evidentius namque opus Dei apparet in eo, quem non genuit uſitatus ordo naturæ de ſterilibus viſceribus & ſenectute confectis, ut in filiis Dei, qui futuri prænuntiabantur, hoc eſſet ſignum divini operis, non humani. In Iſaac, inquit, vocabitur tibi ſemen, hoc eſt, non qui filii

filii carnis, hi filii Dei, ſed filii promiſſionis deputantur in ſemine: promiſſionis enim verbum hoc eſt, ad hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Vide & epiſtolam 200. ubi explicat idem myſterium.

κ Quid aliud circumciſio ſignificat, quam vetuſtate exuta naturam renovatam.] *Simile quid habet lib. 16. contra Fauſtum Manichæ. cap. 29.* Quid ſignificat circumciſio carnis *(inquit)* niſi ſpoliationem mortalitatis, quam de carnali generatione portamus? *& D. Irenæus li. 4. c 30.* Secundùm carnem circumciſio circumciſionem præfigurabat ſpiritualem, præfigurabat & expoliationem carnalium concupiſcentiarum per Chriſtum dandam, *ut idem ait Auguſt. lib. 2. cont. liter. Petiliani cap. 37. Ita Apoſtolus ad Rom. 2. duplicem diſtinguit circumciſionem, alteram quidem in carne, alteram circumciſionem cordis in ſpiritu. Significabat etiam Baptiſmum, quo remittuntur nobis peccata, & regeneramur in filios Dei, & ex filiis Adæ efficimur filii Dei.*

λ Quam Chriſtum octavus dies, qui Hebdomada completa.] *Ratio quidem literalis, cur octavo die circumcideretur infans, videtur fuiſſe, quia ante illum diem propter ætatis teneritudinem non poſſent infantes ſine periculo circumcidi. D. Thom. 1. 2. quæſtio. 102. artic. 5. ad 1. & 3. part. quæſt. 70. art. 3. ad 3. Ratio verò hic affertur à D. Auguſtino,* Quia ſignificabat Chriſtum octavo die reſurrecturum, nempe hebdomada completa poſt Sabbatum. *Quod idem ſcribit lib. 2 de peccat. origin. cap. 31.* Quem profecto inter cætera veterum ſacramenta & ipſa præputii circumciſio prophetavit. Dies enim octavus eſt in hebdomadarum recurſibus dies dominicus, quo reſurrexit dominus. *Adducunt & alii, quod quemadmodum Chriſtus octavo die reſurrexit, ita omnes homines poſt ſeptimam mundi ætatem in octava reſurrecturi ſunt, ergo per octavum illum diem circumciſionis carnalis ſignificabatur dies reſurrectionis, in quo omni vetuſtate exuta natura noſtra perfectè renovabitur & mortalitate prorſus expoliabitur.*

μ Parentum mutantur & nomina.] *Unde Beda in Lucam hunc morem emanaſſe apud Judæos ſcribit, ut die circumciſionis nomen imponeretur infanti.* Ab Abrahamo *(inquit)* exortum eſt ut die circumciſionis nomen imponeretur infanti, quia & ipſe cùm teſtamentum: *i. e.* fœdus à Deo circumciſionem acciperet, eadem priùs die cum ſua conjuge nominis augmentum promeruit. *Romanis mos erat referente Plutarcho proble. 102. maſculis nono die, fœminis octavo imponere nomina. Ab Athenienſibus & Græcis referente Alexandro Neapolit. lib. 2. cap. 25. die decimo à natali nomen infanti indere ſervatum eſt. Ariſtot. lib. 7. de hiſtoria animal. cap. 12. ſeptimo die nomina infantibus impoſita docet, & cur ante illum diem non ponerentur, hanc rationem reddit, quòd plurimi ante eum diem intereant, unde fit, ut nomina ſeptimo die imponantur, tanquam ſaluti jam pueri magis credamus; Quemadmodum olim apud Judæos in circumciſione, ita apud nos in baptiſmo nomina imponuntur, de quo exſtat canon. 30 Concilii Nicæni.*

ν Teſtamentum vetus niſi occultatio novi] *Idem lib. de catechizandis rudibus cap: 4.* In veteri teſtamento, *inquit,* eſt occultatio novi, in novo teſtamento eſt manifeſtatio veteris. *Ita D. Thom. 1. 2 q. 107. dicit, contineri Evangelium in lege, quem-*

quemadmodum arbor continetur in ſemine. D. Greg. hom. 6. in Ezech. explicans myſterium rotæ, quæ erat in rota, dicit rotam in rota eſſe teſtamentum novum in teſtamento veteri, ſub cortice enim illius literæ continebatur Evangelium.

ξ Riſus Abrahæ exultatio eſt gratulantis, non irriſio diffidentis.] *Idem q. 36. in Gen. dicit, riſum Abrahæ admirationis & lætitiæ fuiſſe, Saræ autem dubitationis. Ita etiam ſentit D. Ambr. l. 1. de Abrah. c. 4. & l. 5. com. in Gen. c. 35. nullo modo dubitaſſe Abrahamum de promiſſo divino, quod certè diſertis verbis ſcribit Paulus ad Rom. 4.* Et non eſt infirmatus in fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cum jam ferè centum eſſet annorum, neque mortuam vulvam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia: ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere.

Cap. XXVII.

De maſculo, qui ſi octavo die non fuerit circumciſus, perit anima ejus: quia teſtamentum Dei diſſipavit.

ITem poteſt movere, *a* quomodo intelligi oporteat, quod hîc dictum eſt: *Maſculus, qui non circumcidetur carne præputii ſui octavo die, interibit anima illa de genere ſuo, quia teſtamentum diſſipavit.* Cùm hæc nulla culpa ſit parvuli, cujus dixit, animam perituram, nec ipſe diſſipaverit teſtamentum Dei, ſed majores, qui eum circumcidere non curarunt: niſi quia etiam parvuli, non ſecundùm vitæ ſuæ proprietatem, ſed ſecundùm communem generis humani originem, omnes
Rom. 5. in illo uno teſtamentum Dei diſſipaverunt, *in quo omnes peccaverunt.* *a* β Multa quippe appellantur teſtamenta Dei, exceptis illis duobus magnis vetere & novo, quod licet cuique legendo cognoſcere. Teſtamentum autem primum, quod fa-
Gen. 2. ctum eſt ad hominem primum, profectò illud eſt: *Qua die ederitis, morte morie-*
Eccl. 14. *mini.* Unde ſcriptum eſt in libro, qui Eccleſiaſticus appellatur: *Omnis caro ſicut veſtis veteraſcet.* γ Teſtamentũ enim eſt à ſeculo, morte mori eos, qui tranſgrediuntur præcepta Dei. Cùm enim lex evidentior poſtea data ſit, & dicat Apoſto-
Rom. 4. lus: *Ubi autem non eſt lex, nec prævaricatio:* quo pacto, quod legitur in Pſalmo,
Pſ. 118. verum eſt: *Prævaricatores æſtimavi omnes peccatores terræ:* *b* niſi quia omnes legis alicujus prævaricatæ ſunt rei, qui aliquo peccato tenentur obſtricti? Quamobrem ſi etiam parvuli, quod vera fides habet, naſcuntur non propriè, ſed originaliter peccatores, unde illis gratiam remiſſionis peccatorum neceſſariam confitemur: profectò eo modo, quo ſunt peccatores, δ etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiſo data eſt, agnoſcuntur, ut verum ſit utrumque, quod ſcriptum eſt: *Prævaricatores æſtimavi omnes peccatores terræ: &, Ubi lex non eſt, nec prævaricatio.* Ac per hoc, quia circumciſio ſignum regenerationis fuit, non immerito parvulum propter originale peccatum, quo primum Dei diſſipatum eſt teſtamentum, generatio diſperdet, niſi regeneratio liberet. Sed intelligenda ſunt hæc divina verba tanquam dictum ſit: Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de genere ejus, quia teſtamentum meum diſſipavit, quando in Adam cum omnibus etiam ipſe peccavit: ſi enim dixiſſet, quia hoc teſtamentum meum diſſipa-

diſſipavit, non niſi de iſta circumciſione intelligi cogeret. Non verò quoniam non expreſſit, cujusmodi teſtamentum parvulus diſſipaverit, liberum eſt intelligere de illo teſtamento dictum, cujus diſſipatio pertinere poſſit ad parvulum. Si autem quisquam hoc non niſi de iſta circumciſione dictum eſſe contendit, quòd in ea teſtamentum Dei, qui non eſt circumciſus diſſipaverit parvulus, quærat locutionis aliquem modum, quo non abſurdè poſſit intelligi, ideò diſſipaſſe teſtamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo eſt diſſipatum. Verùm ſic quoque animadvertendum eſt, nulla in ſe negligentia ſua injuſtè interire incircumciſi animam parvuli, niſi originalis obligatione peccati.

a MUlta quippe appellantur teſtamenta.] *Annotavit Hieronymus, ubicunque Græcè ſit teſtamentum, Hebraicè eſſe pactum ſive fœdus: id eſt Berith.* L.Viv.

b Niſi quia omnes legis alicujus prævaricatæ] *Nullus eſt in tam extrema barbarie natus, cujus pectori non aliquid humanæ legis indiderit natura, ad quam ſi ſe accommodarit, benè vivat, & bonus ſit: ſin eam ſpreverit, malus.*

a MUlta quippe appellantur teſtamenta Dei.] *LXX. interpretes vocem Hebræam* ברית Berith, *quæ propriè* pactum *ſignificat, frequenter voce Græca* Διαθήκης, *quæ* teſtamentum *ſignificat, expreſſerunt, ut etiam obſervavit D. Hieron. tradit. Hebr. in Gen. quod idem repetit in com. ad Gal. ſup. id,* Hoc autem dico teſtamentum confirmatum à Deo, *& in cap. 7. Mal. Et præter LXX. interpretes ipſi etiam Evangeliſtæ & Apoſt. Paul. vocem pacti per vocem teſtamenti explicarunt, ut ad Gal. 4. Rom. 11. Hebr. 8. 9. Philo etiam Judæus in libr. quem inſcripſit de his, quæ obtulere Cain & Abel,* ברית *ſemper vertit* teſtamentum, *ſive* διαθήκην, ut ſtatueret *(inquit)* teſtamentum, quod juravit patribus noſtris, *Ibi teſtamentum Dei eſt pactum circumciſionis datum Abrahæ. Stephan. etiam Act. 7. vocat teſtamentum, ex quo conſtat, quàm futile ſit argum. Eraſ. & Cajet. quo improbant Epiſtol. ad Hebr. quod ejus author imperitè abutatur voce teſtamenti pro pacto: ſi enim de nomine ipſo ſit quæſtio, ut dictum eſt, LXX. & Evangeliſtæ, & D. Paul. ubique vocem* ברית *Hebraicam, quæ pactum ſignificat, exprimunt nomine teſtamenti, ut eodem argum. rejicienda eſſet & epiſto. ad Rom. ubi bis teſtamentum pro pacto uſurpatur c. 9. & 11. & ep. ad Gal. Certè duo teſtamenta dicuntur vetus & novum: promiſſio enim vitæ æternæ, de qua adumbratè, involutè & per figuras in veteri teſtamento agitur, & apertè in novo, ſimul eſt teſtamentum & pactum: Teſtamentum, quia continet diſpoſitionem de æterna hæreditate danda filiis Dei, quæ non fuit rata ante mortem teſtatoris, eſt & ſimul pactum illa Dei promiſſio, cum habeat conditionem annexam, cùm non velit teſtator Deus dare hæreditatem æternam niſi iis, qui leges ſuas obſervaverint,* Si vis ad vitam ingredi &c. *& hac ratione dicitur pactum. Ergo Paulus loquens de teſtamento ad Hebr. 9. vertit* teſtamentũ, *quod Moſes Exod. 2. 4. nominat* ברית pactum; *& intelligit de teſtamento non qualicumque, ſed conditionato, quod ſit & pactum. Neque enim rationi teſtamenti repugnat ratio pacti, cum teſtator interdum conditionibus alligare poſſit heredem, quibus non impletis jure hereditatem adire non poſſit. Hoc ſenſu D. Auguſt. plura in ſcript. appellari teſtamenta præter vetus & novum ſcribit, & teſtamen. illud Dei ad Adamum vocat.* Quacumque F.L.Coq.

hora comederis, morte &c. *Cum fuerit pactum initum inter Deum & Adamum, ut ſi Adamus audiens eſſet praecepto Dei, innocentiam & immortalitatem ſibi ſuiſque poſteris promereretur, ſin minus, ſtatim morti obnoxius foret: atque id apertius conſtat, quo ſenſu plura dicantur teſtamenta in ſcript. ex eo quod ſcribit idem D. Auguſt. in Pſ. 82. ad ea verba*, ſimul adverſum te teſtamentum diſpoſuerunt, *ubi ait*, teſtamentum ſanè in ſcripturis non illud ſolum dicitur, quod non valet niſi teſtatoribus mortuis, ſed omne pactum placitum teſtamentum vocabant. Nam Laban & Jacob teſtamentum fecerunt, quod utique etiam inter vivos valeret, & innumerabilia talia in divinis leguntur eloquiis.

β Quomodo hic intelligi oporteat, quod hic dictum eſt, Maſcul. &c.] *Quæ ſit germana & propria interpretatio & ſent. verbor. Gen. 17.* maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit, *videndum eſt hoc loco, cùm non omnes eandem adferant, nec cum D. Aug. ſentiant. D. Aug. in hoc c. & lib. 2. de pecc. orig. c. 30. & lib. 2. de nupt. & concupiſc. c. 11. ita legit hunc locum*, maſculus, qui non circumcidetur carne præputii ſui octavo die, interibit anima illa de genere ſuo, quia teſtamentum ſuum diſſipavit. *Hanc etiam lectionem ſecutus eſt D. Ambroſ. epiſt. 77. & Orig. lib. 2. in epiſt. ad Rom. circa fin. c. 3. Ita tranſtulerunt LXX.* ἀπερίτμητος ἄρσην, ὃς οὐ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ, ἐξολοθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη ἐκ τοῦ γένους αὐτῆς, ὅτι τὴν διαθήκην μου διεσκέδασε. *In qua lect. ponitur illa particula*, octavo die, *quam non habet lect. Hebr. nec vulg. editio. Porro addita illa particula, neceſſe erit illa verba interpretari de circumciſione infantium. Non enim adultorum, ſed infantium eſt circumciſio octavo die à natali facta: unde etiam illam comminationem voluit cadere in infantes ipſos incircumciſos, & illa verba*, delebitur illa anima de populo ſuo, *interpretatur de morte ſpirituali & æterna, ut ſit ſenſus, non aggregabitur ad ſocietatem & conſortium beatorum, ut contra de ſanctis aliquot viris legimus inſcriptum, cum mortui ſunt, eos appoſitos eſſe ad populum ſuum, vel ad patres ſuos. Illud poſtremo*, quia pactum meum irritum fecit, *non exponit D. Aug. de pact. circumciſ. quod infans, qui non eſt capax præcepti, tranſgredi non potuit, neque omiſſio circumciſionis octavo die in illo eſt peccatum, verùm exponit de pacto inito cum Adamo, quod parvulus in ipſo irritum fecit, ſicut in Adam peccavit; atque hæc eſt expoſitio D. Auguſt. & in hoc cap. & in aliis loc. cit. Ita etiam exponunt Iſidor. & Beda. Alii tamen removendum cenſent illam particulam*, octavo die, *ex qua tota interpretationis & ſententiæ D. Auguſtini ratio & vis omninò pendet, ut ſupervacaneam, quæque non ſit de ipſo textu ſcripturæ ſacræ; cum*
» *non habeatur nec in codicibus Hebræis, nec in vulgata editione, [quæ cum ſit regula*
» *nobis ſacra ſcriptura, & ſola recepta à concil. Tridentino, ne minimam quidem parti-*
» *culam ei deeſſe vel ſuperfluere putandum, quæ ſit de ſcriptura ſacra.] Volunt itaque alii, hunc locum exponendum eſſe de adultis, ut hic ſit ſenſus:* maſculus Hebræus, qui circumcidi noluerit, aut filium ſuum circumcidere, peribit de populo ſuo, quia inobediens fuit præcepto à me dato de circumciſione. *Illud verò* perire de populo ſuo, *non ſignificabit mortem æternam, vel ſpiritualem, ſed pœnam aliquam.*

quam temporalem tranſgredientibus illud præceptum de circumcidendis pueris, quod conſtat exemplo Moſis, quem propter omiſſam filii circumciſionem voluit Angelus interficere Exod. 4. ubi videmus, pœnam illam eſſe mortem corporalem & in eum latam, qui adultus ſit & capax præcepti & peccati actualis, non in infantem; & illa verba, quia pactum meum irritum fecit, debere exponi de pacto cum Abrahamo inito de circumcidendis maſculis, conſtat ex ipſo tex. ſcript. ſiquidem in illo cap. octies nominatur pactum Dei, & ſemper accipitur pro pacto circumciſionis, cum ergo dicitur, pactum irritum fecit, debet intelligi de pacto ipſo circumciſionis; & quidem retinendo lectionem D. Auguſtini, quæ eſt ſeptuaginta interpretum, & hunc locum intelligendo de circumciſione parvulorum, dici poſſet, hoc pactum irritum fieri à parvulo incircumciſo, non quidem activè per tranſgreſſionem præcepti culpabilem, verùm paſſivè, quia non eſt in eo obſervatum ſeu executioni mandatum pactum divinum, quod ea ratione in eo irritum factum eſt; & hujus interpretationis obiter meminit Auguſtinus. Videbat enim non ſatis literæ & textui ſcripturæ quadrare ſuam interpretationem de tranſgreſſione pacti initi cum Adamo, in quo peccavit infans, cum cap. 17. Geneſ. manifeſte fiat ſermo de illo pacto, quod inibat Deus cum Abrahamo de circumciſione.

γ Parvuli, quod vera fides habet, naſcuntur non propriè, ſed originaliter peccatores.] Præter apertiſſima ſcripturæ loca & communem Patrum conſenſum de pec. orig. ex quo argumentatur D. Aug. l 2 cont. Jul. Pelag. ſub fin. & l. 1. citat teſtim. illorum Patr. & l. 2. de nupt. & concup. cap. 12. non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus, ſed tu, qui hoc negas, ſine dubio es novus hæreticus. Eſt etiam id definitum in concil. Milevit. confirmato ab Innoc. 1. cap. 2. & Paleſt. in quo & Pelag. hæreſ. ſuam ejuravit, teſte D. Aug. l. de pec. orig. cap. 15. & Arauſic. can. 1. & 2. & Tolet. 6. can. 1. & Elibert. can. 25. & Trident. ſeſſ. 5. de pec. orig. parvulos ergo naſci in peccato originali, & contrahi in omnes poſteros à primo parente, vera fide, ut Aug. aſſerit, tenendum eſt. De eo diſputavit paſſim libr. edit. cont. Pelag. Quod verò aſſerit, parvulos non propriè, ſed originaliter, naſci peccatores, non eſt ſenſus, peccatum originale non habere propriè & verè rationem peccati, verùm quia non propria voluntate & actu commiſſum eſt, ſed aliunde contractum. Quod enim Durand. 2. ſent. diſt. 31. q. 2. dixit, peccatum originale non eſſe propriè peccatum, eo quod non habeat propriam rationem voluntarii, meritò ab omnibus rejicitur, ſatis eſt, quod in ſua origine dicatur voluntarium. D. Aug. l. 2. de nupt. & concup. c. 28. ex voluntate peccatum eſt, quærit fortè Pelagius utrum & originale peccatum. Reſp. prorſus & originale peccatum, quia & hoc ex voluntate primi hominis ſeminatum eſt, ut & in illo eſſet, & in omnes tranſiret. & l. 1. retract. c. 13. quemadmodum peccatum eſt originale, ita in ſua origine exiſtit voluntarium. Verùm ſi in nobis eſſet actuale peccatum, tum prior ratio voluntarii eſſet inquirenda, adeò ut qui eandem rationem voluntarii in actuali & originali peccato eſſe velint, non ſatis advertant, in quo originale peccatum conſiſtit. rectè quidem D. Th. 1. 2. q. 87. art. 2. docet, originale peccatum eſſe omnium leviſſimum, nec tam mereri damnationem ratione ſui, quàm ratione ſubjecti, in

quo eſt, quia in eo eſt, qui non habet gratiam, ſine qua nemo ſalutem conſequitur. *Ita Altiſſiodor. 2. pag. tract. 20. q. 4. dixit, originale peccatum multo eſſe levius ipſo veniali, quod minus in ſe habeat voluntarii, verùm ipſum veniale compatitur ſecum gratiam & juſtitiam, non ipſum originale.*

δ Etiam prævaricatores illius legis, quæ in paradiſ.] *Quomodo verò intelliguntur parvuli, qui nondum erant, prævaricati illam legem primo datam Adamo. lib. 3. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 7. docet, in Adam omnes peccaſſe, quando in ejus natura illa inſita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt; unde explicat, qua ratione & peccatum originale dicatur alienum, & dicatur etiam proprium cujusque peccatum, & ita explicuit rationem peccati originalis Apoſtolus Rom 5.* Per unum hominem peccatum intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt. *Erat enim Adam velut caput & principium totius naturæ humanæ, in quo continebatur. Dici ergo poteſt, parvulos aliquo præcepto fuiſſe obligatos non quidem ejusmodi, quod illi voluntate propria exſequi debuerint, ſed quod potuerint ac debuerint adimplere voluntate communi generis humani, nempe Adæ ut erat principium totius naturæ. Itaque hoc ipſo, quod intelligimus Adæ ut principio generis humani datum fuiſſe præceptum, ut obedientia ſua ſibi & poſteris conſervaret juſtitiam originalem, intelligimus etiam id præceptum ad poſteros pertinuiſſe, quatenus omnes in illo virtute continebantur, & fuit veluti in eo interpretative voluntas omnium poſterorum, fuit enim illud præceptum ei datum, non ut privatæ perſonæ à cæteris diſtinctæ, verùm fuit ipſi ut principio generis humani impoſitum; & libr. 4. contra duas epiſtolas Pelagia. capit. 4.* In illo primo homine (*inquit*) omnes peccaſſe intelliguntur, quia in illo fuerunt quando ille peccavit, unde peccatum naſcendo trahitur, quod niſi renaſcendo non ſolvitur, *& lib. 1. contra Julianum Pelag. cap. 2.* fuit (*inquit*) Adam, & in illo fuimus omnes, periit Adam, & in illo omnes perierunt.

ε Niſi originalis obligatione peccati.] *Peccatum originale docet ex inſtitutione ipſius circumciſionis & ex pœna ipſius omiſſioni decreta in infantes ipſos. Cum enim ipſi capaces non ſint præcepti circumciſionis, nec delinquant in legem Dei illam omittendo, verùm parentes eorum, quibus ex præcepto Dei incumbit filios circumcidere, certè injuſtè periret parvuli anima ob transgreſſionem ipſius circumciſionis, alicui ergo peccato conſequitur eam eſſe obnoxiam. Ita ferè ex circumciſione argumentatur ad probandum peccatum orig. lib. 3. contr. Julian. c. 18.* Reſponde, ſi potes, cur ipſe Iſaac niſi baptiſmatis Chriſti ſigno circumciſus eſſet octavo die, periiſſet anima ejus de populo ſuo? Explica, ſi potes, cur merito tanta pœna plecteretur, niſi ab hac tanto ſacramento liberaretur? *Quod idem repetit lib. 5. cap. 9. lib. de peccato original. cap. 30. & 32. lib. 2. de nuptiis cap. 11. & 12. & lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. Ita etiam ex Baptiſmo aliquando argumentatus eſt adverſus Pelagianos ad probandum peccatum originale, Chriſtiani enim ſolent ſumma celeritate infantes ad baptiſmum deferre; & ex exorciſmis, quibus utitur Eccleſia, ut lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. c. 34. & lib. 3. contra Julian. Pelag. cap. 5. & alias. Exiſtimat itaque Auguſtin. in circumciſ. antiquitus, ut nunc in Baptiſmo remiſſum fuiſſe originale peccatum,*

tum, ita lib. 2. contra literas Petiliani c. 72. Antiquus populus circumciſione pro baptiſmo utebatur. *& lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 11.* Ex quo inſtituta eſt circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ fidei, ad ſignificationem purgationis, valebat & parvulis originalis uteriſque peccati. Sicut & Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo inſtitutus eſt. *Verùm non tam virtute circumciſionis, quam ipſius fidei, quam illa ceremonia ſacra adhibita proteſtabantur, & peccatum remittebatur, & gratia conferebatur tùm parvulis tùm adultis;* * *[at Baptiſmus ex vi ſua & ex opere, quod vocant, operato confert ipſam gratiam, & multo abundantius ipſa circumciſione; & præterea longè majoris eſt neceſſitatis;]* * *nam parvuli ſi decederent ante octavum diem, adhibitis aliis remediis juſtificari poterant, & ſi aliquo caſu differretur ipſa circumciſio, poterant adhiberi aliqua alia remedia. Et ſi certè ea verba, quibus uſus eſt Deus in inſtitutione circumciſionis,* Anima illius delebitur de populo ſuo, *referamus cum D. Auguſtino ad parvulos ipſos, & ea verba intelligamus de excluſione à gratia & gloria, & conſortio beatorum, rectè ex inſtitutione & uſu circumciſionis colligitur in infantibus fuiſſe aliquod peccatum originale, quod à principio cum natura ipſa contraxiſſent.*

CAP. XXVIII.

De commutatione nominum Abræ & Sarai, qui cùm ob unius ſterilitatem, ob utriuſque autem ſenectutem generare non poſſent, munus fœcunditatis adepti ſunt.

FActa igitur promiſſione tam magna, tamque dilucida ad Abraham, cui evidentiſſimè dictum eſt: *Patrem multarum gentium poſui te, & augebo te valdè: & ponam te in gentes, & reges exibunt ex te, & dabo tibi ex Sara filium, & benedicam illum, & erit in nationes, & reges gentium ex eo erunt:* quam promiſſionem nunc in Chriſto cernimus reddi, ex illo deinceps illi conjuges non vocantur in ſcripturis, ſicut antea vocabantur Abram & Sarai: ſed ſicut nos eos ab initio vocavimus, quoniam ſic jam vocantur ab omnibus Abraham & Sara. Cur autem mutatum ſit nomen Abrahæ, reddita ratio eſt: *quia patrem,* inquit *multarum gentium poſui te.* Hoc ergo ſignificare intelligendum eſt Abraham. *a* Abram verò, quod *a* antè vocabatur, interpretatur pater excelſus. *b* De nomine autem mutato Saræ non eſt reddita ratio: ſed, ſicut ajunt, qui ſcripſerunt interpretationes nominum Hebræorum, quæ his literis ſacris continentur, *β* Sarai interpretatur *princeps mea:* Sara autem *virtus.* Unde ſcriptum eſt in Epiſtola ad Hebræos: *γ Fide & ipſa Sara virtutem accepit † ad emiſſionem ſeminis.* Ambo autem ſenes erant, ſicut ſcriptura teſtatur, *c* ſed *δ* illa etiam ſterilis *d* & cruore menſtruo jam deſtituta, propter quod jam parere non poſſet, etiam ſi ſterilis non fuiſſet. Porrò ſi fœmina ita ſit provectioris ætatis, ut ei ſolita mulierum adhuc fluant, de juvene parere poteſt, de ſeniore non poteſt: quamvis adhuc poſſit ille ſenior, ſed de adoleſcentula gignere. Sicut Abraham poſt mortem Saræ de Cethura potuit, quia vividam ejus invenit ætatem. Hoc ergò eſt, quod mirum commendat Apoſtolus, & ad hoc dicit, Abrahæ jam fuiſſe corpus emortuum: *e ε* quoniam

al. in conceptione. Ebr. 11.

non ex omni fœmina, cui eſſet adhuc aliquod pariendi tempus extremum, generare ipſe in illa ætate adhuc poſſet. Ad aliquid enim emortuum corpus ejus intelligere debemus, non ad omnia. Nam ſi ad omnia, non jam ſenectus vivi, ſed cadaver eſt mortui. ❡ Quamvis etiam ſic ſolvi ſoleat iſta quæſtio, quòd de Cethura poſteà genuit Abraham: quia donum gignendi, quod à Domino accepit, etiam poſt obitum manſit uxoris. Sed propterea mihi videtur illa, quam ſecuti ſumus, hujus quæſtionis ſolutio præferenda, quia centenarius quidem ſenex, ſed temporis noſtri, de nulla poteſt fœmina gignere: non tunc quidem, quando adhuc tam diu vivebant, ut centum anni nondum facerent hominem decrepitæ ſenectutis.

L. Vives. *a* Abraham verò.] *Hebræorum quidam, teſte Hieronymo, authores ſunt, Deum unam literam ex ſuo nomine tetragrammaton Abrahæ & Saræ dediſſe, ſcilicet he Literam, quæ Græcè & Latinè ſonat a, non he.*

b De nomine autem mutato Saræ.] *Hieronymus in Gen. & in interpretatione nominum Hebraicorum: Sarai interpretatur princeps mea, Sara verò princeps, quòd antea princeps eſſet ſolius Abrahæ, deinde princeps gentium. Porrò virtus apud ſacros ſcriptores pro potentia & potentatu & principatu ſolet uſurpari. Auguſtinus aliò detorquet vocabulum.*

c Sed illa etiam ſterilis.] *Qui cauſas ſterilitatis fœminæ quæſierunt, ferè in locis eſſe vitium tradunt, quòd vel duriores, vel rariores ſint, vel carnoſiores, vel occulaverint. Plutarchus libro quinto de philoſophorum decretis. Præterea quòd quædam ſunt intrinſecus ſterilitatem inferentia, ſicut corymbi hederæ nigræ, & aſplenos, ſive hemionos apud Plin. Stoici ſterilitatem ajunt oriri, ſi coëuntium qualitates virtuteſq; de fœtu diſſideant, qui ſi aliis jungantur ſibi congruentioribus, gignant facilè. Quod in Abraham & Sara non abſurdum eſſet, ita exiſtimare. Argumento eſt, quod ex Cethura filios ſuſtulerit, niſi quis hæc omnia ad diviniorem rationem ſenſumq; referat. Nam Paulus emortuum vocat Abraham, id eſt, νενεκρωμένον, quaſi exhauſtum & effœtum.*

d Et liquore.] *Plin. lib. 7. de menſtruis loquens: Aliquibus mulieribus nunquam contingunt menſtrua: ſed tales non gignunt. Quando hæc eſt generando homini materia, ſemine è maribus coaguli modo hoc in ſeſe glomerante, quod deinde tempore ipſo animatur corporatúrque. Ergò cùm gravidis fluxit, invalidi aut non vitales partus eduntur, ut autor eſt Nigidius. Tantum Plinius. Ariſtoteles lib. 7. de hiſtoria animalium, ſolere ait, quibus menſtrua non profluunt, ſteriles eſſe, ſed non omnes. Nam poteſt tantum humoris in locis colligi, quantum ſupereſt illis, quæ menſtruis purgantur.*

e Quoniam non ex omni fœmina, ſed ex ea, cui eſſet] *In aliis libris non habetur, ſed ex ea. Nam hoc omnibus eſt viris commune, ut ex ea generare nequeant, quæ jam per ætatem parere non poteſt.*

F.L. Coq. *a* Abram qui antea vocabatur, interpretatur pater excelſus.] *D. Chryſoſt. hom. 39. in Gen. & hom. quadam, quare Abram vocatus ſit Abraham,* Abraham tranſitorem interpretatur, quia parentes ejus hoc ei nomen indiderant, eò quod

a pa-

à patria ſua in Chanaam tranſiturus eſſet. Si verò quis quærat, qui factum ſit, ut qui erant futurorum ignari, id nomen imponerent ab eo,quod futurum erat, maximè cùm eſſent infideles, fuit opus hoc *(inquit)* divinæ ſapientiæ per incredulam linguam diſpenſantis, ut puero nomen imponeretur habens in ſe futurorum hiſtoriam. *videtur Chryſoſt. vocem* Abraham *accepiſſe pro voce* Hebræus, *quia multi putant ſignificari* tranſitorem *vel* transfluvialem, *à verbo* עבר, *quod* tranſire *ſignificat. Melius D. Auguſtinus* Abram *interpretatur* patrem excellum, *ſiquidem* אב pater *dicitur Hebræis &* רם excellus. *Cur verò mutatum ſit illius nomen, ratio reddita,* Quia patrem multarum gentium poſui te. *Hebraicè.* כי אב המון, גוים נתתיך patrem multitudinis gentium *ſeu* multarum gentium dedi te. *Itaq; in mutatione illa nominis magnum continebatur myſterium, vocatio ſcil. gentium ad gratiam Evangelii, ex Abram factus eſt Abraham. i. e. pater multitudinis ſeu multarum gentium. nomen ex Pagnini ſententia ducitur a tribus dictionibus* אב המון *&* רב ab, *patrem,* rab, *multum, &* hamon *multitudinem ſeu populum ſignificat, quaſi dicatur,* pater multi populi. *Hoc myſterium Apoſtolus declaravit Roma. 4. Docent etiam Hebræi, Deum ex nomine ſuo ſacro quadrilitero literam* he *addidiſſe nomini Abra, & ita nominatum Abraham.*

β Sarai interpretatur princeps mea.] *D. Hieron. in traditionibus Hebr. in Gen.* Errant *(inquit)* qui putant primum Sarra per unum, *r*, ſcriptum fuiſſe, & poſtea alterum *r* ei additum. Sarai igitur primùm vocata eſt per ש ſin, ר res, י jod. Sublato igitur Jod י elemento, addita eſt ה he litera, quæ per a legitur, & vocata eſt Saraa שרה. Cauſa autem ita nominis immutati hæc eſt, quod antea dicebatur princeps mea, unius tantum domus materfamilias; poſtea verò dicitur abſolutè princeps. *i. e.* ἄρχουσα.

γ Fide & ipſa Sara virtutem accepit.] *Nonnulli Græci codices habent* στεῖρα οὖσα, cum eſſet ſterilis; *Syriacus,* quæ ſterilis erat, *verùm & in aliis ferè codicibus legitur tantùm,* Πίστει καὶ αὐτὴ Σάῤῥα δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβεν, *& hanc lectionem ſecutus eſt D. Auguſtinus, ita etiam eſt apud Chryſoſtomum & Oecumenium in Græco. Interpretatur autem D. Auguſtin.* καταβολὴν emiſſionem, *Theophyl. dejectionem ſeminis, quod exiſtimet Auguſtinus & ipſam mulierem ſemen emittere ad formationem fœtus. Vulgata editio,* in conceptione ſeminis, *pro in conceptionem ſeminis.* καταβολὴ *etiam dicitur, cum res aliqua ſumit exordium. ita ad Eph. 1.* Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, *Græcè eſt* πρὸ καταβολῆς κόσμου. *Saram igitur* accepiſſe virtutem, εἰς καταβολὴν σπέρματος *interpretari poſſumus, ut in ipſa ſemen. i. e. poſteritas Abrahæ promiſſa ſumeret exordium, vel etiam virtutem accepiſſe, ut in ipſa fundamenta jacerentur ejusdem poſteritatis. Virtutem ergo illam Saræ ſterili & ſeni divinitus conceſſam illius fidei tribuit Apoſtolus; unde malè negavit Lyranus Saram credidiſſe, affirmans id factum eſſe ob fidem Abrahæ, cùm Apoſtolus apertè doceat illam credidiſſe. Etſi enim quando nunciatum eſt, eam pariturum Iſaac, riſerit, & quidem riſus ille fuerit incredulitatis, quod obſtaret utriusque ſenectus & ſterilitas, & ceſſatio menſtruorum, nihilominus ubi reſcivit promiſſum illud eſſe divinum, verbis divinis ſtatim fidem adhibuit. Ita enim ſcribit:*

bit Apoſtolus ad Hebr. 11. Fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat.

δ Illa etiam ſterilis & cruore menſtruo jam deſtituta.] *Itaque conceptio Saræ fuit ſupra naturam & ex virtute promiſſionis. Ita enim futura erat in Eccleſia conceptio ſeminis ſpiritualis Abrahæ. i. e. Dei filiorum,* Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, *quæ præſignificabatur in Iſaac, quem Sara, quæ juvenili ætate fuerat ſterilis, in ſenectute concipit & parit, utpote nonagenaria ex ſene centum annorum; deinde deſierat illi ſanguinis menſtruus: Ita enim habetur Geneſ. 18.* Erant ambo ſenes, provectæque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria: *dicuntur verò* muliebria *alias* menſtrua, *quæ vocat Auguſtinus cruorem menſtruum, nempe evacuationes ſanguinis, quæ ſingulis menſibus fluunt ex vulva, & dicuntur muliebria, quia ſolis mulieribus inter omnigenas fœminas fluunt, aut quia authore Ariſtotele lib. 7. de hiſtoria animalium cap. 2. nullis æque atque his. Cauſa verò eſt, quia nullum animal æquè ſanguineum eſt atque homo, nam & inter ipſas mulieres, quæ maximè ſunt ſanguineæ, illis maximè abundant. Cauſa verò quod homo ſanguine maximè abundet, ea eſt, quod optimam præ cæteris habeat temperiem, ideoque optimo ſucco generando maximè idoneam. Cauſa itaque talis evacuationis, ſanguinis redundantia eſt. Hinc fit, ut incipiant fluere menſtrua mulieribus decimo quarto & decimo quinto, aut uſque ad decimum ſeptimum annum, quibusdam etiam citius, aut tardius, nimirùm cum incipiunt ſanguine redundare, ita deſinunt ferè inter quadrageſimum & quinquageſimum annum, cum ob ſenium incipiunt laborare ſanguinis penuria, & ut antequam incipiant, concipere non poſſunt, quod materiæ copiam nondum habeant, ita neque poſtquam ceſſaverunt, quia jam careant. Ariſtoteles enim vult eam eſſe materiam generationis fœtus, & Plinius lib. 7. cap. 15. ut igitur oſtenderet Moſes conceptionem Iſaac ex Sara fuiſſe ſupra naturam dixit,* Saræ deſiiſſe fieri muliebria.

ε Quoniam non ex omni fœmina.] *Poterat quis movere quæſtionem, quomodo cum eſſet Abraham prope mediæ ætatis, ſecundum quam homines tunc vivebant, & poſtea filios de Cethura generavit, dicatur ab Apoſtolo corpore emortuo, & pro miraculo, quia generavit, prædicaretur. Reſpondet ergò Divus Auguſtinus, ad aliquid quidem intelligendum corpus Abrahæ emortuum, non ad omnia, id eſt mortuum quantùm ad vim generatricem, non quidem reſpectu cujuslibet mulieris, ſed reſpectu Saræ, ex qua tùm propter naturalem ſterilitatem, tùm ob nimis provectam ætatem liberos ſuſcipere non poterat, cum ne juvenis quidem ob prædictas cauſas id potuiſſet. Atque hanc eandem ſolutionem adfert qu. 35. in Geneſim his verbis:* emortuum quippe corpus non ita intelligendum eſt, ac ſi omnino nullam vim generandi habere poſſet, ſi mulier juvenilis ætatis eſſet, ſed ſecundùm hoc emortuum, ut etiam de provectioris ætatis muliere non poſſet. Nam ideo de Cethura potuit, quia & juvenem illam invenit. *Sic enim medici tradunt, quod quando corpus viri ſecundùm hoc defecit, ut cum fœmina provectioris ætatis, quamvis menſtrua adhuc patiatur, generare non poſſit, de juvene poteſt; & rurſus mulier, quæ jam provectæ ætatis eſt, quamvis adhuc menſtrua fluunt, ut de ſeniore parere non poſſit, de juvene poteſt. Illud itaque adeò miraculum fuit, quia ſecundùm id quod diximus emortuo*

corpore

corpore viri, fœmina quoque provecta ætatis fuit, ut ei deſtitiſſent fieri muliebria.

¶ Quamvis etiam ſic ſolvi ſoleat illa quæſtio.] *Alteram ſolutionem difficultatis propoſitæ tangit, Abraham ſcilicet inhabilem fuiſſe ad generandum prolem ex quacumque muliere, verùm divinitùs acceptâ fœcunditate ſeu potentia generandi potuiſſe tunc non modo cum erat centenarius generare prolem ex Sara, ſed aliquot annis poſteà eâ jam mortua ex Cethura. Hanc ſolutionem amplectitur D. Thom. in cap. 4. epiſt. ad Roman. verùm priorem ut longè probabiliorem huic poſteriori præfert D. Auguſtinus. Tunc temporis enim centenarius homo non erat impotens generandi, ut noſtra hac ætate, & certè ut argumentatur Pererius in cap. 18. Geneſ. diſputat. i. e. D. Paulus ad Hebræos 11. ſcribit ſoli Saræ virtutem generandi à Deo eſſe donatam. ſi beneficium illud utrique eſſet tributum, de utroque, & non de Sara tantùm id prædicaſſet Apoſtolus.*

CAP. XXIX.

De tribus viris vel angelis, in quibus ad quercum Mambræ apparuiſſe Abrahæ Dominus manifeſtatur.

ITem α Deus apparuit Abrahæ ad quercum Mambræ in tribus viris, quos dubitandum non eſt, Angelos fuiſſe, β quamvis quidam exiſtiment, unum in eis fuiſſe Dominum Chriſtum, aſſerentes, eum etiam ante indumentum carnis fuiſſe viſibilem. Eſt quidem divinæ poteſtatis & inviſibilis, incorporalis, incommutabiliſque naturæ, ſine ulla ſui mutatione etiam mortalibus aſpectibus apparere: non per id, quod eſt, ſed per aliquid, quod ſibi ſubditum eſt. Quid autem illi ſubditum non eſt? γ Verumtamen, ſi propterea confirmant, horum trium aliquem fuiſſe Chriſtum: quia cùm tres vidiſſet, ad Dominum ſingulariter eſt locutus: ſic enim ſcriptum eſt: *Et ecce, viri ſtabant ſuper eum, & videns procurrit* Gen. 18. *obviam illis ab oſtio tabernaculi ſui, & adoravit ſuper terram, & dixit: Domine, ſi inveni gratiam ante te, &c.* cur non etiam illud advertunt, duo ex eis veniſſe, ut Sodomitæ delerentur, cùm adhuc Abraham ad unum loqueretur, Dominum appellans, & intercedens, ne ſimul juſtum cum impio in Sodomis perderet? Illos autem duos ſic ſuſcepit Loth, ut etiam ipſe in colloquio ſuo cum illis ſingulariter Dominum appellaret. Nam cùm eis pluraliter dixiſſet, Ecce domini declinate in domum pueri veſtri: & cætera, quæ ibi dicuntur: poſtea tamen ita legitur: *Et tenuerunt Angeli manum ejus, & manum uxoris ejus, & manus duarum fi-* Gen. 19. *liarum ejus, in eo, quod Dominus parceret illi.* Et factum eſt mox, ut adduxerunt illum foras, & dixerunt: *Salvam fac animam tuam, ne reſpexeris retrò, nec ſteteris in tota regione: in monte ſalvum te fac, ne quando comprehendaris. Dixit autem ad illos: Oro, Domine, quia invenit puer tuus miſericordiam ante te: & quæ ſequuntur.* Deinde poſt hæc verba ſingulariter illi reſpondit Dominus, cùm in duobus Angelis eſſet, dicens: α *Ecce miſeratus ſum faciem tuam, &c.* Unde multò eſt credibilius, δ quod & Abraham in tribus, & Loth in duobus viris Dominum agnoſcebant, cui per ſingularem numerum loquebantur, etiam cùm eos homines eſſe arbitrarentur. Neque enim aliam ob cauſam ſic eos ſuſceperunt, ut tan-

tanquàm mortalibus & humana refectione indigentibus miniſtrarent: ſed erat profectò aliquid, quo ita excellebant, licet tanquàm homines, ut in eis eſſe Dominum, ſicut eſſe aſſolet in Prophetis, hi qui hoſpitalitatem illis exhibebant, dubitare non poſſent: atque ideò & ipſos *b* aliquando pluraliter, ut dominos: aliquando ſingulariter, ut in eis Dominum appellabant. Angelos autem fuiſſe, ſcriptura teſtatur, non ſolùm in hoc Geneſis libro, ubi hæc geſta narrantur, verùm etiam in Epiſtola ad Hebræos, ubi quum hoſpitalitas laudaretur. *c Per hanc*, inquit, *etiam quidam neſcientes hoſpitio receperunt Angelos.* Per illos igitur tres viros, cùm rurſus filius de Sara promitteretur Abrahæ, divinitus datum eſt etiam tale reſponſum, ut diceretur ad Abraham: Erit in gentem magnam & multam, & benedicentur in eo omnes terræ. Et hîc duo illa breviſſimè pleniſſimèque promiſſa ſunt, gens Iſraël ſecundùm carnem, & omnes gentes ſecundùm fidem.

L.Vives. *a* ECce miſertus ſum in faciem.] *Alibi, ego miratus ſum, LXX.* ἰδὼ ἐθαύμασα. *ecce miratus ſum. Melius fuiſſet vertere approbavi, ſicut* ἄγαμαι *apud Platonem & Euripidem, vel reſpexi. nam idem interdum* θαυμάζειν *ſicut* θεῖν.

b Aliquando plur. ut do.] *Alibi ſic, Atque ideò & ipſos aliquando pluraliter, & in eis Dominum aliquando ſingulariter appellabant.*

c Per hanc inquit, etiam quidam.] *Miror, unde ſurrepſerit in vulgatis codicibus placuerunt: nam veriſimile eſt, fuiſſe verſum ab interprete latuerunt,* ἔλαθον, *Auguſtinus Latinè & eleganter vertit:* Διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους. *Eſt enim proprietas Græca apud illos frequentiſſima: Latuerunt, hoſpitantes angelos, pro latebat eos, quòd angelos hoſpitio exciperent.*

Ed.Coq. *α* DEus apparuit Abrahæ, &c. in tribus viris] *Habetur hæc hiſtoria Geneſ. 18. cui valdè affine eſt illud poeticum commentum quod lib. 5. Faſtorum narrat Ovidius, tres Deos Jovem, Neptunum & Mercurium diſſimulata majeſtate veniſſe ad Hiram ſenem ante caſam ſuam ſtantem, & ab eo licet in ſpeciem tergiverſantes hoſpitio acceptos; ac pro ejus tenuitate benignè eſſe acceptos, ob idque filios peroptanti prolem inuſitato modo ab eis datam eſſe.*

β Quamvis quidam exiſtiment, unum fuiſſe Dominum Chriſtum.] *Ita docuerunt. Tertullian. lib. de carne Chriſti, cap. 6. lib. contra Judæos cap. 9. lib. 2. contra Marcionem cap. 27. & lib. 3. cap. 9. & lib. adverſus Praxeam cap. 14. Irenæus lib. 3. cap. 6. & lib. 4. cap. 26. Clemens Romanus lib. conſtitutionum Apoſtolic. cap. 21. Juſtinus martyr dialogo contra Tryphonem. Euſeb. lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 2. Nicephorus lib. 1. c. 2. Probabilior tamen eſt ſententia D. Auguſtini & Scholaſticorum Theologorum, qui uno ferè ore docent, apparitiones omnes viſibiles in veteri teſtamento factas nomine Dei, & quibus Deus viſus vel apparuiſſe dicitur, miniſterio Angelorum, qui ſibi corpora aptarunt & aſſumpſerunt, Deiq; perſonam ſuſtinuerunt, eſſe perfectas. Videtur quidem in hac apparitione rebus ipſis adumbratum aliquo modo ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium in forma trium Angelorum. Cum enim Abraham tres vidiſſet & hoſpitio accepiſſet, unum tamen veneratus eſt & allocutus, ita cum ſint tres perſonæ divinæ, nihilominus unum Deum confitemur & adoramus. D.*

Augu-

Auguſtinus lib. 2. de Trin. cap. 11. Cùm tres viri viſi ſunt, nec quiſquam in eis vel forma, vel ætate, vel poteſtate major cæteris dictus eſt, cur non hic accipiamus viſibiliter inſinuatam per creaturam viſibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus perſonis unam eandemque ſubſtantiam? *& lib. 3. contra Maxim. cap. 26. in ea viſione docet repræſentatum myſterium Trinitatis. D. Ambroſ. lib. 1. de Abraham cap. 5.* Vide *inquit)* primo fidei myſterium, Deus illi apparuit & tres aſpexit: cui Deus refulſit in Trinitate, non ſine filio patrem ſuſcipit, nec ſine Spiritu ſancto filium confitetur. *Rupertus lib. 5. comment. in Geneſ. cap. 37.* Ubi *(inquit)* naſciturus Iſaac non jam ſolum ut ante promittitur, ſed & datur, Trinitatis myſterium in forma trium Angelorum homini ſe manifeſtare dignatur, quia videlicet, ubi Chriſtus naſcitur ex ſemine Abrahæ, ejusdem Chriſti filii Dei incarnationem præſentia ſuæ majeſtatis tota Trinitas in hoſpitio virginei ventris operatur; & exinde nomen ejusdem Trinitatis, nomen Patris, Filii & Spiritus ſancti, toto mundo publica prædicatione declaratur.

γ Verumtamen ſi propterea confirment.] *Quos memoravit D. Auguſtinus, putaſſe unum illorum trium fuiſſe filium Dei, qui ſe humana effigie voluerit Abrahæ manifeſtare, eo argumento ducebantur,* Quod Abraham unum tantùm de illis tribus veneratus ſit & allocutus, quaſi Dominum nullo aliorum habito reſpectu. *Refellit ergò hujusmodi argumentum, nam cum duo alii Angeli profecti ſunt Sodomam, unum eorum Loth tantùm alloquens & honorans, Dominumque appellans, eodem modo tractavit, quo Abraham tertium illum, quem iſti putant, fuiſſe filium Dei, at certum eſt, duos illos, qui Sodomam ad Loth profecti ſunt, fuiſſe Angelos, & id ſcriptura manifeſtè docet. Licet enim in ſingulari unum alloquatur, & Dominum vocet, nec ille tamen erat filius Dei; infirmum ergò eorum argumentum, quo in tribus illis Abrahæ viſis volunt, unum fuiſſe filium Dei. Hoc eodem argumento utitur lib. 2. de Trinit. cap. 11. & 12.*

δ Credibilius quod & Abraham in tribus & Loth in duobus dominum intelligebant.] *Idem qu. 37. in Geneſ.* Fortaſſis *(inquit)* in aliquibus Deum loqui intellexit, quibusdam divinæ majeſtatis exiſtentibus & apparentibus ſignis, ſicut in hominibus Deum ſæpè apparuiſſe ſcriptura teſtatur. *Sermo. 70. de tempore,* Tribus occurrit Abraham & unum adorat, in eo autem, quod tres vidit, Trinitatis myſterium intellexit. Quod autem quaſi unum adoravit, in tribus perſonis unum Deum eſſe cognovit.

ε Per hanc inquit etiam quidam.] *Ad Hebræos 13.* Hoſpitalitatem nolite obliviſci: per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis.

CAP. XXX.

De Loth à Sodomis liberato, atque eisdem cœleſti igni conſumptis: & de Abimelech, cujus concupiſcentia caſtitati Saræ nocere non potuit.

POſt hanc promiſſionem liberato de Sodomis Loth, *a* & *α* veniente igneo imbre de cœlo, tota illa regio impiæ civitatis in cinerem verſa eſt, ubi ſtupra in maſculos in tantam conſuetudinem convaluerant, quantam leges ſolent alio- Gen. 19.

rum

rum factorum præbere licentiam. Verùm & β hoc eorum ſupplicium, ſpecimen futuri judicii divini fuit. Nam quò pertinet, quod prohibiti ſunt, qui liberabantur ab Angelis retro reſpicere, niſi quia non eſt animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerati exuimur, ſi ultimum judicium evadere cogitamus? Denique uxor Loth, ubi reſpexit, remanſit: *b γ* & in ſalem converſa δ hominibus fidelibus quoddam præſtitit condimentum, quo ſapiant aliquid, unde illud caveatur exemplum. Inde rurſus Abraham fecit in Geraris apud regem civitatis illius Abimelech, quod in Ægypto de conjuge fecerat, eique intacta ſimiliter reddita eſt. Ubi ſanè Abraham objurganti regi cur tacuiſſet, uxorem ſororemque dixiſſet, aperiens quid timuerit, etiam hoc addidit: *Etenim verè ε ſoror mea eſt de patre, ſed non de matre:* quia de patre ſuo ſoror erat Abrahæ, de quo propinqua ejus erat. ζ Tantæ autem pulchritudinis fuit, ut etiam in illa ætate poſſet adamari.

L. Vives. *a* ET veniente igneo imbre.] *Exuſtionis iſtarum urbium multi prophanorum ſcriptorum meminere. Strabo lib. 16. urbes igne ibi aſſumptas eſſe dicit, idq; accolis referentibus, quarum metropolis Sodoma adhuc lx. ſtadia in circuitu ſervet: tum lacus Aſphaltitis pleni ſunt illorum libri, ubi naſcitur bitumen.*

b Et in ſalem converſa.] *Joſephus teſtatur, ſe eam vidiſſe.*

F. L. Coq. α VEniente igneo imbre de cœlo.] *Ita legitur Geneſ. 19.* Pluit Dominus ſulphur & ignem à Domino de cœlo. *Inter ſcriptores ethnicos prodigioſæ illius cladis & cœleſtis ſupplicii meminerunt Strabo lib. 16. Solinus cap. 37. & Tacitus lib. 5. hiſt. Verùm & ſi ignari divinarum literarum veritatem omninò non attigerint, hi tamen duo poſteriores propiùs ad verum acceſſere, qui incendium illud è cœlo veniſſe tradunt. Strabo verò ſcribit, fuiſſe illud incendium terreſtre exhalatum eructatumq; è terra. Scribit enim ex quibuſdam ſignis, quibus oſtenditur, eſſe ignem in ſolo illius regionis fidem iis haberi poſſe, quæ ab indigenis prædicantur, in hoc loco tredecim urbes olim habitatas fuiſſe, quarum caput Sodoma adhuc 60. ſtadiorum habet ſuperſtitem ambitum, terra autem tremoribus & ignis aquarumq; calidarum & bituminoſarum ac ſulphurearum eruptione exſtitiſſe lacum, ſaxa ignem concepiſſe, urbium alias abſorptas, alias ab iis, quicumque fugere potuerunt, derelictas. Genebrardus,* Strabo *(inquit)* falſus eſt in numero dum tredecim civitates exuſtas ait, item in cauſa, dum everſionem addicit ſulphuri & bitumini è terra erumpentibus, quæ erat aſſignanda cœlo, i. e. Deo irato.

β Hoc eorum ſupplicium ſpeciem futuri divini judicii.] *Id expreſſè docuit Petrus poſterioris epiſt. ca. 2.* Et civitates *(inquit)* Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens everſione damnavit, exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt, ponens. *& Judas Apoſtolus.* Sicut Sodoma & Gomorrha *(ait)* & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ & abeuntes poſt carnem alteram factæ ſunt exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes: *Quo ſignificatur Sodomiticum illud ſupplicium fuiſſe quoddam exemplar ignis æterni, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Et Chryſoſtomus homil. 4. in epiſt. ad Roma. vocat ignem Sodomorum gehennæ effigiem.*

γ Et in Salem converſa.] *Gen. 19.* Reſpiciens uxor ejus Loth poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam Salis. *Joſephus lib. 1. antiquit. cap. 12.* ἡ Λώτου γυνὴ παρὰ τὴν ἀναχώρησιν εἰς τὴν πόλιν συνεχῶς ἀναστρεφομένη καὶ πολυπραγμονοῦσα τὰ περὶ αὐτὴν ἀπηγορευκότος τοῦ θεοῦ τοῦτο ποιεῖν εἰς στήλην ἁλῶν μετέβαλεν: *Suo tempore etiam exſtitiſſe refert,* ἔτι γὰρ καὶ νῦν διαμένει. *Hæc punitio debebatur uxori Loth, tum ob inobedientiam, tùm etiam ob incredulitatem. Nec enim quicquam referre credidit ad incolumitatem & ſalutem ipſorum, ſi reſpiceret retro, nec ne: Ita Sapient. 10. uxor Loth appellatur anima incredula,* Incredibilis animæ memoria ſtans figmentum Salis. *Origenes allegoricè ita exponit, ut Loth rationabilis ſenſus & animi virilis, quo ſemper ad ſalutem tendimus, uxorem ejus carnis imaginem tenere putet, quæ ſemper retrorſum. i. e. ad vitia reſpicit & voluptates requirit.*

δ Hominibus quidem fidelibus præſtitit condimentum.] *Certè Deus in illa prodigioſa transformatione uxoris Loth eò potiſſimum ſpectavit, ut nos ejus facti recordatione ac contemplatione ita ſaperemus, ut à priſtinis vitiis ac mundanis ſtudiis ad melioris & ſanctioris vitæ rationem & cultum transgreſſi, quæ ſemel à nobis repudiata eſſent, ea deinceps numquam animo reſpiceremus, aut retrò gradum ferremus, & hoc indicavit, cùm dixit Apoſt. Luc. 17.* Memores eſtote uxoris Loth, *tanquam propter id prodigium potiſſimum accidiſſet, ut perpetuum poſteris foret monimentum, ne qui ſerio elegerunt viam Domini, & eam ingreſſi jam ſunt, priſtina ſtudia mundana repetant, quod etiam ſignificabat Deus cum Hebræis egreſſis ex Ægypto, & ad terram promiſſam pergentibus graviſſimo præcepto interdixit, ne unquam ad eandem terram Ægypti regrederentur. Ita enim Deus in ſcriptura loquitur aliquando factis ſicut verbis. Id expreſſit Sedulibus his verſibus,*

Loth Sodomæ fugiente Chaos dum reſpicit uxor
In ſtatuam mutata ſalis ſtupefacta remanſit.
Ad pœnam converſa ſuam, quia nemo retrorſum
Noxia contempti vitans diſcrimina mundi
Reſpiciens ſalvandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens vultum in ſua terga referre.

Iſidor. lib. allegori. Loth typum habuit ſanctorum, qui in fine ſæculi ab impiorum incendio liberabuntur: uxor Loth eorum tenuit typum, qui per gratiam Dei vocati poſtmodum retrò reſpiciunt.

ε Soror mea eſt de patre, ſed non de matre.] *Quia Aran frater Abrahæ & pater Saræ obierat ante patrem Thare, Gen. 11 ideò Sara non alium patrem agnoſcebat quàm avum Thare, & ideò etiam Abraham illam ſororem appellare ſolebat. Id ſcribit Chryſoſt. hom. 45. in Gen. ubi dicit appellatam ſororem Abrahæ, quia eundem patrem vocabat, quem ille, nimirum quia patre proprio amiſſo non alium patrem noverat, quàm avum. Non feſellit itaque Abraham mendacio regem, dicens Saram ſororem ſuam, ſed eluſit ambiguitate, quod licitum eſt cum aliquis interrogatur non juridice. Dicit verò Sororem. i. e. conſanguineam de patre, non de matre, quia neptis erat Abrahæ ex patre, non ex matre, quod uterini non eſſent Abraham & Aran pater Saræ, ſcil. Thare ex alia uxore genuerat Abrahamum, & ex alia ipſum Aran patrem*

Saræ: quare Abraham & Sara eundem Thare appellabant patrem, ille quidem ut genitorem ſuum, hæc verò tum quia erat avus, tum quia eum vice patris ſui jam mortui colebat: non ita poterant eandem fœminam appellare matrem, cùm ex alia Thare generaſſet Abraham, & ex alia procreaſſet Aram patrem Saræ.

§ Tantæ pulchritudinis fuit, ut in illa ætate.] *D. Auguſt. qu. 49 in Gen.* Quæri ſolet quomodo adhuc in illa ætate pro Saræ pulchritudine Abraham periclitari metuebat: ſed magis, *inquit*, formæ illius vis miranda eſt, quæ adhuc amari poterat, quàm quæſtio difficilis putanda. *Hebræi tantam Saræ pulchritudinem in illa ætate, ut à rege peteretur, miraculo adſcribunt, quod Deus nimirum pulchritudinem illius in omni ætate quoad vixit conſervare voluerit in teſtimonium eximiæ illius caſtitatis & ſanctitatis; nihil tamen opus eſt ad miracula confugere, ubi non deeſt nobis alioquin ratio probabilis, at verò illius pulchritudini non oberat tunc temporis nonagenaria ætas, ſi æſtimemus omne ſpatium vitæ illius, quod definitum eſt centum viginti ſeptem annis, unde ſupervixit huic facto 37. annis. Erat ergò tunc ætas muliebris centum & viginti ſeptem annorum, ut nunc octoginta annorum, & tunc ætas nonagenaria erat ſicut nunc quadragenaria aut paulo amplius. Non eſt verò inſolitum reperiri mulieres illa ætate decoras valde & formoſas.*

Cap. XXXI.

De Iſaac ſecundùm promiſſionem nato, cujus nomen ex riſu utriusque parentis eſt inditum.

POſt hæc natus eſt Abrahæ ſecundùm promiſſionem Dei, de Sara filius, *a* eumque nominavit Iſaac, quod interpretatur riſus. *ß* Riſerat enim & pater, quando ei promiſſus eſt admirans in gaudio. Riſerat & mater, quando per illos tres viros iterum promiſſus eſt, dubitans in gaudio: quamvis exprobrante Angelo, quòd riſus ille etiam ſi gaudii fuit, tamen plenæ fidei non fuit. Poſt ab eodem Angelo in fide etiam confirmata eſt. Ex hoc ergo puer nomen accepit: nam quòd riſus ille non ad irridendum opprobrium, ſed ad celebrandum gaudium pertinebat, nato Iſaac, & eo nomine vocato Sara monſtravit. Ait quippe: *Riſum mihi fecit Deus: quicunque enim audierit, congaudebit mihi.* Sed poſt aliquantum tempus ancilla de domo ejicitur cum filio ſuo, & duo ſecundum Apoſtolum teſtamenta ſignificantur, Vetus & Novum: ubi Sara illius ſupernæ Hieruſalem, hoc eſt, civitatis Dei figuram gerit.

Gen. 21. *Gal. 4.*

F. L. Coq. *a* EUmque nominavit Iſaac, qui interpretatur riſus.] *Iſaac fuit typus & figura Chriſti. Id enim ſignificant verba Apoſt. ad Heb. 11.* Abraham Iſaac in parabolam accepit. *i. e. in ſimilitudinem & typum Chriſti. Iſaac antequam naſceretur, promiſit Deus Abrahamo, unde ad Gal. 4. dicitur* per repromiſſionem natus, *ita Chriſtus longe ante incarnationem patribus promiſſus eſt, Abrahamo centenario natus eſt Iſaac in ſenectute, ita populo Iſraelitico Abrahæ ſemini in ipſa ejus ſenectute poſt tot reges & duces ſub duce alienigena Herode natus eſt Meſſias. Quò Rupert. lib. 5. comm. in Gen. cap. 35. refert verba Abrahami Gen. 17.* Putasne centenario naſcetur filius, *quaſi dicat*, hactenus cùm floreret rerum ſtatus temporibus regum nobi-

nobilium, non venit Chriſtus, nunc ſenium eſt quoddam generis Abrahæ ablato ſceptro de Juda & regnante alienigena; putasne ergo nunc veniat, qui mittendus eſt? *Iſaac riſum ſignificat, & in nativitate divinitus hoc nomen accepit, Chriſtus mundi totius riſus & gaudium, Rupert. loco citato.* Hoc *(inquit)* nomine rectè ſeminis Abrahæ, quod eſt Chriſtus, fœlix nativitas ſignificatur, qui univerſitati ſanctorum, quorum ex carne vera caro & verus homo ipſe eſt, ſempiterni riſus & interminabilis gaudii cauſa eſt. *D. Ambroſ. lib. de Iſaac c. 1.* Iſaac riſus Latine ſignificatur: riſus autem inſigne lætitiæ eſt. Quis autem ignorat, quod is univerſorum lætitia ſit, qui mortis formidoloſæ vel pavore compreſſo, vel mœrore ſublato factus eſt omnibus remiſſio peccatorum. Itaque ille nominabatur, & iſte deſignabatur, exprimebatur & annuntiabatur.

β Riſerat & mater.] *A riſu utriusque vult Iſaac inditum eſſe nomen, quod idem ſcribit Iſidor. lib. 7. etym. c. 7. D. Hier. in tradit. Hebr. in Gen. vult à riſu Abrahæ non verò à riſu Saræ id nomen illi impoſitum.* Alii, *inquit*, dicunt, quod Sara riſit, ideò eum riſum vocatum eſſe, quod falſum eſt; alii verò quod riſerit Abraham, quod & nos probamus, poſtquam enim ad riſum Abrahæ vocatus eſt filius ejus, tunc legimus riſiſſe & Saram.

CAP. XXXII.

De obedientia & fide Abrahæ, qua per oblationem immolandi filii probatus eſt, & de morte Saræ.

INter hæc, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, tentatur Abraham de immolando dilectisſimo filio ſuo Iſaac, ut pia ejus obedientia probaretur, α ſeculis in notitiam proferenda, non Deo. β Neque enim omnis eſt culpanda tentatio: quia & gratulanda eſt, qua fit probatio. Et plerunque aliter animus humanus ſibiipſi innoteſcere non poteſt, niſi vires ſuas ſibi non verbo, ſed experimento tentatione quodammodo interrogante reſpondeat: ubi ſi Dei munus agnoverit, tunc pius eſt, tunc ſolidatur firmitate gratiæ, non inflatur inanitate jactantiæ. γ Nunquam ſanè crederet Abraham, quòd victimis Deus delectaretur humanis. Quamvis divino intonante præcepto obediendum ſit, non diſputandum: veruntamen Abraham confeſtim filium, quum fuiſſet immolatus, reſurrecturum crediddiſſe, laudandus eſt. Dixerat namque illi Deus, quum de ancilla & filio ejus foras ejiciendis voluntatem conjugis nollet implere. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Et certè ibi ſequitur, ac dicitur: *Et filium autem ancillæ hujus in magnam gentem faciam: quia ſemen tuum eſt.* Quomodo ergo dictum eſt: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*, quum & Iſmaëlem Deus ſemen ejus vocaverit? Exponens autem Apoſtolus, quid ſit: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen: id eſt,* inquit, *non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed filii repromiſſionis deputantur in ſemen.* Ac per hoc filii promiſſionis, ut ſint ſemen Abrahæ, in Iſaac vocantur, hoc eſt, in Chriſto vocante gratia congregantur: hanc ergo promiſſionem pater prius fideliter tenens: quia per hunc oportebat impleri, quem Deus jubebat occidi, non hæſitavit, quòd ſibi reddi poterat immolatus, qui dari poterat non ſperatus. Sic intel-

Gen. 41. [margin]

Rom. 9. [margin]

lectum

Hebr.11. lectum eſt & in epiſtola ad Hebræos,& ſic expoſitum: *d* *Fide*, inquit, † *præceſ-* al. obtulit. *ſit Abraham: in Iſaac tentatur: & unicum obtulit, qui promiſſiones ſuſcepit, ad quem dictum eſt: In Iſaac vocabitur tibi ſemen: ε cogitans, quia & ex mortuis excitare poteſt Deus.* Proinde addidit: *Pro hoc etiam eum & in ſimilitudinem adduxit.* Cujus ſimilitudinem, niſi illius, de quo dicit idem Apoſtolus: *Qui proprio filio non pe-* Rom.8. *percit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum?* Propterea & ζ Iſaac, ſicut Dominus crucem ſuam, ita ſibi ligna ad victimæ locum, quibus fuerat imponendus, ipſe portavit. Poſtremò, quia Iſaac occidi non oportebat, poſteaquam eſt pater eum Gen.22. feriri prohibitus: η quis erat ille aries, quo immolato impletum eſt ſignificativo ſanguine ſacrificium? nempe quando eum vidit Abraham *b* θ cornibus in frutice tenebatur. Quis ergo illo figurabatur, niſi Jeſus Chriſtus antequam immolaretur, ſpinis Judaicis coronatus? Sed divina per Angelum verba potius audiamus, ait quippe ſcriptura: *Et extendit Abraham manum ſuam ſumere machæram, ut occideret filium ſuum. Et vocavit illum Angelus Domini de cœlo, & dixit: Abraham. Ille autem dixit: Ecce ego. Et dixit: Ne injicias manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam: nunc enim ſcivi, quia times Deum tuum, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* ι Nunc ſcivi, dictum eſt, id eſt, nunc ſciri feci. Neque enim hoc nondum ſciebat Deus. Deinde ariete illo immolato pro Iſaac filio ſuo, vocavit, ut legitur, Abraham nomen loci illius, *c* κ *Dominus vidit: ut dicant hodie, in monte Dominus apparuit.* Sicut dictum eſt, nunc ſcivi, pro eo, quod eſt, nunc ſciri feci: ita hic Dominus vidit, pro eo, quod eſt, Dominus apparuit, hoc eſt, videri ſe fecit. *Et vocavit Angelus Domini Abraham ſecundò de cœlo dicens:* λ *Per memetipſum juravi, dicit Dominus, propter quod feciſti verbum hoc, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me, niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & tanquam arenam, quæ eſt juxta labium maris. Et hæreditate poſſidebit ſemen tuum civitates adverſariorum: & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, d quia obaudiſti vocem meam.* Hoc modo eſt illa de vocatione gentium in ſemine Abrahæ poſt holocauſtum, quo ſignificatus eſt Chriſtus, etiam juratione Dei firmata promiſſio. Sæpe enim promiſerat, ſed nunquam juraverat. μ Quid autem eſt Dei veri veraciſque juratio, Gen.23. niſi promiſſi confirmatio, & infidelium quædam increpatio? Poſt hæc Sara mortua eſt, centeſimo & viceſimo ſeptimo anno vitæ ſuæ, centeſimo autem & triceſimo ſeptimo viri ſui. Decem quippe annis eam præcedebat ætate: ſicut ipſe, quando ſibi ex illa promiſſus eſt filius, ait. *Si mihi annorum centum naſcetur filius, & ſi Sara annorum nonaginta pariet?* Tunc emit agrum Abraham, in quo ſe- Act.7. pelivit uxorem. Tunc ſecundùm narrationem Stephani, in terra illa eſt collocatus: quoniam cœpit ibi eſſe poſſeſſor, poſt mortem ſcilicet patris ſui, qui colligitur, ante biennium fuiſſe defunctus.

a Fide. *a* Fide, inquit, præceſ.] *Aliter legit, quàm nos vulgò ad Hebræos undecimo, & etiam quàm Græci: in aliis exemplaribus Auguſtini non habetur, in Iſaac, ſed tantùm Iſaac.*

b Cor-

b Cornibus in frutice tenebatur.] *Hanc interpretationem ſeptuaginta & etiam Theodotionis plus laudat Hieronymus, quàm Aquilæ & Symmachi.*

c Dominus videt.] *Hieron pro eo, quòd hic habet,* videt, *in Hebræo ſcriptum eſt, videbit. Hoc autem apud Hebræos exivit in proverbium, ut ſi quando in anguſtia conſtituti ſunt, & Domini optant auxilio ſublevari, dicant: In monte Dominus videbit: hoc eſt, ſicut Abrahæ miſertus eſt, miſerebitur & noſtri. Unde & in ſignum dati arietis ſolent etiam nunc cornu clangere. Tantum Hieronymus. Manet adhuc hodie idem proverbii in Hiſpania non omninò ut apud Hebræos, nec omninò ſicut hîc Auguſtinus interpretatur, ſed media quadam ratione, Deus videbit, quaſi exeret & oſtendet vim ſuam.*

d Obaudiſti.] *Sic veteres, quod poſtea obedire, obaudire.*

a SÆculis in notitiam proferenda, non Deo.] *Tentare eſt experimentum ſumere de aliquo, & hic de obedientia Abrahæ ſumptum eſt, non ut Deo nota eſſet, quæ novit ea, quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt, & cujus oculis omnia ſunt aperta, verum ut omnibus nota eſſet & illuſtre obedientiæ & fidei exemplum omnibus ſæculis relinqueretur. Eadem ſcribit ſerm. 72. de temp. & Chryſoſt. hom. 4. in Gen:* Non quod ipſe ignoraret, tentatione illum probavit, ſed ut & hi, qui tunc erant, & qui ab eo tempore usque ad præſens, iſtud ipſum Patriarchæ deſiderium & obedientiam in præceptis divinis præ ſe ferre diſcant. *Eò igitur referebatur illa tentatio, ut manifeſtaretur Abrahæ fides & obedientia, ſcilicet ad gloriam Dei, ad immortalem ejus viri laudem, ad exemplum eruditionemq; & imitationem aliorum.* F. L. eq.

β Neque enim omnis culpanda tentatio eſt] *Idem qu. 57. in Gen. ad ea verba Gen. 12.* Tentavit Deus Abraham. Quæri *(inquit)* ſolet, quomodo hoc verum ſit, cum dicat in epiſtola ſua Jacobus, quod Deus neminem tentet; niſi quia locutione ſcripturarum ſolet dici tentat, pro eo, quod eſt, probat. Tentatio verò illa, de qua Jacobus dixit, non intelligitur, niſi quia quisque peccato implicatur. Unde Apoſtolus dicit, ne fortè tentaverit vos is, qui tentat. Nam & alibi ſcriptum eſt, Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligitis eum; etiam hoc genere locutionis, ut ſciat dictum eſt, ac ſi diceretur, ut ſcire vos faciat, ut quoniam vires dilectionis ſuæ hominem latent, niſi divino experimento etiam eidem innoteſcant; *& q. 58. in Exod. ad ea verba Exod. 16.* Ut tentem illos ſi ambulent in lege mea; Tentatio (*inquit*) iſta probatio eſt, non ad peccatum ſeductio, nec ideò probatio, ut Deus noverit, ſed ut ipſe ipſis hominibus oſtendat, quò humiliores fiant ad petendum adjutorium; & cognoſcendam Dei gratiam. *D. Ambroſ. lib. 1. de Abraham patriar. c. 8.* Aliter Deus tentat, aliter diabolus, diabolus tentat ut ſubruat, Deus tentat, ut coronet.

γ Numquam crederet Abraham, quod victimis Deus delectaretur humanis.] *Theodor. q. 72. in Gen.* Qui prohibet ſacrificari ſibi animalia irrationabilia, quomodo ſacrificium tale pertuliſſet? Siquidem hanc ob rem Judæos ſine intermiſſione notat, & clamat per prophetam David, Sacrificarunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis; & effuderunt ſanguinem innocentem; quomodo ergo is, qui damnat eos, qui talia perpetrant, filium unigenitum à patre ſibi ſacrificio obla-

tum pertuliſſet? verùm hæc erant umbra diſpenſationis pro nobis factæ. Pater ſiquidem filium dilectum obtulit pro mundo. Iſaac typus erat divinitatis, aries humanitatis. *D. Ambroſ. lib. 1. de Abraham, c 8.* Non volebat *(inquit)* Deus immolari à patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ovem pro filio immolandam obtulit; ſed tentabat affectum patris, ſi præcepta Dei præferret filio, nec pietatis paternæ contemplatione vim devotionis inflecteret.

δ Fide præceſſit Abraham in Iſaac tentatus.] *Vulgata editio ita legit,* Fide obtulit Abraham Iſaac cum tentaretur, *ita Græcè legitur,* Πίστει προσενήνοχεν Ἀβραὰμ τὸν Ἰσαὰκ πειραζόμενος.

ε Cogitans quia & ex mortuis excitare.] *Tanta fuit Abrahæ fides,* Ut & cogitarit *(inquit Apoſtolus)* quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. *Certè ſi naturam ipſam ſpectes, neque altius attollas animum, hæc duo ſecum ex diametro pugnantia videbantur, ut moreretur Iſaac, & ex eo tanta poſterorum à Deo promiſſa ſoboles originem duceret. Rectè Theodor. q. 72. in Gen.* Patriarcha medius inter naturam conſtitutus & fidem, cum utrimque prehenſaretur, fidei dedit palmam victoriæ. Μέσος ὢν ὁ πατριάρχης φύσεώς τε καὶ πίστεως καὶ νυττόμενος ἑκατέρωθεν, ἔδωκεν τῇ πίστει τὰ νικητήρια. *Chryſoſt. homil. 47. in Gen.* Non turbatus eſt animo, non confuſus eſt mente, non conſilio deſtitutus eſt; in tam gravi præcepto non cogitabat, non ratiocinabatur ſecum. Cur hoc? Qui mihi præter omnem exſpectationem beneficium exhibuit, qui per miſericordiam ſuam emortuam Saræ vulvam generationi idoneam fecit, nunc poſtquam ablactatus eſt & crevit, & in flore ætatis eſt, occidere & in holocauſtum offerri præcipit, quique paulo antea dixit, in ipſo vocabitur tibi ſemen, nunc diverſa præcipit, & quomodo implebuntur quæ ab eo promiſſa? Quo pacto enim fieri poteſt, ut radice exacta rami pullulent, vel ſucciſa arbore fructus proveniant, vel fonte areſacto fluvii reddantur? Juxta hominis rationem talia fieri non eſt poſſibile; Deo autem volente fieri poſſunt omnia. Cæterùm horum nihil cogitavit juſtus ille, ſed ſicut gratus famulus omiſſa omni ratione humana unam tantum rem curabat, ut imperata opere impleret, & quaſi factus ab humana natura alienus & poſtponendam ducens divinis præceptis omnem affectionem & dilectionem, ad implenda juſſa feſtinavit.

ζ Iſaac ſicut Dominus crucem ſuam.] *Idem lib. 3. de Trin. cap. 6.* Iſaac Chriſtus erat, cum ad ſe immolandum ligna portabat, *& lib. contr. Fauſtum c. 25.* Quis alius in Iſaac lignum ſibi portabat ad victimam, niſi qui crucem ſibi ad paſſionem ipſe portabat? *& lib. 3. contra Maximium cap. 26.* Iſaac filius Abrahæ quid erat in figura niſi Chriſtus, quoniam ſicut ovis ad imolandum ductus eſt, & quoniam ſicut Dominus crucem ſuam, ita & ipſe ſibi, quibus fuerat imponendus ligna portabat. *& ſerm. 71. de tempore,* Quod Iſaac ipſe ſibi ad immolandum ligna detulit, & in hoc Chriſtum Dominum figuravit, qui ad locum paſſionis crucem ſuam ipſe portavit. De quo myſterio multo ante dictum fuerat per prophetam, & erit principatus ſuper humerum ejus. Tunc enim Chriſtus principatum ſuper humerum habuit, quia crucem ſuam admirabili humilitate portavit. *D. Ambroſ.*

broſ. lib. 1. de Abraham cap. 8. Ligna Iſaac ſibi vexit, Chriſtus ſibi patibulum crucis portavit. *D. Gregor. homil. 6. ſuper Ezechielem;* Quid eſt quod Iſaac ad immolandum ducitur, & ligna portat, aræ ſuperimponitur & vivit, niſi quod redemptor noſter ad paſſionem ductus lignum ſibi crucis ipſe portavit: & ſic in ſacrificio pro nobis ex humanitate mortuus eſt, ut tamen immortalis maneret ex divinitate. *Tertull. lib. contra Judæos cap. 10.* Iſaac cùm à patre hoſtia duceretur, & lignum ipſe ſibi portaret, Chriſti exitum jam tum denotabat in victimam conceſſi à patre, paſſionis ſuæ lignum bajulantis. *Idem myſterium obſervat Clemens Alexandrinus lib. 1. pædagogi. cap. 5.*

η Quis erat ille aries.] *Idem lib. 12. contra Fauſtum cap. 25.* Quis alius aries immolandus in vepre cornibus adhærebat, niſi qui crucis patibulo pro nobis offerendus affligebatur ſpinis primitiùs coronatus? *& lib. 3. contra Maximinum cap. 26.* Quis alius erat ille aries, qui cornibus tenebatur in vepre? niſi Chriſtus crucifixus vel ſpinis coronatus? Hunc autem arietem pro filio, cui parcere juſſus eſt, immolavit Abraham. Ita enim homini parci juſſit Deus, ut tamen ex pecude propter paſſionem Chriſti, quæ illo modo prænuntiabatur, myſterium ſacri ſanguinis impleretur; *Iſich. lib. 5. in Levit.* Arietem ex cornibus colligatum videns Abraham immolavit eum, & ſacrificii Chriſti complevit imaginem, unde & de eo Dominus dicebat, Abraham exultavit, ut videret diem meum. *Eadem Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 8.*

θ Cornibus in frutice tenebatur.] *D. Hieronymus in traditio. Hebraicis,* tenebatur in virgulto Saber. *Aliqui interpretantur* Saber *eſſe nomen virgulti, quod ita Hebraicè dicebatur. Ob hanc cauſam vocem* Saber *non interpretati ſunt ſeptuaginta, quia dictio Hebraica cùm ſit una, multa ſignificat, & multas fert interpretationes. Alii exponunt erectum & ſublimatum cornibus ſuis, Græce eſt* κατχόμενος.

ι Nunc ſcivi dictum eſt. i. e. nunc ſciri feci.] *Quæſtione 58. in Gen. interpretatur* nunc te feci cognoſcere, *ſerm. contra Arrian. c. 25.* nunc feci ut cognoſcas, *eodem modo lib. 1. contra Maximinum c. 1. & lib. 3. cap. 19. & lib. 4. de Gen. ad liter. cap. 9.* Nunc feci ut cognoſceretur. *Ita interpretatur D. Gregorius lib. 21. moral. cap. 5.* Scire Deus dicitur ſcire nos facere uſitato noſtræ locutionis modo, qui lætum diem dicimus, ex quo contingit ut lætemur. Hinc eſt enim quod ad Abraham dominus dicit, nunc cognovi quod timeas Deum. neque enim creator temporum quicquam cognovit ex tempore, ſed cognoſcere ejus eſt ex cujuslibet cauſa emergentis articulo nobis cognitionem præbere.

κ Dominus vidit, ut dicant hodie.] *Ita elegit etiam quæſt. 58. in Geneſi. D. Hieron. legit,* in monte dominus videt, ut dicunt hodie, in monte dominus videt, *& monet in Hebræo ſcriptum eſſe* videbit. Hoc autem, *inquit,* apud Hebræos exivit in proverbium, ut ſi quando in anguſtia conſtituti ſint & Dei optent auxilio ſublevari, dicant: in monte dominus videbit, hoc eſt ſicut Abrahæ miſertus eſt dominus, ita miſerebitur & noſtri. *Aliqui etiam ex Hebræis putant illud,* in monte Dominus videbit, *prophetice dictum eſſe de templo Hieroſolymitano, quod in eo monte ædificatum eſt à Salomone, in quo Deus preces ſupplicum videbat. nomen autem*

illud inditum monti à reſponſo, quod dederat Abraham filio ſuo interroganti, ubi eſſet victima, *reſpondit enim*, dominus providebit ſibi victimam, *ex eo enim montem appellavit*, dominus videbit *i.e.* providebit. *Græcè legitur*, ἐν τῷ ὄρει κύριος ὤφθη. viſus eſt *ſeu* apparuit. *Hebraice legitur*, in monte dominus videbitur. *prophetiam quidam eſſe volunt, quòd ibi Chriſtus redemptor mundi videndus eſſet, & in eo morte ſua homines redempturus.*

λ Per memetipſum juravi, dicit dominus.] *Alludit ad hanc promiſſionem factam Abrahæ Apoſtolus in epiſt. ad Hebr. ca. 6.* Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per ſemetipſum dicens, niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. *Juramento, inquit, confirmavit quod promiſit, ut deficere non poſſe intelligamus. juravit autem per ſemetipſum, juraturus per majorem ſi haberet, ut nullus dubitandi locus relinqueretur, ſed firmum & ſanctum juramentum haberetur.*

μ Quod Dei veri veraciſque juratio niſi promiſſi confirmatio.] *Idem in Pſalm. 88. ad ea verba*, juravi David ſervo meo, ſi ſecurum, *inquit*, me facies, quia dixiſti, quanto ſecuriorem, quia juraſti. Dei quippe juratio promiſſionis eſt confirmatio.

Cap. XXXIII.

De Rebecca nepte Nachor, quam Iſaac accepit uxorem.

Deinde Rebeccam neptem Nachor patrui ſui, quum annorum quadraginta eſſet Iſaac, duxit uxorem, centeſimo ſcilicet & quadrageſimo anno vitæ patris ſui, triennio poſt mortem matris ſuæ. Ut autem illam duceret, quando ab ejus patre in Meſopotamiam ſervus miſſus eſt: quid aliud demonſtratum eſt, Gen. 24. quum eidem ſervo dixit Abraham: a *Pone manum tuam ſub femore meo, & adjurabo te per Dominum Deum cœli, & Dominum terræ, ut non ſumas filio meo Iſaac uxorem de filiabus Chananæorum, niſi Dominum Deum cœli & Dominum terræ in carne, quæ ex illo femore trahebatur, fuiſſe venturum?* Nunquid hæc parva ſunt prænunciata inditia veritatis, quæ compleri videmus in Christo?

L. Viv. a Pone manum tuam ſub femore.] *Gen. 24. habetur hiſtoria. Docet hac ceremonia adumbratum fuiſſe myſterium incarnationis Chriſti, utpote carnem ex femore. i. e. ex ſtirpe & genere Abrahæ ſumpturi, quod idem ſcribit, & q. 62. in Geneſ. his verbis:* Quod Abraham jubet puero ſuo, ut manum ſuam ponat ſub ejus femore, & ſic eum adjurat per dominum cœli, & dominum terræ, ſolet imperitos movere non attendentes, magnam de Chriſto extitiſſe prophetiam, quod ipſe dominus cœli & dominus terræ in ea carne venturus eſſet, quæ de illo femore propagata eſt; *& lib. contr. Secundin. Manichæ. c. 23.* Abraham ſervo ſuo dixit, poſtulans juriſjurandi fidem, pone, *inquit*, manum tuam ſub femore meo, & jura per Deum cœli. Servus quidem ille obediendo jurabat, ſed & Abraham jubendo prophetabat, Deum ſcil. cœli in eam carnem eſſe venturum, quæ fuiſſet ex illo femore propagata, *& libr. de peccat. orig. c. 27.* Nunquid & illud quod jubet Abraham ponere manum ſervum ſuum ſub femore ſuo, & jurare per Deum cœli aliter quiſquam recte intellecturus eſt niſi Abraham ſciſſe, in qua venturus

turus eſſet Deus cœli, carnem ex illo femore propagari? *Eadem & lib. 12. contr. Fauſtum c. 41. & ſer. 75. de tempore, & lib. de bono conjug. cæteri item patres in hoc facto idem myſterium latuiſſe volunt. D. Hier. in tradit. Hebr. cap. 19. ad eum locum Gen.* Tradunt Hebræi, *inquit*, quod in ſanctificatione ejus. *i. e.* in circumciſione juraverit, nos autem dicimus juraſſe eum in ſemine Abrahæ. *i. e.* in Chriſto, qui ex illo naſciturus erat, *& lib. 1. contr. Jovin. c. 5. idem tradit. D. Ambroſ. lib. 1. de Abraham cap. 9.* Per femur generationem intelligimus, generatio autem Abrahæ Chriſtus eſt. *Rupert. lib. 6. comm. in Gen. c. 36. Iſidor. comment. in Gen. cap. 19. Proſper Aquitanicus de promiſſi Dei p. 1. cap. 19.* In femore Abrahæ Deum cœli fuiſſe hic ordo oſtendit, quod Abraham genuit Iſaac, Iſaac Jacob, Jacob duodecim patriarchas, in quibus Judas, ex cujus tribu David, de quo per ſeriem generationum virgo Maria, quæ peperit Chriſtum, qui eſt Deus cœli, quia per ipſum facta ſunt omnia. *Fulgentius lib. de incarnat. & gratia Chriſti cap. 3.* Ad hoc pertinet ſalutis noſtræ myſterium, quod pater noſter Abraham diſpenſatorem domus ſuæ præcepit ſub ejus femore manum ponere, & jurare per Deum cœli. Quod non niſi ſpiritu feciſſe credendus eſt, tunc ſcilicet quando omnia in figura contigiſſe vas electionis inſinuat. Illud igitur ideo ſanctus Abraham pater Gentium fecit, non quia carni ſuæ credebat aliquod jam eſſe cum Deo cœli conſortium naturale, ſed ut oſtenderet Deum cœli ex ea carne naſciturum hominem, quæ de ſemine ipſius Abrahæ pro paganis duceret veritatem.

Cap. XXXIV.

Quid intelligendum ſit in eo, quod Abraham poſt mortem Saræ accepit uxorem Cethuram.

Quid autem ſibi vult, quòd Abraham α poſt mortem Saræ β Cethuram duxit uxorem? Ubi abſit, ut incontinentiam ſuſpicemur, præſertim in illa jam ætate, & in illa fidei ſanctitate. An adhuc procreandi filii quærebantur, quum jam Deo promittente tanta multiplicatio filiorum ex Iſaac per ſtellas cœli & arenam terræ fide probatiſſima teneretur? γ Sed profectò, ſi Agar & Iſmaël doctore Apoſtolo, ſignificaverunt carnales veteris teſtamenti, cur non etiam Cethura & filii ejus ſignificent carnales, qui ſe ad teſtamentum novum exiſtimant pertinere? Ambæ quippe & uxores Abrahæ, & concubinæ ſunt appellatæ. Sara verò nunquam dicta eſt concubina, ſed uxor tantùm. Nam & quando data eſt Agar Abrahæ, ita ſcriptum eſt: *Et apprehendit Sara uxor Abrahæ Agar Ægyptiam ancillam ſuam poſt decem annos, quam habitaverat Abraham in terra Chanaan, & dedit eam Abrahæ viro ſuo uxorem.* De Cethura autem, quam poſt obitum Saræ accepit, ſic legitur: *Adjiciens autem Abraham ſumpſit uxorem, cui nomen Cethura.* Ecce ambæ δ dicuntur uxores Abrahæ, ambæ porrò concubinæ fuiſſe reperiuntur, poſtea dicente ſcriptura: *Dedit autem Abraham omnem cenſum ſuum Iſaac filio ſuo, & filiis concubinarum ſuarum dedit Abraham dona, & dimiſit eos ab Iſaac filio ſuo adhuc ſe vivo, ad Orientem in terram Orientis.* Habent ergo nonnulla munera filii concubinarum, ſed non perveniunt ad regnum promiſſum:

Gen. 25.

Gal. 4.

Gen. 16.

nec hæretici, nec Judæi carnales? quia præter Iſaac nullus eſt hæres: & non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed filii promiſſionis deputantur in ſemine, de quo dictum

Rom. 9. eſt: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Neque enim video, cur etiam Cethura poſt u-

Gen. 21. xoris mortem ducta, niſi propter hoc myſterium dicta ſit concubina. Sed quiſquis hæc non vult in iſtis ſignificationibus accipere, non calumnietur Abrahæ. Quid ſi enim & hoc proviſum eſt *a* contra hæreticos futuros ſecundarum adverſarios nuptiarum, ut in ipſo patre multarum gentium poſt obitum conjugis, iterum conjugari demonſtraretur, non eſſe peccatum. Et mortuus eſt Abraham,

Gen. 25. quum eſſet annorum centum ſeptuaginta quinque. Annorum ergò ſeptuaginta quinque Iſaac filium dereliquit, quem centenarius genuit.

L. Vives. a CONtra hæreticos futuros.] *Secundas nuptias Cataphryges nihil à fornicatione differre cenſebant, ut Auguſtinus ſcribit ad QuodvultDeum. Hieronymus non modò ſecundas nuptias abominatur, ſed primas etiam parum probat contra Jovinianum diſputans, homo cælebs & conjugio parum æquus.*

F. L. Coq. α POſt mortem Saræ.] *Scribit Cajetanus, non conſtare certò, an hoc conjugium initum ſit ante vel poſt mortem Saræ: probabilius tamen, initum eſſe Sara jam mortua, ut hic ſentit D. Auguſtinus, & ſcribit Origenes homil. 11. in Geneſin, & id patet ex ordine Moſaicæ narrationis, quæ id memorat poſt mortem Saræ & poſt nuptias Rebeccæ cum Iſaac, nec enim reſponderi poteſt, per recapitulationem id narrare Moſem, ut enim ita exiſtimemus, nulla manifeſta ratio cogit.*

β Cethuram duxit uxorem.] *D. Hieronymus in tradit. Hebrai. refert, opinionem Hebræorum exiſtimantium, Cethuram ipſam fuiſſe Agar, à qua opinione nec abhorret Lyranus in cap. 25. Geneſ. id aſſeruit apertè, quem refert Pererius diſputat. 2. in illud caput, ubi ex ſententia Cajetani & Toſtati eandem refellit ſententiam. Ita habet Cajetanus, multipliciter inſinuatur in hoc capite, quod hæc mulier nomine Cethura, non fuerit Agar, ut multi Hebræorum crediderunt. Nam & loquendi modus (ſic enim eſt Hebraicè.)* Et addidit Abraham, & accepit mulierem, & nomen ejus Cethura, *novitatem nuptiarum inſinuat. Et quod magis urget, explicatur non cognomen, ſed nomen mulieris Cethura. Et hoc eodem capitulo nominatur Agar ſuo nomine; & quod amplius eſt, clarè ſubjungitur, Abraham habuiſſe non tantum unam, ſed multas concubinas. Toſtatus in eum locum præter has & aliam adfert rationem, nimirum Abraham cum uſque eo in ſenectute proceſſiſſet, ut tunc minor non eſſet centeſimo & quadrageſimo anno, non duxiſſet in ea ætate, niſi uxorem adoleſcentulam, ex qua generare poſſet filios. Vir enim ſenex ex ſene fœmina generare non poteſt, ſed ex puella, ob idque Abraham centenarius ex fœmina nonagenaria Sara non potuit naturaliter gignere filium Iſaac; multo igitur minus cum eſſet nunc Abraham centum quadraginta annorum, aut etiam eo amplius, potuiſſet ex Agar generare tot filios, quot refertur, ex Cethura generaſſe, cum eſſet id temporis Agar annorum circiter octoginta, ut facilè ex ſcriptura colligi poteſt.*

γ Sed profectò ſi Agar & Hiſmael.] *Non ſine divino conſilio factum eſſe docet, ut Abraham vir ſanctiſſimus & continentiſſimus in ea ætate duxerit uxorem. Latebat enim in eo conjugio myſterium hujuſmodi, ut ſicut in Agar & Hiſmael adumbrati ſunt*

ri ſunt carnales homines veteris teſtamenti, ita per Cethuram,& ejus filios præſignificati carnales homines novi teſtamenti, qui ad regnum promiſſum cum Iſaac, id eſt, cum filiis promiſſionis, ſeu ſpiritualibus non perveniant. Ita hic interpretatur Auguſtinus, & quæſt. in 70. Geneſ. his verbis: Hoc factum Abrahæ, quod poſt mortem Saræ de Cethura filios procreavit, non ſic accipiendum eſt, quaſi humana conſuetudine & cogitatione tantummodo ſubſtituendæ numeroſioris prolis hoc factum ſit. Sic enim poſſent etiam accipere homines, quod de Agar factum eſt, niſi admoneret Apoſtolus, illa fuiſſe facta prophetice, ut in utriſque perſonis mulierum earumque filiorum duo teſtamenta ad futurorum prænunciationem allegorica ſignificatio figuraret. Unde in iſto quoque Abrahæ facto tale aliquid quærendum eſt, ſi non facilè occurrat. ego interim quod mihi occurrit, indicabo. munera, quæ acceperunt filii concubinarum, videntur mihi ſignificare quædam Dei dona vel in ſacramentis, vel in quibusque ſignis, etiam carnali populo Judæorum & hæreticis data, velut filiis concubinarum, cum hæreditatis munus, quod eſt charitas & vita æterna, non niſi ad Iſaac pertineat, *i. e.* ad filios promiſſionis. *Eadem Iſidorus lib. commentar. in Geneſ. cap. 20.*

δ Ambæ dicuntur uxores, ambæ porrò concubinæ.] *Idem qu. 90. in Geneſ.* Non facilè dignoſcitur, quas concubinas appellet ſcriptura, quas uxores, quandoquidem & Agar dicta eſt uxor, quæ poſtea dicitur concubina, & Cethura, & ancillæ, quas dederunt Rachel & Lia viro ſuo; niſi fortè omnis concubina uxor, non autem omnis uxor concubina more loquendi ſcripturarum appelletur, *i. e.* ut Sara & Rebecca, & Lia, & Rachel concubinæ dici non poſſunt, Agar verò & Cethura & Bala & Zelfa & uxores & concubinæ. *D. Thomas in 4. diſtinct. 33. q. 1. art. 3. ad 3. ſecutus doctrinam D. Auguſtini;* Ubicumque *(inquit)* in veteri teſtamento legitur, aliquos ſanctos viros concubinas habuiſſe, oportet dicere, eas illis fuiſſe matrimonio junctas, & tamen aliquo modo concubinas dici, quod aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinæ: nam ſecundùm quod matrimonium ordinatur ad ſuum principalem finem, qui eſt prolis procreatio, ſic erant uxores; ſed ſecundùm quod ordinatur ad ſecundarium finem, qui eſt diſpenſatio familiæ & mutua communicatio operum viri & uxoris, & ſimul cohabitatio, ſic uxores non erant, quæ primæ uxori accedebant, ſed concubinæ appellabantur, quaſi ſimile aliquid habentes cum concubina, in hoc ſcilicet, quod poterant è lecto & à domo ſicut illa, quæ verè eſt concubina, expelli. *Lippomanus in cap. 22. Geneſ.* Concubinæ *(inquit)* olim erant non illegitimæ & fornicariæ, ſed uxores minimè principales, quarum filiis non debebatur hæreditas, nec æqualis honor, non ſacerdotium, non primogenitura, munera tantum recipiebant, & ſe mutua charitate complectebantur, & ſeſe juvabant. *Sic igitur Sara ipſi Abrahæ erat uxor, ſed non concubina, Agar & Cethura erant concubinæ, ſed & legitimæ uxores. Duas etiam fuiſſe antiquitus apud Romanos uxorum formas, docet Cicero in Topicis, unam matrum familias, hæ ſunt, quæ in manum convenere, alteram earum, quæ uxores tantummodo habebantur. Quæ erant*

primi

primi generis, authore Agellio lib. 18. cap. 6. non in matrimonium tantùm, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui haredis locum veniebant.

g Contra hæreticos futuros ſecundarum adverſarios nuptiarum.] *Cataphrygas intelligit, qui ſecundas nuptias deteſtabantur, & loco fornicationis habebant, ut author eſt idem lib. de hæreſ. ad Quod vult Deum cap 26. D. Hieronymus in epiſtolam ad Titum cap. 1. Epiphanius contra hæreſin 48. Alphonſus à Caſtro v. nuptiæ hæreſ. 2. Prateolus in Elencho v. Cataphrygæ.* Authores hujus hæreſis fuere Montanus tanquam paracletus & duæ propheti*ſ*ſæ ipſius Priſca & Maximilla. His nomen provincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt, ibique vixerunt. *ita Auguſtinus loco citato. Ut notat Pamelius in Antidoto ad paradoxa Tertulliani cap. 25. Tertullianus ipſe in hanc hæreſim Montani paulatim delapſus eſt, quam tamen reprobaverat priùs lib. de præſcript. Primum caſtitatis amore librum ſcripſit ad uxorem de unis nuptiis, in quo quidem ab illis dehortatur. Verùm non improbat tanquam ſtupra, imò cum lib. 2. ad uxorem, ſi nubere velint, ſaltem in domino nubere debere, i. e. Chriſtiano lecto deducit, non omninò tunc damnaſſe videtur ſecundas nuptias, in illis tamen duobus libris ſuſpecta ſunt aliquot loca, ut cum lib. 1. cap. 1. ſecundas nuptias appellat* Confuſionem, *& cap. 4.* contumeliam, *& cap 5.* deteſtabiles, *& alibi quoque* ſpurcas & dedecus voluptuoſum. *lib. 1. contra Hermogenem c. 1 errori huic apertè favet, ſed in libris de exhortat. caſtitatis & de monogamia Montanum ſecutus non ſolùm ſtupra & adulteria, & mœchiam appellat ſecundas nuptias, verùm etiam id variis argumentis probare nititur, ſed fruſtra. Cathari etiam ſecundas nuptias damnarunt, ut ſcribit Auguſtinus hæreſ. 38. Epiphanius contra hæreſim 59. A Caſtro loco citato, Prateolus v. Cathari. Scribit Vives hoc loco, D. Hieronymum abominari ſecundas nuptias, quod fortaſſe epiſtola 11. ad Ageruchiam videatur inprimis favere monogamiæ, ubi ſatis etiam ſuam ſententiam aperit.* Damnamus *(inquit)* ſecunda matrimonia? minimè. Sed prima laudamus, abjicimus de eccleſia nihilominus bigamos? abſit, ſed monogamos ad continentiam provocamus. *Immo epiſt. 44. quæ eſt ad Marcellam, hunc inter errores Montani ſectatorumque notat,* Quod in tantum putent ſcelerata conjugia iterata, ut quicumque hoc fecerit, adulter habeatur; *Quod idem facit in Epiſtolam ad Titum c. 1. Libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis inter volumina, quæ adverſus Eccleſiam texuit Tertullianus, recenſet librum de monogamia, & alibi,* Liber de monogamia *(inquit)* apertè hæreticus eſt, *& in epiſtolam ad Titum c. 1.* Scribit & Tertullianus librum de monogamia hæreticum, quem Apoſtolo contraire, nemo qui Apoſtolum legerit, ignorabit. *& in libris contra Jovinianum etſi longe præferat virginitatem ipſi matrimonio, & continentiam ſecundis nuptiis, non tamen damnat ſecundas nuptias. in fine lib. 1.* Non damno *(inquit)* digamos, immo nec trigamos, & ſi dici poteſt, octogamos. *Quod iisdem verbis repetit in Apologia ad Pammachium. Falſo ergo calumniatur Vives D. Hieronymum, quod nuptiis ſecundis iniquus ſit, & eas abominetur; *(non laudat quidem, & merito, non damnat)* neque abominatur. Ita ſcribit in Apologia ad Pammachium,* Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Eccleſia digamiam, immo nec trigamiam, & ita licere quinto, & ſexto, & ultra,

ultra, quomodo & ſecundo marito nubere. Sed quomodo non damnantur iſtæ nuptiæ, ita nec prædicantur, ſolatia miſeriæ ſunt, non laudes continentiæ: *In eadem Apologia.* Aperiant quæſo aures obtrectatores mei, & videant, me ſecundas & tertias nuptias conceſſiſſe in domino: qui ſecundas & tertias non damnavi, primum potui damnare matrimonium? *In præfatione primi Commentariorum in Hieremiam reſpondens calumniis cujusdam Scoticæ nationis, cujus nomen non exprimit, qui poſt Ruffinum, præceptorem & amicum ſuum, ſtylum in D. Hieronymum exeruerat, hæc habet:* In libris, quos contra Jovinianum ſcripſi, dolet virginitatem nuptiis, & nuptias digamiæ, digamiam polygamiæ eſſe prælatam. Nec recordatur ſtolidiſſimus & Scotorum pultibus prægravatus nos in ipſo dixiſſe opere, non damno digamos, immo nec trigamos, & ſi fieri poteſt octogamos, plus aliquid inferam, etiam ſcortatorem recipio pœnitentem, quicquid æqualiter licet, æquali lance penſandum eſt. Legat ejusdem operis Apologiam, quam ante annos plurimos adverſus magiſtrum ejus gaudens Roma ſuſcepit. *Ex quibus ſatis conſtat de ſententia D. Hieronymi.*

CAP. XXXV.

De geminis adhuc in utero Rebeccæ matris incluſis quid indicaverit divina reſponſio.

JAm ex hac, quemadmodum per poſteros Abrahæ civitatis Dei procurrant tempora videamus. A primo igitur anno vitæ Iſaac uſque ad ſexageſimum, quo ei nati ſunt filii, illud memorabile eſt, quod cùm illi Deum roganti, ut pareret *a* uxor ejus, quæ ſterilis erat, conceſſiſſet Dominus, quod petebat, atque haberet illa conceptum: *a* β geſtiebant gemini adhuc in utero ejus incluſi. Qua moleſtia cùm angeretur, γ Dominum interrogavit, accepitque reſponſum: *Gen. 25.*
Duæ gentes in utero tuo ſunt, & duo populi de ventre tuo ſeparabuntur, & populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori. δ Quod Paulus Apoſtolus magnum *Rom. 9.*
vult intelligi gratiæ documentum: quia nondum illis natis, nec aliquid agentibus boni ſeu mali, ſine ullis boni meritis eligitur, minor, majore reprobato: quoniam procul dubio quantum attinet ad originale peccatum, ambo pares erant: quantum autem ad proprium, nullius eorum nullum erat. Sed nunc de hac dicere aliquid latius inſtituti operis ratio non ſinit, unde & in aliis jam multa diximus. Quod autem dictum eſt: *Major ſerviet minori:* nemo ferè noſtrorum aliter intellexit, quàm majorem populum Judæorum, minori populo Chriſtiano ſerviturum. Et revera quamvis *b* in gente Idumæorum, quæ nata eſt de majore, cui duo nomina erant (nam & Eſau vocabatur, & Edom, unde Idumæi) hoc videri poſſit impletum: quia poſtea ſuperanda fuerat à populo, qui ortus eſt ex minore, id eſt, ex Iſraëlitico, eique fuerat futura ſubjecta: tamen in aliquid majus intentam fuiſſe iſtam prophetiam, qua dictum eſt, *Populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori:* convenientius creditur. Et quid eſt hoc niſi quòd in Judæis & Chriſtianis evidenter impletur?

a GEſtiebant gemini.] *Hieronymus. Et concepit Rebecca uxor ejus, & movebâtur* *L. Tra.*
filii

ſilii ejus in ea. Pro motione LXX. poſuerant ἐσκίρτων, *id eſt, ludebant ſive calcitrabant. Quod Aquila tranſtulit, confringebantur ſilii in utero. Symmachus verò* διέπλεον, *id eſt, in ſimilitudine navis in ſuperficie ferebantur.*

b In gente Idumæorum.] *Stephanus Idumæos à filio Semiramidis Idumæa, ſicut Judæos ab ejuſdem filio Juda natos putat. quod eſt commentitium.*

P.L.C.4. *α* UXOR ejus quæ ſterilis erat.] *Theodoretus quæſt. 74. in Geneſim quærit, qua ratione uxores Patriarcharum eſſent ſteriles.* Volens, *inquit*, Deus componere genus Iſraeliticum, oſtendit, illud non naturali ſucceſſione, ſed gratia & favore multiplicandum, Hanc autem providentiam adeptum eſt genus illud, quia Chriſtus dominus unigenitus Dei filius inde ſecundùm carnem naſci debebat.

β GESTIEBANT gemini.] *Ita legit etiam quæſt. 72. in Geneſim. Ambroſius lib. de Iſaac cap. 4. legit* exultabant. *D. Hieronymus in traditio.* & movebantur filii ejus in ea. *pro motione 70. poſuerunt* ἐσκίρτων. *i. e.* Ludebant *ſive* calcitrabant, *quod Aquila tranſtulit*, conſtringebātur filii in utero ejus *Symmachus* διέπλεον *i. e.* in ſimilitudinem navis in ſuperficiem ferebantur. *Scholiaſtes tamen ex Symmacho refert* διεπάλαιον *i. e* colluctabantur. *Hinc conſtat, motum illum geminorum in utero Rebeccæ non fuiſſe naturalem, ſed divinitus factum ad præſignificandum futuras diſcordias & contentiones inter poſteros Jacob & Eſau, ſiquidem Rebecca dominum conſulens ſuper eo motu & contentione filiorum in utero hoc reſponſum tulit*, Duæ gentes &c.

γ Dominum interrogavit, accepitque reſponſum.] *Ita legitur Geneſ. 25.* Perrexit, ut conſuleret dominum, *ubi occurrit quæſtio, ad quem locum vel etiam ad quam perſonam perrexerit Rebecca, & quomodo conſuluerit dominum. Theodoretus qu. 75. in Geneſ.* τινές φασι πρὸς τὸν Μελχισεδὲκ αὐτὴν ἀπεληλυθέναι, ἅτε δὴ καὶ ἀρχιερέα τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου, καὶ ἐπίσημον ἐν εὐσεβείᾳ καὶ λίαν περιφανῆ. ἐπειδὴ γὰρ εἰώθεσαν οἱ πατριάρχαι καὶ θυσιαστήρια τῷ θεῷ κατασκευάζειν ἐν οἷς ἐσκήνουν χωρίοις, εἰκὸς εἰς ἓν τούτων αὐτὴν ἐπελθοῦσαν ἱκετεῦσαι τὸν τῶν ὅλων θεὸν καὶ γνῶναι τὰ συμβησόμενα. *D. Auguſt. quæſt. 72. in Geneſ. multas quidem ſententias circa hanc quæſtionem adducit, nihil tamen definit.* Quod de Rebecca *(inquit)* ſcriptum eſt, quia venit interrogare Dominum, cùm geſtirent puerperia in utero ejus. quæritur, quò ierit. Tunc enim non erant Prophetæ, aut ſacerdotes ſecundùm ordinem tabernaculi aut templi Domini. Quò ergo ierit, meritò movet, niſi fortè ad locum, ubi aram conſtituerat Abraham, ſed illic quomodo reſponſa dentur, omninò tacet ſcriptura, utrū per aliquē ſacerdotem, quod incredibile eſt, ſi erat, nō fuiſſe nominatū. & nullam ibi omnino factam eſſe mentionem aliquorum ſacerdotum, aut fortè ibi cum orando allegaſſent deſideria ſua, dormiebant in loco, ubi per ſomnium moverentur? an adhuc vivebat Melchiſedech, cujus tanta fuit excellentia, ut à nonnullis dubitetur utrum homo, an Angelus fuerit? an etiam erant illo tempore aliqui tales homines Dei, in quibus poſſet Deus interrogari? Quicquid horum eſt, & ſi quid aliud, quod me fortè, ne commemorarem, præterierit, mentiri tamen ſcriptura non poteſt, quæ dixit, Rebeccam iiſſe ad interrogandum Dominum, eique Dominum reſpondiſſe. *Genebrardus in Chronico, eo*

co, eo tempore oraculum, ad quod conſulendum Rebecca perrexit Geneſ. 25. ait fuiſſe in templo, cujus Pontifex erat Melchiſedech. D. Chryſoſtomus homilia 50. in Geneſ. ſcribit, eam adiiſſe ſacerdotes & per ſacerdotem ei à Deo reſponſum. Diodorus Tarſenſis putat, Rebeccam recepiſſe ſe in locum aliquem ſecretum orandi cauſa, ubi in preces effuſa divinum reſponſum accepit fortaſſe per interiorem illuſtrationem vel in ſomno vel in vigilia, vel etiam per Angelum aliquem in forma humana cum ea loquentem. Nihil certi ea de re ſtatui poteſt, & ipſe D. Auguſtinus quæſtione citata multas ſententias complexus nihil definit.

δ Duæ gentes in utero tuo ſunt.] *Phraſis eſt modus loquendi ſcripturæ, ut gens pro principe gentis ponatur, ut aliquando etiam princeps gentis pro ipſa gente, ſic Jacob & Iſrael pro populo Hebræo in eum ſuam referente originem. Significantur ergo duo filii Rebeccæ, qui futuri erant principes, & capita duarum gentium ſcilicet Hebræorum & Idumæorum. Illæ enim duæ gentes virtute ac poteſtate continebantur in duobus illis filiis.* Et duo populi ex utero tuo dividentur, *nempe ex utero tuo prodibunt duo filii ſatores duorum populorum, qui inter ſe ſedibus, moribus, legibus, animis, religione diviſi erunt.* Et populus populum ſuperabit, *quod in poſteris Eſau tempore Davidis completum eſt, cum David Rex populi Hebræi ex Jacob ducentis originem Idumæos ſubjecit poſteros Eſau, 2. Regum cap. 3.* Poſuit David in Idumæa cuſtodes ſtatuitque præſidium, & facta eſt univerſa Idumæa ſerviens David. *Vult tamen D. Auguſtinus in hac prophetia ſeu divino oraculo aliquod majus myſterium & magis à Spiritu ſancto intentum latere, ſcilicet in duobus illis quemadmodum in Iſaac & Iſmael adumbrari duos populos, Judæos & Gentes, quorum illi prius literæ legis inſerviebant, hi autem poſterius in gratiam & libertatem filiorum Dei vocati ſunt. Utramque hujus loci interpretationem tangit etiam quæſt. 73. in Geneſ.* Solet & ſic intelligi hoc quod dictum eſt, ut in Eſau figuratus ſit major populus Dei, id eſt, Iſraeliticus ſecundùm carnem. Per Jacob autem figuratus ſit ipſe Jacob ſecundùm ſpiritualem progeniem, ſed etiam hiſtorica veritate reperitur hoc reſponſum eſſe completum, ubi populus Iſrael, id eſt, Jacob minor filius ſuperavit Idumæos, id eſt, gentem quam propagavit Eſau, eosque fecit tributarios per David, quod diu fuerunt usque ad regem ſcilicet Joram, ſub quo Idumæi rebellaverunt. *Eandem prophetiam de Judæis & Chriſtianis interpretatur ſerm. 78. de temp.* Quod ſcilicet major & ſenior populus Judæorum ſervire deberet minori & juniori populo Chriſtianorum. *Ita etiam interpretatus eſt Irenæus lib. 4. c. 38.* Ea, *inquit*, quæ circa Iſaac non ſine ſignificatione ſunt. In ea enim epiſtola, quæ eſt ad Romanos, ait Apoſtolus, ſed & Rebecca ex uno concubitu habens Iſaac patris noſtri à verbo reſponſum accepit, ut ſecundùm electionem propoſitum Dei permaneat non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, duo populi in utero tuo, & duæ gentes in ventre tuo, & populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori. Ex quibus manifeſtum eſt non ſolùm prophetationes Patriarcharum, ſed & partum Rebeccæ prophetiam fuiſſe duorum populorum, & unum quidem eſſe majorem, alterum minorem, & alterum quidem ſub ſervitio, alterum verò liberum. *Ita intellexerunt etiam Juſtinus contra Tryphonem, Tertullia-*

nus lib. contra Judæos cap. 1. Origenes hom. 11. in Geneſ. Proſper lib. de promiſſ. cap. 20. D. Auguſtinus tract. 11. in Evangelium Joannis interpretatur bonos & malos, qui ſimul ſunt in utero Eccleſiæ , Duo, *inquit*, homines duo populi, bonus populus, malus populus, ſed tamen in uno ventre luctantur. Quanti mali ſunt in Eccleſia, & unus uterus portat, donec in fine diſcernantur, & boni adverſus malos clamant, & mali adverſus bonos reclamant; & in unius viſceribus utrique luctantur, nunquid ſemper ſimul erunt? In fine exitur ad lucem, declaratur nativitas, quæ hic in ſacramento figuratur, & nunc apparebit, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.

s Quod Paulus Apoſtolus magnum vult intelligi gratiæ documentum.] *Locus eſt in Epiſt. ad Romanos cap. 9. ubi Paulus*, Non ſolùm, *inquit*, illa, ſed & Rebecca ex uno concubitu habens Iſaac patris noſtri. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori ſicut ſcriptum eſt, quia Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. *Ubi priorem locum ex Geneſ. 25 poſteriorem ex Malach. 1. aſſumit. Quid verò ſibi voluerit Paulus his verbis, docet Hieronymus Epiſt. 150. quæ eſt ad Hedibiam quæſt. 10. & fuſiſſimè ipſe D. Auguſtinus lib. 1 quæſt. 2. ad Simplicianum, & in Enchirid. cap. 98. Vult Apoſtolus commendare myſterium gratiæ & prædeſtinationis divinæ, cum enim intelligeret Jacob prædeſtinatorum, Eſau verò reproborũ gerere figuram, [ab illis duobus in univerſum oſtendit electionem ac prædeſtinationem bonorum & malorum rejectionem non ex meritis bonis, aut malis, aut præcedentibus aut futuris, vel etiam ex bono uſu liberi arbitrii futuro pendere, verùm ex gratuita Dei voluntate,]* Non ex operibus, *inquit*, ſed ex vocante, id eſt, *ex gratia vocantis dictum eſt, ita ut excludat quæcumque opera & ſolam Dei gratuitam voluntatem ac gratiam agnoſcat cauſam electionis ac prædeſtinationis.* Quantum ad originale peccatum, *inquit*, ambo pares erant, quantum ad proprium, nullus eorum adhuc commiſerat, unde ergo dictum eſt, major ſerviet minori, & Jacob dilexi, Eſau habui odio? *Ita idem Auguſtinus in Enchiridio loco citato*, Ambo gemini natura filii iræ naſcebantur, nullis quidem operibus propriis, ſed originaliter ex Adam vinculo damnationis obſtricti. Sed qui dixit, miſerebor, cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero, Jacob dilexit per miſericordiam gratuitam, Eſau autem odio habuit per judicium debitum. Quod, cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit non de ſuis diſtantibus meritis ſibi eſſe gloriandum, quod in eadem cauſa idem ſupplicium non incurrit, ſed de divinæ gratiæ largitate, quia non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Altiſſimo quippe ſaluberrimo ſacramento univerſa facies, atque (ut ita dixerim) vultus ſacrarum ſcripturarum benè intuentes id admonere invenitur, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. *Ex Hieronymo etiam loco citato, & D. Auguſtino lib. 2. de pecca. originali cap. 31. ex verbis Apoſtoli reprobatur ſententia Platonicorum & Pythagoræorum dicentium, animas è cœlo eſſe lapſas, & pro diverſitate meritorum in his vel in illis corporibus pœnas antiquorum luere peccatorum; cùm Paulus apertiſſimè dicat, nondum natos nihil*

hil egiſſe boni vel mali. In eo errore etiam fuit Origenes, ſiquidem ſcribit libro ſecundo, περὶ ἀρχῶν, Eſau animam in deteriori vita ob antiqua peccata fuiſſe damnatam, & libro tertio ob eandem cauſam dixit factum, ut Deus Jacob diligeret, & odio haberet Eſau, & inter cæteros errores Origenis in libris περὶ ἀρχῶν, hunc notat D. Hieronymus Epiſtola quinquageſima nona ad Avitum. Nonnulli verò ſentiunt, illa teſtimonia adduci à D. Paulo in ſenſu literali, nec intelligenda eſſe de ſpirituali reprobatione Eſau & prædeſtinatione Jacob, verùm de regno & primogenitura temporali ad quam electus fuit Jacob, rejecto fratre ſuo Eſau, non ex ſuis operibus, ſed ex ſola Dei voluntate vocantis & dicentis, major ſerviet minori. Nam Gen. 27. id videtur impletum, cum Iſaac benedixit Jacob, & principem fratris ſui illum conſtituit. Secundo Malachias in illo cap. quod citat B. Apoſtolus apertè loquitur de regno & hereditate temporali, in qua Jacob fratri fuit prælatus. Dilexi vos *(dicit dominus)* & dixiſtis, in quo dilexiſti nos? Nonne frater erat Eſau Jacob (dicit domino) & dilexi Jacob, Eſau autem odio habui, & poſui montes ejus in ſolitudinem & hæreditatem ejus in dracones deſerti; *Quibus verbis Deus oſtendit, ex eo odiſſe vel ſe potiùs inſtar habentis odio geſſiſſe, quod Eſau dedit in hæreditatem & poſſeſſionem montes infructuoſos & ſolitudinem inhabitabilem, atque ita aſſeruit Pererius diſp. 6. in cap. 25. Gen. ubi hoc argumento nititur, Paulus commemoravit teſtimonium illud ſcripturæ de Jacob, & Eſau tanquam rem Judæis notiſſimam & ex illis ſcripturæ locis exploratiſſimam. Erat autem Judæis notum, Jacob fuiſſe dilectum & electum à Deo, Eſau verò reprobatum & odio habitum propter inſignia bona, quæ dederat Jacob & poſteris ejus, non Eſau, idque ex locis illis ſcripturæ cognitum habebant; quod verò Jacob prædeſtinatus fuiſſet ad gloriam, Eſau verò reprobatus, non adeò illis erat compertum, nec notum ex illis ſcripturæ locis, igitur Paulus locutus eſt de illa electione & reprobatione quoad bona temporalia, non quoad vitam æternam. Illis verò teſtimoniis tum probat Apoſtolus illam diſtinctionem filiorum Abrahæ ſecundùm carnem & ſecundùm promiſſionem; tùm oſtendit, in divina electione non eſſe ſpectanda propria hominum merita ſive bona, ſive mala, ſed æternum Dei propoſitum, beneplacitum & gratuitam voluntatem. Ita etiam exiſtimat Gabriel Vaſques diſput. 95. ad 1. part. D. Thom. cap 8. maximè quod dicat D. Hieronymus,* Hunc locum Malachiæ Apoſtolum in Epiſt. ad Rom. myſtica diſputatione eventilaſſe. *Nihilominus magis mihi placet aliorum ſententia aſſerentium illa duo loca ſcripturæ citata eſſe à D. Paulo in ſenſu literali & intelligenda eſſe de prædeſtinatione & reprobatione quoad vitam æternam. Ita ſentit Paulus Burgenſis in addit. primi cap. Malachiæ, & Ribera in 1. caput Malachiæ, & prophetiam illam Geneſ. citatam a D. Paulo D. Auguſtinus in hoc loco intelligit de prædeſtinatione & reprobatione quoad gratiam, quin ita intelligere Apoſtolum aſſerit, & utrumque locum Geneſis & Malachiæ ita intellexit lib. 1. quæſtionum ad Simplicianum, quæſt. 2. in Enchiridio cap. 98. & Epiſt. 105. ad Sixtum & aliis in locis; Et id facile conſtat ex ſcopo Apoſtoli. * (Agit enim de altiſſimo myſterio ,, prædeſtinationis, reprobationis, quam in ſolam Dei gratuitam voluntatem refert. ,, Quod, ut oſtendat, adducit teſtimonia illa ſcripturæ, quibus ſignificari quidem prima fronte videtur electio & reprobatio quoad bona temporalia, nihilominus altiorem*

ſenſum & magis à ſpiritu ſancto intentum Apoſtolus indicat de electione quoad gratiam & gloriam ex nullis praecedentibus meritis.) Quod verò D. Hieronymus dicit, Paulum* Eventilaſſe locum Malachię myſtica diſputatione, *reſpondetur, myſticam vocare non quidem ſpiritualem diſtinctam à literali, ſeu hiſtorico ſenſu, verum myſticam, id eſt, abſtruſam & reconditam, & aliud ſignificantem, quàm prima fronte verba ſignificare videantur. Ut enim ipſe ſcribit Epiſtola 150 ad Hedibiam quaeſt. 10.* Omnis quidem ad Romanos Epiſtola interpretatione indiget, & tantis obſcuritatibus involuta eſt, ut ad eam intelligendam Spiritus ſancti indigeamus auxilio, qui per Apoſtolum hæc ipſa dictavit, ſed præcipuè locus hic. *D. Auguſtinus lib. 1. quaeſt. 2. ad Simplicianum ita explicat,* Cùm dicit Paulus ex uno concubitu, excludit occaſionem referendi prædeſtinationem in propriam complexionem, aut aſtrorum conſtitutionem, ut Manichæi dicebant. Cùm verò ait, Sed & Rebecca ex uno concubitu habens Iſaac patris noſtri, excludit occaſionem referendi cauſam prædeſtinationis in parentum merita; cùm verò dicit, antequam nati eſſent, aut aliquid boni vel mali egiſſent, excludit occaſionem gloriandi & referendi cauſam prædeſtinationis in propria merita ſive præſentia ſive præterita, ſive futura, ac idemque excludit quicquid eſt ex parte liberi arbitrii.

Cap. XXXVI.

De oraculo & benedictione, quem Iſaac non aliter quàm pater ipſius merito ejusdem ac dilectione accepit.

Accepit etiam Iſaac oraculum tale, quale aliquoties pater ejus acceperat. De quo oraculo ſic ſcriptum eſt: *Facta eſt autem fames ſuper terram præter famem, quæ priùs facta eſt in tempore Abrahæ. Abiit autem Iſaac ad Abimelech regem* Gen. 18. *Philiſtinorum in Geraræ. α Apparuit autem illi Dominus, & dixit: β Noli deſcendere in Ægyptum, habita autem in terra, quam tibi dixero, & incole in terra hac, & ero tecum, & benedicam te. Tibi enim & ſemini tuo dabo omnem terram hanc: & ſtatuam juramentum meum, quod juravi Abrahæ patri tuo: & multiplicabo ſemen tuum tanquam ſtellas cœli: & dabo ſemini tuo omnem terram hanc, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, pro eo quòd obaudivit Abraham pater tuus vocem meam, & cuſtodivit præcepta mea, & mandata mea, & juſtificationes meas, & legitima mea.* Iſte Patriarcha nec uxorem habuit aliam, nec aliquam concubinam, ſed poſteritate duorum geminorum ex uno concubitu procreatorum contentus fuit. Timuit ſanè etiam ipſe periculum de pulchritudine conjugis, cùm habitaret inter alienos, fecitque γ quod pater, ut eam ſororem diceret, taceret uxorem. Erat enim ei propinqua, & paterno & materno ſanguine: ſed etiam ipſa ab alienigenis cognito, quòd uxor ejus eſſet, manſit intacta. δ Nec ideò tamen iſtum patri ejus præferre debemus, quia iſte nullam fœminam præter unam conjugem noverat. Erant enim procul dubio paternæ fidei & obedientiæ merita potiora, in tantum, ut præter illum dicat Deus, huic ſe facere bona, quæ fecit, *Benedicentur,* inquit, *in ſemine tuo omnes gentes terræ, pro eo quòd obaudivit Abraham pater tuus vocem meam, & cuſtodivit præcepta mea, & mandata mea, & juſti-*

juſtificationes meas, & legitima mea. Et alio rurſus oraculo: *Ego ſum*, inquit, *Deus Abraham patris tui, noli timere, tecum enim ſum, & benedixi te, & multiplicabo ſemen tuum propter Abraham patrem tuum.* Ut intelligamus, quàm caſtè Abraham fecerit, quod hominibus impudicis, & nequitiæ ſuæ de ſcripturis ſanctis patrocinia requirentibus, videtur feciſſe libidine. Deinde ut etiam hoc noverimus, non ex bonis ſingulis inter ſe homines comparare, ſed in unoquoque conſideremus univerſa. Fieri enim poteſt, ut habeat aliquid in vita & moribus quiſpiam, quo ſuperet alium, idque ſit longè præſtabilius, quàm eſt illud, unde ab alio ſuperatur. Ac per hoc ſano veroque judicio *ε* cùm continentia conjugio præferatur, melior eſt tamen homo fidelis conjugatus, quàm continens infidelis. *a* Sed continens infidelis homo, non ſolùm minùs laudandus eſt, quia ſe continet, dum non credat: verùm etiam multò magis vituperandus, quia non credit, cùm ſe contineat. Conſtituamus ergò ambos bonos etiam ſic profectò melior eſt conjugatus fideliſſimus & obedientiſſimus Deo, quàm continens minoris fidei, minoriſque obedientiæ: ſi verò paria ſint cætera, continentem conjugato præferre quis ambigat?

a SEd continens.] *In codice Brugenſi ſic habetur, Sed infidelis homo non ſolùm minimè laudandus eſt: verum etiam maximè deteſtandus eſt. Conſtituamus ambos bonos etiam, quæ lectio non admodum mihi arridet. Hinc apparet, quàm parum momenti ſit in rivulis externorum operum, niſi ex puro interiore fonte manent.* L. Vives.

a APparuit illi Dominus.] *Geneſ. 26. Hæc eſt prima apparitio, quæ legitur facta Iſaac, qualis apparitio & quomodo facta, an in ſomno vel in vigilia, an per Angelum in forma humana, an in ſpiritu per Ecſtaſim cùm ſcriptura non exprimat, incertum eſt. Cajetanus exiſtimat, quod expreſſè dictum non ſit, apparuiſſe in ſomno, intelligendum, factam eſſe apparitionem in vigilia.* F.L.Eug.

β Noli deſcendere in Ægyptum.] *Meritò quæritur, cur Deus noluerit occurrente fame Iſaac ire in Ægyptum, quæ regio erat fertiliſſima, quò tamen antea ire voluit patrem ejus Abraham, & poſtea Jacob ejus filium. Voluit Deus oſtendere in iſtis Patriarchis à ſe dilectis & electis futuris patribus populi ſui, quorum præcipuam curam gerebat, varios modos & rationes ſuæ providentiæ, quibus erga ſuos ſolet mirabiliter præter ſpem uti. Ita Theodoretus quæſt. 76. in Gen. huic quæſtioni reſpondit,* Τὴν οἰκείαν σοφίαν τε καὶ κηδεμονίαν δηλοῖ διὰ πάντων ὁ δεσπότης θεός. καὶ γὰρ τὸν πατριάρχην Ἀβραὰμ οὐχ ὡς ἀπορῶν διατρέψαι συνεχώρησεν εἰς τὸν Αἴγυπτον εἰσελθεῖν ἀλλ' ἵνα καὶ τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπιδείξηται τοῦ ἀνδρὸς τὴν εὐσέβειαν, καὶ ζηλῶσαι προτρέψηται, τοῦ πατριάρχου τὴν ἀρετήν. τὸν δὲ τούτου υἱὸν μεῖναι προσέταξε καὶ τῇ τῶν ἀναγκαίων αὐτὸν περιέκλεισεν ἀφθονίᾳ δεικνὺς ὡς καὶ τῷ πατρὶ ταῦτα παρασχεῖν οἷός τε ἦν ἃ καὶ αὐτῷ ἔδωκεν φιλοτίμως. πάντων γὰρ ἐν ἐνδείᾳ ὄντων καὶ σπάνει τῶν ἀναγκαίων καὶ τῆς γῆς ἀγόνου γεγενημένης αὐτὸς πολλὴν ἔλαβε τὸν καρπόν.

γ Fecitque quod pater, ut eam ſororem diceret.] *Iſaac patris exemplum ſecutus, cum ob uxorem videret ſibi imminere periculum, uſus eſt diſſimulatione, dicens ſororem, tacens uxorem: cùm enim eſſet ſibi conſanguinea, utpote filia Bathuelis filii Nachor, qui conſobrinus erat Iſaac, verè ſororem & ſine mendacio potuit dicere.*

Quò

Quò ſpectat illud D. Auguſtini 22. contra Fauſtum, cap. 46. Mirabili ſanè impudentia Fauſtus Iſaac quoque filium Abrahæ criminatus eſt, quod Rebeccam, quæ uxor erat, ſororem finxerit. Genus enim Rebeccæ non eſt tacitum, & eam per notiſſimam propinquitatem ſororem ejus fuiſſe, manifeſtum eſt. ut autem taceret, eſſe uxorem, quid mirum, aut quid primum, ſi imitatus eſt patrem, cùm ejus eadem juſtitia defendatur, qua pater ejus de ſimili objectu inculpatus inventus eſt? Quæ igitur pro Abraham, quod ad hanc rem attinet, adverſus criminantem Fauſtum ſupra diximus, eadem etiam pro Iſaac ejus filio valent; *& lib. contra mendacium ad Conſentium, cap. 10. cùm dixiſſet, Abrahamum aliquid veri tacuiſſe, non falſi aliquid dixiſſe, quoniam Saram tacuit uxorem, dixit ſororem,* Hoc (*inquit*) & filius ejus fecit Iſaac, nam & ipſum novimus, propinquam ſuam conjugem fuiſſe ſortitum, non eſt ergo mendacium, cùm ſilentio abſconditur verum, ſed cùm loquendo promitur falſum.

δ Nec ideò tamen iſtum patri ejus præferre debemus.] *Vult Abrahæ merita potiora & majora fuiſſe quàm Iſaac. quod Deus dicat, ſe benedicturum Iſaac & præſtiturum quæcunque promiſerat propter obedientiam Abrahæ, neque præferendum Iſaac patri, quod una conjuge contentus fuerit, Abraham pluribus uxoribus copulatus fuerit. Nec enim minor fuit continentia Abrahæ, quàm Iſaac,* ſiquidem, *ut ſcribit lib. de bono conjugali cap. 21.* continentia non corporis, ſed animi virtus eſt. Virtutes autem animi aliquando in opere manifeſtantur, aliquando in habitu latent. *& ibidem,* Sicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generavit. & illius enim cœlibatus & illius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militarunt; ſed continentiam Joannes, & in opere, Abraham verò in ſolo habitu habebat. *Cum ergò hic ſcribit, fieri poſſe, ut aliquis aliquid habeat in vita, quò alium ſuperet, licet ſi omnia complectamur, quæ ſunt in utroque, ab alio ſuperetur, non eſt tamen mens D. Auguſtini, Iſaac patrem Abrahamum continentia ſuperaſſe, verùm ex ſuppoſitione tantùm loquitur, ut etiamſi longè continentia præferremus Iſaac Abrahamo, inde nihilominus minimè colligi ſimpliciter & abſolutè præferendum eſſe ipſi Abrahamo, cùm virtutes ipſæ, quæ continentiam ipſam dignitate ſuperant, fides ſcilicet & obedientia in ipſo Abrahamo magis excelluerint & eluxerint.*

ε Cum continentia conjugio præferatur.] *Contra hæreſim Joviniani, qui nuptias æquabat virginitati. D. Hieronymus duobus libris eum confutavit, & D. Auguſtinus adverſus eundem librum ſcripſit de bono conjugali, ut ſcribit ipſe lib. 2. retract. cap. 22.*

CAP. XXXVII.

De his, quæ in Eſau & Jacob myſticè præfigurantur.

DUo igitur Iſaac filii, Eſau & Jacob pariter creſcunt. Primatus majoris transfunditur in minorem ex pacto & placito inter illos, eo quòd α lenticulam, quam minor paraverat, major immoderatius concupivit, α eoque pretio primogenita ſua fratri juratione interpoſita vendidit. Ubi dicimus, in veſcendo β non cibi genere, ſed aviditate immodeſtâ quenquam culpandum. Seneſcit

Gen. 25.

Iſaac

Iſaac ejusque oculis per ſenectam viſus aufertur. Vult benedicere filium majorem, & γ pro illo neſciens benedicit minorem, pro fratre majore, qui erat piloſus, ſe paternis manibus ſupponentem, hœdinis ſibi pelliculis coaptatis, velut aliena peccata portantem: c Iſte dolus Jacob, ð ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magnæ rei myſterium quæreretur, ſuperius prædixit ſcriptura: *Erat Eſau homo ſciens venari agreſtis: Jacob autem homo ſimplex habitans domum.* hoc noſtri quidam interpretati ſunt ſine dolo. Sive autem ſine dolo ſive ſimplex, ſive potius ſine fictione dicatur, d quod eſt Græcè ἀπλαςος, quis eſt in iſta benedictione percipienda dolus hominis ſine dolo? ε Quis eſt dolus ſimplicis, quæ fictio non mentientis, niſi profundum myſterium veritatis? Ipſa autem benedictio, qualis eſt? *Ecce,* inquit, *odor filii mei tanquam odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Et det tibi Deus de rore cœli, & de ubertate terræ, & multitudinem frumenti & vini: & ſerviant tibi gentes, & adorent te principes, & fias dominus fratris tui, & adorabunt te filii patris tui. qui maledixerit te, maledictus: & qui benedixerit te, benedictus.* Benedicto igitur Jacob, prædicatio Chriſti eſt in omnibus gentibus. Hoc fit, hoc agitur: lex & prophetia eſt in Iſaac: etiam per os Judæorum Chriſtus ab illa benedicitur, velut à neſciente, quia ipſa neſcitur. Odore nominis Chriſti, ſicut ager mundus impletur, ejus eſt benedictio de rore cœli, hoc eſt, de verborum pluvia divinorum: & de ubertate terræ, hoc eſt, de congregatione populorum: ejus eſt multitudo frumenti & vini, hoc eſt, multitudo, quam colligit frumentum & vinum in ſacramento corporis & ſanguinis ejus. Ei ſerviunt gentes, ipſum adorant principes. Ipſe eſt dominus fratris ſui, quia populus ejus dominatur Judæis. Ipſum adorant filii patris ejus, hoc eſt, filii Abrahæ ſecundùm fidem: quia & ipſe filius eſt Abrahæ ſecundùm carnem. Ipſum qui maledixerit, maledictus, & qui benedixerit, benedictus eſt. Chriſtus, inquam, noſter etiam ex ore Judæorum quamvis errantium, ſed tamen legem Prophetasque cantantium benedicitur, id eſt, varaciter dicitur: & alius benedici putatur, qui ab eis errantibus expectatur. Ecce benedictionem promiſſam repetente majore, expaveſcit Iſaac, & alium pro alio ſe benedixiſſe cognoſcit. Miratur, & quis nam ille ſit, percunctatur: nec tamen ſe deceptum eſſe, conqueritur, imò confeſtim revelato ſibi intus in corde magno ſacramento devitat indignationem, confirmat benedictionem. *Quis ergo,* inquit, *venatus eſt mihi venationem, & intulit mihi, & manducavi ex omnibus, antequam tu venires, & benedixi eum, & ſit benedictus?* Quis non hic maledictionem potius expectaret irati, ſi hæc non ſuperna inſpiratione, ſed terreno more gererentur? O res geſtas, ſed prophetice geſtas; in terra, ſed cœlitus: per homines, ſed divinitus. Si excutiantur ſingula tantis fœcunda myſteriis, multa ſunt implenda volumina, ſed huic operi modus moderatè imponendus, nos in alia feſtinare compellit.

Gen. 25.

a LEnticulam.] *Eſt lenticula vas olearium, & parva lens leguminis genus: hoc modo diminutivum eſt à lente, illa verò à lentitate dicitur. quod lentè oleum ex ea ſtillet: nam ore eſt anguſto. Sed in ſacris literis ſolùm decoctio rubea dicitur, qua Eſau vendidit primogenituram. Ideò dictus eſt Edom q. fulvus.* Lenticula.

*(b Non cibi genere.] *Hoc eſt verum ex germana illa Evangelica lege praeceptum. Multa eſſent hic mihi de hoc dicenda non ad licentiam prabendam populis, ſed ad monendos populi rectores, qua in aliud commodius tempus differentur)*

c Iſte dolus.] *Nam bonus dolus eſt & malus.*

d Graecè ἄπλαςος.] *Nam πλάττω eſt fingo, ita ἄπλαςος, ἀληθινός, ἄδολος.*

R.L.Coq. α EO que pretio primogenita ſua.] *Hiſtoria exſtat Gen. 25. D. Paulus ad Hebraos 11. vocat Eſau prophanum, ut qui propter unam eſcam vendiderit primitiva ſua, ubi Simoniam commiſit. Tradunt enim Hebrai, ut authoreſt D. Hieronymus Epiſt. 126 ad Evagrium, & in traditio. Hebrai. in Geneſ uſque ad ſacerdotium Aaron, omnes primogenitos ex ſtirpe Noe, cujus ſeries & ordo deſcribitur in ſcriptura, fuiſſe ſacerdotes, & Deo victimas immolaſſe, & hac eſſe primogenita, qua Eſau vendidit fratri ſuo Jacob. D. Auguſt. in Pſal. 46. ſcribit, Eſau cupiditate gula ſpiritualem, quam naſcendo acceperat, dignitatem vendidiſſe: Spiritualis certè illa dignitas erat primogenitura tùm temporis ſacerdotio annexa, ſi primogenitum res fuiſſet omninò corporalis & ſecularis, propter ejus venditionem non appellaſſet Apoſtolus Eſau prophanum, ſed vel prodigum, vel inſipientem, vel gulosum, vel etiam ingratum, qui jus primogenitura ſibi delatum tam parvi pendiſſet, & tam vili pretio alteri vendidiſſet. Verùm cùm non modò in vendendo, verùm etiam in emendo ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa, Simonia committatur; eſt enim Simonia ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, meritò quaritur, an etiam Jacob peccaverit inducendo, praſertim Eſau fratrem ſuum ad vendendum ſibi jus primogenitura, quod partim erat ſpirituale, cùm habeat annexum ſacerdotium. D. Thomas 2. 2. quaſt. 100. art 4. ad 3. reſpondet, Eſau quidem peccaſſe primogenita vendendo, Jacob verò non peccaſſe emendo, quia intelligitur ſuam vexationem redemiſſe. Dominus enim revelavit divinitus Rebecca, ſe velle minorem natu praferri majori, ejuſq; ex ordinatione divina eſſe primogenituram. Id verò Rebecca Jacob filio, quem ſummoperè diligebat, revelavit, & ita prudenter uſus eſt occaſione, nec emit à fratre primogenituram, ſed redemit ſuum jus ab injuſto occupatore, unde ſenſus illorum verborum,* Vende mihi primogenita tua, *erit, da mihi primogenita, qua injuſtè occupas, cùm verè ſint mea, & quia gratis dare mihi non vis, offero prandium abs te tantoperè expetitum. Non ergo tam ex pacto & placito, vel contractu emptionis inter illos inito primatus majoris transfuſus videtur in minorem, quod hic tradere videtur D. Auguſtinus, & Theodoretus quaſt. 80. quàm ex ordinatione divina ab initio ipſi Rebecca divinitus revelata.*

β Non cibi genere, ſed aviditate immoderata quemque culpandum.] *Peccavit quidem Eſau non in appetendo cibum, verùm ex immodica cupiditate & nimia gula intemperantia, maximè cùm tantum bonum primogenitura tàm vili pretio vendiderit, in quo ab Apoſtolo reprehenditur ſicut prophanus Eſau, qui propter unam eſcam vendidit primogenita ſua. Divus Auguſtinus tractat. 73. in Joannem* Ut ſciremus, non Dei creaturam eſſe culpabilem, ſed inobedientiam contumacem, & inordinatam cupiditatem, non propter porcum, ſed propter pomum mortem

pri-

primus homo invenit, & Eſau primatus ſuos non propter gallinam, ſed propter lenticulam perdidit. *Divus Gregorius lib. 30. moral. cap. 13.* Primogenitorum gloriam Eſau amiſit, quia magno æſtu deſiderii vilem cibum, ſcilicet lenticulam, concupivit; quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, ſed appetitus in vitio eſt, unde & lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & objectiores non ſine conſcientiæ reatu deguſtamus. Hic quippe, quem diximus Eſau primatum per lenticulam perdidit, & Elias in eremo per virtutem Spiritus carnes edendo ſervavit. Unde & antiquus hoſtis quia non cibum, ſed cibi concupiſcentiam eſſe cauſam damnationis intelligit, & primum ſibi hominem non carne, ſed pomo ſubdidit & ſecundum non carne, ſed pane tentavit. Hinc eſt, quod plerumque Adam culpa committitur, etiam cum abjecta & vilia ſumuntur.

γ Pro illo neſciens benedicit minorem.] *Divus Hieronymus Epiſt. 125. ad Damaſum quæſt. 3.* Cur Iſaac, *inquit*, vir juſtus & Deo carus, non illi cui voluit, ſed cui noluit, deceptus errore benedixit? Ad quod diſtricta reſponſio eſt, nullum hominem excepto eo, qui ob noſtram ſalutem carnem dignatus eſt induere, plenam habuiſſe ſcientiam & certiſſimam veritatem. Denique Paulus ex parte cognoſcit, & ex parte prophetat, & nunc per ſpeculum videt in ænigmate & ſecundum quod oportet orare, neſcire nos dicit: quia cùm venerit, quod perfectum eſt, tunc, quod ex parte eſt, deſtruetur. Samuel Propheta connumeratus Moſi in ſacerdotio Dei ad unguendum regem miſſus cùm maximum filiorum Jeſſe vidisſet Heliab, ait, ecce coram Domino Chriſtus ejus. Et dixit Dominus ad Samuel, noli reſpicere faciem ejus, neque ſtaturam illius, quoniam reprobavi eum, quia non, quomodo Deus videt, videt homo. Homo enim videt in facie, Deus autem inſpicit cor, & per ſingulos filios ſeptem ignorans uſque ad David neſciſſe deſcribitur. Heliſæus quoque, qui duplici glorificatus eſt ſpiritu, cujus oſſa vitam exanimato cadaveri reddiderunt, cùm Sunanimitis ad eum veniſſet in montem, & ad pedes ejus flebiliter corruiſſet, Giezi prohibente ne faceret, ait, dimitte eam, quia anima ejus in amaritudine eſt, & Dominus abſcondit à me, & non nunciavit mihi. Plura ſunt, quam ut exemplis debeamus docere, ſanctos viros & Deo caros ea tantummodo ſciſſe, quæ eis à Domino revelata ſunt, ignoraſſe verò quæ eis revelata non fuerunt; & ad ſingulas viſiones Zachariam atque Danielem interrogare Angelum, & ſuppliciter deprecari, ut exponat ſibi, quæ ſint illa, quæ viderant. Unde non mirum eſt, & Iſaac in ſuam maximè utilitatem neſciſſe quid faceret, cùm magis eo tempore erraret, quo filium ſanguinariæ deditum voluptati, & eum, qui poſtea fratrem, ſi poſſet, occideret, prætermiſſo illo, qui innocenter habitaret domi, velit efferre, & ſuam magis voluntatem facere, quàm Dei. Ego puto, divinæ diſpenſationis fuiſſe, ut oculis cæcaretur, & cùm ipſe diceret, vox quidem vox Jacob eſt; manus autem manus Eſau, tamen non intelligeret minorem eſſe filium, qui ad benedictionem fratris præreptor aſtiterat. *Legi poteſt author quæſtionum, ex veteri Teſtamento, quæſt. 11. Toſtatus quæſt. 5. in cap. 27. Geneſ. Rupertus lib. 7. comment. cap. 16. Quid verò myſticè ſignificaretur eo facto,*

 expli-

explicat ibidem D. Hieronymus, & D. Gregorius lib. 35. moral. cap. 9. & Homil. 6. in Ezechielem, Iſidorus commentariis in Geneſim cap. 23.

ð Ne putaretur fraudulentus dolus.] *Quod Vives uno verbo dicit, alium eſſe dolum malum, alium bonum, paulò fuſius id docendum. Certè ita Chryſoſtomus lib. 1. de ſacerdot. ſub finem tradere videtur, aliquem eſſe dolum bonum: & licet nunc ferè dolus in malam partem accipiatur pro fraude ſeu machinatione ad fallendum quempiam, quomodo apud Ariſtophanem in Pluto contrarius eſt ἁπλοῖς τρόποις. ſimpliciſſimis moribus, cùm aliud agitur, & aliud ſimulatur, veteres tamen etiam in bonam partem accipiebant pro ſolertia & calliditate præſertim adverſus hoſtes aut latrones. Unde non ſimpliciter dolum dicebant, verùm cum adjectione dolum malum cùm malè interpretari volebant. Unde illud apud comicum.*

Jam tùm ſuſpicio, dolo malo hæc fieri omnia

Lib. 4. Digeſtorum tit. 3. de dolo malo exſtat tale edictum Prætoris, Quæ dolo malo facta eſſe videntur, ſi de his rebus alia actio non erit, & juſta cauſa eſſe videbitur, judicium dabo. *Ibi Ulpianus*, non fuit contentus, *inquit*, Prætor dolum dicere, ſed adjecit malum, quoniam veteres etiam bonum dolum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant maximè ſi adverſus hoſtem, latronemve quis machinaretur. *Agellius etiam lib. 12. cap. 9. ut multa alia, ita hoc nomen apud veteres anceps fuiſſe ſcribit, & in bonam & in malam partem acceptum. Dolus ergo Jacob non fraudulentus, neque malus, ſed bonus fuit, quod conſtat ex Ulpiano ibidem*, Dolum malum, *inquit*, Servius definit machinationem quandam alterius decipiendi cauſa, cùm aliud ſimulatur, & aliud agitur. Labeo autem & poſſe ſine ſimulatione id agi, ut quis circumveniatur, poſſe & ſine dolo malo aliud agi, aliud ſimulari, ſicuti faciunt, qui per hujusmodi diſſimulationem deſerviunt, & tuentur vel ſua vel aliena. Itaque ipſe ſic definiit dolum malum eſſe omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis, *inquit*, definitio vera eſt. *De duplici dolo bono & malo etiam tractat Rebuffus in tit. de v. ſignific. ad l. 223. & de dolo bono illud intelligit Æſch. lib. 5. ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ ὁ θεός, id eſt*, A fraude juſta non abſtinet Deus. *Sic cum laude Ulyſſes fertur doloſus, vel ut Græcè δόλιος. Meminit Cælius lect. antiq. lib. 11. cap. 7. Petrus Gregorius lib. 21. ſyntagmatis juris cap. 13:* Dolo malo facere, *inquit*, non videtur, qui jure ſuo utitur, eſtque ſupplantatio alterius & deceptio plerumque, ſi in commodum facientis jure aliquo approbatum vertatur, jure divino non improbata, ut quando doloſè Jacob ſubripuit benedictionem fratri Eſau. Et certe in hoc dolo verè dolus non eſt, quia intentio non ex malitia conſilium capit, alterum ut decipiat, ſed conſilium capit potius, ut ſibi proſit. Quare potius aſtuta ſuorum negotiorum tractatio dicenda eſt, quàm voluntas alterum decipiendi, *Atque ibi ille plura de dolo bono & malo. In ſcriptura etiam dicitur Jacob ἄπλαστος*, non fictus, *& Joannis 1. Chriſtus Nathanaelem vocat verum Iſraelitam, in quo dolus non eſt, quia ſcilicet eſſet verus Jacob, & ſimplicitatis morum illius imitator, ita obſervat D. Auguſtinus in Pſalmum. 44.*

ð Quis.

d Quis eſt dolus ſimplicis, quæ fictio non mentientis.] *An Jacob mentitus ſit dicendo, ſe eſſe primogenitum Eſau, inter Theologos vertitur in dubium. Sunt enim tres in univerſum de hac controverſia ſententiæ. Prima* Jacob mentitum quidem fuiſſe, non tamen peccaſſe, quod Deus diſpenſaverit in hoc mendacio cum illo. *Ita ſentiunt Holcbot in 2. ſent. quæſt. & Alliaco in 1. quæſt. 12. & Gabriel 3. ſentent. diſtinct. 38. Hæc ſententia omninò falſa eſt, nec fieri poteſt, ut quis vel diſpenſante Deo, vel etiam inſpirante licitè mentiatur. Deus enim eſt prima & ſumma veritas, nec per ſe nec per alium mentiri poteſt, & mendacium eſt intrinſecè malum, & per ſe peccatum, quod nunquam licite committi poteſt. Meritò ergo improbatur ſententia Origenis, quam refert Divus Hieronymus in Apologia adverſus Ruffinum, Sixtus Senenſis libro quinto Bibliothecæ ſanctæ annot. 107. ſimulationes & mendacia aliquando Chriſtianis proficere, poſſeque prudentem ac ſapientem virum officioſo mendacio non ſecus quàm medicamine, cùm neceſſe fuerit, uti, ſicque excuſat Jacob, quod benedictionem paternam artificioſo mendacio impetraverit. D. Chryſoſtomus videtur eſſe in eadem ſententia in fine libri primi de ſacerdotio. & homilia 53. in Geneſim ad illa verba*, Ego ſum Eſau primogenitus tuus, *aſſerit, Jacob hæc dicentem fuiſſe mentitum, ſed mendacium hujusmodi non eſſe culpandum, quia is vel temporalis commodi, vel avaritiæ cauſa non ſit mentitus, ſed quò ſibi patris benedictionem compararet. Eandem ſententiam aſſeruit Joannes Caſſianus ſub nomine Abbatis Joſeph, licere mentiri pro vita hominis ſervanda aut pro magno beneficio homini impendendo, collat. 17. à capite decimo quinto ad vigeſimum aſſeruit primam partem, & aliquot teſtimoniis ſacræ ſcripturæ perperam intellectu confirmare nititur, & à capite vigeſimo ad vigeſimum quintum ejusdem collat. alteram hujus erroris partem pertinaciſſimè defendit. Hunc errorem refellit Alphonſus à Caſtro libro decimo contra hæreſ. verbo mendacium. hi itaque dicerent, Jacob quidem mentitum etiam citra divinam diſpenſationem, non tamen peccaſſe, quod mendacium illud eſſet licitum. Altera ſententia* eſt eorum, qui volunt Jacob mentitum eſſe, & peccaſſe venialiter, protuliſſe ſcilicet mendacium officioſum; *in hanc ſententiam valde propendent Scotus in 30. ſententiar. diſtinctione trigeſima octava, & Lyranus in cap. 27. Geneſ. Etſi enim non negent, verba illa Jacob poſſe exponi in eum ſenſum, ut non contineant mendacium, affirmant nihilominus, nos non debere adeò anxios eſſe in excuſando eo mendacio. Etſi enim Jacob vir fuerit ſanctiſſimus, non tamen ſanctior Apoſtolis, quos nec eſt neceſſe à peccato veniali excuſare. Diſputat & pro hac ſententia Toſtatus quæſt. 4. in cap. 27. Geneſ. Adrianus quodlibet primo reſponſione ad 3. principale argumentum eandem ſententiam amplectitur: Adhærent eidem & Lippomanus in cap. 27. Geneſ. & Cajetanus; hæc ſententia ſatis probabilis videtur. Verùm dices, hoc mendacium non fuiſſe officioſum, ſed pernicioſum, quia nocuit Eſau, cum per iſtud mendacium fuerit ei ablatum jus primogenituræ & paterna benedictio. Videtur idem fuiſſe injurioſum patri Iſaac, qui fraudulenter ab eo deceptus non ei benedixit, cui volebat benedicere. Reſpondetur, mendacium illud non nocuiſſe Eſau, quia tunc alicui nocemus, quando juri ejus aliquid detraximus, verùm per iſtud mendacium non tollebatur aliquod jus ipſi Eſau, cùm ad eum non pertineret jus primogenitu-*

 nitu-

nitura, verùm illud injuſtè ſibi vindicaret, unde fuit illud mendacium officioſum, quod profuit quidem Jacob, nihil tamen nocuit ipſi Eſau. Tertia ſententia eſt eorum, qui excuſant & purgant Jacob ab omni mendacio, *eſt inprimus D. Auguſtini in hoc cap. ubi dicit, in verbis Jacob non contineri dolum, neque mendacium, ſed profundum myſterium veritatis, & lib. contra mendac. cap. 10* Jacob quod matre fecit authore, ut patrem fallere videretur, ſi diligenter & fideliter attendatur, non eſt mendacium, ſed myſterium. Quæ ſi mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ ſignificandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ ſunt, ſed in eis aliud ex alio intelligendum dicentur eſſe mendacia, *& aliquot interpoſitis,* Idipſum, *inquit,* quod Jacob fecit, attende, hœdinis certè pellibus membra contexit, ſi cauſam proximam requiramus, mentitum putabimus. Hoc enim fecit, ut putaretur eſſe, qui non erat, ſi autem hoc factum ad illud propter quod ſignificandum revera factum eſt, referatur, per hœdinas pelles peccata, per eum verò, qui ſe eis operuit, ille ſignificatus eſt, qui non ſua, ſed aliena peccata portavit. Verax ergò ſignificatio, nullo modo mendacium rectè dici poteſt, ut autem in facto, ita & in verbo. Nam cùm ei pater dixiſſet, quis es tu fili? reſpondit. Ego ſum primogenitus tuus. Hoc ſi referatur ad duos illos geminos, mendacium videbitur; ſi autem ad illud, propter quod ſignificandum, iſta geſta, dicta conſcriptaque ſunt, ille eſt hic intelligendus in corpore ſuo, quod eſt ejus Eccleſia, qui de hac re loquens ait; cùm videritis Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras, & venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei, &, ecce ſunt noviſſimi, qui erant primi, & ſunt primi, qui erant noviſſimi. Sic enim quodammodo minor majoris primatum abſtulit frater, atque in ſe tranſtulit fratris. Cùm igitur tàm vera tamque ſignificentur veraciter, quid hic debet putari factum dictumve mendaciter? Cùm enim, quæ ſignificantur non utique, non ſint in veritate, ſed ſunt ſeu præterita, ſeu præſentia, ſeu futura, proculdubio vera ſignificatio eſt, nullumque mendacium. *Excuſant & à mendacio Jacob D. Ambroſius lib. 2. de Jacob & vita beata cap. 2. & 3. & Magiſter ſententiarum in 3. diſtinct. 38. Innocentius tertius ext. de divortiis cap. gaudemus, Alexander Halenſis 2. p. q. 159. membro 6. D. Thom. 3. ſent. diſt. 38. qu. 5. & 2. 2. qu. 110. artic. 3. ad 5.* Jacob, *inquit,* myſticè dixit, ſe eſſe Eſau primogenitum Iſaac, quia videlicet minor populus ſcilicet Gentilium ſubſtituendus erat in locum primogeniti ſcilicet in locum Judæorum, *ut igitur ſine mendacio hic populus gentium in fidem jam & hæreditatem Judæorum ſuffectus dicere poterat, ego ſum ſemen Abrahæ, ita & Jacob, quoniam jus habebat ad primogenituram, in quam Deo authore fuit ſubſtitutus, verè utique dixit, ego ſum primogenitus tuus Eſau. Etſi Joannes Baptiſta Elias vocatus eſt à Domino, non quidem natura, ſed præcurſoris officio, & eo modo Jacob, qui hæreditario jure patri ſucceſſit, ſe etiam Eſau, quo nomine Iſaac intelligebat ſuum primogenitum, potuit appellare. Eidem ſententiæ ſubſcribit & Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. 4.*

¶ Ecce (inquit) odor filii mei.] *Interpretatur allegoricè hanc benedictionem Jacob,*

Jacob. Jacob Chriſtum intelligit, prædicationem Chriſti in omnes gentes per benedictionem Jacob, per agrum mundum, qui impletur fama & odore nominis Chriſti, atque ita ſigillatim omnia, quæ continentur in benedictione, Jacob ad myſterium Chriſti refert. Iſaac neſciens filium benedicit, id eſt, populus Judæorum Chriſtum. Licet enim alius benedici putetur, qui ab eis errantibus exſpectatur, verè tamen ille Meſſias benedicitur, quem lex & Prophetæ promittunt. *Ita etiam allegoricè exponunt Iſidorus lib. commentar. in Geneſ. cap. 23. & Rupertus libro ſeptimo commentar. in Geneſ. 17. D. Gregorius homil. 6. in Ezechielem comparat agrum illum Eccleſiæ, quæ ſecundùm varios hominum ordines variaque gratiarum genera, variis etiam modis ſpiritualem redolet ſuavitatem.* Aliter namque, *ait*, olet flos uvæ, quia magna eſt virtus & opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium, aliter flos olivæ, quia ſuave eſt opus miſericordiæ, quia more olei refovet & lucet, aliter flos roſæ, quia mira eſt flagrantia, quæ rutilat & redolet ex cruore martyrum, aliter flos lilii, qui candida vita carnis eſt de incorruptione virginitatis; aliter flos violæ, quia magna eſt virtus humilium, qui ex deſiderio ultima loca tenentes, ſe per humilitatem à terra in altum non ſublevant, & cœleſtis regni purpuram in mente ſervant; aliter redolet ſpica, cum ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad ſocietatem eorum, qui eſuriunt juſtitiam, præparatur. Quia ergo gentilis populus in electis ſuis ubique per mundum ſparſus eſt, & ex eis virtutibus, quas agit, omnes, qui intelligunt, odore bonæ opinionis replet, dicatur recte, ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni. Sed quia eaſdem virtutes ex ſemetipſo non habet, adjungat. cui benedixit dominus Deus, & quoniam electorum populus etiam per quoſdam in contemplationem ſurgit, per quoſdam vero in activæ vitæ opera ſolummodo pingueſcit, recte illic additur, det tibi dominus de rore cœli, & de pinguedine terræ. Ros enim deſuper & ſubtiliter cadit, & toties de roræ cœli accipimus, quoties per infuſionem contemplationis intimæ de ſupernis aliquid tenuiter videmus. Cum vero bona opera etiam per corpus agimus, de terræ pinguedine ditamur. *Hæc Gregorius. Non aſimilia quæ ſcribit D. Ambroſ. lib. 2. de Jacob & vita beata cap. 1. vide & interpretationem hujus benedictionis apud Theodor. qu. 81. in Geneſ.*

η Expaveſcit Iſaac.] *Ita legitur Geneſ. 27.* Expavit Iſaac ſtupore vehementi, & ultra quam credi poteſt, admirans ait; quis eſt ille, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus, priusquam tu venires, benedixique ei, & erit benedictus? *D. Auguſtinus quæſt. 80. in Geneſin putat, ſecundùm Græcam verſionem hujus loci tunc Iſaac paſſum eſſe ecſtaſim, & mente divinitus illuſtrata cognoviſſe Deo ita volente, non ſine myſterio Jacobo prælatum eſſe ipſi Eſau, deſignatumq́; primogenitum, & heredem ſuarum promiſſionum. Item ſcribit:* Quod habent Latini codices, expavit Iſaac pavore magno valdè, Græci habent, ἐξέστη δὲ Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα, ubi tanta commutatio intelligitur, ut mentis alienatio quædam ſequeretur. Ipſa enim propriè dicitur ecſtaſis. & quia ſolet in magnarum rerum revelationibus fieri, in hac intelligendum eſt, factam eſſe ſpiritualem admonitionem, ut confirmaret benedictionem ſuam filio minori, cui potius iraſcen-

ſcen-

ſcendum fuit, quod fefellerit patrem. Intellecto ergo Iſaac conſilio & voluntate Dei, nihil ſuccenſuit Jacob, imò ratam habuit benedictionem prius datam, benedixi, *inquit*, ei & erit benedictus. *Theod. quæſt. 79. in Geneſ.* Iſaac modis omnibus conabatur benedicere Eſau, ſed gratia Dei contrà quàm putaſſet Iſaac, tranſtulit benedictionem ſuper Jacob, quod etiam intellexit ipſe Iſaac. Nam cum omnem operam dediſſet & miſiſſet Eſau venatum, & Jacob illi cibum offerret, ſæpius interrogabat, es tu ne Eſau primogenitus meus? nec ſolum rogabat, ſed etiam manum corpori admovebat. Poſt Eſau ingreſſo ſtupefactus Iſaac ob id, quod factum erat, non eſt indignatus, quaſi à filio deceptus eſſet, ſed intentionem divinam agnovit, & quam dederat, benedictionem confirmavit. *Rupertus lib. 7. commentar. in Geneſ. cap. 19.* Iſaac ſubreptionem benedictionis patienter tolerat, ſic nimirum omne conſilium ſalutis gentium coram Domino noſtro Jeſu Chriſto ab authoritate ſcripturæ proceſſit. Nam ille quidem pro humano affectu Judaicum populum fovere volebat, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, verumtamen exigente ſcripturarum veritate, ut relinqueretur illis domus ſua deſerta; ſic ille non contradixit, neque retrorſum abiit, quomodo & Iſaac pro defraudatione Eſau, vel ſubmiſſione Jacob nullum contra Rebeccam, vel contra Jacob verum fecit.

Cap. XXXVIII.

De miſſione Jacob in Meſopotamiam ad excipiendam uxorem, & de viſione, quam in itinere ſomniavit, & de quatuor ipſius fœminis, cum unam petiſſet uxorem.

Mittitur Jacob à parentibus in Meſopotamiam, ut ibi ducat uxorem. Patris mittentis hæc verba ſunt: *Non accipies uxorem ex filiabus Chananæorum: ſurgens fuge in Meſopotamiam in domum Bathuel patris matris tuæ, & ſume tibi inde uxorem de filiabus Laban fratris matris tuæ. Deus autem meus benedicat te, & augeat te & multiplicet te: & eris in congregationes gentium: & det tibi benedictionem Abrahæ patris tui, & ſemini tuo poſt te, ut heres ſias terræ incolatus tui, quam dedit Deus Abrahæ.* Hic jam intelligimus ſegregatum ſemen Jacob ab alio ſemine Iſaac, quod factum eſt per Eſau. Quando enim dictum eſt, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen:* pertinens utique ſemen ad civitatem Dei: ſeparatum eſt inde aliud ſemen Abrahæ, quod erat in ancillæ filio, & quod futurum erat in filiis Cethuræ. Sed adhuc erat ambiguum de duobus geminis filiis Iſaac, an ad utrumque, an ad unum eorum illa benedictio pertineret. Et ſi ad unum, quis nam eſſet illorum, quod nunc declaratum eſt, cum prophetice à patre benedicitur Jacob, & dicitur ei. *Et eris in congregationes gentium: & det tibi benedictionem Abrahæ patris tui.* Pergens itaque in Meſopotamiam Jacob, in ſomnis accepit oraculum, de quo ſcriptum eſt: *Et exiit Jacob à puteo jurationis, & profectus eſt in Charram, & devenit in locum, & dormivit ibi: occiderat enim ſol, & ſumpſit ex lapidibus loci, & poſuit ad caput ſuum, & dormivit in loco illo: & ſomniavit. Et ecce ſcala ſtabilita ſuper terram, cujus caput pertingebat ad cœlum, & Angeli Dei aſcendebant & deſcendebant*

Gen. 21. Rom. 9. Gen. 28.

bant per illam: & Dominus incumbebat ſuper eam. Et dixit: Ego ſum Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac, noli timere: terra, in qua tu dormis per eam, tibi dabo illam & ſemini tuo: & erit ſemen tuum ſicut arena terræ: & dilatabitur b *ſuper mare, & in Africum, & in Aquilonem, & ad Orientem, & benedicentur in te omnes tribus terræ, & in ſemine tuo. Et ecce ego ſum tecum, cuſtodiens te in omni via quacunque ibis: & reducam te in terram hanc: quia non te derelinquam, donec faciam omnia, quæ tecum locutus ſum. Et ſurrexit Jacob de ſomno ſuo, & dixit: Quia Dominus eſt in loco hoc: ego neſciebam. Et timuit, & dixit: Quàm terribilis eſt locus hic: & non eſt hic niſi domus Dei, & hæc porta cœli. Et ſurrexit Jacob & ſumpſit lapidem, quem ſuppoſuit ſibi ad caput, &* c *ſtatuit illum in titulum, & ſuperfudit oleum in cacumen ejus, & vocavit nomen loci illius* d *domus Dei.* Hoc ad prophetiam pertinet: γ nec more idololatriæ lapidem perfudit oleo Jacob, velut faciens illum Deum: neque enim adoravit eum lapidem, vel ei ſacrificavit: ſed quoniam *e* Chriſti nomen à chriſmate eſt, id eſt, ab unctione: profectò figuratum eſt hinc aliquid, quod ad magnum pertineat ſacramentum. δ Scalam verò iſtam intelligitur ipſe Salvator nobis in memoriam revocare in Evangelio, ubi cum dixiſſet de Nathanaële: *Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt:* quia Iſrael viderat iſtam viſionem, ipſe eſt enim Jacob, eodem loco ait: *Amen, amen, dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis.* Perrexit autem Jacob in Meſopotamiam, ut inde acciperet uxorem. ε Unde autem illi acciderit, quatuor habere fœminas, de quibus duodecim filios, & unam filiam procreavit, cùm earum nullam concupiſceret illicitè, divina ſcriptura indicat. Ad unam quippe accipiendam venerat, ſed cùm illi *f* altera pro altera ſuppoſita fuiſſet, nec ipſam dimiſit, qua neſciens uſus fuerat in nocte, ne ludibrio eam videretur habuiſſe: & ex eo tempore, quoniam multiplicandæ poſteritatis cauſa plures uxores lex nulla prohibebat, accepit etiam illam, cui uni jam futuri conjugii fidem fecerat. Quæ quum eſſet ſterilis, ancillam ſuam, de qua filios ipſa ſuſciperet, marito dedit. quod etiam major ſoror ejus, quamvis peperiſſet, imitata, quoniam multiplicare prolem cupiebat, effecit. Nullam Jacob legitur petiiſſe præter unam, nec uſus plurimis, niſi gignendæ prolis officio conjugali jure ſervato, ut neque hoc faceret, niſi uxores ejus id fieri flagitaſſent, quæ corporis viri ſui habebant legitimam poteſtatem.

Ioh 1.

Gen. 29.

a A Puteo jurationis.] *Sic verterunt Septuaginta, pro eo, quod Hebraicè eſt, à puteo ſaturitatis. Conſentiunt Symmachus & Aquila. Nam etiam civitas vocatur Beerſabe, quod ſonat puteum ſaturitatis. Hieronymus: Verùm puteus ſaturitatis, quem foderunt ſervi Iſaac, non idem eſt, qui puteus jurationis, quem fodit Abraham, & jurisjurandi nominavit, ſeu fœderis: quod fecit cum Abimelech Gen. 21. datis ſeptem agnis: nam Sabee eſt jusjurandum & ſeptem, tametſi in eadem urbe puteum utrumque eſſe.* L. Vives.

b Super mare.] *Hic nihil ſignificat de regno maris, quod claſſibus obtinetur: ſed, ut jam dixi, occidentem notat plagam, quæ eſt Syria ad mare noſtrum, ut quatuor mundi oras indicet.*

c Statuit illum in titulum.] *LXX.* στήλην, *columnam, quod magis congruit, quàm titulum.*

d Domus Dei] *Vicus ibi poſitus, dictus eſt Bethel, qui prius erat Luz, id eſt, tunc domus Dei, antè nux vocabatur. Erat in parte Benjamin, juxta Bethau & Gai.*

e Chriſti nomen.] χριστὸν *Græci dicunt, quem Latini unctum.* χρίσμα *eſt unctio.*

f Altera pro altera.] *Lya filia major pro Rachel filia minore. Geneſis vigeſimo nono.*

F.L.Cap. *α* MIttitur Jacob à parentibus in Meſopotamiam.] *Hiſtoria exſtat Geneſ 28. Apud Joſephum lib. 1. antiquit. cap. 19. Euſebius in Chronico ſcribit, Jacob deſcendiſſe in Meſopotamiam agente Iſaac annum ætatis 140. qui erat annus ætatis Jacob 80. Apud eundem tamen lib. 9. præparat. Evang. cap. ult. Alexander hiſtoricus tradit de Jacob, cum ſeptuaginta quinque annos natus eſſet, in Meſopotamiam parentum juſſu fugiſſe, ut iram fratris Eſau vitaret, & reliquiſſe parentem Iſaac centum & triginta ſeptem annos natum. Verùm in his verbis repugnantia eſt. Cùm enim Iſaac genuerit Jacob & Eſau anno ætatis ſexageſimo Geneſ. 25. certè annus ætatis Iſaac 137. erat annus ætatis Jacob ſeptuageſimus ſeptimus, & non ſeptuageſimus quintus. D. Auguſtinus ſerm. 79. de tempore, hæc allegoricè exponit.* Beatus, *inquit*, Iſaac, quando filium ſuum dirigebat in Meſopotamiam, Dei Patris typum præfigurabat, Jacob verò Chriſtum Dominum deſignabat. Beatus ergo Iſaac neglectis mulieribus regionis, in qua habitabat, mittebat filium ſuum, ut in regione longinqua ſibi uxorem acciperet, quia Deus Pater miſſurus erat unigenitum ſuum, qui repudiata ſynagoga, de gentibus ſibi Eccleſiam ſociaret. Hoc tunc in veritate completum eſt, quando Judæis Apoſtoli dixerunt, vobis quidem primum oportebat loqui, *&c. Act. 13.*

β Devenit in locum, & dormivit ibi.] *Sentiunt Hebræi, referente Toſtato, in cap. Geneſ. 28. locum illum, in quo Jacob habuit viſionem ſcalæ, & Dei ſervum loquentis, fuiſſe montem Moria, ubi Abraham immolare voluit filium, & ubi multis poſt annis templum ædificatum eſt à Salomone. Idem docuere Lyranus, Cajetanus, Lippomanus & hiſtoria ſcholaſtica ſuper Geneſ. c. 7_. Videtur D. Auguſt. idem docere qu. 83. in Geneſin. Cum enim ea verba commemoraſſet,* & ſurrexit Jacob de ſomno ſuo, & dixit, quia eſt Dominus in loco hoc, ego autem neſciebam, & timui, & dixi, quam terribilis hic locus eſt, hic non eſt niſi domus Dei, & hæc eſt porta cœli; hæc, *inquit*, verba ad prophetiam pertinent, quia ibi futurum erat tabernaculum, quod conſtituit Dominus in hominibus in primo populo ſuo. *Hanc opinionem multis rationibus arguit & convincit falſitatis Toſtatus in cap. 12. & 28. Geneſ. & Pererius diſputat. 1. in idem caput. Ne itaque actum agere videamur, non diutius immorabimur in ea refellenda. Satis ſit monuiſſe, montem* Moria, *ubi poſtea conſtructum eſt templum à Salomone 2 paralipo. cap. 3. fuiſſe inter Hieruſalem, nomen autem loci, in quo tunc manſit Jacob, vocatum eſt Bethel, at Bethel diſtat aliquot milliaribus ab Hieruſalem, neque eſt idem locus Bethel & Hieruſalem.*

γ Nec more Idololatriæ lapidem perfudit.] *Idem docet quæſt. 84. in Geneſ.* Quod ſtatuit (*inquit*) Jacob lapidem, quem ſibi ad caput poſuerat, & conſtituit

eum

eum titulum, & perfudit eum oleo, non aliquid idolatriæ perſimile fecit. Non enim vel tunc vel poſtea frequentavit lapidem adorando, vel ei ſacrificando, ſed ſignum fuerat in prophetia evidentiſſima conſtitutum, quæ pertinet ad unctionem, unde Chriſti nomen à chriſmate eſt. *Sermone 79. de tempore, lapidem illum, quem ad caput Jacob habuit, oleo unxit, ſignificaſſe vult Dominum ſalvatorem, & 2. de Trinit. cap. 6.* Lapis (*inquit*) quem Jacob poſuit ad caput, etiam unctionem ad ſignificandum Dominum aſſumpſit. *Ipſe certe* Lapis exciſus de monte ſine manibus. *Danielis 2.* Petra erat Chriſtus. *1. Corinth. 10.* Unctus oleo præ participibus ſuis. *Pſal. 44. Hebr. 1. de hac unctione lapidis à Jacob facta, ut non fuerit ſuperſtitioſa, verum afflatu & inſtinctu Dei, & fortaſſe majorum ſuorum exemplo facta pluribus diſſerit Pererius diſputat. 8. ad cap. 28. Geneſ. Nazianz. orat. 2. de Theologo.* Columnam *(inquit)* inungendo dedicavit arcano haud dubie conſilio, quo lapidem noſtri cauſa inunctum denotaret. *Idem ſcribit Proſper lib. de Prædict. p. 1. cap. 23.*

δ Scalam vero iſtam intelligitur ipſe ſalvator.] *Et in hoc cap. & lib. 12. contra Fauſtum cap. 26. vult, Chriſtum cum Joannis 1. Nathanael alloquens dicit.* Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes ſupra filium hominis, *Hanc viſionem Jacob ſcala & Angelorum Dei aſcendentium & deſcendentium inſinuaſſe; ſerm. 79. de tempore ita allegorice exponit:* Scala uſque ad cœlos attingens crucis figuram habuit, Dominus innixus ſcalæ, Chriſtus crucifixus oſtenditur, angeli aſcendentes & deſcēdentes per eam Apoſtoli & Apoſtolici viri, & omnes doctores eccleſiarum intelliguntur aſcendentes, quando perfectis perfecta prædicant, deſcendentes, quando parvulis & imperitis ſimplicia, quæ intelligere poſſint, inſinuant. *Theodoretus quæſt. 82. in Geneſ. hac viſione vult declaratam eſſe providentiam Dei, quam gerebat ipſius Jacob.*

ε Unde illi acciderit quatuor habere fœminas.] *An vero tetragamia illa fuerit Jacob licita vel etiam honeſta, de hoc minime dubitandum. Neque enim vel adulterii vel inceſtus arguere licet ſanctiſſimum Patriarcham, qui quatuor uxores, & quidem duas germanas uxores habuit. D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum Manichæum cap. 47. reſpondens Fauſto Manichæo, polygamiam pro magno crimine ſanctiſſimo huic Patriarchæ objicienti, ita ſcribit.* Quando mos erat, crimen non erat, & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur Sancto viro Jacob? ſi naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur; ſi morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur; ſi præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc vero cur crimen eſt, ſi quis hoc faciat, niſi quia & moribus & legibus non licet? *Fuiſſe licitam hanc polygamiam ſanctis illis Patriarchis ſcribit & lib. 3. de doctr. Chriſti, cap. 12. Nec vero inde argui poteſt, Jacob hominem fuiſſe libidinoſum, quod oſtendit ex occaſione, qua quatuor uxores accepit, cum unam duntaxat Rachelem vellet ducere, qua una contentus manſiſſet. Liam vero duxit ejus miſertus, cui inſcius abſtulerat virginitatem, ne poſtea in perpetuo de-*

decore atque infamia remaneret; ancillas vero non propria ſponte, verùm uxorum impulſu ſibi junxit matrimonio, ut ex Geneſ. 30. conſtat.

CAP. XXXIX.

Quæ ratio fuerit, ut etiam Iſraël cognominaretur.

GEnuit ergò duodecim filios & unam filiam ex quatuor mulieribus. Deinde ingreſſus eſt in Ægyptum per filium ſuum Joſeph, qui venditus ab invidentibus fratribus eò perductus fuit, atque ibidem ſublimatus. Jacob autem etiam Iſraël, ſicut paulò antè dixi, vocabatur: quod nomen magis populus ex illo procreatus obtinuit. Hoc autem *a* nomen illi ab Angelo impoſitum eſt, qui cum illo fuerat in itinere de Meſopotamia redeunte luctatus, typum Chriſti evidentiſſimè gerens, nam quod ei prævaluit Jacob, *a* β utique volenti, ut myſterium
Gen. 32. figuraret, ſignificat paſſionem Chriſti, ubi viſi ſunt ei prævalere Judæi. Et tamen benedictionem ab eodem angelo, quem ſuperaverat, impetravit: ac ſic hujus nominis impoſitio, benedictio fuit. *b* γ Interpretatur autem Iſrael, videns Deum, quod erit in fine præmium omnium ſanctorum. Tetigit porrò illi idem angelꝰ veluti prævalenti latitudinē femoris, eumq; iſto modo claudum reddidit. Erat itaque unus atque idem Jacob & benedictus & claudus: benedictus in eis, qui in Chriſtum ex eodem populo crediderunt, atque in infidelibus claudus. Nam femoris latitudo, generis eſt multitudo. Plures quippe ſunt in ea ſtirpe, de
Pſ. 17. quibus propheticè prædictum eſt: *Et claudicaverunt à ſemitis ſuis.*

L. Vives. *a* UTique videnti.] *A nolente enim angelo & pro virili ſua contrà nitente non modò victus fuiſſet proſtratusq́., ſed etiam occiſus.*

b Interpretatur autem Iſrael.] *Hieronymus non videtur probare, quod Iſrael interpretetur videns Deum, ſive princeps Dei, ſive* εὐθύτατος θεοῦ, *id eſt, directus Dei, ſeu ad verbum magis, rectiſſimus Dei. Joſephus in Antiquitatibus, Iſrael dictum arbitratur, quòd ſteterit adverſus angelum.*

T. Lcop. *a* NOmen illi ab Angelo impoſitum eſt.] *Theodoretus qu. 61. in Geneſ. exiſtimat eum, qui apparuit Iacob redeunti è Meſopotamia, & cum illo luctatus eſt, fuiſſe filium Dei, eo quod qui apparuit Deus vocetur.* Si fortis fuiſti contra Deum, quando magis contra homines? *quod interroganti Iacob de nomine ipſius reſpondit,* quid quæris nomen meum, quod eſt admirabile, *& quod Iacob ſummis votis expetierit benedictionem illius, qui ſibi apparuit, & nomen loci vocaverit Phanuel. i. et apparitionem Dei, quin etiam gratulabundus dixerit,* vidi dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. *(Melius ſenſit Auguſtinus, fuiſſe Angelū, qui apparuit ipſi Iacob & cum eo luctatus eſt, & ei nomen Iſrael impoſuit, & in univerſum docuimus ſupra ex communi ſententia Patrum & Theologorum, filium Dei nunquam apparuiſſe patribus veteris teſtamenti, verùm omnes illas apparitiones factas eſſe opera & miniſterio Angelorum, qui quod aliquando perſonam Dei ſuſtinerent, dicit ſcriptura nonnunquam Deum apparuiſſe. Neque vero quæ objicit Theodoretus ſunt alicujus momenti. Qui enim apparuit & ſi ſecundum perſonam erat Angelus. Dei tamen majeſtatem & authoritatem referebat. ideo & vocatur Deus, & nomen ejus*

dicitur

dicitur admirabile, & potuit eum benedicere Angelus tanquam ſuperior & longe major dignitate & ſtatu apud Deum, ſi quidem minor à majore benedicitur, ſicut Melchiſedec homo benedixit Abraha, & Iacob precatus eſt ita filiis ſuis Geneſ. 48. Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis; *quod vero dicit ſe vidiſſe Deũ, vide D. Thomã 1 p. q. 12. artic. 11. ad 1.)* Hujus lucta Iacob cum Angelo meminit & Oſeas cap. 12.* invaluit ad Angelũ, & in fortitudine ſua directꝰ eſt cum Angelo, & confortatus eſt, flevit & rogavit eum: *Ioſephus item lib. 1. antiquit. cap. 18.*

β Utique volenti ut myſterium figuraret.] *in lucta illa Iacob cum Angelo myſterium aliquod vult latuiſſe D. Auguſtinus: nec immerito, etſi enim Angelo in lucta prævaluerit, nihilominus benedictionem illius poſtulat, & demum ab eodem claudus redditur, habes non ſine myſterio benedictum ab Angelo & claudum redditum Iacob, qui & prævaluerit in lucta ipſi Angelo. Idem myſterium exponit & quæſt. 104. in Geneſ.* quod ab illo Angelo deſiderat Jacob benedici, cui luctando prævaluit, magna eſt de Chriſto prophetia. Nam eo ipſo admonet aliquid myſticum ſapere, quia omnis homo à majore vult benedici. Quomodo ergo ab eo benedici iſte voluit, quem luctando ſuperavit? prævaluit enim Jacob Chriſto, vel potius prævalere viſus eſt, per eos Iſraelitas, à quibus crucifixus eſt Chriſtus, & ab eo tamen benedicitur in eis Iſraelitis, qui crediderunt in Chriſtum, ex quibus erat, qui dicebat. Nam & ego Iſraelita ſum de ſemine Abraham, de tribu Beojamin. Unus ergo atque idem Jacob claudus & benedictus, claudus in latitudine femoris tanquam in multitudine generis, de quibus dictum eſt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis; benedictus autem in eis, de quibus dictum eſt, reliquæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. *Eodem modo exponit & in Pſalmum 44. & ſermo. 80. de tempore. Vide Proſperum lib. de prædict. p. 1. cap. 24.*

γ Interpretatur autem Iſrael videns Deum.] *Ita interpretati ſunt hoc nomen Iſrael præter Auguſtinum, Philo lib. de temulentia, lib. de congreſſu quærendæ eruditionis gratia, lib. quis rerum divinarum heres, & lib. de præmiis & pœnis. Eandem etymologiam tradit Origenes homil. 2. in lib. Num. & prologo Cantic. & tomo 11. in Matthæum, Baſilius in 1. cap. Iſaiæ, Chryſoſtomus homil 14. in Ioannem, 58. in Geneſ. D. Gregorius lib. 3, expoſitio. in cap. 7. lib. 1. Reg. Euſebius lib. nominum Hebraicorum, B. Macarius homil. 47. Proſper lib. de prædictio. parte prima cap. 24. & 32. Nihilominus D. Hieronymus lingua Hebraica, ſi quis unquam alius, longe peritiſſimus hanc etymologiam rejicit in tradit. Hebrai. in Geneſ. Nam ſi Iſrael* virum videntem Deum, *prima litera futura erat* א *& ſcribendum erat* איש ראה אל *octo literis, cum quinque tantum habeat* ישראל. *Deinde Angelus, qui impoſuit nomen, reddit rationem,* nequaquam ultra vocabitur Jacob nomen tuum, ſed Iſrael, quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis? *Merito ergò ſubjicit D. Hieronymus,* quamvis igitur grandis ſint authoritatis & eloquentiæ, & ipſorum umbra nos opprimat, qui Iſrael virum, ſive mentem videntem Deum tranſtulerunt, nos magis ſcripturæ, & Angeli vel Dei, qui ipſum Iſrael vocavit, authoritate ducimur, quam cujuslibet eloquentiæ ſæcularis. *Ioſephus lib. 1. antiquitat. cap. 19. interpretatus eſt nomen Iſrael, reluctantem ſive reſiſten-*

ſiſtentem Angelo. his verbis ἐκέλευσε καλεῖν αὐτὸν ἰσραήλον. σημαίνει δὲ τοῦτο κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶτταν. τὸν ἀντιστάντα ἀγγέλῳ θείῳ. *i.e.* juſſit illum Iſraelem vocari, quod Hebræis Angelo reluctantem ſignificat, *quam interpretationem ſe in Hebræo invenire non potuiſſe dicit D. Hieronymus, quæ tamen aliis merito probatur; nec eſt aliena à communi interpretatione nominis, quod ſignificet Iſrael idem quod* princeps cum Deo *ſive* fortis contra Deum. *Ita enim habet textus Hebra.* לא יעקב יאמר עוד שמך כי אם ישואל כי שרית עם אלהים ועם אנשים וחוכל׃ *Unde conſtat, à verbo* שרר *nomen deduci* ישראל, *quod ſignificat principem eſſe, ut ſenſus ſit*, non vocabitur amplius nomen tuum Jacob i.e. ſupplantator, ſed Iſrael, i. e. princeps cũ Deo. Quomodo enim princeps ego ſum, ſic & tu, qui mecũ luctari potuiſti, princeps vocaberis. Si autem mecum, qui Deus ſum, ſive Angelus, quoquoniam plerique varie interpretantur, pugnare potuiſti, quanto magis cum hominibus, id eſt, cum Eſau, quam formidare non debes? *Ita D. Hieronymus: favent (inquit) huic etymologiæ nominis omnes fere interpretationes. Sic enim interpretatus eſt Aquila* ὅτι ἦρξας μετὰ θεοῦ *Symmachus* ὅτι ἦρξω ἰσχύι πρὸς θεόν. *Septuaginta & Theodotio* ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ.

CAP. XL.

Quomodo Jacob cum ſeptuaginta quinque animabus Ægyptum narretur ingreſſus, cum plerique ex eis, qui commemorantur, tempore poſteriori ſint geniti.

Gen. 46. INgreſſi itaque referuntur in Ægyptum *a* ſimul cum ipſo Jacob ſeptuaginta quinque homines, annumerato ipſo cum filiis ſuis. In quo numero duæ tantùm fœminæ commemorantur, una filia, neptis altera. Sed res diligenter conſiderata, non indicat, quòd tantus numerus fuerit in progenie Jacob, die vel anno, quo ingreſſus eſt Ægyptum. Commemorati ſunt quippe in eis etiam pronepotes Joſeph, qui nullo modo jam tunc eſſe potuerunt: quoniam tunc centum triginta annorum erat Jacob: filius verò ejus Joſeph triginta novem: quem cùm accepiſſe triceſimo anno ſuo, vel amplius, conſtet uxorem, quomodo potuit per novem annos habere pronepotes de filiis, quos ex eadem uxore ſuſcepit? Quum igitur nec filios haberent Effrem & Manaſſes filii Joſeph, ſed eos pueros infra quam novennes Jacob Ægyptum ingreſſus invenerit, quo pacto eorum non ſolùm filii, ſed etiam nepotes, in illis ſeptuaginta quinque viris numerantur, qui tunc Ægyptum ingreſſi ſunt cum Jacob? Nam commemoratur ibi Machir filius Manaſſæ nepos Joſeph: & ejusdem Machir filius, id eſt, Galaad nepos Manaſſæ, pronepos Joſeph: ibi eſt & quem genuit Effrem alter filius Joſeph, id eſt, Vtalaam nepos Joſeph: ibi eſt & Bareth filius ipſius Vtalaæ, id eſt, nepos Effrem, pronepos Joſeph: qui nullo modo eſſe potuerunt, quando Jacob in Ægyptum venit, & filios Joſeph nepotes ſuos avos iſtorum, minores quàm novem annorum pueros invenit. Sed nimirum introitus Jacob in Ægyptum, quando eum in ſeptuaginta quinque hominibus ſcriptura commemorat: non unus dies vel unus annus, ſed totum illud eſt tempus, quandiu vixit Joſeph, per quem factum eſt,

eſt, ut intrarent. Nam de ipſo Joſeph eadem ſcriptura ſic loquitur: Et habitavit Joſeph in Ægypto, ipſe & fratres ejus: & omnis cohabitatio patris ejus, & vixit annos centum & decem, & vidit Joſeph filios Effrem, uſque in tertiam generationem. Ipſe eſt ille pronepos ejus ab Effrem tertius. Generationem quippe tertiam dicit, filium, nepotem, pronepotem. Deinde ſequitur: Et filii Machir, filii Manaſſæ, nati ſunt ſupra femora Joſeph. Et hic ille ipſe eſt nepos Manaſſæ, pronepos Joſeph. Sed pluraliter appellati ſunt, ſicut ſcriptura conſuevit: quæ unam quoque filiam Jacob, filias nuncupavit: *a* ſicut in Latinæ linguæ conſuetudine β liberi dicuntur pluraliter filii, etiam ſi non ſint uno amplius. Quum ergo ipſius Joſeph prædicetur felicitas, quia videre potuit pronepotes, nullo modo putandi ſunt, jam fuiſſe triceſimo nono anno proavi ſui Joſeph: quando ad eum in Ægyptum Jacob pater ejus advenit. Illud autem eſt, quod fallit minus iſta diligenter intuentes: quoniam ſcriptum eſt: Hæc autem nomina filiorum Iſrael, qui intraverunt in Ægyptum ſimul cum Jacob patre ſuo. Hoc enim dictum eſt, quia ſimul cum illo computantur ſeptuaginta quinque, non quia ſimul jam erant omnes, quando Ægyptum ingreſſus eſt ipſe: ſed, ut dixi, totum tempus habetur ejus ingreſſus, quo vixit Joſeph, per quem videtur ingreſſus.

a Sicut in Latinæ linguæ conſuetudine.] *Sic Latinè unus filius liberi dicitur, ſicut Gellius ſcribit, aſſeritque dictum Sempronii Aſellionis, qui de unico Sempronii Gracchi filio liberos dixit. Herennius juriſconſultus lib. Digeſtorum quinquageſimo idem confirmat.* L. Vives.

a Simul cum ipſo Jacob ſeptuaginta quinque homines.] *Magnam hic locus continet difficultatem. Nam Geneſ. 46. dicitur,* Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius (abſque uxoribus filiorum ejus) ſexaginta ſex, *& ibidem mox ſubjungit Moſes,* Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta; *quem eundem numerum ponit initio libri Exodi, cum dicitur,* Erant omnes animæ eorum, qui egreſſi ſunt de femore Jacob ſeptuaginta, *& 10. cap. Deuteronomii,* In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum, ecce nunc multiplicavit te dominus Deus ſicut aſtra cœli. *At vero ſeptuaginta interpretes Geneſ. 46. diſcrepant à ſcriptura Hebraica, & ab editione vulgata, & poſuerunt ſeptuaginta quinque. ſic enim habet eorum translatio,* Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, ſeptuaginta quinque *& eundem numerum ponunt in principio Exodi, tamen cap. 10. Deut. non diſcrepant ab Hebraica ſcriptura, & ponunt tantum ſeptuaginta. D. etiam Stephanus Act. 7. numerat ſeptuaginta quinque his verbis:* Mittens autem Joſeph accerſivit Jacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuaginta quinque. *Hanc lectionem ſecutus eſt D. Auguſtinus. merito itaque quæritur, quomodo congruat hic locus Actor. 7. & translatio 70. interpretum cum ſcriptura Hebraica: neque enim exiſtimandum eſt, errorem ſubeſſe vel in textu Hebraico, vel etiam translatione 70. & illo loco Acto. 7. cum in ſcriptura canonica temerarium ſit, ne dicam impium aſſerere aliquem ſubeſſe errorem. Duæ difficultates ſunt nobis breviter ſolvendæ, prima eſt, quomodo verum ſit utrumque quod eodem cap. dixit* F. L. Cop.

dixit Moſes ſexaginta ſex ingreſſos Ægyptum, & paulo poſt 70. Reſpondetur, facile conciliari utrumque, nam in numero ſexaginta ſex non comprehenditur ipſe Iacob, illa enim verba, Egreſſæ ſunt de femore illius, *omnino excludunt ipſum Iacob, & tantum comprehendunt ejus poſteros. Deinde etiam hic numerus non comprehendit ipſum Ioſeph cum duobus illius filiis Efraim & Manaſſe. Neque enim Ioſeph ingreſſus eſt cum Patre in Ægyptum, neque duo illius filii. At vero numero ſeptuaginta comprehenduntur & ipſe Iacob, & Ioſeph, & duo filii ejus. Verùm quomodo concordet numerus ſeptuaginta ingredientium in Ægyptum cum numero ſeptuaginta quinque, quem ponunt 70. interpretes, & Lucas act. 7. majorem habet difficultatem. Reſpondetur, quod quemadmodum in numero ſeptuaginta comprehenduntur etiam filii Ioſeph Efraim & Manaſſes, qui nati erant in Ægypto, quando eò venit Iacob; ita numero ſeptuaginta quinque comprehenduntur nepotes & pronepotes Ioſeph, Machir filius. i. e. Galaad nepos Manaſſe & pronepos Ioſeph: item filii Efraim fratris Manaſſe Utalaam & Taan, filius item Utalaam Edom: hi non habentur quidem in numero Hebræorum, nec in vulgata editione, ſed in editione ſeptuag. Geneſ. 46. & referuntur etiam à Philone lib. de congreſſu quærendæ eruditionis gratia. Quomodo vero dicuntur ingreſſi in Ægyptum cum Iacob, cum ne nati tunc quidem fuerint, immo nec quamdiu Iacob vixit in Ægypto, ſaltem pronepotes Ioſeph. Reſpondet D. Auguſtinus hoc loco & quæſt. 172. in Geneſ. nomen ingreſſus Iacob in Ægyptum ad omne tempus, quo poſt ingreſſum Iacob vixit Ioſeph, oportere extendi; nam quia author Ioſeph fuerat ingreſſus Iacob, & omnis familiæ ejus in Ægyptum, ideo tempus illius ingreſſus pariter cum tempore vitæ Ioſeph deinceps prorogatum & finitum eſt. Illos porro quinque eſſe natos vivente Ioſeph conſtat ex ultimo Geneſ. nec id abſurdum, ut quemadmodum Moſes numero illo ſeptuaginta complexus eſt filios Phares, qui nondum erant nati ingrediente Iacob in Ægyptum, & item nepotes ac pronepotes Benjamin, ita ſeptuaginta interpretes addiderunt illis quinque partim nepotes, partim pronepotes ipſius Ioſeph, quod iſti nati eſſent in Ægypto viventibus adhuc majoribus ſuis, qui Ægyptum intraverant, exempli gratia, vivente Phares nati ſunt in Ægypto filii ejus Eſron & Hallo; & vivente Benjamin nati ſunt nepotes & pronepotes ejus, qui commemorantur Geneſ. 46. ita vivente Ioſeph nati ſunt filii & nepotes Efraim & Manaſſe filiorum ejus: dicuntur vero ingreſſi in Ægyptum non quidem in ſe, ſed in majoribus ſuis, quomodo dicitur Levi dediſſe decimas Melchiſedec, non quidem per ſe ipſum. Nam multis annis eo fuit poſterior, ſed in proavo ſuo Abraham, qui decimas obtulit Melchiſedec Geneſ. 14.*

β Liberi dicuntur pluraliter filii, etiamſi non ſint uno amplius.] *Ita Agellius ſcribit lib. 2. cap. 13.* antiqui oratores, hiſtoriæque aut carminum ſcriptores, etiam unum filium filiamve liberos multitudinis numero appellarunt. *Idque probat teſtimonio Sempronii Aſellionis, qui de unico Tiberii Grachi filio liberos dixit. Idem obſervavit & Servius in 10. Æneid. & Donatus in Heautontim. Terent. Act. 1. Scen. 2. Tit. de verbo. ſignificat. Lex exſtat 148.* non eſt ſine liberis, cui vel unus filius, unave filia eſt. *Nec tamen novum eſt, liberum ſingulariter dicere. Sic Modeſtinus L. Ius agnationis 34. de pactis,* non poteſt quis nolle ſuum liberum eſſe. *Ulpianus*

nus L. Nemo prædo 126. de regulis juris, Locupletior factus non eſt, qui liberum acquiſivit, & *Juſtinianus L. Si quis filium 34. C. de inofficioſo teſtam.* Si quis ſine teſtamento, *inquit*, maximam quidem portionem libero relinquat, *&c. liberum pro filio, & apud Quintilianum & apud Paulum Cajumque ſe reperiſſe, ſcribit Valla lib. 3. cap. 8.*

CAP. XLI.

De benedictione, quam in Judam filium ſuum promiſit.

IGitur propter populum Chriſtianum, in quo Dei civitas peregrinatur in terris, ſi carnem Chriſti in Abrahæ ſemine requiramus, remotis concubinarum filiis occurrit Iſaac: ſi in ſemine Iſaac, remoto Eſau, qui eſt Edom, occurrit Jacob, qui eſt & Iſrael: ſi in ſemine Iſrael ipſius, remotis cæteris occurrit Judas, quia *a* de tribu Juda exortus eſt Chriſtus. Ac per hoc, quum in Ægypto moriturus Iſrael filios ſuos benediceret: quemadmodum Judam propheticè benedixerit, audiamus. *a β Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui. Manus tua ſuper dorſum inimicorum tuorum: te adorabunt filii patris tui. Catulus leonis Judas, b γ ex germinatione, fili mi, aſcendiſti: δ recumbens dormiſti, ut leo & catulus leonis, ε quis ſuſcitabit eum? Non deficiet princeps ex Juda, & dux de femoribus ejus, donec veniant, quæ repoſita ſunt ei: & ipſe erit expectatio gentium, alligans ad vitem pullum ſuum, & cilicio pullum aſinæ ſuæ. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ amictum ſuum. Fulvi oculi ejus à vino; & dentes candidiores lacte.* Expoſui hæc adverſus Manichæum Fauſtum diſputans, & ſatis eſſe arbitror, quantum veritas prophetiæ hujus elucet. Ubi & mors Chriſti prædicta eſt verbo dormitionis, & non neceſſitas, ſed poteſtas in morte nomine leonis. Quam poteſtatem in Evangelio ipſe prædicat, dicens: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Nemo eam tollit à me, ſed ego eam pono à me* Joh. 10. *metipſo, & iterum ſumo eam.* Sic leo fremuit, ſic quod dixit, implevit. Ad eam namque pertinet poteſtatem, quod de reſurrectione ejus adjunctum eſt: Quis ſuſcitabit eum? hoc eſt, quia nullus hominum, niſi ſeipſe ſuſcitavit, qui etiam de corpore ſuo dixit: *Solvite templum hoc, & in triduo reſuſcitabo illud.* Ipſum Joh. 2. autem genus mortis, hoc eſt, ſublimitas crucis in uno verbo intelligitur, quod ait, aſcendiſti, quod verò addidit: *recumbens dormiſti*, Evangeliſta exponit, ubi dicit: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Aut certè ſepultura ejus agnoſcitur, Matth. 27. in qua recumbit dormiens: & unde illum nullus hominum, ſicut prophetæ aliquos, vel ſicut ipſe alios ſuſcitavit, ſed ſicut à ſomno ipſe ſurrexit. ζ Stola porrò ejus quam lavat in vino, id eſt, mundat à peccatis in ſanguine ſuo, cujus ſanguinis ſacramentum baptizati ſciunt, unde adjungit; & in ſanguine uvæ amictum ſuum, quid eſt niſi Eccleſia? *Et fulvi oculi ejus à vino*, ſpiritales ejus inebriati poculo ejus. De quo canit Pſalmus: *Et calix tuus inebrians quàm præclarus eſt. Et dentes ejus candidiores lacte.* Quod potant apud Apoſtolum parvuli, verba ſcilicet nutrientia, nondum idonei ſolido cibo. Ipſe igitur eſt, η in quo repoſita erant promiſſa Judæ, quæ donec venirent, nunquam principes, hoc eſt, reges

Iſrael ab illa ſtirpe defuerunt. *θ Et ipſe expectatio gentium*, quod clarius eſt videndo, quàm ſit exponendo.

L. Vives. *a* Juda, inquit, te laudabunt.] *Judas etiam laus eſt ſive confeſſio.*

b Ex germinatione.] *Hebraicè ex captivitate. De Chriſto hæc omnia, ut intelligatur, eum captivos populos eſſe ducturum, & juxta intelligentiam ſacratiorem aſcendiſſe in altum, & captivam duxiſſet captivitatem. Hieronymus.*

c Et cilicio pullum aſinæ ſuæ.] *Alii verterunt: Et funiculo pullum aſinæ ſuæ. Hieronymus oſtendit eſſe Hebraicè: Alligans ad vitē pullum ſuum & ad electam vitem aſinam ſuam. Et pro pullo poſſe legi civitatem illam divinam, de qua hiſce libris loquimur. Porrò LXX. ἕλικι verterunt. Eſt verò ἕλιξ pampinus ſeu capreolus vitis à convolvendo apud Theophraſtum, & ab eadem mente ſpecies hederæ Dioſc. & Plin. itaque neſcio, unde cilicium hic irrepſerit, niſi verſum ſit helicium.*

F. L. Cog. *α* De tribu Juda exortus eſt Chriſtus.] *Id apertè docet Paulus ad Hebræos 7.* manifeſtum eſt, quod ex Juda ortus eſt Dominus noſter, *Apocalyp. 5. dicitur*, Leo de tribu Juda, *i.e. Chriſtus, qui Leoni ob fortitudinem comparatur. Id etiam conſtat tum ex Genealogia D. Matthæi, tum D. Lucæ.*

β Juda te laudabunt fratres tui.] *Ab alluſione nominis exorſus eſt, ſignificat enim Judas laudationem à verbo* הודה laudavit, laudabunt te fratres tui, *nimirum ob regiam dignitatem, quæ tribui Juda delata eſt. Erat enim tribus illa regia, & cæteras antecellens: adorabunt te filii patris tui, reges enim adorari ſolent & coli. Verùm prophetia illa Jacob altius aliquid continebat, non eam in Judam filium, quam in Chriſtum mens prophetica Jacob ferebatur.* Optatiſſimum Meſſiam Jacob ſuſpexit, *ait D. Ambroſius lib. de benedict. Patriarcharum cap. 4.* & ad Judam dirigi videtur alloquium, ſed Judas ille poſterior, i.e. Chriſtus exprimitur, qui ex ea tribu natus eſt, qui ſolus laudatur à fratribus, de quibus dicit, Narrabo nomen tuum fratribus meis. *Rupertus.* Hic, *inquit*, os ſuum latius aperuit Jacob Spiritumque attraxit & clarius eduxit, quod gaudenter totus exaudiret orbis, *ſcilicet de Chriſto, ita totam illam prophetiam Jacob, quæ eſt benedictio filii Juda, rectè Chriſto accommodat.*

γ Ex germinatione fili mi aſcendiſti.] *Ita ſeptuaginta* ἐκ βλαστοῦ υἱέ μου ἀνέβης. *Ita legit etiam D. Ambroſius lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 4 & D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis. Lectio Hebraica habet*, ex captivitate aſcendiſti, *quod certè egregiè competit in aſcenſum Chriſti, cum ex inferno in terram tum ex terra in cœlum, Latina lectio*, ad prædam fili mi aſcendiſti. *Certè aſcendit ad prædam velut Leo in crucem ſublatus invicta animi fortitudine diabolum ſuperavit, de morte triumphavit, & infernum ipſum deprædatus eſt. Theodoretus illud ex germine, refert ad prophetiam Iſaiæ de Chriſto*, egreditur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. τὸ ἀκριβὲς τῆς προῤῥήσεως, τὴν ἔκβασιν ἔλαβεν ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ὃς ἐκ βλαστοῦ ἀνέτειλεν κατὰ τὴν πατριαρχὴν Ἰακώβ, καὶ κατὰ τὴν προφητείαν Ἡσαΐας ἐξῆλθε ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαὶ, καὶ ἄνθος ἐκ τῆς ῥίζης ἀνέβη. *per aſcenſum hic interpretatur D. Auguſtinus genus mortis quod in cruce paſſus eſt.*

δ Recumbens dormiſti ut leo.] *Per dormitionem mors Chriſti intelligitur, dormiſſe*

miſſe verò dicitur ut leo, quia moriens maximè fortitudinem ſuam declaravit & imperium in ipſos cœlos in ipſa etiam elementa. Theodoretus ὥσπερ ὁ λέων καθεύδων ἐστὶ φοβερὸς, οὕτως ὁ δεσποτικὸς θάνατος φοβερὸς καὶ τῷ θανάτῳ καὶ τῷ διαβόλῳ γεγένηται.

ε Quis ſuſcitabit eum.] *Ipſe enim ſolus ſe ſuſcitavit Theodoretus,* τὴν ἄφατον αὐτοῦ δείκνυσι δύναμιν, αὐτὸς γὰρ ἑαυτὸν ἀνέστησε κατὰ τὴν αὐτοῦ πρόῤῥησιν, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον κἀγὼ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.

ζ Stola porro quam lavit in vino.] *Stolam rectè Eccleſiam Chriſti ſanguine lotam intelligit. Ita etiam intellexit Juſtinus Martyr in Dialogo,* ſtolam, *inquit,* eos vocavit, qui per Chriſtum remiſſionem peccatorum acceperunt. *Apocal. cap. 1.* lavit enim nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo; *Epheſ. 2.* mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. *Amictus item ejus ſunt fideles, Iſa. 49.* His velut ornamento veſtieris. *Ambroſius lib. de benediction. Patriarch. cap. 4.* & in ſanguine uvæ anaboladium ſuum, i. e. in paſſione corporis ſui diluit gentes ſuo ſanguine. Etenim verbi anaboladium gentes ſunt, ſicut ſcriptum eſt, vivo ego dicit dominus, niſi eos omnes induam ſicut veſtimentum.

η In quo repoſita erant promiſſa Judæ.] *Ita legit etiam lib. 12. contra Fauſtum cap. 42, & Cyprianus lib. 1. contra Judæos,* quouſque veniant depoſita illi, *quod Græcè* ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ: *quam lectionem habent Chryſoſtomus, Cyrillus, Clemens Alexandrinus & Euſebius Cæſarienſis, in aliis lectionibus eſt* ᾧ ἀπόκειται, cui repoſitum eſt, *quam lectionem ſequuntur Ignatius, Irannaus, D. Ambroſius, Leo Papa, D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis, ita etiam legit D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 85. & infra lib. 18. cap. 45. In Chriſto verò repoſita erant promiſſa Judæ, quod de eo myſticè intelligenda, & in eo complenda, quæ in prophetia illa habet ſanctiſſimus Patriarcha Jacob, ex Jacob enim non per alium filium quàm per Judam oriturus erat Chriſtus, unde meritò ille cæteris prælatus & tribus Judæ reliquas dignitate antecellebat.*

θ Et ipſe expectatio Gentium.] *Ita ſeptuaginta* αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν, *Hebraicè verò* ולו יקהת עמים, ei erit aggregatio populorum, *vaticinium de vocatione gentium ad fidem Chriſti. Id Pſal. 71. prædixerat David.* Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei; ipſe etiam deſideratus cunctis gentibus, *Aggæi 2.*

CAP. XLII.

De filiis Joſeph, quos Jacob prophetica manuum ſuarum transmutatione benedixit.

SIcut autem duo Iſaac filii, Eſau & Jacob figuram præbuerunt duorum populorum in Judæis & Chriſtianis: α quamvis quod ad carnis propaginem pertinet, nec Judæi venerunt ex ſemine Eſau, ſed Idumæi; nec Chriſtianæ gentes de Jacob, ſed potius Judæi: ad hoc enim tantum figura valuit, quod dictum eſt, *Major ſerviet minori:* β ita factum eſt etiam in duobus filiis Joſeph. Nam major geſſit typum Judæorum, Chriſtianorum autem minor. Quos quum benediceret Jacob γ manum dexteram ponens ſuper minorem, quem habebat ad ſiniſtram: *Gen. 25.* *Gen. 48.*

ſtram: ſiniſtram verò ſuper majorem, quem habebat ad dextram: grave uſum eſt patri eorum, & admonuit patrem velut corrigens ejus errorem, & quis nam eorum eſſet major oſtendens. At ille mutare manus noluit, ſed dixit: Scio, fili, ſcio. Et hic erit in populum, & hic exaltabitur: ſed frater ejus junior major illo erit, & ſemen ejus erit in multitudinem gentium. Etiam hic duo illa promiſſa demonſtrant: nam ille in populum, iſte in multitudinem gentium. Quid evidentius quàm his duabus promiſſionibus contineri pupulum Iſraelitarum orbemque terrarum in ſemine Abrahæ: illum ſecundùm carnem, iſtum ſecundum fidem?

L. L. Cog. α Quamvis quoad carnis propaginem pertinet.] *Si carnalem quidem originem ſpectemus, Judæi ex Iſaac & ex Jacob originem ducunt, non vero Chriſtiani; ſi vero myſterium ipſum, quod in illis ſignificatur, Chriſtiani ad Iſaac & Jacob pertinent qui heredes fuere benedictionum Abrahæ promiſſarum, non vero Judæi ipſi. Ita D. Auguſtinus & hic & epiſt. 200. ad Aſellicum;* Nonne mirabilia magna ſunt iſta, profundumque myſterium, ut multi nati ex Iſrael non nati ſint Iſrael, & multi non ſint filii, cum ſint ſemen Abraham. Quomodo enim non ſunt, quomodo nos ſumus, niſi quia non ſunt filii promiſſionis ad Chriſti gratiam pertinentes, ſed filii carnis nomen inane geſtantes? ac per hoc nec illi ſunt Iſrael ſicut ſumus nos, nec nos ſumus Iſrael, ſicut ſunt illi. Nos enim ſumus ſecundum ſpiritualem regenerationem, illi ſecundum carnalem regenerationem. Intuendum eſt quippe ac diſcernendum, alium eſſe Iſrael, qui propter carnem nomen accepit, alium vero, qui propter ſpiritum rem, quæ illo nomine ſignificatur, obtinuit. Nunquid enim ex Agar ancilla Saræ, nati ſunt Iſraelitæ? Nonne Iſmael ex illa natus eſt, & non Iſraelitarum, ſed Iſmaelitarum gentem ſuo ſemine propagavit? De Sara namque venit Iſrael per Iſaac, qui ex promiſſione natus eſt Abrahæ, tamen cum ſecundum propaginis carnem ita ſe res habeat, venitur ad intellectum ſpiritualem, & inveniuntur ad Saram non pertinere carnales Iſraelitæ, qui ex illa carnis originem ducunt, & pertinere ad eam potius Chriſtiani, qui non ſecundum Iſmael filii ſunt carnis, ſed ſecundum Iſaac filii ſunt promiſſionis, non ad ipſius Iſaac carnale ſemen, ſed ad ſpirituale myſterium pertinentes.

β Ita factum eſt in duobus filiis Joſeph.] *Geneſ. 48. Nam Efraim minor natu prælatus eſt ipſi Manaſſe majori natu, atque nec id ſine myſterio: in illo enim ſignificatum vult populum Chriſtianum, in hoc Judaicum. Cyprianus contra Judæos lib. 1. cap. 21. Obſervat Theodoretus paſſim primogenitis præferri natu poſteriores* ἐπισημαντέον δὲ ὅτι πανταχοῦ τῶν πρωτοτόκων οἱ μετ᾽ αὐτοὺς προτιμῶνται, καὶ γὰρ τοῦ Κάϊν προεκρίθη ὁ Ἄβελ, καὶ τοῦ Ἰάφεθ ὁ Σὴμ δεύτερος ὢν· ἀδελφὸς γάρ φησιν Ἰάφεθ τοῦ μείζονος, καὶ τοῦ Ἰσμαὴλ ὁ Ἰσαάκ, καὶ τοῦ Ἡσαῦ ὁ Ἰακώβ, καὶ τοῦ Ῥουβὶν ὁ Ἰούδας καὶ ὁ Ἰωσήφ, καὶ τοῦ Μανασσῆ ὁ Ἐφραΐμ, τοῦτο καὶ ἐν τοῖς κτ. ταῦτα εὕροι τις ἄν. καὶ γὰρ τοῦ Ἀαρὼν ὁ Μωσῆς προεβλήθη, καὶ Δαβὶδ νεώτατος ὢν τῶν ἑπτὰ ἀδελφῶν. *Certè & id quidem non fortuito. Nam divina ſorte in ſignificationem myſterii quod populus Chriſtianus præferendus eſſet populo Judæorum, & in illius locum ſucceſſurus, ac benedictiones illas promiſſas antiquis illis patribus percepturus. Id docet D. Auguſtinus:*

ſtinus in Pſal. 77. in benedictione hac, qua prælatus eſt Efraim Manaſſe, ſignificatum eſſe, quod futuri eſſent noviſſimi, qui erant primi, & primi futuri eſſent, qui erant noviſſimi per Salvatoris adventum. Sic, *inquit,* Abel juſtus majori prælatus eſt fratri, ſic Iſmael Iſaac, ſic Eſau congemino ſuo, ſed tamen prius nato, ipſe Jacob, ſic Phares & ipſi congemino ſuo, qui prius manum ex utero miſerat, & cœperat naſci, & jam naſcendo præceſſit: ſic David majoribus prælatus eſt fratribus, & propter quod iſtæ omnes atque aliæ ſimilitudines non ſolùm dictorum, ſed etiam factorum parabolæ præceſſerunt, ſicque populo Judæorum prælatus eſt populus Chriſtianus, pro quo redimento quemadmodum Abel à Cain, ſic à Judæis occiſus eſt Chriſtus. Hoc præfiguratum eſt enim etiam cum Jacob decuſſatim porrectis manibus dextera tetigit Efrem ad ſiniſtram conſtitutum, eumque præpoſuit Manaſſe ad dextram conſtituto, quem ſiniſtra ipſe tangebat.

γ Manum dextram ponens ſuper minorem.] *Cum Joſeph ad patrem morti jam proximum veniſſet, & adduxiſſet filios ſuos, quibus Iacob benediceret, & utrumque ſtatuiſſet ſecundum ordinem, ad dextram conſtituens ipſum Manaſſem veluti jus primogenituræ accepturum, & ad ſiniſtram Ephraim, ipſe cancellatis & commutatis manibus dextram quidem ſuper juniorem impoſuit, ſiniſtram ſuper ſeniorem. Quid verò ſibi velit hæc commutatio manuum Iacob, & quidem id fortuitò non eſſe factum oſtendit, cùm reprehenſus à Ioſeph, qui ægrè ferret juniorem priori præferri, oſtendit ſe ſpiritu prophetico ad ſignificationem rerum futurarum id facere,* Iſte quidem erit in populos *(inquit)* & multiplicabitur; ſed frater ejus minor major erit illo, & ſemen ejus creſcet in gentes. *Hujus facti altera quidem ratio literalis ſeu hiſtorica, altera verò eſt myſtica: quantum ad hiſtoriam voluit declarare Iacob, prælatum iri Ephraim fratri ſuo majori Manaſſe, quemadmodum manus dextra habetur præſtantior & dignior ſiniſtra; myſtica verò ratio eſt. Iacob inſtinctu Spiritus ſancti anteponere volens Ephraim majori fratri ſuo Manaſſe, extendens manus ſuas ſuper illos ita eas commutavit, atque confortavit, ut figuraret ſignum & imaginem ſanctæ crucis, ea re præſignificans myſterium crucis Chriſti, per quod gentilitas præpoſita eſt Iudaiſmo, quemadmodum Ephraim minor natu ipſi Manaſſe. Crux enim Chriſti pereuntibus ſtultitia eſt, at vocatis Iudæis atque Gentibus Dei virtus, & Dei ſapientia. Ita eleganter explicat Rupertus libro 9. commentar. in Geneſ. cap. 24.* Sine dubio *(inquit)* tranſpoſitio manuum crucis expreſſit figuram; numquid in eo ſic manus commutando caſu crucem figuravit? numquid non poterat eadem ratione data Manaſſem ad dextram, Ephraim verò ad ſiniſtram ſuam poſuiſſe? poterat ſanè, ſed propheta erat & prophetico ſpiritu ſciebat, quod per crucem componenda eſſet benedictio, quam venturus legiſlator daret, vel qua in illo ſemine Abrahæ benedicerentur omnes gentes. Qui enim poſtmodum de illo, qui mittendus erat, & qui expectatio gentium futurus erat. *i. e.* de Chriſto dixit, lavabit in vino ſtolam ſuam, & ſanguine uvæ pallium ſuum, neſcire poterat, quali turculari premenda illa uva, vel ipſum vinum foret extorquendum: Igitur tanquam Propheta ſimul & patriarcha, quomodo verbis potuit verum prophetare dicendo, & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur, ſed frater ejus junior, ma-

jor erit illo,i.e.Ephraim major erit Manaſſe, ſic & manuũ poſitione crucẽ Chriſti præfigurare ſcivit, per quã utiq; populo Judaico ſeniori præferẽdus erat populus junior gentilis. *Eadem ſcribit Iſidorus l.comm.in Gen.c.30.* Major(*inquit*)Manaſſes, qui interpretatnr oblivio, typum geſſit Judæorum, quia oblitus eſt Deum, qui fecit eum, minor autem Chriſtianorum, qui fœcunditatem ſonat, quod eſt proprium populi junioris, qui corpus eſt Chriſti, qui fœcundatus eſt in latitudine mundi. Hos cum benedicere vellet Jacob poſuit Joſeph Ephraim ad ſiniſtram, Manaſſem autem ad dextram illius conſtituit: at ille cancellatis manibus crucis myſterium præfigurans tranſlata in minorem dextra, majori ſiniſtram figuraliter impoſuit. Sicque crucis ſimilitudo ſuper capita eorum denotata Judæis ſcandalum, Chriſtianis futuram gloriã præſignavit, ſenioréq; per crucis myſterium ſiniſtrum factum de dextro; & juniorem dextrum de ſiniſtro per crucis myſterium fore demonſtravit. *Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 8. hanc benedictionem Iacob, qua nepotes ſuos ex Ioſepho Efraim & Manaſſem benedixit, figuram fuiſſe indicat ſacramenti manus ſuperimpoſitionis, in quo & manus imponuntur & benedictio in Chriſtum datur, per conſignationem nempe crucis, quæ ibi ſignificabatur intermutatis manibus in formam crucis.*

Cap. XLIII.

De temporibus Moyſi & Jeſu Nave, ac Judicum; atque exinde Regum: quorum quidem Saul primus eſt, ſed David præcipuus & ſacramento habetur & merito.

DEfuncto Jacob, *a* defuncto etiam Joſeph, per reliquos centum quadraginta quatuor annos, donec exiretur de terra Ægypti, in modum incredibilem illa gens crevit, etiam tantis attrita perſecutionibus, ut quodam tempore nati maſculi necarentur: cùm mirantes Ægyptios nimia populi illius incre-

Exod. 2. menta terrerent. β Tunc Moyſes ſubtractus furto trucidatoribus parvulorum, ad domum regiam, ingentia per eum Deo præparante pervenit, nutritusque & adoptatus à filia Pharaonis, *a* γ quod nomen in Ægypto omnium fuit, in tantum pervenit virum, ut ipſe illam gentem mirabiliter multiplicatam, ex duriſſimo & graviſſimo, quod ibi ferebat, jugo ſervitutis extraheret: imò per eum Deus, qui hoc promiſerat Abrahæ. Prius quippe exinde ad terram Madian fugiſſe refertur: quod quum Iſraelitam defenderet, Ægyptium occiderat, & terri-

al. fuerat. tus † fugerat: poſtea divinitus miſſus in poteſtate ſpiritus Dei ſuperavit *a* re-

Exod. 8. ſiſtentes Pharaonis *b* magos. Tunc per eum Ægyptiis illatæ ſunt *s* decem me-

9.10.11. morabiles plagæ, quum dimittere populum Dei nollent, aqua in ſanguinem verſa, ranæ & *c* cyniſes, *d* ζ cynomya, mors pecorum, ulcera, grando, *e* locuſta, tenebræ, mors primogenitorum. Ad extremum Iſraelitas, quos plagis tot tantisque *f* perfracti tandem aliquando dimiſerant, Ægyptii in mari rubro, dum perſequuntur, extincti ſunt. Illis quippe abeuntibus, diviſum mare viam fecit: hos autem inſequentes, in ſe rediens unda ſubmerſit. Deinde per annos quadraginta duce Moyſe, Dei populus per deſertum actus eſt: η quando tabernaculum teſti-

teſtimonii nuncupatum eſt: ubi Deus ſacrificiis futura prænunciantibus colebatur: quum ſcilicet jam data lex fuiſſet in monte multum terribiliter. Atteſtabatur enim evidentiſſima mirabilibus ſignis vocibusque divinitas. Quod factum eſt mox, ut exitum eſt de Ægypto, & in deſerto populus eſſe cœpit, quinquageſimo die poſt celebratum paſcha per ovis immolationem: quæ uſque adeò typus Chriſti eſt, prænuncians eum per victimam paſſionis de hoc mundo tranſiturum ad Patrem: *g* (Paſcha quippe Hebræa lingua, tranſitus interpretatur:) ut jam quum revelaretur teſtamentum novum, poſteà quam paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, quinquageſimo die veniret de cœlo Spiritus ſanctus: qui dictus eſt in Evangelio digitus Dei: ut recordationem noſtram in primi præfigurati facti memoriam revocaret: quia & legis illæ tabulæ digito Dei ſcriptæ referuntur. Defuncto Moyſe, populum rexit *i* Jeſus Nave: & in terram promiſſionis introduxit: eamque populo diviſit. Ab his duobus mirabilibus ducibus, bella etiam proſperrimè ac mirabiliter geſta ſunt: Deo conteſtante non tam propter merita Hebræi populi, quàm propter peccata earum, quæ debellabantur gentium, illas eis proveniſſe victorias. Poſt iſtos autem duces, judices fuere jam in terra promiſſionis populo collocato: ut inciperet interim reddi Abrahæ prima promiſſio de gente una, id eſt, Hebræa, & de terra Chanaan: nondum de omnibus gentibus & toto orbe terrarum: quod Chriſti adventus in carne, & non veteris legis obſervationes, ſed Evangelii fides fuerat impletura. Cujus rei præfiguratio facta eſt, quod non Moyſes, qui legem populo acceperat in monte Sina, *h* ſed Jeſus, cui etiam nomen Deo præcipiente mutatum fuerat, ut Jeſus vocaretur, populum in terram promiſſionis introduxit. Temporibus autem Judicum, ſicut ſe habebant & peccata populi, & miſericordia Dei, alternaverunt proſpera & adverſa bellorum: Inde ventum eſt ad Regum tempora. Quorũ primꝰ regnavit Saul: quo reprobato, & bellico clade proſtrato, ejusq; ſtirpe rejecta, ne inde reges orirẽtur David ſucceſſit in regnũ, *x* cujus maximè *i* Chriſtus dictus eſt filius. In quo articulus quidã factꝰ eſt, & exordiũ quodammodo juventutis populi Dei: cujus generis quædam velut adoleſcentia ducebatur ab Abraham uſque ad hunc David. Neque enim fruſtrà Matthæus Evangeliſta ſic generationes commemoravit, ut hoc primum intervallum quatuordecim generationibus commendaret, ab Abraham ſcilicet uſque ad David. Ab adoleſcentia quippe incipit homo poſſe generare, propterea generationum ſeries ab Abraham ſumpſit exordium, qui etiam pater multarum gentium conſtitutus eſt: quando mutatum nomen accepit. Ante hunc ergò velut pueritia fuit hujus generis populi Dei, à Noe uſque ad ipſum Abraham, *k* & ideò prima lingua inventa eſt, id eſt, Hebræa. A pueritia namque homo incipit loqui poſt infantiam, *l* quæ hinc appellata eſt, quia fari non poteſt. Quam profectò ætatem primam demergit oblivio, ſicut ætas prima generis humani eſt deleta diluvio. Quotus enim quisque eſt, qui ſuam recordetur infantiam? Quamobrem in iſto procurſu civitatis Dei, ſicut ſuperior unam eandemque primam, ita duas ætates ſecundam & tertiam liber iſte contineat, in qua tertia propter vaccam trimam,

Exod. 12. Luc. 12. Exod. 31. Joſ. 1. Matth. 1. 15. 20. Luc. 18.

capram

capram trimam, & arietem trimum, impoſitum eſt legis jugum, & apparuit abundantia peccatorum, & regni terreni ſurrexit exordium, ubi non defuerunt ſpiritales, quorum in turture & columba figuratum eſt ſacramentum.

L. Viv. *a* QUod nomen in Ægypto.] *Ne putetur, idem fuiſſe Pharao, qui tunc regnabat, & qui temporibus Jacob & Joſeph. Nam ut in Ezechielem libro nono docet Hieronymus, Pharao apud Ægyptios nomen eſt regiæ dignitatis. Sicut poſt Alexandrum Ptolemæi: ut apud Romanos Cæſares & Auguſti: apud Philiſthæos Abimelech: quæ de Antiochis & Arſacidis addit, non ſatisfaciunt. Herodotus unicum Pharaonem ponit cæcum. Pharaones verò dicti ſunt, quaſi Pharones, à Pharo inſula è regione Alexandriæ, olim Carpathos dicta, ubi regnavit Proteus. Hujus Pharaonis filiam Thermuth vocat Joſephus.*

b Reſiſtentes Pharaonis Magos.] *Quis fuerit hic Pharao, non convenit. Euſebius ſcribit, Apionem Polyhiſtorem tradidiſſe, Amaſim regnaſſe in Ægypto, quum illinc Judæi deceſſerunt, quod fieri non poteſt. Nam Amaſis fuit multo poſterior, temporibus ſcilicet Pythagoræ, cui à Polycrate Samiorum tyranno commendatus eſt. Ideò Joſephus ex Manethone Techmoſim Pharaonem ponit, & ſic oſtendit, Manethonem varium eſſe, ut qui alibi ponat Amenophin. Idem Euſebius in Chronicis, Pharaonem Cenchrem hoc tempore ſtatuit. In præparatione Evangelii Magorum etiam ponit nomina, Iannem & Iambrem ex Numenio.*

Cyniphes *c* Cyniphes.] *Joſephus in tertia plaga, ſi modo benè eſt à Ruffino verſus, pediculos ponit ex intimis corporibus ebullientes, ceu morbum phthiriaſin; hoc eſt, pedicularem, nec cyniphum meminit nec cynomiæ. Autor Hiſtoriæ Scholaſticæ, & Albertus Grotus genus muſcarum dicunt eſſe cyniphes, ut etiam Origenes putat. Albertus libr. 26. de animalibus, corpore tradit eſſe vermes, capite & alis muſcas, cum aculeo in ore pungunt & ſugunt, paluſtribus naſci locis, & animantium ſpiritus, ſed humanos maximè conſectari. Origenes ſuper Exod. ſic inquit. Poſt hoc ſinipes: ſic enim apud eum legitur, producuntur. Hoc animal pennis quidem ſuſpenditur per aëra volitans: ſed ita ſubtile & minutum, ut oculi viſum, niſi acutè cernentis effugiat, corpus tamen quum inſederit, acerbiſſimo terebrat ſtimulo, ita ut quem volitantem videre quis non valeat, ſentiat ſtimulantem, ſic Origenes: qui per hoc animalis genus dialecticam vult intelligi, quæ minutis & ſubtilibus verborum ſtimulis animas terebrat, & tanta calliditate circumvenit, ut deceptus nec videat, nec intelligat. Sed neque cyniphes, neque ſinipes, qui ſunt, ullus aut Latinorum aut Græcorum dixerit: nec ſic eſt apud LXX. ſed σκνιπες: σκνὶψ enim ζῶον ἐστὶ κωνωπῶδες, ut inquit Suidas, animal culicare: καὶ ξυλοφάγον: quod lignum exedit: & id Pſal. 104. σκνιπες habetur in Græco. Pro eo, quod ad Hebraicam veritatem & Targum Chaldæum legitur pediculi, ſicut apud Ioſephum.*

Cynomia *d* Cynomia.] *κυνόμυια, canina muſca ad verbum, vulgò muſcam graviſſimam legimus in Exod.*

e Locuſta.] *Res agris damnoſa, qua multæ regiones infeſtantur, & inprimis Cyrenaica pars Africæ, quà Ægypto conjungitur. Deorum ira, inquit Plinius, ea peſtis creditur.*

f Ter-

f Perfracti.] *Præfracti, duri, inflexibiles: perfracti, multum fracti, & attriti.*

g Paſcha quippe.] *Phaſe eſt tranſitus, quoniam pertranſibat Angelus Domini percuſſor domos filiorum Iſrael, nec plaga illas affligebat, hinc deductum eſt paſcha, ut Hieronymus docet libro ſecundo in Michæam, non à πάσχειν, quod eſt pati, quaſi paſſio. Idem in Matthæum.* Paſcha.

h Sed Jeſus cui etiam nomen.] *Ex interpretationibus Hebraicis idem videtur, eſſe Jeſus & Joſue. Utrumque enim à ſalute dicitur: & in Eſdra Jeſus filius Joſedech Ioſue nuncupatur.*

i Cujus maximè Chriſtus dictus eſt filius.] *Sic in principio Evangelii Matthæi, & in contextu Evangelii plerumque Ieſus filius David dicitur, cui multum promiſſus eſt Chriſtus, & quem invenit Dominus ex animi ſui ſententia. Duorum enim maximè filius dicitur Chriſtus, Abrahæ & David, quoniam iſtis ſæpius ac diſertius, quàm cæteris eſt promiſſus.*

k Et ideò prima lingua.] *Fari ut poſſet.*

l Quæ hinc appellata eſt.] *Infantes enim dicuntur, quòd fari nequeant, unde etiam homines natu grandes interdum infantes appellantur, quia loqui neſciunt, quum tamen plerumque balbutientiſſimè garriant: *(ſicut ii, qui quò ſunt in omni ſermone ineptiores & ſordidiores, eò ſe magis tum Philoſophos, tum Theologos aliarúmque magnarum artium peritos arbitrantur & jactant.)**

α DEfuncto Joſeph per reliquos 144. annos donec exiretur.] *Deceſſit enim Joſeph centum quadraginta quatuor annis ante egreſſum Hebræorum ex Ægypto, ante ortum ipſius Moſis, ſexaginta annis, qui octoginta annos natus eduxit inde filios Iſraël. Id verò ex Chronologia ſacra facile colligere licet. Nam ab ortu Iſaac uſque ad exitum Hebræorum ex Ægypto numerantur quinque & quadringenti anni, natus eſt enim anno centeſimo Abrahæ, ab anno autem ſeptuageſimo quinto Abrahæ, uſque ad dationem legis numerat Apoſtolus quadringentos triginta annos, ut alibi oſtenſum eſt. Ab ortu autem Iſaac uſque ad ingreſſum Jacob in Ægyptum præterierunt centum nonaginta anni, ſiquidem Iſaac ſexagenarius erat, cum genuit Jacob Geneſ. 25. hic autem annos centum triginta natus erat, cum ingreſſus eſt Ægyptum Geneſ. 47. Reſtant igitur uſque ad exitum Hebræorum ex Ægypto anni ducenti quindecim: ex his ſi demas unum & ſeptuaginta ab ingreſſu Jacob in Ægyptum uſque ad mortem Joſeph exactos, erat enim Joſeph 39. annorum patre ingrediente in Ægyptum Geneſ. 45. vixit autem uſque ad 110. annum, Geneſ. 50. Ergo poſt mortem Joſeph uſque ad exitum Hebræorum ex Ægypto ſuperfuerunt anni centum quadraginta quatuor. Unde, conſtat lapſum eſſe Toſtatum in ſupputatione hujus temporis, affirmans, à morte Joſeph uſque ad exitum Hebræorum ex Ægypto excurriſſe annos centum quadraginta ſex.* P. L. Cap.

β Tunc Moſes ſubtractus.] *Euſebius lib. 1. de vita Conſtantini, cap. 8. confert Conſtantinum Magnum cum Moſe,* Quod uterque educatus apud tyrannos, uterque magno populi Dei beneficio reſervatus, uterque populum Dei ab oppreſſione tyrannorum liberavit, & ex graviſſima ſervitute.

γ Quod nomen in Ægypto omnium regum fuit.] *Suidas vero* Φαραὼ οὕτως ἐκαλοῦντο

*ἐκαλοῦντο πάντες οἱ βασιλεῖς Αἰγύπτου ἀπὸ τοῦ πρώτου Φαραώ. Id colligitur ex ſcri-
ptura, nam longè diverſis temporibus Rex Ægypti Pharao dicitur etiam, Geneſ. 12.
Idem auctor noſter lib. locut. de Geneſ.* Pharao non hominis nomen eſt, ſed regiæ
poteſtatis. *Euſebius in Chronico*, Ægyptiorum reges omnes tunc Pharaones di-
cebantur, non hoc proprium habentes nomen, ſed pro dignitate reges tunc u-
tebantur hoc nomine, ſicut & apud nos Impp. Auguſti appellantur. *alibi*, Pharao
(inquit) cognomen eſt dignitatis. Ægyptiorum enim lingua Pharao regem ſi-
gnificat, *teſte Joſepho libro 8. antiquit.*

δ Reſiſtentes Pharaonis Magos.] *D. Paulus 2. ad Timoth. 3. Magos, qui Moſi
reſtiterunt in Ægypto, nominat Jamnem & Mambrem. D. Chryſoſtomus ad illum
locum ſcribit, illorum Magorum nomina comperta habuiſſe D. Paulum ex antiqua &
certa Hebræorum traditione, vel ex revelatione Spiritus ſancti, quod & ibidem tra-
dit Theodoretus:* Eorum *(inquit)* nomina didicit divinus Paulus non ex divina
ſcriptura, ſed ex non-ſcripta Judæorum doctrina. Conſentaneum eſt autem, ei
quoque relevaſſe gratiam Spiritus. *Numerus etiam Pythagoricus lib. 3. de bono, re-
ferente Euſebio, lib. 3. de præparat. Evang. cap. 3. ſingillatim majorum, qui Moſi re-
ſtiterunt, nomina refert his verbis:* Jamnes & Mambres Ægyptii erant viri magi-
cis artibus adeò præpotentes, ut Muſæo Judæorum duci, viro Deo conjunctiſſi-
mo, ſoli reſiſtere poſſe à cunctis Ægyptiis judicati ſint. Multas enim calamitates,
quas Muſæus Ægypto intulit, ſolvere viſi ſunt.

ε Decem memorabiles plagæ.] *Eo ordine recenſet, quo à Moſe recenſentur Exo-
di 7. 8. 9. 10. & 11. quod & facit ſerm. 87. de temp. An verò his tantùm decem plagis
percuſſa Ægyptus? Certè in Pſal. 77. arbitratur, illas plagas plures fuiſſe, quam de-
cem, quod illo Pſalmo aliqua commemorari videantur, quarum Moſes in Exodo non
meminit, ut prima illa.* Dedit ærugini fructus eorum. *Secunda*, Occidit moros
eorum in pruina. *Tertia*, Dedit poſſeſſiones eorum igni. *Nihilominus commu-
nis eſt ſententia, decem tantum fuiſſe plagas, & Moſes ita diſtinctè & accuratè recen-
ſet totam illam hiſtoriam, decem ordine recenſet, & hæ tres ad illas reducuntur, ut
oſtendit Pererius diſputat. 12. in cap. 7. Exodi. Nam primo pro ærugini eſt vox He-
bræa* haſil הכיל, *quæ non eſt vitium frugum, ſed ſpecies locuſtæ frugibus nocentiſſi-
ma. Unde D. Hieronymus* Bruchum *vertit, itaque plaga illa æruginis pertinet ad
octavam plagam locuſtarum, quam narrat Moſes, plaga pruinæ pertinet ad ſeptimam
plagam grandinis, vox enim Hebræa* הבמל, *quam Latinus interpres tranſtulit* prui-
nam, *authore Genebrardo in eum locum Pſalmi 77. ſpecies eſt grandinis grandioris
& vehemẽtis, lapis quidam grãdinoſus. Illa poſtremo plaga ignis ad eandem ſeptimam
plagam pertinet. Narrat enim Moſes, ſimul cum grandine mixtum cecidiſſe ignem,
ac magnam vim fulminum, quorum incendio & item grandinis illu omnia, quæ in
agris erant, vaſtata ſint & conſumpta.*

ζ Cynomiam.] Muſcam caninam, *ita vertunt 70. ubi per Synecdochem ſpeci-
em pro genere poſuerunt, muſcam ſcilicet, vox Hebræa* ערוב harob, *omne muſcarum
genus deſignat, quaſi mixtionem ſive mixturam. Unde Hieronymus epiſtola 134. ad
Suriam & Fretellam ſcribit, legendum,* Cœnomiam per *œ κοινομυίαν*, communis &

dam

promiſcua muſca, & *Aquila vertit* παμμυίαν *i. e.* omnimodam muſcam, *ut plaga quarta fuerit omnis generis muſcarum, maximam moleſtiam inferentium Ægyptiis.*

η Quando tabernaculum teſtimonii nuncupatum eſt.] *Tabernaculum illud erat quaſi templum mobile ſeu portatile, vel ut ait Joſephus lib. 2. antiquit. cap. 4.* Nihil ab ambulatorio & portatili templo differebat. *Exodi 26. & 27. Hieronymus epiſt. 128. ad Fabiolam myſticè exponit & tabernaculum & omnia, quæ fuere in tabernaculo. Eccleſia rectè dicitur tabernaculum Dei viventis, & illud tabernaculum Moſaicum, uti erat caſtrenſe & tranſitorium, referebat Eccleſiam militantem. Vide etiam totius tabernaculi deſcriptionem apud D. Auguſtinum quæſt. 174. in Exodum, ubi nihil fuiſſe putandum monet, quod, jubente Deo, conſtitueretur ſive alicujus rei magnæ ſacramento, cujus cognitio fidem formamque pietatis ædificet, & lib. 5. contra Fauſtum cap. 9.* Illud quod tunc factum eſt, non diceretur tabernaculum teſtimonii, niſi alicui veritati, quæ ſuo tempore declaranda erat, quadam congruentia ſignificationis atteſtaretur. *Clemens Romanus lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 25. ex omni parte dicit tabernaculum teſtimonii fuiſſe ſignum Eccleſiæ. Tabernaculi illius uſus erat, ut populus Deum ſingulari prudentia & præſentia aſſiſtentem tanquam regem Imperatoremque ſuum adiret, atque de rerum ſuarum rationibus peteret & conſuleret. Atqui vagantibus & mobilibus non permanentem ædem, ſed mobilem ad illum uſum parari conveniebat. Paratum eſt ergò tabernaculum, quod ædis regiæ, ſeu Prætorii in caſtris uſum daret, conventumque populo ad orandum, conſulendum, adorandumque Deum appararet; ita enim Dominus,* Facientque mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum.

θ Paſcha quippe Hebræa lingua tranſitus interpretatur.] *Hoc nomen* paſcha *nonnulli exiſtimarunt eſſe Græcam vocem à verbo* πάσχειν, *quod* pati *ſignificat, eò quod paſcha illud Judaicum ſive immolatio agni paſchalis eſſet Chriſti paſſionis figura, atque ita myſticè nominis paſchæ etymologiam interpretantur Tertullianus lib. contra Judæos cap. 10. Irenæus lib. 4. cap. 23. Nazianzenus orat. 2. de paſchate, Lactantius lib. 4. cap. 26. Verùm hanc etymologiam D. Hieronymus commentar. in Michæam & Matthæum improbat, & D. Auguſtinus epiſt. 119. ad Januarium, & Cornelius Janſenius commentar. in Concordiam Evangelicam c. 127. Eſt ergo dictio Hebraica, ut vult hic D. Auguſtinus, vel potius Chaldaica, deducta à voce Hebraica* paſſach, *quod* tranſire *ſignificat, unde* paſcha tranſitum *hic rectè interpretatur D. Auguſtinus. quem verò tranſitum ſignificet, non una omnium eſt ſententia. D. Auguſtinus & Gregorius Nazianzenus exiſtimant, ſignificari tranſitum illum, quo Hebræi ex Ægypto in terram olim patribus promiſſam commigrarunt, vel quo mare rubrum trajecerunt. Alii verò deſignari tranſitum illum, quo Angelus domini, Hebræorum domos ſanguine agni aſperſas intactas relinquens, primogenitos Ægyptiorum interfecit. Ita legitur Exodi 12.* Tranſibit Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, tranſcendet hoſtium domos, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras: *ubi eſt verbum* paſchach, *unde* paſcha: *& quod Paſcha illud Judaicum celebraretur ob memoriam tranſitus illius Angeli, non verò tranſitus filiorum Iſrael ex Ægypto in terram promiſſam, patet ex eo-*

dem loco. Cum dixerint vobis filii veſtri, quæ eſt iſta religio? dicetis eis, victima tranſitus Domini eſt, quoniam transivit ſuper domos filiorum Iſraël in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos noſtras liberans.

ι Sed Jeſus.] *Quod Moſes non introduxerit filios Iſrael in terram Ægypti, verùm Joſue illius ſucceſſor, ſignificatum eſt legem Moſaicam, & omnes illius ceremonias non poſſe introducere in gloriam, verùm ipſum Chriſtum in lege Evangelica per gratiam. Nondum enim propalata erat via ſanctorum, ſummus ille Pontifex Chriſtus debebat mori, ut exules reverterentur in patriam. Lex quidem per Moyſem data eſt, ſed gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: ſi data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, fruſtra Chriſtus mortuus eſſet. hanc eandem figuram obſervat Tertullianus lib. adverſus Iudæos cap. 9. & lib. 3. contra Marcionem cap. 16. Iuſtinus Dialogo cum Tryphone Iudæo, Clemens Alexandrinus lib. 1. pædagog. cap. 7. Origenes homil. 21. & 22. ſuper Numeros, & homil 1. in Ioſue. Proſper. libr. de prædict. pag 2. cap. 14. Ipſe D. Auguſtinus lib. 1. contra Fauſtum, cap. 19. Lactantius lib. 4. cap. 17.*

κ Cujus maxime Chriſtus dictus eſt filius.] *In ſcriptura dicitur potiſſimum duorum filius, Abrahæ nimirum & David ut Matt. 1. quod licet ex aliis multis longa generationum ſucceſſione naſciturus eſſet Chriſtus, his tamen potiſſimum duobus promiſſio naſcituri ex ipſis CHRISTI facta eſt. Abrahamo Geneſ. 12. & 22.* In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. *Quod de Chriſto intelligendum docet Apoſtolus ad Galat. 3. David verò 2. Reg. 7. 1. Paralip. 17. Pſalm. 88. & 131. Flos ille Chriſtus ex radice Ieſſe pullulaturus dicitur Iſaia 11. & Chriſtus dicitur aliquando David in ſcriptura, Ezech. 34. Oſeæ 3.*

λ Prout lingua inventa eſt. *i. e.* Hebræa.] *Non vult D. Auguſtinus, linguam Hebræam poſt tempora Noë inventam fuiſſe, ut quæ omnium antiquiſſima ſit & mundo coæva, ſed ſolum tunc primùm vocari cœpiſſe linguam Hebræam. Ut etiam rectè explicat Eucherius in cap. 11. Geneſ.* Ante diviſionem linguarum lingua Hebræa communis erat omnibus hominibus: & ideò non habebat certum nomen: at tempore Heber cum multæ linguæ eſſe cœpiſſent, illa communis ad diſtinctionem aliarum dicta eſt Hebræa, quia manſit in domo Heber, unde Hebræi dicti ſunt. *Id docuit etiam ſupra cap. 11.*

DIVI

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI *AD MARCELLINUM* DE CIVITATE DEI

LIBER XVII.

CAP. I.

De temporibus Prophetarum.

PRomiſſiones Dei, quæ factæ ſunt ad Abraham, cujus ſemini & gentem Iſraeliticam ſecundùm carnem, & omnes gentes deberi ſecundùm fidem, Deo pollicente didicimus, quemadmodum compleantur, per ordinem temporum procurrens Dei civitas indicavit: Quoniam ergo ſuperioris libri uſque ad regnum David factus eſt finis, nunc ab eodem regno, quantum ſuſcepto operi ſufficere videtur, cætera, quæ ſequuntur, attingamus. α Hoc itaque tempus, ex quo ſanctus Samuel prophetare cœpit, β & deinceps donec populus Iſrael captivus in *Ier.25.* Babyloniam duceretur, atque inde ſecundùm ſancti Hieremiæ prophetiam poſt *Gen.6.* ſeptuaginta annos reverſis Iſraelitis Dei domus inſtauraretur, totum tempus eſt Prophetarum. Quamvis enim & ipſum Noe Patriarcham, in cujus diebus univerſa terra diluvio deleta eſt & γ alios, ſuprà & infrà uſque ad hoc tempus, quo reges in Dei populo eſſe cœperunt, propter quædam per eos futura, ſive quoquomodo ſignificata, ſive prædicta, quæ pertinerent ad civitatem Dei regnumque cœlorum, non immeritò Α δ poſſumus appellare Prophetas, præſertim quia nonnullos eorum id expreſſius legimus nuncupatos, ε ſicut Abraham, ζ ſicut *Gen. 20. Deut.14.* Moyſen: tamen η dies prophetarum præcipuè maximeque hi dicti ſunt, ex *1. Reg. 10.* quo cœpit prophetare Samuel, qui & Saulem prius, & eo reprobato ipſum David, Deo præcipiente, unxit in regem, de cujus cæteri ſtirpe ſuccederent, quouſque *1. Reg. 16.* illos ſuccedere ſic oporteret. Quæ igitur à Prophetis ſunt prædicta de Chriſto, cùm moriendo decedentibus, & naſcendo ſuccedentibus ſuis membris civitas Dei per iſta curreret tempora, ſi omnia velim commemorare, in immenſum pergitur. Primum quia ipſa ſcriptura, quæ per ordinem reges eorumque facta, & eventa digerens, videtur tanquam hiſtorica diligentia rebus geſtis occupata eſſe narrandis, ſi adjuvante Dei ſpiritu conſiderata tractetur, vel magis, vel certè non minus prænunciandis futuris, quàm præteritis enunciandis invenietur intenta. Et hoc perſcrutando indagare, ac diſſerendo monſtrare, quàm ſit operoſum atque prolixum, & quàm multis indigeat voluminibus, quis ignorat, qui hæc vel mediocriter cogitat? Deinde, quia ex ipſa, quæ ad prophetiam non ambigitur pertinere, ita ſunt multa de Chriſto regnoque cœlorum, quæ civitas Dei eſt, ut ad hoc aperiendum major ſit diſputatio neceſſaria, quàm hujus operis modus flagitat. Proinde ita, ſi potuero, ſtylo moderabor meo, ut huic

operi in Dei voluntate peragendo, nec ea, quæ ſuperſint, dicam, nec ea, quæ ſatis ſint, prætermittam.

L. Vive. α POſſumus appellare Prophetas.] *Prophetas populus Hebraicus Videntes nominavit, qui Dominum aliquid prænunciantem, aut etiam imagines rerum futurarum viderent, ſi non corporis oculo, certè illo mentis, multo quàm hic eſt, acutiore. Hinc prophetia eſt viſio in ſacris. In primo lib. Regum Natham appellatur videns. Interdum Prophetæ nomine pro præcoribus, vatibus, ſacerdotibus Græci utuntur. Primus & homo & propheta fuit Adam, qui myſterium Chriſti & Eccleſiæ in ſopore vidit, hinc Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob, & hujus liberi, Moyſis, & alii deinceps permulti, qui tamen inter prophetas non numerantur, quia libros de viſionibus ſuis non reliquerunt, præter Moyſen, cujus volumina etiam ad ritus, ſacras ceremonias, legesq́ civiles ſpectabant. Etſi hæc omnia figura rerum futurarum erant, neque illa tempora prophetarum ſunt dicta, ſicut ea, quibus eſt regnatum, quibus prophetæ nunquam defuerunt à Samuele, ante quem ſermo Domini rarus erat, & viſio non manifeſta, ut dicitur primo regnorum, ad remigrationem è Babylone, ſcriptiq́ ſunt libri quatuor majorum Prophetarum, & duodecim minorum.*

T. L. Coq. α HOc itaque tempus, ex quo Sanctus Samuel.] *Hic fuit ſecundus ſtatus populi Dei, antea enim regebatur à Iudicibus, quibus poſtea ſucceſſere reges, atque tempore regum fuere prophetæ miſſi à Deo, tum ut populum in cultu Dei continerent, tum ut ab idololatria revocarent, maximè verò ut tempora venturi Meſſiæ & gratiæ Dei in genus humanum diffundendæ prædicerent.*

β Et deinceps donec populus Iſrael.] *Anni interceſſere 494. ab regno ſcilicet Saulis ad captivitatem Babylonicam, ut videre eſt in annalibus ſingulorum regum, qui regnarunt ab ipſo Saule ad Sedechiam, qui captus eſt à Chaldæis & Babylonem abductus.*

γ Alios ſupra & infra uſque ad hoc tempus.] *Hebræi in chronologia majori cap. 20. in Ægypto & in deſerto prophetas fuiſſe memorāt iis verbis,* filii Zaræ, Zamri, Ethan, Heman, Calcol, Darda prophetæ fuerunt, qui vaticinabantur in Ægypto. *Filii Zaræ omnes illi numerantur 1. Paralip. 2. Zara verò filius eſt Juda, quem ſimul cum Phares Thamar peperit, Matth. 1. filii Chore tres, Aſer, Elcana, Abiaſaph, Exodi 6. numerantur. Fuere etiam in deſerto prophetæ, Moſes & ſeptuaginta ſeniores, ut Lyranus ait & Habulenſis, reſponſa enim à Deo circa populi gubernationem accipiebant cap. 11. Numer. Maria ſoror Moſis propheteſſa fuit, Exodi 15. Tempore etiam Judicum non defuere prophetæ, ut Judic. 4. Debora, & 6. innominatus quidam propheta dicitur miſſus à Deo ad populum.*

δ Poſſumus appellare prophetas.] *Lib. contra Adimantum Manichæum cap 15. prophetiam dicit,* quicquid in ſcripturis ſacris Chriſtum & futuram ſignificavit Eccleſiam, & *quæſt. 17. ſuper Exodum prophetam definit,* enunciatorem verborum Dei hominibus, qui Deum vel non poſſunt, vel non merentur audire. *Caſſiodorus prophetiam definit,* divinam inſpirationem rerum eventus immobili veritate denunciantem. *Dicebantur autem Prophetæ* videntes, & viſio *prophetia, 1. Reg. 9. Olim in Iſraele ſic unusquisque loquebatur vadens Deum conſulere, venite & eamus*

ad vi-

ad videntem. Qui enim hodie propheta dicitur, vocabatur olim videns, vident enim Propheta mentis oculis & lumine, quo illuſtrantur, quæ Deus illis nota eſſe vult. Divus Hieronymus lib. 3. in Oſeam capite 12. & in prophetam Amos in principio. D. Thomas 2. 2. quæſt. 171. artic. 3. ad prophetiam propriiſſimè pertinet revelatio eventuum futurorum, unde & nomen prophetiæ ſumi videtur. *Gregorius homil. 1. in Ezechiel.* & cum ideo prophetia dicta ſit, quod futura prædicit, quando de præterito vel præſenti loquitur, rationem ſui nominis amittit.

ε Sicut Abraham.] *Geneſ. 20. ei certè plures revelationes divinæ factæ ſunt, ut de poſteris per 400. annos peregrinaturis & tandem poſſeſſuris terram Chanaam, de Chriſto ex eo naſcituro, & de benedictione per eum omnibus gentibus largienda.*

ζ Sicut Moyſem.] *Ita de eo Deuteron. ult.* non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicu Moſes. *& Num. 12.* Si quis fuerit propheta inter vos, *&c.* at non talis ſervus meus Moſes. *D. Thomas 2. 2. qu. 174. art. 4. quærit, an Moſes fuerit excellentior omnibus prophetis, & fuiſſe excellentiſſimum, ex quatuor oſtendit.*

η Dies prophetarum præcipuè hi dicti ſunt.] *Tempus illud, quo in ſecundo ſtatu populi regnatum eſt apud Hebræos, & deinceps tempus dicitur prophetarum. Etſi enim Prophetæ aliqui fuerint ſuperioribus temporibus, verùm à Samuele nunquam defuere Prophetæ, & tum etiam ſcripti fuere libri quatuor majorum Prophetarum, 12. minorum; ante Samuelem verò ſermo Domini erat pretioſus, quia rari Prophetæ & viſio Dei non manifeſta: tempore ſecundi templi reverſi à captivitate Babylonica non alios habuere præter Aggæum, Zachariam, & Malachiam, & deinceps non habuere.*

θ Non minus prænunciandis futuris, quàm præteritis enunciandis.] *Quia præterita; quæ ſecundùm hiſtoriam enunciabant, figuræ erant & typi rerum futurarum.* Totum enim illud regnum propheticum fuit, *ut loquitur D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 24.*

CAP. II.

Quo tempore ſit impleta promiſſio Dei de terra Chanaan, quam in poſſeſſionem etiam Iſraël carnalis accepit.

IN præcedente libro diximus, ab initio ad Abraham promiſſionem Dei duas res fuiſſe promiſſas: unam ſcilicet, quòd terram Chanaan poſſeſſurum foret ſemen ejus: quod ſignificat, ubi dictum eſt: *Vade in terram, quam tibi demonſtravero, & faciam te in gentem magnam:* aliam verò longè præſtantiorem: non de carnali, ſed de ſpiritali ſemine: per quod pater eſt: non unius gentis Iſraeliticæ, ſed omnium gentium, quæ fidei ejus veſtigia conſequuntur. Quod promitti cœpit his verbis: *Et benedicentur in te omnes tribus terræ.* Et deinceps aliis multis admodum teſtimoniis hæc duo promiſſa eſſe monſtravimus. Erat igitur jam in terra promiſſionis ſemen Abrahæ, id eſt, populus Iſrael ſecundùm carnem: atque ibi non ſolùm tenendo ac poſſidendo civitates adverſariorum, verùm etiã reges habẽdo, regnare jã cœperat, impletis de ipſo populo promiſſionibus Dei jam magna ex parte: non ſolùm quæ in illis tribus patribus, Abraham, Gen. 12.

Iſaac

Iſaac & Jacob, quibuscunque dictis vel ſignis, aut figuris temporibus eorum factæ ſunt, verùm etiam quæ per ipſum Moyſen, per quem populus idem de ſervitute Ægyptia liberatus eſt, & per quem cuncta præterita revelata ſunt temporibus ejus, cùm populum per eremum duceret, factæ fuerant. Neque autem per
Joſ. 1. inſignem ducem Jeſum Nave, per quem populus ille in promiſſionis inductus eſt terram: qui expugnatis gentibus, eam duodecim tribubus, quibus Deus juſſe-
Ib. 14. rat, diviſit, & mortuus eſt: neque poſt illum toto tempore Judicum impleta fuerat promiſſio Dei de terra Chanaan, quod à flumine Ægypti uſque ad flumen magnum Euphratem populus ille dominaretur: nec tamen adhuc prophetabatur futurum, ſed expectabatur implendum. a a Impletum eſt autem per David & ejus filium Salomonem: cujus regnum tanto, quantum promiſſum fuerat, ſpatio dilatatum eſt. Univerſos quippe illos ſubdiderunt, tributarioſque fecerunt. Sic igitur in terra promiſſionis ſecundùm carnem, hoc eſt, in terra Chanaan ſub his regibus ſemen Abrahæ fuerat conſtitutum, ut nihil deinde ſupereſſet, quo terrena illa Dei promiſſio compleretur: niſi ut in eadem terra, quantum ad proſperitatem attinet temporalem, per poſteritatis ſucceſſionem inconcuſſo ſtatu uſque ad mortalis ſeculi hujus terminum gens permaneret Hebræa, ſi Domini Dei ſui legibus obediret. Sed quoniam Deus noverat, hoc eam non eſſe facturam, uſus eſt etiam temporalibus pœnis ad exercendos in ea paucos fideles ſuos, & admonendos, qui poſtea futuri erant in omnibus gentibus, quas per eos admoneri oportebat, in quibus alteram promiſſionem revelato Novo Teſtamento per incarnationem Chriſti fuerat impleturus.

L. Vives. a IMpletum eſt autem per David.] *Hieronymus Dardano ſcribens, oſtendit, non totam terram Judæis repromiſſam, eſſe ab eis poſſeſſam. In libro enim Numerorum iſti ſunt termini, à meridie mare Salinarum per Sina & Cadesbarne, uſque ad torrentem Ægypti, qui juxta Rhinocorurum mari magno influit, & ab occidente ipſum mare Paleſtinæ, Phœnices, Syriæ Cœles, Ciliciaque pertenditur: ab Aquilone Taurum montem, & Zephyrium uſque ad Hermath, quæ appellatur Epiphania Syriæ, ad orientem verò per Antiochiam, & lacum Cenereth, qui nunc Tiberias appellatur, & Jordanem, qui mari influit Salinarum, quod nunc mortuum dicitur: trans Jordanem duorum & ſemis tribuum, poſſeſſio eſt Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe. Hæc Divus Hieronymus. Atqui David hæc omnia non poſſedit, ſed illos ſolos terminos, quibus deinceps totus populus Iudæus coercitus eſt ab amne Rhinocorurum ad Euphratem.*

F. L. Cog. a IMpletum eſt autem per David & ejus filium Salomonem.] *Geneſ. 13. Deus promiſerat Abrahæ, ſe ejus poſteris daturum latiſſimam regionem à fluvio Ægypti uſque ad Euphratem, quæ promiſſio videtur ipſi Moſi Exodi 23. repetita. Joſue 1. cap.* à deſerto & uſque ad Libanum iſtum, & uſque ad magnum flumen Euphratem, omnis terra Hettæorum & uſque ad mare magnum ad occaſum ſolis erit terminus veſter. *Verùm è contrario ſeſe offert locus Numero. 34. ubi terra ab Hebræis poſſidenda non ultra Emath oſtenditur, id eſt, vero longiſſimè citra Euphratem. Imò universa Hebræorum habitatio, quà patebat longiſſimè, ſolet definiri in ſcriptura à*

Dan

Dan uſque ad Berſabee. D. Hieronymus in epiſtola 129. ad Dardanum ſcribit, Hebræos ex Ægypto reverſos in terram promiſſionis, poſſediſſe eam terram tantùm à Dan uſque Berſabee, quæ eſt longitudo ejus terræ centum ſexaginta mille paſſuum non excedens, latitudo autem ejus non ultra quadraginta ſex mille paſſus extenditur, à Ioppe videlicet uſque Bethlehem. Regiones porrò ultra hanc ditionem & Euphratem uſque tenuiſſe quidem legimus Salomonem & Davidem, verùm eas illi non ut propriam poſſeſſionem ſuam, ſed ut amicas tantum & confœderatas tenuerunt. Si verò quis objiciat, terram poſſidendam ab Hebræis ampliorem deſcribi Numer. 34. vel etiam longè latèque patentiorem promiſſam Abrahæ, Reſpondet D. Hieronymus, ego *(inquit)* fatebor hæc tibi promiſſa, non tradita: ſi obſervaſſes mandata Dei & in præceptis illius ambulaſſes, ſi non pro omnipotente Deo coluiſſes Beelphegor & Baal, Beelzebub, & Chamos, quos quia prætuliſti Deo, omnia, quæ tibi promiſſa fuerant, perdidiſti; & mihi in Evangelio promittuntur regna cœlorum, quæ inſtrumentum vetus omnino non nominat; ſed ſi non fecero, quæ præcepta ſunt, nequaquam culpa erit in promittente, ſed in me, qui promiſſum accipere non merui; Ubi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, fruſtra cupias, quod promiſſum eſt. *Vult ergo D. Hieronymus, illud promiſſum fuiſſe conditionale tantùm, neque unquam impletum ob peccata Hebræorum. D. Auguſtinus effectum hujus promiſſi refert ad tempora Salomonis quæſt. 21. in Joſue de quo 3. Regum cap. 4. ſcriptum eſt,* Salomon erat in ditione ſua habens omnia regna ſecum à flumine usque ad terram Philiſtim, & uſque ad terminum Ægypti offerentium ſibi munera & ſervientium trans flumen quaſi à Tapha uſque ad Gazam & cunctos reges illarum regionum, & habebat pacem ex omni parte in circuitu. *Ubi etiam D. Auguſtinus bifariam diſtinguit terram illam Hebræis promiſſam, alteram quidem, in qua ſeptem gentes illæ Chananæorum habitabant, & in hac voluit Deus Hebræos habitare, deletis ad internecionem illis gentibus, & hæc terra dicitur terra Chanaam, non amplior quàm à Dan uſque Berſabee, vel ab introitu Emath uſque ad fluvium ſive torrentem Ægypti. Flumen enim Ægypti, qui finis eſt diſterminans regnum Iſrael ab Ægypto, non eſt Nilus, ſed alius & non magnus fluvius, qui fluit per Rhinocoruram civitatem, unde jam ad orientem verſus incipit terra promiſſionis; alteram terram Hebræis promiſſam putat fuiſſe, quæ ultra dictam terram Chanaam extendebatur uſque ad Euphratem, verùm hanc ita Hebræis promiſſam, ut eam illi ſuo imperio ſubjicerent, & habitatores illius ſibi tributarios facerent, non ut tam ipſi, veteribus habitatoribus deletis, incolerent,* Sic, *inquit,* fuerat conſtitutum Filiis Iſrael, ut ſeptem gentium terras, exterminatis & perditis illis gentibus, ipſi inhabitarent; aliis autem regnarent ſubditis atque tributariis uſque ad Euphratem. Et quamvis in hoc Deo non obtemperaſſent, quia etiam ex illis, quas penitus exterminare debuerant, obedientes ſibi aliquas fecere, Deus tamen tempore Salomonis fidem ſuæ promiſſionis implevit. *Verùm hoc loco non ſolum tempore Salomonis, ſed etiam tempore Davidis aſſerit promiſſum Dei de terra ab Hebræis poſſidenda uſque ad Euphratem, fuiſſe impletum; cui adſtipulantur Cajetanus & Oleaſter in cap. 15. Gen. Nam 2. Reg. c. 8. & 2. Paral. cap. 18. de Davide proditum*

eum eſt, eum profectum eſſe cum exercitu, ut dilataret imperium uſque ad Euphratem, & dominaretur ſuper flumen Euphratis. Tunc dicitur ſubegiſſe imperio ſuo, ſibique ſervos feciſſe Philiſtæos, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, regnum quoque Soba, omnemque Syriam pertingentem uſque ad Euphratem. Unde minus probatur quod Divus Hieronymus ſcripſit epiſt. citata, Gentes illas quas rex David uſque ad Eufratem debellaverat, non aliter poſtea ſub eo fuiſſe, quàm fœdere quodam ſocietatis & amicitiæ, cum ſcriptura dicat aperte 2. Reg. 8. Davidem bello cepiſſe Syriam, eamque ſerviſſe Davidi ſub tributo. Et de Salomone lib. 3. Reg. cap. 4. ſcriptura dicit, habuiſſe eum in ditione ſua omnia regna à flumine uſque ad terminum Ægypti offerentium ſibi munera & ſervientium cunctis diebus vitæ ſuæ. Longe differunt, gentes illas fuiſſe amicas Davidi & Salomoni, quod vult D. Hieronymus, & ſerviſſe illis aut tributa pendiſſe, quod aperte dicit ſcriptura. Andreas Maſius vir doctiſſimus comment. in Joſue cap. 1. exiſtimat, neque Davidis & Salomonis principatu Hebræos ea omnia poſſediſſe, quæ promiſerat Deus Abrahæ, ea enim promiſſa erant & exhibenda erant, ſi tamen Hebræi perpetua ſua adverſus Deum pietate dignos ſe ampliori ejus liberalitate præſtitiſſent. Non tamen periclitatur (*inquit*) veritas promiſſorum divinorum, etiamſi Hebræos nunquam hereditarias ſuas poſſeſſiones protuliſſe ad Euphratem uſque fateamur, quoniam illi parùm pii erga Deum plerumque fuerunt, ut miranda ſit potiùs Dei indulgentia, qui tandiu eos in illa ipſa Chananæa manere paſſus ſit. *Vult itaque cum D. Hieronymo, illas promiſſiones fuiſſe conditionales, ſi Hebræi in cultu Dei & religione avita perſiſterent. Ex verbis Maſii pauca hæc referemus.* Quis(*inquit*) non videt, etiam in illo ampliſſimo Salomonis imperio, Hebræos non ultra terminos à Joſue definitos habitaſſe? Ad hæc ſi quis duodecim præfecturas, quas inſtituit Salomon, quo tempore imperii gloria florebat maxime, nominatorum locorum obſervatione peragret, nullas fuiſſe extra Chanaam inſtitutas videbit. Externum igitur illud Salomonis & Davidis uſque ad Euphratem imperium ſecuritatem modo Iſraelitis, non autem ampliorem poſſeſſionem pariebat. Neque vero abſurdum eſt, ſi quæ ſub conditione promittuntur (ut forenſibus utar verbis) ea non extante conditione, nunquam præſtentur. Nec propterea irritum fuiſſe Dei conſilium vanaque promiſſa putandum, quippe quæ in veris Iſraelitis, veroque ſemine Abrahæ i. e. in Chriſti eccleſia cumulatiſſimè expleta & perfecta ſint. *Pererius diſput. 10. in cap. 15. Geneſ. etſi non neget, probabilem eſſe ſententiam Maſii, maxime cum ei ſuffragetur authoritas Hieronymi, nihilominus ſententiam D. Auguſtini illi præfert, hac ratione perſuaſus. Cum enim divinum hoc promiſſum de terra ad Euphratem uſque à poſteris Abrahæ poſſidenda, ſicut illud quoque de terra Chanaam eiſdem obtinenda, non ſemel à Deo datum fuerit & confirmatum, conſentaneum certe eſt, id fuiſſe aliquando, ſicut etiam illud de poſſeſſione terræ Chanaam, ſi non in toto, ſaltem aliqua ex parte, ſi non ad longum, certe ad breve aliquod tempus præſtitutum atque impletum. Cumque legimus, tempore Davidis & Salomonis regni Judaici limites ad Euphratem uſque productos fuiſſe, quis non agnoſcit, tunc promiſſum illud divinum impleri cœptum eſſe, foreque, ut deinceps perfecteque compleretur, & omni ex parte, ſi quemadmo-*

dum

dum tunc populus Hebræus pietatem erga Deum ſtudioſe coluit, ita poſteri Reges una cum populo in eadem pietate colenda permanſiſſent? Divinum ergo illud promiſſum tempore Davidis & Salomonis impletum, rectè aſſerit hoc loco D. Auguſtinus, & ſi poſteri Reges in cultu divino perſtitiſſent, in eandem imperii amplitudinem etiam ſucceſſiſſent.

CAP. III.

De tripertitis ſignificationibus Prophetarum: quæ nunc ad terrenam, nunc ad cœleſtem Hieruſalem, nunc autem ad utramque referuntur.

QUocirca ſicut oracula illa divina ad Abraham, Iſaac & Jacob, & quæcunque alia ſigna, vel dicta prophetica in ſacris literis præcedentibus facta ſunt: ita etiam cæteræ ab illo regum tempore prophetiæ, partim pertinent ad gentem carnis Abrahæ, partim verò ad illud ſemen illius, in quo benedicuntur omnes gentes, cohæredes Chriſti per teſtamentum novum, ad poſſidendam vitam æternam regnumque cœlorum. Partim ergo ad ancillam, quæ in ſervitutem generat, id eſt, terrenam Hieruſalem, quæ ſervit cum filiis ſuis, partim verò ad liberam civitatem Dei, id eſt, veram Hieruſalem æternam in cœlis, cujus filii omnes ſecundùm Deum viventes peregrinantur in terris. ſed ſunt in eis quædam, quæ ad utramque pertinere intelliguntur, ad ancillam propriè, ad liberam figuratè. Tripertita itaque reperiuntur eloquia prophetarum: ſiquidem aliqua ſunt ad terrenam Hieruſalem ſpectantia, aliqua ad cœleſtem, nonnulla ad utramque. exemplis video, probandum eſſe, quod dico. α Miſſus eſt Nathan propheta, qui 2. Reg. 12. regem David argueret de peccato gravi, & ei, quæ conſecuta ſunt mala, futura prædiceret. Hæc atque hujuſmodi, ſive publicè, id eſt, pro ſalute, vel utilitate populi, ſive privatim, cum pro ſuis quiſque rebus divina promereretur eloquia, quibus pro uſu temporalis vitæ futuri aliquid noſceretur, ad terrenam civitatem pertinuiſſe, quis ambigat? β Ubi autem legitur: *Ecce dies veniunt, dicit* Jer. 31. *Dominus, & conſummabo domui Iſrael, & domui Juda Teſtamentum Novum, non ſecundùm teſtamentum, quod diſpoſui patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus: quia hoc eſt teſtamentum, quod conſtituam domui Iſrael: Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, & ſuper corda eorum ſcribam eas, & videbo eos, & ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in plebem.* Hieruſalem ſine dubio ſuperna prophetatur, cujus Deus ipſe præmium eſt, eumque habere atque ipſius eſſe, ſummum illi eſt atque totum bonum. γ Ad utramque verò pertinet hoc ipſum, quòd Hieruſalem dicitur Dei civitas, & in ea prophetatur futura domus Dei, eaque prophetia videtur impleri, cùm Salomon rex ædificat illud nobiliſſimum templum. Hæc enim 3. Reg. 6. in terrena Hieruſalem ſecundùm hiſtoriam contigerunt, & cœleſtis Hieruſalem figuræ fuerunt. Quod genus prophetiæ ex utroque veluti compactum atque commixtum in libris veteribus canonicis, quibus rerum geſtarum narrationes

continentur, valet plurimum, multumque exercuit & exercet ingenia ſcrutantium literas ſacras, ut quod hiſtorice prædictum completumque legitur in ſemine Abrahæ ſecundùm carnem, etiam in ſemine Abrahæ ſecundum fidem, quid implendum, allegoricè ſignificet, inquiratur: *b* in tantum, ut quibusdam viſum ſit, nihil eſſe in eisdem libris vel prænunciatum & effectum, *c* vel non effectum quamvis prænunciatum, *d* quod non inſinuet aliquid ad ſupernam civitatem Dei, ejusque filios in hac vita peregrinos, figurata ſignificatione referendum. Sed ſi hoc ita eſt, *e* jam bipertita, non tripertita erunt eloquia Prophetarum, vel potius illarum ſcripturarum omnium, quæ veteris inſtrumenti appellatione cenſentur: nihil enim erit illic, quod ad Hieruſalem terrenam tantùm pertineat, ſi quicquid ibi de illa, vel propter illam dicitur atque completur, ſignificat aliquid, quod etiam ad Hieruſalē cœleſtem allegorica præfiguratione referatur: ſed erunt ſola duo genera: unum quod ad Hieruſalem liberam, alterum quod ad utramque pertineat. *ζ* Mihi autem ſicut multum videntur errare, qui nullas res geſtas in eo genere literarum aliquid aliud, præter id, quod eo modo geſtæ ſunt, ſignificare arbitrantur: ita multum audere, qui prorſus ibi omnia ſignificationibus allegoricis involuta eſſe contendunt. Ideò tripertita, non bipertita eſſe dixi. Hoc enim exiſtimo, non tamen culpans eos, qui potuerunt illic de quacunque re geſta ſenſum intelligentiæ ſpiritalis exculpere, ſervata primitus duntaxat hiſtoriæ veritate. Cæterùm quæ ita dicuntur, ut rebus humanitus, ſeu divinitus geſtis, ſive gerendis convenire non poſſint, quis fidelis dubitet, non eſſe inaniter dicta? Quis ea non ad intelligendum ſpiritalem revocet, ſi poſſit, aut ab eo, qui poteſt, revocanda eſſe fateatur?

L. Vives *a* MIſſus eſt Nathan.] *Poſteaquam David Uriam maritum Berſabes collocari in prima acie juſſiſſet, ut mortem oppeteret, ac ipſe rex viduam cepiſſet in conjugem.*

b In tantum ut.] *Hinc fieri ajunt, ut tam multa illorum regum in libris Regnorum dicta factaq; prætermittantur, quæ dicuntur ſcripta in libris Regum, Iuda, vel Iſrael, quod illa non videantur pertinere ad Eccleſiam Chriſti, tanquam imaginem ad ſolidum illud verumq; corpus. At omnia, quæ toto illo, ſeu libro vitæ ſunt conſcripta, in Chriſtum, ejusq; ſponſam dirigit tanquam in ſcopum utriusque teſtamenti.*

c Vel non effectum quamvis prænunciatum.] *Legendum, Vel effectum quamvis non prænunciatum. Et ſic eſt in aliis libris. Non prænunciatum, inquit prophetia.*

*(*d* Ita multum audere.] *Origenes omnia veteris inſtrumēti ad allegorias refert, in quibus explicandis felicior cæteris fuit, ſervat tamen veritatem hiſtoriæ. Nam alioqui frivola eſſent omnia, quæ in ſacris libris ſcribuntur. Cùi unusquisque pro capitu & arbitrio ſuo allegoriam affingeret, nec conſtaret, quid credendum, quomodo vivendum eſſet. Quo magis miror ſtultitiam, ne dicam, an impudentiam, an utrumque eorum, qui ex allegoriis præcepta & leges vitæ, dogmata religionis, vincula, quibus ligemur teneamúrque, colligunt atque innodant, & ea pro certiſſimis in vulgum efferunt, ac hæreticum clamant, ſi quis diſſentiat.)*

a Miſ-

 F.L.Cog.

α Miſſus eſt Nathan propheta.] *2. Reg. 12. de eo ita Eccleſiaſt. 47.* Surrexit Nathan propheta in diebus David. *D. Dorotheus in Synopſi ait, hunc prophetam fuiſſe Davidis doctorem,* Nathan (*inquit*) regem Davidem docuerat legem domini.

β Ubi autem legitur, ecce dies veniunt.] *Locus ex 31. Hieremiæ, quem D. Paulus citat in epiſtola ad Hebræos cap. 8 ubi novum teſtamentum Deus promittit longe excellentius veteri teſtamento, quod erat imperfectum & terminandum, adeoque ſuccedere debebat teſtamentum novum, in hoc potiſſimum à veteri differens, quòd lex illa vetus in monte Sinai veteri populo in tabulis lapideis exarata eſſet, verùm Evangelica lex inſcripta & ſignata in tabulis cordis, in viſceribus ipſis, non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi. Theophyl.* Lex (*inquit*) atramento ſcribebatur, Evangelium in nobis per ſpiritum ſcriptum eſt. Quanto igitur intervallo ſpiritus ab atramento diſtat, & cor à lapide, tanto & novum teſtamentum à lege diſcrepat.

γ Ad utramque vero pertinet hoc ipſum.] *Hieruſalem & in ſcripturis intelligitur quoad literam civitas Palæſtina, & ſecundum allegoriam Eccleſia militans, in qua Salomon verus Chriſtus templum Deo exſtruit, & quod ad literam 2. Reg. 7. de Salomone dominus dicit,* Ipſe ædificabit domum nomini meo, *D. Paulus ad Hebræos 1. de Chriſto intellexit.*

δ Quod non inſinuet aliquid ad ſupernam civitatem Dei.] *Paulus ea, quæ Hebræis contigerunt, figuras & typos appellat 1. Corint. 10.* Hæc omnia in figura contingebant illis. *Origenes lib. 4. περὶ ἀρχῶν cap. 2.* Sicut homo conſtare dicitur ex ſpiritu & corpore, ita etiam ſancta ſcriptura, quæ ad hominum ſalutem divina largitione conceſſa eſt. Corpus eſt ipſa litera, vel ſenſus hiſtoricus, ſpiritus eſt ipſe ſenſus myſticus intus latens. Sicut enim verbum Dei genitum habet naturam divinam inviſibilem, & humanam viſibilem, ita verbum Dei ſcriptum habet ſenſum externum & internum. *D. Cyrillus lib. 1. in Leviticum.* Sicut in noviſſimis diebus verbum Dei ex Maria carne veſtitum proceſſit in hunc mundum, & aliud quidem erat, quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur. Carnis namque aſpectus in eo patebat omnibus, paucis vero & electis dabatur divinitatis agnitio. Ita cum per prophetas vel legislatorem verbum Dei profertur ad homines, non abſque competentibus profertur indumentis. Nam ſicut ibi carnis, ita hic literæ velamine tegitur, ut litera quidem aſpiciatur tanquam caro, latens vero intrinſecus ſpiritualis ſenſus tanquam divinitas ſentiatur. *Scriptura ſacra eſt liber ſcriptus intus & foris Apocal. 5.*

ε Jam bipertita, non tripertita.] *Aliqua enim ſecundum literam intelligenda ſunt de populo illo veteri, quæ dicit ad terrenam Hieruſalem ſpectantia, aliqua vero ad literam de Eccleſia militante, & de Chriſto, aliqua demum de una quidem quoad literam & hiſtoriam, de altera figurate & myſtice.*

ζ Mihi autem ſicut multum videntur errare.] *Utrumque extremum cavendum eſt. Errant & qui nihil per ea, quæ geſta ſunt antiquitus in populo Dei ſignificatum velint, & mentem tantum intendendam ad res geſtas; & qui omnia etiam volunt traducere ad ſenſus allegoricos, quemadmodum ſolet facere Origenes; quæ verò myſti-*

eam patiuntur interpretationem, ita ſunt interpretanda, ut ſervetur ſemper hiſtoriæ veritas. Literalis enim ſeu ſenſus hiſtoricus fundamentum eſt & baſis aliorum ſenſuum.

Cap. IV.

De præfigurata commutatione Iſraëlitici regni & ſacerdotii, & de his, quæ antea mater Samuelis, perſonam gerens Eccleſiæ, prophetavit.

1. Reg. 16. PRocurſus igitur civitatis Dei, ubi pervenit ad regum tempora, quando David Saule reprobato, ita regnum primus obtinuit, ut ejus deinde poſteri in terrena Hieruſalem α diuturna ſucceſſione regnarent: dedit figuram rei geſtæ, ſignificans atque prænuncians, quod non eſt prætereundum ſilentio, rerum mutationem futurarum, quod attinet ad duo teſtamenta, vetus & novum: ubi ſacerdotium regnumque mutatum eſt per ſacerdotem, eundemque regem novum ac ſempiternum, qui eſt Chriſtus Jeſus. β Nam & Heli ſacerdote reprobato, ſubſtitutus eſt in Dei miniſterium γ Samuel, officio functus ſacerdotis & judicis: 1. Reg. 3. & Saule abjecto, rex David fundatus in regno, hoc quod dico, figuraverunt. Mater quoque ipſa Samuelis Anna, quæ priùs fuit δ ſterilis, & poſteriore fœcunditate lætata eſt, prophetare aliud non videtur, quum gratulationem ſuam Domino fundit exultans: quando eundem puerum natum & ablactatum Deo reddidit, eadem pietate, qua voverat. Dicit enim: 1. Reg. 2. *Confirmatum eſt cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo. Dilatatum eſt ſuper inimicos meos os meum: lætata ſum in ſalutari tuo: quoniam non eſt ſanctus, ſicut Dominus: & non eſt juſtus, ſicut Deus noſter: non eſt ſanctus præter te. Nolite gloriari, & nolite loqui excelſa, neque procedat magniloquium de ore veſtro: quoniam Deus ſcientiarum Dominus, & Deus præparans adinventiones ſuas. Arcum potentium fecit infirmum, & infirmi præcincti ſunt virtute. Pleni panibus minorati ſunt, & eſurientes tranſierunt terram. Quia ſterilis peperit ſeptem: & multa in filiis infirmata eſt. Dominus mortificat & vivificat: deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit & ditat: humiliat & exaltat. Suſcitat à terra pauperem, & de ſtercore erigit inopem: ut collocet eum cum potentibus populi ſui, & ſedem gloriæ hæreditatem dans ei: dans votum voventi, & benedixit annos juſti: quoniam non in virtute potens eſt vir. Dominus infirmum faciet adverſarium ſuum, Dominus ſanctus. Non glorietur prudens in prudentia ſua: & non glorietur potens in potentia ſua, & non glorietur dives in divitiis ſuis, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere & ſcire Dominum, & facere judicium & juſtitiam in medio terræ. Dominus aſcendit in cælos: & tonuit: ipſe judicabit extrema terræ, quia juſtus eſt: & dat virtutem regibus noſtris: & exaltabit cornu Chriſti ſui.* Itàne verò verba hæc unius putabuntur eſſe muliérculæ, de nato ſibi filio gratulantis? Tantúmne mens hominum à luce veritatis averſa eſt: ut non ſentiat ſupergredi modum fœminæ, hujus dicta quæ fudit? Porrò qui rebus ipſis, quæ jam cœperunt etiam & in hac terrena peregrinatione compleri, convenienter movetur: nónne intendit, & aſpicit, & agnoſcit, per hanc mulierem, cujus etiam nomen, id eſt, ε Anna, quæ gratia ejus inter-

interpretatur, ipſam religionem Chriſtianam, ipſam civitatem Dei, cujus Rex eſt & conditor Chriſtus: ipſam poſtremo Dei gratiam prophetico ſpiritu ſic locutam, à qua ſuperbi alienantur, ut cadant: qua humiles implentur, ut ſurgant, quod maximè hymnus iſte perſonuit? Niſi quiſquam fortè dicturus eſt, nihil iſtam prophetaſſe mulierem, ſed Deum tantummodò propter filium, quem precata impetravit, exultanti prædicatione laudaſſe. Quid ergo ſibi vult, quod ait? *Arcum potentium fecit infirmum, & infirmi præcincti ſunt virtute, pleni panibus minorati ſunt, & eſurientes tranſierunt terram, quia ſterilis peperit ſeptem, & multa in filiis infirmata eſt?* Nunquid ſeptem ipſa pepererat, quamvis ſterilis fuerat? Unicum habebat, quando iſta dicebat, *b* ſed nec poſtea ſeptem peperit, ſive ſex, quibus ſeptimus eſſet ipſe Samuel, ſed tres mares & duas fœminas. Deinde in illo populo, cùm adhuc nemo regnaret, quod in extremo poſuit, dat virtutem regibus noſtris, & exaltavit cornu Chriſti ſui, unde dicebat, ſi non prophetabat? Dicat ergò Eccleſia Chriſti, civitas Regis magni, gratia plena, prole fœcunda, dicat, quod tantò antè de ſe prophetatum per os hujus piæ matris agnoſcit. *Confirmatum eſt cor meum in Domino, & c exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* Verè confirmatum eſt cor, & cornu verè exaltatum, quia non in ſe, ſed in Domino Deo ſuo. *Dilatatum eſt ſuper inimicos meos os meum*, quia & in anguſtiis preſſurarum ſermo Dei non eſt alligatus, *d* nec in præconibus alligatis. *Lætata ſum*, inquit, *in ſalutari tuo.* Chriſtus eſt ipſe Jeſus, quem Simeon, *Luc. 2.* ſicut in Evangelio legitur, ſenex amplectens parvulum, agnoſcens magnum: *Nunc dimittis*, inquit, *Domine, ſervum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Dicat itaque Eccleſia: *Lætata ſum in ſalutari tuo, quoniam non eſt ſanctus ſicut Dominus, & non eſt juſtus, ſicut Deus noſter,* θ tanquam ſanctus & ſanctificans, & juſtus & juſtificans: non eſt ſanctus præter te, quia nemo fit niſi abs te. Denique ſequitur: *Nolite gloriari ſuperbè, & nolite loqui excelſa, neque exeat magniloquium de ore veſtro, quoniam Deus ſcientiarum Dominus ipſe,* *e* & nemo ſcit, quod ipſe ſcit: quoniam, *qui putat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ſeipſum ſeducit.* *Gal. 6.* Hæc dicuntur adverſariis civitatis Dei ad Babyloniam pertinentibus, de ſua virtute præſumentibus, in ſe non in Domino gloriantibus, ex quibus ſunt etiam carnales Iſraelitæ terrenæ Hieruſalem cives terrigenæ, qui, ut dicit Apoſtolus, *Rom. 10.* *ignorantes Dei juſtitiam*, id eſt, quam dat hominibus Deus, qui ſolus eſt juſtus & juſtificans, & ſuam volentes conſtituere, id eſt, velut à ſe ſibi paratam, non ab illo impertitam, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Itaque quia ſuperbi ſe de ſuo putantes, non de Dei poſſe placere Deo, qui eſt Deus ſcientiarum, atque ideò & arbiter conſcientiarum, ubi videns cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt, ſi hominum ſunt, & ab illo non ſunt. *Et præparans*, inquit, *adinventiones ſuas.* Quas adinventiones putamus, niſi ut ſuperbi cadant, & humiles ſurgant? Has quippè adinventiones exequitur, dicens: *Arcus potentium infirmatus eſt, & infirmi præcincti ſunt virtute.* Infirmatus eſt arcus, id eſt, intentio eorum, qui tam potentes ſibi videntur, ut ſine Dei dono atque adjutorio, humana ſufficientia divina poſſint implere mandata: & præcinguntur virtute, quorum interna vox eſt:

Mi-

Pſ. 6. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. Pleni panibus*, inquit, *minorati ſunt,*
& eſurientes tranſierunt terram. Qui ſunt intelligendi pleni panibus, niſi ii-
dem ipſi, quaſi potentes, id eſt, Iſraelitæ, quibus credita ſunt eloquia Dei? Sed in
eo populo ancillæ filii *f* minorati ſunt, quo verbo minus quidem Latinè, benè
tamen expreſſum eſt, quòd ex majoribus minores facti ſunt: quia & in ipſis pa-
nibus, id eſt, divinis eloquiis, quæ Iſraelitæ ſoli tunc ex omnibus gentibus acce-
perunt, terrena ſapiunt. Gentes autem, quibus lex illa non erat data, poſteà
quàm per novum teſtamentum ad eloquia illa venerunt, & multum eſuriendo
terram tranſierunt, quia in eis non terrena, ſed cœleſtia ſapuerunt. Et hoc velut
quæreretur cauſa, cur factum ſit, *quia ſterilis*, inquit, *peperit ſeptem & multa in fi-
liis infirmata eſt.* Hic totum, quod prophetabatur, eluxit agnoſcentibus nume-
rum ſeptenarium, quo eſt univerſa Eccleſiæ ſignificata perfectio. Propter quod
Apoc. 1. & Joannes Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias, eo modo ſe oſtendens ad unius
Prov. 9. plenitudinem ſcribere. Et in proverbiis Salomonis hoc antea præfigurans, *Sa-
pientia ædificavit ſibi domum, & ſuffulſit columnas ſeptem.* Sterilis enim erat in
omnibus gentibus Dei civitas, antequàm iſte fœtus, per quem eam factam fœ-
cundam cernimus, oriretur. Cernimus etiam, quæ multa in filiis erat, nunc in-
firmatam Hieruſalem terrenam: quoniam quicunque filii liberæ in ea erant,
virtus erant ejus. Nunc verò, ibi *t* quoniam litera eſt, & ſpiritus non eſt, amiſſa
virtute infirmata eſt. *Dominus mortificat & vivificat:* mortificavit illam, quæ
multa erat in filiis, & vivificavit hanc ſterilem, quæ peperit ſeptem. Quamvis
commodius poſſit intelligi eoſdem vivificare, quos mortificaverit. Id enim
velut repetivit addendo: Deducit ad inferos, & reducit. Quibus enim dicit A-
Col. 3. poſtolus: *Si mortui eſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt, in
dextera Dei ſedens:* ſalubriter itaque mortificantur à Domino, quibus adjungit,
Quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram: ut ipſi ſint illi, qui eſurientes
tranſierunt terram. *Mortui enim eſtis*, inquit. Ecce quomodo ſalubriter mor-
tificat Deus. Deinde ſequitur: *Et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*
Ecce quomodo eoſdem ipſos vivificat Deus. Sed nunquid eoſdem deduxit ad
inferos, & reduxit? Hoc utrumque ſine controverſia fidelium in illo potius vi-
demus impletum capite ſcilicet noſtro, cum quo vitam noſtram in Deo Apoſto-
Rom. 8. lus dixit abſconditam. *Nam qui proprio filio non pepercit, ſed pro omnibus tradi-
dit eum*, iſto modo utique mortificavit eum. Et quia reſuſcitavit eum à mortuis,
Pſ. 15. eundem rurſus vivificavit. Et quia in prophetia vox ejus agnoſcitur: *Non de-
relinques animam meam in inferno:* eundem deduxit ad inferos & reduxit. Hac
ejus paupertate ditati ſumus. *Dominus enim pauperem facit, & ditat.* Nam quid
hoc ſit, ut ſciamus, quod ſequitur, audiamus. *Humiliat & exaltat:* utique ſuper-
Iac. 4. bos humiliat, & humiles exaltat. Quod enim alibi legitur: *Deus ſuperbis reſi-
ſtit, humilibus autem dat gratiam:* hoc totus habet ſermo hujus, cujus nomen in-
1 Pet. 5. terpretatur gratia ejus. Jam verò quod adjungitur: *Suſcitat à terra pauperem:*
2 Cor. 8. de nullo melius, quàm de illo intelligo, qui propter nos factus eſt pauper, cùm
dives eſſet, ut ejus paupertate, ſicut paulò antè dictum eſt, ditaremur. Ipſum enim
de terra

de terra ſuſcitavit tam citò, ut caro ejus non videret corruptionem. Nec illud ab illo alienabo, quod additum eſt: *Et de ſtercore erigit inopem.* g Inops quippe idem eſt quod pauper. Stercus verò, unde erectus eſt, rectiſſimè intelliguntur perſecutores Judæi, in quorum numero cùm ſe dixiſſet Apoſtolus Eccleſiam perſecutum: *Quæ mihi,* inquit, *fuerunt lucra, hæc propter Chriſtum damna eſſe, duxi, nec ſolùm detrimenta, verùm etiam ſtercora exiſtimavi eſſe, ut Chriſtum lucrifacerem.* Phil. 3. De terra ergò ſuſcitatus eſt ſupra omnes divites ille pauper, & de illo ſtercore erectus eſt ſupra omnes opulentos ille inops, ut ſedeat cum potentibus populi, quibus ait: *Sedebitis ſuper duodecim ſedes.* Et ſedem gloriæ hæreditatem dans eis. Matth. 19. Dixerant enim potentes illi: *Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te:* hoc votum potentiſſimi voverant. Sed unde hoc eis, niſi ab illo, de quo hic continuò dictum eſt: *Dans votum voventi?* Alioquin ex illis eſſent potentibus, quorum infirmatus eſt arcus. Dans, inquit, votum voventi. Non enim Domino quiſquam quicquam ratum voveret, niſi qui ab illo acciperet, quod voveret. Sequitur: *Et benedixit annos juſti:* ut cum illo ſcilicet ſine fine vivat, cui dictum eſt. *Et anni tui non deficient.* Ibi enim ſtant anni, hic autem tranſeunt, ...ò pereunt: antequam enim veniant, non ſunt: cùm autem venerint, non erunt, quia cum ſuo fine veniunt. Horum autem duûm, id eſt, *dans votum voventi: & benedixit annos juſti:* unum eſt quod facimus, alterum quod ſumimus. Sed κ hoc alterum Deo largitore non ſumitur, niſi cum ipſo adjutore primum illud efficitur, quia *non in virtute potens eſt vir: Dominus infirmum faciet adverſarium ejus,* illum ſcilicet, qui homini voventi invidet & reſiſtit: ne valeat implere, quod vovit. *h* λ Poteſt ex ambiguo Græco intelligi, & adverſarium ſuum. Cùm enim Dominus poſſidere nos cœperit, profectò adverſarius, qui noſter fuerat, ipſius ſit, & vincitur à nobis, ſed non viribus noſtris, *quia non in virtute ſua potens eſt vir.* Dominus ergo infirmum faciet adverſarium ſuum, Dominus ſanctus: ut vincatur à ſanctis, quos Dominus ſanctus ſanctorum effecit ſanctos. *i* μ Ac per *hoc non glorietur prudens in prudentia ſua, & non glorietur potens in potentia ſua, & non glorietur dives in divitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere & ſcire Dominum, k* ν *& facere judicium & juſtitiam in medio terræ.* Ier. 9. Non parva ex parte intelligit & ſcit, etiam hoc à Domino ſibi dari, ut intelligat & ſciat Dominum. *Quid enim habes,* ait Apoſtolus, *quod non accepiſti?* 1. Cor. 4. *Si autem & accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis:* id eſt, quaſi à teipſo tibi ſit, unde gloriaris? Facit autem judicium & juſtitiam, qui rectè vivit. Rectè autem vivit, qui obtemperat præcipienti Deo, & *finis præcepti,* id eſt, ad quod refertur præceptum, *charitas eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* 1. Tim. 1. Porrò iſta charitas, ſicut Joannes Apoſtolus teſtatur, ex Deo eſt. 1. Ioh. 4. Facere igitur judicium & juſtitiam, ex Deo eſt. Sed qui eſt in medio terræ? Neque enim non debent facere judicium & juſtitiam, qui habitant in extremis terræ, quis hoc dixerit? Cur ergo additum eſt, in medio terræ? Quod ſi non adderetur, & tantummodo diceret, facere judicium & juſtitiam, magis hoc præceptum ad utroſque homines pertineret, & mediterraneos, & maritimos. Sed ne quiſquam putaret

taret, poſt finem vitæ, quæ in hoc agitur corpore, ſupereſſe tempus judicium juſtitiamque faciendi, quam cùm eſſet in carne, non fecit, & ſic divinum evadi poſſe judicium, in medio terræ mihi videtur dictum, cùm quisque vivit in corpore. In hac quippe vita ſuam terram quisque circumfert, quam moriente homine recipit terra communis, reſurgenti itaque reddituta. Proinde *k* in medio terræ, id eſt, cùm anima noſtra iſto terreno clauditur corpore, faciendum
2.Cor.5. eſt judicium & juſtitiã, quod nobis proſit in poſterum, *quãdo recipiet quisque ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit, ſive bonum ſive malum.* Per corpus quippè ibi dixit Apoſtolus, per tempus, quo vixit in corpore. Non enim ſi quis maligna mente atque impia cogitatione blaſphemet, neque id ullis membris corporis operetur, ideò non erit reus, quia id non motu corporis geſſit, cùm hoc per illud tempus geſſerit, quo geſſit & corpus. Iſto modo congruenter intelligi poteſt etiam
Pſ.73. illud, quod in Pſalmo legitur: *Deus autem Rex noſter, ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ?* ut Dominus Jeſus accipiatur Deus noſter, qui eſt ante ſecu-
Ioh.1. la, quia per ipſum facta ſunt ſecula: *operatus eſt ſalutem noſtram in medio terræ, quum verbo caro factum eſt,* & terreno habitavit in corpore. Deinde poſteaquàm prophetatum eſt in his verbis Annæ: quomodo gloriari debeat, qui gloriatur, non in ſe utique, ſed in Domino propter retributionem, quæ in die judi-
1.Reg.2. cii futura eſt: *o Dominus, l* inquit, *aſcendit in cælos & tonuit: ipſe judicabit extrema terræ, quia juſtus eſt.* Prorſus ordinem tenuit confeſſionis fidelium. Aſcendit enim in cœlum Dominus Chriſtus, & inde venturus eſt ad vivos & mor-
Eph.4. tuos judicandos. Nam *quis aſcendit,* ſicut dicit Apoſtolus, *niſi qui & deſcendit in inferiores partes terræ?* Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Per nubes ergò ſuas tonuit, quas Spiritu ſancto, quum aſcendiſſet, implevit. De quibus ancillæ Hieruſalem, hoc eſt, ingratæ vineæ comminatus eſt apud Eſaiam Prophetam, ne pluant ſuper eam imbrem. Sic
Eſ.5. autem dictum eſt: *Ipſe judicabit extrema terræ:* ac ſi diceretur, etiam extrema terræ. Non enim alias terræ partes non judicabit, qui omnes homines procul dubio judicabit. Sed melius intelliguntur extrema terræ, extrema hominis: quoniam non judicabuntur, quæ in melius vel deterius medio tempore commutantur, *m* ſed in quibus extremis inventus fuerit, qui judicabitur. Propter
Matth. 10. quod dictum eſt: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Qui ergo perſeveranter facit judicium & juſtitiam in medio terræ, non damnabitur, quum judicabuntur extrema terræ. *Et dat,* inquit, *virtutem regibus noſtris,* ut non eos judicando condemnet. Dat eis virtutem, qua carnem ſicut reges regant, & in illo mundum, qui propter eos fudit ſanguinem, vincant. *Et exaltabit cornu Chriſti ſui:* quomodo Chriſtus exaltabit cornu Chriſti ſui? De quo enim ſuprà dictum eſt, *Dominus aſcendit in cælos,* & intellectus eſt Dominus Chriſtus: ipſe, ſicut hìc dicitur, exaltabit cornu Chriſti ſui, *n* qui eſt Chriſtus. Chriſtus ergò Chriſti ſui cornu exaltabit, id eſt, uniuscujusque fidelis ſui, ſicut iſta in principio hujus hymni ait: *Exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* *π* Omnes quippe unctos ejus chriſmate, rectè Chriſtos poſſumus dicere, quod tamen totum cum ſuo capite

cor-

corpus, unus eſt Chriſtus. Hæc Anna prophetavit, Samuelis ſancti viri mater, multumque laudati. In quo quidem tunc figurata eſt mutatio veteris ſacerdotii, & nunc impleta, quando infirmata eſt, quæ multa erat in filiis, ut novum haberet in Chriſto ſacerdotium ſterillis, quæ peperit ſeptem.

a ET multa in filiis.] *Quæ multos habebat filos.* L. Vives.

b Sed nec poſtea ſeptem peperit.] *Sic in primo Reg. cap. 2. ut Auguſtinus dicit. Joſephus tamen, niſi mendoſus eſt codex, tres filios, & tres filias peperiſſe Annam ſcribit poſt natum Samuelem: ſed Hebræi duos filios Samuelis pro filiis Annæ numerant, quum ſint nepotes: & ita ſeptem liberi Phanneæ mortui ſunt ſigillatim, ut naſcebantur filii Annæ & nepotes.*

c Exaltum eſt cor meum.] *Alibi cornu meum, & ſic videtur Auguſtinus ſcripſiſſe, nam Græcè eſt κέρας. Hebræi tradunt, nato Samuele primogenitum Phanneæ alterius uxoris Helcannæ interiſſe, & ut liberi naſcebantur Annæ, ita Phanneæ peribant. Hieronymus ſuper primum librum Regum.*

d Nec in præconibus alligatis.] *In codice Brugen. habetur , ſed in præconibus alligatis: hoc ſignificat hærere ſemper liberum Dei ſermonem præconibus ſui. Illud verò quod vulgò, etiam in vinctis præconibus, divinum ſermonem ſolutum eſſe ac liberum.*

e [illegible] nemo ſit quod ipſe ſcit.] *Ut & ſit quaſi etiam. Refertur vel ad præſcientiam rerum futurarum, vel ad conſcientiam præſentium abditarum. Alibi ſic legitur, Deus ſcientiarum Dominus, ipſe vos ſcit, & ubi nemo ſcit.*

f Minorati ſunt, quo verbo minus quidem Latinè.] *Ut vertatur ad verbum* ἐλαττόω, *quod etiam minuo dici poteſt.*

g Inops quippe idem eſt quod pauper.] *Paulo plus videtur eſſe inops in indigentia, quàm pauper: etſi inops quum ab ope veniat, id eſt auxilio, non tam dicitur qui caret pecunia, quàm qui opibus, in quibus eſt auxilium. Sic à Virgilio ſenectus dicitur inops, primo Georg. quaſi ex ſe minimum habens, quo juvetur. Et apud Terentium in Adelph. Leno quum ſe inopem queritatur, non ſic pecuniæ, ut auxilii profitetur indigum. Ita Varro etyma reddit: Pauper à paulo lare, mendicus à minus, cui quum opus eſt, minus nullo eſt: inops, quod opus egeat: opulentus ab ope. Ideò propriè ac eleganter paulò poſt Auguſtinus: Supra omnes opulentos ille inops.*

h Poteſt ex ambiguo Græco.] αὐτοῦ, *quod Latinè dicimus & ejus, & ſuum. Græci enim non hæc ita ſeparant, ut nos.*

i Ac per hoc non glorietur.] *Hæc verba vulgò non habentur in carmine Annæ, 1. Reg. 2. ex interpretatione Hieronymi: ſed Hieremiæ 9. LXX. verò & in lib. 1. Reg. & in Hieremia poſuerunt, etſi paulò diverſius. Hoc dicto ratio omnis ſuperbiæ confutatur, quum nec divitias velit Dominus, nec fortitudinem, nec ſapientiam illam humanam eſſe materiam gloriandi & efferendi ſui, ſed qui gloriatur, ut inquit Paulus, in domino glorietur: ſic ſe efferat homo in animo modico ſemper & æquabili: nunquam enim intumeſcet, ſi ad hunc modum ſe ſuſtulerit. Non inflat enim ſcientia Domini, quæ eſt charitate condita, & præcipuè ſi quum illum noſcimus, id ſubinde animam & cogitationem ſubierit, ipſum eſſe, qui miſeretur abjecti, qui judicat ſuperbum, & ſibi fidentem, qui juſtitia ſua bene meritum muneratur & donat.*

k Et facere judicium & juſtitiam.] *In 1.lib. Reg. ſic LXX.* ἀλλ' ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος ἐν τῷ συνιεῖν καὶ γινώσκειν τὸν κύριον, καὶ ποιεῖν κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐν μέσῳ τῆς γῆς. *In hoc glorietur qui gloriatur, quòd intelligit & novit Dominum, & facit judicium & juſtitiam in medio terræ. ut ad eum referatur, qui gloriatur: & ſic interpretatur Auguſtinus in Hieremia ſic:* ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος συνιεῖν καὶ γινώσκειν, ὅτι ἐγώ εἰμι κύριος ὁ ποιῶν ἔλεος καὶ κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐπὶ τῆς γῆς. *In hoc glorietur, qui gloriatur, quòd intelligat & cognoſcat, me eſſe Dominum, qui facio miſericordiam & judicium & juſtitiam in terra.*

l Dominus, inquit, aſcendit in cœlos & tonuit.] *Nec verba iſta leguntur in vulgatis exemplaribus. ſed quod id ſequitur & ipſe judicabit, &c. Aug. LXX ſequitur, ut illa ætate eccleſia ferè omnes.*

m Sed in quibus extremis.] *Unde eſt illud, ſicut te invenero, ita judicabo.*

n Quis eſt Chriſtus.] *Alibi ſic. Quis ergò Chriſtus Chriſti? an cornu exaltabit uniuſcujuſque fidelis?*

F.L.Cap. *a* Diuturna ſucceſſione regnarent.] *David regnavit annis 40. cui ſucceſſit Salomon, cujus 4. anno ædificari cœptum eſt templum, ab eo autem anno 11. Sedechiæ, quo everſum eſt regnum tribus Iuda, & poſterorum Davidis, computantur anni 430. & ſex menſes.*

β Nam & Heli ſacerdote reprobato.] *Eadem ſcribit lib. 12. contra Fauſtum cap. 33.* Nonne ab ipſo exordio commutatū ſacerdotium in Samuelem reprobato Heli, & commutatum regnum in David reprobato Saule, clamat prænunciari novum ſacerdotium, novumque regnum reprobato vetere, quod umbra erat futuri in domino noſtro Jeſu Chriſto, venturum?

γ Samuel ſimul officio functus ſacerdotis.] *An vero Samuel fuerit ſacerdos & ſucceſſerit Heli in ſacerdotio, meritò dubitatur. Nam D. Auguſtinus non hic tantum, ſed & lib. 2. retractat. cap. 56. ita videtur docere, & lib. 12. contra Fauſtum cap. 33. citato, & in Pſal. 98.* Factus eſt Samuel ſacerdos magnus, ſacerdos ſanctus illo tempore. *Conſtat tamen, non fuiſſe ſacerdotem, ſed judicem populi, itaque in officio judicis ſucceſſit quidem ipſi Heli, non tamen in officio ſummi ſacerdotis. Nam poſt Heli ſummo ſacerdotio functus eſt Achitob nepos Heli tempore Samuelis Pontifex octavus. D. Hieronymus contra Jovinianum lib. 1.* Simul noſcendum, quod Levita Samuel, non ſacerdos, non Pontifex fuerit. Unde & faciebat illi mater ſua Ephod Bal, ſuperhumerale videlicet lineum, qui habitus proprie Levitarum, & minoris eſt ordinis. Unde & in Pſalmis non nominatur inter ſacerdotes, ſed inter eos, qui invocant nomen domini. Moyſes, *inquit,* & Aaron in ſacerdotibus ejus & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. *Quod vero idem ſcribit epiſt. 123. ad Damaſ. q. 3. Samuelem prophetam connumeratum Moſi in ſacerdotio Dei, rectè monet ad eum locum Scholiaſtes pro* ſacerdotio pſalterio *legi in omnibus codicibus Florentiæ manuſcriptis, qui ſint numero ſeptem.* Quæ lectio, *inquit,* non eſt aſpernanda, nam ex eo Pſalmo non conſtat, Samuelem fuiſſe ſacerdotem, & ita Moſi in ſacerdotio connumeratum, ſed ponitur inter eos, qui invocant nomen domini. Ex ſola familia enim Aaron aſſumebantur ſacerdotes ut liber Numer. docet,

Samuel

Samuel vero non deſcendit ex familia Aaron, ſed Core illius conſobrini. 1. Paralip.6. *Fieri tamen potuit, ut per quandam diſpenſationem ſacerdotis officio fungeretur ad tempus, Ita enim per ſe holocauſta obtulit 1. Reg. 8. benedicit hoſtia cap. 9. lenticulam olei tulit, & in regem unxit Saulem cap. 10. nihilominus legimus etiam & Gedeonem, qui erat de tribu Manaſſe obtuliſſe holocauſtum Judic. 6. & prophetas, qui ſacerdotes non erant, juſſu Dei reges unxiſſe, ut Helizaus unxit Jehu in regem Iſrael. 4. Reg. 9.*

δ Sterilis peperit ſeptem.] *Ita Hebra. & apud 70. vulgata plurimos. Ita enim ut plurimum numerus ſeptenarius univerſitatem ſignificat in ſcriptura.*

ε Anna gratia ejus interpretatur.] *Ita Damaſcenus orat. 1. de dormit. virginis quod ſterilis eſſet D. Anna mater virgini, ſignificatur gratiam eatenus ſterilem fuiſſe, & infœcundam. Nomen enim Anna Hebrais gratiam ſonat;* Anna, *inquit*, quæ gratiam ſonat, non minus morum, quàm matrimonii jugo cum Joachim copulata erat. Verùm quamvis omni virtutum genere floreret, tamen arcana quadam ratione ſterilitatis morbo tenebatur. Etenim ſterilis vere gratia erat, ut quæ in hominum animis edere fructum minime poſſet.

ζ Sed nec poſtea ſeptem peperit.] *Prophetiam eſſe in verbis Anna inde oſtendit, quod alias ſi literam & hiſtoriam ſequamur, non erit veritas, neque enim ſeptem filios perperit. Hanc regulam obſervat ſermone 1. in Pſal. 103.* Quare quædam, *inquit*, in rebus viſibilibus quaſi abſurda miſcet Spiritus ſanctus, niſi ut ex eo, quod non poſſumus accipere ad literam, cogat nos iſta ſpiritualiter accipere. *Et Gregorius lib. 18. moral. in præmio.* Plerumque in ſacro eloquio ſic nonnulla myſteria deſcribuntur, ut tamen juxta narrationem hiſtoricam prolata videantur. Sed ſæpe dicta talia in eadem hiſtorica narratione permixta ſunt, per quæ cuncta ſuperficies hiſtoriæ caſſetur, quæ nihil hiſtoricum reſonat, aliud in eis inquirere lectorem cogunt.

η Sed tres mares & duas fœminas.] *1. Reg. 2. & Joſephus lib. 5. antiquitat. cap. 11. ita ſcribit: Helcanæ alii præterea filii nati ſunt ex Anna, & filiæ tres.*

θ Tanquam ſanctus & ſanctificans, juſtus & juſtificans.] *Ita Rom. 4.* credenti in eum qui juſtificat impium, *Act. 5. dicitur*, nobis à Deo factus juſtificatio & redemptio, *& 4. dicitur* author & conſummator fidei & ſalutis noſtræ. *Eccleſ. 1.* Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, & 5. Chriſtus caput eſt Eccleſiæ ipſe Salvator corporis ſui. *Joannis 1.* De plenitudine ejus nos omnes accepimus. *Ipſe eſt, in quo benedictio omnium gentium promiſſa eſt Abraha, Eph. 1.* Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, *& paulo eſt:* In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo, *nimirum principium eſt univerſale gratificationis in natura humana. D. Thomas 3. p. q. 7. art. 11. Ipſe eſt juſtificatio & ſanctificatio noſtra. 1. Cor. 1. Alii quidem ſancti & juſti; verùm nemo juſtificans & ſanctificans præter Chriſtum. Ipſe ſanctus ſanctorum, ſicut unus Adam principium humani generis influit in omnes, quotquot juſtificantur & ſanctificantur, ipſam juſtitiam & ſanctitatem. Ita enim confert Apoſtolus ad Rom. 5. juſtitiam Chriſti cum peccato Adami, ut ſicut in Adam*

omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificentur. D. Gregorius lib. 1. reg. cap. 2. circa illa verba, Non eſt alius extra te, Subauditur *(inquit)* ſanctus, quia nullus hominum neque Angelorum ſanctus eſt, niſi per Chriſtum.

ι Littera eſt & Spiritus non eſt.] *Sequuntur enim Judæi, qui pertinent ad Hieruſalem terrenam, litteram occidentem, eique adhæreſcunt, & non ſpiritum vivificantem.*

κ Hoc alterum Deo largitore non ſumitur.] *[Æterna enim vita non confertur à Deo niſi ex meritis operum, quæ merita ſunt potiſſimum tribuenda gratiæ Dei, immò quando coronat merita noſtra, coronat dona ſua, adeoque gratia Dei vita æterna, etſi enim ex meritis, verùm tantum abeſt, ut merita excludant gratiam Dei, ut ei innitantur omnino, & ab ea dependeant, radix enim & principium meriti divina gratia eſt,]* nec poſſumus aliquid cogitare ex nobis tanquam ex nobis, ita ut illud libero arbitrio adſcribamus, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

λ Poteſt ex ambiguo Græco intelligi.] *Genitivus enim* αὐτοῦ *poteſt ſignificare,* utrumque, *adverſarium ſuum & ejus, & certè qui adverſatur filiis Dei, qui ſunt ipſius peculium & poſſeſſio, adverſatur & ipſi Deo & gratiæ ejus.*

μ Ac per hoc non glorietur prudens in prudentia ſua.] *Quod Græcè* ὁ φρόνιμος ἐν τῇ φρονήσει αὐτοῦ, *Theodoretus,* ὁ σοφὸς ἐν τῇ σοφίᾳ αὐτοῦ. *Lucifer pro ſancto Athanaſio, ſapiens in ſapientia ſua. Hæc non habentur in Hebræo, neque in vulgata editione, neque in Complutenſi; verùm Hieremiæ 9. reperiuntur; nihilominus ſeptuaginta etiam poſuerunt in cantico Annæ, 1. Reg. 2.*

ν Et facere judicium & juſtitiam.] *Ita ſeptuaginta habent lib. 1. Reg.* ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος, ἐν τῷ συνιεῖν καὶ γινώσκειν τὸν κύριον, καὶ ποιεῖν κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐπὶ τῆς γῆς, *ubi* facere judicium & juſtitiam *ad eum refertur, qui gloriatur, atque ita D. Auguſtinus interpretatur. Verùm in Hieremia ſic:* ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος, συνιεῖν καὶ γινώσκειν ὅτι ἐγώ εἰμι κύριος ὁ ποιῶν ἔλεος καὶ κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐπὶ τῆς γῆς, *ubi illud,* Facere judicium & juſtitiam, *ad Deum refertur.*

ξ In medio terræ. *i. e.* cum anima noſtra.] *Etiam in medio terræ, idem quod in terra.*

ο Dominus aſcendit in cœlos & tonuit.] *Aliter in Hebræo, & in vulgata editione. Verùm apud 70. ita habetur, quos ſequitur D. Auguſtinus.*

π Omnes quippe unctos ejus Chriſma te.] *Nomen quidem Chriſtus maximè proprie quadrat in eum, qui eſt ſanctus ſanctorum, & qui eſt unctus oleo lætitiæ præ participibus ſuis. Nihilominus & reges & Prophetæ & ſacerdotes inungebantur, & Chriſti Domini dicebantur, ita omnes fideles Chriſti ſunt Domini ſicut & ſancti.*

Cap. V.

De his quæ ad Heli ſacerdotem homo Dei prophetitè loquutus eſt, ſignificans ſacerdotium quod ſecundum Aaron inſtitutum fuerat, auferendum.

Sed hoc evidentius ad ipſum Heli ſacerdotem miſſus loquitur homo Dei, *a α* cujus quidem nomen tacetur, ſed intelligitur officio miniſterioque ſuo ſine dubita-

dubitatione Propheta. Sic enim ſcriptum eſt: *Et venit homo Dei ad Heli, & dixit: Hæc dicit Dominus β Revelans revelatus ſum ad domum patris tui, quum eſſent in terra Ægypti ſervi in domo Pharaonis, & elegi domum patris tui ex omnibus ſceptris Iſraël mihi ſacerdotio fungi, γ ut aſcenderent ad altare meum, & incenderent incenſum, b & δ portarent Ephod, & dedi domui patris tui omnia: ε quæ ſunt ignis filiorum Iſrael in eſcam. Et ut quid reſpexiſti in incenſum meum, & in ſacrificium meum impudenti oculo, c & glorificaſti filios tuos ſuper me, d benedicere primitias omnis ſacrificii in Iſrael in conſpectu meo? Propter hoc hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dixi, domus tua & domus patris tui tranſibunt coram me, usque in æternum. ζ Et nunc dicit dominus: Nequaquam, ſed glorificantes me, glorificabo: & η qui ſpernit me, ſpernetur. Ecce dies veniunt, & θ exterminabo ſemen tuum, & ſemen domus patris tui, e ι & non erit tibi ſenior in domo mea omnibus diebus, & κ virum exterminabo tibi ab altari meo, ut deficiant oculi ejus, & defluat anima ejus, & omnis qui ſupererit domus tuæ decidet in gladio virorum. Et hoc tibi ſignum, quod* 1. Reg. 2. *veniet ſuper duos filios tuos, Ophni & Phinees, una die morientur ambo. λ Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui omnia quæ in corde meo & quæ in anima mea faciat, & μ ædificabo ei domum fidelem, & tranſibit ν coram Chriſto meo omnibus diebus. Et erit qui f ſupererit in domo tua, ξ veniet adorare ei obolo argenti: dicens: ο Jacta me in unam partem ſacerdotii tui manducare panem.* Non eſt ut dicatur iſta prophetia, ubi ſacerdotii veteris tanta manifeſtatione prænuntiata mutatio eſt, in Samuele fuiſſe completa. *g* Quanquam enim non eſſet de alia tribu Samuel, quàm quæ conſtituta fuerat à Domino, ut ſerviret altari, π tamen non erat de filiis Aaron, cujus progenies fuerat deputata, ut inde fierent ſacerdotes: ac per hoc in ea quoque re geſta, eadem mutatio, quæ per Chriſtum Jeſum futura fuerat, adumbrata eſt: & ad vetus teſtamentum propriè, figuratè verò pertinebat ad novum prophetia *h* tam facto etiam ipſo quàm verbo: id ſcilicet facto ſignificans, quod verbo ad Heli ſacerdotem dictum eſt prophetam. ϱ Nam fuerunt poſtea ſacerdotes ex genere Aaron, ſicut Sadoc & Abiathar regnante David, & alii deinceps, antequam tempus veniret, quo iſta quæ de ſacerdotio mutando tantò antè prædicta ſunt, effici per Chriſtum oportebat. Quis autem nunc fideli oculo hæc intuens non videat eſſe completa, σ quandoquidem nullum tabernaculum, nullum templum, nullum altare, nullum ſacrificium, & ideò nec ullus ſacerdos remanſit Judæis, quibus ut de ſemine Aaron ordinaretur, in Dei fuerat lege mandatum. Quod & hic commemoratum eſt, illo dicente Propheta: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, dixi: Domus tua & domus patris tui tranſibunt coram me usque in æternum. Et nunc dicit Dominus, Nequaquam, ſed glorificantes me, glorificabo: & qui me ſpernit, ſpernetur.* Quod enim nominat domum patris ejus, non eum de proximo patre dicere, τ ſed de illo Aaron, qui primus ſacerdos eſt inſtitutus, de cujus progenie cæteri ſequerentur, ſuperiora demonſtrant, ubi ait: *Revelatus ſum ad domum patris tui cùm eſſent in terra Ægypti ſervi in domo Pharaonis, & elegi domum patris tui ex omnibus ſceptris Iſraël, mihi ſacerdotio fungi.* Quis pater fuit hujus in illa Ægyptia ſervitute, unde cum libe-

Retr. 2. cap. 4.

ratii,

rati fuiſſent, electus eſt ad ſacerdotium niſi Aaron? De hujus ergo ſtirpe iſto loco dixit futurum fuiſſe, ut non eſſent ulterius ſacerdotes. Quod jam videmus impletum. Vigilet fides, præſto ſunt res, cernuntur, tenentur, & videre nolentium oculis ingeruntur: *v Ecce,* inquit, *dies veniunt, & exterminabo ſemen tuum, & ſemen domus patris tui, & non erit tibi ſenior in domo mea omnibus diebus, & virum exterminabo tibi ab altari meo, ut deficiant oculi ejus, & defluat anima ejus.* Ecce dies qui prænuntiati ſunt, jam venerunt. Nullus ſacerdos eſt ſecundùm ordinem Aaron. Et quicunque ex ejus genere eſt homo, cùm videt ſacrificium Chriſtianorum toto orbe pollere, ſibi autem honorem illum magnum eſſe ſubtractum, deficiunt oculi ejus, & defluit anima ejus tabe mœroris. Propriè autem ad hujus domum Heli, cui hæc dicebantur, quod ſequitur pertinet. *Et omnis qui ſupererit domus tuæ, decidet in gladio virorum. Et hoc tibi ſignum, quod veniet ſuper duos filios tuos, Ophni & Phinees: die uno morientur ambo.* Hoc ergo ſignum factum eſt mutandi ſacerdotii de domo hujus: quo ſigno ſignificatum eſt, mutandum ſacerdotium domus Aaron. Mors quippe filiorum hujus ſignificavit mortem non hominum, ſed ipſius ſacerdotii de filiis Aaron. Quod autem ſequitur, ad illum jam pertinet ſacerdotem, cujus figuram geſſit ф huic ſuccedendo Samuel. Proinde quæ ſequuntur, de Chriſto Jeſu novi teſtamenti vero ſacerdote dicuntur. *χ Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui omnia, quæ in corde meo & quæ in anima mea faciat: & ædificabo, ei domum fidelem.* Ipſa eſt æterna & ſuperna Hieruſalem. *Et tranſibit,* inquit, *coram Chriſto meo omnibus diebus.* Tranſibit, dixit, converſabitur, ſicut ſuperiùs dixerat de domo Aaron: *Dixi, domus tua & domus patris tui tranſibunt coram me in æternum.* Quod autem ait, coram Chriſto meo tranſibit, de ipſa domo utique intelligendum eſt, non de illo ſacerdote, qui eſt Chriſtus ipſe mediator atque ſalvator. Domus ergo ejus coram illo tranſibit. Poteſt & tranſibit intelligi de morte ad vitam omnibus diebus quibus peragitur usque in finem ſeculi hujus iſta mortalitas. Quod autem ait Deus, qui omnia, quæ in corde meo, & quæ in anima mea faciat, non arbitremur habere animam Deum, cùm ſit conditor animæ, ſed ita hoc de Deo tropicè, non propriè dicitur, ſicut manus & pedes, & alia corporis membra. *i* Et ne ſecundùm hoc credatur homo id carnis hujus effigie factus ad imaginem Dei, adduntur & alæ, quas utique non habet homo, & dicitur Deo, *ſub umbra alarum tuarum protege me:* ut intelligant homines de illa ineffabili natura, non propriis, ſed translatis rerum vocabulis iſta dici. Quod verò adjungitur: *Et erit qui ſupererit in domo tua, veniet adorare ei:* non propriè de domo dicitur hujus Heli, ſed illius Aaron, de qua usque ad eventum Jeſu Chriſti homines remanſerunt, de quo genere etiam nunc usque non deſunt. Nam de illa domo hujus Heli, jam ſupra dictum erat, & omnis qui ſupererit domus tuæ, decidet in gladio virorum. Quomodo ergò hic verè dici potuit, & erit qui ſupererit in domo tua, veniet adorare ei, ſi illud eſt verum, quod ultore gladio nemo inde ſupererit, niſi quia illos intelligi voluit, qui pertinent ad ſtirpem, ſed illius totius ſacerdotii ſecundùm ordinem Aaron? Ergo ſi de illis eſt prædeſtinatis reliquiis, de quibus alius propheta dixit: Reliquiæ ſalvæ fi-

Pſ. 16.

væ fient: unde & Apoſtolus: *Sic ergo*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt:* quia de talibus reliquiis bene intelligitur eſſe, de quo dictum eſt: Qui ſupererit in domo tua profectò credit in Chriſtum, ſicut temporibus Apoſtolorum ex ipſa gente plurimi crediderunt, neque nunc deſunt, qui licet rariſſimè, tamen credant, & impletur in eo quod hic iſte homo Dei continuò ſecutus adjunxit: *Veniet adorare ei obolo argenti:* cui adorare, niſi illi ſummo ſacerdoti, qui & Deus eſt? Neque enim in illo ſacerdotio ſecundùm ordinem Aaron, ad hoc veniebant homines ad templum, vel altare Dei, ut ſacerdotem adorarent. Quid eſt autem quod ait, *obolo argenti*, niſi brevitate verbi fidei, de quo commemorat Apoſtolus dictum? *Verbum conſummans & brevians faciet, dominus ſuper terram.* Argentum autem pro eloquio poni, Pſalmus teſtis eſt, ubi canitur: Eloquia domini eloquia caſta, argentum igne examinatum. Quid ergo dicit iſte, qui venit adorare ſacerdoti Dei, & ſacerdoti Deo? Jacta me in unam partem ſacerdotii tui, manducare panem. Nolo in patrum meorum collocari honore, qui nullus eſt, jacta me in partem ſacerdotii tui. *Elegi enim abjectus eſſe in domo Domini*, qualecunque & quantulumcunque membrum eſſe cupio ſacerdotii tui. Sacerdotium quippe hic ipſam plebem dicit, cujus plebis ille ſacerdos eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus. Cui plebi dicit Apoſtolus Petrus: *Plebs ſancta, regale ſacerdotium.* *k* Quamvis nonnulli ſacrificii tui ſint interpretati, non ſacerdotii tui, quod nihilominus eundem ſignificat populum Chriſtianum. Unde dicit Apoſtolus Paulus: *Unus panis, unum corpus multi ſumus.* *l* Et iterum: *Exhibeatis*, inquit, *corpora veſtra hoſtiam vivam.* Quod ergò addidit, manducare panem: etiam ipſum ſacrificii genus eleganter expreſſit, de quo dicit ſacerdos ipſe. *Panis, quem ego dedero, caro mea pro ſeculi vita:* ipſum eſt ſacrificium nō ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech: qui legit, intelligat. Brevis itaque eſt iſta confeſſio, & ſalubriter humilis, qua dicitur: *Jacta me in partem ſacerdotii tui, manducare panem*, ipſe eſt obolus argenti, quia & breve eſt, & eloquium Domini eſt, habitantis in domo credentis. Quia enim dixerat ſuperius, dediſſe ſe domui Aaron cibos de victimis veteris teſtamenti, ubi ait: *dedi domui patris tui omnia, quæ ſunt ignis filiorum Iſrael in eſcam:* hæc quippe fuerant ſacrificia Judæorum: ideò hic dicit manducare panem, quod eſt in novo teſtamento ſacrificium Chriſtianorum.

Rom. 11. Rom. 9. Pſ. 11. Pſ. 83. 1. Pet. 2. 1. Cor. 10. Rom. 12. Ioh. 6.

a CUjus quidem nomen tacetur.] *Hunc virum Dei Judæi Phinees eſſe dicunt, quem & Heliam autumant. Hieronymus.* L. Vives.

b Et portarent Ephod.] *Hieronymus multis locis, & ad Marcellam & contra Jovinianum. & de veſte ſacerdotali ad Fabiolam, tum etiam Joſephus libro 3. Antiquit. ſcribit, Ephod Græcis dici ἐπωμίδα. Sic enim verterunt LXX. quod Hieronymus & Ruffinus vertunt, ſuperhumerale. Ab humeris dependebat apertum ad brachia. Hujuſmodi Ephod ſolus ſummus ſacerdos geſtabat cunctis coloribus auroq́ʒ interſtinctum. Levitæ & quidam alii Ephod habebant, huic ſimile, ſed Ephod bat, id eſt, ex lino. Sic Samueli fecit mater Anna Ephod bat: & David ante arcam ἐπωμίδα gerebat: *(unde credo, manaſſe morem ad noſtros mbr, id eſt, διδασκάλας ἡμετέρας,*

*ut tanquam principes legis & totius religionis habeant ἐπωμίδα inſigne ſcientiæ admirabilis, quæ etiam per humeros deſluat: hinc medicos & juriſperitos, ne quid illis viderentur cedere, cultum quoque ſimilem uſurpaſſe. Cæterùm LXX. ἐφοὺδ legunt.)**

*(c Et glor. filios.] *Sic fuit, ex quo primùm diteſcere cœpit ſacerdotium Judæorum, ſic ex quo noſtrum. Quotus enim quiſque eſt, qui ſacerdotia ambiat potius, ut religioſè colat, quàm ut quæſtus habeat? quem incitant parentes, & neceſſarii ad rem Eccleſiaſticam alio fine, quàm ut ditentur ipſi? quis ſe non exiſtimat ſanctiſſ. facere, cùm filiis, ſi habet, habet autem, niſi ſit ſterilis, cùm fratribus, ſororibus, aliiſq́; cognatis & neceſſariis etiam opulentis, quas Eccleſiæ divitias vocant, prætermiſſis egenis, quibus illa ſunt parata, impartitur? Sic ſemper erit, quamdiu opes ſollicitabunt humanum cor.)**

d Benedicere prim.] *Aliter in vulgata editione, quam adducere nihil opus eſt, quoniam frequens in omnibus manibus.*

e Et non erit tibi ſenior.] *πρεσβύτερος, ſacerdotem magnum ſcribit Hieronymus intelligi.*

f Supererit.] *In antiquo libro hoc toto capite, ubi impreſſum eſt, ſupereſſe ſcribitur ſuperare, ut apud Verg. Superátne & veſcitur aura Ætherea. Sed ſignificatus eſt idem.*

g Quanquam enim non eſſet de alia tri.] *Pater Samuelis de tribu Levi fuiſſe oſtenditur 1. Paralip. 6. mater de tribu Juda: hunc locum Auguſtinus recantat libro Retract. 2. ubi ſic ſcribitur in 17. lib. Quod dictum eſt, non erat de filiis Aaron, dicendum potius fuit: non erat filius ſacerdotum. Filios quippe ſacerdotum defunctis ſacerdotibus ſuccedere magis legitimi moris fuit: nam in filiis Aaron reperitur pater Samuelis: ſed ſacerdos non fuit: nec ita in filiis, ut eum ipſe genuerit Aaron, ſed ſicut omnes illius populi dicuntur filii Iſrael. Hæc Auguſtinus.*

h Tam facto etiam ipſo quàm.] *In aliis libris. Prophetia facti etiam ipſa non verbi: nam & ſi verba videbantur aliò ſpectare, res tamen ipſa in Chriſto expleta eſt.*

i Ne ſecundùm hoc credatur homo.] *Quod credebant Anthropomorphitæ hæretici.*

k Quamvis nonnulli ſacrificii tui.] *Græcè ἱερατειῶν, quod eſt etiam ſacrificium, ſed potius ſacerdotium.*

l Et iterum: Exhibeatis, inquit, corpora veſtra hoſtiam vivam.] *Hoc in aliis libris non legitur, etſi non abſurdè additur.*

XL. Cap. *a* Cujus quidem nomen tacetur.] *D. Hieronymus in tradit. Hebraicis in lib. 1. Regum,* Hunc virum Dei, *inquit,* Judæi Phineæ dicunt, quem & Heliam autumant. *Toſtatus quæſt. 22. in caput 2. lib. 1. Regum utramque ſententiam Hebræorum & de Phinees & de Helia confutat. Neque enim tunc temporis utervis eſſe poterat, & quidem Phinees ſucceſſit Eleazaro patri in ſummo ſacerdotio, etſi tum vixiſſet, fuiſſet ſummus ſacerdos, ſi quidem ad mortem uſque durabat ſummum ſacerdotium; at tum Heli erat ſummus ſacerdos, & multi ſummi ſacerdotes interceſſerant inter Phinees & Heli. Deinde ſequeretur, tum temporis Phinees fuiſſe 400. ſaltem annorum*

eo amplius annorum, neque adhuc potuit tum inter mortales eſſe Helias, plures enim anni interceſſerant inter Heli & Heliam quàm 240. Reſpondet ergo Toſtatus, hunc virum Dei, qui venit ad Heli, fuiſſe aliquem Prophetam in ſacra Scriptura incognitum, eo quod pauca prophetavit, nec de eo habeatur aliqua hiſtoria. Vel magis, *inquit*, dicendum, quod iſte fuerit Angelus veniens in effigie viri Dei, ut de Angelo, qui apparuit uxori Manue & matri Samſonis, illa dixit, vir Dei venit ad me, & Judicum cap. 6. apparuit Angelus Gedeoni in figura viri. *Verùm in illis locis, etſi apparuerit Angelus in figura viri, etſi ab hominibus vir exiſtimaretur, quemadmodum & Angeli, qui apparuerunt Abrahæ & Loth dicuntur viri; nihilominus facilè intelligimus, Angelos eſſe, quia id aperte & manifeſte dicit ſcriptura, verùm de eo, qui venit ad Heli, ſcriptura non docet fuiſſe Angelum, neque neceſſe eſt, Angelum illum fuiſſe interpretemur. Probabilius igitur eſt, fuiſſe aliquem Prophetam, vel qui miſſus à Deo tum apud Heli officio prophetico functus fuerit. Neque enim defuere aliquando vates etiam tempore Judicum, qui à Deo mitterentur, lib. Judicum cap. 6. Propheta quidem innominatus inducitur.* Clamavit ad dominum Iſrael poſtulans auxilium contra Madianitas, qui miſit ad eos virum prophetam. *Hebræi in Chronolog. majore Elcanam fuiſſe putant. Verùm ex ſcriptura nihil certi ſtatui poteſt.*

β Revelans revelatus ſum ad domum patris tui.] *D. Hieronymus in tradit. Hebr. 1. Regum,* Revelatus Dominus fuiſſe dicitur domui patris ejus. *i. e.* Aaron, in eo loco, ubi ait, Dixit enim Dominus ad Aaron, vade in occurſum Moyſi in deſerto, *&c. Et in hoc loco primùm Dominus ei revelatus dicitur. In ſacerdotem vero electus eſt ex omnibus tribubus Iſrael, ſicut habes in Elle Semoth, & in Vajikra libro. 1. Exodi & Levitici. Vide Toſtatum quæſt. 23. in cap. 2. lib. 1. Regum.*

γ Ut aſcenderent ad altare meum & incenderent incenſum.] *Hoc enim erat proprium munus Sacerdotum. 1. Paralip. 6.* Aaron vero & filii ejus adolebant incenſum ſuper altare holocauſti, & ſuper altare thymiamatis.

δ Et portarent ephod.] Ephod *(ut notat D. Hieronymus)* erat indumentum ſacerdotale, quod in Exodo & Levitico à ſeptuaginta, ἐπωμὶς dicitur. 1. ſuperhumerale, *ab Aquila,* ἐπένδυμα. *i. e.* ſuperindumentum. *Dupplex erat ephod, ut idem docet epiſt. 127. ad Fabiolam, & 130. ad Marcellam, alter auro, hyacintho, purpura byſſoque contextus, quo ſolus ſummus ſacerdos utebatur; de quo intelligitur illud Oſeæ. 3.* Multos dies ſedebunt filii Iſrael ſine ephod. *Quo nomine ſacerdotium intelligi, recte docet idem D. Auguſtinus. Alter lineus erat tantùm, quo non ſolùm ſacerdotes & Levitæ, ſed & Laici utebantur. Nam & de Samuele, qui erat Levita, legimus 1. Regum 2.* Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini puer accinctus ephod lineo, *& cap. 22. de Saule;* Irruit in ſacerdotes, & trucidavit in illa die octogintaquinque viros veſtitos ephod lineo; *& de Davide, qui nec erat ſacerdos, nec Levita, legitur 2. Reg. 7.* Porrò David accinctus erat ephod lineo ; *Scilicet cum ſaltaret, & caneret ante arcam Domini, quæ erat actio quadam religioſa. Hanc differentiam etiam obſervavit Photius epiſt. ad Galatonem:* Τὸ ἐφὼδ δὲ ἔσμεν ἐν μὲν τὴν ἱερατικὴν καὶ ἁγίαν στολὴν ἣ κεχρῆσθαι θεμιτὸν οὐκ ἦν, ἀλλ᾽ ἢ τοῖς ἱερεῦσι μόνοις· ἕτερον δὲ σχήματι πω; τῷ εἰρημένῳ παρεοικὸς, κοινὸν δὲ καὶ οὐχ ἱερατικὸν ὃ φαίνεται καὶ Δαβὶδ ἀμπεχόμενος.

ε Quæ ſunt ignis filiorum Iſrael.] Τῦ πυρὸς *i. e. ex ſacrificiis, Lucifer*, omnia frumenta filiorum Iſrael, *ut videatur legiſſe πυρῶν, ita vulgata*, omnia de ſacrificiis filiorum Iſrael. *i. e. Portionem quandam ex victimis omnibus, quas filii Iſraël oblaturi erant, quam ego volui pertinere ad ſacerdotem: nomine autem* ignis *ſacrificia ſignificantur, eò quod omnia igne conficiebantur.*

ζ Et nunc dicit Dominus nequaquam.] *An verò revocat ſemel, quod ſtatuit Deus? an mutabilis: Verùm alia ſunt, quæ ſtatuit abſolutè fieri independenter à noſtris operibus, alia vero ſub conditione; ſi nimirùm ejus adhæremus voluntati & præcepta obſervemus, nec mutatio ulla in Deo, nam ita ut fit nunc, decrevit ab æterno fieri. Cùm enim omnia præſciat, ita prout nos gerimus, ille nobiſcum ſe gerit. Vide Rupertum lib. 1. commentar. in lib. Regum cap. 9.*

η Et qui ſpernit me, ſpernetur.] ὁ ἐξουθενωδηνῶν με ἀτιμωθήσεται, ϛ. *D. Ambroſius lib. de paradiſo cap. 15.* Et contemptor mei honore privabitur. *Lucifer*, Et qui ſpernit me, ad nihilum redigetur. *Complutenſis & Theodoretus* οἱ ἐξουδενοῦντές με ἐξουθενωθήσονται. *Vulgata*, Qui contemnunt me, erunt ignobiles. *D. Cyprianus de orat. dominica legit cum Auguſtino.*

θ Exterminabo ſemen tuum & ſemen domus patris tui.] *Vulgata* præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui. *Hieronymus brachium arcam vocat & dignitatem ſacerdotii*

ι Et non erit tibi ſenior.] *Seniorem ſacerdotem magnum ſcribit intelligi D. Hieronymus*, quia ſacerdotium magnum, quod à poſteris Eleazar translatum erat in Heli de familia Ithamari, iterum debebat transferri ad familiam Eleazari.

κ Et virum exterminabo tibi ab altari meo.] *Septuaginta habent*, non exterminabo, *quæ magis reſpondet Hebræo, & vulgata editio habet;* non auferam penitus virum ex te ab altari meo, ut deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua. *D. Hieronymus & Rupertus lib. 1. Comm. in Reg. cap. 7.* ideo dominus ſe non petitus ablaturum ex domo Heli virum ab altari ſuo dicit; ut ſemper de domo Domini eſſet in domo Eli vir, qui in dignitate ſacerdotii alium ſubſtitutũ videret. & ſe eadem dignitate privatum videns, oculi ejus deficerent, & anima tabeſceret. *Quod vero vulgata editio legit*, ut deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua, *intelligitur non quidem in ipſo Heli, ſed in illius poſteris, tabeſcere ſive marceſcere faciam oculos tuos, affligam animum tuum in poſteris tuis cum videbunt alium fungi officio ſummi ſacerdotis, quod ad tuam familiam pertinebat.*

λ Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem.] *Nempe Sadoch depulſo Abiathar. Ita enim legitur lib. 3. Reg. 2.* projecitque Salomon Abiathar, ne eſſet ſacerdos domini, ut impleretur verbum domini, quod locutus eſt ſuper domum Heli. *Erat enim Abiathar ex genere Heli, & Ithamar filii Aaronis, Sadoch verò, qui ſuffectus eſt in ejus locum, ex genere Eleazari fratris Ithamar.*

μ Ædificabo ei domum fidelelem.] *Quaſi dicat, dabo ei ſtabilem familiam ſeu poſteritatem.*

ν Coram Chriſto meo.] *Convenit cum vulgata & Hebræo. i. e. fungetur officio ſacerdotali coram Rege, cui regnum dedero; in aliis eſt* τῶν Χριστῶν μου. Chriſtis meis.

Cypria-

Cyprianus lib. 1. adverſus Judaos c.17. in conſpectu Chriſtorum meorum. *Ita etiam habet Theodoretus quaſt. 10. in codicibus manuſcriptis.*

ξ Veniet adorare ei obolo argenti.] *Complutenſis habet* ἐν ὀβολῷ ἀργυρίου, καὶ ἐν ἄρτῳ ἑνί. *D. Cyprianus* in obolo pecuniæ, & in pane uno.

ο Jacta me in unam partem ſacerdotii tui.] *Quaſi dicat, præfice me uni ex officiis minorum ſacerdotum, ut mihi victum parem.*

π Tamen non erat de filiis Aaron.] *Pater Samuelis de tribu erat Levi. 1. Paralipom. 6. D. Auguſtinus lib. 2. retractat. hunc locum ita retractat.* Quod dictum eſt, non erat de filiis Aaron, dicendum potius fuit, non erat filius ſacerdotum. filios quippe ſacerdotum defunctis ſacerdotibus ſuccedere, magis legitimi moris fuit. Nam in filiis Aaron reperitur pater Samuelis, ſed ſacerdos non fuit. *Nihilominus ex ſcriptura colligimus, omnes filios Aaron. i.e. qui erant ex ſtirpe vel Eleazari, vel Ithamar, fuiſſe ſacerdotes. Itaque Elcana etiamſi eſſet de tribu Levi, non tamen erat ex filiis Aaron. i.e. ex ſtirpe vel Eleazari, vel Ithamar. Tota enim tribus Levitica mancipata erat cultui divino, verùm ſacerdotes aſſumebantur tantùm ex filiis Aaron. Numeror. cap. 3. colligitur differentia Levitarum à ſacerdotibus.* Locutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens: applica tribum Levi, & fac ſtare in conſpectu Aaron ſacerdotis, ut miniſtrent ei, & excubent, & obſervent quiquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo teſtimonii, & cuſtodiant vaſa tabernaculi ſervientes miniſterio ejus, dabiſque dono Levitas Aaron & filiis ejus, quibus traditi ſunt à filiis Iſrael, Aaron autem & filios ejus conſtitues ſuper cultum ſacerdotii, *1. Paral. 6 numer. 8.* Statues Levitas in conſpectu Aaron, & filiorum ejus, & conſecrabis oblatos domino, ac ſeparabis de medio filiorum Iſrael, ut ſint mei & poſtea ingrediantur in tabernaculum fœderis, ut ſerviant mihi. *Unde conſtat, differentiam fuiſſe inter Levitas, & filios Aaron, quòd illi quidem conſecrati eſſent cultui divino, ſoli tamen filii Aaron eſſent ſacerdotes, & alia erant munera ſacerdotum, alia Levitarum. Samuel ergo erat quidem de tribu Levi, non tamen ex poſteris Aaron: neque enim de ſtirpe aut Eleazari aut Ithamar.*

ρ Nam fuerunt poſtea ſacerdotes ex genere Aaron.] *1. Paral. 6. numerantur omnes ſacerdotes, qui fuere ab Aaron usque ad captivitatem Babylonicam, quibus etiam alii ſucceſſere, nam fuit perpetuus ille Pontificatus & ſacerdotium quandiu lex illa vim habuit, verùm ſimul cum ſacerdotio translata fuit lex.*

σ Quandoquidem nullum tabernaculum, nullum templum, nullum altare.] *Non licebat Judæis ſacrificium offerre, aut altare exſtruere, niſi in templo Hieruſalem, Deut. 12. & ſi alibi aliquando ſacrificatum eſt à ſervis Dei vel Prophetis, certè diſpenſatione divina factum eſt. Inde ergo pulſi nullum ſacrificium offerunt, nullum altare habent. Impius ille Julianus fidei Chriſtianæ deſertor Chriſtianis ægrè ſe facturum putans primarios viros Judæorum patriorum inſtitutorum admonuit, & quamnam ob cauſam non juxta Moſis Leges viverent interrogavit: dixerunt illi, omnibus modis cavendum ſibi eſſe ceu rem abjuratam, ne alibi quàm Hieroſolymis, qua urbe prorſus excidiſſent, ſacra patria peragerent, data illis pecunia, ut quàm poſſent celerrimè Salomonis reſtaurent templum, eos eſt cohortatus, ut exemplo maiorum ſuorum*

teri more ſacrificarent, & rem divinam facerent. Nicephorus libr. 10. cap. 32. hiſtor. tripart. libr. 6. cap. 43. Nazianzenus oratione 2. contra Julianum. Chryſoſtomus oratione 2. adverſus Judæos, & oratione contra Gentiles. Socrates & Theodoretus libro 3. capite 17. Sozomenus libro 5 capite vigeſimo primo. Verùm divinitus impedito hoc ædificio, & erumpente è viſceribus terræ igne, qui & fundamenta jacta & homines circumvicinos abſumeret, manifeſtè compertum eſt, eam totam Judæam religionem aut potius ſuperſtitionem Deo inviſam eſſe, & exoſa eorum ſacrificia altare & templum, quæ jam antiquitus, cùm futura myſteria Chriſti & Eccleſiæ prænunciarent ac præſignificarent, Deo grata fuere & ſanctiſſimè inſtituta.

τ De illo Aaron, qui primus ſacerdos eſt inſtitutus.] *Ita Anacletus epiſt. 2. dicit, initium ſacerdotii Aaron fuiſſe,* Quia licet (*inquit*) priùs legantur ſacrificium obtuliſſe, ut Melchiſedec, & Abraham, hi tamen ſpontanea voluntate, non ſacerdotii authoritate hæc fecerunt. *Quod tamen intellige de ſacerdotio ſpecialiter à Deo inſtituto, quod ſpeciali aliquo ritu à Deo inſtituto confertur, atque adeò de peculiari authoritate & poteſtate à Deo ipſo collata. Ita enim rectè dicitur primus Aaron ſacerdos eſſe inſtitutus. Tēpore enim legis naturæ conſtat ante Aaronē fuiſſe ſacerdotes.*

υ Ecce dies venient & exterminabo ſemen tuum.] *D. Auguſtinus ita interpretatur, ut velit intelligi prædictam commutationem ſacerdotii Aaronici in ſacerdotium Chriſti ſeu novæ legis, quomodo interpretatur Gregorius toto lib. 2. expoſit. in cap. 2. Regum. Rupertus lib. 1. commentar. in lib. Reg. cap. 10. Iſidorus commentariis in li. 1. Reg. cap. 2. Cyprianus lib. 1. teſtimon. adverſus Judæos cap. 17. D. Hieronymus in epiſtola ad Paulinum.*

φ Huic ſuccedendo Samuel.] *In officio quidem Judicis, non tamen in officio ſacerdotis, cum tamen aliqui aliud intellexerint, ſcilicet Samuelem ſucceſſiſſe Heli in ſacerdotio. Ita Angelomus in cap. 1. Reg. cap. 2.* Sub figura Samuelis (*inquit*) de domino ſalvatore ſummo videlicet ac vero Pontifice debet intelligi. Quia nimirum Samuel ſicut defuncto Heli ſucceſſit in ſacerdotium non de ſtirpe Aaron, ſed de alia Levi familia electus : ita mediator Dei & hominum, ut eſſet nobis Pontifex, non de Levi, ſed de alia utique tribu. i. e. Juda ſumpſit carnem. *Verùm ſacerdotes non alii, quàm de familia Aaron conſecrabantur, & inter ſummos ſacerdotes non numeratur Samuel. 1. Paral. 6. ubi ordine ab Aaron ad captivitatem Babylonicam recenſentur.*

χ Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem.] *Hæc certe melius quadrant ſecundùm ſenſum allegoricum in Chriſtum dominum, quàm alioquin ſecundùm litteram in ſucceſſorem Heli. Lactantius lib. 4. cap. 14. ad Chriſtum refert ſacerdotem magnum & æternum. qui ideo conſtituit æternum templum, quod appellatur Eccleſia, & univerſas gentes ad religionem Dei veram convocavit.*

Cap. VI.

De Judaico ſacerdotio & regno, quæ cùm in æternum dicantur ſtatura, non permanent, ut alia intelligantur, quæ ſpondentur æterna.

Cum igitur hæc tanta tunc altitudine prænunciata ſint, quanta nunc manifeſtatio-

ſtatione clareſcunt, non fruſtra tamen moveri quiſpiam poteſt ac dicere: Quomodo confidimus evenire omnia, quæ in libris illis ventura prædicta ſunt, ſi hoc ipſum, quod ibi divinitus dictum eſt, Domus tua & domus patris tui transibunt coram me in æternum: effectum habere non potuit? quoniam videmus, illud ſacerdotium fuiſſe mutatum: & quod illi domui promiſſum eſt, nec ſperari aliquando complendum: quia illud, quod ei reprobato mutatoque ſuccedit, hoc potiùs prædicatur æternum? Hoc qui dicit, nondum intelligit, aut non recolit, etiam ipſum α ſecundùm ordinem Aaron ſacerdotium, tanquam umbram futuri æterni ſacerdotii conſtitutum: ac per hoc, β quando ei æternitas promiſſa eſt, non ipſi umbræ ac figuræ, ſed ei quod per ipſam adumbrabatur figurabaturque, promiſſum eſt. Sed ne putaretur ipſa umbra eſſe menſura, ideò etiam mutatio ejus debuit prophetari. Regnum quoque iſto modo etiam Saulis ipſius, qui certè reprobatus atque rejectus eſt, futuri regni erat umbra, in æternitate manſuri. Oleum quippe illud, quo unctus eſt, & γ ab eo chriſmate Chriſtus eſt dictus, myſticè accipiendum, & magnum ſacramentum intelligendum eſt: quod in eo tantum veneratus eſt ipſe David, ut percuſſo corde pavitaverit, quando in tenebroſo occultatus antro, quò etiam Saul urgente intraverat neceſſitate naturæ, exiguam particulam veſtis ejus retrorſum latenter abſcidit, ut haberet, unde monſtraret, quomodo ei pepercerit, cùm poſſet occidere: atque ita ſuſpicionem de animo ejus, qua ſanctum David putans inimicum ſuum vehementer perſequebatur, auferret. Ne itaque reus eſſet tanti ſacramenti in Saule violati: quia vel indumentum ejus ſic attrectavit, extimuit. Ita enim ſcriptum eſt: δ *Et percuſſit cor David ſuper eum,* ε *qui abſtulit pinnulam chlamydis ejus.* ƅ Viri autem, qui cum illo erant, & ut Saulem in manus ſuas traditum interimeret, ſuadebant. *Non mihi,* inquit, *contingat à Domino ſic facere hoc verbum Domino meo Chriſto Domini, inferre manum meam ſuper eum: quia Chriſtus Domini eſt hic.* Huic ergò umbræ futuri non propter ipſam, ſed propter illud, quod præfigurabat, tanta veneratio exhibebatur. Unde & illud, quod ait Sauli Samuel: *Quoniam non ſervaſti mandatum meum, quod mandavit tibi Dominus: quemadmodum nunc paraverat Dominus regnum tuum uſque in æternum ſuper Iſrael, & nunc regnum tuum non ſtabit tibi, & quæret Dominus ſibi hominem ſecundùm cor ſuum: & mandabit ei Dominus, eſſe in principem ſuper populum ſuum: quia non cuſtodiſti, quæ mandavit tibi Dominus:* non ſic accipiendum eſt, ac ſi ipſum Saulem Deus æternum præparaverit regnaturum, & hoc poſtea noluerit ſervare peccanti, neque enim eum peccaturum eſſe neſciebat, ſed præparaverat regnum ejus, in quo figura eſſet regni æterni. Ideò addidit: *Et nunc regnum tuum non ſtabit tibi.* Stetit ergò: & ſtabit, quod in illo ſignificatum eſt: ſed non huic ſtabit, quia non in æternum ipſe fuerat regnaturus, nec progenies ejus, ut ſaltem per poſteros alterum alteri ſuccedentes videretur impleri, quod dictum eſt in æternum. *Et quæret,* inquit, *dominus ſibi hominem:* ſive David, ſive ipſum mediatorem ſignificans teſtamenti novi, qui figurabatur in chriſmate etiam, quo unctus eſt ipſe David, & progenies ejus. Non autem quaſi neſciat, ubi ſit, ita Deus ſibi homi-

1. Reg. 24.

1. Reg. 13.

1. Reg. 15.

hominem quærit,ſed per hominem more hominum loquitur, quia ſic loquendo
Luc.19. nos quærit. Non ſolum enim Deo Patri,verùm etiam ipſi quoque unigenito e-
Eph.1. jus, qui venit quærere,quod perierat,uſque adeò jam eramus noti,ut in ipſo eſſe-
al. ſuum ergo habebit. mus electi ante conſtitutionem mundi. *c* Quæret ſibi ergo † dixit, pro eo ac ſi diceret,quem ſuum eſſe jam novit,ſibi eſſe familiarem, aliis oſtendet. Unde in Latina lingua hoc verbum accipit præpoſitionem & acquirit dicitur, quod ſatis apertum eſt,quid ſignificet. Quanquam & ſine additamento præpoſitionis quærere intelligatur acquirere,ex quo lucra vocantur & quæſtus.

L.Vives *a* QUia abſtulit pinnulam] *Quaſi extremitatem, ſive laciniam, quod erat facilius ſcindi, ſive fimbriam. Fimbriarum enim multus apud Judæos uſus ex præcepto lib. Numerorum. Ruffinus in Joſepho ſummitatem vertit. Sic etiam 1. Reg. 15. de Samuele in noſtris libris ſummitatem. Quod Aug. proximo capite pinnulam etiam dicit. Græcè eſt* πτερύγιον διπλοιδος, *pinnam, extremum diploidis.*

b Viri autem, qui cum illo erant.] *Trecentos ſcribit eum habuiſſe Joſephus lib. 6.*

c Quæret ſibi ergo.] *Hic locus ſic legitur in antiquis codicibus Brugenſibus: Quæret ſibi ergo dixit, ſuum habebit. Unde in Latina lingua, &c. Satis videtur congruere cum eo, quod ſequitur: tametſi nec diſplicet vulgaris lectio, quæ videri poteſt alicujus addita interpretatio.*

F.L.Coq *α* SEcundum ordinem Aaron ſacerdotium tanquam umbram futuri.] *In Aaron & filiis ejus præfiguratum eſſe novum ſacerdotium docet Anacletus Papa epiſtol 2. Aaron enim figura fuit ſummorum ſacerdotum. i. e. Epiſcoporum, filii ejus presbyterorum. Verùm Aaron magis ſacerdotum, qui Chriſti ſunt miniſtri, quàm ſummi ipſius ſacerdotis Chriſti figuram geſſit, hi morte prohibentur manere, quemadmodum & illi, at Chriſtus manet ſacerdos in æternum.*

β Quando æternitas ei promiſſa eſt, non ipſi umbræ.] Sacerdotium, *inquit,* illud Aaronicum dicitur æternum non ſecundùm ſe, ſed ratione ſui ſignificati, quia ſignificaret æternum Chriſti ſacerdotium, ita ut æternitas illa non figuræ, ſed rei per ipſam ſignificatæ conveniat. *Idem docet quæſt. 124. ſuper Exodum, ubi docet, Aaronicum ſacerdotium dici æternum*, vel quia non fuit illi certum tempus præſcriptum, vel quia Chriſti æterni ſacerdotii fuit figura. *Deinde etiam dici poteſt ex verbis Exodi 28.* legitimum ſempiternum erit illis, *non ſignificari illud ſacerdotium æternum, ſed cum eo cap. Deus docuiſſet veſtes, quibus ſacerdotes uti debebant, quando ſacrificaturi erant, ſubjunxit,* legitimum ſempiternum erit Aaron & filiis ejus. *i. e. ſtatutum hoc de veſtibus ſemper obſervabitis, nec licebit unquam eis accedere ad ſacrificandum abſque illis veſtibus. Deinde ut obſervat ibidem Auguſtinus, de ſacerdotio Chriſti dictum eſt,* Juravit Dominus & non pœnitebit eum. i. e. non mutabit illud ſacerdotium. Durabit enim uſque ad finem mundi, neque enim in aliud eſt commutandum, quemadmodum commutatum fuit ſacerdotium Aaronicum. *Ita Baſilius ſuper Eſaiam cap. 1. Auguſtinus ipſe in Pſalmum 109. D. Thomas etiam 3. p. q. 22. artic. 5. docet, ſacerdotium Chriſti ratione effectus fore æternum.* [*Licet enim ſacrificium Chriſti incruentum ſit, prout ſe ipſum tanquam ſummus ſacerdos*

cerdos patri in cruce obtulit, in morte Chriſti perfectum fuerit & abſolutum, & ſacrificium incruentum repræſentans cruentum & effectum ejus applicans usque ad finem mundi duraturum ſit; verum ibi finietur.]* *At effectus hujus ſacerdotii, qui eſt gratia & gloria, perpetuo durabis, & Chriſtus etiam ita dicitur ſacerdos in æternum, ut non ſit illi alius ſucceſſurus ſacerdos, quemadmodum in veteri lege Aaron & reliqui habuere ſucceſſores. Ita Apoſtolus ad Hebræos 7.* & alii quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo, quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. *Qui enim nunc ſunt ſacerdotes in nova lege vel etiam Pontifices, non ſucceſſores Chriſti ſunt, ſed miniſtri 1. Corinth. 4.* Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei, *Chriſtus eſt, qui nos Deo reconciliat, qui peccata remittit, qui gratiam confert, qui juſtificat, verùm ad hæc utitur ſacerdotum miniſterio in Eccleſia, itaque ille eſt, qui ſupremum habet ſacerdotium, cui nullus alius unquam ſucceſſurus eſt.*

γ Ab eo chriſmate Chriſtus dictus eſt.] *Olim quidem Reges & prophetæ & etiam ſummi Sacerdotes & minores ungebantur, & inde dicebantur* Chriſti i.e. uncti, *ut David & Saul, 1. Reg. 10. & 16. Toſtatus in cap. 9. 1. Reg. quæſt. 10. unctio Regum, quæ fiebat in capite ex oleo ſacro fiebat propter maximam dignitatem, quod patet in unctione Sacerdotum, tam enim Sacerdotes minores quàm magnus ungebantur; & differebat potiſſimum unctio Pontificis ab unctione minorum ſacerdotum, quia ſuper caput ſummi ſacerdotis fundebatur oleum unctionis, in minoribus autem ſacerdotibus nihil fundebatur in capite, ut colligitur Exodi 29. & Levitici cap. 18. ſicut ergo in genere ſacerdotum excellentiſſimus eorum erat Pontifex, ita in latitudine principum regalis principatus eſt excellentior, ergo inter principes ſolus rex ungebatur, unde judices nunquam leguntur fuiſſe uncti, ungebantur etiam reges, ut ſignificaretur, eos à Deo principes inſtitui.* Chriſtus nomen eſt non proprium, ſed nuncupatio poteſtatis & regni, *ut docet Lactantius lib. 4. de vera ſapient. cap. 7. ſignificat enim regiam poteſtatem. Auguſtinus 1. Joannis. 2.* Chriſtus ſacramenti nomen eſt, quomodo ſi dicatur Propheta, vel ſacerdos. *Græcum nomen eſt χριστὸς à verbo χρίω i.e.* ungo, *hoc nomine reges appellantur in ſcriptura ſacra Pſal. 17.* faciens miſericordiam Chriſto ſuo David *1. Reg. 24.* non mittam manum meam in Chriſtum domini *i.e. Saulem regem. Iſaiæ 45.* Hæc dicit dominus Chriſto meo Cyro. *Reges enim apud Hebræos oleo perungebantur. Obſervandum vero, duplex fuiſſe genus unguenti, alterum quidem vulgare, alterum vero ſacrum, quod ex myrrha, cynamomo, calamo, caſiaque conſtabat, ut explicatur Exodi 30. Sacro Pontifices inungere oportebat, reges & ſacro & vulgari perfundere fas fuiſſe credit Abulenſis 1. Reg. 10. quæſt. 1. & qu. 2. Nam Salomon ſacro oleo unctus eſt à Sadoc. 3. Reg. 1.* Sumpſit Sadoc cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem. *Vulgari verò & non ſacro videtur Abulenſi unctus David à Samuele 1. Reg. 16. ſi objicias illud Pſal 88.* Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum, *Sacro ergo oleo unctus fuit David, ita docet ibi Euthymius, ſanctum Dei oleum dixit, ut illius confectionem & divinitus traditam & myſteriis refertam eſſe ſignificaret. Genebrardus in eundem pſalmum credit, David fuiſſe unctum vel oleo Moſis ſacro, vel alio per divinas preces Samuelis ſanctificato &*

conſecrato. Poteſt etiam intelligi non de oleo, quo David à Samuele 1. Reg. 16. ſed quo ab alio 2. Reg. 25. perfuſus eſt, cum omnium tribuum rex eſt creatus. Nam David ter unctus eſt in Regem, primo à Samuele occulte in domo patris ſui 1. Reg. 16. ſecundo à tota tribu Juda, ut eſſet rex ſuper illam in Hebron. 2. Reg. 2. Tertio à toto Iſrael, ut regnaret ſuper omnes tribus 2. Regum 5. Suidas ὁ Δαβὶδ τότε πρῶτον εἰς βασιλείαν ἐχρίσθη. *Idem erat quoddam* χρίσμα τοῦ τῆς βασιλείας ἐλαίου, ὅπερ οἱ προφῆται διὰ κέρατος ἐπιφερόμενοι ἔχριον τοῖς βασιλεῦσι.

δ Et percuſſit cor David ſuper eum.] *Abulenſis in 24. 1. Reg. quæſt. 10.* conſcientia David remordit eum. *Ista percuſſio cordis vocatur quidam ſcrupulus inſurgens in anima David. Ipſe enim diſpoſuerat occidere Saulem, & cum jam abſcidiſſet oram chlamydis, factus eſt quidam motus in animo ejus, ut non occideret, & quia motus ille erat ſubitaneus & fortis, dicitur percuſſio. Immiſſum autem illum motum & conſcientiam illam à Deo de non occidendo Saule certum eſt, quod poſtea conſcientia motus judicavit minime faciendum, atque ideo dicitur cor David eum percuſſiſſe.*

ε Qui abſtulit pinnulam chlamydis ejus.] *vulgata.* abſcidit oram chlamidis Saul ſilenter. *An vero peccaverit David abſcindendo oram chlamydis Saul, ita enim videtur indicare ſcriptura;* poſt hæc percuſſit cor ſuum David, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul. *i. e. pœnituit eum illius facti tanquam peccati, diſputat Toſtatus in cap. 24. lib. 1. Reg. quæſt. 12. Dicendum breviter, non peccaſſe. Id enim faciebat ad oſtendendam clementiam ſuam, tum etiam innocentiam in Saulem, ſeque ab eo injuſtè perſecutionem pati, qui nihil in illum unquam deliquiſſet, immo peperciſſet ei, cum poſſet eum occidere, tradente eum domino in illius manus; quod vero dicitur David illius facti pœnituiſſe, eoque conſcium ſibi fuiſſe peccati, reſpondet Toſtatus, non propter hoc ſolum David percuſſiſſe cor ſuum i. e. pœnituiſſe, vel conſcientia facinoris motum fuiſſe eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul, verùm etiam, quia tum fortaſſe habuerat indeliberatum quendam animū occidendi ipſum Saul,* (quod peccatum non quidem mortale, ſed veniale in ipſo David: ut enim motus primi, qui omnem deliberationem præcedunt, non ſunt omnino peccata, ita motus ſecundo primi ſunt peccata venialia, in quibus non eſt illa perfecta deliberatio, & judicium rationis, quod ſufficiat ad conſtituendum mortale peccatum,)* *hæc enim verba immediatè ſubjunguntur,* propitius ſit mihi dominus, ne faciam hanc rem Chriſto domini, ut mittam manum meam in eum; *ergo non percutiebat David cor ſuum, quod abſcidiſſet chlamydem, verùm quia cogitaverat de occidendo inimico ſuo Saule.*

ζ Inferre manum meam ſuper eum, quia Chriſtus domini eſt.] *Adeo ſacroſanctum eſt nomen & dignitas Regis, & hæc fuit potiſſima cauſa, cur David violentas manus Sauli minimè attulerit. Sic enim 1. Regum 24. dixit ad Abiſai,* ne interficias eum, quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini & innocens erit? *Unde exiſtimavit, in nullo caſu licitum eſſe interficere Saul regem, divina ordinatione conſtitutum. & infra.* Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Chriſto Domini, *& poſtea ſubditur,* ut mittam manum meam in eum, quoniam Chriſtus Domini eſt. *Et cum David diceret Sauli, cur non occidiſſet eum, hanc cauſam expreſſit unicam,* cogitavi ut occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus, dixi enim,

non extendam manum meam in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt. *Iſidorus Commentariis in lib. 1. Reg. cap. 17. Davidem fugientem perſecutionem Saulis & latitantem in ſpelunca, & Sauli vita parcentem & oram chlamydis ipſius duntaxat abſcindentem myſtice Chriſtum interpretatur, qui dum eſſet in ſpelunca carnis i.e. humanam naturam aſſumpſiſſet, qua tegebatur ejus divinitas, perſecutorem populum. i.e. Judaicum in Saule ſignificatum in poteſtate habuit, & non occidit. Scriptum enim erat de eis per Prophetam,* ne occideris eos, *Pſal. 58. Tantum David ſummitatem chlamidis ejus ſilenter abſcidit, ut oſtenderet prophetia, Chriſtum Judæos non occidiſſe, verùm eis tantum Regni gloriam abſtuliſſe. Chlamidis enim abſciſſio regni eſt ademptio, quod & alibi ſignificatum eſt, nempe 1. Reg. 15. ubi cum Saul tenuiſſet pinnulam veſtimenti Samuelis, & diſrupiſſet eam, dixit ad eum Samuel, diſrupit Dominus regnum Iſrael de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo.*

n Non propter ipſam, ſed propter illud, quod præfigurabatur] *Unctio Saulis erat ſacra, ut facta ordinatione divina, in id etiam, quod unctus eſt, imaginem Chriſti portavit. Iſid. comment. in 1. Reg. cap. 5.* Unde & beatus David, *inquit*, qui & ipſe Chriſtus nuncupatus eſt, ait ad eum, qui ſe finxerat Saul occidiſſe; quomodo non timuiſti manum tuam injicere in Chriſtum Domini? Hinc eſt, quod ab humero ſurſum Saul ſupereminebat omnibus, quia caput noſtrum ſurſum eſt, quod eſt Chriſtus. In id autem, quod reprobatus & rejectus eſt ſuccedente in regno David, populi Iſrael perſonam geſtabat, qui populus regnum adeptum erat amiſſurus Chriſto Domino noſtro per novum teſtamentum non carnaliter, ſed ſpiritualiter regnaturo, *lib. 3. contra epiſtolam Parmeniani, cap. 4.* David unctionis myſtico ſacramento tantum honorem detulit, ut id nec in ſceleratiſſimo Saule contemneret, imo tantum veneraretur, ut ampliùs omninò non poſſet, & *lib. 2. contra literas Petiliani cap. 48* David Saul propter ſacroſanctam unctionem & honoravit vivum & vindicavit occiſum, & quia vel panniculum ex ejus veſte præſcidit, percuſſo corde trepidavit, & *Optatus Milevitanus lib. 2.* repreſſit cum gladio manum, & dum timuit oleum, *i. e.* ſacram unctionem, ſervavit inimicum.

CAP. VII.

De diruptione regni Iſraëlitici, qua præfiguratur perpetua diviſio Iſraëlis ſpiritalis ab Iſraële carnali.

Rurſus peccavit Saul *a* α per inobedientiam, & rurſus Samuel ait illi in verbo Domini: *Quia ſpreviſti verbum Domini, ſprevit te Dominus, ut non ſis Rex ſuper Iſraël.* Et rurſus pro eodem peccato, cùm id confiteretur Saul, & veniam precaretur, rogaretq; Samuelem, ut reverteretur cum illo ad placandum Deum: *Non revertar,* inquit, *tecum, quia ſpreviſti verbum Domini, & ſpernet te Dominus, ne ſis Rex ſuper Iſrael. Et convertit Samuel faciem ſuam, ut abiret: & tenuit Saul b pinnulam diploidis ejus, & dirupit eam. Et dixit ad eum Samuel. Dirupit Dominus regnum ab Iſrael de manu tua hodiè, & dabit proximo tuo bono ſuper te, & dividetur Iſrael in duo, & non convertetur, neque pœnitebit eum: quoniam non eſt ſicut homo,* 1. Reg. 15.

ut homo, ut pœniteat eum: ipſe minatur, & non permanet. *Iſte, cui dicitur: Spernet te Dominus, ne ſis Rex ſuper Iſrael: & dirupit Dominus regnum ab Iſrael de manu tua hodie,* β quadraginta annos regnavit ſuper Iſrael, tanto ſcilicet ſpatio temporis, quanto & ipſe David, & audivit hoc primo tempore regni ſui, ut intelligamus ideò dictum, quia nullus de ſtirpe ejus fuerat regnaturus: & reſpiciamus ad ſtirpem David, unde & exortus eſt ſecundùm carnem *Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus.* Non autem habet ſcriptura, quod in pleriſque Latinis codicibus legitur, *c Dirumpet Dominus regnum Iſrael de manu tua*, ſed ſicut à nobis poſitum eſt γ inventum in Græcis, *Dirupit Dominus regnum ab Iſrael de manu tua:* ut intelligatur de manu tua, quod eſt ab Iſrael. Populi ergò Iſrael perſonam figuratè gerebat homo iſte, qui populus regnum fuerat amiſſurus, Chriſto Jeſu Domino noſtro per novum Teſtamentum non carnaliter, ſed ſpiritaliter regnaturo. De quo quum dicitur: *Et dabit illud proximo tuo,* ad carnis cognationem id refertur. Ex Iſrael enim Chriſtus ſecundùm carnem, unde & Saul. Quod verò additum eſt, δ *Bono ſuper te,* poteſt quidem intelligi, meliori te. Nam & quidam ſic ſunt interpretati: ſed melius ſic accipitur, bono ſuper te, ut quia ille
Pſ. 110. Heb. 1. bonus eſt, ideò ſit ſuper te, juxta illud aliud propheticum, *Donec ponam inimicos tuos ſub pedibus tuis.* In quibus eſt & Iſrael, cui ſuo perſecutori regnum abſtulit Chriſtus. Quamvis fuerit illic & Iſrael, in quo dolus non erat, quoddam quaſi frumentũ illarum palearum. ε Nam utique inde erant Apoſtoli, inde tot martyres, quorum prior eſt Stephanus: inde tot Eccleſiæ, quas Apoſtolus Paulus commemorat, in converſione ejus magnificantes Deum. De qua re non dubito intelligendum eſſe, quod ſequitur. *Et dividetur Iſrael in duo,* in Iſrael ſcilicet inimicum Chriſto, & Iſrael adhærentem Chriſto, in Iſrael ad ancillam, & Iſrael ad liberam pertinentem. Nam iſta duo genera primùm ſimul erant, velut Abraham adhuc adhæreret ancillæ, donec ſterilis per Dei gratiam fœcundata clamaret:
Gen. 21. 3. Reg 12 *Ejice ancillam, & filium ejus.* Propter peccatum quidem Salomonis regnante filio ejus Roboam, ſcimus, Iſrael in duo fuiſſe diviſum, atque ita perſeveraſſe, habentibus ſingulis partibus reges ſuos, donec illa gens tota à Chaldæis eſſet ingenti vaſtatione ſubverſa atque translata. Sed hoc quid ad Saulem, cùm ſi tale aliquid comminandum eſſet, ipſi David fuerit potiùs comminandum, cujus erat filius Salomon? poſtremò nunc inter ſe gens Hebræa diviſa non eſt, ſed indifferenter in ejuſdem erroris ſocietate diſperſa per terras. Diviſio verò illa, quam Deus ſub perſona Saulis, illius regni & populi figuram gerentis, eidem regno populoque minatus eſt, æterna atque immutabilis ſignificata eſt, per hoc, quod adjunctum eſt: ζ Et non convertetur, neque pœnitebit eum: quoniam non eſt ſicut homo, ut pœniteat eum: ipſe minatur, & non permanet: id eſt, homo minatur, & non permanet, non autem Deus: quem non pœnitet ſicut hominem. Ubi enim legitur, quòd pœniteat eum, mutatio rerum ſignificatur, immutabili præſcientia manente divina. Ubi ergò non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur. Prorſus inſolubilem videmus, per hæc verba prolatam divinitus fuiſſe ſententiam de iſta diviſione populi Iſrael, & omnino perpetuam. Quicunque

enim

enim ad Chriſtum tranſierunt, vel tranſeunt, vel tranſibunt inde, erant inde ſecundùm Dei præſcientiam, non ſecundùm generis humani unam eandemque naturam. Prorſus quicunque ex Iſraelitis adhærentes Chriſto perſeverant in illo, nunquam erunt cum eis Iſraelitis, qui ejus inimici uſque in finem vitæ hujus eſſe perſiſtunt: ſed in diviſione, quæ hîc prænunciata eſt, perpetuò permanebunt. Nihil enim prodeſt teſtamentum vetus de monte Sina in ſervitutem generans, niſi quia teſtimonium perhibet teſtamento novo. Alioquin *quandiu legitur Moyſes, d velamen ſuper corda eorum poſitum eſt.* Quum autem quisque inde tranſierit ad Chriſtum, auferetur velamen. Tranſeuntium quippè intentio ipſa mutatur de vetere ad novum: ut non jam quiſque intendat accipere carnalem, ſed ſpiritalem felicitatem. Propter quod ipſe magnus Propheta Samuel antequam unxiſſet Regem Saul: quando exclamavit ad Dominum pro Iſrael, & exaudivit eum: & quũ offerret holocauſtũ, ſimul accedentibus alienigenis ad pugnam contra populum Dei, tonuit Dominus ſuper eos & confuſi ſunt, & offenderunt coram Iſrael atque ſuperati ſunt: e aſſumpſit lapidem unum, & ſtatuit illum f inter Maſpha novam & veterem, & vocavit nomen ejus Abenezer, quod eſt Latinè Lapis adjutorii: & dixit: *Uſque huc adjuvit nos Dominus.* Maſpha interpretatur intentio. Lapis ille adjutorii medietas eſt Salvatoris, per quem tranſeundum eſt à Maſpha vetere ad novam, id eſt, ab intentione, qua expectabatur in carnali regno beatitudo falſa carnalis: ad intentionem, qua per novum teſtamentum expectatur in regno cœlorum beatitudo veriſſima ſpiritalis: qua quoniam nihil eſt melius, hucuſque adjuvat Deus. Gal. 4. 2. Cor. 3.

a PEr inobedientiam.] *Quod cùm juſſus eſſet à Samuele verbis Domini delere univerſa Amalechitarum, nec relinquere vivens aliquid, & ipſum Agag regem vivum cepit, & armenta ejus numeroſa.* L. Viven-

b Pinnulam diploidis.] *Vulgò pallii, & ſic apud Joſephum. Diplois quaſi duplex dicitur, διπλοός, quod de omni veſtimento duplicato dici poteſt.*

c Dirumpet Dominus.] *Sic Joſephus. Scindet Dominus. Gracè etiam διέῤῥηξεν dirupit.*

d Velamen ſuper corda.] *Prioris Corinth. 3. de velamine, quo Moſes texit faciem ſuam, cùm populo loqueretur, quo Judæi poſt Chriſtum paſſum mentem ſuam involvunt, quoad Chriſti fiunt cultores.*

e Aſſumpſit lapidem.] *Joſephus paulè diverſius lib. 6. quo facto Samuel eos cum multitudine perſecutus eſt, & plurimos interfecit, uſque ad locum quendam, qui vocatur Charreon, ibiq; lapidem fixit, velut terminum victoria & hoſtium fuga, eumq; lapidem fortitudinem appellavit: quaſi ſignum eſſet divini ſolatii contra hoſtes adhibiti.*

f Inter Maſpha.] *Hieronymus de locis Hebraicis, Maſpha in tribu Gad ſeparata Levitis. Eſt autem & alia nunc Maſpha in finibus Eleutheropoleos contra Septentrionem pergentibus Æliam, pertinens ad tribum Juda: Maſpha interpretatur ſpeculatio, ſive contemplatio. Gracè legitur μασηφάθ.*

P.L.leq. α PEr inobedientiam.] *Prima Saulis inobedientia fuit, quod non expectavit Samuelem in Galgala ſeptem integris diebus donec veniret 1.Reg 13. prout illi juſſerat 1.Reg 10.* Deſcendas ante me in Galgala, Ego quidem deſcendam ad te, ut offeras holocauſtum & oblationem, & immoles victimas pacificas: Septem diebus exſpectabis me, donec veniam ad te, & oſtendam, quæ facias. *Idcirco igitur per inobedientiam cecidit, quia integris ſeptem diebus, ſicut juſſus fuerat, non exſpectavit. Altera inobedientia Saulis fuit, quod cum juſſus eſſet percutere Amalech, & demoliri univerſa ejus, 1. Reg. 14.* Pepercit Agag & optimis gregibus ovium & armentorum & veſtibus arietibus & univerſis, quæ pulchra erant. *1.Reg.15.*

β Quadraginta annos regnavit ſupra Iſrael.] *Ita etiam docet infra lib. 18. cap. 20. & ſic legimus Actor. 13. Nam in libris Regum non recenſentur anni regni Saulis, ſicut poſtea aliorum Regum. Joſephus lib. 6. antiq. extremis verbis,* ἐβασίλευσε δὲ Σαμουήλου ζῶντος ἔτη ὀκτὼ πρὸς τοῖς δέκα, τελευτήσαντος ἢ δύο καὶ εἴκοσι. *Communis opinio eſt, quam ſequuntur Euſebius & Sulpitius, Samuelis annos comprehendi ſub illis 40 annis, quibus Saul regnaſſe dicitur, quia ex ſacra Chronologia colliguntur tantùm 40. anni à morte Heli ſummi ſacerdotis, qui judicavit Iſrael, uſque ad initium regni David, quanquam præcisè quot annos Saul poſt mortem Samuelis, vel etiam ab initio regni vixerit, non omnes conveniant. Toſtatus lib. 1. Paralip. cap. 19. quæſt. 2. ex ſcriptura ipſa colligit, Samuelem judicaſſe populum forte plusquam 22. annis, & Saulem regnaſſe 18. Nam 1.Reg.7. exprimitur de 20. annis, qui tranſierunt ſub Samuele in Iſrael, qui etiam aliquanto tempore poſtea judicavit, antequam Saul inauguraretur rex, & nititur authoritate Joſephi lib. 6. Antiquitatum dicentis, regnaſſe Saulem decem & octo annis, reliquos autem de 40. attribuentis Samueli. Quomodo verò intelligatur ille locus 1.Reg 13.* Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet, & duobus annis regnavit ſuper Iſrael, & elegit ſibi Saul tria millia. *Canus lib. 11. de locis Theolog. c. 5. ad 12. exiſtimat, numerum ibi eſſe depravatum vitio ſcriptorum, & legendum eſſe, filius viginti unius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet; verùm ita habent omnes codices Latini, Græci & Hebræi, quos omnes eſſe corruptos, nullo modo probabile eſt. Chaldæus paraphraſtes interpretatur hunc locum ſubintelligens particulam* quaſi, *ut ſit ſenſus,* Erat Saul, cum hæc fierent unius anni, *i. e. Saul unum annum in regno exegit, quando ſcilicet regnum ejus in Galgalis renovatum fuit: duobus autem annis regnavit, nimirum ſine regia pompa, quibus tranſactis, cœpit deligere exercitum, parare milites ac præſidio ſe tueri. Alii intelligunt de legitimo regno, ſcilicet antequam abjiceretur à Deo, & David inungeretur in ejus locum, Illud etiam,* Elegit ſibi tria millia virorum, *poteſt referri ad quartum annum regni Saulis, nimirum hoc ſenſu, exactus erat annus unus, ex quo rex fuerat electus, & initio ſecundi anni cœpit confirmari, & tranſierunt duo alii ab hac confirmatione in regno, & quarto anno firmato ac ſtabilito jam regno, elegit ſibi ſatellites corporis ſui cuſtodes.*

γ Bono ſuper te.] הטוב ממך *ut interpretatur* meliori te, præſtantiori te.

δ Inventum in Græcis.] *Teſtatur ita ſe inveniſſe in Græcis codicibus* Regnum ab Iſrael de manu tua, *Licet in plerisquē codicibus Latinis legeretur,* Regnum Iſrael de

el de

el de manu tua, *quod propius ad Hebræum accedit* ממלכות ישראל מעליך.

ε Nam utique inde erant Apoſtoli.] Virtus Dei in ſalutem omni credenti Judæo primum & Græco, ſalus ex Judæis, *illis primùm promiſſus Meſſias, illi primum ad fidem converſi.*

ζ Et non convertetur neque pœnitebit eum.] *Id eſt, immutabile erit decretum Dei, non mutabit ſe* οὐκ ἀποστρέψῃ. *Complut.* οὐκ ἐπιστρέψῃ, *ſcholiaſtes videtur legiſſe* οὐκ ἐπιδείξει. *i. e.* Non oſtentabit tantum, ſed faciet. *Verba ſcholiaſtis hæc ſunt; docens indiſſolubilem eſſe Dei enuntiationem prophetæ, ſubjunxit* οὐκ ἐπιδείξει, ἠδὶ μετανοήσαι ὁ ἅγιος τοῦ Ἰσραήλ, ὅτι οὐχ ἄνθρωπός ἐστι τοῦ μετανοῆσαι.

η Velamen ſuper corda eorum poſitum eſt.] *2. Corinth. 3.* Adhuc velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. *tractat. 9. in Joannem.* Velamen dicit adopertionem prophetiæ, ut non intelligeretur.

CAP. VIII.

De promiſſionibus ad David in filio ejus, quæ nullatenus in Salomone, ſed pleniſſimè inveniuntur in Chriſto.

JAm nunc video eſſe monſtrandum quid ipſi David, qui Sauli ſucceſſit in regnum, cujus mutatione finalis illa mutatio figurata eſt, propter quam divinitus cuncta dicta, cuncta conſcripta ſunt, Deus promiſerit: quod ad rem, de qua agimus, pertinet. Quum regi David multa proſpera proveniſſent, cogitavit facere Deo domum, α templum illud ſcilicet excellentisſimè diffamatum, quod à Rege Salomone filio ejus poſtea fabricatum eſt. Hoc eo cogitante factum eſt verbum Domini à Nathan prophetam, quod referret ad Regem. Ubi quum Deus dixiſſet, quòd non ab ipſo David ſibi ædificaretur domus, neque per tantum tempus ſe mandaſſe cuiquam in populo ſuo, ut ſibi fieret domus cedrina: & nunc inquit, hæc dices ſervo meo David: *Hæc dicit Deus omnipotens: Accepi te* 2. Reg. 7.
de ovili ovium, ut eſſes in ducem ſuper populum meum Iſrael, & eram tecum in omnibus, quibus ingrediebaris: & exterminavi omnes inimicos tuos à facie tua: & feci te nominatum ſecundùm nomen magnorum, qui ſunt ſuper terram. Et ponam locum populo meo Iſrael, & plantabo illum, & inhabitabit ſeorſum, & non ſolicitus erit ultrà: & non apponet filius iniquitatis humiliare eum, ſicut ab initio à β diebus, quibus a conſtitui Judices ſuper populum meum Iſrael, & requiem tibi dabo ab omnibus inimicis tuis: & nunciavit tibi Dominus quoniam domum ædificabis ipſi. Et erit, quum impleti fuerint dies tui, dormies cum patribus tuis, & ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo, & præparabo regnum ejus. Hic ædificabit mihi domum nomini meo, & dirigam thronum illius uſque in æternum. γ Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Et ſi venerit iniquitas ejus, redarguam illum in virga virorum, & in tactibus filiorum hominum: miſericordiam autem meam non amovebo ab eo, ſicut amovi, à quibus amovi à facie tua: & fidelis erit domus ejus, & regnum ejus erit uſque in æternum coram me, & thronus ejus erit erectus uſque in æternum. 1. Par. 17.
Hanc ergo tam grandem promiſſionem, qui putat, in Salomone fuiſſe completam, multum errat. Attendit enim, quod dictum eſt: *Hic ædificabit mihi do-*

bi domum: quoniam Salomon templum illud nobile ſtruxit: & non attendit, fidelis erit domus ejus, & regnum ejus uſque in æternum coram me. Attendat ergo & aſpiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis colentibus deos falſos,& ipſum ab eisRegem aliquando ſapientem in eandem idololatriam ſeductum atque dejectum: & non audeat exiſtimare Deum, vel hoc promiſiſſe mendaciter,vel talem Salomonem domumque ejus futuram non potuiſſe præſcire. Non hinc autem deberemus ambigere,nec ſi non in Chriſto Domino noſtro, qui factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem jam videremus iſta compleri: nec vanè atque inaniter hic alium aliquem requiramus, ſicut carnales Judæi. Nam & ipſi uſque adeò filium, quem loco iſto regi David promiſſum legunt,intelligunt,non fuiſſe Salomonem,ut eo,qui promiſſus eſt,tanta jam manifeſtatione declarato,adhuc mirabili cœcitate alium ſperare ſe dicant. Facta eſt quidem nonnulla imago rei futuræ etiam in Salomone, in eo quòd templum ædificavit, & pacem habuit ſecundùm nomen ſuum (Salomon quippè pacificus eſt Latinè) & in exordio regni ſui mirabiliter laudabilis fuit: *b* ſed eadem ſua perſona per umbram futuri prænunciabat etiam ipſe Chriſtum Dominum noſtrum non exhibebat. Unde quædam de illo ita ſcripta ſunt, quaſi de ipſo ita prædicta ſint, dum ſcriptura ſancta etiam rebus geſtis prophetans, quodammodo in eo figuram delineat futurorum. Nam præter libros divinæ hiſtoriæ, ubi regnaſſe narratur, *δ* Pſalmus etiam ſeptuageſimus primus titulo nominis ejus inſcriptus eſt. In quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei convenire non poſſunt,Domino autem Chriſto apertiſſima perſpicuitate conveniunt,ut evidenter appareat,quod in illo figura qualiscunque adumbrata ſit, in iſto autem ipſa veritas præſentata. Notum eſt enim, quibus terminis regnum concluſum fuerit
Pſ.71. Salomonis: & *ε* tamen in eo Pſalmo legitur,ut alia taceam: *Dominabitur à mari uſque ad mare,& à flumine uſque ad terminos orbis terræ.* Quod in Chriſto videmus impleri. A flumine quippè dominandi ſumpſit exordium, ubi baptizatus à Joanne eodem monſtrante cœpit agnoſci à diſcipulis,qui eum non ſolùm magiſtrum, verùm etiam Dominum appellaverunt. *ζ* Nec ob aliud vivente adhuc patre ſuo David regnare Salomon cœpit,quod nulli illorum regum contigit,niſi ut hinc quoque ſatis eluceat,non eſſe ipſum, quem prophetia iſta præſignat,quæ ad ejus patrem loquitur,dicens: *Et erit,cùm impleti fuerint dies tui,& dormies cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo,& præparabo regnum illius.* Quomodo ergo propter id, quod ſequitur: *Hic ædificabit mihi domum,* iſte Salomon putabitur prophetatus: & non potius propter id,quod præcedit, cùm impleti fuerint dies tui, & dormies cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te: alius pacificus intelligitur eſſe promiſſus, qui non ante, ſicut iſte, ſed poſt mortem David prænunciatus eſt ſuſcitandus? Quamlibet enim longo interpoſito tempore Jeſus Chriſtus venerit, procul dubio poſt mortem regis David: cui ſicut eſt pomiſſus,eum venire oportebat,qui ædificaret domum Domino,non de lignis & lapidibus,ſed de hominibus,qualem illum ædificare gaudemus. Huic enim domui dicit Apoſtolus,hoc eſt,fidelibus Chriſti:
1.Cor.3. *Templum enim Dei ſanctum eſt,quod eſtis vos.* *a* Con-

a CONſtitui judices ſuper populum meum.] *Judices in Iſraëlitico populo fue-* L.Viu.
runt tredecim ab Othoniele ad Samuelem, qui Saulem regem unxit, trecentis & ſeptuaginta annis: quo tempore variè eſt cum vicinis gentibus bellatum. aliàs feliciter, aliàs ſecus.

b Sed eadem perſona.] *Erat quidem imago Chriſti, ædificatione templi & pace regni, non Chriſtus ipſe.*

α TEmplum illud ſcilicet excellentiſſimè diffamatum.] *Non enim eſt dubium,* F.L.Coq.
Salomonem ea magnificentia templum exſtruxiſſe, qua ab initio David illud exſtruere habebat in animo. Dixerat vero David 1. Paralip. 22. Domus autem, quam ædificare volo domino, talis eſſe debet, ut in cunctis regionibus nominetur.

β Quibus conſtitui judices ſuper populum meum.] *Hic fuit primus reipublicæ Iſraëlitarum ſtatus ſub judicibus & gubernatoribus, qui non hæreditaria ſucceſſione, ſed electione reipublicæ præficiebantur. Genebrardus in Chronologia vult hunc ſtatum fuiſſe Ariſtocratiam. Joſephus lib. 11. antiquit. cap. 4. Monarchiam potiùs appellat. Ita enim ſcribit,* περὶ μὲν γὰρ τῆς αἰχμαλωσίας καὶ τῆς ἀναβάσεως ἐβασιλεύοντο ἀπὸ Σαούλου πρῶτον ἀρξάμενοι καὶ Δαβίδου ἐπὶ ἔτη φ. λ. β. μῆνας σ. ἡμέρας ι. πρὸ δὲ τῶν βασιλέων τούτων ἄρχοντες αὐτοὺς διεῖπον, οἱ προσαγορευόμενοι κριταὶ καὶ μόναρχοι. *Appellat judices & Monarchas. Idem ſentit probabiliter Abulenſis in prologo lib. 1. Reg. q. 1. Hæc tamen judicum poteſtas à regia multum diſtabat, quia nec hereditate ad poſteros tranſmittebatur, nec Hebræis imponebat tributa, & regia ac ſuprema poteſtas tanquam domini erat penes Deum, judices vero illius vices gerebant ad populum. Ita Samuel. 2. Reg. 12.* Dixiſtis mihi nequaquam, ſed rex imperabit nobis, cum dominus Deus noſter regnaret in vobis, *& 1. Reg. 8. ait dominus Samueli,* Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. *Joſephus loco citato vult, hunc reipublicæ ſtatum duraſſe plusquam quingentis annis poſt Moſis & Joſue imperium. Verùm longe fallitur. ex ſacris enim litteris pauciores colliguntur. nam ex 3. Reg. cap. 6. ab ingreſſu Iſraëlitarum ex Ægypto ad annum Salomonis quartum numerantur anni 480. Jam ſubtrahendi ſunt anni 40. regni Davidis, & 20. etiam anni Saulis, qui includuntur hoc numero, & ita ſuperſunt judicum anni 420. ſubtrahendi deinde ſunt anni quatuor, quibus jam Salomon regnaverat: Superſunt igitur 416. ab exitu ex Ægypto, quibus Moſes, Joſue & 15. Judices rempublicam adminiſtrarant, jam ab annis judicum ſi detrahas 40. annos, quibus Moſes rexit populum & 17. aut 18. quibus Joſue præfuit eidem, ſuperſunt anni circiter 348. quibus judices ipſi 15. ad regnum uſque Saulis præfuere.*

γ Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.] *Hæc de Salomone dicuntur, 2. Reg. 7. & 1. Paralip. 22. ad Chriſtum vero refert D. Paulus in epiſtola ad Hebræos cap. 1. An vero in ſenſu literali vel allegorico de Chriſto dicta ſint, meritò quæritur. Nonnulli enim ita de Chriſto dicta eſſe volunt, ut nullo modo Salomoni conveniant. Ita Lactantius lib. 4. cap. 13. Gloſſa in cap. 7. lib. 2. Reg. Rupertus lib. 2. in lib. Reg. cap. 30. Eodem accedit ſententia D. Auguſtini in hoc capite, qui promiſſionem illam Davidi factam 2. Reg. 7. in Chriſto completam docet, non in Salomone. Argumentatur D. Auguſtinus,* Quod Deus de filio Davidi ſucceſſuro dixerat, fidelis

erit domus ejus, & regnum ejus uſque in æternum coràm me, at domus Salomonis non fuit fidelis coram domino, imò plena mulieribus alienigenis colentibus deos falſos, & talem futurum Salomonem Deus præſciverat, nec tamen falſa eſſe poterat illius promiſſio. in Chriſto igitur, non in Salomone complenda fuiſſe intelligitur. *Alia etiam aliorum rationes afferuntur apud Abulenſem in lib. 2. Reg. cap. 7. quæſt. 9. Dicendum nihilominus, illa verba,* Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium, *adeoque totam illam promiſſionem, qua habetur 2. Reg. 7. ad literam intelligi de Salomone, & facilè id conſtat. Siquidem David Deo volebat templum exſtruere, ab eo vero probibetur, quoniam Salomon poſt ejus mortem illud erat ædificaturus; quæ ſatis erat idonea cauſa probibendi, verùm ſi diceret, non ædificabis mihi templum, quia poſt mortem tuam ex ſemine tuo naſcetur Chriſtus, qui ædificabit mihi Eccleſiam, certe nulla probibendi cauſa reddebatur. Deinde ipſemet David 1. Paralipom. 22. docet, de Salomone hæc dicta eſſe, ſic enim eum alloquitur,* Fili mi, meæ voluntatis fuit, ut ædificarem domum nomini domini Dei mei, ſed factus eſt ſermo domini ad me dicens, multum ſanguinem effudiſti, & plura bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo tanto ſanguine effuſo coram me, filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus, faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, & ob hanc cauſam pacificus vocabitur, & pacem & otium dabo in Iſrael cunctis diebus ejus. Ipſe ædificabit domum nomini meo, ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: fili mi ſit dominus tecum, & proſperare & ædificabis domum domino Deo tuo, ſicut locutus eſt de te; *& c. 28. Ita loquitur David coram proceribus regni,* Dominus dixit mihi, Salomon filius tuus ædificabit domum meam & atria mea; ipſum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem, & firmabo regnum ejus uſque in æternum, ſi perſeveraverit *& c. 3. Reg. 5. Salomon hæc verba dicta de ſe interpretatur.* Quamobrem cogito ædificare templum nomini domini Dei mei, ſicut locutus eſt dominus David patri meo dicens, filius tuus quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit domum nomini meo, *& cap. 8. refert verba domini dicta patri ſuo David. Ex quibus conſtat, illam promiſſionem in literali ſenſu intelligi de Salomone, in myſtico verò ſenſu ſeu allegorico de Chriſto vero Salomone, & rege pacifico, qui ædificavit Eccleſiam in terris ex lapidibus vivis. i. e. ex fidelibus, quos ipſe vocavit ex Judæis & Gentibus, ut ſit unum ovile & unus paſtor. Nibilominus etiam aliqui contendunt, illa verba,* ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium, *adducta eſſe ab Apoſtolo de Chriſto in ſenſu literali, quod idem ſcripturæ locus habeat plures ſenſus hiſtoricos, ut docet etiam D. Auguſtinus libro tertio de doctrina Chriſti. capite decimo ſeptimo. & duodecimo, confeſſio. capite vigeſimo ſexto, trigeſimo primo & trigeſimo ſecundo, & D. Thomas 1. part. quæſt. 1. artic. 10. Ita etiam docet Lyranus ad Hebræos 1. & 2. Reg. 7. Paulus Burgenſis in additio. ejusdem capitis ſeptimi, Abulenſis quæſt. 9. in idem caput. Canus libro ſecundo de locis Theologi. capite undecimo. Ribera hanc ſententiam refutat in caput undecimum Oſeæ; quia ſicut eadem res non poteſt eſſe umbra corporis, & corpus ipſum, nec figura, & veritas ejusdem figuræ, ita eadem verba non poſſunt literali ſenſu ſignificare figuram & umbram atque veritatem ejusdem figuræ, corpusque ejusdem.*

ejuſdem umbra; cùm ergò promiſſio illa intelligatur de Salomone ad literam, qui figura erat & umbra Chriſti, non poterit de Chriſto, qui ipſa veritas eſt, ad literam intelligi. Hanc etiam regulam obſervat Ribera, eum non eſſe ſenſum literalem, quem verba à contextu ſuo ſeparata. ſed quem adjuncta præcedentibus & conſequentibus efficiunt, at in illa promiſſione ſunt aliqua, quæ Salomoni quidem, Chriſto verò nullo modo conveniunt. Dicitur enim ibi, qui ſi iniquè aliquid geſſerit, *quæ certè in Chriſtum non quadrant, in quem peccatum cadere non poterat. Deinde ſi hæc verba de Chriſto & Salomone intelligerentur ad literam, in eadem enunciatione intelligerentur ad literam propriè & impropriè, propriè enim Chriſtus filius Dei, Salomon impropriè, & nomen patris in divinis comparatione filii ab æterno geniti ſumitur propriè, comparatione verò creaturarum impropriè. Addo, quod volunt illi illa de Salomone dicta prout eſt figura Chriſti, ergò prius in ſenſu literali & ſecundùm ſignificationem verborum dicentur de ipſo Salomone, de Chriſto autem prout ſignificatur per ipſum Salomonem. at hic ſenſus myſticus eſt & ſpiritualis, quo Salomon, & quæ de Salomone dicuntur, ſignificant ipſum Chriſtum, ut etiam obſervat Toſtatus, quia citata verba illa directius videntur convenire Salomoni, quàm Chriſto.* Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium, *id eſt,* accipiet me ipſe in patrem, & ego accipiam eum in filium, *quod ad adoptionem pertinet. Ad rationem D. Auguſtini reſpondet Toſtatus, in illa promiſſione non vocari domum fidelem, domum fidelium Deum colentium, ſed domum fidelem, id eſt, perpetuam, quæ non perit, ut fidele dicatur, quod non deficit, ſed ſemper manet, & ſenſus erit, domus tua & regnum tuum manebunt, ſi poſteri tui ſcilicet ſervaverint præcepta mea. Ita enim accipitur aliquando vox (*fidelis*) in Scripturis ſacris ut 1. Reg. 2.* Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, & ædificabo ei domum fidelem, *id eſt, perpetuam & ſtabilem, quod de Sadoc intelligitur, ad quem translatum eſt ſacerdotium de domo Heli, & deinceps manſit in illius poſteris. Verùm quia ſenſus ſpiritualis de Chriſto intentus eſt potiſſimum à ſpiritu ſancto, & in illa promiſſione non tam ad Salomonem, quàm ad Chriſtum reſpiciebat Spiritus ſanctus, neque tam ad templum illud Hieroſolymitanum, quàm ad Eccleſiam toto orbe diffuſam à Chriſto ædificandam, ideò rectè D. Auguſtinus non tam in Salomone, quàm in Chriſto completam dicit: in Salomone enim completa eſt, verùm ſecundùm ſenſum literalem minus principalem & minùs intentum à ſpiritu ſancto, in Chriſto verò rege pacifico ex tribu Juda & ex familia David juxta ſenſum myſticum principaliter intentum à Spiritu ſancto. Verùm objiciet aliquis: ſi in ſenſu myſtico verba illa,* ero ei in patrem, *intelligantur de Chriſto, & non in ſenſu literali, ergo non debuit ea adducere Apoſtolus ad oſtendendum Chriſtum angelis eſſe ſuperiorem, quandoquidem ex ſenſu myſtico ſcripturæ non ſumitur firmum argumentum. Theologia enim myſtica, ut docet D. Dionyſius, non eſt argumentativa, & potuiſſent adverſarii facilè reſpondere, hæc verba non de filio Dei, ſed de puro homine, qui potuit peccare, & peccavit, dicta eſſe à Natham Propheta Dei, ipſi David; hoc argumento Cajetanus negavit Epiſtolam ad Hebræos eſſe canonicam, neque D. Pauli, quod quæ manifeſtè dicta ſint de Salomone, de Chriſto interpretetur. Verùm facilè eſt reſpondere, & illa intelligi in ſenſu myſtico de Chriſto, & nihilominus ex illis rectè argumentatum eſſe Apoſtolum ad*

probandum, Chriſtum eſſe ſuperiorem angelis. Nam cum uterque ſenſus ſcripturæ ſit à ſpiritu ſancto intentus & literalis & ſpiritualis, immò principaliùs ipſe ſpiritualis, certè ubi certò conſtat de ſenſu ſpirituali ſeu myſtico, non minùs ex eo duci poteſt argumentum, quàm ex hiſtorico ſeu literali. At D. Paulo, qui plenus erat ſpiritu ſancto, explorati erant ſenſus ſpirituales. Cùm ergò certò illi conſtaret, Salomonem umbram & figuram fuiſſe Chriſti, & Deum patrem cùm dixit, ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium, *magis ad Chriſtum quàm ad Salomonem reſpexiſſe, rectè ea verba de Chriſto retulit, quæ certò ſciebat de eo dicta eſſe.*

δ Pſalmus etiam ſeptuageſimus primus titulo nominis ejus inſcriptus eſt.] *Inſcriptio Pſalmi hæc eſt*, In Salomonem Pſalmus ipſi David. *Eum Pſalmum non de Salomone, ſed de Chriſto intelligi docent Arnobius, Juſtinus in dialogo cum Tryphone, Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 9. Hieronymus, Theodoretus, Caſſiodorus, Beda, Euthymius, Haymo, Remigius, Rupertus & Galatinus libro quarto, capite vigeſimo ſexto. Ita ſcribit D. Auguſtinus in illum Pſalmum.* In Salomonem quidem Pſalmi hujus titulus prænotatur, ſed hæc in eo dicuntur, quæ non poſſunt illi Salomoni regi Iſrael ſecundùm carnem juxta ea, quæ de illo ſancta ſcriptura loquitur, convenire, Domino autem Chriſto aptiſſimè poſſunt, unde intelligitur, etiam ipſum vocabulum Salomonis ad figuratam ſignificationem adhibitum, ut in eo Chriſtus accipiatur. Salomon quippe interpretatur pacificus, ac per hoc tale vocabulum illi veriſſimè atque optimè congruit, per quem mediatorem ex inimicis accepta remiſſione peccatorum reconciliamur Deo, *& libro de unitate Eccleſiæ capite octavo*, Pſalmo ſeptuageſimo primo in Salomonem intitulatur. Sed quia ita dicta ſunt, quæ in illum regem temporalem & poſtea graviter peccantem convenire non poſſunt, etiam contra ipſos Judæos de Chriſto eſſe prædicta invictiſſimè defenduntur; nullus autem hoc Chriſtianus negat. Talia enim dicta ſunt, de quibus dubitari non poſſit, quòd ad Chriſtum pertineant. *Euthymius:* Hic Pſalmus non pertinet ad Salomonem, neque enim Salomonis fuit, qui permanſerit cum Sole, quippe qui jamdiu mortuus eſt, neque etiam fuit ante Lunam, neque dominatus eſt finibus terræ, neque ante Solem fuit nomen ejus. Et quia Salomon interpretatur pacificus, manifeſtū eſt, hunc Pſalmum in Chriſtum dictum eſſe. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, *&c. Baſilius:* Quod Salomoni nequaquam conveniat hic Pſalmus, arbitror nec Judæos inficias ire, dummodo quæ vera ſunt, dicere velint. Primùm enim Salomon neque regnavit usque ad fines terræ, neque ab Orientalibus & Occidentalibus tributum accepit. Deinde ut homo finem accepit, illumque non ita illuſtrem, Pſalmus verò eum, de quo prophetiam texuit, & Sole & Luna antiquiorem eſſe oſtendit. Vaticinatur itaque hic Pſalmus de Servatore. Salomon enim pacificum ſonat, ſi interpreteris, ipſe verò Chriſtus Apoſtolis dixit, pacem meam do vobis, & Paulus, ipſe *(inquit)* eſt pax noſtra, qui fecit ex utroque unum. *Eodem modo Theodoretus & Genebrardus eos, qui hunc Pſalmum de Salomone exponunt, perversè facere & Rabbinis Midras ac Chaldæo deteriores eſſe ſcribit, qui de Meſſia, quo Eccleſia roget, ut Chriſtus in carnem veniat*, quia & fortaſſis Salomon, *inquit*, in inſcriptione Pſal-

ne Pſalmi non eſt nomen proprium, ſed patronymicum. *Sic enim apud Hebræos propria pro patronymicis & gentilitiis paſſim uſurpantur pro Salomonio, Salomonide, id eſt, Salomonis filio, nepote, prole, id eſt, Chriſto, à Salomone orto, vel appellativum pro pacifico, id eſt, Chriſto rege verè pacifico, ut in Canticis Canticorum.*

2 Et tamen in eo Pſalmo legitur, ut alia taceam, dominabitur à mari usque ad mare.] *Idem libro de unitate Eccleſiæ capite octavo, ut hoc capite, inde probat, illum Pſalmum non poſſe accommodari Salomoni, ſed de Chriſto interpretandum, atque his verbis prædici, Eccleſiam toto orbe diffundendam eſſe omnibus etiam Regibus Chriſto ſubjugatis. Toſtatus in caput ſeptimum, libro ſecundo Reg. quæſt. 9 ſcribit, quod quanquam ille Pſalmus poſſit intelligi totus de Chriſto vel quantum ad aliquam partem ſecundùm literam, totus tamen (inquit) exponitur de Salomone ſecundùm literam: verſum etiam illum (*dominabitur à mari usque ad mare*) interpretatur quoque de Salomone. Nec enim his verbis ſignificari vult Dominium totius terræ, quod Chriſto nō Salomoni conveniebat, ſed ſolum ſignificatur tota terra Chanaam, ut ſit ſenſus, quod tempore quidem amborum Regum & Judicum ante Salomonem non erat ſubjecta tota terra Chanaam Judæis, tempore tamen Salomonis ſubjecta fuit, ut patet 2. Paralipom. 8.* Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, & Amorrhæis, & Pherezeis, Hevæis, Jeboſæis, qui non erant de ſtirpe Iſrael, ſubjugavit Salomon in tributarios; *Termini tamen terræ ſunt illi, qui ponuntur in hoc verſu, ſcilicet* à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum. *Quod patet, quia termini terræ Chanaam erant quatuor, ſcilicet à parte Orientali mare rubrum, à parte Occidentali mare mediterraneum, quod vocatur mare Palæſtinorum, ab Aquilone fluvius magnus Euphrates, à meridie deſerta Arabica, ut patet Exodi vigeſimo tertio:* Ponam terminos veſtros à mari rubro uſque ad mare Palæſtinorum, & à deſerto uſque ad fluvium, *id eſt, à deſerto Arabico uſque ad fluvium Euphratem,* iſti quatuor termini ponuntur in hoc verſu. Et dominabitur à mari rubro ex parte orientis uſque ad mare Palæſtinorum, & à flumine Euphrate à parte Aquilonis uſque ad terminos orbis terrarum, *id eſt,* uſque ad deſerta Arabica, quæ dicuntur termini orbis, quia ibi deſecit terra habitata ex parte terræ Chanaam. *Ita exponit quantum ad literam de Salomone. Verùm cùm reliqua & antecedentia & ſubſequentia meliùs de Chriſto intelligantur quàm de Salomone, & prophetia longè altius reſpiciat quàm ad regnum Salomonis, accedat & conſenſus tot Patrum, præſtat illum accipi de Chriſti regno ſpirituali, id eſt, de Eccleſia toto orbe diffuſa, ſubjicitur jam ei orbis terrarum ab oceano orientis ad oceanum occidentis, ab Indico ad Gaditanum, ab uno mari ad alterum oppoſitum; nullus eſt locus tam inacceſſus, quò Chriſti nomen non pervaſerit, In omnem terram exivit ſonus Apoſtolorum, fides jam annunciata univerſo mundo, à Solis ortu uſque ad occaſum laudatur nomen Domini; lapis ille exciſus de monte ſine manibus crevit in montem magnum, & replevit univerſam terram. Id indicat hic verſus,* Dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum. *Quod ait,* à flumine (*inquit D. Auguſtinus*) evidenter expreſſit, inde voluiſſe Chriſtum in poteſtatem ſuam jam commendare, unde & diſcipulos cœpit eligere, à flumine ſcilicet Jordane, ubi ſu-

ubi ſupra baptizatum Dominum cùm deſcenderet Spiritus ſanctus, ſonuit vox de cœlo, hic eſt filius meus dilectus. hinc ergo doctrina ejus incipiens & magiſterii cœleſtis authoritas dilatatur, uſque ad terminos orbis terræ, cùm prædicatur Evangelium regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus.

¶ Nec ob aliud vivente adhuc patre ſuo.] *Hoc eodem argumento utitur Lactantius lib. 4. cap. 13 & Galatinus lib. 3. cap. 24. ut oſtendat, promiſſionem illam, de qua ſupra ex 1. Reg. 7. ad Salomonem non pertinere, ſed ad Chriſtum, quia Salomon à patre ſuo David imperii regimen accepit; de eo autem Propheta loquitur, qui tum naſceretur, poſtquam David cum patribus ſuis requieviſſet.* Suſcitabo ſemen tuum poſt te, *Ergo alius pacificus his verbis promiſſus eſt, qui non ante ut Salomon, ſed poſt mortem David prænunciatus eſt ſuſcitandus. Verùm ad hoc argumentum reſpondet Lyranus & Toſtatus in 2. Reg. capite ſeptimo, quæſtione nona, primò ſuſcitari hic non dici de nativitate, quaſi qui prædiceretur Davidi regnaturus, naſciturus eſſet poſt mortem Davidis: ſed de elevatione in aliquam poteſtatem. Sic enim Judicum ſecundo & tertio, & alibi ſuſcitari dicuntur hi, qui Judices creabantur, & novam poteſtatem accipiebant. Quod ergo natus fuerit Chriſtus mortuo David & Salomon ante illius mortem, nihil ad hoc confert, ut de Chriſto intelligatur. Verùm objicies, Salomon à patre adhuc vivente regnum accepit, & proinde etiamſi intelligatur illa ſuſcitatio de exaltatione in regnum, non poteſt promiſſio illa,* Suſcitabo ſemen tuum poſt te, *accommodari Salomoni. Reſpondet ibidem Toſtatus, quod quanquam fuerit creatus rex Salomon vivente patre, nullam tamen tamdiu regiam poteſtatem habuiſſe, ſed omnia ex Davidis imperio adminiſtraſſe, denique mortuo demùm patre David rerum potitum eſſe, ſeque Regem geſſiſſe, ut tunc propriè dicatur ſuſcitatus, id eſt, in regiam poteſtatem evectus. Salomon autem vivente adhuc patre creatus fuit, ad tollendas fratrum diſcordias, ut certi eſſent ſubditi, quem in regem deberent agnoſcere, cùm aliqui Salomoni faverent, alii verò ſtuderent partibus Adoniæ, unde reſpublica & regnum ipſum in diſcrimen adducebatur, niſi David prudentiſſimus & conſultiſſimus huic malo providiſſet.*

Cap. IX.

Quòd ſimilis in Pſalmo octogeſimo octavo ſit prophetia de Chriſto, his quæ in regnorum libris Nathan prophetante promittuntur.

PRopter quod & in Pſalmo octogeſimo octavo, cujus eſt titulus, *a* *a Intellectus ipſi Æthan Iſraelitæ:* commemorantur promiſſiones Dei factæ regi David, & iſtis, quæ in libro Regnorum ſunt poſita, quædam ibi ſimilia dicuntur, ſicut eſt: *Juravi David ſervo meo, uſque in æternum præparabo ſemen tuum.* Et iterum: *b* *β Tunc locutus es in aſpectu filiis tuis, & dixiſti: poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de populo meo. Inveni David ſervum meum, in oleo ſancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum, Non proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidam à facie ejus inimicos ejus, & eos, qui oderunt eum, fugabo. Et veritas mea & miſericordia mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. Et ponam*

in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus. Ipſe invocabit me, pater meus es tu, Deus meus & ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum excelſum apud reges terræ. In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cœli. c γ Quæ omnia de Domino Jeſu intelliguntur δ ſub nomine David, propter formam ſervi, quam de ſemine David idem mediator aſſumpſit ex virgine. Continuò etiam dicitur de peccatis filiorum ejus tale aliquid, quale in Regnorum libro poſitum eſt, & quaſi de Salomone procilivius accipitur, ibi namque, hoc eſt, in Regnorum libro. *Et ſi venerit*, inquit, *iniquitas ejus,* d *redarguam illum* 2.Reg.7.
in virga virorum, e *& in tactibus filiorum hominum, miſericordiam autem meam non amovebo ab eo: tactibus ſignificans plagas correptionis.* Unde illud eſt, *Ne teti-* Pſ.104.
geritis Chriſtos meos. Quod quid eſt aliud, quàm ne læſeritis? In Pſalmo verò, quum ageret tanquam de David, ut quiddam ejusmodi etiam ibi diceret. *Si dereliquerint*, inquit, *filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint: Si juſtificationes meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint: Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis delicta eorum: miſericordiam autem meam* Pſ.88.
non diſpergam ab eo. Non dixit, *ab eis*, quum loqueretur de filiis ejus, non de ipſo: ſed dixit, ab eo: quod benè intellectum tantundem valet. Non enim Chriſti ipſius, qui eſt caput Eccleſiæ, ε poſſent inveniri ulla peccata, quæ opus eſſet humanis correptionibus ſervata miſericordia divinitus coerceri, ſed in ejus corpore ac membris, quod populus ejus eſt, ideò in libro Regnorum, iniquitas ejus: in Pſalmo autem filiorum ejus: ζ ut intelligamus, de ipſo dici quodammodo, quod de ejus corpore dicitur: propter quod etiam ipſe de cœlo, quum corpus ejus, quod ſunt fideles ejus, Saulus perſequeretur: *Saule*, inquit, *Saule quid me perſequeris?* Deinde in conſequentibus Pſalmis: η *Neque nocebo*, inquit, *in ve-* Act.9.
ritate mea, neque profanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt, de labiis meis non reprobabo. Semel juravi in ſancto meo, f θ *ſi David mentiar, id eſt, nequaquam David mentiar.* Solet enim ſic loqui ſcriptura. Quid autem non mentiatur, adjungit & dicit, *Semen ejus in æternum manebit, &* ι *ſedes ejus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.*

a INtellectus ipſi Æthan.] *Græcè* συνέσεως Αἰθὰν τῷ Ἰσραηλίτῃ. *Unde intellectus* L.Vives.
paterni eſt caſus, Hebraicè eſt, intellectus Æthan. Ezraitæ. Hieronymus: Iſte Pſalmus in multis vocibus continetur. habet enim vocem patris ad filium, filii ad patrem, Eccleſiæ ipſiusq; Prophetæ vel Apoſtolorum.

b Tunc loquutus es in aſpectu.] *In viſione. Græcè* ἐν ὁράσει. *Aſpectus etiam dici poteſt.*

c Quæ omnia de Domino Jeſu intelliguntur ſub nomine David.] *Alibi ſic, Quæ omnia de Domino Jeſu intelliguntur, quando rectè intelliguntur ſub nomine David.*

d Redarguam illum in virga virorum.] *Puto bellum intelligi, quo ſæpè gentes & populi puniuntur.*

e Et in tactibus filiorum hominum.] *Per hoc alias incommoditates minores ſignificari cenſent.*

f Si David mentiar, id eſt, nequaquam.] *Mos eſt loquendi in ſacris literis: ut ibi, Si introibunt in requiem meam.*

R.L. Cap. α INtellectus ipſi Æthan Iſraelitæ.] *Alii legunt* Ezrahitæ, *Heman & Æthan fuerunt cantores Davidis, & Æthan ſapientia commendatur, 3. Reg. 4. ut cum eo Salomon comparetur his verbis;* Et erat ſapientior cunctis hominibus, ſapientior Æthan Ezrahita, & Heman, & Chalcol, & Dorda filiis Mahol; *Senſus inſcriptionis Pſalmi eſt, eruditione plenus Pſalmus, traditus ipſi Æthan Ezrahitæ, ut decantaretur. Hic verò Pſalmus de inſigni illo fœdere Dei nobiscum per Chriſtum inito tractat, & comprehendit promiſſionem Davidi factam, 2. Reg. 7. typus Chriſti, Lyranus in 1. Reg. cap. 4.* De villa Ezrai: iſte fuit levita & cantor, & ab eo intitulatur Pſalmus 88.

β Tunc locutus es in aſpectu in viſione.] *In prophetia, per propheticum afflatum, Symmachus,* Tunc locutus es per viſionem filiis tuis, quandoquidem tuas promiſſiones per vates factas ſcimus.

γ Quæ omnia de Domino Jeſu intelliguntur ſub nomine David.] *Ita Theodoretus ad hunc verſum,* Ipſe invocabit me, pater meus es tu, & ego primogenitum ponam illum, & excelſum præ regibus terræ; atqui nec Davidis *(inquit)* tempeſtate, nec celeberrimi Salomonis finem hæc ſortita ſunt, quandoquidem neque Salomon, neque David mari potitus eſt, neque primogenitus Dei nominatus eſt, neque regum omnium poteſtatem accepit. Sic enim Aquila interpretatus eſt, Sublimem regibus terræ, & Symmachus, longè ſupremum regum terræ dixit; Si autem hæc verba, nec Davidi, nec Salomoni accommodata ſunt, & vera Dei promiſſio eſt, hallucinantur Judæi, nolentes eum, qui ſecundùm carnem ex Davide ortus eſt, colere, qui totius terræ & maris imperium habet, omniumq; regum ſupremus eſt; *Sicq; deinceps reliqua de Chriſto interpretatur. Eadem Baſilius, Euthymius, Hieronymus.*

δ Sub nomine David.] *Ita enim ſæpè in ſcriptura ſub nomine David Chriſtus intelligitur, Ezech. 34. Oſeæ 3. vide Galatinum lib. 3. cap. 23.*

ε Poſſent inveniri ulla peccata.] *Quemadmodum enim in Chriſto non poterat eſſe ignorantia ob perfectionem maximam illius ſcientiæ, ita nec peccatum, cùm adverſaretur perfectioni gratiæ, quæ in illo erat. Id conſtat ex ſacris literis Joannis octavo:* Quis ex vobis arguet me de peccato? *2. Corinth. 5.* Qui peccatum non novit, pro nobis peccatum fecit. *1. Petri 2.* Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. *1. Joannis 3.* Scitis, quia venit, ut peccata tolleret, & peccatum in eo non eſt. *Hebræorum ſeptimo:* Talis decebat nobis eſſe Pontifex innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus. *Id probat D. Thomas 3. part. quæſt. 15. artic. 1.*

ζ Ut intelligamus de ipſo dici, quod de corpore ejus dicitur.] *Etſi corpori ejus, id eſt, membris Eccleſiæ tribuatur peccatum, Chriſto tamen tribui non poteſt, nec dicitur Chriſtus peccare, quia membra ejus peccant, unde exploſa eſt in concilio Baſilienſi ſeſſion. 22. propoſitio quædam Auguſtini de Roma Epiſcopi Nazareni,* Chriſtum quotidiè peccare, quia membra ejus quotidiè peccant. *Eſt enim ſcandaloſa & meritò damnata, cùm enim membra Chriſti non peccent, ut ejus membra, ſcilicet per illius*

illius influxum, neque juxta ejus conſilium, ſed potius ab eo recedendo, non poteſt Chriſtus dici peccare. quia illa peccant, ſibi quidem per Metaphoram quandam attribuit delicta membrorum ſuorum, quoad obligationem ſatisfaciendi pro illis, verùm neque propriè, neque quoad commiſſionem. unde nullo modo poteſt Chriſtus dici in membris ſuis peccare, quemadmodum dicitur Chriſtus perſecutionem pati, eleemoſynam accipere, eſurire, ſitire.

η Neque nocebo in veritate mea, promiſſo meo non inferam injuriam.] *Hebr.* Non mentiar in veritate mea, *id eſt, contra veritatem meam, meæ promiſſionis fidem ei datam non fallam; promiſſio de Chriſto non eſt hypothetica, ſed abſoluta; non pendet ut aliquæ Dei promiſſiones ex conditione hominum. Ita enim promittit bona temporalia, vel æternam vitam, ſi illius præcepta obſervemus.*

θ Si David mentiar, id eſt, nequaquam David mentiar.] *Ita aliàs in Scriptura ſacra hæc particula intelligitur, Eſaiæ vigeſimo ſecundo:* Si dimittetur hæc iniquitas vobis, *id eſt, non dimittetur. Marci 8.* Si dabitur generationi iſti ſignum, *id eſt, non dabitur, Hieremiæ 38.* Si occidero te, & ſi tradidero te in manus virorum iſtorum. *Pſalm. 94.* Si introibunt in requiem meam. *Pſalm. 136.* Si oblitus tui fuero Jeruſalem. *Vult verò his verbis Deus docere Davidem de firmitate ſuarum promiſſionum, ut etiamſi deliquerint ejus filii, firma tamen futura ſit promiſſio illa de Chriſto naſcituro ex ſemine David; nequaquam enim illorum incredulitas fidem Dei evacuavit. firmam cùm fecerim ipſi promiſſionem, hanc complebo & ad finem perducam. Verbum enim jurandi confirmandi gratia poſuit;* ſemel juravi, *id eſt, irrevocabiliter, immutabiliter.*

ι Sedes ejus ſicut Sol in conſpectu meo.] *Id eſt, regnum Chriſti, quod Eccleſia eſt, æternum futurum eſt.*

CAP. X.

Quàm diverſa acta ſint in regno terrenæ Hieruſalem, ab his, quæ promiſerat Deus, ut intelligeretur promiſſionis veritas ad alterius regis & regni gloriam pertinere.

POſt hæc tantæ promiſſionis validiſſima firmamenta ne putarentur in Salomone completa, tanquam id ſperaretur nec inveniretur: α *Tu verò*, inquit, *repuliſti, & ad nihilum deduxiſti.* Hoc quippe factum eſt de regno Salomonis in poſteris ejus α uſque β ad everſionem ipſius terrenæ Hieruſalem, quæ regni ejuſdem ſedes fuit: & γ maximè ipſius templi labem, quod fuerat à Salomone conſtructum. Sed ne ob hoc putaretur Deus contra ſua promiſſa feciſſe, continuò ſubjecit: *Diſtuliſti Chriſtum tuum.* Non eſt ergo ille Salomon, ſed nec ipſe David, ſi dilatus eſt Chriſtus Domini. Quum enim Chriſti ejus dicerentur omnes reges myſtico illo chriſmate conſecrati: non ſolùm à rege David, & deinceps, ſed ab illo etiam Saule, qui populo eidem rex primus eſt unctus: ipſe quippe David eum Chriſtum Domini appellat: δ erat tamen unus verus Chriſtus, cujus illi figuram prophetica unctione geſtabant: qui ſecundùm opinionem hominum, qui eum putabant in David vel in Salomone intelligendum, differebatur

3. Reg. 24.

in longum: α ſecundùm autem diſpoſitionem Dei venturus ſuo tempore parabatur. Interea dum ille differtur, quid factum ſit de regno terrenæ Hieruſalem, ubi ſperabatur utique regnaturus, ſequutus iſte Pſalmus adjunxit atque ait:

Pſ. 88. *Evertiſti teſtamentum ſervi tui, profanaſti in terra ſanctitatem ejus, Deſtruxiſti omnes macerias ejus, poſuiſti munitiones ejus formidinem. Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam, factus eſt opprobrium vicinis ſuis. Exaltaſti dexteram inimicorum ejus, jucundaſti omnes inimicos ejus. Avertiſti adjutorium gladii ejus, & non es opilatus ei in bello. Diſſolviſti eum ab emundatione: ſedem ejus in terram colliſiſti. b η Minuiſti dies ſedis ejus, perfudiſti eum confuſione.* Hæc omnia venerunt ſuper ancillam Hieruſalem, θ in qua regnaverunt nonnulli etiam filii liberæ, regnum illud tenentes in diſpenſatione temporali: regnum autem cœleſtis Hieruſalem, cujus erant filii in vera fide habentes, & in vero Chriſto ſperantes. Quomodo autem iſta venerint ſuper illud regnum, index eſt rerum geſtarum, ſi legatur, hiſtoria.

L. Vives. a USque ad everſionem ipſius terrenæ.] *De hoc 3. Reg. 25.*

b Minuiſti dies ſedis ejus.] *Vulgò temporis ejus: & ſic Græci: τοῦ χρόνου αὐτοῦ.*

F. L. Coq. α TU verò (*inquit*) repuliſti, & ad nihilum deduxiſti.] *Tu ipſe, qui tanta te Davidi præſtiturum pollicitus es, repuliſti poſteros ac viles reddidiſti, & in ſervitutem tradidiſti; deſtruxiſti & regnum ejus, & pacta cum illo inita diſſolviſti. Captivi enim duo Davidis poſteri abducti ſunt Jeconias & Sedechias, & in illis deſiit regnum Davidis, non igitur de regno Davidis aut poſterorum ejus, ſed de regno Chriſti illud intelligendum,* Thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo. *Querela eſt populi Judaici, quibus omnia videbantur contraria promiſſionibus Dei evenire in captivitate Babylonica; tunc videbatur Deus abjeciſſe populum ſuum, repudiaſſe regnum ſuum, id eſt, David & ſemen ejus, diſſipaſſe fœdus, manus porrexiſſe adjutrices contra populum ſuum.*

β Ad everſionem ipſius terrenæ Hieruſalem.] *De everſione Ieruſalem 4. Reg. 25. 2. Paralipom. 36. Jeremiæ 52. Joſephus libro decimo antiq. capite undecimo, ubi & hæc ſcribit,* Atque hic fuit Davidici generis Regum exitus, qui unus & viginti regnaverunt deinceps, idque temporis ſpatium quingentos & quindecim annos continet, & menſes inſuper ſex cum diebus ſeptem, annumeratis viginti annis primi Regis Saulis, qui fuit tribus alterius, qui ſi ſubtrahantur, à Davide ad ultimum annum Sedechiæ fluxerunt anni 494. & menſes ſex.

γ Et maximè ipſius templi labem.] *Joſephus ſcribit, incenſum eſſe templum annis, ex quo exſtructum fuerat, elapſis 470. menſibus ſex, & diebus decem additis, quem ſequitur Zonaras Annal. Tom. 1. Euſebius in Chronico ab extructione templi ad ejus deſtructionem numerat annos 442. quem ſequitur Cedrenus, Hebræi 483. Joannes Annius, Lucidus, Nauclerus, Dredonus & alii 440. Nicephorus Conſtantinopolitanus 424.*

δ Erat tamen unus verus Chriſtus.] *Etſi hoc nomen Reges & ſacerdotes ſignificet, qui oleo ungebantur, & inde deductum ſit ad ſignificandos ſanctos & juſtos, quia gratia Dei unguntur, tamen per Antonomaſiam Meſſiam ſignificat, qui Rex futurus*

erat & ſacerdos, ac Deus & homo oleo divinitatis unctus. Euſebius lib. 4. de demonſtr. Evangel. cap. 15. & Nicephorus lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 4. Juſtinus dialogo cum Tryphone, Regibus omnibus Chriſtisque, ex hujus conſortio Reges Chriſtosque vocari contigit, quemadmodum & ipſe à patre accepit, ut eſſet Rex, Chriſtus, Sacerdos, Angelus, & quicquid ſimile habet vel habuit.

ε Secundùm diſpoſitionem Dei venturus ſuo tempore parabatur.] *Itpotè cùm venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. An conveniens fuerit incarnari verbum ab initio mundi, vide D. Thomam 3. part. quæſt. 1. artic. 5. & 6. Auguſtinus tractat. 31. in Joannem;* Multi dicunt, quare non antea venit Chriſtus, quibus reſpondendum eſt, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta ſunt tempora. Sciebat enim, quando venire deberet, primò per ſeriem multam temporum & annorum prædicendus fuit: non enim aliquid parvum venturum fuit, dilato etiam beneficio & neceſſitate creſcente oportebat deſiderium ſalvatoris creſcere.

ζ Evertiſti teſtamentum ſervi tui.] *Vatablus,* Diſſolviſti fœdus, quod cum ſervo tuo pepigiſti, promiſſionem illi factam pervertiſti, perdidiſti, κατέςρεψας.

η Prophanaſti in terra ſanctitatem ejus.] *Hebr.* נזרו nizro, coronam, diadema ejus, *ut hoc pertineat ad regiā dignitatē Davidis, ut habet vulgata editio.* Sāctuarium ejus, *Baſilius & Theodoretus.* Sanctuarium templum vocat, quod David quidem ædificare volebat, ſtruxit autem id Salomon poſt Davidem; hoc prophanatam eſſe per incurſum Babyloniorum, terramque factum eſſe dicit; deſtructum enim eſt, ac terræ vaſtæ aſſimulatum.

θ Minuiſti dies ſedis ejus.] *Abbreviaſti tempus regni ejus. Cùm in æternum promiſeris, te ejus regnum ſervaturum, modico illud tempore circumſcripſiſti.*

ι In qua regnarunt nonnulli etiam filii liberæ.] *Nam ex Regibus Juda etſi major pars à Deo cultu defecerint, ejusque iram meruerint, nihilominus etiam præter Davidem exemplum ſanctitatis & juſtitiæ poſteris propoſitum, aliquot alii pii fuere, atque in primis religionis, divinique cultus præcipuam curam geſſere, ut præ cæteris Ezechias & Joſias.*

CAP. XI.

De ſubſtantia populi Dei, quæ per ſucceſſionem carnis in Chriſto eſt, qui ſolus eruendi animam ſuam ab inferis habuit poteſtatem.

POſt hæc autem prophetata ad precandum Deum propheta convertitur: ſed & α ipſa precatio prophetatio eſt. *Uſquequo Domine* β *avertis in finem?* ſubauditur faciem tuam, ſicut alibi dicitur: *Uſquequo avertis faciem tuam à me?* Gal. 4. Pſ. 88. Nam ideò α quidam codices hic non habent avertis, ſed averteris: quanquam poſſit intelligi, avertis miſericordiam tuam, quam promiſiſti David. Quod autem dixit in finem, quid eſt niſi uſque in finem? Qui finis intelligendus eſt ultimum tempus, γ quando in Chriſtum Jeſum etiam illa gens eſt creditura, ante quem finem illa fieri oportebat, quæ ſuperius ærumnoſa deflevit. Propter quæ & hic ſequitur: *Exardeſcet ſicut ignis ira tua:* δ *memento quæ eſt mea ſubſtantia.*

Nihil hic melius quàm ipſe Jeſus intelligitur ſubſtantia populi hujus, ex quo natura eſt carnis ejus. Non enim vanè, inquit, conſtituiſti omnes filios hominum. Niſi enim eſſet unus filius hominis ſubſtantia Iſrael γ, per quem filium hominis liberarentur multi filii hominum, vanè utique conſtituti eſſent omnes filii hominum. Nunc verò omnis quidem humana natura per peccatum primi hominis δ in vanitatem de veritate collapſa eſt, propter quod dicit alius Pſalmus:
Pſ.143. *Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies ejus velut umbra prætereunt.* Sed non vanè
Pſ.88. Deus conſtituit omnes filios hominum: quia & ζ multos à vanitate liberat per mediatorem Jeſum: & quos liberandos non eſſe præſcivit, ad utilitatem liberandorum, & comparationem duarum inter ſe à contrario civitatum: η non utique vanè in totius rationalis creaturæ pulcherrima atque juſtisſima ordinatione conſtituit. Deinde ſequitur: *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam ſuam de manu inferi?* Quis eſt iſte, niſi ſubſtantia illa Iſrael
Rom.6. ex ſemine David Chriſtus Jeſus? De quo dicit Apoſtolus: *Quòd ſurgens à mortuis, jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur.* Sic enim vivit; & non videbit mortem, ut tamen mortuus fuerit: ſed *animam ſuam eruerit de manu inferi:* b quia propter θ quorundam ſolvenda peccatorum vincula, ad inferna
Ioh.10. deſcenderat. Eruit autem poteſtate illa, de qua in Evangelio dicit: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.*

L.Vives. a QUidam codices hic non habent avertis.] *Sic legimus in noſtris codicibus. Græcè eſt* ἕως ποτὲ κύριε ἀποστρέφῃ εἰς τέλος: *quod eſt, Quouſque Domine averteris in finem. Poteſt etiam eſſe ſubjunctivi activi: ſed nullus eſt ſenſus.*

b Quia propter.] *In aliis libris, quo propter quorundam ſolvenda inferni vincula deſcenderat: ut ſit Chriſto hæc terra infernus, egreſſo de ſummo cœlo: ſed congruentius quod habetur vulgò.*

T.L.Cog. α IPſa precatio prophetatio eſt.] *Quemadmodum etiam, quæ nonnunquam apud Prophetas imprecationes videntur, prophetia ſunt.*

β Avertis in finem.] *Hebr.* תסתר *abſconderis Theodoretus,* ἕως τίνος κύριε ἀποκρυβήσῃ εἰς τέλος, φλεγήσεται ὡς πῦρ ὁ θυμός σου. *Abſcondi dicitur, quoties opem ſubtrahit, quouſque avertis te ab auxilio nobis ferendo. Quidam codices hic non habent,* avertis, *ſed* averteris, ἀποστρέφῃ, *ita cum D. Auguſtino vetus, vulgata autem* avertis.

γ Quando in Chriſtum Jeſum etiam gens illa eſt creditura.] *(Judæos enim in fine mundi agnituros errorem & perfidiam ſuorum parentum & convertendos ad Dominum, ex ſacris literis colligitur, Oſeæ tertio:* Poſt hæc revertentur ad Dominum Deum ſuum, & ad David Regem ſuum. Cùm plenitudo gentium intraverit, tunc reliquiæ Iſrael ſalvæ fient. *Rom. 11. Dan. 12.* Salvabitur populus tuus omnis, qui ſcriptus fuerit in libro vitæ, *ſed de hoc infra lib. 20. de Civit. Dei, cap. 23.)*

δ Memento, quæ eſt mea ſubſtantia.] *Subſiſtentia, firmitas, id eſt, duratio vitæ; memento, quàm tenuis ſit mea firmitas & natura, quàm modica duratio vitæ meæ, ut nihil ſit opus ad eam alias calamitates addi; his verbis deprecatur iram Dei. At D. Auguſtinus ſubſtantiam noſtram, per quam nimirum ſubſiſtimus, & ſine qua vani eſſemus,*

ſenſus, Chriſtum interpretatur, quaſi obteſtetur miſericordiam Dei per Chriſtum, quod & facit in Pſalmum 88. verſum hunc interpretans, David iſta dicit poſitus in carne in Judæis, poſitus in ſpe in Chriſto, memento, quæ eſt ſubſtantia mea. Non enim, quia Judæi defecerunt, defecit ſubſtantia mea. Etenim de illo populo virgo Maria, de virgine Maria caro Chriſti, & caro illa non peccatrix, ſed peccatorum mundatrix.

ε In vanitatem de veritate collapſa eſt.] *Deus enim veritas eſt ipſa, peccatum vanitas, cùm ergo homo à Deo cecidit, à veritate in vanitatem rectè dicitur collapſus. Illud enim dicitur vanum, quod in aliquem finem referri non poteſt, cujusmodi eſt peccatum.*

ζ Multos à vanitate liberat per mediatorem Jeſum,] *Idem loco citato,* Ecce omnes filii hominum ierunt in vanitatem, tu tamen non vanè illos conſtituiſti. Cùm ergò ierunt omnes filii hominum in vanitatem, quos tu non vanè conſtituiſti, unde eos mundares à vanitate, nunquid nihil tibi ſervaſti? illud quod tibi ſervaſti, unde mundares homines à vanitate, ſanctus ille tuus; in eo ſubſtantia mea; ex illo enim mundantur omnes, quos non fruſtra conſtituiſti, à propria vanitate.

η Non utique vanè in totius rationalis creaturæ.] *Etſi enim reprobati ſunt à Deo, & ab ultimo fine excluſi, nihilominus reprobatio eorum in aliquem finem refertur: an non in hoc ipſum excitavit Pharaonem, ut in eo oſtenderet virtutem ſuam, ad Rom.* 9. Volens Deus oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

θ Propter quorundam ſolvenda peccatorum vincula ad inferna deſcenderat.] *Nonne verò peccatorum remiſſionem jam meruerat ſua paſſione, quid opus erat ad inferos deſcendere. An deſcenſus ille ad inferos intelligitur ſolviſſe vincula peccatorum, etiam comparatione eorum, qui deinceps ſubſecuti ſunt Chriſti paſſionem, vel etiam illum deſcenſum,* *(*an tantum habuit effectum in animabus illis ſanctis, quas Chriſtus deſcenſu ſuo viſitavit & conſolatus eſt.*)* *Nam ſtatim, ut mortuus eſt, meruit nobis remiſſionem peccatorum, nec opus erat deinceps, eum inferiora illa loca ad hunc effectum obtinendum petere.* *(*Reſpondetur primùm comparatione ſanctorum Patrum duo illis beneficia Chriſti deſcenſum ad inferos contuliſſe, primò quidem beatitudinem eſſentialem, ſecundò eductionem ex eo carcere ac deductionem in cœlum, primùm illis continuò præſtitit, ſecundùm non ita multò poſt. Et quia propter peccatum originale in illo detinebantur, quod licet illis remiſſum, minimè tamen eſſet ſatisfactum pro tota natura; nec erat aperta via ſanctorum, & obnoxii erant futuri omnes, quotquot ex Adamo naſcebantur, eidem pœnæ, inde fit ut Chriſtus, cùm penetravit illas inferiores partes terræ, cùm deſcendit ad Inferos, non illis tantummodo animabus, verùm etiam nobis tantum beneficii præſtiterit, ut ſi nihil obſtet, ſi remiſſum ſit peccatum originale, quod eſt naturæ, ſi remiſſa mortalia, ſi nihil ſuperſit pœnæ exolvendum, ſtatim ſine ulla dilatione evolemus in cœlum. ita ergo rectè dicitur propter quandam ſolvenda vincula peccatorum deſcendiſſe ad inferna. Quæ verò inferna ſunt intelligenda, an locus etiam ille damnatorum? D. Thomas 3. part. qu. 52. artic. 2. docet, Chriſtum per*

realem præſentiam tantùm deſcendiſſe ad limbum Patrum, per effectum verò ad omnia loca Inferni. Nam damnatos incredulitatis arguit, exiſtentibus in Purgatorio ſpem dedit, atque hoc ſenſu interpretatur illud Eccleſiaſtici 14. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, inſpiciam omnes dormientes. *Alii probabile putant, Chriſtum ad omnia loca inferni deſcendiſſe. Ita Bellarminus lib. 4. de anima Chriſti cap. 16. Hanc ſententiam Suares in tertiam partem D. Thomæ. Tom. 2. diſput. 43. ſect. 4. non improbabilem putat, neque temerariam, quia non deſunt illi apparentia fundamenta, & contraria non fundatur certa authoritate, ſed dubiis conjecturis, multò tamen probabilius putat, non deſcendiſſe Chriſtum ſaltem ad locum damnatorum.)**

CAP. XII.

Ad quorum perſonam pertinere intelligenda ſit flagitatio promiſſorum, de quibus in Pſalmo dicitur. Ubi ſunt miſerationes tuæ antiquæ, Domine.

Pſ. 88. SEd cætera Pſalmi hujus, quæ ita ſe habent: *Ubi ſunt miſerationes tuæ antiquæ, Domine, quas juraſti David in veritate tua? Memento Domine opprobrii ſervorum tuorum, quod continui in ſinu meo multarum Gentium: Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobaverunt commutationem Chriſti tui:* utrum ex perſona dicta ſint illorum Iſraelitarum, qui deſiderabant reddi ſibi promiſſionem, quæ facta eſt ad David: an potius Chriſtianorum, qui non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ſunt Iſraelitæ, meritò quæri poteſt. Dicta ſunt quippe iſta, vel ſcripta *a α* tempore, quo fuit Æthan: de cujus nomine titulum ille Pſalmus accepit: & idem tempus regni David fuit: ac per hoc non diceretur: *Ubi ſunt miſerationes tuæ antiquæ Domine, quas juraſti David in veritate tua: β* niſi eorum perſonam in ſe propheta transfiguraret, qui longè poſtea futuri erant, quibus hoc tempus eſſet antiquum, quando regi David iſta promiſſa ſunt. *b* Poteſt autem intelligi, dictum hoc eſſe propter multas gentes, quando perſequebantur Chriſtianos: prophetam *γ* exprobraſſe illis paſſionem Chriſti, *δ* quam ſcriptura commutationem vocat, quoniam moriendo immortalis eſt factus. Poteſt & commutatio Chriſti ſecundùm hoc accipi exprobrata Iſraelitis, quia cùm eorum ſperaretur futurus, factus eſt gentium: & hoc eis nunc exprobrant multæ gentes, quæ crediderunt in eum per novum teſtamentum, illis in vetuſtate remanentibus: ut ideò dicatur, *Memento Domine opprobrii ſervorum tuorum:* quia non eos obliviſcente, ſed potius miſerante Domino, & ipſi poſt hoc opprobrium credituri ſunt. Sed ille, quem priùs poſui, convenientior ſenſus mihi videtur. Inimicis enim Chriſti, quibus exprobratur, quòd eos ad gentes tranſiens reliquerit Chriſtus, incõgruè vox iſta coaptatur. *Memento Domine opprobrii ſervorum tuorum:* non enim ſervi Dei vocandi ſunt tales Judæi, ſed eis verba iſta competunt, qui cùm graves humilitates perſecutionum pro Chriſti nomine paterentur, recordari potuerunt, excelſum regnum ſemini David fuiſſe promiſſum: & ejus *ε* deſiderio dicere, non deſperando, ſed petendo, quærendo, pulſando: *Ubi ſunt miſerationes tuæ antiquæ Domine, quas juraſti David in veritate tua?*

Memen-

Memento Domine opprobrii ſervorum tuorum, quod continui in ſinu meo multarum gentium: hoc eſt, in interioribus meis patienter pertuli. *Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Chriſti tui,* non eam putantes commutationem, ſed conſumptionem. Quid eſt autem: *memento Domine,* niſi ut miſerearis, & pro tolerata patienter humilitate mea reddas celſitudinem, quam juraſti David in veritate tua. Si autem Judæis aſſignemus hæc verba, illi ſervi Dei talia dicere potuerunt, qui ζ expugnata terrena Hieruſalem: antequam Jeſus Chriſtus humanitus naſceretur, in captivitatem ducti ſunt, intelligentes commutationem Chriſti, quia ſcilicet η non per eum terrena carnaliſque felicitas, qualis paucis annis regis Salomonis apparuit, ſed cœleſtis ac ſpiritalis eſſet fideliter expectanda: quam tunc ignorans infidelitas gentium: cùm Dei populum exultabat, atque inſultabat eſſe captivum, θ quid aliud quàm Chriſti commutationem, ſed ſcientibus neſciens exprobrabat? Et ideò quod ſequitur, ubi Pſalmus iſte concluditur: ι *Benedictio Domini in æternum: fiat, fiat:* univerſo populo Dei ad cœleſtem Hieruſalem pertinenti, ſive in illis, qui latebant in teſtamento veteri, antequam revelaretur novum: ſive in his, qui jam teſtamento novo revelato manifeſtè pertinere cernuntur ad Chriſtum, ſatis congruit. Benedictio quippe domini in ſemine David, non ad aliquod tempus, qualis diebus Salomonis apparuit, ſed in æternum ſperanda eſt, in qua certiſſima ſpe dicitur: *fiat fiat.* Illius enim ſpei eſt confirmatio verbi hujus iteratio. Hoc ergo intelligens David ait in 2. Reg. li. unde ad iſtum Pſalmum digreſſi ſumus: *Et locutus es pro domo ſervi tui in longinquum.* Ideò autem poſt paululum ait: *Nunc incipe, & benedic domum ſervi tui uſque in æternum,* & cætera: quia tunc geniturus erat filium, ex quo progenies ejus duceretur ad Chriſtum, per quem futura erat domus ejus æterna, eademque domus Dei. Domus enim David propter genus David: domus autem Dei eadem & ipſa propter templum Dei, de hominibus factum, non de lapidibus, ubi habitet in æternum populus cum Deo, & in Deo ſuo, & Deus cum populo atque in populo ſuo: ita ut Deus ſit implens populum ſuum, & populus plenus Deo ſuo, cùm *Deus erit omnia in omnibus,* ipſe in pace præmium, qui virtus in bello. Ideò cùm in verbis Nathan dictum ſit: Et enunciavit tibi dominus, quoniam domum ædificabis ipſi. Poſtea dictum eſt in verbis David: *Quoniam tu Dominus omnipotens Deus Iſrael, revelaſti aurem ſervi tui, dicens, Domum ædificabo tibi.* Hanc enim domum, & nos ædificamus benè vivendo, & Deus, ut benè vivamus, opitulando. *Quia niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborabunt ædificantes eam.* Cujus domus cùm venerit ultima dedicatio, tunc fiet illud, quod hic per Nathan locutus eſt Deus, dicens: *Et ponam teſtamentum cum populo meo Iſrael, & plantabo illum, & inhabitabit ſeorſum, & non ſollicitus erit ultra: & non apponet filius iniquitatis humiliare eum, ſicut ab initio à diebus, quibus conſtitui judices ſuper populum meum Iſrael.*

2. Reg. 7.

1. Cor. 15.

Pſ. 126.

a TEmpore quo facto Æthan.] *Æthan & Aſaph cantores fuerunt aneorum cymbalorum, Davide rege ad arcam Domini 1. Paralip. 15. vulgò Æthan Iſraelita dicitur, & Græcè & Latinè, ut in titulo Pſalmi 88. ſed arbitror Ieſraelitam vocandum*

L. Vives. Æthan.

dum à Iezraël oppido tribus Juda in termino Iſachar inter Scythopolim & Legionem: aut Eſraitam ab Eſrom, quæ eſt Aſſur in eadem tribu. Ex Hebræo Hieronymus Ezraitam vertit: quomodocunque nominetur, Iſraelitam non appellandum certum eſt: nemo enim patriæ nomine ſic dicitur.

b Poteſt autem intelligi.] *Alibi ſic: Poteſt autem intelligi multas gentes: quando perſequebantur Chriſtianos exprobraſſe illis paſſionem Chriſti.*

P.L.Coq. α TEmpore quo fuit Ethan.] *Illius fit mentio, 1. Paralipom. 6. & 3. Reg. 4.* Tres erant Principes Cantorum de tribus familiis Levitarum, ſcilicet Eman, Ethan & Aſſaph. Eman erat de familia Caath, & Aſſaph de familia Gerſon, & Ethan de familia Merari.

β Niſi eorum perſonam in ſe Propheta transfiguraret.] *Ita enim nonnunquam Prophetæ, qui divino Spiritu afflati futum præcognoſcunt, ex perſona aliorum loquuntur, atque cum hic proponat miſericordias Dei antiquas, quibus David tot bona pollicitus erat, quæ non erant antiquæ Davidi, certum eſt intelligendum eſſe, eum illas Deo proponere in perſona eorum, qui longè poſtea futuri erant, & calumnias ac perſecutiones ab inimicis Dei paſſuri.*

γ Exprobraſſe illis paſſionem Chriſti.] *Ita ſcribit in illum Pſalmum ad hunc verſiculum,* Et Judæi & Pagani quid exprobraverunt? Hoc exprobraverunt, commutationem Chriſti tui. Hoc enim objecerunt, quod mortuus eſt Chriſtus quia crucifixus eſt Chriſtus; ſiquidem Chriſtus crucifixus Judæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitia.

δ Quam ſcriptura commutationem vocat.] *Gloſſa interlinearis ex D. Auguſtino, mutatus eſt ille ex temporali ad vitam æternam, mutatus eſt à Judæis ad Gentes, mutatus eſt etiam à terra in cœlum.*

ε Ejus deſiderio dicere non deſperando.] *Nullo modo enim dubitant Sancti de divinis promiſſionibus, eas habent certiſſimas.*

ζ Expugnata terrena Hieruſalem, antequam Chriſtus humanius naſceretur.] *Ab everſione Hieruſalem & templi ad Chriſtum interceſſere anni 608.*

η Non per eum terrena carnaliſque fœlicitas.] *In hoc maximè falluntur Judæi, quod eam fœlicitatem, quæ promittitur futura Meſſiæ temporibus, terrenam ac carnalem exſpectant, & quæ de regno Chriſti metaphoricè ſunt interpretanda, ut illud ſpirituale interpretemur, propriè accipiunt, & Meſſiæ regnum temporale futurum exſpectant, ab eoque magnas ſibi divitias temporales ac bonorum affluentiam pollicentur; ad terrena depreſſi nec altiùs mentem erigere poſſunt, ut intelligant vera, illa bona nobis per Chriſtum acquiſita, & ad animarum ſalutem in primis conferentia eſſe fidem, ſpem, charitatem, reconciliationem cum Deo & bona opera, ac tandem *(quæ merces eſt illis debita)* vitam æternam.*

θ Quid aliud quàm Chriſti commutationem.] *Neſciunt enim, qui perſequuntur pios ac fideles, quanta illos bona maneant in futuro ſeculo, quantorum bonorum illis præter animi ſententiam ſint authores, conformandi ſunt cum Chriſto, eandem cum illo commutationem percepturi: quemadmodum enim ille paſſione ſua glorificatus eſt, ita nos ſi compatiamur & conglorificabimur: non enim coronabitur, niſi qui legitimè*

legitimè certaverit. Hæc commutatio erit, quod breve ac momentaneum hujus tribulationis tempus æternum gloriæ pondus operabitur in cœlis. Affluunt quidem divitiis impii in hoc mundo, ducunt in bonis dies ſuos, at minimè ſunt cum Chriſto commutationem illam percepturi; de hac commutatione Apoſtolus; Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur: *Inſultant quidem nunc impii juſtis ac ſervis Dei, at tunc,* Stabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt: *Ita alter fortiſſimorum Machabæorum ad impium illum Antiochum;* Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis, ſed rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione reſuſcitabit. *Non intelligebant hanc commutationem impii Tyranni, in ſervos Dei tam crudeliter ſævientes. Ita enim loquentes introducuntur,* Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, *Sap. 5.*

i Benedictio Domini in æternum, fiat, fiat.] *D. Hieronymus Epiſtola 134. ad Sophronium:* Scio quoſdam putare, *(ait)* pſalterium in quinque libros eſſe diviſum, ut ubicunque apud ſeptuaginta interpretes ſcriptum eſt, fiat, fiat, finis librorum ſit, pro quo in Hebræo legitur Amen, Amen: nos autem Hebræorum authoritatem ſecuti, & maximè Apoſtolorum, qui ſemper in novo Teſtamento Pſalmorum librum nominant, unum aſſeremus Pſalmorum volumen. *Eadem Hilarius prologo in Pſalmos.*

k Geniturus erat filium, ex quo progenies ejus duceretur ad Chriſtum.] *Certò quidem conſtat, Chriſtum à Davide ducere originem, an verò per Salomonem, vel per alium filium, non ita certò conſtat. Matthæus cap. 1. deſcribit Genealogiam Joſephi à Davide per Salomonem, at Lucas cap. 3. deſcribit Genealogiam beatiſſimæ virginis matris Chriſti per Nathan alterum filium, ex quo conſtat, Chriſtum filium virginis & non Joſephi originem ducere à Davide per Nathan, non verò per Salomonem.*

CAP. XIII.

An promiſſæ pacis veritas illis temporibus poſſit aſcribi, quæ ſub Salomone fluxerunt.

HOc tam magnum bonum quiſquis in hoc ſeculo, & in hac terra ſperat, inſipienter ſapit. An quiſpiam putabit, *a* in pace regni Salomonis id eſſe completum? Pacem quippe illa ſcriptura in umbra futuri, excellenti prædicatione commendat. Sed huic ſuſpicioni vigilanter occurſum eſt: cùm poſteaquam dictum eſt: *Et non apponet filius iniquitatis humiliare eum:* continuò ſub- 2.Reg.7.
junctum eſt: *Sicut ab initio à diebus, quibus conſtitui Judices ſuper populum meum Iſrael.* Judices namque prius quàm reges ſibi eſſe cœpiſſent, ſuper illum populum fuerant conſtituti, ex quo terram promiſſionis accepit. Et utique humiliabat eum filius iniquitatis, hoc eſt, hoſtis alienigena, per intervalla temporum, quibus leguntur paces alternaſſe cum bellis, & inveniuntur illic pacis tempora prolixiora quàm Salomon habuit, qui quadraginta regnavit annos. Nam *β* ſub eo judice, qui appellatus eſt Aod, octoginta anni pacis fuerunt. Abſit ergo, ut Salomonis tempora in hac promiſſione prædicta eſſe credantur: multò minus

utique cujuſlibet regis alterius. Non enim quiſquam eorum in tanta, quanta ille pace regnavit: nec unquam omninò gens illa ita regnum tenuit, ut ſollicita non fuerit, ne hoſtibus ſubderetur: quia in tanta mutabilitate rerum humanarum γ nulli aliquando populo conceſſa eſt tanta ſecuritas, ut huic vitæ hoſtiles non formidaret incurſus. Locus ergo iſte, qui promittitur tam pacatæ ac ſecuræ habitationis, æternus eſt, æternisque debetur in matre Hieruſalem libera, ubi erit veraciter populus Iſrael: α hoc enim nomen interpretatur videns Deum, Cujus præmii deſiderio pia per fidem vita in hac ærumnoſa peregrinatione ducenda eſt.

L.Vives. α HOc enim nomen interpretatur videns Deum.] *Hieron. ad Dardanum, Hieroſolymam ſcribit primùm dictam Iebus, deinde Salem, tertiò Hieruſalem, poſtremò Æliam. Salem interpretatur pax: ſicut etiam dicit Apoſtolus ad Hebræos: Hieruſalem pacis viſio. Hanc eſſe Salem, in qua Melchiſedech regnavit, tradunt Joſeph & Hegeſippus. Ælia nominata eſt ab Ælio Adriano Cæſare, qui à Tito dirutam inſtauravit, majore murorum ambitu. Gentiles eam Solymas, & Solymos, & Hieroſolymam nominaverunt. Sunt qui à Piſidis Lyciæ, quos veteres σελύμας dixere: aut à populis in Aſia Pontica Solymis, quos interiiſſe cum Lelegibus & Bebrycibus perhibet Eratoſthenes. Eupolemus verò, ut Euſebius ſcribit, à Salomone Solymos deducit, & Hieroſolymam quaſi ἱερὸν τοῦ σολόμωνος. Quo nomine etiam ab Homero eſſe vocatam, ſunt qui credant. Cæterùm Joſephus lib. 7. Solymam eſſe dictam temporibus Abrahæ narrat. Hinc cùm David è Jebuzeis captæ urbi junxiſſet arcem, munitioremque feciſſet, nominatam eſſe Hieroſolymam: nam Hebræi munitionem hieron dicunt. Verùm non Iebus antequam Salem vocata eſt, ſed contrà potius. Nam à Melchiſedech putatur condita, qui eam Salem cognominavit. Incolueruntque ipſam Chananæi, quorum gentis princeps erat Melchiſedech: ſeu, ut Hegeſippus vocat, rex juſtus. Sic enim patrio dicis nomine appellatum, etſi Hieron. in locis Hebraicis, & ad Damaſum negat, Salem eſſe Hieruſalem, ſed eſſe aliam urbem in regione Sichen, quæ eſt in terra Chanaan, ubi oſtenditur palatium Melchiſedech, ex multitudine ruinarum veteris operis oſtendens magnificentiam. Prætereo quam originem Hieroſolymæ Strabo ponit à Moyſe, cùm hic terram Cananæam nunquam ſit ingreſſus. Tum & illos, qui Luzam & Bethel Hieruſalem tradunt, cùm Bethel ſit pagus, ut dixi.*

P.L.Coq. α IN pace regni Salomonis.] *3. Reg. 4* Habebat Salomon pacem in circuitu, *ita de Chriſto Eſaia 9.* Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.

β Sub eo judice, qui appellatus eſt Aod.] *Hebrais, Ehud, Judicum 3.* Quievit terra octoginta annis à præliis; *Aod autem fuit, qui regem Moabitarum Eglon gravi ſervitute Iſraelitas plus juſto prementem non ſine divino conſilio & authoritate interfecit.*

γ Nulli aliquando populo conceſſa eſt tanta ſecuritas.] *Id manifeſtè docent clades tot regnorum & potentiſſimorum Imperiorum, quæ diruta ac funditus everſa fuere. Euripides.*

Ὁρᾷς τυράννους διὰ μακρῶν ηὐξημένους
ὡς μικρὰ τὰ σφάλλοντα, καὶ μί' ἡμέρα

Τὸν μὲν

τὸν μετ᾽ καθεῖλεν ὑψωθέντα δὴ ῥ᾽ ἄνω.

Plura Sobaus ſerm. 251.

CAP. XIV.

De ſtudio David in poſitione Pſalmorum.

PRocurrente igitur per tempora civitate Dei, primò in umbra futuri, in terrena ſcilicet Hieruſalem regnavit David. Erat autem α David vir in canticis eruditus, qui β harmoniam muſicam non vulgari voluptate, ſed fideli voluntate dilexerat: eaque Deo ſuo, qui verus eſt Deus, myſtica rei magnæ figuratione ſerviens, a & γ diverſorum nomine ſonorum rationales, moderatosque concentus, concordi varietate compactam benè ordinatæ civitatis inſinuat unitatem. Denique omnis ferè prophetia ejus in Pſalmis eſt, δ quos centum quinquaginta liber continet, ε quem Pſalmorum vocamus. b In quibus nonnulli volunt, eos ſolos factos eſſe à David, qui ejus nomine inſcripti ſunt. Sunt etiam, qui putant, non ab eo factos, niſi qui prænotantur ipſius David: ζ qui verò habent in titulis, ipſi David, ab aliis factos, perſonæ ipſius fuiſſe coaptatos. Quæ opinio voce Evangelica Salvatoris ipſius refutatur, ubi ait, quòd ipſe David in ſpiritu Chriſtum dixerit eſſe ſuum dominum, quoniam Pſalmus centeſimus nonus ſic incipit: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Et certè idem Pſalmus ε non habet in titulo ipſius David: ſed, ipſi David, ſicut plurimi. η Mihi autem credibilius videntur exiſtimare, qui omnes illos centum quinquaginta Pſalmos ejus operi tribuunt, eumque aliquos prænotaſſe etiam nominibus aliorum, aliquid quod ad rem pertineat figurantibus, cæteros autem θ nullius hominis nomen in titulis habere voluiſſe: ſicut ei varietatis hujus diſpoſitionem, quamvis latebroſam, non tamen inanem dominus inſpiravit. Nec movere debet ad hoc non credendum, quòd nonnullorum nomina prophetarum, qui longè poſt David regis tempora fuerunt, quibusdam Pſalmis in eo libro leguntur inſcripta: & quæ ibi dicuntur, velut ab eis dici videntur. ι Neque enim non potuit propheticus ſpiritus prophetanti regi David hæc etiam futurorum prophetarum nomina revelare, ut aliquid, quod eorum perſonæ conveniret, prophetice cantaretur: d κ ſicut rex Joſias exorturus & regnaturus λ poſt annos amplius quàm trecentos, cuidam prophetæ, qui etiam facta ejus futura prædixit, cum ſuo nomine revelatus eſt.

Matth. 22. Pſ. 109. Pſa. 64. 111. 147. 148. 3. Reg. 13.

a ET diverſorum nomine ſonorum.] *Alibi, Myſtica rei magnæ figuratione ſerviebat: diverſorum enim ejus ſonorum. Hi ſoni expoſiti ſunt primo lib.* τῶν παρα-λειπομένων, *cap. 15. de interpretatione inſtrumenti Pſalterii Auguſt. id proœmio Quinquagenarum dicis, propterea divinis eſſe rebus aptum, quod ad ſuperiora totus ejus feratur concentus.* L. VIII.

b In quibus nonnulli volunt, eos ſolos factos eſſe à David.] *Civis meus Jacobus Peres, qui poſtremus in Pſalmos longa commentaria ſcripſit, non tam diſerta quàm erudita, operis initio diſputat de autoribus pſalmorum, dicitque, hanc quæſtionem ante Origenem non fuiſſe inter Judæos ambiguam. Omnes enim ſic credide-* runt,

runt, & ſic prodidere literis, Omnes Pſalmos Davidis eſſe autoris. Poſtea verò Origenes ingenio illo exacto, & eruditione varia ſummaque cœpit oſtendere, quæcunque in prophetis continebantur, ad Chriſtum jam natum pertinere, multum irritavit Judæos etiam ad novas opiniones, veteribus ſuorum magiſtrorum contrarias, depravandosq́; quantum poſſent codices ſacros. Itaque poſt ea tempora fuiſſe ex Hebræis nonnullos, qui antiquis aſſenſi unicum pſalmorum omnium autorem dicerent Davidem, alii novem duntaxat eum feciſſe, alii omnes, qui ipſius nomine præſcribuntur, cæteros à viris ſanctis prophetico eſſe ſpiritu conſcriptos, ut filiis Choræ Aſaph, Æthan, Idythum: qui ſunt ſine titulis, ignorari quorum ſint, niſi quòd à ſanctis hominibus non dubitentur conſcripti. Iſtis opinationibus addidiſſe ſuam Rabbi Salomonem Gallum, hominem inſigni impudentia, qui decem Pſalmiſtas ſit commentus, Melchiſedech, Abraham, Moyſen filios Choræ, David, Salomonem, Aſaph, Idithum, Ætham: at Origenem, Ambroſium, Hilarium, Auguſtinum, Caſſiodorum unius David Pſalmos omnes opus eſſe tradere, quibus ſe ait ſuffragari: ſententiamq́; hanc unicam veram eſſe multis argumentis colligit: quæ qui deſiderat, ex eo petat, licebit: liber non eſt rarus. Prætereo quæ Hieronymus ad Sophronium, & Cyprianus de autoribus pſalmorum dicat. Hæc enim in præſentia fuerint ſatis.

c Non habet in titulo ipſius David.] ψαλμὸς τῷ Δαβίδ. *Audivi quosdam, qui periti habebantur lingua Hebrææ, qui dicerent, dativum illum pro genitivo apud Hebræos ſolere uſurpari.*

d Sicut rex Joſias.] *Tertio Reg. 13.*

L.L.Cog. *α* DAvid vir in canticis eruditus.] *2. Reg. 23. dicitur egregius Pſaltes in Iſrael. Hieronymus Epiſtola ad Paulin.* David Simonides noſter, Pindarus & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus atque Serenus Chriſtum Lyra perſonat, & in decachordo Pſalterio ab inferis excitat reſurgentem.

β Harmonicam muſicam non vulgari voluptate.] *Idem Epiſt. 131. ad Memorium,* amavit vir ille ſanctus David muſicam piam, & in ea ſtudia nos magis ipſe, quàm ullus alius author accendit, *& Gregorius Nyſſenus tractat. 1. in Pſalmorum inſcriptiones cap. 3. longè differre docet carmina Davidis à muſica externa & à carminibus Poetarum.*

γ Diverſorum ſonorum rationabilis moderatusque concentus.] *Baſilius in Pſalmum 29. Pſalmum ita definivit;* Pſalmus *(inquit)* ſermo eſt muſicus, quando concinnè apteque ſecundùm harmoniæ rationem ad organum pulſatur; *Gregorius Nyſſenus definit* modulationem per inſtrumentum muſicum.

δ Quos centum quinquaginta liber continet.] *Centum quinquaginta Pſalmos agnoſcunt & Hebræi; etſi de modò eos partiendi differant, de ſumma tamen partitionis conveniunt. D. Athanaſius in ſynopſi pſalmũ 151. agnoſcit;* πρὸς τὸν Γολιὰθ *(inquit)* ἀρχαιδιόγραφος ὁ ψαλμὸς τοῦ Δαβὶδ καὶ ἔξωθεν τοῦ ἀριθμοῦ ὅτι ἐμονομάχησε τὸν Γολιάθ; *reperitur quidem in Græcis exemplaribus, verùm apud Hebræos non habetur.*

ε Quem Pſalmorum vocamus.] *Ita Dominus Lucæ 20. Et ipſe David dicit in libro Pſalmorum;* dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. *B. Petrus Actor. 1.* ſcriptum eſt *(inquit)* in libro Pſalmorum, *apud Hebræos dicitur* ספר תהלים:

liber

liber hymnorum, ſeu laudum, *quod plurimi ſint, in quibus totus liber videtur inſcriptus.*

ζ Qui verò habent in titulis ipſi David, ab alii factos.] *Ita inter cæteros D. Athanaſius in ſynopſi;* διαιρέιτεται οὖν οὕτω περὶ τούτων σαφῶς· ἴδιοι μὲν γάρ εἰσιν αὐτοῦ Δαβίδ, ὅσοι καὶ τὴν ἐπιγραφὴν οὕτως ἔχουσι, τοῦ Δαβίδ, οἱ δὲ παρὰ τῶν ἄλλων μὲν συντεθέντες, ἀνατεθέντες δὲ αὐτῷ τῷ Δαβίδ, εἰσι πάλιν ὅσοι καὶ τὴν ἐπιγραφὴν ὁμοίως ἔχουσι τῷ Δαβίδ. *Hanc ſententiam ex eo confutat Auguſtinus, quod Matthæi 22. Chriſtus citans Pſalmum centeſimum nonum eum attribuit Davidi, qui tamen Pſalmus inſcribitur Hebræis* מזמר לדויד, ψαλμὸς τῷ Δαβίδ *& non* τοῦ Δαβίδ. Pſalmus Davidi, *&* non Davidis.

η Mihi autem credibilius videtur exiſtimare.] *D. Auguſtinus probabilius exiſtimat, Davidem omnium Pſalmorum eſſe authorem. Cui ſententiæ ſubſcribunt Origenes, Ambroſius, Euthymius præfat. in Pſal. Caſſiodorus, videtur tamen à ſeipſo diſſentire D. Auguſtinus. Agens enim de titulo Pſalmi primi ita ſcribit;* Non omnes Pſalmi à David editi ſunt, ipſe enim David ex omni populo quatuor principes ſpiritu ſancto mundatos elegit, quorum nomina ſunt Aſaph, Eman, Ethan, & Idithum, ut in quemcunque divinus ſpiritus intraſſet, hymnum Deo caneret, David ergo ſolus ore proprio novem Pſalmos cecinit; reliqui autem ab illis quatuor principibus juxta titulorum inſcriptionem ſunt editi. *Verùm facilè reſponderi poteſt, Pſalmos aliquos ab aliis quidem juſſu & mandato Davidis ſcriptos, ab eo tamen diſpoſitos fuiſſe atque editos. D. Hilarius prologo in Pſalmos refragatur huic ſententiæ; ſcribit ſiquidem, non eſſe dicendos Pſalmos David, cùm tot eorum authores ipſis inſcriptionum titulis edantur; & liber Pſalmorum inquit, rectiùs eſſe dicetur, diverſis in unum volumen prophetiis diverſorum authorum & temporum congregatis. D. Hieronymus Epiſt. 134. ad Sophronium;* Pſalmos omnes, *inquit*, eorum teſtamur authorum, qui ponuntur in titulis, David ſcilicet, Aſaph, & Idithum filiorum Chore, Eman Ezrahitæ, Moyſis & Salomonis, & reliquorum, quos Eſdras primo volumine comprehendit, *& Epiſt. 139. ad Cyprianum Pſalmos undecim tribuit ipſi Moyſi, nimirum ab octogeſimo nono, cujus principium eſt*, Domine, refugium factus es nobis, *usque ad 99. qui inſcribitur Pſalmus in confeſſione, & in ea Epiſtola*, Sciamus, *inquit*, errare eos, qui omnes Pſalmos Davidi attribuunt, non iis, quorum nominibus inſcripti ſunt. *D. Athanaſius in Synopſi vult eſſe plurium authorum, ſoli tamen Davidi inſcribi, propterea quòd ille primus Spiritum pſallendi à Deo accepit, primusque Pſalmos compoſuit & ſcripſit, & prædictos Pſalmiſtas ipſe ex ſacerdotibus ſelegit ac inſtituit, ſtationemque locorum ille primus & ordinem melodiæ ac tempus pſallendi matutinum & veſpertinum determinavit, & ita ordinavit, ut alii aperto, alii clauſo tabernaculo, alii à dextris, alii à ſiniſtris ſtarent. Scribit etiam, Eſdram reliquos pſalmos, quos iſti quoque Spiritu ſancto moti conſcripſerant, Davidis pſalmis conjunxiſſe, & ex omnibus ita coadunatis pſalmorum librum conſtituiſſe.*

θ Nullius hominis nomen in titulis habere voluiſſe.] *D. Hieronymus & alii, qui plures faciunt authores Pſalmorum, volunt omnes pſalmos, qui cujus ſint, titulum non habent; iis deputari, quorum nomina in prioribus pſalmis continentur. Verùm*

rùm Gregorius Nyſſenus, qui putat omnium pſalmorum eundem eſſe authorem, tract. 2. inſcriptionum in pſalmos, duplicem rationem aſſignat, cur aliqui pſalmi inſcriptione careant; primam Quod nonnullis vice inſcriptionis ſit ipſa totius Pſalmi intentio & mens, τοῖς μὲν γὰρ αὐτῶν ἀντὶ ἐπιγραφῆς ἡ ψαλμῳδίας γίνεται ἔννοια, *qui prior defectus Eccleſiæ & Hebræis communis eſt. ſecundam, quod Hebræi inſcriptiones aliquas omiſerunt & rejecerunt, quod magis expreſſa ſalutis noſtræ myſteria continerent. Prioris generis exemplum ponit ex primo & ſecundo pſalmo, quorum perſpicuus ſenſus inſcriptionem non deſiderat, Secundi generis 12. pſalmos enumerat, nimirum 32. 33. 42. 70. 90. 92. 93. 93. 94. 95. 96. 103. quorum omnium titulos ab Eccleſia receptos, qua de cauſa Hebræi non admittant, fusè exponit*

ι Neque enim non potuit propheticus ſpiritus.] *Similem objectionem eodem modo ſolvunt D. Hilarius præfatione in Pſalmos, & D. Hieronymus Epiſt. 139. ad Cyprianum: Cùm enim 98. pſalmum tribuant ipſi Moſi, & in eo mentio fiat Samuelis, videbatur non poſſe Moſi tribui, qui Samuelem nominet, qui multis temporibus fuerit Moſe poſterior. Reſpondent ergo, prophetatum eſſe nomen Samuelis, qui tanti meriti fuerit, ut cum Moyſe poneretur in Hieremia,* Si ſteterint Moyſes & Samuel. *Neque enim ulli mirum aut difficile videri deberi, ut tantus Propheta tanti Prophetæ poſtea licet futuri, nomen ediderit, cùm in Regum libris Joſiæ Regis ſit, antequam naſcatur, nomen prophetatum.*

κ Sicut Rex Joſias exorturus & regnaturus.] *3. Reg. 13. quemadmodum etiam & Iſaiæ 45. prophetatum eſt nomen Cyri multis annis antè quàm naſceretur.*

λ Poſt annos amplius quàm trecentos.] *Vaticinatus eſt ille Propheta miſſus in Bethel contra altare erectum ab Hieroboam 993. annis ante Chriſtum; Joſias autem evertit illud altare, & extirpavit Idololatriam annis ante Chriſtum 643. ita jampridem per Prophetam ex nomine promiſſus ad expiandas idololatriæ labes.*

CAP. XV.

An omnia, quæ in Pſalmis de Chriſto & Eccleſia prophetantur, ad contextum hujus operis coaptanda ſint.

NUnc jam exſpectari à me video, ut hoc loco libri hujus aperiam, quid in Pſalmis David de Domino Jeſu Chriſto, vel ejus Eccleſia prophetaverit. Ego autem, ut hoc non ita faciam, ſicut videtur ipſa expectatio poſtulare, quamvis jam in uno fecerim, copia, quàm inopia magis impedior. Omnia enim ponere, vitandæ prolixitatis cauſa prohibeor: vereor autem, ne cùm aliqua elegero, multis, qui ea noverunt, videar magis neceſſaria præteriiſſe. Deinde quia teſtimonium, quod profertur, de contextione totius pſalmi debet habere ſuffragium, ut certè nihil ſit, quod ei refragatur, ſi non omnia ſuffragantur, *a* α ne more centonum ad rem, quam volumus, tanquam verſiculos decerpere videamur, *b* β velut de † retrogrado carmine, quod non de re illa, ſed de alia longeque diverſa reperiatur eſſe conſcriptum. Hoc autem, ut in quocunque Pſalmo poſſit oſtendi, exponendus eſt totus. Quod quanti operis ſit, & aliorum & noſtra volumina, in quibus hoc fecimus, ſatis indicant. Legat ergo illa, qui voluerit & potuerit,

al. gradi.

inve-

inveniet quot & quanta Rex David idemque Propheta γ de Chriſto & ejus Eccleſia prophetaverit, de Rege ſcilicet, & civitate, quam condidit.

a NE more centonum.] *Centones fruſta ſunt panni coloris varii: hinc verſicolores veſtes centones dicuntur. Viles etiam non modò quibus amicimur, ſed quibus quoque lecti inſternuntur, quales ruri & militiæ: ut apud Catonem ſenem, & Siſennam hiſtoricum, & Cajum Cæſarem, Metaphoricè carmen eſt multis alieni poëmatis particulis concinnatum, ut Homerocenton, ſeu Græcè ὁμηρόκεντρον: nam κέντρονες vocant Græci: tum etiam Virgiliocenton, quod non unicum eſt. Nam & Proba, & Auſonii Vergiliocentones legimus.* L. Vives. Citones.

b Velut de retrogrado carmine.] *Sotadici verſus dicuntur retrogradi, quod in contrarium etiã ſint verſus. Reciprocos vocat Diomedes, qui multa de Sotadicis præcipit. Hic enim verſus: Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo: ſi recurrat, Læſo numine, quo memora cauſas mihi Muſa, Sotadicus eſt. Et poſſunt reverti in idem genus carminis, vel in diverſum, ut: Pio precare thure cæleſtum numina, jambicus. Sotadicus verò pentameter fiet: Numina cæleſtum thure precare pio. Laſcivum genus carminis hoc eſt, ut Quintilianus inquit: à Sotade, ut Strabo ſcribit, repertum, ſeu, ut Diomedes, uſurpatum, quem Martialis cinædum vocat. Porrò in aliis Auguſt. libris aptius habetur: velut de grandi carmine: ut ſit de grandi poëmate colligi particulas, quas inter ſe commiſceas & compingas in alium ſenſum, quàm erant à poëta dictæ. Quod factitatum eſt ab his, qui centones compegerunt. Nam quod Vergilius & Homerus de Græcis aut Trojanis, deq; bellis dixerant, illi ad Chriſtum, reſq; divinas transferunt: Auſonius ad nuptiarum apparatum & progreſſum.* Sotadicum carmen.

α NE more centonum.] *Verſicolores veſtes* centones *dicuntur. Fiunt enim centones ex pannis diverſorum colorum, vel lanis in unum condenſatis atque conſutis: unde ad earum ſimilitudinem centonem vocant carminis genus ex diverſis carminum fragmentis hinc atque illinc accerſitis contextum & quaſi conſutum. In Bibliotheca Patrum exſtant Virgilio-centones Probæ Falconiæ, & Homerocentones Eudoxiæ Imperatricis.* F. L. Cerp.

β Velut de retrogrado carmine.] *In aliis legitur,* Grandi carmine, *ut ſi ex poëmate Homeri aut Virgilii aliqua colligantur, quæ Chriſto aut religioni Chriſtianæ adaptemus.*

γ De Chriſto & ejus Eccleſia prophetaverit.] *Id docent patres, qui de ſenſibus pſalmorum differentes omnia ad Chriſtum retulerunt. Tertullianus lib. contra Praxeam, cap. 11.* Pſalmi *(inquit)* Chriſti perſonam ſuſtinent, filium ad patrem, *i. e.* Chriſtum ad Deum, verba facientem repræſentant. *Hieronymus in præmio pſalmorum;* Omnes Pſalmi in perſona Chriſti loquuntur; *D. Hilarius præfatione in pſalmos;* Non eſt ambiguendum, ea, quæ in Pſalmis dicta ſunt, ſecundùm Evangelicam prædicationem intelligi oportere, ut ex quacumque perſona prophetiæ ſpiritus ſit locutus, tamen totum illum ad cognitionem adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & corporationis, & paſſionis, & regni, & reſurrectionis noſtræ gloriam, virtutemque referatur.

Cap.

CAP. XVI.

De his, quæ in quadrageſimo quarto Pſalmo ad Chriſtum & Eccleſiam pertinentia, aut apertè dicuntur, aut tropicè.

Pſ. 44.

QUamlibet enim de quacunque re propriæ ſint atque manifeſtæ propheticæ locutiones, α neceſſe eſt, ut eis etiam tropicæ miſceantur, quæ maximè propter tardiores ingerunt doctioribus laborioſum diſputandi exponendique negotium: quædam tamen Chriſtum & Eccleſiam ipſa prima facie mox ut dicuntur, oſtendunt: etſi ex otio reſtant exponenda, quæ in eis minùs intelliguntur, quale illud eſt β in eodem Pſalmorum libro: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* γ *Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis.* δ *Specioſus forma præ filiis hominum: diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladium tuum circa femur tuum potentiſſimè. Specie tua & pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna. Propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, potentiſſimè. Populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis.* ε *Sedes tua Deus in ſecula ſeculorum, virga directionis, virga regni tui.* ζ *Dilexiſti juſtitiam, & odio habuiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.* Quis non hîc Chriſtum, quem prædicamus, & in quem credimus, quamlibet ſit tardus, agnoſcat: η cùm audiat Deum, cujus ſedes eſt in ſecula ſeculorum: θ & unctum à Deo, utique ſicut ungit Deus, non viſibili, ſed ſpiritali atque intelligibili chriſmate? Quis enim tam rudis eſt in hac religione, vel tam ſurdus adverſùs ejus famam, longè latèque diffuſam, ut Chriſtum à chriſmate, hoc eſt, ab unctione, appellatum eſſe non noverit? Agnito autem Rege Chriſto, jam cætera, quæ hîc tropicè dicta ſunt, quomodo ſit ſpecioſus forma præ filiis hominum: quadam ι tanto magis amanda atque miranda, quanto minus corporea pulchritudine, quis gladius ejus, quæ ſagitta, & cætera iſto modo non propriè, ſed tropicè poſita: jam ſubditus ei, qui regnat, *propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam,* inquirat ex otio. Deinde aſpiciat ejus Eccleſiam tanto viro ſuo ſpiritali connubio, & divino amore conjunctam: de qua dicitur in his, quæ ſequuntur: κ *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta varietate. Audi filia, & vide: & inclina aurem tuam: & obliviſcere Populum tuum, & domum patris tui. Quoniam concupivit Rex ſpeciem tuam, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Et adorabunt eum filii Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Omnis gloria ejus filiæ Regis intrinſecus in fimbriis aureis, circumamicta varietate. Afferentur Regi virgines poſt eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regis. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* λ *Memores erunt nominis tui, Domine a in omni generatione & progenie. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſeculum ſeculi.* Non opinor, quem-

quemquam ita deſipere, μ ut hic aliquam mulierculam prædicari credat atque deſcribi: conjugem videlicet illius, cui dictum eſt: *Sedes tua Deus in ſecula ſeculorum, virga directionis, virga regni tui: Dilexiſti juſtitiam, & odio habuiſti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis:* Chriſtum utique præ Chriſtianis. Hi ſunt enim participes ejus, ex quorum in omnibus gentibus unitate atque concordia fit iſta Regina: ſicut & in alio Pſalmo de illa dicitur: *Civitas Regis magni.* Ipſa eſt Sion ſpiritaliter. Quod nomen Latinè interpretatum ſpeculatio eſt. Speculatur enim futuri ſeculi magnum bonum: quoniam illuc dirigitur ejus intentio. Ipſa eſt & Hieruſalem eodem modo ſpiritaliter, unde multa jam diximus: ejus inimica eſt civitas diaboli Babylon, quæ confuſio interpretatur. Ex qua tamen Babylone regina iſta in omnibus gentibus regeneratione liberatur, & à peſſimo rege ad optimum Regem, id eſt, à diabolo tranſit ad Chriſtum. Propter quod ei dicitur: *Obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.* Cujus civitatis impiæ portio ſunt Iſraelitæ ſola carne, non fide: inimici etiam ipſi magni regni hujus, ejusque reginæ. ad ipſos enim veniens, & ab eis Chriſtus occiſus, magis aliorum factus eſt, *b* ν quos non vidit in carne. Unde per cujusdam Pſalmi prophetiam dicit ipſe Rex noſter: *Erues me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium. Populus, quem non cognovi, ſervivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.* Populus ergo iſte gentium, quem non cognovit Chriſtus præſentia corporali, in quem tamen Chriſtum ſibi annnunciatum credit, ut ξ meritò de illo diceretur: *In auditu auris obaudivit mihi:* quia fides ex auditu eſt. Iſte, inquam, populus additus veris & carne & fide Iſraelitis, civitas eſt Dei, quæ ipſum quoque ſecundùm carnem peperit Chriſtum: quando in ſolis illis Iſraelitis fuit. Inde quippè erat virgo Maria, in qua carnem Chriſtus ut homo eſſet, aſſumpſit. De qua civitate Pſalmus alius ait: *c* ο *Mater Sion, dicet homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus.* π Quis eſt iſte Altiſſimus, niſi Deus? Et per hoc Chriſtus Deus antequam in illa civitate per Mariam fieret homo, ipſe in Patriarchis & Prophetis fundavit eam. Cùm igitur huic reginæ civitati Dei, tanto antè dictum ſit per prophetiam, quod jam videmus impletum: *pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram:* (ex filiis quippè ejus per omnem terram ſunt præpoſiti principes, cùm confiteantur ei populi concurrentes ad eam cum confeſſione laudis æternæ in ſeculum ſeculi:) procul dubio quicquid hic tropicis locutionibus ſubobſcurè dictum eſt, quoquo modo intelligatur, debet his rebus manifeſtiſſimis convenire.

Pſ. 47.

Pſ. 47.

Pſ. 87.

a IN omni generatione & progenie.] *Alibi generatione & generatione, quod eſt conformius LXX. quos Auguſtinus ubique ſequitur. Hi enim ſic ſcriptum reliquerunt: ἐν πάσῃ γενεᾷ καὶ γενεᾷ, & alioqui ex proprietate Hebraica magnam vim habet idem verbum geminatum.* L. Vives.

b Quos non vidit in carne.] *Terram enim gentilium non eſt Chriſtus, dum inter homines eſſet, ingreſſus: nec auditus eſt aliis populis, quàm Iſraelitico: neque verò re-*

rò refert, unum aut alterum gentilem veniſſe ad Chriſtum : de populis & nationibus loquor.

c Mater Sion, dicet homo.] *In noſtris libris legimus: Nunquid Sion, dicet homo? Ex Hebraica veritate vertit Hieronymus, Ad Sion autem dicetur vir, ex LXX. verò; mater Sion dicet : nam ſic eſt Græcè,* μητὴρ σιὼν ἐρεῖ ἄνθρωπος. *ſed mendoſè, ut idem in Pſalmum hunc LXXXVI. declarat. LXX. enim ſic ſcripſerant* μήτι σιὼν, *quid eſt? quam lectionem ſpreverunt multi non intelligentes, & addiderunt, dixeruntq́;* μητὴρ σιὼν, *& hoc propterea, quoniam ſequitur, & homo natus eſt in ea.*

v.L.Coq. α NEceſſe eſt etiam, ut in iis tropicæ miſceantur.] *Quintilianus lib. 8. cap. 6. ita tropum definit,* Tropus eſt verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio. *Qua ratione ſcriptura debeat uti metaphoris, docet D. Thomas 1. p. q. 1. art. 9. Deus enim captui noſtro ſe ſe accommodat, quæ autem ſeſe ſtatim homini objiciunt, non ſunt ſpiritualia & intelligibilia, ſed materialia & ſenſibilia, cum intellectus noſter in intelligendo pendeat à ſenſu. convenienter igitur in ſcripturis ſacra traduntur nobis ſpiritualia ſub metaphoris rerum corporalium, quod ſignificat D. Dionyſius cap. 1. cæl. hierar. impoſſibile eſſe nobis aliter lucere divinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumvelatum. Doctrina etiam ſacra ſcripturæ omnibus communiter propoſita eſt. Conſentaneum eſt igitur, ut ſpiritualia ſub ſimilitudinibus corporalium proponantur, ut ſaltem vel ſic eam rudes capiant. Obſervandum verò, tùm neceſſarium eſſe intelligere tropum aut metaphoram, ubi ſi textum exponeremus in propria ſignificatione; aliquid ſequeretur abſurdi. Quod autem dicit, neceſſe eſt tropicæ locutiones miſceantur in ſcripturis, illud neceſſarium ad benè eſſe quod dicitur, & idem eſt quod utile, intelligendum eſt, nam aliàs abſolutè non ſunt neceſſariæ tropicæ vel metaphoricæ locutiones, cùm id quod metaphoricè ſeu tropicè dicitur, poſſit dici propriè. Quod enim dicitur (exempli gratia) in Apocalypſi,* vicit leo de tribu Juda, *dici poterat,* vicit Chriſtus; *non deſunt tamen rationes, ob quas ſcriptura tropis & metaphoris utatur, in quibus explicandis non eſt, quod diutius immoremur. Videri poteſt D. Auguſtinus lib. 2. de doct. Chriſti. cap. 6. Sanctes Pagninus Iſagoge ad ſacras literas lib. 1. cap. 19. & 20. & Driedo lib. 3. de regulis & dogmatibus ſacræ ſcripturæ cap. 4.*

β In eodem Pſalmorum libro eructavit.] *Pſalmus eſt 44. quem totum exponit D. Hieronymus Epiſt. 140. ad Principiam virginem, & de Chriſto ac de Eccleſia interpretatur, ſpirituali connubio illi conjuncta, & Juſtinus in Dialogo cum Tryphone totum de Chriſto exponit, & Origenes lib. 1. contra Celſum. Quod verò dicit,* Eructavit cor meum verbum bonum, *interpretatus eſt Symmachus, inquit,* commotum eſt cor meum verbo bono, judicans ad alterius ſermonem cor dicentis eſſe motum, & ſpiritu ſancto futura Chriſti ſacramenta pandente etiam hoc in eloquium prorupiſſe, ut quemadmodum cæteri de ejus adventu locuti ſunt, & iſte loqueretur. *Divus Baſilius,* quoniam nihil eorum, quæ hic dicuntur, humanum eſt, neque propriæ adinventionis, ſed ex divina energia, eructandi verbo illud exprimit. Nam verbum quidem noſtrum, quando volumus, loquimur, eructationem verò non ita; *quapropter eructationem propheticam vocat D. Ambroſ.*

broſ. lib. 1. de fide c. 9. contra Arrianos ſcribens; quando eructatum ex corde verbum legitur, niſi ut ex intimo & inæſtimabili patris intelligatur (ut ſcriptum eſt) prodiiſſe ſecreto. *Euthymius,* Cernens Propheta quod magna quædam de Chriſto ſibi erant prædicenda, exordio quodam utitur dicens ſermonem ſe bonum ac ſalutarem prolaturum. *Tu verò etiam emphaſim conſidera verbi* eructavit; *illud enim nobis indicare videtur, quod quemadmodum eructatio etiam à nolentis ore exit, humano nimirum ventre eam vi quadam efflante, ita & hic pſalmus de dilecto, ab intimo prophetæ noſtri corde emiſſus ſit, ſuperna quadam vi impellente, cùm ſuaviſſimo ſancti Spiritus epulo refertus eſſet. Eructavit cor meum, id eſt, effudit verbum præſtans, orationem & ſermonem inſignem, arcana & myſteria altiſſima, connubium ſpirituale Chriſti & Eccleſiæ, notas, virtutes & dotes utriusque.*

γ Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.] *Scriba ille velocriter ſcribens Spiritus ſanctus eſt, qui prophetis inſpirat, quæ loquantur; non à me ipſo hæc profero, lingua mea eſt inſtar calami & organi, quo utitur Spiritus ſanctus. Ita enim Spiritu ſancto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines. Debeo ergo & linguam meam quaſi ſtylum & calamum præparare, ut per illam in corde & auribus audientium ſcribat Spiritus ſanctus. meum enim eſt, quaſi organum præbere linguam, illius quaſi per organum ſonare quæ ſua ſunt.*

δ Specioſus forma præ filiis hominum.] *In Hebraico,* decore pulchrior es filiis hominum; *Tertullianus libr. contra Judæos cap. 9. legit,* tempeſtivus decore ſuper filios hominum; finito procœmio *(inquit B. Hieronymus)* hinc narrationis exordium, & fit Apoſtrophe ad ipſum amantiſſimum, & dilectum & regem, cui dicentis opera conſecrata ſunt.

ε Sedes tua Deus in ſecula ſeculorum.] *D. Hieronymus in Hebraico;* Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, ſceptrum æquitatis, ſceptrum regni tui.

ζ Quis non hic Chriſtum quem prædicamus.] In hunc Pſalmum *(ait Eugubinus)* mirabili concordia conveniunt Hebræi, Græci & Latini, eſſe oraculum de rege Meſſia venturo ad homines. In primis Jonathan Targum in tranſlatione hujus Pſalmi multis in locis Meſſiæ meminit, quem ſecuta cæterorum Hebræorum cuncta cohors, præcipuè Rabbi Salomon, Aven Ezra, Rabi David uno ore aſſeruut eſſe ſuper Meſſia. *Meritò itaque Genebrardus Genevenſes impietatis reprehendit, qui de Salomone hunc pſalmum exponunt, quod & malè facit Vatablus, qui vult, filios Chore laudare Salomonem à dignitate formæ & gratia eloquentiæ, fortitudine, potentia, ſplendore, magnificentia cum in ſe tum in conjuge. Altiora planè ſunt hæc, quæ cecinit divinus vates ſibi divinitus inſpirata, quàm quæ in Salomonem convenirent. Longè aliud conſilium Spiritus ſancti. An verò in Salomonem quadrat, quod ſit Deus & thronus illius æternus, & quod filii ejus conſtituendi ſint principes ſuper omnem terram; An Salomon accinctus gladio, ſagittis, ſpiritualiter aut materialiter debellavit, ſubjecitque ſibi populos rebelles, de quibus in eo pſalmo eſt ſermo? Tertullianus lib. contra Judæos cap. 14.* Thronus in ævum magis Chriſto filio Dei competit, quàm Salomoni, temporali ſcilicet Regi, qui ſoli Iſrael regnavit.

η Cùm audiat Deum, cujus ſedes eſt in ſecula ſecula ſeculorum.] *Hoc etiam*

teſtimonium Apoſtolus protulit ex hoc pſalmo in Epiſtola ad Hebræos cap. 1. ad probandam Chriſti divinitatem, cùm enim de Angelis, ut de creaturis ſcriptura loquatur, at de filio ut Deo & creatore, ad filium autem, Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi *(ὁ Deus) thronus tuus regius in æternum manet, nunquam finietur regnum tuum. Itaque Deus vocativi caſus eſt, ut docet Euſebius lib. 4. de demonſtrat. Evang. cap. 15. juxta Aquilam*, ὁ θρόνος σου θεὲ εἰς αἰῶνα καὶ ἔτι. *Ex hoc pſalmo facilè colligitur contra Judæos Meſſiæ divinitas, immò ter in eo oſtenditur Chriſtus verus Deus. Primò cum loquitur Propheta ad Chriſtum Dominum dicens*, Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, *ſecundò cum ad eundem dicit*; Propterea unxit te Deus, Deus tuus, *ubi Deus, primo loco poſitum vocandi caſus eſt, ô Deus unxit te Deus tuus. D. Auguſtinus in eum locum*: in Latino putatur idem caſus nominis repetitus. In Græco autem evidentiſſima diſtinctio eſt, quia unum nomen eſt, quod compellatur, & alterum ab eo qui compellat. *Tertiò cum alloquitur ſponſam Meſſiæ reginam Eccleſiam*, Et concupiſcet Rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus; *ille Rex Meſſias futurus ſponſus Eccleſiæ. atqui ille Deus.*

θ Et unctum à Deo utique ſicut ungit Deus.] *Ita idem egregiè.* Quis eſt Deus unctus à Deo? Dicant nobis Judæi, ſcripturæ iſtæ communes ſunt, unctus eſt Deus, à Deo unctum audis, Chriſtum intellige, etenim Chriſtus à chriſmate. Hoc nomen, quod appellatur Chriſtus, unctionis eſt, nec in aliquo alibi ungebantur Reges & ſacerdotes, niſi in illo regno, ubi Chriſtus prophetabatur & ungebatur, & unde venturum erat Chriſti nomen unctus eſt ergo Deus à Deo, quo oleo, niſi ſpirituali? Oleum enim in ſigno viſibile eſt, oleum inviſibile in ſacramento eſt; oleum ſpirituale eſt intus, oleum viſibile exterius eſt. *D. Irenæus lib. 3. cap. 6.* Utroſque Dei appellatione ſignificavit Spiritus, & eum, qui ungitur filium, & eum qui ungit, id eſt, patrem. *D. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 2.* Deus eſt, qui ungit, & Deus, qui ſecundùm carnem ungitur Dei filius.

ι Tantò magis amanda atque miranda, quantò minus corporea pulchritudine.] *Baſilius & Cyrillus lib. 5. in cap. 53. Iſaiæ de pulchritudine divinitatis intelligunt. Theodoretus verò & Remigius & Arnobius ibi, & Gregorius lib. 1. Reg. cap. 1. de pulchritudine gratiæ exponunt, at de pulchritudine corporis etiam nonnulli interpretantur, ut D. Auguſtinus & Caſſiodorus ad eum locum & D. Bernh. ſerm. 1. de omnibus ſanctis; at veræ ſunt omnes hæ interpretationes, cùm Meſſias omnibus modis pulcher ſit.*

κ Aſtitit regina à dextris tuis] *Hactenus de dignitate & majeſtate Regis Meſſiæ, nunc de Regina, Eccleſia nempe, præſertim collecta ex Gentibus (à dextris tuis) in conſimili honore, & gloria, in majeſtate tua potentia amicta varietate, vario ornatu de variis virtutibus & gratiis Eccleſiæ & donis ſpiritus ſancti.* Alios enim poſuit in Eccleſia Paſtores & Doctores, alios Prophetas, alios Apoſtolos, *Eph. 4.* Alii per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ; alii ſermo ſcientiæ, alii fides in eodem ſpiritu. *Alius eſt in Eccleſia oculus, alius auris, 1. Cor. 12. Græcè eſt* περιβεβλημένη, πεποικιλμένη. *Admonuit ſanctus Hieronymus, ea nullum interpretum excepta vulgata editio-*

ne

ne tranſtuliſſe, & apud Cyprianum l. 2. contra Judæos non referuntur. Ita enim habet, Aſtitit regina ad dexteram tuam in veſte inaurata.

λ Memores erunt nominis tui.] *Hebraicè & Græcè* Memor ero, *in Eccleſiæ perſona. D. Hieron. in Hebraico. Recordabor nominis tui Regina, quæ ſteterat à dextris Regis in veſtitu deaurato, intelligens quanta decoranda ſit gloria, & quibus præmiis ſublevanda, convertit ad ſponſum voces ſuas, & pollicetur recordaturum ſe ſemper nominis ſponſi in omni generatione, quod promiſit videmus expletum. Ipſa Chriſtiana nobis omnibus Chriſtianorum nomen impoſuit, nomen novum, in quo benedicentur omnes familiæ gentium, recordabor, ait, non in una generatione, ſed in omnibus, vel cunctas ſignificans nationes vel duas nationes Judæorum atque Gentium.*

μ Ut hic aliquam mulierculam prædicari credat atque deſcribi.] *Ubi ſcriptura ſine abſurditate non patitur ſenſum proprium, metaphoricè interpretanda eſt. Ergò cùm multa ſequantur abſurda, ſi hunc locum de muliercula quadam interpretemur, quæ præ cæteris dilecta ſit Meſſiæ, & ex multis electa, quæ ſit ei uxor, ut impiè interpretatus eſt David Rabbi, teſte Eugubino, certè metaphoricè intelligendus eſt de Eccleſia dilecta & unica ſponſa Chriſti, quæ quoad omnia membra etiam perpetua quadam metaphora deſcribitur in Canticis Canticorum.*

ν Quos non vidit in carne.] *Tertullianus lib. contra Judæos* Ad finem; Chriſtum hodie invocant nationes, quæ eum non ſciebant, & populi hodie ad Chriſtum confugiunt, quem retrò ignorabant.

ξ Meritò de illo diceretur in auditu auris.] *Ad primum auditum, ad ſolum nominis mei rumorem, ſtatim ubi audivit Evangelii prædicationem.*

ο Mater Sion dicit.] μητὴρ Σιὼν ἐρεῖ ἄνθρωπος, *ita habent vulgata Græcorum exemplaria, & Græci omnes expoſitores, & præterea Tertullianus, S. Ambr. & hanc ſequitur D. Auguſt. In Commentariis D. Hieronymi legitur, LXX. ita ſcripſiſſe* μήτι Σιών, Nunquid Sion, *ſed multos cùm id non intelligerent, addidiſſe* ρ. *& feciſſe* μήτηρ, *Aquila,* καὶ τῆς Σιὼν, & ipſius Sion. *Symmachus,* περὶ δὲ Σιὼν λεχθήσεται, ἀνὴρ καὶ ἀνὴρ ἐτέχθη ἐκεῖ, De Sion dicetur, vir & vir natus eſt ibi. *In Hebræo ſimpliciter legitur,* Et Sioni dicetur. *Tunc Sioni multorum filiorum matri fœcundiſſimæ quaſi gratulando dicetur, quod vir & vir nati ſunt in ipſa, id eſt magni & multi viri in ea ſunt generati, per generationem ſcilicet ex aqua & Spiritu ſancto. nam illa repetitio multitudinem ſignificat, homo & homo, Judæus & Gentilis. In Chriſto enim Jeſu non eſt diſtinctio Judæi & Græci, dives eſt in omnes, qui invocant illum.*

π Quis eſt iſte altiſſimus niſi Deus.] *Nomen certè ſolius Dei veri, Pſal. 82.* Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem virum, *ita hunc locum citatum ab Auguſtino de filio omnes interpretes intelligunt. Idem nomen Chriſto tribuit Zachar. Luc. 1.* Tu puer Propheta altiſſimi; ipſe eſt ſuper omnia Deus. *Rom. 9. D. Ambroſ. lib. 3. de fide cap. 2. ex hoc nomine, quod in ſcripturis tribuitur Chriſto, probat ejus divinitatem contra Arrianos. D. Hieronymus in enarrat ejus Pſalmi,* Reſpondeant, *inquit,* Arriani, quoniam dicunt ſolum altiſſimum patrem eſſe, ecce hic de filio dicitur, & ipſe fundavit eam altiſſimus.

CAP. XVII.

De his, quæ ad ſacerdotium Chriſti in Pſalmo centeſimo nono, & de his, quæ vigeſimo primo ad paſſionem ipſius ſpectant.

SIcut etiam in illo Pſalmo, ubi ſacerdos Chriſtus, quemadmodum hic Rex a-
Pſ. 109. pertiſſimè prædicatur: α *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis. Do-
nec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Sedere Chriſtus ad dexteram
Dei Patris creditur, non videtur: ejus etiam inimicos poni ſub pedibus ejus non-
dum apparet. a Id igitur apparebit in fine, nunc hoc verè creditur, pòſt videbi-
tur. Verùm hoc quod ſequitur: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion:
dominare in medio inimicorum tuorum:* ita clarum eſt, ut non ſolùm infideliter
& infeliciter, ſed etiam impudenter negetur. Et ipſi quippè fatentur inimici,
β ex Sion miſſam fuiſſe Legem Chriſti, γ quod Evangelium nos vocamus: &
eam virgam virtutis ejus agnoſcimus. Dominari verò in medio inimicorum
ſuorum, iidem ipſi, inter quos dominatur dentibus ſuis frendendo & tabeſcen-
do, & nihil adverſus eum valendo teſtantur: Deinde quod paulò pòſt dicit: *Ju-
ravit Dominus, & non pœnitebit eum:* δ quibus verbis immutabile futurum eſſe
ſignificat, quod adjungitur: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchi-
ſedech:* ex eo, quod jam nuſquam eſt ſacerdotium & ſacrificium ſecundùm or-
dinem Aaron, & ubique offertur ſub ſacerdote Chriſto, quod protulit Melchiſe-
Gen. 14. dech, quando benedixit Abraham, quis ambigere permittitur, de quo & iſta di-
cantur? Ad hæc itaque manifeſta referuntur, quæ paulò obſcurius in eodem
Pſalmo poſita ſunt, quæ quomodo rectè intelligantur, in noſtris jam populari-
bus ſermonibus notum fecimus. Sic & in illo, ubi humilitatem paſſionis ſuæ
Pſ. 21. per prophetiam Chriſtus eloquitur, dicens: *Foderunt manus meas & pedes meos,
dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi verò conſideraverunt & conſpexerunt me.*
Quibus utique verbis in cruce corpus ſignificavit extentum manibus pedibuſ-
que confixis, & clavorum transverberatione confoſſis, eoque modo ſe ſpecta-
Matth. culum conſiderantibus & conſpicientibus præbuiſſe. Addens etiam: *Diviſe-
27. runt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Quæ prophetia
quemadmodum impleta ſit, Evangelica narrat hiſtoria. Tunc profectò & alia
rectè intelliguntur, quæ ibi minus apertè dicta ſunt, cùm congruunt his, quæ tan-
Pſ. 21. ta manifeſtatione claruerunt: præſertim quia & illa, quæ non tranſacta credi-
mus, ſed præſentia contuemur, ſicut in eodem Pſalmo leguntur, tanto antè præ-
dicta, ita nunc exhibita jam toto orbe terrarum cernuntur. Ibi enim pauò pòſt
dicitur: *Commemorabuntur & ad Dominum convertentur univerſæ fines terræ, &
adorabunt in conſpectu ejus omnes patriæ Gentium: quoniam Domini eſt regnum, &
ipſe dominabitur Gentium.*

L. Vives a ID igitur.] *Alibi melius: Id agitur. Apparebit in fine etiam, nunc hoc creditur, de
quo Paul. multa & ad Hebr. & ad Corinth.*

F.L.Coq. α DIxit Dominus Domino meo.] *Hunc Pſalmum veteres Rabinos interpretatos
eſſe de Meſſia teſtatur Galatinus lib. 8. contra Judæos, capite vigeſimo quarto,
& Ge-*

& Genebrardus in explanatione illius Pſalmi, & Chriſtus ipſe Matthæi 22. cum tribuit Davidi, & ex his verbis ratiocinatur, non videri filium Davidis Meſſiam, qui in hoc Pſalmo illius dicatur Dominus, & nemo ei potuit reſpondere, ſiquidem apud Judæos conſtans erat & certum, hunc Pſalmum de Meſſia eſſe ſcriptum; & Apoſtolus ad Hebræos capite primo de filio, Angelis longè ſuperiori, dictum eſſe à patre ſcribit, ſede à dextris meis, *& Actorum ſecundo Petrus de Chriſto dictum eſſe affirmat. Eſt autem Pſalmi argumentum Chriſtum ad patris dextram ſeſſurum, regnum à Judæa auſpicarum, ſacerdotio Melchiſedech perpetuo functurum, toto orbe victorem dominaturum, & judicem futurum. Juſtinus Martyr in Apologia 2. pro Chriſtianis hunc Pſalmum interpretatur de Chriſto, & Dialogo cum Tryphone reprehendit Judæos, qui illum Pſalmum de Rege Ezechia interpretarentur, & oſtendit, non niſi de Chriſto interpretandum eſſe. Nec enim Ezechias ſacerdos fuit, nec æternus.*

β Ex Sion miſſam fuiſſe legem Chriſti.] *Ita prædixerat Iſaiæ cap. 2.* De Sion exibit lex. *Juſtinus in Apologia cap. 2. pro Chriſtianis.* Illud, virgam virtutis emittet tibi ex Hieruſalem, prænuntiabat ſermonem validum, qui per Apoſtolos Hieroſolymis profectos in omnes terras prædicatus eſt.

γ Quod Evangelium nos vocamus.] *Græca vox, quæ* bonum nuntium *ſignificat; lex Evangelica, quæ potiſſimum complectitur charitatem diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, quæ gratiam exhibet, bonum certe nuntium eſt. Quid ſibi velit Evangelium, expreſſit D. Chryſoſtomus homil. 1. in Mathæum;* Non abs re (*inquit*) Matthæus inſcriptionem ſuam Evangelium vocavit, ſiquidem veniam peccatorum, ſanctificationem atque juſtitiam, redemptionem, adoptionem filiorum & cœlorum hereditatem omnibus nunciavit; nunquid aliquid poteſt eſſe æquale iis tam bonis nuntiis? propterea ergo Evangelium iſta vocatur hiſtoria. *i. e.* nuntium bonum, quaſi ſi omnia alia verba inania doceantur, quibus ſolent præſentia iſta promitti, ut copia divitiarum, honores, principatus. *Ita Eſaias longè antea legem Chriſti Evangelium nominarat. Iſaiæ 61.* Ad evangelizandum pauperibus miſit me, & Hieruſalem Evangeliſtam dabo, *&* quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.

δ Quibus verbis immutabile futurum eſſe ſignificat.] *Ita etiam interpretatur quæſt. 124. ſuper Exodum, & lib. 1. contra adverſarios legis & Prophetarum cap. 20. quod Deum non pœnitebit, ſignificatio eſt; quod ſacerdotium illud non mutabit,* juravit & non pœnitebit. *i. e. certo & immutabiliter conſtituit; non mutabit ſententiam in ſacerdotio tuo, ut in Aaronico, quod jam antiquatum & abrogatum eſt.*

ε Foderunt manus meas & pedes.] *Quæ apertè intelliguntur de paſſione Chriſti. Ita ſpiritus Propheticus futura jam quaſi facta narrat. D. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo totam hunc Pſalmum oſtendit de Chriſto dictum eſſe, & his verbis,* Foderunt manus meas, *contineri vaticinium de genere mortis, qua damnavit eum concilium malignantium ; quæ eadem verba ibidem alio argumento oſtendit de Chriſto intelligenda eſſe :* Quando eum crucifixerunt (*inquit*) impactis clavis, manus ejus pedeſque pertuderunt, & crucifixores veſtimenta ejus ſibi diviſerunt, ſortibus committentes quæ portio cui militi debeat cedere; vos

tamen

tamen ne hunc quidem Pſalmum de Chriſto loqui putatis excæcati modis omnibus, nec intelligitis ullum unquam regem generis veſtri Chriſtum extitiſſe, cui vivo manus ac pedes perforati ſunt. Sed ſolum Jeſum juxta myſticum carmen crucifixum fuiſſe. *Et in Apologia 2. pro Chriſtianis adducens hoc teſtimonium Davidis*; Certe David Rex & Propheta (*ait*) qui hæc dixit, nihil tale paſſus eſt; Chriſtus autem manus extendendas in cruce præbuit obloquentibus & Chriſtum eſſe eum negantibus. Nam juxta prædictionem Prophetæ per ludibrium collocarunt eum in tribunali acclamantes, redde nobis jus. Iſtud autem, perfoderunt mihi manus pedesque, intelligitur de clavis, quibus ejus manus, pedesque cruci affixi fuerunt; & poſt ſublatum in crucem miſſis ſuper ejus veſtimenta ſortibus diviſerunt ea ſibi ceu operæ pretium. *Tertullianus lib. contra Judæos cap. 10* Si quæres (*inquit*) dominicæ crucis prædicationem; ſatis jam tibi poterit facere Pſalmus 21. Totam Chriſti continens paſſionem, canentis jam tum gloriam ſuam, Foderunt (*inquit*) manus meas & pedes; quæ propria eſt atrocitas crucis. *& cap. 13.* Hæc David paſſus non eſt, ut de ſe merito dixiſſe videatur, ſed Chriſtus, qui crucifixus eſt.

Cap. XVIII.

De Pſalmo tertio, & de quadrageſimo, & de quinto decimo. & de ſexageſimo ſeptimo, in quibus mors & reſurrectio Domini prophetantur.

De reſurrectione quoque ejus, nequaquam Pſalmorum oracula tacuerunt. Nam quid eſt aliud, quod in Pſalmo tertio ex perſona ejus canitur: *a Ego* Pſ. 3. *dormivi & ſomnum cepi, & exſurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me?* An fortè quisquam ita deſipit, ut credat, velut aliquid magnum nobis indicare voluiſſe prophetam, quod dormierit & exſurrexerit, niſi ſomnus iſte mors eſſet, & evigilatio reſurrectio, quam de Chriſto ſic oportuit prophetari? Nam & in quadrageſimo Pſalmo manifeſtius ſic oſtenditur, ubi ex perſona mediatoris, more ſolito, tanquam præterita narrantur, quæ futura prophetabantur, quoniam quæ ventura erant, jam in prædeſtinatione *a* & *β* præſcientia Dei velut facta erant, quia certa erant. *Inimici*, inquit, *mei dixerunt mala mihi: quando morietur &* Pſ. 40. *peribit nomen ejus? Et ſi ingrediebatur, ut videret, vana locutum eſt cor ejus, congregavit iniquitatem ſibi. Egrediebatur foras, & loquebatur ſimul in unum. Adverſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, adverſum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum diſpoſuerunt adverſum me: nunquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat?* Hæc certè ita poſita ſunt verba, ut nihil aliud dixiſſe intelligatur, quàm ſi diceret: Nunquid qui moritur, non adjiciet, ut reviviſcat? Superiora quippe demonſtrant, mortem ipſius cogitaſſe, & diſpoſuiſſe inimicos ejus, & hoc actum eſſe per eum, qui ingrediebatur, ut videret, & egrediebatur, ut proderet. Cui autem hic non occurrat ex diſcipulo ejus factus traditor Judas? Quia ergo facturi erant, quod moliebantur, id eſt, occiſuri erant eum, oſtendens illos vana malitia fruſtrà occiſuros reſurecturum, ſic adjecit hunc verſum, velut diceret: Quid agitis vani? quod veſtrum eſt ſcelus, meus ſomnus erit. *Nunquid qui dormit, non adjici-*

adjiciet, ut reſurgat? Et tamen eos tam magnum nefas non impunè facturos conſequentibus indicat verſibus dicens: *Etenim homo pacis meæ, in quo ſperavi, qui edebat panes meos, ampliavit b γ ſuper me calcaneū ſuū,* hoc eſt, conculcavit me. *Tu autem,* inquit, *Domine, miſerere mei, & reſuſcita me, & reddam illis.* Quis hoc jam neget, qui *δ* Judæos poſt paſſionem reſurrectionemque Chriſti de ſedibus ſuis bellica ſtrage, & excidio funditus eradicatos videt? Occiſus enim ab eis reſurrexit, & reddidit eis interim temporaneam diſciplinam, excepto quod non correctis ſervat, quando vivos & mortuos judicabit. Nam Dominus ipſe Jeſus iſtum ipſum traditorem ſuum per panem porrectum oſtendens Apoſtolis, hunc etiam verſum Pſalmi hujus commemoravit, & in ſe dixit impletum: *Qui edebat panes meos, ampliavit ſuper me calcaneum.* Quod autem ait, in quem ſperavi: non congruit capiti, ſed corpori. Neque enim neſciebat eum ipſe ſalvator, de quo antè jam dixerat: *c Unus ex vobis diabolus eſt:* ſed ſolet in ſe membrorum ſuorum transferre perſonam, & ſibi tribuere, quod eſt illorum, quia caput & corpus unus eſt Chriſtus. Unde illud in Evangelio: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare.* Quod exponens ait: *d Quando uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Se itaque dixit ſperaſſe, quod tunc ſperaverant de Juda diſcipuli ejus, quando eſt connumeratus Apoſtolis. Judæi autem Chriſtum, quem ſperant, moriturum eſſe non ſperant. Ideò quem Lex & Prophetæ annunciaverunt, noſtrum eſſe non putant, ſed neſcio quem ſuum, quem ſibi alienum à mortis paſſione confingunt. Ideò miſerabili vanitate atque cœcitate verba, quæ poſuimus, non mortem & reſurrectionem, ſed ſomnum & evigilationem ſignificare contendunt. Sed clamat eis etiam Pſalmus quintus decimus: *Propter hoc jocundatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Quis in ea ſpe diceret, requieviſſe carnem ſuam, ut non derelicta anima ſua in inferno, ſed citò ad eam redeunte reviviſceret, ne corrumperetur, ſicut cadavera corrumpi ſolent, niſi qui die tertio reſurrexit? Quod utique *ε* dicere non poſſunt de propheta & rege David. Clamat ſexageſimus ſeptimus Pſalmus: *Deus noſter, Deus ſalvos faciendi, & Domini domini exitus mortis.* Quid apertius diceretur? *e ζ* Deus enim ſalvos faciendi Dominus eſt Jeſus, quod interpretatur ſalvator, ſive ſalutaris. Nam ratio nominis hujus hæc reddita eſt, quando prius quàm ex virgine naſceretur, dictum eſt: *Paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* In quorum peccatorum remiſſionem, quoniam ſanguis ejus effuſus eſt, non utique oportuit eum de hac vita exitus alios habere quàm mortis. Ideò quum dictum eſſet: *Deus noſter Deus ſalvos faciendi:* continuò ſubjunctum eſt, *& Domini f exitus mortis,* ut oſtenderetur moriendo ſalvos eſſe facturus. Sed mirando dictum eſt, & Domini, tanquam diceretur: Talis eſt iſta vita mortalium, ut nec ipſe Dominus aliter ab illa exiret, niſi per mortem.

Ioh. 13. Ioh. 6. Matth. 25. Pſ. 15. Pſ. 67. Luc. 1. Matt. 1. Pſ. 67.

a ET præſcientia Dei velut facta erant, quia certa erant.] *Vetus exemplar non habet, quia certa erant: & videtur additum ab aliquo ceu ſcholium.* L. Vives.

b Super me calcaneum.] *πτερνισμὸν ſupplantationem. πτέρνη enim eſt calcaneus, ſupplantatio eſt in luctatoribus, quum alter pede ſuo crus alterius ſuſtollit, qua altero tantum innixum crure facilius proſternat. Græci πτερνίζειν dixerunt à calcaneo, nos ſupplantare à plantæ pedis parte. Eſt etiam ἀλληγορικῶς πτερνίζειν ἀπατᾶν, fallere.*

c Unus ex vobis diabolus eſt.] *Codex Brugenſis ſic legit: Unus ex vobis me tradet, & unus ex vobis diabolus eſt. Duo ſunt loci diverſis capitibus Evangelii Joan. prius illud 13. poſterius 6. at diabolus dicitur Judas, q. calumniator & delator.*

d Quando uni ex minimis meis.] *Alibi: Quod uni. Græcè eſt ἐφ' ὅσον hoc eſt, quantum.*

e Deus enim ſalvos faciendi.] *ὁ Θεὸς τοῦ σώζειν, q. Deus qui ſervare poſſit aut ſoleat: proprietas illa Græca vix poteſt Latina lingua exprimi, niſi quis malit per nomen dicere, quod alibi, Deus ſalutis.*

f Exitus mortis.] *Ne quis fallatur, exitus rectus eſt pluralis, non genitivus ſingularis, αἱ διέξοδοι τοῦ θανάτου.*

R.L.Coq. *α* EGo dormivi & ſomnum cepi.] *Cum Auguſtino Juſtinus contra Tryphonem, & Arnobius de morte & reſurrectione Chriſti interpretantur, & Euſebius lib. 13. de præpar. Evangel. cap. 7.*

β Et præſcientia Dei velut facta erant.] *Ita Prophetæ aliquando futura enuntiant in præterito, quod ea quæ ſpiritu Dei afflati vaticinantur, futura ſint certiſſimè. Id obſervat Juſtinus Dialogo cum Tryphone, & Hieronymus.* Prophetalis conſuetudo eſt quaſi præteritum dicere, quod futurum eſt.

γ Ampliavit ſuper me calcaneum.] *Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 40. legit,* Qui mecum pacem edit, levabit in me plantam; *cui B. Hieronymus conſentit ex Hebræo Græcè πτερνισμὸν ut hic D. Auguſtinus, alii* ſupplantationem, *Græcè eſt ἐμεγάλυνεν. i. e.* Levavit *ſeu* magnificavit, ampliavit.

δ Quis hoc neget qui Judæos.] *Conſtat enim, ſcelus & flagitium commiſſum à Judæis in Chriſtum cauſam eſſe diſperſionis & exitii ipſorum, ut oſtendit Rabbi Samuel Marochianus lib. de adventu Meſſiæ, Tertullianus lib. contra Judæos cap. 11.*

ε Dicere non poſſint de propheta & rege David.] *Citans hoc teſtimonium D. Petrus Act. 2. docet, non poſſe intelligi de David,* Quoniam defunctus eſt (*inquit*) & ſepultus eſt, & ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem. Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia jurejurando juraſſet illi Deus de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus, procedens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.

ζ Deus enim ſalvos faciendi.] *Deus noſter eſt Deus Salvationis, eſt Deus, qui ſalvos nos facit, quia vero ſalvat Chriſtus per mortem & paſſionem, illud (* Domini exitus mortis*) ad Chriſtum refert, cujus ſanguis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, ut etiam ſignificetur, nec ipſum domum factum hominem immunem eſſe à morte, quod & in eundem Pſalmum interpretatur,* quid indignaris humana conditio, habere te exitum mortis? Domini tui exitus non alius quàm mortis fuit: potius ergo conſolare quam indignare. *διέξοδοι,* exitus *in plurali, ut ſignificetur etiam Domini eſſe educere & liberare à morte.*

Cap.

CAP. XIX.

De Pſalmo ſexageſimo octavo, in quo Judæorum pertinax infidelitas declaratur.

SEd ut Judæi tam manifeſtis hujus prophetiæ teſtimoniis, etiam rebus ad effectum tam clarum certumque perductis omninò non credant, profectò in eis illud impletur, quod in eo Pſalmo, qui hunc ſequitur, ſcriptum eſt. Quum enim & illic ex perſona Chriſti, quæ ad ejus paſſionem pertinent, propheticè dicerentur, commemoratum eſt, quod in Evangelio patuit: α *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potum mihi dederunt acetum.* Et velut poſt tale convivium epulaſque ſibi hujuſcemodi exhibitas, mox intulit: *Fiat* α β *menſa eorum coram ipſis in muſcipulam, & in retributionem, & in ſcandalum: obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva,* & cætera, γ quæ non optando ſunt dicta, ſed optandi ſpecie prophetando prædicta. Quid ergò mirum, ſi hæc manifeſta non vident, quorum oculi ſunt obſcurati, ne videant? Quid mirum, ſi cœleſtia non ſuſpiciunt, qui in terrena ſint proni, dorſum eorum ſemper incurvum eſt? His enim verbis tranſlatis à corpore vitia ſignificantur animorum. Iſta de Pſalmis, hoc eſt, de prophetia regis David, ſatis dicta ſint, ut aliquis modus ſit. Ignoſcant autem, qui hæc legunt, & cuncta illa noverunt, & de his, quæ fortaſſe firmiora me prætermiſiſſe vel intelligunt, vel exiſtimant, non querantur.

Matth. 27.

Pſ. 68.

a MEnſa eorum coram ipſis in muſcipulam.] *εἰς παγίδα, in laqueum. hic muſcipulam dixit, quæ tenditur ad captandos mures.* L. Vives.

α DEderunt in eſcam meam fel.] *Tertullianus lib. contra Judæos cap. 10. legit,* Miſerunt in potum meum fel. F. L. Coq.

β Menſa eorum coram ipſis in muſcipulam.] Εἰς παγίδα, in laqueum, *menſa, quam mihi appararunt. i. e. eſca illa per metonymiam; qualem mihi menſam apponunt, tali & ipſi fruantur. Chaldæ.* Sit menſa eorum, quam inſtruxerunt, coram eis in laqueum. *Origenes menſam illam ſcripturam ſacram interpretatur, in qua verba Dei epulæ veluti dulciſſimæ proponuntur:* Nonne vetus teſtamentum illorum menſa eſt à Moyſe reliquiſque Prophetis ſtrata, ſuaviſſimorumque ciborum apparatu impleta? ex ea tamen ſumpta ſaluberrimos cibos in venenum convertunt, tale eſt peſtiferi ſtomachi virus, talis obcæcati intellectus ignorantia, quæ menſa Chriſtianos alit, reficit, oblectat; eadem, intellectus vitio Judæos illaqueat, obcæcat, occidit.

γ Quæ non optando ſunt dicta.] *Quod idem ſcribit in eum Pſalmum in eorum verborum expoſitione,* Non optantis eſt, *inquit,* ſed prophetantis, non ut fiat, ſed quia fiet, ne quod præſaga mens in ſpiritu Dei dicit, malevolè imprecari videatur. *Ita quæ videntur apud Prophetas imprecationes, prædictiones ſunt.*

CAP. XX.

De regno ac merito David, & de filio ipſius Salomone, eaq́ prophetia, quæ ad Chriſtum pertinens invenitur, vel in eis libris, qui ſcriptis ipſius copulantur, vel in eos, quos ipſius eſſe non dubium eſt.

REgnavit ergò David in terrena Hieruſalem, filius Cœleſtis Hieruſalem, divino multum teſtimonio prædicatus, quia & delicta ejus tanta pietate ſuperata ſunt, per ſaluberrimam pœnitendi humilitatem, ut prorſus inter eos ſit, de quibus ipſe ait: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*
Pſ. 31. 3. Reg. 1. & 2. Poſt hunc regnavit eidem populo univerſo Salomon ejus filius, qui ut ſuprà dictum eſt, patre ſuo vivente cœpit regnare. *a* α Hic bonis initiis malos exitus habuit. Quippe ſecundæ res, quæ ſapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt, quàm profuit ipſa ſapientia, etiam nunc & deinceps memorabilis, & tunc longè latèque laudata. Prophetaſſe etiam ipſe reperitur in ſuis, *b* β qui tres recepti ſunt in autoritatem canonicam. Proverbia, Eccleſiaſtes, & Canticum canticorum. γ alii verò duo, quorum unus Sapientia, alter Eccleſiaſticus dicitur, propter eloquii nonnullam ſimilitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit conſuetudo. Non autem eſſe ipſius, non dubitant doctiores, eos tamen in autoritatem maximè occidentalis antiquitus recepit Eccleſia. *c* quorum in uno, qui appellatur Sapientia Salomonis, paſſio Chriſti apertiſſimè prophetatur.
Sap. 2. Impii quippe interfectores ejus commemorantur dicentes: δ *Circumveniamus juſtum, quoniam inſuavis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & infamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſcientiam Dei ſe habere, & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Gravis etiam nobis eſt ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ viæ ejus. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris, quaſi ab immundiciis. Præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur, patrem ſe Deum habere. Videamus ergò, ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus, quæ ventura ſunt illi, & ſciemus, quæ erunt noviſſima illius. Si enim juſtus eſt filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit de manu contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus illum, ut ſciamus reverentiam illius, & probemus patientiam ipſius.*
al. in. *Morte turpiſſima condamnemus illum, erit enim ei reſpectus ex † ſermonibus illius. Hæc cogitaverunt & erraverunt, excæcavit enim illos malitia ipſorum.* *d* In Eccle-
Eccl. 36. ſiaſtico autem fides gentium futura prædicitur iſto modo: *Miſerere noſtri dominator Deus omnium, & immitte timorem tuum ſuper omnes gentes: extolle manum tuam ſuper gentes, & videant potentiam tuam, ut ſicut coram illis ſanctificatus es in nobis, ita coram nobis magnificeris in illis, & agnoſcat te ſecundùm quod & nos agnovimus, quia non eſt Deus præter te Domine.* Hanc ſub optandi & precandi ſpecie prophetiam per Jeſum Chriſtum videmus impletam, ſed adverſus contradictiones, quæ non tanta firmitate proferuntur, quæ ſcripta non ſunt in canone Judæorum. In tribus verò illis, quos Salomonis eſſe conſtat, & Judæi canonicos habent, ut oſtendatur, ad Chriſtum & Eccleſiam pertinere, quòd in eis ejuſmodi

modi reperitur, operoſa diſputatio neceſſaria eſt, quæ nos ultra quàm oportet, ſi nunc adhibeatur, extendit. Tamen quod in Proverbiis legitur, viros impios dixiſſe: *Abſcondamus in terra virum juſtum injuſtè, abſorbeamus verò eum tanquam infernus viventem, & auferamus ejus memoriam de terra, poſſeſſionem ejus precioſam apprehendamus:* non ita obſcurum eſt, ut de Chriſto & poſſeſſione ejus Eccleſia ſine laborioſa expoſitione non poſſit intelligi. Prov. 1. Tale quippe aliquid etiam Dominus ipſe Jeſus per Evangelicam parabolam oſtendit, dixiſſe malos colonos: *Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas.* Matth. 21. Itemque illud in eodem libro, quod jam antè perſtrinximus, quum ageremus de ſterili, quæ peperit ſeptem, non niſi de Chriſto & Eccleſia mox ut fuerit pronunciatum, conſuevit intelligi ab eis, qui Chriſtum ſapientiam Dei eſſe noverunt. *Sapientia ædificavit ſibi domum, & ſuffulſit columnas ſeptem, immolavit ſuas victimas, miſcuit in cratere vinum ſuum, & paravit menſam ſuam. Miſit ſervos ſuos convocans cum excellenti prædicatione ad craterem dicens: Qui eſt inſipiens, divertat ad me. Et inopibus ſenſu dixit. Venite: manducate de panibus meis, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Prov. 9. Hîc certè agnoſcimus Dei ſapientiam, hoc eſt verbum Patri coæternum, in utero virginali domum ſibi ædificaſſe corpus humanum, & huic tanquam capiti membra Eccleſiam ſubjunxiſſe, martyrum victimas immolaſſe, menſam in vino & panibus præparaſſe, ubi apparet etiam ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech, inſipientes & inopes ſenſu vocaſſe, quia ſicut dicit Apoſtolus: *Infirma hujus mundi elegit Deus, ut confunderet fortia.* 1. Cor. 1. Quibus tamen infirmis quod ſequitur dicit: *Derelinquite inſipientiam, ut vivatis, & quærite prudentiam, ut habeatis vitam.* Prov. 9. Participem autem fieri menſæ illius, ipſum eſt incipere habere vitam. Nam & in alio libro, qui vocatur Eccleſiaſtes, ubi ait: *Non eſt bonum homini niſi quod manducabit & bibet*, quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem menſæ hujus pertinet, quàm ſacerdos ipſe mediator teſtamenti novi exhibet ſecundùm ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo? Eccl. 5. Id enim ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificiis veteris teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri, propter quod etiam vocem illam in Pſalmo triceſimo & nono ejuſdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoſcimus: *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi.* Prov. 39. Quia pro illis omnibus ſacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus miniſtratur. Nam iſtum Eccleſiaſten in hac ſententia manducandi & bibendi quam ſæpè repetit plurimumque commendat, non ſapere carnales epulas voluptatis, ſatis illud oſtendit, ubi ait: *Melius eſt ire in domum luctus, quam ire in domum potus.* Eccl. 7. Et paulò pôſt: *Cor,* inquit, *ſapientium in domo luctus, & cor inſipientium in domo epularum.* Sed illud magis commemorandum exiſtimo de hoc libro, quod pertinet ad civitates duas, unam diaboli, alteram Chriſti & earum reges diabolum & Chriſtum. *Væ tibi terra,* inquit, *cujus rex adoleſcens, & principes tui manè comedunt. Beata tu terra cujus rex tuus filius ingenuorum, & principes tui in tempore comedunt, in fortitudine, & non in confuſione.* Eccl. 10. Adoleſcentem dixit diabolum propter ſtultitiam, & ſuperbiam, & temeri-

tatem, & petulantiam, cæteraque vitia, quæ huic ætati adſolent abundare: Chriſtum autem filium ingenuorum, ſanctorum Patriarcharum pertinentium ad liberam civitatem, ex quibus eſt in carne progenitus. Principes illius civitatis manè manducantes, id eſt, ante horam congruam: quia non expectant opportunam, quæ vera eſt in futuro ſeculo, felicitatem, feſtinanter beari hujus ſeculi celebritate cupientes. Principes autem civitatis Chriſti tempus non fallacis beatitudinis patienter expectant. Hoc ait in fortitudine, & non in confuſione, quia non eos fallit ſpes, de qua dicit Apoſtolus: *Spes autem non confundit.* Dicit & Pſalmus: *Etenim univerſi, qui te expectant, non confundentur.* Jam verò Canticum canticorum ſpiritalis quædam ſanctarum eſt voluptas mentium, in conjugio illius regis & reginæ civitatis, quod eſt Chriſtus & Eccleſia. Sed hæc voluptas e allegoricis tegminibus involuta eſt, ut deſideretur ardentius, nudeturque jucundius, & appareat ſponſus, cui dicitur in eodem Cantico: *Æquitas dilexit te, & ſponſa, quæ ibi audit, charitas in deliciis tuis.* Tacitè multa tranſimus, cura hujus operis terminandi.

Rom. 5.

Pſ. 24.

L. Vives. a HIc bonis initiis malos exitus.] *Imitatio Saluſtii in Catilinario, ſicut & id, quod ſequitur: Quippe ſecundæ res, &c.*

b Qui tres recepti ſunt.] *Nam alios permultos dicitur conſcripſiſſe. Joſephus enim ſic ſcribit de eo: Compoſuit libros de canticis & modulationibus quinque mille: parabolarum atque ſimilitudinum fecit libros tria millia. Per unumquodque enim arboris genus parabolam duxit, ab hyſſopo uſque ad cedrum. Eodem modo de jumentis, & de reliquis terrenis, nec non aquatilibus, & agri animalibus diſputavit. Nullam namque naturam ignorabat, inexaminatamq́; præteriit, ſed de omnibus philoſophatus eſt, & diſciplinam proprietatum eorum eminenter expoſuit. Præſtitit autem ei Deus, ut etiam contra dæmones ad utilitatem hominum, & eorum curas ediſceret, & incantationes inſtituit, quibus ægritudines ſoleant mitigari, modos etiam curationum, quibus obſtricti dæmones, ne denuò redeant, effugantur, inſtituit. Hæc Joſephus.*

c Quorum in uno, qui appellatur Sapientia.] *Hic liber creditur Philonis Judæi Alexandrini, qui vixit temporibus Apoſtolorum, quibus & amicus fuit, tanta in Græco ſermone facundia, ut de illo Græci dixerint,* ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ πλάτων φιλονίζει, *aut Philo Platonizat, aut Plato Philonizat.*

d In Eccleſi.] *Hunc librum fecit Jeſus filius Sirach tempore Ptolemæi Evergetæ regis Ægypti, & Simonis principis ſacerdotum.*

e Niſi quod manducabit.] *In lib. Brugenſi, niſi quod manducabit & bibet. Vulgò nos legimus. Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, ut comedat quis & bibat: Græcè ſic:* ἰδοὺ εἶδον ἐγὼ ἀγαθὸν, ὅ ἐστι καλὸν τοῦ φαγεῖν καὶ τοῦ πιεῖν.

F. L. Coq. a HIc bonis initiis malos exitus habuit.] *Ita de L. Sylla Saluſtius in Catilina,* bonis initiis eventus malos habuit. *Quàm carus ab initio Deo fuerit Salomon, & quantis donis gratiæ ac ſapientiæ cumulatus, quàm verò fœdè tandem lapſus ſit, docet ſcriptura ſacra, adeò ut de ſalute illius nonnulli meritò dubitent. Certè reprobatum à Deo & damnatum videtur docere D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum Manichæum*

nichaum cap. 81. Salomon *(inquit)* habuit plurimas uxores, magis ad libidinem quàm ad propaginem, & à Deo reprobatus & reprehenſus eſt his verbis ut appellaretur amator mulierum, & inde ad profundum Idololatriæ prolapſus & ſubmerſus eſt, *& c. 88. ejuſdem libri.* David graviſſimũ iniquitatis vulnus pœnitentiæ humilitate ſanavit; Salomonem autem vehementer arguit atque condemnat ſacra ſcriptura, nihilque de pœnitentia ejus, vel de indulgentia Dei erga illum omnino commemorat. *Id non obſcurè indicare videtur S. Baſilius Epiſtola ad Chilonem; & S. Hieronymus Epiſt. 132. ad Vitalem, Cyrillus lib. 7. contra Julianum, apertiſſimè Cyprianus lib. 1. Epiſt. 5. in editione Pammelii Epiſt. 7 ad Rogatianum, & lib. de unitate Eccleſiæ, Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 22. lib. 3. cap. 20. lib 5. cap. 9. & lib. de præſcript. c. 3. Chryſoſtomus homilia 66. ad populum Antioch.*

β Qui tres recepti ſunt in authoritatem canonicorum.] *Ita ſcribit S. Athanaſius in ſynopſi:* συνέγραψε τὰ βιβλία κανονιζόμενα μὲν τρία ἤγουν ἓν τὸ δὲ καλούμενον παροιμίαι, καὶ τὸν ἐκκλησιαστὴν, καὶ τὸ ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων. *D. Hieronymus Epiſt. 115. ad Chromatium & Heliodorum Epiſcopos. Iſidorus lib. proœmiorum de libris veteris & novi teſtamenti. Theodoretus præfatione in Cantica canticorum;* Illud *(inquit)* præfari neceſſe eſt, tria eſſe volumina Salomonis, Proverbia, Eccleſiaſtem, & Canticum Canticorum: Ac proverbia quidem utilem de moribus diſciplinam complecti, Eccleſiaſtem autem eorum, quæ ſenſibilia percipiuntur, naturam judicare, vitæque præſentis docere vanitatem, ut ea fluxa & fragilia cognoſcentes tanquam fugacia ac pereuntia ſpernamus, & quæ futura ſunt ut firma atque æternùm permanentia cognoſcamus: Canticũ verò Canticorum myſticam ſponſæ & ſponſi neceſſitudinem & conjunctionem continere, ut univerſa Salomonis doctrina ſit veluti ſcala quædam, quæ tribus gradibus conſtet, morali, naturali & divino. *D. Hieronymus præfatione commentariorum in Eccleſiaſtem:* Salomonem *(inquit)* tribus fuiſſe nominibus nuncupatum, ſcriptura manifeſtiſſimè docet, שלמה pacificum ידידיה dilectum Dei קהלת eccleſiaſtem, atque ita juxta numerum vocabulorum tria volumina edidit, Proverbia, Eccleſiaſtem & Canticum Canticorum.

γ Alii vero duo, quorum unus Sapientia, alter Eccleſiaſticus.] *Eccleſiaſticum D. Hieronymus* πανάρετον *vocat Jeſu filii Sirach,* quod tractet de omnibus virtutibus, *quo nomine etiam vocatur à D. Athanaſio in ſynopſi, & à D. Joanne Damaſceno lib. 4. cap. 18. & librum Sapientiæ* ψευδεπίγραφον, quòd falſo Salomoni inſcribatur, *& de eo ita ſcribit;* Secundus apud Hebræos nuſquam eſt, quin & ipſe ſtylus Græcam eloquentiam redolet, & nonnulli veterum hunc eſſe Philonis Judæi affirmant, verùm illum Philonem non eum eſſe volunt, qui temporibus Apoſtolorum vixerit, de quo illud vulgo fertur, ἢ πλάτων φιλωνίζει. ἢ φίλων πλατωνίζει, ſed alium quendam vetuſtiorem peritiſſimum linguæ Græcæ, qui ſupra centum & ſexaginta annos vixerit temporibus Oniæ Pontificis Judæorum. *Illum Salomoni tribuit Athanaſius, etſi non habeat eum canonicum. De his duobus libris ita ſcribit D. Auguſtinus lib. 2. doctrina Chriſt. cap. 8.* Nam illi duo libri *(inquit)* unus, qui Sapientia, & alius, qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis

lomonis eſſe dicuntur. Nam Jeſus filius Sirach eos ſcripſiſſe, conſtantiſſimè perhibetur; *nihilominus 2. Retractat. cap. 4. hunc locum retractat his verbis.* In ſecundo ſane libro de authore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipſum ſicut Eccleſiaſticum Jeſus Sirach ſcripſerit, non ita conſtare, ſicut à me ſcriptum eſt, poſtea didici, & omnino probabilius comperi, non eſſe ejus libri authorem, *lib. de prædeſtin. ſanct. cap. 14. citato loco ex illo libro:* non debuit, *inquit,* repudiari ſententia libri ſapientiæ, qui meruit in Eccleſia Chriſti de gradu lectorum Eccleſiæ Chriſti tam longa annoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis ab Epiſcopis uſque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos cum veneratione divinæ authoritatis audiri. *Damaſcenus loco citato ſcribit patrem Syrach compoſuiſſe Hebraice Eccleſiaſticum, Græce interpretatum eſſe nepotem Jeſu & filium Syrach. D. Hieronymus aſſerit ſe inveniſſe hunc librum Hebraice ſcriptum. Driedo lib. 1. de catalogo Sacræ ſcripturæ cap. 2 parte 2. de authore libri Eccleſiaſtici, ita ſcribit;* liber Eccleſiaſticus apud Hebræos quidem reperitur, & ad ædificationem morum legitur, ſed inter canonicas ſcripturas apud eos non ſupputatur.

δ Circumveniamus juſtum, quoniam inſuavis eſt.] *Hunc locum libri ſapientiæ citat Cyprianus lib. 2. teſtimon. adverſus Judæos cap. 14. & lib. de montibus Sina & Sion. cap. 3. Juſtinus Martyr. dialogo cum Tryphone. De eo libro vide, quæ ſcribit D. Auguſtinus lib. de prædeſtinat. ſanctorum cap. 14.*

ε Allegoricis tegminibus involuta eſt.] *Tota illius libri oratio figurata eſt & allegorica, non quidem allegoria rei, quam Theologi intelligunt, cum ſenſum allegoricum ſcripturæ à reliquis diſtinguunt, ſed quam Rhetores effici tradunt ex perpetua metaphora.*

CAP. XXI.

De regibus poſt Salomonem ſive in Juda, ſive in Iſraël.

CÆteri poſt Salomonem reges Hebræorum vix inveniuntur per aliqua ænigmata dictorum ſuorum rerúmve geſtarum, quod ad Chriſtum & Eccleſiam pertineat, prophetaſſe, ſive in Juda, ſive in Iſrael. Sic enim appellatæ ſunt illius populi partes, ex quo propter Salomonis offenſam tempore filii ejus Ro-
3. Reg. 12 boam, qui patri ſucceſſit in regnum, Deo vindicante diviſus eſt. α Proinde tribus decem, quas accepit Hierobeam ſervus Salomonis, rex ejus in Samaria conſtitutus, propriè vocabantur Iſrael, quamvis hoc univerſi populi illius nomen eſſet. Duabus verò tribubus, Juda ſcilicet & Benjamin, quæ propter David, ne penitus regnum ſtirpis ejus fuiſſet eradicatum, remanſerant, ſubjacentes civitati Hieruſalem, Judæ nomen fuit: quia ipſa erat tribus unde David. Benjamin verò tribus altera ad id regnum, de quibus dixi, pertinens erat, unde fuit Saul rex ante David. Sed ſimul iſtæ duæ tribus, ut dictum eſt, Juda vocabantur, & hoc nomine diſcernebantur ab Iſrael, quæ appellabantur propriè decem tribus habentes ſuum regem. Nam tribus Levi quoniam ſacerdotalis fuit, Dei non regum ſervitio mancipata, decima tertia numerabatur. Joſeph quippe unus ex duodecim filiis Iſrael, non unam ſicut cæteri ſingulas, ſed duas tribus fecit, Ef-

fren

frem & Manaſſen. Veruntamen β etiam tribus Levi ad regnum Hieroſolymitanum pertinebat magis, ubi erat Dei templum, cui ſerviebant. Diviſo igitur populo, primus regnavit in Hieruſalem Roboam rex Juda filius Salomonis, & in Samaria Hieroboam, rex Iſrael ſervus Salomonis. Et cùm voluiſſet Roboam tanquam tyrannidem diviſæ illius partis bello perſequi, prohibitus eſt populus pugnare cum fratribus ſuis, dicente Deo per prophetam, ſe hoc feciſſe. Unde apparuit, γ nullum in ea re, vel regis Iſrael, vel populi fuiſſe peccatum, ſed voluntatem Dei judicantis impletam fuiſſe. Qua cognita, pars utraque inter ſe pacata conquievit: non enim religionis, ſed regni facta fuerat diviſio.

α PRoinde tribus decem, quas accepit Hieroboam.] *Saul, & David & Salomon cunctis Iſrael tribubus imperarunt, verùm ob peccatum Salomonis poſt ejus mortem regnum eſt diviſum; Duæ tribus Juda & Benjamin Roboami filium ſecutæ ſunt, reliquæ decem Jeroboamum regem conſtituerunt 3. Reg. 12. Ex uno itaque regno duo effecta ſunt, alterum dicitur regnum Juda, cujus metropolis Hieruſalem, alterum dicitur regnum Iſrael, regnum Ephraim: D. Hieronymus Oſeæ i. e.* regnum decem tribuum, & Samariæ, quia caput ejus Samaria. *Hæc regni diviſio fuit à propheta Abia Silonite ſciſſione novi pallii adumbrata 3. Reg. 11.* Apprehendens enim pallium ſuum novum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes, & ait ad Hieroboam; Tolle tibi decem ſciſſuras; hæc enim dicit dominus Deus Iſrael, Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porro una tribus remanebit ei propter ſervum meum David, *& tribum Juda intelligit, omnium longe nobiliſſimam & numeroſiſſimam, cui tamen adjuncta fuit tribus Benjamin: 2. Paralipom. 11. dicitur Roboam imperaſſe ſuper Judam & Benjamin. De hac diviſione & defectione populi à Roboamo Joſephus lib. 9. antiquit. cap. 3.* F.L.Coq.

β Etiam tribus Levi ad regnum Hieroſolymitanum.] *2. Paralipom. cap. 11.* Sacerdotes & Levitæ, qui erant in univerſo Iſrael venerunt ad eum de cunctis ſedibus ſuis relinquentes ſuburbana & poſſeſſiones ſuas, & tranſeuntes ad Judam & Hieruſalem. *Deinde* abjecit etiam Hieroboam ſacerdotes & Levitas, & conſtituit pretio ſacerdotes, qui ſacerdotio fungerentur in Dan & Bethel. *Præterea Dei templum, in quo ſolo fas erat ex lege ſacrificia offerri, erat in Hieruſalem metropoli totius regni Roboami, & in eo miniſtrare ex officio debebant ſacerdotes de familia Aaron & Levitæ; unde recedentibus decem tribubus non modò ab obedientia Roboami, verùm etiam à cultu Dei, edicto etiam, ne cui ex Regno Hieroboam liceret deinceps contendere Hieruſalem ad adorandum dominum, prout lege præcipiebatur, ſacerdotes & Levitæ merito à tribubus decem receſſerunt.*

γ Nullum in ea re vel Regis Iſrael vel populi fuiſſe peccatum.] *Etiamſi merebantur eam diviſionem & defectionem populi à Roboamo peccata Salomonis, & ita Deus conſtituiſſet, nihilominus quia populo fortaſſe non certò conſtabat de voluntate Dei, fieri potuit, ut peccarent recedendo à Roboamo rege legitimo, & prophetia de diviſione regni non conferebat Iſraëlitis aliquod jus recedendi ab eo, quia prophetia non eſt præceptum de agendo aliquid vel non agendo, ſed prænunciatio de rerum eventu; & etiamſi ut plurimum bello vexarentur filii Iſrael ab externis nationibus, juſtiſſi-*

ſtiſſime quidem ſi illorum peccata ſpectemus & ingratitudinem in Deum, nihilominus non propterea juſtum erat bellum ex parte inferentium. Quod enim pœna eſt comparatione unius & juſtiſſimè à Deo permiſſa, eſt culpa alterius Deo exoſa. An tot prædictiones Prophetarum de morte Chriſti futura, & quidem ab ingratis & ſceleratis Judæis inferenda, conferebant jus illis aliquod ad necem Chriſto inferendam? unde non omnino certum eſt, non peccaſſe populum recedendo ab eo; Hieroboam verò fortaſſe, cui per Prophetam ſignificata erat voluntas Dei de Rege eo conſtituendo, non peccavit, regnum ſibi ultro delatum acceptando. verùm de populo non ita conſtat non peccaſſe. Nihilominus Toſtatus 3. Reg. 12. q. 8. & 2 Paralip. 10. q. 13. ſcribit, Iſraelitas ſine peccato receſſiſſe à Roboam ob aliam cauſam, quia nimirum Roboam volebat nimia ſervitute & quidem injuſte opprimere Iſraelitas, qui erant liberi, habebantque ſupra ſe Reges non ut dominos, ſed ut rectores. Ita enim reſpondit populo; Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus; pater meus poſuit ſuper vos jugum grave, ego autem addam ſuper jugum veſtrum. *Iſidorus in lib. 3. Reg. cap. 7.* Illud quod poſt mortem Salomonis decem tribus à templo ſeparatæ ſunt, & duæ relictæ, ſatis indicat quod de tota illa gente Apoſtolus ait, reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.

Cap. XXII.

De Hieroboam, qui impietate idololatriæ ſubditum ſibi populum prophanavit, in quo tamen non deſtitit Deus & prophetias inſpirare, & multos ab idololatriæ crimine cuſtodire.

VErùm rex Iſrael Hieroboam mente perverſa non credens Deo, quem veracem promiſſo ſibi regno datoque probaverat, timuit ne veniendo ad templum Dei, quod erat in Hieruſalem, quò ſecundùm divinam legem ſacrificandi cauſa univerſæ illi genti veniendum fuit, ſeduceretur ab eo populus, & ſtirpi David tanquam regio ſemini redderetur, *α* inſtituit idololatriam in regno ſuo, & populum Dei ſecum ſimulachrorum cultu obſtrictum nefanda impietate decepit. Nec tamen omnino ceſſavit Deus non ſolùm illum regem, verùm etiam ſucceſſores ejus, & impietatis imitatores populumque ipſum *β* arguere per prophetas. Nam ibi extiterunt & magni illi *γ* inſignesque prophetæ, qui etiam mirabilia multa fecerunt, Helias, & Heliſæus diſcipulus ejus. Etiam ibi dicenti
3. Reg. 19 Heliæ: *Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. δ* reſponſum eſt illic eſſe ſeptem millia virorum, qui non curaverunt genua ante Baal.

3. Reg. 12. *α* INſtituit idololatriam in regno ſuo.] *De improbis regibus Iſrael ſcriptum ita loqui ſolet;* In peccatis Hieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael, adhæſit, nec receſſit ab eis *3. Reg. 11. dicitur peccare feciſſe Iſrael, & Eccleſiaſt. 47.* Hieroboam filium Nabat, qui peccare fecit Iſrael, & dedit viam peccandi Ephraim, & plurima redundaverunt peccata ipſorum.

β Arguere per prophetas.] *2. Paralip. 24.* Mittebat Dominus prophetas ad Iſraelitas, ut reverterentur ad Dominũ, quos proteſtantes illi audire nolebant.

γ Inſi-

γ Inſignes Prophetæ Helias & Heliſeus.] *De his Epiphanius lib. de vita & interitu Prophetarum; Iſidorus Hiſpalenſis lib. de vita & morte ſanctorum. De Helia 3. Reg. 17. & deinceps de Heliſæo 4. Reg. & ſequentibus; utriusque laudes prædicantur Eccleſiaſt. 48.*

δ Reſponſum eſt illic eſſe ſeptem millia virorum.] *Hoc teſtimonium ex 3. Reg. 19. profert Apoſtolus ad Romanos 11. ut oſtendat, non omnino Deum abjeciſſe populum Iſrael, vel repuliſſe à gratia Evangelica vocatis Gentibus, ſed aliquos ad gratiam prædeſtinatos eſſe, quemadmodum tempore Heliæ cum ille omnes putaret à Deo defeciſſe, & ad Idola converſum totum populum Iſrael, ex divino oraculo intellexit, ſeptem millia virorum non receſſiſſe à vera religione, & à cultu veri Dei; dicit vero Dominus;* Reliqui mihi ſeptem millia virorum, *ut illud non deflexiſſe ad Idola, in cultu Dei permanſiſſe, magis gratiæ Dei eſſe agnoſcas, quàm liberi arbitrii.*

CAP. XXIII.

De vario utriusque regni Hebræorum ſtatu, donec ambo populi in captivitatem diverſo tempore ducerentur, revocato poſtea Juda in regnum ſuum, quod noviſſimè in Ro. tranſiit poteſtatem.

ITemque in regno Juda pertinente ad Hieruſalem etiam ſuccedentium regum temporibus non defuerunt prophetæ: ſicut Deo placebat eos mittere vel ad prænunciandum quod opus erat, vel ad corripienda peccata, præcipiendamque juſtitiam. Nam & illuc, etſi longè minus quàm in Iſrael, α tamen extiterunt reges, qui ſuis impietatibus Deum graviter offenderent, & moderatis flagellis cum populo ſimul plecterentur. Piorum ſanè regum merita ibi non parva laudantur. In Iſrael autem reges alios magis, alios minùs, β omnes tamen reprobos legimus. Utraque igitur pars, ſicut jubebat divina providentia, vel ſinebat, variis & erigebatur proſperitatibus, & adverſitatibus premebatur: & ſic affligebatur non ſolùm externis, verùm etiam inter ſe civilibus bellis, ut certis exiſtentibus cauſis, miſericordia Dei vel ira pateſceret: donec ejus indignatione creſcente, univerſa gens illa à Chaldæis debellantibus, non ſolùm ſubverteretur in ſedibus ſuis, ſed etiam ex maxima ſui parte transferretur in terram Aſſyriorum. γ Priùs illa pars, quæ vocabatur Iſrael in tribubus decem: δ poſtea verò etiam Juda everſa Jeruſalem, & templo illo nobiliſſimo: in quibus terris ε per annos ſeptuaginta captivum egit otium. Poſt quos inde dimiſſa, templum quod everſum fuerat, inſtauravit: & quamvis plurimi ejus in alienigenarum degerent terris, non habuit tamen deinceps duas regni partes, & duos diverſos in ſingulis partibus reges, ſed in Jeruſalem princeps eorum unus erat, atque ad Dei templum, quod ibi erat, omnes undique, ubicunque eſſent, & undecunque poſſent, per certa tempora veniebant. Sed nec tunc eis hoſtes ex aliis gentibus expugnatoresque defuerunt. α Nam etiam ζ Romanorum jam tributarios eos Chriſtus invenit.

α NAm etiam Romanorum jam tributarios.] *Expugnavit Judæos primùm Cn. Pompejus Magnus, eoſque fecit Romanis ſtipendiarios, Cicerone & Antonio Coſſ. Deinceps per præſides Syriæ & procuratores Judææ, quos Romani mittebant, res* L. Vives.

 illorum

illorum ſunt adminiſtrata. Stipendium Romanis pependiſſe, cùm ex Gentilium hiſtoriis, tum ex multis ſacri Evangelii locis oſtenditur, hinc illa interrogatio: Licetne tributum dare Cæſari?

1.L.Cap. α TAmen exierunt Reges.] *Eccleſiaſt. 49. præter David, Ezechiam & Joſiam omnes peccatum commiſerunt, nam reliquerunt legem altiſſimi reges Juda, & contempſerunt timorem Dei Nihilominus præter eos tres fuere alii etiam Reges Judæ divini cultus ſtudioſi, ut Joſaphat & Joathan & alii, qui nunquam idola venerati ſunt, ut Aſa & Oſias. Vide ergo interpretationem illius loci apud Barradium lib. 5. harmonia Evangel. cap. 15.*

β Omnes tamen reprobos legimus.] *Unde ſcriptura quoties vult notare aliquem regem Juda idololatriæ, ſolet dicere,* ambulavit in viis Regum Iſrael *4. Reg. 16. 2. Paralip 21. & 28.*

γ Priùs illa pars, quæ vocatur Iſrael.] *Oſea regnante 4. Reg. 17. ab Hieroboamo rege Iſrael 19. poſt annos 946. ex quo majores eorum Ægyptum egreſſi armis ea loca ſuæ ditionis fecerunt, poſt principatum Joſuæ annis 800. poſt defectionem verò à Roboamo Davidis nepote ad Hieroboamum, annis 240. menſibus ſeptem, diebus ſeptem. Ita tradit Joſephus lib. 9. antiquit. c. 14.*

δ Poſtea vero etiam Juda.] *4. Reg. 25. 2. Paralipom. 36. Jeremiæ. 52. anno 11. Sedechiæ Regis Judæ. Joſephus lib. 10. Antiq. cap. 11. At obſervandum non fuiſſe eoſdem reges Aſſyriorum, à quibus everſum eſt regnum Iſrael, & Chaldæorum, à quibus everſum regnum Juda, neque ad eaſdem terras migrarunt primo decem tribus cogente Salmanaſar Rege Aſſyriorum, & poſtea duæ tribus cogente Nabuchodonozore Rege Chaldæorum, & regia Aſſyriorum erat Ninive, Chaldæorum vero Babylon; & dicitur Salmanaſar tranſtuliſſe Iſrael in Aſſyrios, & poſuiſſe eos in Hailam & in Habor, juxta fluvium Gozan in civitatibus Medorum.*

ε Per annos 70. captivum egit otium.] *Juxta vaticinium Hieremiæ cap. 25. & 29.* cum cœperint impleri in Babylone 70. anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum ut reducam vos ad locum iſtum: *de quibus etiam Daniel. 9. cap.* Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Hieremiam Prophetam, ut complerentur deſolationis Hieruſalem ſeptuaginta anni. *Unde initium 70. illorum annorum ducendum ſit, & quando finiti fuerint, variant authores. De hoc diſputat fusè Pererius lib. 10. Comment. in Danielem, & Franciſcus Ribera in cap. 1. Zachariæ, & Joannes Baptiſta Vilapandus tom. 3. lib. 3. c. 1. & 2. Apparat. urbis & templi. De hoc infra ſequenti libro cap. 26. Hebræi incipiunt 70. annos captivitatis ab 11. Sedechiæ & terminant 2. anno Darii Longimani.*

ζ Romanorum jam tributarios.] *Ut author eſt Joſephus lib. 14. Antiquit. cap. 8. Pompejus Judæos ſubjecit Romanorum imperio occaſione diſſenſionum, quæ intercedebant inter fratres Ariſtobulum & Hircanum, Ariſtobulo juniore invadente regnum, jure verò primogenituræ illud ſibi aſſerente Hircano apud Pompejum. Exſtat etiam hæc hiſtoria apud Dionem lib. 37. & apud Strabonem obiter lib. 16. ut verò reliqua calamitates Judæis ex peccatis & defectione à Deo acciderunt, ita non dubitandum*

dum

dum eos ob peccata in Deum commiſſa veniſſe in poteſtatem Romanorum. Ita ſcribit Tertullianus in Apologetico cap.26. nunquam Romanos fuiſſe dominaturos populo Judaico, ſi Deo non deliquiſſet, ultimo in Chriſtum; & Minutius Fœlix in Octavio cum objeciſſet Cæcilius Dei Judæorum nullam vim eſſe nec poteſtatem, ut ſit etiam Romanis hominibus cum ſua gente captivus, *reſpondet*, Judæos quandiu innoxiè ac religiosè Deum coluerunt, & præceptis ſalutaribus obtemperarunt, de paucis innumeros factos, de gentibus divites, de ſervientibus Reges, etiam inermes armatos hoſtes Dei juſſu elementis etiam adnitentibus obruiſſe. Itaque nequitiâ ſua meruiſſe hanc fortunam, nec quicquam accidiſſe, quod non ſit his, ſi in contumacia perſeverarent, ante prædictum: Ita priùs eos, *inquit*, deſeruiſſe comprehendes, quàm eſſe deſertos, nec ut impiè loqueris, cum Deo ſuo eſſe captos, ſed à Deo ut diſciplinæ transfugas, deditos.

CAP. XXIV.

De prophetis, qui vel apud Judæos poſtremi fuerunt, vel quos circa tempus nativitatis Chriſti Evangelica prodit hiſtoria.

TOto autem illo tempore, ex quo redierunt de Babylonia α poſt Malachiam, 1.Eſd.5.
Aggæum, & Zachariam, qui tunc prophetaverunt, & Eſdram: non habuerunt prophetas, usque ad Salvatoris adventum: niſi alium Zachariam patrem Joannis, & Helizabet ejus uxorem, Chriſti nativitate jam proxima, & eo jam nato, Simeonem ſenem, & Annam viduam, jamque grandævam, & β ipſum Joannem noviſſimum: qui juvenis, jam juvenem Chriſtum, non quidem futurum prædixit, α γ ſed tamen incognitum prophetica cognitione monſtravit: propter quod ipſe dominus ait: *Lex & prophetæ usque ad Ioannem*. Sed iſtorum quinque prophetatio ex Evangelio nobis nota eſt: δ ubi & ipſa virgo mater domini ante Joannem prophetaſſe invenitur. Sed hanc iſtorum prophetiam Judæi reprobi non accipiunt: acceperunt autem, qui ex eis innumerabiles Evangelio crediderunt. Tunc enim verè Iſrael diviſus eſt in duos diviſione illa, quæ per Samuelem prophetam Sauli regi eſt immutabilis prænunciata. Malachiam verò, Aggæum, Zachariam, & Eſdram, etiam Judæi reprobi in autoritatem canonicam receptos noviſſimos habent. Sunt enim & ſcripta eorum, ſicut aliorum, qui in magna multitudine prophetarunt: perpauci ea ſcripſerunt, quæ autoritatem canonis obtinerent. De quorum prædictis, quæ ad Chriſtum eccleſiamque ejus pertinent, nonnulla mihi in hoc opere video eſſe ponenda: quod commodius fiet, adjuvante Domino, ſequenti libro: ne hunc tam prolixum ulteriùs oneremus.

(Margin: Luc. 1. — Luc. 2. — Matth. 3. — Matth. 11. — Luc. 1.)

α SEd tamen incognitum.] *Veniſſe ſciebat, ſed nondum viderat, nondum de facie noverat, columba ſpecie illi declaratus eſt, & atteſtatione patris.* L.Viv.

α POſt Malachiam, Aggæum & Zachariam.] *De his Athanaſius in Synopſi; Genebrardus lib.2. Chronolog ætate 6. Aggæus & Zacharias adhortantur Iudæos, ut reſtaurent antiquum Reipublicæ ſtatum 1. Eſdræ 5. Aggæus lib. ſuo urget templum, Zacharias urbem magis. Addunt præterea oracula de brevi hoſtilium gentium clade, quam attulit Alexander Magnus, & de reſtitutione earundem per Chriſtum. Mala-* F.L.Cog.

chias Reipublicæ mores conſtituit, fuitque præcedentibus paulo poſterior, prophetarumque ultimus. A Talmudiſtis putatur eſſe Eſdras ſcriba; & ſanè eadem reprehendit in ſua prophetia; quæ Eſdras 9. & 10. capitibus ſui libri, copioſe invehens in vitam corruptam populi, præſertim ſacerdotum, qui poſt inſtauratum templum rurſum ad priſtinas fœditates reverſi, oblationes ac divina ſacrificia contaminatis animis & corporibus offerre cœperant. Continet inſignes locos de Chriſto, Ioanne Baptiſta, Helia, Gentium vocatione.

β Ipſum Joannem noviſſimum.] *Chryſologus ſermone 107. Ioannem vocat* ſilentium Prophetarum. Quid opus eſt jam Prophetis, *ait Hilarius Arelatenſis Epiſcopus homil. 22. de Baptiſta*, cum ille præſens ſit, qui propheticis promittebatur oraculis? quid ergo dicturi ſunt Judæi; aut Chriſtum veniſſe conſentiant, aut dent Prophetas, qui annuncient Chriſtum eſſe venturum. *D. Auguſtinus libr. 3. contra duas Epiſtolas Pelag. vocat eum* præteritæ diſpenſationis limitem quemdam, qui mediatorem ipſum non aliqua umbra futuri, vel allegorica ſignificatione, vel ulla prophetica prænunciatione venturum eſſe ſignificavit, ſed digito demonſtravit.

γ Sed tamen incognitum.] *Ioannis 1.* Ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare, ille mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, ille eſt qui baptizat in Spiritu ſancto & igni. *Semper quidem Ioannes Chriſtum redemptorem Deumque agnovit, cum ad ejus adventum etiam in utero matris exſultaſſet, verùm de facie non cognovit, antequam ad Baptiſmum veniret, cum Chriſtus in Nazaret & in Ægypto, ipſe in ſolitudine totam ante vitam transegiſſet, ſimul verò atque vidit divino afflatu cognovit illum ipſum eſſe, quem natum ſciebat, quem poſt ſe venturum, & in Spiritu & igne baptizaturum prædicaverat, quemamodum olim Samuel priùs quidem certo ſciebat, inter filios Iſai unum eſſe, qui in Regem ungendus eſſet, cum neminem eorum de facie cognoviſſet, ſimul verò atque Davidem vidit, Deo inſpirante, eum eſſe cognovit. 1. Reg. 16. Vera ergo expoſitio eſt, Ioannem quandiu in deſerto fuit, de facie Chriſtum ignoraſſe, quia nunquam cum illo converſatus fuerat, neque familiariter egerat, quod non abſque divina providentia factum eſt, ut teſtimonium ejus de Chriſto apud omnes omni ſuſpicione careret.*

δ Ubi & ipſa virgo mater Domini.] *Dicitur prophetiſſa Iſaiæ 8 cap. Hæc enim verba Prophetæ*, Acceſſi ad prophetiſſam, & concepit & peperit filium, *Patres de beatiſſima virgine interpretantur, Cyrillus, Gregorius Nazianzenus oratio. in ſanctum Paſcha, Epiphanius lib. 3. contra hæreſes, contra Collyridianos; Procopius in eum locum; Euſebius lib. 7. de demonſtr. Evangel. cap. 3. quos citat Leo de Caſtro in eum locum Iſaiæ.*

DIVI

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI *AD MARCELLINUM* DE CIVITATE DEI

LIBER XVIII.

CAP. I.

De his, quæ uſque ad tempora Salvatoris decem & ſeptem voluminibus diſputata ſunt.

DE civitatum duarum, quarum Dei una, ſeculi hujus eſt altera, in qua nunc eſt, quantum ad hominum genus pertinet etiam iſta peregrina, exortu & procurſu, & debitis finibus, me ſcripturum eſſe promiſi: quum priùs inimicos civitatis Dei, qui conditori ejus Chriſto deos ſuos præferunt, & livore ſibi pernicioſiſſimo atrociter invident Chriſtianis, quantum me adjuvaret ejus gratia, refelliſſem, quod voluminibus decem prioribus feci. De hac verò mea, quam modò commemoravi, tripertita promiſſione, decimum ſequentibus quatuor libris ambarum eſt digeſtus exortus. Deinde procurſus ab homine primo uſque ad diluvium libro uno, qui eſt hujus operis decimus quintus: atque inde uſque ad Abraham, rurſus ambæ, ſicut in temporibus, ita & in noſtris literis cucurrerunt. Sed à patre Abraham uſque ad regum tempus Iſraelitarum, ubi ſextum decimum volumen abſolvimus, & inde uſque ad ipſius in carne Salvatoris adventum, quouſque decimus ſeptimus liber tenditur, ſola videtur in medio ſtylo cucurriſſe Dei civitas, quum in hoc ſeculo non ſola cucurrerit, ſed ambæ utique in genere humano, ſicut ab initio ſimul ſuo procurſus tempora variaverint. Verùm hoc ideò feci, ut priùs ex quo apertiores Dei promiſſiones eſſe cœperunt uſque ad ejus ex virgine nativitatem, in quo fuerant, quæ primo promittebantur implenda, ſine interpolatione à contrario alterius civitatis iſta, quæ Dei eſt procurrens, diſtinctius apparet, quamvis uſque ad revelationem teſtamenti novi, non in lumine, ſed in umbra cucurrerit. Nunc ergò quod intermiſeram, video eſſe faciendum, ut ex Abrahæ temporibus, quomodo etiam illa cucurrerit, quantum ſatis videtur, attingam, ut ambæ inter ſe poſſint conſideratione legentium comparari.

VOlumine operis hujus duodevicesſimo multa nobis inter tenebras ſpatia fuerunt conficienda, uſq; plerumque ſumus manuum ductu pro oculis, ne pedem auſi figere prius quàm ubi figendus eſſet, tentaremus: quod fieri obſcuris in locis ſolet: non jam in una civitate unoq; populo manendum, ut prius in Romano, ſed per totum terrarum orbem inter procul diſſita peregrinandum regna, & gentes cognoſcendæ jam olim ſublatæ, & regum familiæ ſtemmataque procul ab hominum memoria ex altiſſimis tenebris eruenda, ac velut ex nocte Cerberus in diem, & in hanc ſolis luciſque faciem L. Vives.

ciem extrahendus: attingendum vetuſtiſſimum Aſſyriæ imperium: at hujus vix vel meminiſſe dignati ſunt rerum Græcarum ſcriptores. Repetenda Sicyonia, quæ etiam fere ignorari voluerunt ipſi qui geſſerant, quum ne patrum quidem nomina ſepulchris adſcriberent, ut locupletiſſimus autor eſt Pauſanias in Gentibus: Jam Argiva tractanda, quæ quoniam antiquiſſima ſunt, Græcorum opinione, ideo fabulis involuta venerunt ad poſteros: his addenda Attica, quibus nobilitandis quum maxima Atticorum ingenia, ſicut par erat, non defuerint, veritas tanta vi eloquentiæ conveſtita non tam ornatur, quàm laborat, nec tam ſe profert quàm multis amicta tegumentis latet. Neque his contentus Auguſtinus, etiam fabulas ceu duriſſimas nuces, juglandes, aut amygdalas, aut etiam pineas ſpargit, in quibus frangendis non parum ſit negotii, quò nucleum geſtæ rei altiſſimo cortice contectum eruamus. Tum Latina accedunt commentis & diſſidiis ſcribentium incertiſſima facta. Venitur hinc ad Romana, & Græciæ ſapientes non prætermittuntur, de quibus nihil juvat queri, ne quis me parum meritò facere id judicet. Interfuſa ſunt Hebraica velut corpore toto venæ, ut curſus duarum civitatum Dei & mundi apertiùs explicetur. Si quis adeò multas variaſque gentes ac regiones luſtrans etiam ſubinde à peritis de via percuntando, tamen ab ea interdum aberraſſet, quis huic non putaret ignoſcendum, aut propterea minus induſtriè peregrinationem confectam arbitraretur: nemo mea ſententia. Quod ſi ita eſt, quantò æquius erit, mihi veniam dari ſi quando fortè aut caſu quopiam, aut ignorantia in avium aliquod conceſſi, aut villas aliquas & pagos ignobiles homineſque obſcuros præterii nec ſalutatos, nec viſos, profectus per loca ut plurimum deſerta, nullis ſubnotata ſignis, inventis perquàm raris, è quibus quærerem, aut quibus ducibus uterer. Antiquitates M. Varronis perierunt, & vita populi Rom. In Aſſyria tantùm ab Euſebio ſum edoctus, præter pauca admodum ex Diod. Siculo, & ſi quis eſt alius, ſuppeditata. Erat quidem ad manum libellus, quem Beroſi nomine vendunt bibliopolæ: erant alia quædam Joannis Annii, quæ non dubito quin admiranda fuiſſent viſa, ſi attuliſſem, nempe portentoſa, & vel ſolo auditu horrenda, ſed ab illis prorſum abſtinui, ne de fæce, quod ajunt, viderer haurire, hoc eſt, è libellis frivolis, & incertorum autorum, quod ad ſtupefaciendos imperitos lectores Græcia luſit otioſa: non quòd ſi Beroſi ſciſſem eſſe, non eſſem perquàm libenter uſus, ſed quòd mihi fœturam ſubolebant Græci hominis, ut etiam Xenophontis Æquivoca, & alia multa, quæ illorum ſunt, quorum titulos præ ſe oſtentant: quòd ſi quis illis delectatur, non procul ſunt petenda, amet & fruatur, ſine me duntaxat rivale. Per Sicyoniam duxerunt nos Euſebius & Pauſanias, contenti nuda regum nomina percenſuiſſe, interdum paucis de nonnullis eorum additis verbis, quæ nos lectori non invidimus. In Judæa non video, qui alii aſciſcendi fuerint duces, quàm certiſſimi illi & fidiſſimi prophetæ, qui ſacras conſcripſere literas, & tamen explicuimus interdum, quid prophani ſcriptores de illis ipſis rebus indicarent, ſi modò alia oſtendebant, quàm ſancti viri: nam ubi inter ſe congruebant, ſatis fuit ſanctorum ſententias declaraſſe. Ea cauſa multa Cornelii Alexandri Mileſii Polyhiſtoris de Hebræo populo tacuimus, qui ut aliorum gentium permultarum, ita & Hebræorum res geſtas ex LXX. interpretatione perſecutus eſt. In Atticis, Argivis, fabuloſis, Latinis Romaniſque plena manu, quæ ex variis collegimus,

mus, impartiti lectori ſumus, complura ſunt curioſioribus iſtarum rerum à nobis data: qui verò ejuſmodi parùm oblectatur, habet etiam alia forſitan ſui guſtûs, niſi tam moroſus ſit & arrogans, ut velit me publicum ſcriptorem ſibi uni & laborare & ſatis facere: cætera lector ex ipſis commentariis cognoſcet.

a DE civitatum duarum.] *Hoc capite breviter complectitur, quod fuerit inſtitutum, quis ſcopus, & quod argumentum præcedentium librorum, ſe nimirum refellere decem prioribus libris inimicos civitatis Dei, qui Chriſto conditori ejus ſuos Deos præferrent; & quia ſtatim initio lib. 11. ſe de exortu, procurſu & debitis finibus utriusque civitatis. i. e. Dei & diaboli ſcripturum profeſſus fuerat, ideo quatuor ſequentibus libris 11. 12. 13. & 14. egit de utriusque civitatis exortu, lib. 15. de illius procurſu à primo homine ad diluvium, atque inde ad Abraham usque, libro 16. eam deducit ab Abrahamo ad tempora usque Regum, atque inde 17. deducit eam ad tempora usque Salvatoris. Verùm quia ad Abraha usque tempora de procurſu utriusque civitatis, qua ratione ſibi ex diametro, veluti oppoſita curſum ſuum peregiſſent, demonſtraverat, ab Abrahamo verò ad Salvatoris adventum civitatis Dei procurſum tantùm attigerat, nihil interim de civitate mundana & perpetua ſucceſſione temporum in hoc mundo procurrente ſcribens, ideo proponit in hoc libro ſe eam repetiturum à temporibus Abrahami, & perpetuam illius, contrariis omnino veſtigiis currentis, ſucceſſionem oſtenſurum; ita enim ambæ facilius inter ſe conferri poterunt. Qua verò ratione cum ab Abrahamo ad Chriſtum utraque civitas curſum ſuum peregerit, non utriusque etiam procurſum & ſucceſſionem in hoc opere attigerit, & expoſuerit, eam reddit rationem, quòd inde apertiores ac manifeſtiores Dei promiſſiones, utpote de Meſſiæ adventu, de futura omnium gentium benedictione, & de diffundenda divina gratia in omnes gentes eſſe cœperant, & hæ paulo fuſius exponendæ erant, inde fit, ut tractatum ſucceſſionis contrariæ in hunc librum diſtulerit.* R. L. Coq.

CAP. II.

De terrena civitatis regibus atque temporibus, quibus ab exortu Abrahæ ſanctorum tempora ſupputata conveniunt.

SOcietas igitur uſquequaque mortalium diffuſa per terras, & in locorum quantislibet diverſitatibus, unius tamen ejuſdemque naturæ quadam communione diſtinctas, utilitates & cupiditates ſuas quibusque ſectantibus, dum id quod appetitur, aut nemini, aut non omnibus ſufficit: quia non eſt idipſum, adverſum ſeipſam plerunque dividitur, & pars partem, quæ prævalet, opprimit. Victrici enim victa ſuccumbit, dominationi ſcilicet, vel etiam libertati, qualemcunque pacem præferens ac ſalutem: a ita ut magnæ fuerint admirationi, a qui perire quàm ſervire maluerunt. Nam in omnibus ferè gentibus quodammodo vox naturæ iſta perſonuit, ut ſubjugari victoribus mallent, quibus contigit vinci, quàm bellica omnifaria vaſtatione deleri. Hinc factum eſt, ut non ſine Dei providentia, in cujus poteſtate eſt, ut quisque bello aut ſubjugetur, aut ſubjuget, quidam eſſent regnis præditi, quidam regnantibus ſubditi: ſed inter plurima regna terrarum, in quæ terrenæ utilitatis, vel cupiditatis eſt diviſa ſocietas: quam

civitatem mundi hujus univerſali vocabulo nuncupamus, duo regna cernimus longè cæteris proveniſſe clariora: β Aſſyriorum primùm, deinde Romanorum, ut temporibus, ita locis inter ſe ordinata atque diſtincta. Nam quo modo illud prius, hoc poſterius, eo modo illud in oriente, hoc in occidente ſurrexit. Denique in illius fine hujus initium confeſtim fuit. γ Regna cætera, cæteroſque reges velut appendices iſtorum dixerim. Ninus ergò jam ſecundus rex erat Aſſyriorum, qui patri ſuo Belo ſucceſſerat, regni illius primo regi, δ quando in terra Chaldæorum natus *b* eſt Abraham. Stat etiam tempore illo ε regnum Sicyoniorum admodùm parvum, à quo ille undecunque doctiſſimus M. Varro ſcribens de gente populi Romani, velut antiquo tempore exorſus eſt. Ab his enim Sicyoniorum regibus ad Athenienſes pervenit, à quibus ad Latinos: inde ad Romanos. Sed ante conditam Romam in comparatione regni Aſſyriorum, perexigua iſta commemorantur. ζ Quamvis *c* Athenienſes in Græcia plurimum claruiſſe, fateatur etiam Saluſtius Romanus hiſtoricus, plus tamen fama, quàm re ipſa. Nam loquens de illis: Athenienſium, inquit, res geſtæ, ſicuti ego exiſtimo, ſatis amplæ, magnificæque fuerunt: verùm aliquanto minores tamen, quàm fama feruntur. Sed quia provenere ibi ſcriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum, qui fecere, virtus tanta habetur, quantum eam verbis potuere extollere præclara ingenia. η Accedit huic civitati non parva etiam ex literis & philoſophis gloria, quòd ibi potiſſimum talia ſtudia viguerunt. Nam quantum attinet ad imperium, nullum majus primis temporibus, quàm Aſſyriorum fuit: nec tam longè lateque diffuſum. Quippe ubi Ninus rex, Beli filius, θ univerſam *d* Aſiam, quæ totius orbis ad numerum partium, tertia dicitur, ad magnitudinem verò dimidia reperitur, uſque ad Libyæ fines ſubegiſſe traditur. *e* Solis quippe Indis in partibus Orientis non dominabatur, *f* quos tamen eo defuncto ι Semiramis uxor ejus eſt aggreſſa bellando. Id factum eſt, ut quicunque in illis terris populi ſive reges erant, Aſſyriorum regno ditionique parerent, & quicquid imperaretur, efficerent. Abraham igitur in eo regno apud Chaldæos, Nini temporibus natus eſt. *g* Sed quoniam res Græcæ multo ſunt nobis, quàm Aſſyriæ notiores, & per Græcos ad Latinos, ac deinde κ ad Romanos, qui etiam ipſi Latini ſunt, temporum ſeriem deduxerunt, qui gentem populi Romani in originis ejus antiquitate rimati ſunt: ob hoc debemus, ubi opus eſt, Aſſyrios memorare reges: ut appareat, quemadmodum Babylonia, quaſi prima Roma cum peregrina in hoc mundo Dei civitate procurrat. Res autem, quas propter comparationem civitatis utriusque, terrenæ ſcilicet & cœleſtis, huic operi oportet inſerere, magis ex Græcis & Latinis, ubi ipſa Roma quaſi ſecunda Babylonia eſt, debemus aſſumere. λ Quando ergò natus eſt Abraham, ſecundi reges erant, apud Aſſyrios Ninus, apud *h* Sicyonios Europs. Primi autem, illic Belus, hic *i* Ægialeus fuerunt. Cùm verò egreſſo Abraham de Babylonia, promiſit ei Deus ex illo magnam gentem futuram, & in ejus ſemine omnium gentium benedictionem, Aſſyrii quartum regem habebant, Sicyonii quintum: apud illos enim regnabat μ filius Nini

ni *k* poſt matrem Semiramidem, *l* quæ ab illo interfecta perhibetur, auſa filium mater inceſtare concubitu. Hanc putant nonnulli *m* condidiſſe Babylonem, quam quidem potuit inſtaurare. Quando autem vel quomodo condita fuerit, in ſexto decimo libro diximus. *n* Filium porrò Nini & Semiramidis, qui matri ſucceſſit in regnum, *o* quidam etiam ipſum Ninum, quidam verò derivato à patre vocabulo Ninium vocant. Sicyoniorum autem *p* ξ regnum tunc tenebat Telexion. Quo regnante uſque adeò ibi mitia & læta tempora fuerunt, ut eum defunctum velut Deum colerent ſacrificando & ludos celebrando, quos ei primitus inſtitutos ferunt.

a Ita ut magnæ fuerint.] *Ut Numantini, & Saguntini, & illi Opitergini Cæſariani, tum ſinguli Cato. Scipio. Craſſus.* L. Viv.

b Natus eſt Abraham.] *Abrahæ non ſoli ſacri meminerunt ſcriptores ſed ex prophanis plerique, velut Hecatæus, qui librum de Abraham nominatim conſcripſit, ut Euſebius in Evangel. præparatione tradit, & Alexander Polyhiſtor, qui Abrahamum natum ait decima poſt inundationem generatione, in Camarine Babyloniæ urbe, quam alii Urien vocant, quod Græcè χαλδαίπολιν ſonat, hoc eſt, Chaldæorum urbem, inventorem apud illos aſtrologiæ, juſtitia & pietate tanta, ut numini gratiſſimus juſſus ſit ab eo in Phœnicem migrare, quam gentem rationem ſiderum aliasq; magnas & præſtantes artes edocuit: ita facillimè regi illorum conciliatus eſt. Nicolaus Damaſcenus lib. Hiſtoriarum 4. Damaſci Abrahamum regnaſſe ſcribit profectum ex Chaldæa cum exercitu. Hinc in Chananæam veniſſe, quæ poſtea Judæa dicta eſt, magnamq; ſui & diuturnam apud Damaſcenos reliquiſſe memoriam, villamq; ibi oſtendi, quam Abrahami domum nuncupent. Sed cùm fame Chananæa premeretur, in Ægyptum abiiſſe, congreſſumq; cum illis ſacerdotibus, multum eis profuiſſe, & ad rerum cognitionem, & ad pietatem, rationemq; morum & vitæ. Alexander in Heliopoli vixiſſe eum aliquandiu perhibet, nec profeſſum ſe aſtrologiæ inventorem, ſed à majoribus jam ſuis inde ab Enoch traditam ſibi per manus. Artapanus autor eſt, Hebræos ab Abraham nominatos, qui annis xx. in Ægypto fuit, regemq; Ægyptum Pharetatem aſtrorum peritiam docuit, hinc in Syriam reverſum. Melo in libris, quos adverſus Judæos edidit, multa de veritate hiſtoriæ turbat. Nam & tres tantùm generationes ponit à diluvio ad Abraham, duasq; illum habuiſſe uxores, alteram Ægyptiam, alteram civem ſuam, & ex Ægyptia duodecim genuiſſe liberos, principes Arabiæ omnes, è cive unicum Iſaac, cujus duodecim fuerint liberi, quorum tertius fuit Moſes, ultimus Joſeph. Sed in his omnibus, ut divina, ita certiſſima eſt ſacrorum voluminum hiſtoria.* Abraham.

c Athenienſes in Græcia plurimum claruiſſe.] *Athenienſium res publica diuturnior fuit, quàm major: nam quum latiſſimè dominati ſunt, quòd claſſibus plurimùm poſſent, ſolam oram maritimam tenuerunt, eam quæ expoſita eſt ad duo maria, Pamphylium & Ægeum, uſque ad interiorem Boſphoron: nec harum rerum potiti ſunt multo ſupra ſeptuaginta annos, ut Lyſias ſignificat ἐπιταφίῳ.*

d Univerſam Aſiam] *Aliter longè Dionyſ. Alexander, qui Aſſyriorum regnum exiguam quandam obtinuiſſe Aſiæ partem narrat.*

e Solis quippe Indis.] *India ea eſt pars mundi, quæ ab oriente clauditur oceano orientali, à meridie Indico Oceano & Praſoide mari, ab Occidente Indo fluvio, ut ait Diodorus, omnium poſt Nilum maximo, unde & regio eſt cognominata: à Septentrione Emodemon, qui Scythiæ adjacet, & ſi nonnullos populos Indoſcythas nominent. Ptolemæus duplicem Indiam facit, intra & extra Gangem amnem. De India ſcripſere plurimi: Herodotus, Diodorus, Strabo, Mela, Stephanus, Plinius, Solinus, & Ptolemæus, & qui res geſtas Alexandri memoriæ mandarunt Græci Latiniq́; , cujus regis armis illuſtrata magis eſt ea orbis pars, quàm ullis peregrinationibus. noſtro ævo certiora ſunt facta omnia navigationibus hominum noſtratium: De India ejusq́; moribus & felicitate multa Diodorus & Strabo, uterque ex Eratoſthene & Megaſthene, qui apud Sadrocotum Indiæ regem commoratus, res illas perſcripſit.*

f Quos tamen eo defuncto Semiramis uxor ejus aggreſſa eſt.] *Benè aggreſſa, bis enim cum illis conflixit, ſemel ad Indum fluvium, iterum paulò interius: priùs victrix, ſed deinde victa recedere coacta eſt. Diodorus libro tertio. Megaſthenes apud Strabonem negat, ullam unquam ab Indis miſſam ad exteras gentes expeditionem, nec eò penetraſſe quenquam bellando præter Herculem & Liberum patrem, Non Seſoſtrim Ægyptium regem, non Tharconem Æthiopem, qui etiam uſque ad Europam pervenere, & Herculis columnas, quò etiam pervaſit Nabocodroſorus, quem Chaldæi Herculi quoque præferunt, nec hic Indiam vidit. Idantyrſum verò, qui etiam Ægyptum ſit ingreſſus, ad Indos non veniſſe. Semiramim tentaſſe vires Indiæ, & antequam inde egrederetur, periſſe, Cyrum Maſſagetas ſolùm armis ſollicitaſſe, Indis intactis.*

g Sed quoniam rex Græcè.] *In regibus Sicyoniis Pauſaniam & Euſebium, Græcum utrumque ſequemur. Nam Varronis aut Latini cujusquam ea de re monumenta ad noſtram ætatem nulla pervenerunt. Nec hi ambo ferè aliud, quàm nuda nomina recenſent, cujus cauſam fuiſſe exiſtimo, quòd Sicyonii, quum reges ſuos ſepelirent, nullum erant ſoliti addere epigramma, præter nomen ſepulti: ut Pauſanias ipſe inquit, ἐν κορινθιακοῖς, ubi de Sicyoniis tradit. Nec in Aſſyriis magnopere juvari poterimus aliquo ſcriptore. Latini enim prope nihil de his narrant. Græci ferè à Nino ad Sardanapalum, hoc eſt, à primo ad poſtremum tranſiliunt. Sunt qui medios aliquot nominent tantùm: nam regnum illud pervetuſtum in fabuloſa rejiciunt tempora, ſicut Dionyſius facit libro primo: nec multis rebus geſtis fuit inſigne. Fundato enim per Ninum imperio, & per Semiramidem confirmato, cæteri penè reges deſidiæ ſe luxuiq́; tradiderunt, abditi in penitiſſima maximarum ædium, ut ſecluſis arbitris liberiùs ſuo more atque ingenio viverent, nulla ſpectantium veriti judicia: ita vel regum nomina, & quanto quisque tempore regnum tenuiſſet, piguit Cteſiam vetuſtiſſimum ſcriptorem referre. Verùm in aliis regibus gentibusque plures habebimus, tum Græcos, tum Latinos, è quibus deſumamus.*

Sicyonii. h Apud Sicyonios Europs.] *De Sycioniis regibus hæc ſunt apud Pauſaniam in Corinthiacis, quæ penè ad verbum interpretabor. Sicyonii, qui Corinthiis ſunt vicini, de regione ſua narrant, Ægialeum indigenam primum in ea regem fuiſſe, & ex Peloponneſo, quantum adhuc Ægialos dicitur, jam inde ab illo rege vocari, ipſumq́; Ægialiam urbem primam in illo agro incoluiſſe, ubi eſt hodie ſacellum Minervæ, arcem*

eſſe::

eſſe: eſtq́; Ægialia maritima regio à Sicyone ad Elidem, quanquam etiam Ægialia in Paphlagonia & alibi. Alii Ægialiam Peloponneſum vocant, primùm ſic dictam ab illo rege: hinc Apiam ab Api: poſtea Argos ab urbe inſigni, poſtremò Peloponneſus à Pelope. Sed melior eſt opinio eorum, qui ad littus maris ſtatuunt Ægialiam. Hujus filius, ut ferunt, fuit Europs: hujus Telchinus, Telchini Apis, qui ad tantas opes pervenit, ut ante quam Pelops ad Olympiam veniſſet, omnis intra Iſthmum regio Apias de illius nomine ſit dicta. Apios filius fuit Thelxion, Thelxionis Ægyrus, hujus Thurimachus, hujus Leucippus. Leucippo, proles maſcula nulla fuit, filia verò fuit Calchinia, cui ſe commiſcuit Neptunus, & inde natũ educavit avus Leucippus, & moriens tradidit huic regnum, Puero verò nomen erat Peratos. Quæ in Plemnæo Perati filio contigerunt, admiratione videntur digna. Liberi enim huic nati continuò ubi vagirent, expirabant: quoad Ceres oleo remedium adhibuit. Nam quum in Ægialiam veniſſet, tanquam peregrina mulier, filium Plemnæo educavit Orthopolim, cui filia fuit Chryſorthe. hanc peperiſſe ex Apolline arbitrantur, vocatumq́; puerum Cornum, cui filii fuerunt major Corax, minor Lamedon. Corace ſine liberis decedente eodem tempore Epopeus ex Theſſalia profectus, obtinuit imperium. Hoc imperante bellicum exercitum ajunt adverſum ſe primum ingreſſum: nam antea ſemper in pace egerunt. Hæc Pauſanias. Europs verò quadraginta quinque imperavit annis: anno regni ejus xxij. natus eſt Abraham.

i Ægialeus.] *Hunc Græcorum quidam filium dicunt Inachi fluvii Argivi, & Meliæ filiæ Oceani.*

k Poſt matrem Semiramidem.] *De hac multa Diodor. lib. iij. filiam fuiſſe, ait Decertæ nymphæ, patre incerto, quæ in lacum Aſcaloni urbi proximum præcipitem ſe dedit, quòd virginitatem amiſiſſet: fœtumque fœminam Semiramidem inter ſaxa relictam infantem, à feris alitibusq́; enutritam, matrem ipſam pro dea habitam, cultamq́; capite tantum humano, reliquo corpore piſcis forma: nec guſtãt Syrii ex piſcibus lacus illius, ceu deæ ſacris. Semiramidẽ in poteſtatẽ veniſſe Simmæ regii paſtoris, adoleſſeq́; in maximam pulchritudinem, ac denupſiſſe Satrapæ Memnoni, tum in notitiam & gratiam Nini regis veniſſe dato conſilio, quo Bactra, quæ tunc à rege obſidebantur, capi poſſent. Ita Nino Semiramis conjuncta eſt, & formam & ingenium mulieris adminirato. Ex his natus eſt Ninus minor. Semiramis poſt mariti mortem regnum Aſiæ cepit, filio puero adhuc, rexitq́; annos duos & quadraginta. Sunt qui tradant, à marito relictum ei regnum: alii, ut Athenienſes, & hos ſecutus Dion, quum petiiſſet à marito, ut quinque tantũm dies regni jus ſibi concederet, idq́; impetraſſet in regno illo, juſſiſſe maritum occidi, vel, ut alii narrãt, perpetua cuſtodia tradi.* Semiramis.

l Quæ ab illo interfecta.] *Ferunt, hanc concubitus virorum multùm appetiſſe, ſolitamque occidere, cum quo rem habuiſſet: tentaſſe filium & ab eo eſſe interfectam, ſive quod idem timeret ipſe fatum, quod aliis, qui rem cum matre habuerant, contigerat: ſive rem fœdam tetramque abominatus. Chaldæi hanc non obiiſſe mortem arbitrantur, ſed vivam ad ſuperos migraſſe.*

m Condidiſſe Babylonem.] *Babylon regio eſt in Aſſyria Chaldæa; & in ea urbs condita, eodem nomine à Semiramide: ut Diodorus. Strabo, Iuſtinus, & ferè veteres* Babylon.

 omnes.

omnes Græci Latinique exiſtimarunt. Ioſephus verò, Euſebius, Marcellinus, & cæteri Chriſtiani Iudæique veritatem ſacrarum literarum ſecuti à nepotibus Noe conditam aſſerunt, inſtauratam verò & circundatam muris à Semiramide, qui inter miracula mundi numerantur. Id Ovidius ſignificat dicens:

Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem.

Quo verſiculo Hieronymus in Oſee ad id confirmandum utitur. Sunt qui à Belo Semiramis ſocero conditam exiſtiment. Alii ab hoc urbi captum deſignatùmque locum & fundamenta jacta. Quod ex monumentis Ægyptiorum Diodorus tradit. Alexander primum Belum, quem Græci κρόνον *dicunt, regnaſſe in Babylone ſcribit: cujus filii fuerunt ſecundus Belus, & Chanean. Extructionem urbis ex Eupolemi ſententia in eos refert, qui diluvio ſuperfuerunt: ut eſt apud Euſebium libro octavo Præparat. Evang. In decimo verò Abydeni recenſet opinionem, qui inquit, de Chaldææ regione loquens, omnia loca aquis fuiſſe contecta dicuntur. Belus autem regionem ſiccaſſe perhibetur, & Babyloniam condidiſſe, quæ mœnia aquarum alluvione deleta Nabocodroſorus reſtituit, quæ remanebant ad Macedonum tempora. Tum opera & munitionem hujus regis enumerat, quæ nihil attinet huc adferre. Auguſtinus autorem Babylonis facit Nemroth, ut dixi ante. De hac Plinius ad hunc modum ſcribit lib. 6. Babylon Chaldaicarum gentium caput diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Meſopotamiæ Aſſyria Babylonia appellata eſt, lx. M. paſſuum amplexa muris ducenos pedes altis, quinquagenos latis: in ſingulos pedes ternis digitis menſura ampliore quàm noſtra interfluo Euphrate, mirabili opere utroque. Eſt & altera Babylon ad Nilum in Ægypto poſita ab his, quos ex Babylone Seſoſtris rex Ægyptius in Ægyptum tranſtulerat, ut eis pro ſervis ad veſanas illas extructiones uteretur.*

n Filium porrò Nini.] *Hunc mater in umbra ſemper & inter ancillas curarat educandum: ideo pacatis undique circa populus quietem egit, rarus in publico, à quo mos manavit in cæteros reges, ut à pauciſſimis ſinerent ſe conveniri, niſi per interpretem, ſtatutis, qui regnum per partes adminiſtrarent, præfectis: Diodorus & Iuſtinus.*

o Quidam etiam ipſum Ninum.] *Hunc alii Zameim, alii Ninum dixerunt, ut Iuſtinus & Euſebius: alii Ninium.*

p Regnum tunc tenebat Telexion.] *Apud Euſebium Latinum eſt Selchim, quem regnaſſe ait annis xx. In veteribus Auguſtini libris in aliis eſt Telexio, in aliis Telaſio. Non dubium, quin legendum ſit, ut eſt apud Pauſaniam,* τελξίων *Telexionis.*

I.L.Coſ. *a* QUi perire quam ſervire maluerunt.] *Ut Numantini, qui perire maluerunt, quàm venire in poteſtatem Romanorum, & Saguntini, qui ne in poteſtatem Annibalis venirent, ſe ſuaque omnia incendio abſumpſere, Annibal, Cato Scipio, Iuba, Craſſus, Cleopatra maluerunt mortem ſibi conſciſcere, quam ſe hoſtibus dedere.* Decebalus rex Dacorum à Trajano ſe ſecundum victus ne in Romanorum poteſtatem veniret, ſua manu uſus interiit. *Xiphilinus in Epitome Dionis lib. 14.* Meſſenius ab Achæis ſuperatus mortem ſibi attulit, ne in eorum poteſtatem veniret. *Plutarchus in Philopœmene. Ita Mithridates à filio Pharnace obſeſſus, ita Nicias & Demoſthenes duces Athenienſium à Syracuſanis capti & in carcerem conjecti ſibi manus attulere, ne hoſtibus eſſent ludibrio. Quod vero ſcribit Livius Auguſtinus, magnæ admirationi*

rationi eos fuiſſe, certe non intelligit Chriſtianis, neque his, qui ſapienter ſunt philoſophati, neque enim fortiter egiſſe putandi ſunt, & libro 1. mortem Catonis minùs probavit, & Regulum laudavit, qui non ſibi vim intulerat, ne mortem vel etiam duriſſima tormenta à Carthaginenſibus ſuſtineret.

β Aſſyriorum primum, deinde Romanorum.] *Quatuor fuere potentiſſimæ in orbe Monarchiæ, Aſſyriorum, Perſarum ac Medorum, Græcorum, atque Romanorum, quæ ſignificatæ ſunt in Daniele per quatuor illa animalia, & in ſtatua Nabuchodonozoris per quatuor Metalla. Fuit autem Aſſyriorum Monarchia longe potentiſſima, quæ & multis annis duravit. quamdiu tamen ſteterit, non conſentiunt auctores. Herodotus libr. 1. Aſſyrios ſcribit imperio Aſiæ per quingentos annos eſſe potitos. Diodorus Siculus Cteſiam ſecutus regno Aſſyriorum tribuit annos mille trecentos & ſexaginta: Vellejus Paterculus ſcribit, Aſſyrios imperium Aſiaticum obtinuiſſe annis mille ſeptuaginta, ibique regnatum à triginta tribus Regibus, ita ut ſemper ſucceſſor paterni regni foret filius. Juſtinus illi imperio tribuit mille trecentos annos, Cedrenus mille trecentos ſexaginta, Euſebius mille ducentos quadraginta, Oroſius lib. 2. c. 3. mille centum ſexaginta & ferè quatuor.*

γ Regna cætera cæteroſque Reges velut appendices.] *Plato lib. 3. de legibus ſcribit, Trojam Imperii Aſſyrii partem fuiſſe; Joſephus quatuor illos Reges, qui bellum geſſerunt, Geneſ. 14. adverſus regem Sodomorum, & adverſus quos prælium inſtruxit Abraham, fuiſſe Aſſyriis ſubditos.*

δ Quando in terra Chaldæorum natus eſt Abraham.] *Georgius Cedrenus Abrahamum natum eſſe ſcribit, cum Ninus primus Aſſyriorum Rex annum regni ſui 43. ageret; quod idem ſcribit Euſebius in Chronico Genebrardus in Chron. ſcribit, Ninum imperare non potuiſſe niſi 12. annis poſt natum Iſaac, qui fuit annus ætatis Abrahæ. 112.*

ε Regnum Sicyoniorum.] *Sicyonii à Sicyone, qui XIX. apud eos regnavit, nuncupati ſunt, qui primo Ægialei vocabantur. Euſebius in Chronico. Strabo lib. 8.* τὴν Σικυῶνα πρότερον Μηκώνην ἐκάλουν, ἔτι δὲ πρότερον Αἰγιαλοις. *Pauſanias teſtatur in Corinthiacis urbem eſſe vetuſtiſſimam Peloponenſi non procul à Corintho ſitam.*

ζ Athenienſes in Græcia plurimum claruiſſe.] *Athenas* ἔρεισμα τῆς Ἑλλάδος, *vocavit aliquando Pindarus; Athenas & Spartam duos Græciæ oculos vocabat Lyſander Lacedæmonius. Æmylius Probus in Pomponio Attico Athenas ſcribit reliquis civitatibus antiquitate, humanitate & doctrina præſtitiſſe. Plutarchus libellum edidit de gloria Athenienſium, pace ne an bello fuerint clariores. De Athenienſium imperio hæc Dionyſius habet lib. 1.* Athenienſes maritimum tantùm tractum tenuerunt annis duodeſeptuaginta, ac ne hunc quidem totum, ſed intra Euxinum Pontum & Pamphilium Pelagus, idque cum maximè pollerent rebus navalibus.

η Accedit huic civitati non parva.] *Cicero lib. de Orat. omnium doctrinarum inventrices Athenas nominat, in quibus ſumma dicendi vis & inventa & perfecta eſt.*

θ Univerſam Aſiam.] *Tota Aſia potitos fuiſſe Aſſyrios, non modo hoc loco D. Auguſtinus, verùm etiam ſupra lib. 16. cap. 17. & infra cap. 22. ſcribit, & D. Hieronymus*

in cap.

in cap. 2. Oſea, Diodorus Siculus, Juſtinus, & Plato lib. 3. de legibus quanta fuerit antiquitus potentia Aſſyrii Imperii, facilè oſtendit; ἦν γὰρ ἔτι τὸ τῆς ἀρχῆς ἐκείνης σχῆμα τὸ σωζόμενον οὐ μικρόν. καθάπερ νῦν τὸν μέγαν βασιλέα φοβούμεθα ἡμεῖς καὶ τότε ἐκείνην τὴν συσταθεῖσαν σύνταξιν ἐδέδισαν οἱ τότε. *Strabo lib. 16. de Nino & Semiramide,* οὗτοι δὲ ἐκράτησαν τῆς Ἀσίας. *Dionyſius lib. 1. longe aliter de Aſſyriorum imperio diſſerit: Modicam enim tantùm Aſiæ partem obtinuiſſe, nec duraſſe longo tempore ſcribit.*

ι Semiramis ejus uxor.] *De Nino & Semiramide, eorũque rebus fortiter ac præclarè geſtis plura Herodotus, Iuſtinus, Diodorus, Strabo & alii Ælianus l. 7. de varia hiſt. c. 1. quomodo Semiramis obtinuerit Aſſyriorum Imperium ſcribit.* Cum enim à Rege Nino, qui eam ſtatim viſam deperire cœpiſſet, propter famam pulchritudinis vocata eſſet, petiit munus ſtolam ſcilicet regiam, Aſiæque imperium ad quinque dies, & eorum, quæ hoc tempore gererentur poteſtatem. Illa collocata ſuper thronum cùm intelligeret omnia in ſua eſſe poteſtate, & à ſuo conſilio pendere, mandavit ſatellitibus, ut Regem interficerent; atque ſic Aſſyriorum imperium obtinuit. *Gerardus Mercator.* Si conſideremus *(inquit)* Semiramidem adhuc puellam ab Aſſyriorum rege in regni conſortium expetitam, & pariter adjungamus Ninum urbem à Nino & Semiramide conditam, cùm antea mœnibus careret, ut ex Suida patet, non obſcurè intelligemus, Semiramidem ante Nini nuptias Aſſyriorum regnum adeptam, atque illud tanquam dotem ad Ninum attuliſſe, & Babylonico regno conjunxiſſe, ut ex hoc matrimonio coaluerint in unum imperium tùm Chaldæorum ſive Babylonicorum, tum Aſſyriorum Regum. *Nec hoc caret probabilitate, nam paternum regnum Nini non erat Aſſyriorum, ſed Chaldæorum regnum.*

κ Romanos qui etiam ipſi Latini ſunt.] *De quo videri poteſt Strabo lib. 5. & Plinius lib. 3. natur. hiſtor. cap. 5. Aliud tamen erat jus Romanum, & aliud jus Latii, ut videre eſt apud Sigonium lib. 2. de antiquo jure cap. 3. & apud Latium lib. 12. commentar. Reip. Rom. cap. 1.*

λ Quando ergo natus eſt Abraham] *Ita ſcribit Euſebius:* Quando natus eſt Abraham, jam regnabat Rex ſecundus, qui vocabatur Ninus filius Beli. Nam primus Aſſyriorum regnavit Belus annis 65. quem Aſſyrii Deum nominaverunt Saturnum: quo defuncto regnum accepit filius ſuus Ninus, qui regnavit annis 52. Hujus regni anno 43. erat primus annus Abrahæ. Sicyoniorum in Achaia regnabat Rex ſecundus, cui nomen erat Europs. Nam primus eorum regnavit Ægialeus, ex quo Ægialea vocabatur, quæ nunc dicitur Peloponneſus, qui regnavit annis 52. Quo defuncto regnavit Europs annis 45. cujus annus 22. primus annus erat Abrahæ.

μ Filius Nini poſt matrem Semiramidem.] *Euſebius,* Zameus Ninyas, Semiramidis & Nini filius, quartus imperat Aſſyriis & Babyloniis annis 38. *De eo hæc Athenæus lib. 12.* Κτησίας ἐν τρίτῃ Περσικῶν, καὶ πάντας μέν φησι τοὺς βασιλεύσαντας τῆς Ἀσίας περὶ τρυφὴν σπουδάσαι, μάλιστα δὲ Νινύαν τὸν Νίνου καὶ Σεμιράμιδος υἱόν. καὶ οὗτος οὖν ἔνδον μένων δὲ τρυφῶν ὑπ' οὐδενὸς ἑωρᾶτο, εἰ μὴ ὑπὸ τῶν εὐνούχων, καὶ τῶν ἰδίων γυναικῶν.

ν Quæ

η Quæ ab illo interfecta perhibetur.] *Juſtinus lib. 1. Semiramis cum concubitum filii appetiiſſet, ab eodem interfecta eſt, duos & 40. annos poſt Ninum regno potita. Agathius lib. 2.* Λέγεται γὰρ πότε Σεμίραμιν τὴν πάνυ τὴν Ἀσυρίαν εἰς τοῦτο ἀκρασίας ἡγμένην ὡς Νινύᾳ τῷ παιδὶ ἐθελῆσαι ξυνελθεῖν εἰς ταυτὸ καὶ ἤδη πειρᾶν τὸν νεανίαν, τὸν δὲ ἀπανήνασθαι καὶ χαλεπῆναι καὶ τέλος τῶν τε ἐπειδὴ αὐτὴν ἑώρα σφαδάζουσαν καὶ ἐγκειμένην ἀποκτεῖναί τε τὴν μητέρα, καὶ τί δὲ τὸ ἄγος αἰτ᾽ ἐκείνης ἔλεσθαι.

ξ Regnum tunc tenebat Telexion.] *Pauſania in Corinthiacis*, Thelexion, & *Euſebio* Thelaſion *dicitur, Fuitque quintus rex Sicyoniorum, & regnavit annis 52. Otho Phryſingenſis lib. 1. Chronic. cap. 10.* Telexion propter læta & mitia regni ſui tempora mortuus à ſuis cultu Dei honoratur.

CAP. III.

Quibus regnantibus apud Aſſyrios atque Sicyonios Abraha centenario Iſaac de promiſſione ſit natus: vel ipſi Eſau & Jacob gemini de Rebecca ſint editi.

CUjus temporibus etiam Iſaac ex promiſſione Dei natus eſt centenario patri filius Abrahæ de Sara conjuge, quæ ſterilis & anus jam ſpem prolis amiſerat. *a* Tunc & α Aſſyriis quintus erat rex Aralius. Ipſi verò Iſaac ſexagenario nati ſunt filii gemini, *b* Eſau & Jacob, quos ei Rebecca uxor peperit, avo eorum Abraham adhuc vivente, & centum ſexaginta ætatis annos agente. Qui expletis centum ſeptuaginta quinque annis, defunctus eſt: regnantibus apud Aſſyrios *c* β Xerxe illo antiquiore, qui etiam Balæus vocabatur γ & apud Sicyonios *d* Thuriacho, quem quidam Thurimachum ſcribunt, ſeptimis regibus. δ Regnum autem Argivorum ſimul cum Abrahæ nepotibus ortum eſt, ubi primus regnavit Inachus. Sanè quod prætereundum non fuit, etiam apud ſepulchrum ſeptimi ſui regis Thurimachi ſacrificare Sicyonios ſolere, Varro refert. Regnantibus porrò octavis regibus *e* ε Armamitre Aſſyriorum, ζ Leucippo Sicyoniorum, & *f* η primo Argivorum Inacho, Deus locutus eſt ad Iſaac, atque ipſi quoque eadem, quæ patri ejus duo illa promiſit, ſemini ſcilicet ejus terram Chanaan, & in ejus ſemine benedictionem cunctarum gentium: hæc ipſa promiſſa ſunt etiam filio ejus nepoti Abrahæ, qui eſt appellatus primò Jacob, pòſt Iſrael: cùm jam θ Belocus rex nonus Aſſyriis & ι Phoroneus Inachi filius ſecundus regnaret Argivis, Leucippo adhuc apud Sycionios permanente. His temporibus Græcia κ ſub Phoroneo Argolico rege legum & judiciorum quibusdam clarior facta eſt inſtitutis. Phegous tamen frater hujus Phoronei junior, cùm eſſet mortuus, ad ejus ſepulchrum templum eſt conſtitutum, in quo coleretur ut Deus: & ei boves immolarentur. Credo honore tanto ideò dignum putarunt, quia in regni ſui parte (pater quippe loca ambobus diſtribuerat, in quibus eo vivente regnarent) iſte ſacella conſtituerat ad colendos deos: & docuerat obſervari tempora per menſes atque annos, quid eorum quatenus metirentur atque numerarent. Hæc in eo nova mirantes rudes adhuc homines morte obita Deum eſſe factum, ſive opinati ſunt, ſive voluerunt. *g* λ Nam & Io filia Ina-

chi fuiſſe perhibetur, quæ poſtea Iſis appellata, ut magna Dea culta eſt in Ægypto: quamvis alii ſcribant, eam ex Æthiopia in Ægyptum veniſſe reginam: & quod latè juſtèque imperaverit, hunc honorem illi habitum eſſe divinum, poſteaquam ibi mortua eſt, & tantum honorem, ut capitali crimine reus fieret, ſi quis eam fuiſſe hominem diceret.

L.Vivu. a TUnc & Aſſyriis quintus.] *In veteribus eſt, Argius: apud Euſebium Analius, qui regnavit annos quadraginta, filius Arii ſuperioris regis. Nam ut Vellejus ait, in regibus Aſſyriis ſemper filius ſucceſſit patri.*

b Eſau & Jacob.] *Jacob meminerunt gentiles autores, Theodotus elegantiſſimo carmine, quo gentis Hebrææ geſta laudesq́; complexus eſt. Tum Artapanus & Philo, non Judæus ille, ſed alter quidem, præter Alexandrum Mileſium, qui ſacras literas ſecutus eſt, ut dixi.*

c Xerxe illo antiquiore.] *Hic filius fuit Analii, imperavit annos triginta. Fuerunt & alii duo Xerxes, ſed reges Perſarum: prior Darii Hyſtaſpis filius, qui bellum incredendis copiis intulit Græciæ. Poſterior paucorum menſium rex, qui Artaxerxi Longimano ſucceſſit. Herodotus Erato, Xerxem nihil aliud eſſe linguâ illâ dicit, quàm bellatorem, Artaxerxem verò magnum debellatorem. In libello, qui titulo Beroſi circumfertur, ſic ſcribitur: Octavus rex Babyloniæ fuit Baleus, cognomento Xerxes, & regnavit annos triginta: hunc appellaverunt Xerxem, id eſt, victorem & triumphatorem: quòd imperavit duplo plus gentibus, quàm Aralius. Erat enim militia ferox & fortunatus: & propagavit regnum uſque prope Indos. Sic ille, quiſquis eſt. Xerxem Aſſyriæ regem Balanæum cognominat Euſebius. Græcis βαλανεῖον eſt balneum & βαλανεὺς balnearius.*

d Thuriaco, quem quidam Thurimachum.] *Apud Euſebium Timmachus, & ſic eſt in antiquo codice Brugenſi, nil dubium, quin mendosè, ut alia permulta. Pauſanias θηλεξίωνος ἦ αἴγυρος, τοῦ ἦ θουρίμαχος. Thelexionis filius fuit Ægyrus, hujus verò Thurimachus: Cujus regni anno ſeptimo nati ſunt gemini Iſaaco.*

e Armamitre.] *Annis triginta octo, Leucippus Thurimachi filius quadraginta quinque, is quem modo citavi, Armabitrem, non Armamitrem hunc nominat.*

f Primo Argivorum Inacho.] *In Peloponneſo à promontorio Syllaceo ad Maleam ſinus Argolicus ad Myrtoum mare. Ibi eſt Argolis, quæ Argos & Mycenas urbes, Inachum & Eraſinum amnes, tum etiam Laconiæ partem continet. Hic primus regnavit Inachus, qui nomen dedit amni, qui à Lyrceo defluit monte. Alii Argis Theſſalicis regnaſſe, & hunc & Phoronæum putant, falſi ſimilitudinibus nominum. Nam in Theſſalia Argi ſunt dicti Pelagiſci ab Homero: & Pelaſgi etiam in Peloponneſo ponuntur, & utrobique Achæi & Achivi. Tum Strabo Pelopem cum Phthiotis, qui ſunt in Theſſalia, veniſſe in Apiam, ſcribit, quæ de nomine ejus poſtea Peloponneſus eſt dicta: & Pelaſgi, qui in Italiam venere, ſedesq́; primùm habuerunt, alii ad Padi*

Fideſt *oſtia, alii in Umbria Theſſali narrantur fuiſſe. Verùm Pelaſgus Niobes Phoronei filia, & Jovis filius fuit à quo Achæi, & qui deinde Peloponneſiaci ex Peloponneſo in eam, quæ tunc Æmonia, poſtea Theſſalia dicta eſt, frequentes migrarunt, ducesq́; multitudinis fuere, ut Dionyſius Halicarnaſſæus ſcribit, Achæus, Phthius, & Pelaſgus, La-*

riſſa,

riſſa, & Neptuni filii, profectiq́; in Æmoniam expulſis barbaris ipſi ea tenuerunt loca, regione in tres partes ducibus diviſa, quas de nominibus eorum nominarunt. Phthiam, Achaiam, Pelaſgiam: tametſi magis credo, cognominationibus antiquæ patriæ illos eſſe uſos ad deſiderium leniendum: ut quemadmodum Achaiam, Pelaſgiam, & Phthiam & Lariſſam arcem Argivam reliquiſſent, ita ibi recuperarent, cum etiam ad famam gentis propagandam. Quinque poſt ætatibus hi Pelaſgi à Locrenſibus & Æ:olis, qui tum Curetes erant, & Leleges, duce Deucalione, Promethei filio pulſi ſunt in inſulas maris Ægei, & proximam continentem. Qui Epiro appulerunt, non multò poſt trajecerunt in Italiam. Homerus in catalogo navium ſatis oſtendit, fuiſſe nomina illarum urbium & regionum confuſa. Sed de his tantum. Argivorum res Dionyſius in libris chronicis antiquiſſimas Græciæ totius fuiſſe tradit: cui Apion & alii plerique ſuffragantur, adeò ut etiam poſt Inachum, nempe Phoroneo regnante, dicant, Ægialeum fuiſſe autorem regni Sicyonii. Porrò Inachum ipſum fabulantur priſci, ut ſcribit Pauſanias, non hominem, ſed amnem fuiſſe Oceano genitum, patrem Phoronei, & ut alii tradunt, Ægialei. Phoroneus verò inter Junonem & Neptunum de poſſeſſione illius terræ judex adhibitus, cum Cephiſo, Aſterione, ac Inacho pro Junone pronunciavit, unde Juno Argiva dicitur, & charos illi eſſe Argos, templumq́; ejus vetuſtiſſimum religione inter Argos & Mycenas. Phoroneum judicem faciunt, quòd is judicia legesq́; illis populis conſtituit. Nec deſunt, qui putent, forum de ejus nomine eſſe dictum: quod quam verum ſit, viderint ipſi. Pauſanias narrat, hunc congregaſſe in urbem ſparſos terra illa homines, vocaſſeq́; urbem Phoronicum. In hunc Thelciſſes & Carſathii arma moverunt, victiq́; mari & ventis ſe commiſere, nullo deſtinato quem peterent locum. Tandem Rhodum, quæ tunc Ophiuſa dicebatur, tenuerunt, incolueruntq́; annis, ut Oroſius computat, ante conditam Romam mille & ſeptuaginta.

Phoroneus.

g Nam & Io filia Inachi.] *Hanc fabulantur raptam à Jove, ſtupratamq́; & ne in ſcelere à Junone deprehenderetur, converſam in vaccam, dono datam Junoni ipſi, à qua miſſa in Ægyptum, addito cuſtode centoculo Argo, eamq́; eſſe Iſim Herodotus lib. primo narrat, ex Perſarum monumentis puellam hanc raptam à Phœnicibus, qui Argum navigio cum mercibus appulerant, ductamq́; in Ægyptum: quod ait, fuiſſe caput injuriarum in mulieribus rapiendis quouſque ventum eſt ad bellum Trojanum. Diodorus refert, Inachum miſiſſe Cyrnum præſtantem ducem magna cum claſſe ad quærendam filiam, interdicto reditu, niſi cum Jove. Pauſanias hanc non Inachi filiam, ſed Iaſi, qui ſextus ab Inacho Argis imperavit. Nam Phoronei filiam Argon ait genuiſſe: qui avo ſucceſſit: à quo Argi ſunt nominati, quod prius Phoronicum Argo filius Phorbas, huic filius Triopas, hoc geniti ſunt Jaſius & Agenor. Valerius Flaccus libro quarto Argonauticon Ionem, Inachidem, & Iaſiam virginem nominat, hoc quia filia eſt, illud quia Inachus autor regni & nobilitatis. Et profectò hunc in modum magis congruunt tempora. Qui enim conveniret, ſi filia eſſet Inachi, vixiſſe eam Triopa rege, ut Euſebius in Chronicis, & in decimo Præparat. Evangelica ait, qui ſeptimus imperium Argis tenuit, hoc eſt, quadringentis annis poſt Inachum? Etſi Euſebius Ion etiam in regno Inachi conſtituit in eiſdem chronicis libris: nec tranavit*

mare, ſed navigio in Ægyptum delata eſt. Nam ut Lactantius ſcribit libro primo, certus eſt in faſtis dies, quo Iſis navigium celebratur. Ideò navigationibus putabatur praeeſſe, & curſus in mari dirigere. Lucianus verbis Jovis ad Mercurium: τὴν δ' ἰὼ διὰ τοῦ πελάγους ἐς τὴν αἴγυπτον ἀπαγαγὼν ἶσιν ποίησον, καὶ τὸ λοιπὸν ἔσω θεὸς τοῖς ἐκεῖ. καὶ νεῖλον ἀναγέτω, καὶ τοὺς ἀνέμους ἐπιπεμπέτω, καὶ σωζέτω τοὺς πλέοντας. *Ipſam verò Iun per mare in Ægyptum ducito, & facito Iſin: ac deinceps ſit illis hominibus numen. Inducat ipſa Nilum, ventos immittat, & navigantes ſervet. Apud Apuleium lib. 11. de feſto loquitur Iſis: qui dies ex iſta nocte naſcetur, æterna mihi nuncupavit religio, quo ſedatis hybernis tempeſtatibus, & lenitis maris procelloſis fluctibus, navigabili jam pelago rudem dedicantes carinam primitias commeatus libant mei ſacerdotes.*

Iſis. *b* Quæ poſtea Iſis.] *Hæc in Ægypto cornuta fingebatur, ut ſcribunt Herodotus & Diodorus Siculus, quam ut filiam Saturni & Rhea, alii putabant, Junonem eſſe, quæ fratri Oſiridi, id eſt, Jovi nupſerit. Alii Cererem, id eſt, Græcè* δήμητραν, *quòd leges tulerit, & agriculturam docuerit, & Oſiridem Solem. Nam filiam fuiſſe Inachi Ionem, non placet Diodoro. Servius octavo Æneidos, Iſis eſt genius Ægypti, quæ per ſiſtri motum, quod gerit in dextra, Nili acceſſus ſignificat: per ſitulam, quam ſiniſtra retinet, oſtendit affluentiam omnium lacunarum. Iſis autem linguâ Ægyptiorum eſt terra, quam Iſin volunt eſſe. Sic ille.*

i Eam ex Æthiopia.] *Unde ad Ægyptios ferunt manaſſe literas, leges, ritus civitatum, inſtituta ſacrorum, & colonias eò miſſas frequentes.*

P.L.Reg *α* Aſſyriis quintus erat Rex Aralius.] *Euſebio* Arialius, *qui regnavit annis 40. Beroſus Annianus eum ſeptimo loco inter Aſſyriorum reges recenſet, qui claruerit ingenio & ſtudio militari, & primus adauxerit pompas, & gemmas & muliebres delitias.*

β Xerxe illo antiquiore, qui etiam Baleus.] *Euſebio* Balaneus, *qui regnavit annis 30. Beroſus Annianus;* Octavus Rex Babyloniæ fuit Baleus cognomento Xerxes, & regnavit annis 30 *Hunc appellaverunt Xerxem i. e. victorem & triumphatorem, quod imperaverit duplo pluribus gentibus, quam Aralius. Erat enim militia ferox & fortunatus, & propagavit regnum non procul à Judæis: Apud Othonem Friſingenſem lib. 1. cap. 11.* Baleas *nominatur.*

γ Apud Sycionios Thuriaco, quem quidam Thuri machum.] *Nec dubium quin* Thurimachum *legere debeamus, cùm ita major pars habeat exemplarium, authore Arnoldo Pontaco notis ad Euſebium. Ita vocat Pauſanias & Euſebius & Mercator. regnavit annis 45.*

δ Regnum autem Argiuorum] *Refert Euſebius initium regni Argiuorum in annum mundi 3340. in annum Abrahæ 160. qui erat ſexageſimus Iſaac, & quo illi nati ſunt Jacob & Eſau, quod dicit Auguſtinus cum Abrahæ nepotibus ortum eſſe regnum Argiuorum. Idem ſcribunt Iſidorus in lib. 5. orig. cap. 39. & in Chronic. & Otho Friſing. lib. 1. Chronic. cap. 11.*

ε Armamitre Aſſyriorum.] Armamertem, *nonnulli* Armathritem. *Regnavit annis 38.*

ζ Leucippo Sicyoniorum.] *Hic regnavit annis 53.*

η Primo Argiuorum Inacho.] *Clemens Alexandrinus libr. 1. ςρώμ. longe poſterioribus temporibus vult regnaſſe Inachum, nempe temporibus Moſis & Amoſis Ægyptiorum Regis. Tertullianus etiam in Apologetico cap. 9. Argivum Inachum Moſi parem facit ætate: In qua ſententia eſt & Juſtinus orat. adverſus Gentes, & Tatianus oratio. adverſus Græcos, & Epiphanius lib. 1. contra hæreſes, & nonnulli ex prophanis authoribus apud Euſebium lib. 10. Evangel. præparat. cap. 3.*

θ Belochus rex nonus Aſſyriis.] *Octavum enumerat Euſebius in Chronico, & ſcribit regnaſſe annis 35.*

ι Phoroneus Inachi filius.] *Euſebius lib. 11. de præparat. Evangel. cap. 3.* Inachus primus Argis regnavit, deinde Phoroneus quando Ogygium in Attica diluvium fuit. *Quod idem ſcribit Clemens Alexandrinus lib. 1. Hujus meminit Plato in Timæo; Pauſanias lib 2 ſcribit, hunc diſperſos ante Argivos & ſeorſim habitantes in unius civitatis jus compuliſſe. Regnavit annis ſexaginta.*

κ Sub Phoroneo Argolico Rege legum & Judiciorum.] *Eum primum leges judiciaque conſcripſiſſe, ſcribit Euſebius in Chronico, & Clemens Alexandrinus orat. exhortat. ad Gentes.*

λ Nam & Io filia Inach.] *Vide Diodorum lib. 4. Lactantium lib. 1. cap. 21. Theophilum ſerm. 1. ad Autolicum, Euſebium lib. 12. de præparat. cap. 1. de Oſiride & Iſide.*

CAP. IV.

De temporibus Jacob, & filii ejus Joſeph.

REgnantibus *a* Aſſyriorum decimo rege Baleo, & *a* β Sicyoniorum nono Meſappo, *b* qui etiam Cephiſos à quibuſdam traditur, ſi tamen duorum nominum homo unus fuit, ac non potiùs alterum pro altero putaverunt, fuiſſe hominem, qui in ſuis poſuerunt ſcriptis alterum nomen, cùm *c* rex Argivorum tertius Apis eſſet, mortuus eſt Iſaac annorum centum octuaginta, & reliquit geminos ſuos annorum centum & viginti, quorum minor Jacob pertinens ad civitatem Dei, de qua ſcribimus, majore utique reprobato, habebat duodecim filios, quorum illum, qui vocabatur Joſeph, mercatoribus in Ægyptum tranſeuntibus fratres, γ adhuc Iſaac avo eorum vivente vendiderant. Stetit autem ante Pharaonem Joſeph, quando ex humilitate, quam pertulit, ſublimatus eſt, cùm triginta eſſet annorum: quoniam ſomnia regis divinè interpretatus, prænunciavit ſeptem ubertatis annos futuros, quorum abundantiam præpollentem conſequentes alii ſeptem ſteriles fuerant conſumpturi: & ob hoc eum rex præfecerat Ægypto de carcere liberatum, quò eum conjecerat integritas caſtitatis, quam fortiter ſervans malè amanti dominæ, & malè credulo domino mentituræ, veſte etiam derelicta, de manibus attrahentis aufugiens non conſenſit ad ſtuprum. Secundo autem anno ſeptem annorum ſterilium, Jacob in Ægyptum cum ſuis omnibus venit ad filium, agens annos centum & triginta: ſicut interroganti regi ipſe reſpondit, cum Joſeph ageret triginta & novem, ad triginta ſcilicet quos agebat, quando à rege honoratus eſt, additis ſeptem ubertatis annis, & duobus famis.

L.Viv. a SIcyoniorum nono Meſappo.] *Hujus Pauſanias non meminit. Leucippum enim ait liberis maſculis caruiſſe, genuiſſe verò filiam Chalciniam, cui commiſtus Neptunus genuit Peratum. Hujus avus Leucippus apud ſe educato regnum tradidit. Euſebius Meſappum annos regnaſſe ait quadraginta ſeptem. Haud dubiè ſi Meſappus eſt hoc loco ponendus, is eſt, qui Chalciniam duxit, à quo mons Meſappus in Bœotia, & Meſappia in Italia dicta Calabria. Quem etiam Neptuni filium facit Vergilius libro ſeptimo, idcirco equorum domitorem & ferro atque igni inviolabilem.*

Cephiſo. b Qui etiam Cephiſus à quibusdam.] *Cephiſus fluvius eſt Bœotiæ ad cujus ripam templum eſt Themidis deæ, cujus oraculum Deucalion & Pyrrha ſuper reparatione generis humani conſuluerunt. Ex Parnaſſo delapſus Bœotiam & Atticam irrigat. Et vel Meſappus à fluvio monteq; cognominatus eſt, vel utrumque ab ipſo. Seu, quod veriſimilius eſt, Meſappus ab eo dictus eſt mons, & ipſe à patrio flumine Cephiſus aut Cephiſius appellatus.*

Apis. c Rex Argivorum tertius Apis.] *Pauſanias hujus regis inter Argivos non meminit, ſed inter Sicyonios: quem tantum opibus ait valuiſſe, ut tota regio intra Iſthmũ Apia ſit ante Pelopis adventum ex eo dicta, Euſebius Argivum facit ex multorum Græcorum ſententia.*

Hk.Coq. α ASſyriorum decimo rege Baleo.] *Regnavit annis 52. Euſebius recenſet eum inter Reges Aſſyriorum nono loco; Beroſus Annianus undecimo, de quo & illud tradit, hunc poſt Semiramidem ſupra cæteros enituiſſe fama, ſplenduiſſeque imperio uſque intra Indiam.*

β Sicyoniorum nono Meſapo. *Euſebius. regnavit annis 47.*

γ Adhuc Iſaac avo eorum vivente.] *Ex 37 Geneſis colligitur Joſeph fuiſſe 16. annorum cùm venditus eſt à fratribus. In libris Hebraicis, Chaldaicis, Græcis exſtat, ipſum fuiſſe decem & ſeptem annorum, verùm facile reſpondetur, Joſephi tunc fuiſſe decimum ſextum ætatis annum expletum, & decimum ſeptimum inchoatum, & Latinum interpretem voluiſſe deſcribere ætatem Joſephi ab annis ejus jam completis; alios vero ab ultimo ejus anno jam inchoato. Quomodo vero hic ſcribit, vivente adhuc Iſaac aut Joſeph fuiſſe venditum in Ægypto, cum à Moſe poſt mortem Iſaac narretur venditio Joſeph facta à fratribus, cum ſexdecim vel ſeptendecim eſſet annorum? verùm manifeſta eſt hyſterologia i.e. præpoſtera rerum geſtarum narratio. Nam poſt mortem Iſaac narratur venditio Joſeph, quæ nihilominus eam tredecim annis præceſſerat. Jacob enim centum & viginti annorum erat in obitu patris Iſaac, ſiquidem ab eo ſexagenario genitus fuerat: Iſaac vero centum octoginta natus annos mortem obivit. Porrò Jacob anno ætatis ſuæ uno & nonageſimo genuerat filium ſuum Joſeph, à quo tempore uſque ad centeſimum vigeſimum annum ſuæ ætatis, in quem annum incurrit mors Iſaac, numerantur anni viginti novem. Tot ergo anorum erat Joſeph, cùm mortuus eſt Iſaac: Si igitur venditus fuit anno 16 vel 17 ſuæ ætatis, certe 12. vel 13. annis ante mortem Iſaac. D. Auguſtinus quæſt. 122. in Geneſim hanc quæſtionem tractat & demonſtrat, non potuiſſe eſſe Joſeph decem & ſeptem annorum, niſi ante duodecim annos mortis Iſaac, & in centeſimo octavo anno vitæ patris ſui Iacob.* His enim annis (*inquit*) cum adjecerimus viginti duos annos, quibus Joſeph

uſque

uſque ad adventum patris ſui fuit in Ægypto, fiunt ætatis anni Joſeph triginta novem. & ipſius Jacob centum triginta. Sed quoniam Scriptura poſt mortem Iſaac (*inquit*) iſta narravit, putatur Joſeph poſt mortem Iſaac decem & ſeptem annorum fuiſſe. Quapropter intelligamus de vita Iſaac tanquam multum decrepiti ſenis tacuiſſe ſcripturam, cum jam de Jacob & ejus filiis loqueretur; vivo tamen Iſaac decem & ſeptem annorum eſſe cœpit Joſeph.

CAP. V.

De Api rege Argivorum, quem Ægyptii Serapin nominatum, divino honore coluerunt.

HIs temporibus *a* rex Argiuorum Apis Navibus tranſvectus in Ægyptum, cùm ibi mortuus fuiſſet, factus eſt Serapis omnium maximus Ægyptiorum Deus. Nominis autem hujus cur non Apis etiam poſt mortem, ſed Serapis appellatus ſit, facillimam rationem Varro reddit: quia enim arca in qua mortuus ponitur, *b* quod omnes jam σαρκοφάγον vocant, σορὸς dicitur Græcè: & ibi eum venerari ſepultum cœperunt, priusquàm templum ejus eſſet extructum: velut Soroſapis, vel Sorapis primò, deinde una litera, ut fieri adſolet, commutata, *β* Serapis dictus eſt. Conſtitutum eſt etiam de illo, ut quisquis eum hominem dixiſſet fuiſſe, capitalem penderet pœnam. *c* Et quoniam ferè in omnibus templis, ubi colebantur Iſis & Serapis: *γ* erat etiam ſimulachrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut ſilentium fieret: hoc ſignificare idem Varro exiſtimat, ut homines eos fuiſſe taceretur. *d δ* Ille autem bos, quem *e* mirabili vanitate decepta Ægyptus in honorem ejus *f ε* deliciis affluentibus alebat: *g* quoniam eum ſine ſarcophago vivum venerabantur: Apis, non Serapis vocabatur. Quo bove mortuo, quoniam quærebatur, & reperiebatur vitulus coloris ejusdem, hoc eſt, albis quibusdam maculis ſimiliter inſignitus: mirum quiddam & divinitus ſibi procuratum eſſe credebant. Non enim magnum erat dæmonibus ad eos decipiendos phantaſiam talis tauri, quam ſola cerneret, oſtentare vaccæ concipienti atque prægnanti, unde libido matris attraheret, quod in ejus fœtu jam corporaliter appareret: *h ζ* ſicut Jacob de virgis variatis, ut oves & capræ variæ naſcerentur, effecit. Quod enim homines coloribus & corporibus veris, hoc dæmones figuris fictis facillimè poſſunt animalibus concipientibus exhibere. Gen. 30.

a HIs temporibus rex Argiuorum Apis] *Diodorus libro primo, Oſirim dicit multis vocatum nominibus, & Dionyſium, & Serapim, & Iovem, & Ammonem, & Pana, & Plutonem. Tacitus libro vigeſimo, ubi de origine ejusce Dei multa narrat, ſcribit eſſe, qui Sarapim putent Æſculapium, qui agris corporibus medeatur: alii Oſirim antiquiſſimum Ægyptiis numen. Macrobius ſolem intelligi per eum vult, & per Iſidem terram. Martianus in Nuptiis ad ſolem: Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim. Nec deſunt, qui Serapim genium eſſe Ægypti arbitrentur, qui eam frugibus cæterisque bonis augeat. De quo hæc apud Suidam leguntur:* Σάραπις, τούτου ἐν Ἀλεξανδρείᾳ καθεῖλε Θεόφιλος ὁ ἀρχιεπίσκοπος τὸ ξόανον, ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ

σίου τοῦ μεγάλου. τοῦτον οἱ μὲν Δία ἔφασαν εἶναι. οἱ δὲ τὸν Νεῖλον, διὰ τὸ μόδιον ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ. καὶ τὸν πῆχυν, ἤγουν τὸ τοῦ ὕδατος μέτρον. ἄλλοι δὲ τὸν Ἰωσήφ, ἕτεροι δὲ Ἆπιν τινὰ γεγονέναι ἄνθρωπον εὔπορον, καὶ βασιλέα ἐν Μεμφίδι πόλει τῆς Αἰγύπτου, λιμοῦ δὲ γενομένου τοῖς Ἀλεξανδρεῦσι. ἐκ τῶν ἰδίων τροφὴν παρέχε. τετελευτηκότι δὲ αὐτῷ ναὸν ἀνέστησαν, ἐν ᾧ βοῦς ἐτρέφετο, σύμβολον φέρων τοῦ γεωργοῦ. καὶ τινα δὲ ἔχων ἐν τῇ χροιᾷ ἐπίσημα, ὅς τις ἐκ τῆς προσηγορίας αὐτοῦ καὶ αὐτὸς Ἆπις ἐκαλεῖτο. τὸν δὲ σορὸν τούτου τοῦ Ἄπιδος, ἐν ᾗ τὸ σῶμα ἔκειτο αὐτοῦ, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μετήνεγκαι. καὶ ἀπὸ τῆς σοροῦ καὶ Ἄπιδος σύνθετον ὄνομα πεποιηκότες, ἐκάλουν αὐτὸν Σόραπιν. οἱ δὲ μετὰ ταῦτα Σάραπιν. τούτου ναὸς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἐκτίσθη παμμεγέθης, καὶ πάνυ λαμπρός. *Sarapis. Hujus, inquit, ſimulacbrum ſuſtulit Alexandriæ archiepiſcopus, Theophilus, principatu magni Theodoſii: hunc deum, alii Iovem eſſe dixerunt, alii Nilum, propter modium quod in capite habet, & cubitum, menſuram aquæ ſcilicet, alii verò Ioſeph. Sunt qui Apim quendam fuiſſe hominem locupletem, & regem in Memphide Ægypti urbe, qui in difficultate annonæ maxima Alexandrinorum proventibus eos propriis aluerit. Ideo mortuo templum eſt erectum, in quo bos nutriebatur, indicium ferens agricolæ, & notas in colore certas habens: diciturque & bos ipſe Apis de nomine regis illius. Sepulchrum autem hujus Apidis, in quo eſt ejus corpus conditum, Alexandriam translatum eſt, & à ſoro atque Apide compoſito nomine vocarunt eum Sorapim, poſtea dictus eſt Sarapis. Huic templum Alexander extruxit magnificentiſſimum, & in primis clarum. Hæc Suidas. Similia ſunt apud Ruffinum Aquileienſem libro Eccleſ. hiſtoriæ undecimo. Euſebius lib. 10. Præpar. Apis, inquit, Arginorum rex, ut Ariſtippus in primo Arcadiæ hiſt. ſcribit, Memphim in Ægypto condidit: quem Ariſtæus Argivus Sarapidem appellatum aſſerit, hunc ab Ægyptiis divinos honores aſſecutum non ignoramus. Nymphodorus autem Amphipolitanus iij. de Aſiaticis legibus Apim taurum mortuum in ſoro Græcè, quod Latinè arcam dicere poſſumus, poſitum Sorapim, ac deinde Sarapim appellatum fuiſſe contendit. Fuit autem Apis tertius ab Inacho. Tantum apud Euſebium.*

b Quod omnes jam σαρκοφάγον.] *Hoc eſt carnivorum. Ideo Pauſanias eum & Porphyrius, & Suidas, aliique Græci non Sorapim vocavit, ſed Sarapim. Eſt autem σορὸς, μνῆμα, θήκη, monumentum, arca, loculus, conditorium.*

c Et quoniam ferè in omnibus templis.] *Diod. lib. 1. ſcribit, opinari quoſdam, Iſidem & Sarapidem ſepultos Nyſæ, quæ urbs eſt in Arabia, erectaſque ibi duas columnas in monumentum, Iſidi unam, alteram Sarapidi, adſcriptaque epigrammata, quæ genus & inventa teſtentur. Cætera verò quæ ſacerdotes in arcanis habent, ſecretiſſima eſſe, ne veritas prodatur, pœna ingenti adjecta, qui evulgaſſet. Deus hic qui ſilentii admonebat, digito premens labia, Harpocrates dicebatur, ut ait Varro libro De Latina lingua iij. quo loco Serapidem & Iſidem magnos deos eſſe dicit, hoc eſt cœlum & terram. Hunc Harpocratem Sigalion Auſonius nominavit, à σιγάω quod eſt ſileo. Meminerunt ejus Plinius & Catullus non ſemel, quum tacitum homi em ſignificat, quod in proverbium abiit. Plutarchus in libello de Iſide & Oſiride, Harpocratem ait ex his natum, quum Oſiris cum Iſide mortuus jam concubuiſſet: & quoniam infans tener adhuc eſt ſublatus, non enim erat vitalis, ideo pingitur digito ad os admoto*

Harpocrates.

moto quaſi nondum locutum ſe ſignificaret. Quæ interpretatio dura eſt mea ſententia, atque inepta, quin potius ſilendum aliquid admonebat, ut Romæ Angerona, quæ habitu formaque ſimili fingebatur: ut ait Macrobius. Ovidius etiam ſuffragatur lib. Metam. 9. Angerona.

Sanctàque Bubuſtis, variiſque coloribus Apis,
Quique premit vocem digitóque ſilentia ſuadet.

Huc forſan alluſit Perſius, quum ait: Digito compeſce labellum.

d Illud autem bos] *Hic eſt Apis bos. Credo nullum eſſe ſcriptorem res Ægyptias attingentem, qui bovis hujus non meminerit, ſeu Græcus, ſeu Latinus. Sed inter cæteros pluribus verbis Herodotus, Diodorus, Strabo, Plutarchus, Euſebius, Suidas, Varro, Mela, Plinius, Solinus, Marcellinus. Erat niger toto corpore, maculam albam quadratam habebat in fronte Herodoto, in latere dextro Plinio, ſimilem cornibus lunæ creſcere incipientibus. Nam & lunæ eſt ſacer, ſicut Marcellinus ait, in tergo effigiem aquilæ, in lingua nodum, canthari forma duplices in cauda pilos. Quo mortuo, ingenti cum luctu alius quærebatur, nec finis erat luctus, priùs quàm quem Apidem facerent illis inſignem notis invenirent. Hunc adorabant Ægyptii ut maximum Deum, & ſicut Macrobius inquit, cultu attonitæ venerationis, nec licebat ei certos excedere annos, quum eò pervenerat à ſacerdotibus merſus in fontem enecabatur.*

e Mirabili varietate.] *An de varietate colorum. Sed in Antiquis libris eſt vanitate, melius, ut puto.*

f Deliciis affluentibus alebat.] *Memphi templum eſt Apidi ſacrum Straboni, in eo ſeptum erat ornatiſſimum: ante quod aula, & ſeptum matris Apidis, in quod ſinebatur exire luſus gratia: tum etiam ut exteris oſtenderetur. Delubra in quibus cubat thalamos myſticè nominant: cùm exit ad turbam, ea ſubmovetur per lictores non paucos. Venerantur omnes bubulum numen, grex puerorum comes it, & ipſe per furorem vaticinia fundens. In hujus templum Memphi neque extraneis neque prophanis licet ingredi, niſi cum ſepelitur.*

g Quoniam eum ſine ſarcophago.] *Sunt qui hoc de colendo bove inſtitutum jam inde ab Iſide & Oſiride manaſſe velint propter utilitatem in aranda terra ex eo animali perceptam. Alii Oſirim bovem eſſe autumant, ut Iſim cornutam vaccam, ſive quod Iun, ſive qua alia ratione. Ferunt quoque, ſicut Diodorus narrat, Oſiridis interempti animam in bovem demigraſſe, eſſeque ſemper in eo bove, quem Apim vocant, tranſiréque ab alio in alium dum mergitur. Sunt qui exiſtiment membra Oſiridis à Typhone fratre diſcerpti ab Apide eſſe collecta in bovem ligneum bovis corio contectum: id quum ſpeciem bovis intuentibus præbuiſſet, creditum eſt Oſiridem in bovem converſum: inde natum morem colendi bovis, non ſecus atque ipſius Oſiridis. Hic ergò bos eſt Oſiris vivens, ille verò, qui in templis ſacratus erat, velut cum ſuo eſſet loculamento, Sarapis dicebatur, quaſi Oſiris ſepultus.*

h Sicut Jacob de virgis variatis.] *Geneſ. 30. Differui alibi de hac in conceptu phantaſia, dixi hunc locum à LXX. confusè verſum, elucidat eum Hieronymus in Geneſin.*

L. Cap. α REx Argivorum Apis.] *De eo ita Euſebius in Chronico;* Apis tertius Ægyptiorum Rex. *Ajunt hunc Apim eſſe Serapim, ſiquidem cum fratrem Ægialeum regem præfeciſſet Achaiæ, ipſe cum populo Ægyptum navigavit, & lib. 10. de præparat. Evangel. cap. 3.* Apis apud Ægyptios primus Deus appellatus eſt.

β Serapis dictus eſt.] *Varia feruntur ipſius nomina; alii Oſirim, alii, Plutonem ſive Ditem, alii Æſculapium, alii Jovem. Ammonem fuiſſe dicunt, Theodoret. ſerm. 1. θεραπευτ.* medicinæ authorem volunt Apim Ægyptium, quam auxerit Æſculapius, *& ſermo. 3. dicit Ægyptios ea ratione adductos eſſe ut Apim divina appellatione dignarentur. Porphyrius, ut refert Euſebius lib. 4. de præpar. Evangel. cap. 12. declarabat malignorum dæmonum principes Serapim & Proſerpinam eſſe: Ex eodem Porphyrio ibidem;* Serapis apud Ægyptios 15. Deus eſt, qui apud Græcos Pluton nuncupatur, idcircò pravis dæmonibus iſte princeps eſt. Apud veteres Ægyptios maximus omnium Deus habebatur: *Petrus Crinitus lib. 24. de honeſt. diſciplina c. 16. Teſtatur & Herodotus l. 2.* θεοὺς γὰρ δὴ οὐ τοὺς αὐτοὺς ἅπαντες ὁμοίως Αἰγύπτιοι σέβονται πλὴν Ἴσιός τε καὶ Ὀσίριος, τὸν δὴ Διόνυσον εἶναι λέγουσι, *eſt idem & Serapis,* τούτους δὲ ὁμοίως ἅπαντες σέβονται. *Pauſanias in Atticis Serapidis religionem à Ptolomæo Athenienſes accepiſſe tradit:* Apud Ægyptios autem (*inquit*) complura ſunt ejus Dei templa, ſed omnium clariſſimum habent Alexandrini, antiquiſſimum Memphitici, quo neque exteris hominibus, neque ſacerdotibus ipſis aditus patet priusquam Apim bovem humaverint: *De Serapidis templo Alexandriæ a Chriſtianis everſo & de ſacrilegis paganorum myſteriis ibidem deprehenſis vide Sozomenum lib. 7. cap. 25. Nonnulli Serapim volunt eſſe Joſeph conſecratum ab Ægyptiis Serapis nomine. i. e principis boum, immani ſepulchro & fano exornatum, in quo bos nutriebatur Apis vocabulo in agriculturæ Symbolum, quod famem ſeptennem ſingulari prudentia ab Ægyptiis depuliſſet.*

γ Erat etiam Simulachrum, quod digito.] Deus hic, qui ſilentii admonebat digito premens labra, Harpocrates dicebatur, *Ut ait Varro lib. 3. de LL. de quo Plinius lib. 33. natural. hiſt. c. 11. Ovidius 9. Metamorphoſ. Tertull. in Apologet. cap. 6. & Politianus in miſcellaneis cap. 83.* Harpocratem, *inquit,* Ægyptii ſuis adhibebant ſacris, qui ſilentio oſtenderet colendum eſſe ſummum Deorum.

δ Ille autem bos.] *De bove illo, qui colebatur ab Ægyptiis plura Herodotus lib. 3. quem ait deductum ab Ægyptiis ad Cambyſem, quem in femore cum percuſſiſſet, cachinnantem ita ſacerdotem allocutum,* ὦ κακαὶ κεφαλαὶ τοιοῦτοι θεοὶ γίνονται ἔναιμοί τε καὶ σαρκώδεες καὶ ἐπαΐοντες σιδηρίων, ἄξιος μέν γε Αἰγυπτίων οὗτός ὁ θεός. *Apim vero ſauciatum femur in templo jacentem extabuiſſe; Ita vero deſcribit Apim.* Ὁ δὲ Ἆπις οὗτος ὁ Ἔπαφος γίνεται μόσχος ἐκ βοὸς ἥτις οὐκέτι οἵη τε γίνεται ἐς γαστέρα ἄλλον βάλλεσθαι γόνον. Αἰγύπτιοι δὲ λέγουσι σέλας ἐπὶ τὴν βοῦν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατίσχειν, καί μιν ἐκ τούτου τίκτειν τὸν Ἆπιν. ἔχει δὲ ὁ μόσχος οὗτος ὁ Ἆπις καλεόμενος σημήια τοιάδε. ἐὼν μέλας al. μέλας, ἐπὶ μὲν τῷ μετώπῳ λευκὸν τετράγωνον φορέει ἐπὶ δὲ τοῦ νώτου αἰετὸν εἰκασμένον, ἐν δὲ τῇ οὐρῇ τὰς τρίχας διπλᾶς, ἐπὶ δὲ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον. *Minutius Fœlix in Octavio:* Nonne & Apim bovem cum Ægyptiis adoratis & colitis? *De eodem Api vide nonnulla apud Diodorum Siculum lib. 2. Ammianum Marcelli-*

Marcellinum lib. 22. Alexandrum ab Alexandro lib. 6. cap. 2. Eſt Apis bos, *ait Marcellinus*, diverſis genitalium notarum figuris expreſſus, maximeque omnium corniculantis Lunæ ſpecie latere dextro inſignis; qui cum poſt vivendi ſpatium præſtitutum ſacro fonte immerſus è vita exierit (nec enim ultra eum licet trahere ætatem, quàm ſecreta librorum præſcribit authoritas myſticorum, nec niſi ſemel ei in anno bos fœmina inventa cum notis certis offertur) alter cum publico quæritur luctu, qui ſi omnibus ſignis conſummatus reperiri potuerit, mirificè lætantur: *Quod vero mortuo ſimilem omnino reperiant, id fieri opem dæmonum, quo facilius mentes hominum dementet, hic docet Auguſtinus. Poteſt enim extrinſecus offerre imaginationi animalis figuram bovis ſimilem omnino præmortuo, unde eadem ſpecies ſeu ſimilitudo recipiatur in illius imaginatione; atque ita juvabit ad concipiendum fœtum omnino præcedenti & figura & colore ſimilem. Lege de Api prætereà Euſeb. lib. 2. de præpar. Evang. cap. 2 Epiphan. lib. 1. tom. 1. Ambr. in epiſtolam ad Romanos ait Hieroboam, qui ſeſe aliquando in Ægyptum receperat, hunc Apim fuiſſe imitatum cum vaccas inſtitueret. 3. Reg. 22. & fortaſſe etiam Hebræi in deſerto; unde conſtet ea ſacra Ægyptiorum longe antiquiſſima fuiſſe & jam inſtituta atque obſervata cum Hebræi degerent in Ægypto.*

ε Delitiis affluentibus alebat] *Huc referre licet, quod ſcribit Diodorus lib. 2.* poſt Alexandri Magni *(inquit)* obitum, cum Ptolemæus Lagus Ægyptum teneret, Api in Memphi ex ſenecta mortuo, qui illius nutriendi curam ſuſceperat, pecuniam, quæ in ejus ſumptum data erat, permagnam ac inſuper quinquaginta talenta argenti mutuo à Ptolemæo ſumpta in ejus ſepulturam impendit; *unde videre eſt, quanta religione aut verius diabolica ſuperſtitione ſtudioſè conferrent pecuniam tum ad ejus ſumptus, tum in ſepulturam.*

ζ Sicut Jacob de virgis variegatis.] *Propoſuit Jacob conditionem hanc ſocero ſuo Laban, ut mercedis loco acciperet è grege, quem paſturus erat, partus omnes verſicolores & varios. Laban accepta libenter conditione ſeparavit à grege, quicquid erat varium & diverſi coloris tradens curæ filiorum ſuorum; unicolorem autem gregem reliquit Jacob paſcendum. Hoc artificio uſus eſt Jacob, ut è grege unicolore ſibi tradito verſicolora naſcerentur: nam virgas partim detracto cortice, partim integras, proindeque partim albas, partim virides & ſubnigras ovibus potatum venientibus in canalibus propoſuit, ut diverſum virgarum colorem oculis haurientes diverſos itidem fœtus conciperent ac parerent. Certè intentiſſimum obtutum in aliquam rem cum vehementi ejus rei imaginatione in ipſo ardore coëuntium & in articulo conceptionis plurimum valere, ad variè colorandum & afficiendum conceptum, ad ſimilitudinem nempe illius rei, quæ tunc viſa & cogitata fuerit ſatis experientia conſtat.*

CAP. VI.

Quò regnante apud Argivos, quòve apud Aſſyrios, Jacob in Ægypto mortuus ſit.

APis α ergò rex non Ægyptiorum, ſed Argivorum, mortuus eſt in Ægypto. Huic β filius Argus ſucceſſit in regnum, ex cujus nomine Argi, & ex hoc

Argivi appellati ſunt. Superioribus autem regibus nondum vel locus vel gens habebat hoc nomen. Hoc regnante apud Argivos, & *b* γ apud Sicyonios Erato: apud Aſſyrios verò adhuc manente Baleo, mortuus eſt Jacob in Ægypto annorum centum quadraginta ſeptem, cùm moriturus filios ſuos, & nepotes ex Joſeph benedixiſſet, δ Chriſtumque apertiſſimè prophetaſſet, dicens in benedi-
Gen. 49. ctione Judæ: ε *Non deficiet princeps ex Juda, & dux de femoribus ejus, c* ζ *donec veniant, quæ repoſita ſunt ei: d &* η *ipſe erit expectatio gentium. e* Regnante autem Argo, ſuis cœpit uti frugibus Græcia, & habere ſegetes in agricultura, delatis aliunde ſeminibus. Argus namque poſt obitum Deus haberi cœpit, templo & ſacrificiis honoratus. Qui honor eo regnante & ante illum delatus eſt homini privato & fulminato cuidam Homogyro, eo quòd primus ad aratrum boves junxerit.

L. Vives. Argus. *a* HUic filius Argus.] *Hunc, ut dixi, genuit Niobe, filia Phoronei: alii Apim malunt. Fieri poteſt, ut Apis ſit, qui ex Phoronei filia genuerit Argum, numereturq́ inter reges Argivorum, quòd regnum pro filio adminiſtrarit, quoad adoleſceret: idq́ ubi eſt factum, relicta Græcia in Ægyptum ſit profectus, tradito imperio filio. Et ſi Euſebius Ægialo fratri putat: imperavit annos lxx. Fuit & Argus Areſtoris filius, qui Iun vaccam mandato Junonis cuſtodiit: Fuit & qui Amphion cognominatus eſt, qui Pylios aliquando & Orchomenon Arcadiæ ditione tenuit.*

b Apud Sicyonios Erato.] *Ex Pauſania Peratum dixi, Neptuno & Chalcinia Leucippi filia natum. Heratum nominat Euſebius, qui regnarit annos xlvij.*

c Donec veniant, quæ repoſita ſunt.] *Sic Septuaginta:* ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ.

d Et ipſe erit expectatio.] *Alibi deeſt erit, & ſic verterunt LXX.* καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν.

e Regnante autem Argo, ſuis cœpit uti frugibus Græcia.] *Nam paulò poſt Peratum, id eſt, Plemnæo regnante eò venit Ceres, ad quam frugum inventio refertur in Attica terra.*

F. L. Coq. α APis ergo non Rex Ægyptiorum.] Hic fortaſſe fama ſubmerſi Pharaonis *(ait Genebrardus)* ut regnum occuparet, navigavit in Ægyptum, ubi Deus putatur.

β Huic filius Argus ſucceſſit in regnum.] *Alii Jove & Niobe Phoronei filia natum putant, qui huic genti ſeu regioni nomen dederit; Pauſanias lib. 2. annis 70. regnavit Euſebius.*

γ Apud Sicyonios Erato.] *Heratus dicitur Euſebio Sicyoniorum rex decimus & regnavit annis 46. Peratum alii vocant, Pauſanias lib. 2. & Gerardus Mercator eum Chalciniam filiam unicam Leucippi regis Sicyoniorũ è Neptuno peperiſſe, quem Leucippus ſublatum & eductum regni ſucceſſorem reliquit, ſcribunt.*

δ Chriſtumque apertiſſimè prophetaſſet.] *Noviſſima certè verba Jacob, quæ morti jam vicinus divinitus afflatus dixit filiis ſuis in unum congregatis, etſi vulgo benedictiones 12. Patriarch. appellentur, nihilominus, ut monet Amb. lib. de bened. Patriarch. cap. 2. & Theodor. q. 109. in Geneſin,* poſtrema verba neque ſunt maledictio-

dictiones, neque benedictiones, ſed prophetia, & præmonſtravit apertè tempus adventus Meſſiæ. Nemo enim Prophetarum non prophetavit de Chriſto; huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, eo omnes Prophetiæ ac divina oracula ſpectant.

ε Non deficiet princeps ex Juda.] *Ita etiam legit ſupra lib. 16. cap. 41. & lib. 13. contra Fauſtum cap. 42. & D. Cyprianus lib. 1. contra Judæos, Chryſoſtomus, Cyrillus, Clemens Alexandrinus & Euſebius ſecuti LXX. Interpretes* οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ.

ζ Donec veniant, quæ repoſita ſunt ei.] ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *de quo ſupra lib. 16. cap. 41.*

η Ipſe erit expectatio Gentium.] καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν. *Quomodo verò Chriſtus dicitur* expectatio gentium, *cum de ipſo gentes nihil intellexiſſent, cum penitus ignorarent, an ex divinis oraculis exſpectaretur & deſideraretur, quæ omninò Gentiles ignorabant? Nonnulli referunt ad ſecundum adventum. Tota enim expectatio militantis Eccleſiæ eſt ſecundus adventus Chriſti ad Titum 2.* exſpectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei. *Hæc etiam exſpectatio eſt triumphantis Eccleſiæ, ut* exhibeat ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, ut ſit Deus omnia in omnibus, *ut conſummetur reſurrectione glorioſa totius hominis fœlicitas; Apocalyp. 6. Joannes audivit animas interfectorum propter verbum Dei magno clamore Dei judicium exſpectantes; & reſponſum eſt eis, ut re*quieſcerent & exſpectarent adhuc tempus modicum, donec compleretur numerus fratrum eorum, *id eſt, prædeſtinatorum ad gloriam.*

CAP. VII.

Quorum regum tempore Joſeph in Ægypto defunctus eſt.

REgnantibus Aſſyriorum *a* α duodecimo Mamito, & undecimo *b* β Sicyniorum Plemnæo, & Argis adhuc manente Argo, γ mortuus eſt Joſeph in Ægypto, annorum centum & decem. δ Poſt cujus mortem populus Dei mirabiliter creſcens manſit in Ægypto centum quadraginta quinque annos tranquillè prius, ε donec morerentur, quibus Joſeph notus fuit. Deinde quia invidebatur incrementis ejus, eratque ſuſpectus quouſque inde liberaretur: perſecutionibus affligebatur innumeris, ζ inter quas tamen divinitus fœcundata multiplicatione creſcebat, & laboribus premebatur intolerabilis ſervitutis. In Aſſyria verò & Græcia per idem tempus regna eadem permanebant.

a DUodecimo Hermaſco.] *Euſebius & veteres codices habent Momitum, qui imperavit annis triginta, & non duodecimum regem, ſed undecimum.* L. Vives.

b Sicyniorum Plemnæo.] *Euſeb. Plemnæus, quem dixit, vixiſſe in principatu annos 48. Pauſanias* πλημναῖον. *Plemnæum.*

α DUodecimo Mamitho.] *Euſebius facit undecimum, qui regnaverit annis 30.* F. L. Coq.

β Sicyoniorum Plemnæo.] *Hic Perati filius, de quo hæc prodita refert Pauſanias lib. 2. quod cum omnes, qui ei naſcebantur filii in primo vagitu animam agerent, poſtremo Plemnæi vicem miſeratam Cererem ad ejus uxorem peregrinæ ornatu veniſſe, eique Orthopolim recens natum educaſſe. Regnavit annis 48.*

γ Mortuus eſt Joſeph in Ægypto annorum centum & decem.] *Geneſ. 50. nimirum 54. annis poſt obitum patris ſui Jacob centum quadraginta quatuor annis ante exitum filiorum Iſrael ex Ægypto, & ante ortum ipſius Moſis annis 64. Joſephus libr. 2. cap. 4. antiquitat.* τελευτᾷ δὲ καὶ οὗτος ἔτη βιώσας ἑκατὸν καὶ δέκα θαυμάσιος τὴν ἀρετὴν γενόμενος, καὶ λογισμῷ πάντα διοικῶν καὶ τὴν ἐξουσίαν ταμιευόμενος.

δ Poſt cujus mortem.] *Docet Hebræos manſiſſe in Ægypto centum quadraginta quinque annis poſt mortem Joſephi; quod verò colligunt, manſiſſe tantum centum quadraginta quatuor annos, non eſt ulla contrarietas, nam completi illi ſunt. D. Auguſtinus verò inchoatum annum, quo egreſſi ſunt, complexus eſt, cum dixit manſiſſe 145. annis. Nam ut alias dictum eſt, ab ingreſſu Jacob cum ſuis in Ægyptum ad exitum Hebræorum ex Ægypto interceſſere 215. anni; Jacob vero 17. annis vixit in Ægypto, cùm Ioſeph annum ageret ætatis 56. poſt cujus mortem ſuperſtes vixit adhuc 54. annos ſi in unum colligas 17. annos vitæ Iacob in Ægypto, & 54. vitæ Ioſeph poſt mortem patris, ac 144. à morte Ioſeph ad egreſſum filiorum Iſrael, conficies ducentos quindecim, quibus completis, anno ſequente inchoato, nempe in principio anni martio menſe egreſſi ſunt ex Ægypto.*

ε Donec morerentur, quibus Joſeph notus fuit.] *Exodi 1.* Surrexit interea rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Joſeph, & dixit ad populum ſuum; ecce populus filiorum Iſrael multus & fortior nobis eſt, venite ſapienter, opprimamus eum: *Armeſeſmianum hunc regem Ægypti nominat Gerardus Mercator, qui regnaverit 66. annis. Ioſephus lib. 2. antiquit. cap. 5. quando cœperit illa perſecutio & quandiu duraverit ſervitus Hebræorum in Ægypto, vide Pererium diſputat. 6. ad cap. 1. Exodi.*

ζ Inter quas divinitus fœcundata multiplicatione creſcebat.] *Numeroſiſſimam & fere incredibilem Hebræorum propagationem explicat ſcriptura Exodi 1. his verbis;* quo mortuo, *ſcilicet Ioſeph* filii Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt ac roborati nimis, impleverunt terram; *Ubi merito quærat quis, an illa propagatio fuerit naturalis, an per miraculum facta; quod certe videntur inſinuare verba D. Auguſtini, cùm dicit, eos creviſſe divinitus fœcundata multiplicatione; cujus ſententiam maxime probat Pererius diſputat. 1. ad cap. 1. Exodi. Etſi enim ex ſententia Ariſtotelis lib. 7. de hiſt. animal. cap. 4. mulieres in Ægypto maxime fœcundæ ſint, & locis pleriſque geminos etiam edant, quod tamen omnes mulieres unius ampliſſimæ gentis per duo & eo amplius ſecula perpetuo quolibet partu plures ederent, quod de Hebræis traditur, id non niſi præcipuo quodam ac ſingulari privilegio & favore in eam gentem contigiſſe potuit: Addo quod quanto magis opprimebantur, tanto magis creſcebant, cum nimius labor & tyrannica illa oppreſſio ac ſervitus fœcunditati magis eſſet contraria. D. Auguſtinus ſerm. 84. de tempore recte ad allegoriam multiplicationis fidelium mortuo Chriſto eam hiſtoriam refert.* Quid eſt hoc, *inquit,* donec viveret Joſeph, non referuntur creviſſe filii Iſrael, nec quod multiplicati ſunt nimis; ſed poſteaquam mortuus eſt, ſic germinaſſe dicuntur, cum utique ſub patrocinio vel defenſione Joſeph magis debuerant creſcere, & multiplicari. Sed

hæc in

hæc in illo Joſeph figurata ſunt, in noſtro autem Joſeph. *i. e.* Domino Chriſto in veritate completa ſunt. Prius enim quam moreretur, id eſt, quam crucifigeretur Joſeph noſter, pauci in eum crediderunt, poſteaquam vero mortuus eſt & reſurrexit in univerſo mundo, multiplicati ſunt & creverunt Iſraelitæ, id eſt populi Chriſtiani. *Eadem Iſidorus Hiſpalenſis Commmentariis in Exodum cap. 2.*

Cap. VIII.

Quorum regum ætate Moyſes natus ſit, & quorum deorum iiſdem temporibus ſit orta religio.

Cum ergò regnavit *a* Aſſyriis quartus decimus Saphrus, & Sicyoniis duodecimus *b* Orthopolus, *c* & Criaſus quintus Argivis, *d α* natus eſt in Ægypto Moyſes, per quem populus Dei de ſervitute Ægyptia liberatus eſt, in qua eum ad deſiderandum ſui creatoris auxilium ſic exerceri oportebat. Regnantibus memoratis regibus *e β* fuiſſe à quibusdam creditur Promethæus, quem propterea ferunt, de luto formaſſe homines, *f* quia optimus ſapientiæ doctor fuiſſe perhibetur: *g* nec tamen oſtenditur, qui ejus temporibus fuerint ſapientes. *h γ* Frater ejus Atlas, magnus fuiſſe aſtrologus dicitur. Unde occaſionem fabula invenit, ut eum cœlum portare confringeret: quamvis *δ* mons ejus nomine nuncupetur, cujus altitudine potius cœli portatio in opinionem vulgi veniſſe videatur. Multa quoque alia ex illis in Græcia temporibus, confingi fabuloſa cœperunt: *i ε* ſed uſque ad Cecropem regem Athenienſium, quo regnante eadem civitas etiam tale nomen accepit, & quo regnante Deus per Moyſen eduxit ex Ægypto populum ſuum, relati ſunt in deorum numerum aliqui mortui cœca & vana conſuetudine ac ſuperſtitione Græcorum. In quibus Criaſi regis conjunx Melantonice, *k* & *ζ* Phorbas filius eorum, qui poſt patrem rex Argivorum ſextus fuit, *l* & *η* ſeptimi regis Triopæ filius *m* Jaſus, *n* & rex nonus Sthenelas, ſive Stheneleus, ſive Sthenelus, variè quippe in diverſis autoribus invenitur. *o* His temporibus etiam Mercurius fuiſſe perhibetur, nepos Atlantis, ex Maia filia ejus: quod vulgatiores etiam literæ perſonant. *θ* Multarum autem artium peritus claruit, quas & hominibus tradidit: quo merito eum poſt mortem deum eſſe voluerunt, ſive etiam crediderunt. *p* Poſterior fuiſſe Hercules dicitur: ad ea tamen tempora pertinens Argivorum: quamvis nonnulli eum Mercurio præferant tempore: quos falli exiſtimo: ſed quolibet tempore nati ſint, conſtat inter hiſtoricos graves, qui hæc antiqua literis mandaverunt *q* ambos homines fuiſſe, *r* & quòd mortalibus ad iſtam vitam commodius ducendam beneficia multa contulerint, honores ab eis meruiſſe divinos. *ſ* Minerva verò longè his antiquior. Nam temporibus Ogygii *t* ad lacum, qui Tritonis dicitur, virginali fertur apparuiſſe ætate: unde & Tritonia nuncupata eſt, multorum ſanè operum inventrix: & tanto proclivius dea credita, quanto minus origo innotuit. *u* Quod enim de capite Jovis nata canitur, poëtis & fabulis, non hiſtoriæ rebusque geſtis eſt applicandum: *x ι* quanquam Ogygius ipſe, quando fuerit, cujus temporibus etiam diluvium magnum factum eſt: non illud ma-

lud maximum, in quo nulli homines evaſerunt, niſi qui in arca eſſe potuerunt: x quod gentium y nec Græca, nec Latina novit hiſtoria: ſed tamen majus quàm poſtea tempore Deucalionis fuit, inter ſcriptores hiſtoriæ non convenit. Nam Varro inde exorſus eſt librum, cujus mentionem ſuperius feci, & nihil, ex quo perveniat ad res Romanas, proponit antiquius quàm Ogygii diluvium, hoc eſt, Ogygii factum temporibus. z Noſtri autem, qui chronica ſcripſerunt, prius Euſebius, pòſt Hieronymus, qui utique præcedentes aliquos hiſtoricos in hac opinione ſecuti ſunt: poſt annos amplius quàm trecentos jam ſecundo Argivorum Phoroneo rege regnante, Ogygii diluvium fuiſſe commemorant. Sed quolibet tempore fuerit, jam tamen Minerva tanquam dea colebatur, regnante Athenienſibus a Cecrope, ſub quo rege etiam ipſam vel inſtauratam ferunt, vel conditam civitatem.

L. Vives.

a A Syriis quartus decimus Saphrus.] *Euſebius Mamito ſubſtituit Machaelum, qui fuit in regno tot annos, quot pater nempe xxx. Machaelo Iphereum, qui annos xx. Cujus anno duodeviceſimo natus eſt in Ægypto Moſes.*

b Ortopolus.] *Euſebius Orthopolis, ut & Pauſanias, qui eum Plemnæi filium fuiſſe dicit ſervatum à Cerere. Nam filii omne Plemnæi, ubi primò nati incipiebant vagire expirabant, quouſque ad eum venit Ceres, & aliena cujusdam mulieris ornatu aluit ipſi filium, ſervavitq́; dictusq́; eſt Orthopolis.*

c Et Criaſus quintus Argivis.] *Pauſanias* πείρατος. *Piraſus, qui annos liiij. fuit in imperio.*

d Natus eſt in Ægypto Moyſes.] *Moyſes, quando fuerit, controverſum eſt inter prophanos ſcriptores. Porphyrius ex Sachoniatone Moſen Semiramidis temporibus vixiſſe tradit, Appion grammaticus ad Inachi ætatem reducit, ex Ptolomæo Mendoſio ſacerdote, quæ, inquit, tempeſtate Ainoſis Ægyptiis imperavit. Polemon verò in j. Græcarum hiſt. paulò recentiorem facit. Nam tempore Apidis Phoronei filii pars, inquit, Ægyptii exercitus ab Ægypto pulſa in Syria non procul ab Arabia conſedit. Tatianus Aſſyrius varias autorum ſententias mirè diſcrepantes affert de ætate Moſis: aliis multò antiquiorem bello Trojano, aliis poſteriorem, aliis æqualem affirmantibus, Cæterùm ipſe multis argumentis evincit priorem fuiſſe: cujus verba ſi quis deſiderat, habet apud Euſebium x. Præp. Evang. Numenius philoſophus Muſæum vocat Moſen: & Artapanus, quem Hebræi Moſen Græcis Muſæum nominari tradit, quem ſcribit à Meride Chenephris Ægyptiorum regis filia, quòd ipſa parere non poſſet, adoptatum, maximo apud Ægyptios habitum honore ob ingenium divinum & inventa tum quæ ad eruditionem facerent, tum quæ ad remp. privatamq́; & mores ſingulorum.*

e Fuiſſe à quibusdam creditur Prometheus.] *Sic Euſebius ex aliorum opinione loquens, Africani credo, qui quatuor & nonaginta poſt Ogygem annis Prometheum conſtituit. Porphyrius Atlantem & Prometheum per Inachi tempora fuiſſe ſcribit. At Prometheus filius fuit Japeti & Aſiæ. Heſiodus Climenem vocat matrem initium inimicitiarum cum Jove hoc narrat Higinius in cæleſt: hiſtoria, quod & alii attingunt plerique: quum olim in ſacrificiis mos eſſet ſolidas hoſtias igne abſumere, nec poſſent*

poſſent ob ſumptus magnitudinem pauperes ſacrificare, Prometheus homo callidus & perhumanus egit cum Jove, ut media tantùm hoſtiæ pars igni daretur ſacris, altera media cederet in uſus hominum: quod Jupiter libenter conceſſit: tum Prometheus duos tauros Jovi immolavit, utriuſque oſſa pingui operuit, & corio unius, carnes verò corio alterius: deditq; Jovi optionem, ut quem illorum taurorum vellet, eligeret. Jupiter ſimplex deus, nihil ſuſpicatus ineſſe fraudis: quem primum habuit ad manum, cepit, oſſa videlicet. Quod ubi cognoviſſet, ignem removit ab hominibus, ne ſacrificare poſſent. Prometheus ſolito ſuo ingenio ignem ferula ex illo Joveo & cæleſti ſurripuit, communicavitq; cum mortalibus: ideò Caucaſo affixus eſt, aquilâ ejus jecur ſubinde renaſcens aſſiduò depaſcente. Addunt alii etiam factas ab eo mulieres, quæ toties cælo detraxerint Jovem. Apud Lucianum Vulcanus & Mercurius Prometheo querenti de gravi ſupplicio hæc crimina objiciunt: Fefelliſti Jovem in partibus, furatus es ignem, & homines feciſti, ac in primis fœminas. Nam homines dicitur è luto finxiſſe, & igne ab Jove ſurrepto illos animaſſe. Ex quo igne Horatius ait, febres & macies mortalibus natas. Servius admiratam narrat Minervam homines opus Promethei, & pollicitam quicquid ad id abſolvendum opus foret. Prometheum quum ſe quid optimum eſſet, ignorare reſpondiſſet, ſublatum in cælos ab ea admotumq; ſolis currui ferula ignem ad nos detuliſſe. Heſiodus ἐν ἔργοις attingere videtur, quod Higinius narravit, quum ait, Jovem mortalibus ignem abſtuliſſe, Prometheum reſtituiſſe. Idcircò Pandoram juſſu Jovis à Vulcano factam, ut Promethei furtum ulciſceretur, quam fœminam donatam à diis omnibus, unde nomen invenit, deferendam in terras Mercurio mandarit dono dandam Epimetheo Promethei fratri: quæ in ejus domum recepta detexit dolium malorum omnium, quæ per orbem in genus humanum ſparſa ſunt, ſola Spe in fundo reſidua. Prometheus verò, ut ait Æſchylus, ad xxx. annorum millia in Caucaſo religatus eſt juxta Caſpias portas, ſicut Lucianus inquit, καυκάσῳ, Philoſtratus in Thyaneo: duo refert in Caucaſo eſſe cacumina ſtadio inter ſe abjuncta, quibus affixas Promethei manus accolæ narrent. Idem Lucianus ſignificat, & aquilam hanc nonnulli, ſicut Higinius narrat, Typhone & Echidna genitam: alii terra & tartaro tradunt, complures à Vulcano factam, eam Hercules ſagitta ſua interemit: quæ ob id meritum in cælum tranſlata eſt, quatuor ſtellis inter duos circulos, æſtivum & æquinoctialem. Poſtea Prometheus, quod prædixiſſet Jovi concubituro cum Thetide filium Thetidos patre majorem futurum ſic in fatis eſſe, ſolutus eſt: hac tamen lege, ut in digito annulum ferreum cum lapide geſtare, indicium vinculorum, unde annuli manaſſe uſum ferunt. Lactantius hunc primum ſimulachra ex luto finxiſſe ſcribit. Furtum ignis Plinius lib. 7. interpretatur, quòd ex ferro & ſilice ignem extundere docuerit, ſervarcq; in ferula. Diod. lib. 5. conſtare ait, inventum à Prometheo materiam, qua ignis fovetur. Pelaſgi, teſte Pauſania, non Promethea inventorem ignis, ſed ſuum Phoroneum volunt. Theophraſtus ignis inventionem ad inventa ſapientiæ pertinere autumat.

f Quia optimus ſapientiæ doctor.] *Heſiodus* ἰαπετιονίδη πάντων πέρι μήδεα εἰδώς. *Japeti proles reliquis ſapientior unus. Ferunt hunc, quum natu major eſſet Epimetheo, ultro illi regnum Theſſaliæ conceſſiſſe adminiſtrandum, ac dediſſe ſe cun-*

ctum rerum contemplationi inquiſitioniq́ue ac in primis cœleſtium. Ideò altiſſimum aſcendiſſe Caucaſum, ut ſereno cælo quàm longiſſimè aſtra, ſignorum obitus & ortus ſpectaret. Inde quum deſcendiſſet, Chaldæos edocuiſſe artem, ſimul & multa, quæ ad vitam civilem pertinerent, illudq́ue de paſtu jecinoris ad curas & ambiguitates ſubinde alias ex aliis renaſcentes ſpectare credo. Etſi interpres Apollonii Rhodii fluvium eſſe ſcribit, Aquilam nomine, qui Prometheæ regionis, quæ ad radices Caucaſi ſita eſt, epar roderet. Herodotus hiſtoriam narrat, Prometheum Scytharum regem, cum non poſſet fluvium Aquilam, quæ regionem ſuam allueret derivare, diſcruciaſſe vehementer ſe, ac deinde adjutum ab Hercule, qui hoc præſtitit. in fluvio conſentiunt. Et Diod. lib. 1. Prometheum Ægyptium fuiſſe dicit, cujus regionem, cum Nilus totam propè operuiſſet ac perderet, multis incolis abſumptis, illum de conſciſcenda ſibi morte deliberaſſe, fluviumq́ue propter curſus celeritatem Aquilam dictum, Herculem & virtute & magnitudine conſilii inundationem repreſſiſſe, flumenq́ue redegiſſe in alveum priſtinum: unde orta ſit Græca fabula.

Atlas.

g Nec tamen oſtenditur.] *Atlas fuit ſapiens, & Epimetheus itidem, ſed poſt factum, unde nomen illi inditum putatur, Prometheus eſt enim antè conſultus, Epimetheus pòſt. Nam cùm eſſet à Prometheo monitus, ne quod donum acciperet à Jove, ipſe immemor fraterni conſilii Pandoram accepit, &* ὁ δεξάμενος ὅτε δὴ κακὸν εἶχ᾽ ἐνόησε, *ut inquit Heſiodus, & accepta novit ſua damna Epimetheus. Acutè Auguſtinus, quomodo doctor fuit ſapientiæ, cùm nullos ab eo videamus factos ſapientes? quomodo ipſe ſapiens, cùm nullus ejus temporibus legatur ſapiens, qui ferre potuerit judicium de ejus ſapientia? nam de ſapiente ſolus ſapiens poteſt judicare.*

h Frater ejus Atlas.] *Servius lib. 8. Æneid. Atlantes dicit fuiſſe tres: unum Maurum, qui eſt maximus: alterum Italicum, patrem Electræ: tertium Arcadem, patrem Majæ, unde natus eſt Mercurius. Scriptores hos confundunt, ut ſolent. Diod. enim lib. 4. Atlantem, qui loca Licyæ tenuerit, inter Cœli filios numerat, fratremq́ue eſſe dicit Saturni, eundem Heſperidum patrem, Mercurii avum, conſultiſſimumq́ue fuiſſe rationis aſtrorum: quumq́ue frequenter montem ſibi cognominem, ut curſus ſiderum intuerentur, conſcenderet, occaſionem dediſſe fabulæ, qua ſuſtinere humeris cælum creditus eſt. Plin. lib. vij. Atlantem Libyæ filium hunc haud dubiè, qui in Africa imperavit, repertorem aſtrologiæ fuiſſe ait, & in ſecundo ſphæram aſtrologicam inveniſſe narrat. Alexander Polyhiſtor hunc Atlantem Enoch fuiſſe autumat inventorem peritiæ ſiderum, quam poſtea Phœnicibus & Ægyptiis tradidit Abraham, quum apud illos peregrinaretur. Hæc aſtrologiæ ſcientia potuit locum præbuiſſe fabulæ de mundo Atlanti innixo. Sunt qui propter mortem id putant, Atlantem dictum arduum & longiſſimum columnæ inſtar, qui cælum fulcire viſione conſpicientium creditur, inquit Herodotus, tranſcenditq́ue nubes ipſas, nec cacumen facilè cernitur nebulis perpetuum obductis, quin & hæc ſimul omnia majorem præſtiterunt comminiſcēdi anſam. Italicus Atlas eſt, quem ajunt, antiquiſſimū Feſulis fuiſſe regem.*

Cecrops.

i Sed uſque ad Cecropem.] *Pauſanias Actæum ait primum in Attica regnaſſe, cui Cecrops gener ſucceſſerit homo Ægyptius, quem διφυῆ fuiſſe dicunt, hoc eſt, duplicis naturæ, ſuperioris partis viri, inferioris feræ, quòd ex agreſtibus & feris, latis legibus,*

bus, humanos fecerit, ſeu inferioris partis fœminæ. quòd conjugia inſtituerit in Attica terra, & autor ferè fuerit patris & matris: nam antea promiſcuis connubiis, nemo certos parentes noſcebat. Africanus in quarto Annalium autor eſt, Ogygem primum in Attica regnaſſe, eamq́; terram incultam ac deſertam per ducentos annos à diluvio manſiſſe uſque ad Cecropem, Actæum verò & cæteros, qui ante Cecropem dicuntur fuiſſe, nuda eſſe nomina.

k Et Phorbas filius eorum.] *Fratrem Peraſi dicit Pauſanias Phorbantem fuiſſe, filium Argi, patrem Triopæ. Diodorus ſcribit, Rhodienſes, quum vi ſerpentum atrociter infeſtarentur, conſulto oraculo Phorbantem accerſiſſe, data inſulæ parte, quam & ipſe ejus poſteri tenerent, ita liberatos peſte illa, decreviſſe poſtea Phorbanti vita jam functo divinos honores: quem tamen Diodorus videtur indicare, non Phorbantem Argivum, nec Peraſi, aut Argi filium, ſed Theſſalum Lapitho progenitum.* Phorbas.

l Et ſeptimi regis Triopæ.] *Hunc Phorbantis filium dicit Pauſanias, meminit & Diod. Triopæ incertum, quibus orti parentibus. Nam alii Canace & Neptuno, alii Apolline natum dicunt. Inviſum fuiſſe ſcribit popularibus, quòd ſacra compilarit, fratremq́; interemerit. Higinius hunc tradit putatum à quibuſdam in cœlo Ophiucum, quem draco complectitur. Nam is, quum ad domum ſuam tegendam Cereris ædem detexiſſet, fame ſe illa eſt ulta. Noviſſimè in vita fine dracone ei objecto, vehementer eſt afflictus, & poſt mortem inter ſidera ſic locatus, ut adhuc videatur à ſerpente conſtringi.* Triopas.

m Jaſus.] *Pater Ius, à quo Argos Iaſium dictum, & Iaſides Argivi.*

n Et rex novus Sthenelas.] *Pauſanias ſic:* κρότωπος ὁ ἀγήνορος ἔσχε μετὰ τὸν ἴασον τὴν ἀρχὴν κροτώπου δὲ σθενέλας γίγνεται, *Crotopus Ugenoris filius habuit poſt Iaſum regnum: hujus filius fuit Sthenelas.*

o His temporibus etiam Mercurius.] *Mercurios, Cicero dicit, fuiſſe quatuor, ut aliàs dixi. Hic eſt Jove tertio & Maja genitus, ex avita diſciplina multarum rerum vitæ uſui perquàm utilium repertor. Prudentius magum dicit fuiſſe, ideo finxiſſe priſcos illos ſolitum animas ad Orcum deducere, & inde reducere.*

p Poſterior fuiſſe Hercules.] *Hercules Cicero ſex fuiſſe ſcribit, primum antiquiſſimum, Jove antiquiſſimo & Liſcito natum, quem concertaviſſe cum Apolline de tripode accepimus. Alterum Nilo natum Ægyptium, quem ferunt, literas Phrygias conſcripſiſſe, Tertium indigetem Idæis, cui inferias afferunt. Quartum Aſteriæ Latone ſororis filium, quem Tyrii maximè colunt, cujus Carthaginem filiam ferunt. Quintum in India, qui Belus dicitur. Sextum ex Alcmena, quem tertius Jupiter genuit. Diodor. Siculus lib. 4. tres Hercules ponit: primum Ægyptium, cujus maxima fuerit virtus, quemq́; Oſiris, quòd corpore eſſet validiſſimo, exercitui præfecit. Hic magna orbis parte peragrata, in Lybia columnam ſtravit, præceſſitq́; Herculem Alcmenæ filium pluribus quàm mille annis, qui & fuit æmulus illius, ideo Alcæus dictus, q. præſidiarius & adjutor. Tertius Hercules fuit Cretenſis, armis & fortitudine inclytus, tum etiam gymnico certamine ad Olympiam conſtituto, quem Pauſanias* ἠλιακοῖς *Idæum Herculem, hoc eſt, & Dactylum & Curetem nominat. Servius quatuor Hercules facit, Tyrinthium, Argium, Thebanum, Libym, octavo Æneidos.* Hercules.

verùm de numero non conſtat. Nam Varro quatuor & quadraginta Hercules recenſuit, & Tacitus narrat, Lybies dicere antiquiſſimum Herculem natum apud ſe, eosq́; qui pari virtute fuerint, in cognomentum ejus aſcitos. At ille, qui Æquivoca ſcripſit, quæ Xenophontis nomine circumferuntur, Saturnos ſcribit vocari ſolitos familiarum nobilium reges antiquiſſimos: primogenitos eorum Joves: nepotes fortiſſimos Hercules. Aug. hic de Hercule Jovis & Alcmenæ filio loquitur, qui cum Argonautis navigavit. Unaq́; generatione Troicum bellum anteceſſit. cui Græcorum ambitio univerſa reliquorum acta attribuit. Ita virium & fortitudinis fama majore, quàm deorum, vel ipſius Jovis, venit ad poſteros, ut Seneca tragicus auſus ſit dicere:

Fortius ipſo genitore tuo Fulmina mittes.

Hic Hercules poſterior fuit Mercurio. Nam priùs quàm Hercules naſceretur, miniſtraſſe Jovi Mercurium fama eſt, Liſciti tamen filius contemporaneus, Ægyptius major Mercurio Arcade, æqualis Ægyptio.

q Ambos homines fuiſſe.] *Homerus Herculem, ut cæteros mortuos conveniri ab Ulyſſe facit 9 Odyſſ. etſi idolum illius tantùm eſſe apud inferos dicit, cùm ipſe Hercules convivia deorum ineat. ſed ſcimus, quid velit idolum illud.*

r Et quod mortalibus ad iſtam vitam.] *Mercurius multárum artium repertor & excultor ſermonis: Hercules monſtrorum purgator & averſor. Inde ἀλεξίκακος dictus.*

Minerva. *ſ* Minerva verò longè] *Minervas Cicero tertio de natura deorum quinque facit. Primam Apollinis matrem ex Vulcano. Secundam Nilo ortam, quam Ægyptii Saitæ colunt. Tertiam Jovis Cæli filiam. Quartam Jove & Coriphe Oceani filia natam, quam Arcades Coriam nominant, & quadrigarum inventricem ferunt. Quintam Pallantis filiam, quæ patrem dicitur interemiſſe, virginitatem ſuam violare conantem, cui pinnarum talaria affigunt. Hinc Pallantem, alii hominem fuiſſe immanem tradunt, quem illa, quòd occiderit, nominata eſt Pallas. Arcades autem fabulantur, Minervam parvulam adhuc miſſam à Jove ad Pallantem Lycaonis filium, ut in ejus ædibus educaretur, ab eoq́; eſſe cum filia ſua educatam, quam Minerva in deorum retulit numerum, dixitq́; Victoriam, ſe verò Palladem in gratiam nutritii. Sunt & alia etyma Palladis, nempe ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id eſt, concutiendo haſtam, vel ἀπὸ τοῦ ἀναπαλῆναι αὐτὴν ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ διός, quod in capite Jovis agitaretur, vel διὰ τὸ παλλομένην τὴν καρδίαν τοῦ διονύσου προσκομίσαι τῷ διΐ. quid palpitans adhuc Dionyſii cor ad Jovem tulerit, nempe cùm eſſet occiſus & diſcerptus à Titanibus.*

Tritonis lacus. *t* Ad lacum qui tritonis dicitur] *Inter duas Syrtes in Africa, & fluvius eſt, & palus: utrumque Tritona nominant, unde & cognomen Minerva, inquit Mela, ut incolæ arbitrantur, ibi genita: faciuntq́; fabulæ ei aliquam fidem, quòd quem natalem ejus putant, ludicris virginum inter ſe decertantium celebrant. Herodotus in palude inſulam eſſe refert, ad quam cum Argonautis pervenit Jaſon. Ab hac Minervam Tritoniam eſſe nuncupatam Græci & Latini ſcriptores magno conſenſu tradunt: ibiq́; inveniſſe oleum Silius ſubſignificat. Solinus ſpeculatam ſe in eo ſcribit, puto cum fiſtulam inventam, quod buccas inflaret, abjecit. Quod poëta in Meandro*

e

Ionice fluvio fuiſſe canunt. Sed quæ Minervarum eſt hic nata? Equidem quintam dixerim. Nam & palus vicina Pallas vocatur, & Callimachus, qui circa loca illa, patriam habuit, nempe Cyrenas, Tritonem ipſum Pallantiam paludem cognominat, & ſic vocat Feſtus. Sed Libyes, Neptuni, & Tritonidis dicunt, niſi Pallas ſit Neptunus. Non prætereundum eſt tamen, eſſe qui in Tritone Bœotiæ Minervam natam velint. Nam Tritones aliquot ſunt. Interpres Apollonii ſic inquit. τρίτωνες τρεῖς, βοιωτίας, θεσσαλίας, λιβύης. ἐν δὲ τῷ κατὰ λιβύην ἐτέχθη ἡ ἀθηνᾶ. *Tritones tres, Bœotiæ, Theſſaliæ, Libyæ. In ea verò quæ eſt in Libya, nata eſt Minerva.*

v Quod enim de capite Jovis.] *Non deſunt qui credant, hinc eſſe Tritonem nominatam, quod Bœotia lingua* τρίτω *ſit caput. verùm hoc fictum eſt, quod dea ſapientia nominetur & ſupremæ ætheris pars.*

x Quanquam Ogygius ipſe quando fuerit.] *Euſebius, unde ſunt harum rerum non pauca Auguſtino deſumpta, temporibus Phoronei regis Argivorum, hæc adſcribit: Ogygius qui in Attica Eleuſina, quæ antiquitus vocabatur Acta, regnabat, & aliis civitatibus plurimis, hujus temporibus apud lacum Tritonidem virgo apparuit quam Græci Minervam nuncupaverunt. Hujus tempore inundatio fuit, inter quam & illam, quæ ſub Deucalione contigit, centum ferè & ſeptuaginta annos numerat. Solinus aliter, qui ſic inquit: Inter Ogygium ſanè & Deucalionem medium ævum ſexcentis annis datur, Ogygius verò in Acta regnavit, & Bœotia, quæ ante Cecropem Ogygia eſt nominata, ut refert Strabo, quem quidam autorem faciunt Thebarum Bœotiarum. Unde Ogygia ingenia dicta ſunt Thebana, & vulgo Eleuſine in Attica, ac indigena exiſtimatus eſt, nam genus aliunde ignoratur: à cujus temporibus ad primam Olympiadem anni computantur paulò plus quàm mille ab Hellanico, Philocoro, Caſtore, Thalo, qui Syriaca aſcripſerit. Tum etiam Diodoro, & communi fere Græcorum ſumma. Quibus Oroſius conſentit, qui diluvium Ogygium mille & quadraginta annis urbem conditam præceſſiſſe perhibet. Porphyrius in quarto adverſus nos libro Ogygem rege Inacho fuiſſe ſcribit, quem ſecutus Africanus, Moſen Ogygi æqualem facit, cùm ſit multo minor.* Ogygius.

y Nec Græca, nec Latina novit hiſtoria.] *Aliter Joſephus, & Euſebius. Ille enim ait, hujus univerſitatis inundationis & arcæ Noë meminiſſe Beroſum Babylonium, & Mnaſeam Damaſcenum, & Hieronymum Ægyptium, affertque eorum dicta. Meminerunt & Alexander Polyhiſtor & Melon, & Eupolemus, ut inquit Euſebius, & Abidenus. Joppen etiam Ægypti Mela & Plinius ante inundationem terrarum conditam fuiſſe tradunt, quod de inundatione Ogygis aut Deucalionis intelligi non poteſt, quæ illuc non pervenit. Nec mirandum eſſet, tunc eſſe jam illam urbem, cùm eſſent in orbe innumeræ. Diluvium illud, quod mundo minatur apud poëtas Jupiter, non aliud intelligendum eſt, ſed hoc obſcuriſſimè ab eis dicebantur, ita ut vix ipſi qui ſcribebant, intelligerent. Quæ apertius à Beroſo, Mnaſea, & Eupolemo ſunt tradita, ad hiſtorias ſpectant Barbaricas, ut etiam Joſephus ait, non Græcorum, aut Latinorum, de quibus Auguſtinus loquitur.*

z Noſtri autem qui chronica.] *Noſtros homines Chriſtianos puta. Euſebius Cæſarienſis Palæſtinæ epiſcopus, qui ob amicitiam cum Pamphylo martyre cognomen idem* Euſebius.

cepit, vir fuit immenſa lectione, & proinde eruditione ſumma, ſcripſitque ut Hieronymus dicit, infinita volumina, inter cætera chronicorum canonum commodam hiſtoriam, & eorum ἐπιτόμην, *quam puto eſſe quæ ad nos pervenit, etſi depravatiſſima corruptis nominibus, & rerum ordine luxato, imperitia deſcribentium librariorum, quibus non facile fuit ſervare collationes illas temporum. Nec hujuſmodi vitia deprehenduntur caſtiganturque, niſi à conſultiſſimis antiquitatis: ideo rudes plerunque illis capiuntur. Quàm verò ſit neceſſarium id opus ſtudiis omnibus, ſatis Hieronymus, qui de Græco interpretatus eſt indicavit, tam religioſa Irenæi adjuratione præpoſita, quo librarii diligentiam, ingeniumque excitaret. Ea temporum digeſtio producta eſt ab Euſebio uſque ad annum Conſtantini Cæſaris vigeſimum. Hieron. uſque ad Gratianum de ſuo adjecit.*

Attica. a Regnante in Attica.] *Attica regio eſt in Græcia inter Megaram & Bœotiam, cujus Sunium promontorium, & Pyræum portum Ægæum abluit mare, parens frugum, legum, humanitatis, religionis, ut inquit Cicero. Hujus littus ait Capella concentum muſicum illiſis terræ undis reddere, quod propter tantam eruditionis vim puto dictum. Incolæ* αὐτόχθονας *ſe, id eſt indigenas, & ſine aliqua externa origine nominant. De regibus illius ſic Pauſanias: Actæum ajunt in ea quæ nunc eſt Attica, primum regnaſſe, quo mortuo Cecrops ſucceſſit, qui filiam Actæi duxit, ex quis filiæ ſunt prognatæ Erſa, & Aglaurus, & Pandroſus, filius verò Eriſichthon, qui non imperavit Athenienſibus, nam patre ſuperſtite interiit.* ἀκταῖον λέγουσι ἐν τῇ νῦν ἀττικῇ βασιλεῦσαι πρῶτον. ἀκταίου δὲ ἀποθανόντος κέκροψ ἐκδέχεται τὴν ἀρχὴν, θυγατρὶ συνοικῶν ἀκταίου· καὶ οἱ γίγνονται θυγατέρες μὲν ἕρση ἄγλαυρος, καὶ πάνδροσος, υἱὸς δὲ ἐρυσίχθων, ὧν οὐκ ἐβασίλευσεν ἀθηναίων, ἀλλά οἱ τοῦ πατρὸς ζῶντος τελευτῆσαι συνέβη. *Strabo lib. 9.* κέκροπα πρῶτον εἰς δυοκαίδεκα πόλεις συνοικῆσαι τὸ πλῆθος, ὧν ὀνόματα κεκροπία, τετράπολις, ἐπακρία, δεκέλεια, ἐλευσὶς, ἀφύδνα. λέγουσι καὶ πληθυντικῶς ἀφύδνας, θόρικος, βραυρὼν, κύθηρος, σφηττὸς, κηφισία, φάληρος· πάλιν δὲ ὕστερον εἰς μίαν πόλιν συναγαγεῖν λέγεται τὴν νῦν τὰς δώδεκα θησέα. *Cecropem primum ferunt im duodecim urbes multitudinem coegiſſe, quarum hæc ſunt nomina: Cecropia, Tetrapolis, Evacria, Decelea, Eleuſis, Aphydna, (dicuntur & plurativè Aphydnæ) Doricus, Brabron, Cytheros, Sphetus, Cyphiſia, Phalerus. Poſtea verò in unam urbem quæ nunc eſt, ajunt Theſea duodecim illas congregaſſe.*

B.L.Coq. a NAtus eſt in Ægypto Moſes] *Tempus ortus Moſis, ut docet Pererius 2. diſput. ad cap. 2. Exodi poteſt notari tum ſecundum Chronologiam ſacram, tum etiam ſecundùm externam & prophanam; Secundùm ſacram chronologiam ſunt inſignia aliquot tempora, & ex ſcripturis ſacris memoratu digna, cum quibus conferri poteſt tempus ortus Moſis, & horum temporum quædam præceſſerunt ortum Moſis quædam ſubſecuta ſunt; quæ præceſſerunt, ea ſunt, tempus creationis mundi; tempus diluvii Noetici, tempus ortus Abrahæ, tempus ingreſſus Jacob in Ægyptum, ac demum ſervitutis Ægyptiacæ. Moſes ergo natus eſt ab orbe condito, anno bis milleſimo trecenteſimo, & circiter ſeptuageſimo: A diluvio autem ſeptingenteſimo decimo quarto; ab ortu Abraha quadringenteſimo vigeſimo quinto; Poſt ingreſſum Jacob in Ægyptum*

anno

anno centeſimo trigeſimo quinto; poſt cœptam ſervitutem in Ægypto anno circiter ſeptimo; horum omnium ſupputationem oſtendit ibi Pererius ex ſcriptura. Res vero inſignes conſecutæ ortum Moſis, è quibus temporum ratio computari ſolet in ſcriptura, ea ſunt, exitus Hebræorum ex Ægypto, ingreſſus eorum in terram promiſſionis, regnum Davidis, ædificatio templi Salomonis, captivitas Babylonica, ſolutio ejus & reditus Judæorum in patriam, adventus Meſſiæ, everſio ac deſolatio civitatis ac templi Hieroſolymitani, ac perpetua Judæorum diſperſio. Moſes ergo natus eſt ante egreſſum Hebræorum ex Ægypto annis 80. ut colligitur Exodi 2. Erat enim octogenarius cum eduxit filios Iſrael ex Ægypto, ante ingreſſum Hebræorum in terram promiſſionis annis centum viginti. Tot enim annis vixit, Deuteron. ultimo, & poſt ejus mortem ſtatim populus transmiſſo Iordane ingreſſus eſt terram promiſſionis capite 1. Ioſue. Ante regnum Dvidis annis quingentis decem & ſeptem; ante ædificationem templi Salomonis annis quingentis ſexaginta, quod utramque colligitur ex cap. 6. lib. 3. Regum, ubi ſcriptum eſt, ab egreſſu Hebræorum ex Ægypto usque ad quartum annum regni Salomonis præteriiſſe annis 480. David autem regnavit 40. annis, cui ſucceſſit Salomon, cujus quarto anno regni cœptum eſt ædificari templum; ante captivitatem Babylonicam ortus eſt Moſes annis 990. cum ab ædificatione templi Salomonis usque ad ultimum annum Sedechiæ, qui fuit primus captivitatis ex annis Regum Juda recenſitis in 3. 4. Reg. computantur anni 430. ante ſolutionem captivitatis, & reditum Judæorum in patriam, natus eſt Moſes annis mille ſexaginta. Duravit enim illa captivitas annis 70. Hieremiæ 25. & 29. 2. Paralip. ult. ante Meſſiæ adventum mille ſexcentis & viginti. Chriſtus enim natus eſt ultimo anno 194. Olympiadis 1. ab initio Olympiadum annis 776. Initium autem Olympiadum concurrit cum anno octavo Achaz Regis Juda, ad quod usque tempus ab ædificatione templi Salomonis colliguntur anni ducenti & paulo amplius 80. ante urbis & templi Hieroſolymitani & excidium & perpetuam Hebræorum deſolationem annis mille & fere ſeptingentis. Hæc omnia Pererius loco citato. D. Auguſtinus in hoc cap. confert ortum Moſis in Ægypto cum externa & prophana Chronologia, quibus, nimirum Regibus apud exteras nationes, & in civitate mundi regnantibus natus ſit. Quæ celeberrima ſucceſſere in orbe, quorum Ethnici ſcriptores meminere, & à quibus ſolent rationem & computationem temporum acceſſere, hæc fere ſunt, Ogygis diluvium, ludi Olympici, Trojanum bellum. Vide eundem Pererium, qui hæc omnia accurate docet loco citato, ne actum agere videamur, Tatianum contra Græcos, & Euſebium lib. 10. de præpar. Evang. cap. 3.

β Fuiſſe à quibusdam creditur Prometheus.] *Euſebius ad annum mundi 3520.* Secundum quorundam opinionem his temporibus fuit Prometheus, à quo homines factos eſſe commemorant, & revera: cum enim ſapiens eſſet, feritatem eorum & nimiam imperitiam ad humanitatem & ſcientiam transfigurabat; *Alii verò eodem referente, volunt exſtitiſſe circa annum mundi 3620. Fabula Promethei & ejus interpretatio videri poteſt apud Servium in Virg. eclog. 6.*

γ Frater ejus Atlas.] *Diodorus Siculus lib. 4. Ferunt Atlantem Aſtrologiæ fuiſſe peritiſſimum, deque ſphæra primum inter homines diſputaſſe, qua ex re viſus eſt cœlum ſuis humeris ſuſtinere, locum præbente fabulis ſphæræ inventione, Euſebius,* Atlas

frater

frater Promethei præcipuus Aſtrologus dictus eſt, qui ob eruditionem iſtius diſciplinæ etiam ſuſtinere cœlum affirmatus eſt. *Genebrardus ad annum mundi 2991.* Atlas Arcadius Aſtrologus rex Mauritaniæ cœlum humeris geſtare ob montem ipſi cognominem inuſitatæ magnitudinis dictus; item quia aſtrorum curſus comprehendit, & primus de Aſtrologia inter Græcos diſſeruit, unde Aſtrologiam inveniſſe dicitur, quanquam & rectius id alii referant ad Ægyptios, alii ad Aſſyrios. *Prometheum & Atlantem fratrem ejus idem Genebrardus ad tempora Tholæ judicis Hebræorum refert; Sphæræ & Aſtrologiæ inventorem eum etiam facit Plinius lib. 2. cap. 8. & lib. 6. cap. 56.*

δ Mons ejus nomine nuncupetur.] *De quo Plinius lib. 5. nat. hiſtor. cap. 1.*

ε Uſque ad Cecropem Athenienſium Regem.] *Euſebius & Genebrardus: Hac etiam Moſis ætate Ægyptium Cecropem primum Athenienſium Regem vixiſſe autumant, & Athenas condidiſſe, etſi Plato in Timæo Amaſim regem illius urbis conditorem faciat, dicebatur Cecrops διφυής. i. e.* duabus naturis *ſive ob longitudinem corporis, ſive idcirco, quod cum eſſet Ægyptius, utramque linguam ſciebat, Græcam & Ægyptiacam: Leges de conjugiis edidit adverſus barbariem Græcorum, eoſque legibus ad humanitatem perduxit, regnans in Attica anno 35. Moſis, annis 375. ante Trojæ expugnationem. Euſebius regnavit annis 50. de quo & illud ſcribit:* Hic primus Jovem appellavit, ſimulacra reperit, aram ſtatuit, victimas immolavit, nequaquam iſtiusmodi rebus in Græcia viſis.

ζ Phorbas filius eorum.] *Pauſanias lib. 2. Phorbam facit Argi filium.* Argo (*inquit*) Piraſus & Phorbas, Phorbante Triopas, Triopa geniti ſunt Jaſus & Agenor, Argivorum rex fuit ſextus. *Genebrardus vult hunc regnaſſe tempore Gedeonis & Tholæ judicum Iſrael. Diodorus lib. 5. hunc Lapithi filium facit, & refert, quod cum comperiiſſent Rhodii terram Rhodiam a ſerpentibus vaſtatum iri, in Delphos ſciſcitatum miſere, quo pacto id malum averteretur. Reſponſum eſt ab Apolline, ut Phorbantem cum ſociis in inſulam arceſſerent. Hic Lapithi filius cum multis erat in Theſſalia ſociis patriam ad inhabitandum quærens; ac cito juxta Dei reſponſum Phorbanti pars inſulæ ad inhabitandum conceſſa eſt; cujus virtute deletis ſerpentibus liberata eſt eo timore Rhodos; fuit hic quoque in cæteris rebus vir bonus, unde & poſt obitum heroum meruit honores.*

η Septimi Regis Triopæ filius.] *Annis 46. regnavit; alii Tropham vocant: de eo plura Diodorus lib. 5.*

θ Multarum artium peritus claravit.] *De Mercurii inventis ad communem hominum utilitatem plura Diodorus lib. 1. Hunc enim primum & verba in ordinem redegiſſe, & multis indidiſſe rebus nomina, fuiſſe quoque literarum inventorem ajunt, inſtituiſſeque, quo honore, quibusve ſacris colerentur Dii; in primis obſervator aſtrorum curſus fuit, & vocum harmonias adinvenit, palæſtræ numerorumque, & ad corpora curanda medicinæ artis, lyræ inſuper ex nervis trium chordarum inſtar trium anni temporum, repertorem tradunt. Tres enim inſtituit voces, acutam, gravem & mediam: acutam ab æſtate, gravem ab hyeme, mediam à vere ſumens. Hic & Græcos docuit verborum interpretationem; unde & ipſum* Ἑρμῆν. *i. e.* interpretem *appellarunt.*

ι Quan-

1 Quanquam Ogygius ipſe quando fuerit.] *Duo fuere diluvia, utrumque in Græcia, alterum quidem Ogygis in regione Attica, alterum Deucalionis in Theſſalia, à Græcis & Romanis ſcriptoribus celebrata ac commemorata. Verùm quãdo fuerit Ogygius, & quando acciderit diluvium illud Ogygis, inter hiſtoriæ ſcriptores non ſatis conſtare ſcribit Auguſtinus. Nonnulli veteres ſcriptores, quos memorant & ſequuntur Juſtinus Martyr ſerm. exhortat. ad gentes, Clemens Alexandrinus lib.1.* ςρωματ. *& Euſebius lib.10. de præparat. Evangelii cap. 3. prodiderunt, quo tempore contigit diluvium Ogygis, eo tempore Moſem eduxiſſe Hebræos ex Ægypto. Pererius lib.12. in Geneſ.14. diſput. 1. demonſtrat, egreſſum Hebræorum ex Ægypto plus ducentis annis poſteriorem fuiſſe diluvio Ogygis, quin & ipſe Euſebius in Chronicis, inquit, facit Ogygem duobus ſæculis Moſe antiquiorem. Idem Pererius diſputat. 2. ad caput 2. Exodi docet, Moſem natum eſſe poſt Ogygis diluvium annis centum octoginta. Apud Euſebium enim lib. de præparat. Evangel. cap. 3. multorum veterum & nobilium ſcriptorum authoritate docet Julius Africanus, diluvium Ogygis præceſſiſſe mille viginti annis initium Olympiadum. Oroſius lib.1.cap.7. vult, Ogygis diluvium mille quadraginta annis fuiſſe ante annos urbis condita: Moſes verò ortus eſt ante Romam conditam annis 865. ex qua ſupatatione colligeretur, 175. annis Ogygis diluvium præceſſiſſe ipſum Moſem. Pererius non longe abeſt ab hac ſupputatione lib. 12. in Geneſ. diſp. 14. cum ſcribit, diluvium Ogygis præceſſiſſe egreſſum Hebræorum ex Ægypto annis fere ducentis quadraginta. Idem Pererius in caput Geneſ. 47. diſput. 3. quærit, quid in orbe terrarum memorabile acciderit eo tempore, quo Jacob manſit in Meſopotamia:* Quo tempore *(inquit)* Jacob verſabatur in Meſopotamia accidit diluvium Ogygis, quod poſt illud Noeticum fuit maximum & antiquiſſimum & apud Græcos celebratiſſimum, quo diluvio terra Attica usque adeo eſt vaſtata, ut per annos centum nonaginta novem uſque ad Cecropem ſine Rege & pene deſerta fuiſſe perhibeatur. *Ibidem oſtendit incidiſſe diluvium Ogygis in annum Patriarchæ Jacob circiter 88. Nam Julius Africanus apud Euſebium, ut ſupra dictum eſt, multorum & nobilium ſcriptorum authoritate docet, diluvium Ogygis præceſſiſſe mille viginti annis primam Olympiadem; Initium autem Olympiadum concurrit cum octavo anno Achaz, Regis Juda: ſi vero ab octavo anno Regis Achaz, retro præteritos annos percurrens computes mille viginti annos, hujusmodi computationem finies in anno ætatis Jacob 88. quod Pererius ex ſacra Chronologia ibi demonſtrat, ubi etiam obſervat, falſum eſſe, quod idem Julius Africanus referente Euſebio, prodidit, diluvium Ogygis factum eſſe ætate Moſis, quo tempore ſcilicet is eduxit Hebræos ex Ægypto, ubi Julius Africanus non ſolùm contradicit veritati, verùm etiam ſibi ipſi repugnat. Verum ne acta agamus, videri ibi poteſt Pererius.*

2 Quod gentium nec Græca nec Latina novit hiſtoria.] *Scribit, Noeticum diluvium Gentium hiſtoriam tam Græcam quàm Latinam ignoraſſe, & id probat teſtimonio Varronis, qui prodiderit, in monumentis literarum ac veteris memoria nihil Ogygis diluvio, quòd multis ſæculis Noeticum ſecutum eſt, reperiri vetuſtius. Nihilominus ex Joſepho lib. 1. antiqui cap. 4. aperte colligitur, externos etiam ſcriptores illius diluvii meminiſſe,* τοῦ δὲ κατακλυσμοῦ τούτου καὶ τῆς λάρνακος μέμνηνται πάντες

οἱ τὰς βαρβαρικὰς ἱστορίας ἀναγράφοντες ὧν ἐστὶ καὶ Βηρωσσὸς ὁ Χαλδαῖος. διηγούμενος γὰρ τὰ περὶ τὸν κατακλυσμὸν, οὕτω που διέξεισι. λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι καὶ κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας. χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τοῖς ἀποτροπιασμοῖς. μέμνηται δὲ τούτων, καὶ Ἱερώνυμος ὁ Αἰγύπτιος ὁ τὴν ἀρχαιολογίαν τὴν Φοινικικὴν συγγραψάμενος, καὶ Μνασέας δὲ καὶ ἄλλοι πλείους. Καὶ Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς ἐν τῇ ἐνενηκοστῇ καὶ ἕκτῃ βίβλῳ ἱστορεῖ περὶ αὐτῶν λέγων οὕτως. ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, Βάρις λεγόμενον εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι, καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι, καὶ τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι. γένοιτο δὲ ἂν οὗτος ὅντινα καὶ Μωυσῆς ἀνέγραψεν ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης. *Hæc refert ex Joſepho Euſebius lib. 9. de præparatione Evang. cap. 4. Alexander Polyhiſtor & Abydenus à Cyrillo lib. 1. contra Julianum producuntur, qui non obſcure meminerint hujus diluvii. Plato in Timæo ſacerdotem quendam Ægyptium inducit, ex ſacris Ægyptiorum libris Soloni referentẽ, ante particularia diluvia Græcis nota & celebrata fuiſſe antiquitus maximam quandam aquarum inundationem ac terræ vaſtationem, quæ certe alia eſſe non potuit à Noetico diluvio. Conſtat igitur Noeticum diluvium fuiſſe etiam ethnicis ipſis cognitum, vel certe ex lectione ſacrarum literarum, vel auditione & fama, vel Chaldæorum & Ægyptiorum relatione ac monumentis, cum apud eas Gentes diu morati ſint Hebræi, à quibus ea audire potuerunt, quæ ſacris literis continebantur, vel quæ ex majorum traditione ipſi Hebræi comperta habebant. An vero id potuit ignorare D. Auguſtinus? minime certe, nec enim præciſe dixit, nullis prophanis hiſtoricis notum fuiſſe diluvium Noë, ſed tantum dixit fuiſſe ignoratum à Græcis & Romanis hiſtoriis, nihil de Barbaris, vel iis, qui rerum barbaricarum & hiſtoriarum ſcriptores fuerunt, locutus.*

Cap. IX.

Quando Athenienſium civitas ſit condita, & quam cauſam nominis ejus Varro perhibeat.

a NAm ut Athenæ vocarentur, *a* quod certè nomen à Minerva eſt, quæ Græcè Athena dicitur, hanc cauſam Varro indicat. Cùm apparuiſſet illic repente olivæ arbor, & alio loco aqua eripuiſſet, regem prodigia iſta moverunt, & miſit ad Apollinem Delphicum ſciſcitatum, quid intelligendum eſſet, quidve faciendum. Ille reſpondit, quòd olea Minervam ſignificaret, unda Neptunum, & quod eſſet in civium poteſtate, ex cujus nomine potius duorum deorum, quorum ſigna illa eſſent, civitas vocaretur. Iſto Cecrops oraculo accepto, *b* cives omnes utriuſque ſexus: *c* mos enim tunc in eiſdem locis erat, ut etiam fœminæ publicis conſultationibus intereſſent; ad ferendum ſuffragium convocavit. Conſulta igitur multitudine mares pro Neptuno, fœminæ pro Minerva tulere ſententias. Et quia una plus eſt inventa fœminarum, Minerva vicit. *d* Tunc Neptunus iratus marinis fluctibus exæſtuantibus terras Athenienſium populatus eſt: quoniam *γ* ſpargere latius quaslibet aquas difficile dæmonibus non eſt: cujus ut iracundia placaretur, triplici ſupplicio dicit idem author ab

Athe-

Athenienſibus affectas eſſe mulieres, ut nulla ulterius ferrent ſuffragia: ut nullus naſcentium maternum nomen acciperet, *e d* ne quis eas ἀθηναίας vocaret. *g* Ita illa civitas mater ac nutrix liberalium doctrinarum , & tot tantorumque philoſophorum, qua nihil habuit Græcia clarius atque nobilius, ludificantibus dæmonibus de lite deorum ſuorum maris & fœminæ, *f* & de victoria per fœminas fœminæ Athenas nomen accepit, & à victo læſa, ipſam victricis victoriam punire compulſa eſt, plus aquas Neptuni, quàm Minervæ arma formidans. Nam in mulieribus, quæ ſic punitæ ſunt, & Minerva, quæ vicerat, victa eſt: nec affuit ſuffragatricibus ſuis, ut ſuffragiorum deinceps perdita poteſtate, & alienatis filiis à nominibus matrum, Athenæas ſaltem vocari liceret, & ejus deæ mereri vocabulum, quam viri, dei victricem fecerant ferendo ſuffragium: de quo ſatis apparet, quæ & quanta hinc dici poſſent, niſi ſermo ad alia properaret.

a NAm ut Athenæ vocarentur.] *Athenæ Atticæ, unde ſint dictæ, non convenit. Vulgatior opinio eſt à Minerva, quæ illis dicta eſt ἀθηνᾶ. De nominibus regionis & urbis, hæc ferè ſunt apud Græcos. Pauſanias:* καὶ τὴν ἀρχὴν τὴν Κέκροπος Κραναὸς ἐδέξατο Ἀθηναίων δυνάμει προύχων. Κραναῷ δὲ γενέσθαι θυγατέρας, καὶ ἄλλας, καὶ Ἀτθίδα γενέσθαι λέγουσι, ἀπὸ ταύτης ὀνομάζουσι Ἀττικὴν τὴν χώραν, πρότερον καλουμένην Ἀκταίαν. *Principatum Cecropis excepit Cranaus Athenienſium virtute præſtantiſſimus, huic filiæ fuerunt, quum aliæ, tum verò Attis, à qua regio dicta eſt Attica, quæ prius Actæa. Strabo:* Ἀττικὴν μὲν γὰρ ἀπὸ Ἀκταίωνός φασιν. Ἀτθίδα δὲ καὶ Ἀττικὴν ἀπὸ Ἀτθίδος τῆς Κραναοῦ, ἀφ᾽ οὗ καὶ Κραναοὶ οἱ ἔνοικοι· Μοψοπίαν δὲ ἀπὸ Μόψοπος, Ἰωνίαν δὲ ἀπὸ Ἴωνος τοῦ Ξούθου. Ποσειδωνίαν δὲ καὶ Ἀθήνας ἀπὸ τῶν ἐπωνύμων θεῶν. *Atticam quidam ab Actæone cognominant. Atthida verò & Atticam ab Atthide filia Aranai, à quo incolæ Cranai dicti: Mopſopiam à Mopſopo, Ioniam ab Ione Xuthi filio, Poſidoniam à Poſidone, & Athenas ab Athena. Ceu quis Latinè dicat Neptuniam à Neptuno, & Minervas à Minerva. Juſtinus hiſtoricus ex Trogo non vocatos Athenas ſcribit uſque ad quartum regem Atticum, qui ſucceſſit Cranao; ipſe Amphionidem vocat, credo mendosè, Græcè Amphyctiona & profectò nomen Athenarum non eſt inter illa oppida, quæ Cecrops poſuit, eaq; quæ vocata eſt Cecropia, poſtea Athenæ dicta, & condita Theſeo urbs arx fuit. Sic enim apud Græcos frequenter,* ἡ ἀκρόπολις τῆς Ἀττικῆς Κεκροπία ἐκαλεῖτο τὸ πρότερον. *Quæ ſunt verba interpretis Apollonii. Idem alio in loco: Cecropia dicitur Attica à Cecrope rege. Verùm illud ignorandum non eſt, Athenas triplices fuiſſe, ut inquit M. Varro in libris de analogia, ab aliis Athenienſes, ab aliis Athenæos, ab aliis Athenæopolitas. Sunt enim Athenæ Atticæ, unde Athenienſes, & Athenæ Euboicæ in Eubœa inſula, Chadæ cognominatæ, à Cecrope Erichthæi filio conditæ, cujus incolæ Athenæi, ut puto, à Latinis dicuntur. Nam Græci Athenarum Atticarum cives ἀθηναίους vocant. Athenæopolitæ autem ſunt in Gal. Narbon. populi, qui Athenæpolim inhabitant Maſſilienſi agro. Eſt & in Laconica terra Athenæ oppidum ἀθήνη.*

L. V vet. Athenæ.

b Cives omnes utriusque ſexus.] *Ovid. 6. Metamorphoſeos veniſſe inter Minervam & Neptunum in contentionem, uter de ſuo nomine Cecropiam vocaret: diſceptantibus duodecim diis, ac ipſo etiam Jove Neptunum tunc percuſſa tridente terra*

equum produxiſſe. Minervam oleam. Hoc erat ſignum pacis, illud belli. Placuit magis omen pacis. Ita Minerva Athenas vocavit, quod alii referunt ad certamen maris & terræ, utra parte plus poſſint Attici, tum ad belli paciſq; artes, tum ad fructus, merces, & quæſtus, unde plus accidat Athenienſibus, è marine an è terra. At equus à Neptuno æditus, ab aliis Syron, ab aliis Arion dicitur: ab aliis Scythius, ut refert. 1. Georg. Valerius Probus non unum Neptuni equum nominat. Nam Ariona dicit, donatum Adraſto à Neptuno, Xanthum & Cyllaron Junoni, quos illa Caſtori & Polluci dedit. Sed quæ Minerva hæc eſt ex quinque? Ex ſententia Platonis in Timæo ſecunda Minerva, quam Cicero dicit ortam Nilo, coli ab Ægyptiis Saïtis, etſi vulgò Saletis legitur. Eſt enim Saïs in Ægypto ſub Delta ingens urbes, & nomos Amaſis patria & regia: cujus conditrix fuit eadem Minerva, ab Ægyptiis Neith dicta, quæ Athenarum in Attica. Eſt & Athenienſibus menſis, quem exordiuntur nova luna Decembris, qui ab illis ποσειδεὼν nominatur, de memoria illius certaminis ποσειδῶνος, hoc eſt, Neptuni cum Pallade.

c Mos enim tunc in eiſdem locis] *Quin in aliis permultis, & eum voluit eſſe in ſua Rep. Plato.*

d Tunc Neptunus] *Hoc videri poteſt, factum in diluvio Deucalionis, quod tempore Amphyctionis contigit, quum Athenæ cœperunt hoc nomine cognoſci, eaq; vis aquarum Athenas quoque afflixit.*

e Ut ne quis eas Athenas.] *Hoc Græcè ἀθηναίας, Metaclides ait, fœminas Athenis natas, non ἀθηναίας vocari, ſed ἀττικάς, viros dici ἀθηναίους. Cauſam reddit ita: μὴ τὴν ἄγαμον αἱ γαμούμεναι τῇ προσηγορίᾳ καταισχύνωσι: ne, inquit, nuptæ ſalutando innuptas pudore afficiant. Nam ex marito cognominatio uxoris ſumitur, cumq; viri dicantur ἀθηναῖοι, ſi illæ dicerentur ἀθηναῖαι, viderentur jam nuptæ, ut quæ de virorum appellatione nominarentur. Verùm Pherecrates χαυνοῖ, & Philemon πτερύγι, & Diphilos ἁμαστρίδι, & Pindarus χολῇ, & alii veteres poëtæ permulti fœminas Atticas ἀθηναίας vocarunt, quam vocem in illis ſcriptoribus Phrynicus ſophiſta Bithynicus ἀντὶ τοῦ ἀττικάς poſitam putat, miraturq; Pherecratem hominem Atticiſſimum, ea eſſe uſum in illa nota.*

f Et de victoria deorum.] *In Brugenſi exemplari ſic legitur: De victoria per fœminas fœminea Athenas nomen accepit, ut ſit victoria fœminea. Si quis malit legere fœmina, ad Minervam referuntur: & legi poſſet fœmina ἀθήνας, hoc eſt, fœminæ Minervæ.*

L. Coq. a QUod certe nomen à Minerva eſt.] *De primis Athenarum conditoribus non ab omnibus eadem traduntur, ut ſcribit Strabo lib. 9. quod vel ipſa demonſtrant nomina; regionem quippe Atticam dicunt ab Actæone, Atticam & Atthidem ab Atthide Cranai filia, à quo incolæ Cranai, Mopſopo, Joniā ab Jone Xuthi filio, Poſidoniam. i. e. Neptuniam, & Athenas quaſi Minerviam à diis tutelaribus nominiſque authoribus. Notum eſt, Minervam præ cæteris Diis deabusque cultam in ea urbe fuiſſe, & cognominatam πολιάδα ac πολιοῦχον quaſi* tutatricem urbis *ſeu arcis, in qua & fanum exſtructum erat. Cedrenus de Cecrope οὗτος ἐπὶ τὴν κατακλυσμὸν τῆς Αττικῆς ἀθηναῖ [illegible] καὶ ἀπὸ τῆς Αθηνᾶς τὴν πόλιν Αθήνας [illegible]*

[illegible]

μασιν. Unde factum ſit, ut à Minerva nomen acceperit, ex Varrone docet hic D. Auguſt. Iſidorus lib. 15. Originum c. 1. Athenas in Hellade Cecrops condidit, & ex ſuo nomine Cecropiam nominavit. hanc Amphion, qui in Græcia tertius poſt Cecropem regnavit, Minervæ ſacravit, & nomen civitati Athenas dedit. Nam Minerva Græce Ἀθήνη dicitur, unde & Minervam Græci inventricem multarum artium aſſerunt, quia & literæ & artes diverſorum ſtudiorum, & ipſa Philoſophia veluti templum Athenas habuerunt. *Ibi vult, Athenas quidem conditas à Cecrope, nomen tamen illud inditum ab Amphione, alias Amphictyone. Ita ſcribit Juſtin. lib. 2.* Poſt hunc Chranaum Amphictyon regnavit, qui primus Minervæ urbem ſacravit, & nomen civitati Athenas dedit. *Arnobius lib. 5. contra Gentiles Athenienſes appellat, cives Minervios;* quid Erictheo ſati, quid cives Minervii dicitis? *Apollodorus lib. 3. de deorum origine, quomodo à Minerva nomen Athenis ſit inditum, paulo aliter narrat,* ἧκεν πρῶτος Ποσειδῶν ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν καὶ πλήξας τῇ τριαίνῃ κατὰ μέσην τὴν ἀκρόπολιν ἀνέφηνε θάλασσαν. ἣν νῦν Ἐρεχθηΐδα καλοῦσι: μετὰ δὲ τοῦτον ἧκεν Ἀθηνᾶ, καὶ ποιησαμένη τῆς καταλήψεως Κέκροπα μάρτυρα ἐφύτευσεν ἐλαίαν, ἣ νῦν ἐν τῷ Πανδροσίῳ δείκνυται. γενομένης δὲ ἔριδος ἀμφοῖν περὶ τῆς χώρας, Ἀθηνᾶν καὶ Ποσειδῶνα διαλύσας Ζεὺς κριτὰς ἔδωκεν, οὐχ ὡς εἶπόν τινες Κέκροπα καὶ Κραναὸν, οὐδὲ Ἐριχθέα, θεοὺς δὲ τοὺς δώδεκα. καὶ τούτων δικαζόντων, ἡ χώρα τῆς Ἀθηνᾶς ἐκρίθη, Κέκροπος μαρτυρήσαντος, ὅτι πρώτη τὴν ἐλαίαν ἐφύτευσεν. Ἀθηνᾶ μὲν οὖν ἀφ' ἑαυτῆς τὴν πόλιν ἐκάλεσεν Ἀθήνας. Ποσειδῶν δὲ θυμῷ ὀργισθεὶς τὸ Θριάσιον πεδίον ἐπέκλυσε, καὶ τὴν Ἀττικὴν ὕφαλον ἐποίησε. *Pauſanias lib. 1. inter ea, quæ in Athenienſium arce memoratu digna ſpectabantur,* Ibi, *inquit*, ſpectantur primam oleæ plantam Minerva, & Neptunus undam præferens. *Idem lib. 2. ſimilem contentionem narrat inter Neptunum & Junonem, cujusnam eſſet terra Argivorum;* Exſtat, *inquit*, Neptuni cognomento Proclyſti. i. e. inundatoris templum. Diluiſſe enim maximam partem agri eo tempore Neptunum memorant, quo Inachus, quique ei in conſilio adfuerunt, terram eam Junonis debere eſſe pronuntiarunt.

β Ut etiam fœminæ publicis conſultationibus intereſſent.] *Id apud varias Gentes antiquitus obſervatum; Apud Spartiatas authore Plutarcho in comparatione Numæ & Lycurgi, mulieres privatim in domibus dominabantur, & in publico ſententiam dicebant de maximis rebus, & authoritatem habuiſſe etiam tempore ſuo teſtatur Plutarchus. Germani conſilia mulierum & judicia non aſpernabantur. Cornelius Tacitus de moribus Germanor. Plato lib. 5. de Republ. voluit, mulieres negotia in republica curare poſſe, atque omnia cum privata tum publica pacis & belli ſtudia communicat mulieribus cum viris. In quo merito reprehenditur à Lactantio lib. 3. cap. 22. Ariſtoteles lib. 2. politic. cap. 4. male à mulieribus regi civitatem docet, & improbandam Rempublicam Lacedæmoniorum, quod magna ex parte imperio muliebri regeretur. Arnobius lib. 7. contra Gentes:* Eſt in mulieribus ſexus fragilitas, quæ eas à muneribus excipit. *Exſtat verſus in fragmentis Menandri,* μήποτε λάβῃς γυναῖκα εἰς συμβουλίαν, Nunquam in conſilium mulierem admiſeris. *L. Cum Prætor. D. de judic.* Quidam lege impediuntur ne judices ſint, quidam na-

 tura,

tura, quidam moribus, natura, ut ſurdus, mutus & perpetuo furioſus & impubes: quia judicio carent; lege impeditur, qui ſenatu motus eſt, moribus, fœminæ & ſervi, non quia non habent judicium, ſed quia receptum eſt, ut civilibus officiis non funganturr. Senatulum mulierum Romanarum inſtituerat impuriſſimus ille Heliogabalus. Verùm *(ut Lampridius refert in ejus vita)* cautum ante omnia, ut eo occiſo ne unquam mulier ſenatum ingrederetur, utque inferis caput ejus dedicaretur devoveretur que per quem eſſet factum.

γ Spargere latius quaslibet aquas difficile Dæmonibus non eſt.] *Poſſunt enim movere corpora ſecundùm locum, poſſunt & tempeſtates & imbres excitare. D. Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 23. ait, ſecundùm pulcherrimum ordinem divinæ providentiæ hanc inferiorem mundi machinam ſubjectam eſſe prævaricatoribus Angelis; ut tamen non poſſunt Dæmones invertere ordinem univerſi, ita neque elementa dimovere ſuis locis naturalibus, neque ſiſtere motum cœli, cum Deus non ſubjecerit Angelis orbem terrarum Hebræor. 2. Verùm ſecundùm partem poſſunt dimovere aliquod ab uno loco in alium, ita tamen, ut aliud corpus in illius locum ſuccedat, ne detur vacuum, quod tollit ordinem partium univerſi.*

δ Ne quis eas Ἀθηναίας vocaret.] *Suidas,* ὁ Μεγαλακλείδης οὔ φησι καλεῖσθαι τὰς γυναῖκας Ἀθηναίας, ἀλλ' Ἀττικὰς ἐν τοῖς περὶ Ὁμήρου, ἅμα καὶ τὴν αἰτίαν ἀποδιδούς. μόνους γὰρ φησὶ τοὺς ἐκεῖθεν ἄνδρας μὲν Ἀθηναίους ὀνομάζουσι, γυναῖκας δὲ Ἀττικάς. ἵνα μὴ τὴν ἄγαμον αἱ γαμούμεναι τῇ προσηγορίᾳ καταισχύνωσιν. *Nihilominus etſi paſſim obvium ſit maſculinum* Ἀθηναῖος, *non ita fœmininum, ut tamen ibidem docet Suidas, nonnunquam reperitur apud antiquos ſcriptores, Pherecydes* Ἀθηναίαις αὐταῖς τε καὶ ταῖς συμμάχοις. *Cantharus,* Τηρεῖ γυναῖκα Ἀθηναίαν καλήν τε καὶ ἀγαθήν. *Diphilus Themiſtoclis filiam appellat* Ἀθηναίαν ξένην. *Philemon ita etiam uſurpaſſe comperitur, & Pindarus, ut ibidem Suidas. Stephanus de urbibus etiam obſervat, non ſolitas fuiſſe nominari* Ἀθηναίας, *ſed* ἀστὰς, *non quod* Ἀθηναῖαι *vocari nequirent, ſed quod viros etiam ipſos* ἀστοὺς *appellabant, quia primi Athenienſes inveniſſe* τὰ ἄστη καὶ τὰς πόλεις *memorantur.*

ε Illa civitas mater ac nutrix liberalium doctrinarum.] *Fuit certe emporium literarum & arx ſapientiæ, ut non immerito Minervæ Deæ conſecrata videatur, quæ & armata depingitur. Nam protulit & præſtantiſſimos duces, & inſignes Philoſophos: Plato in Timæo Minervam affirmat cum urbem illam moliretur, nihil aliud quàm regionis naturam proſpexiſſe, talia ingenia pollicitam. Tertull. lib. de anima c. 20. citat. Idem in Protagora; Athenas prytaneum ſapientiæ appellat, & dialogo primo de legibus vocat civitatem eloquentiæ & multi ſermonis ſtudioſam. Cicero orat. pro Flacco,* Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ atque in omnes terras diſtributæ putantur. *Athenæus lib. 15. Athenienſes vocat* πάντων τῶν καλλίστων εἰσηγητὰς τοῦ τῶν ἀνθρώπων βίου γεγονότας. *Apud Diodorum Siculum lib. 13. in Orat. Nicolai Syracuſii pro liberandis captivis Athenienſium multa in Athenienſium laudem, & Athenas ipſas appellat communem quandam inſtitutionis & eruditionis officinam.*

Cap.

CAP. X.

Quid Varro tradat de nuncupatione Areopagi, & de diluvio Deucalionis.

AT tamen M. Varro non vult fabuloſis adverſus deos fidem adhibere figmentis, ne de majeſtatis eorum dignitate indignum aliquid ſentiat: *a* Et ideò, nec *α* Areopagon, *b* ubi cum Athenienſibus Paulus Apoſtolus diſputavit: ex quo loco *β* Areopagitæ appellati ſunt curiales urbis ejuſdē: vult inde accepiſſe nomen, *c* quòd Mars, *γ* qui Græcè ἄρης dicitur, quum homicidii crimine reus fieret, judicantibus duodecim diis in eo pago, ſex ſententiis abſolutus eſt: quia ubi *δ* paris numeri ſententiæ fuiſſent, præponi abſolutio damnationi ſolebat. Sed contra iſtam, quæ multò eſt amplius celebrata opinionem, aliam quandam de obſcurarum notitia literarum, cauſam nominis hujus conatur aſtruere, ne Areopagon Athenienſes *d* de nomine Martis & pagi, quaſi Martis pagum nominaſſe credantur: in injuriam videlicet numinum, à quibus litigia vel judicia exiſtimat aliena: non minus hoc, quod de Marte dicitur, falſum eſſe aſſeverans, quàm illud, quod de tribus deabus, Junone ſcilicet, & Minerva, & Venere: quæ pro malo aureo adipiſcendo, apud judicem Paridem de pulchritudinis excellentia certaſſe narrantur: & ad placandos ludis deos, qui delectantur, ſeu veris, ſeu falſis iſtis criminibus ſuis, inter theatricos plauſus cantantur atque ſaltantur. Hæc Varro non credidit, ne deorum naturæ, ſeu moribus credat incongrua: & tamen non fabuloſam, ſed hiſtoricam rationem de Athenarum vocabulo reddens, tantam Neptuni & Minervæ litem ſuis literis inſerit, de cujus nomine potius illa civitas vocaretur, ut cùm prodigiorum oſtentatione contenderent, inter eos judicare, nec Apollo conſultus auderet, ſed ad deorum jurgium finiendum, ſicut memoratarum trium dearum ad Paridem Jupiter, ita & iſte ad homines mitteret, ubi vinceret Minerva ſuffragiis, & in pœna ſuarum ſuffragatricum vinceretur, quæ in adverſariis ſuis viris obtinere Athenas potuit, & amicas ſuas fœminas Athenæas habere non potuit. His temporibus, ut Varro ſcribit, *e* regnante *ε* Athenienſibus Cranao, ſucceſſore Cecropis, ut autem noſtri Euſebius & Hieronymus, adhuc eodem Cecrope permanente diluvium fuit, *ζ* quod appellatum eſt Deucalionis, eo quòd ipſe regnabat in earum terrarum partibus, ubi maximè factum eſt. *f η* Hoc autem diluvium nequaquam ad Ægyptum, neque ejus vicina pervenit.

a ET ideò nec Areopagon.] *In aliis, Areon pagon, in aliis Arion pagon, ſic Græcè* ἄρειος πάγος. *Stephanus in urbibus promontorium dicit Athenis, in quo judicia & quæſtiones ſ[illegible] necis exercerentur. Athenis enim duo erant conſilia, ut ſcribit Libanius ſophiſta: unum perpetuum, quod de cædibus judicabat, & hujuſmodi rebus, eo loco, qui Areopagus dicebatur: alterum quotannis mutabile, quod remp. conſtituebat, & quingentenarium vocabatur. De Areopago & Areopagitarum moribus collegit plurima ex utriuſque linguæ ſcriptoribus Budæus noſter annotans in Pandectis.* *L. Vives.*

b Ubi

b Ubi cum Athenienſibus Paulus.] *Act. 17.*

c Quòd Mars, qui Græcè ἄρης.] *Hæc eſt communis omnium opinio. Ideò Juvenalis Sat. 9. curiam Martis Areopagum nominat. Pauſanias Areopagon dictum ſcribit, quia primus ibi Mars judicium ſubiit, quum occidiſſet Alirrhothion, qui fuit Neptuni filius, quòd vim intuliſſet Alcippæ, Martis ipſius ex Agraulo Cecropis filia. Deinde judicatum ibi Oreſtem matricidam ait, & judicio liberatum templum ibi erexiſſe Minervæ Areæ, q. Martiæ.*

d De nomine Martis & pagi.] *Non puto, eſſe dictam illam curiam Areopagum, q. Martis pagum, ceu pagus aliquis eſſet extra urbem, quales ruſticani, qui pagi vocantur, quaſi eodem vocantur fonte, qui non* πάγος, *ſed* πηγὴ *dicitur, nec ceu vicus in urbe, ſed* πάγος *modò eminentem aliquem locum, modò ſaxum ſignificat, quod Steph. dicit promontorium, quaſi celſiorem locum. Sic & Suidas:* ἐκλήθη ἡ καὶ ἄρειος πάγος ὅτι ἐν τῷ πάγῳ ἐστὶ, καὶ ἐν ὕψει τὸ δικαστήριον. ἄρειος δὲ ἐπεὶ τὰ φονικὰ δικάζει ὁ δὲ ἄρης ἐπὶ τῶν φόνων. *Id eſt, Vocatus eſt Ariopagus, quòd in ſaxo & loco editiore eſt forum. Arius verò, quòd de cædibus judicatur, quibus præeſt Mars. Attingit quoque judicium Martis ſuper Alirrhothio interfecto, ex Hellanico lib. 1. ut nos ex Pauſania, ex quo eodem prætermittendum non eſt, in Areopago fuiſſe lapides argenteos,* ἐφ᾽ ὧν ἑστῶσι ὅσοι δίκας ὑπέχουσι, καὶ οἱ διώκοντες, τὸν μὲν ὕβρεως, τὸν δὲ ἀναιδείας αὐτοῖς ὀνομάζουσι. πλησίον δὲ ἱερὸν θεῶν ἐστὶ: ἃς καλοῦσιν ἀθηναῖοι σεμνὰς ἡσίοδος δὲ ἐριννῦς ἐν θεογονίᾳ. *In quibus & rei & actores conſiſtebant: reorum vocabant injuriæ, actorum verò impudentiæ. Erat & in proximo templum duarum verendarum, ut Athenienſium nominant, quas Heſiodus in Theogonia Furias vocat.*

e Regnante Athen. Cran.] *Alii Amphictyone rege, ut dixi, Euſebius rege Cecrope, quæ annotatio temporum parum mihi probatur, ut illud, quod in idem tempus refertur ab eo Cecrops is, qui in Eubœam inſulam migravit, quem ſcriptores Græci filium dicunt Erichthei, qui longè poſt Cecropem illum primum Atticam terram tenuit, à quo Athenienſes dicti ſunt Cranai. Ariſtoph.* ὄρνισι, μείζω τοῦ κραναοῦ ζητοῦσι πόλιν ἀνοικίας. *Strabo Cranaos eſſe nominatos ſcribit, quod miror, cur maluit interpres vertere inquilinos, quàm incolas, ſed Euſebium & Hieronymum conjungit, quod Euſebius compoſuit opus, Hieronymus in Latinum vertit. Cæterùm ut redeam ad diluvium & Deucalionem, hic filius fuit Promethei & Oceanæ, ut inquit Dionyſius, qui Pyrrham, patris ſui Epimethei & Pandoræ filiam in conjugem accepit, regnavitq; in Theſſalia expulſis Pelaſgis. Cum in exercitu gentes Parnaſſi accolas ductaret, id eſt, Leleges & Curetas: Hujus diebus, ſicut Ariſt. refert, ingens vis imbrium magnam Theſſaliæ & Græciæ partem oppreſſit. Ipſe Deucalion & uxor Pyrrha in Parnaſſo ſervati, conſulto Themidis oraculo humanum genus dicuntur reparaſſe, jactis poſt terga parentis oſſibus, hoc eſt terræ lapidibus, qui à viro jacti in viros, qui à fœmina in fœminas convertebantur. Sed re vera ex montibus in plana deduxerunt homines, qui diluvio ſuperfuerunt, ideò fuiſſe ſaxa, fabulati ſunt. Lucian. ἐν μισανθρώπῳ,* ὥστε τηλικαύτη ἐν ἀκαρεῖ χρόνου ναυαγία ἐπὶ τοῦ δευκαλίωνος ἐγένετο, ὡς ὑποβρυχίων ἁπάντων καταδεδυκότων μόγις ἕν τι κιβώτιον περισωθῆναι προσοκεί-

λαι

λαι τῷ Λυκωρεῖ: *hoc eſt, quocirca tantum in momento temporis ſub Deucalione naufragium contigit, ut demerſis in fundo cunctis, vix unicus ſuperſtes linter fuerit ad Lycoream appulſus. Porrò Lycorea vicus eſt in Delphis, à Lycoreo rege dictus, ut ſcribit Callimachus. Parnaſſus verò, ſicut Stephanus narrat, olim Larnaſſus vocari erat ſolitus, propterea quòd Deucalionis illuc appulit* λάρναξ, *hoc eſt, linter contectus, ſive arca, quam Deucalion ædificavit conſilio Promethei patris. Strabo verò Deucalionem Cyni habitaſſe narrat, quæ eſt in Locride urbs ad Sunium Opuntium, ubi Pyrrhæ viſitur ſepulchrum, cùm ipſius Deucalionis ſit Athenis. Pauſanias templum quoque Athenis eſſe ſcribit, quod à Deucalione extructum dicitur, argumentoq́; eſt ipſum ibi quantoq́; habitaſſe. Etſi Dion Olympii Jovis templum eſſe Deucalionis tumulum tradit, quod templum ab ipſo extructum ferunt.*

f Hoc autem.] *Sic Plato in Timæo, & Diodorus Siculus lib. 1.*

α IDeo nec Areopagum.] Ἀρειόπαγος *vel* ἄρειος πάγος, vicus Martis, *vicus Martius. Henricus Stephanus rectius verti dicit* collis Martis, *Erat locus, in quo Judices, ab eo dicti Areopagitæ, judicia exercebant in arce, ſi Heſychio credimus. Pauſanias in Atticis ita vocatum ſcribit,* ὅτι πρῶτος Ἄρης ἐνταῦθα ἐκρίθη; *quam rationem minime probari Varroni ait Auguſtinus; alii quod ibi judicium de cæde ſit conſtitutum, quæ nomine Martis exprimitur. Alii quod ibi Mars, cum à Neptuno in judicium eſt adductus, haſtam defixerit. Suidas* ἐκλήθη δὲ Ἄρειος πάγος, ὅτι ἐν τῷ πάγῳ ἐστὶν καὶ ἐν ὕψει τὸ δικαστήριον. ἄρειος δὲ ἐπὶ τὰ φόνικα δικάζει, ὁ δὲ Ἄρεις ἐπὶ τῶν φόνων. *Multa de Areopago & Areopagitis apud Budæum in l. ult. D. de ſenat. ex tit. de rerum diviſ.* P. L. Cos.

β Areopagitæ appellati ſunt curiales urbis ejusdem.] *Quis primus Areopagum ſeu Areopagitarum conſilium Athenis inſtituerit, non omnes idem ſentiunt. Cicero lib. 1. officio exiſtimat, Solonem primum Areopagitarum concilium conſtituiſſe;* Quo conſilio, *inquit,* leges Ateenienſium, quo majorum inſtituta ſervantur. *Scribit etiam Plutarchus, exiſtimaſſe nonnullos, à Solone primum eſſe inſtitutum, in qua ſententia eſt Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 11. verùm Euſebius ſcribit, Areopagum Cecropem majorem inſtituiſſe, cujus ſententiam ſequitur Sigonius libr. 1. de republ. Athenienſium cap. 3. adductus & graviſſimorum virorum authoritate, & antiquâ vulgata fabulæ fama. Ariſtoteles enim 2. de repub. Solonē ſcribit, Areopagitarum conſilium cum eſſet antea, evertere noluiſſe: Apollodorus autem lib. 3. Dædalum, qui Ægeo regnante floruit, de cæde in Areopago condemnatum ſcribit, & Pauſanias in Meſſenicis Meſſenios tradit cum in offenſionem Lacedæmoniorum primum incidiſſent, unde poſtea gravia inter eos bella multa ſunt conſecuta, Æſimede decennali archonte rempublicam moderante, cauſam ad Areopagitarum conſilium deferre voluiſſe, quod judicium antiquitus Athenis de cæde erat conſtitutum. In Achaicis verò Spartanos Codri Regis tempore ab Athenienſibus in urbe violatos ad aras Dearum, quæ ſeveræ dicuntur, in Areopagum ſe recepiſſe: ex quo patet, antiquius eſſe conſilium Areopagitarum Solone.*

γ Mars cum homicidii crimine reus fieret.] *Quod Halirothium Neptuni filium necaſſet, quod vim intuliſſet Alcippæ, ut ſcribit Pauſanias, quam ex Agraule Ce-*

cropis filia ipſe ſuſtulerat; idque capitis judicium primum in Areopago narratur peractum. Ejus meminit hiſtoria prima Hellanicus, & declamatione pereleganti Libanius eſt perſecutus. Cœlius Rhodiginus lib. 12. lectio. antiq. cap. 19. Iſidorus Peluſiota epiſt. 90. ἐπειδὴ γέγραφας τίνος ἕνεκεν Ἄρειος πάγος ἐκαλεῖτο τὸ ἐν Ἀθήνησι δικαστήριον, ἐν ᾧ καὶ ὁ Παῦλος ἐδημηγόρησεν, ἀντεπιστέλλω ὅτι ὁ Ἄρης ὥς φασιν, δίκας ἔδωκεν, πάγος δὲ ὁ ὑψηλὸς τόπος. ἐν γὰρ ὄχθῳ τινὶ ἦν ἐκεῖνο τὸ δικαστήριον. *Idem epiſt. 92. quo nomine Mars apud Areopagum à Neptuno accuſatus, & cujus ſceleris convictus atque ſupplicio affectus fuerit, eleganter perſequitur.*

δ Ubi paris numeri ſententiæ fuiſſent proponi abſolutio.] *Hanc fuiſſe legem antiquitus, ut reus in judicio vinceret, qui paria haberet ſuffragia, cōſtat ex Euripide Iphigenia in Tauris, & ex Ariſtide orat. in Minervam, ſiquidem Oreſtem, Argis Athenas fugientem & ibidem à furiis accuſatum cum pares eſſent calculi, Minerva ſervavit hac lege volens, ut in judiciis vincat reus, quisquis paria ſuffragia habuerit, & ex interprete Ariſtophanis in* βατράχοις, *ubi de Cleophonte ita Comicus.*

Ὡς ἀπολεῖται κἂν ἴσαι γένωνται ψῆφοι.

Δηλονότι αἱ λευκαὶ καὶ αἱ μέλαιναι, ὑπερβολικῶς δὲ εἶπεν. ἐπὰν γὰρ ἴσαι γένωνται αἱ ψῆφοι, ἀπολύεται ὁ κατηγορούμενος πρὸς τὸ ἔθος ᾖ, ὅτι τὸν φεύγοντα ἀπολύεται ἴσων τῶν ψήφων ἐνεχθεισῶν ἀπὸ τοῦ κατὰ τὸν Ὀρέστην γενομένου. *Meminit Ariſtoles in problem. ſect. 29. quæſt. 15. ſcribit etiam Dionyſius lib. 7. lege cautum fuiſſe apud Romanos,* Ut æqualitate ſuffragiorum reus abſolutus judicaretur. *Id conſtat ex Cicerone in orat. pro Cluentio; In conſilium erant ituri judices triginta & duo, ſententiis decem & ſex abſolutio confici poterat; Et lex vult favorabiliores eſſe reos, quàm actores de reg. jur. lib. 167. & in 6.* Cum partium jura ſunt obſcura, reo favendum eſt potius quàm actori, & multæ reo conceduntur, quæ non conceduntur actori. *Novell. 112. L. abſentem D. de pœnis;* Satius eſt, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. *Seneca epiſt. 81.* Reus ſententiis paribus ſemper abſolvitur, & ſemper, quicquid dubium eſt, humanitus inclinat in melius.

ε Regnante Athenienſibus Cranao.] *De rege Attica, ſub quo factum eſt diluvium Deucalionis, varia tradunt. Euſebius lib. decimo de præparat. Evang. cap. ult. ait, Cecropem anteceſſiſſe quadringentis ferme annis Trojanum bellum, & medio illo tempore inter Cecropem & Trojanum bellum contigiſſe diluvium Deucalionis & incendium Phaetontis. Verùm idem in Chronicis, ut citat etiam hic D. Auguſtinus, regnante Cecrope, ſignat diluvium Deucalionis; at verò ſub rege Cranao, qui Cecropi proxime ſucceſſit Juſtin. lib. 2. & Oroſius lib. 1. cap. 9. Deucalionis diluvium ſcribunt accidiſſe regnante Amphictryone, qui fuit tertius à Cecrope. De tempore etiam hujus diluvii non convenit inter authores. Oroſius 810. annis ante Romam conditam ſcribit accidiſſe regnante Amphictyone. Sic enim ſcribit:* anno octingenteſimo decimo ante Romam conditam Amphictyon Athenis tertius à Cecrope regnavit, cujus temporibus aquarum illuvies majorem partem populorum Theſſaliæ abſumpſit, paucis per refugia montium liberatis, maxime in monte Parnaſſo, in cujus circuitu tunc Deucalion regno potiebatur, qui ad ſe ratibus confugientes ſuſceptos per gemina Parnaſſi juga fovit aluitque: à quo propterea genus humanum

num reparatum ferunt. *Solinus in Polyhiſt c.17. hoc diluvium ſexcentis annis facit poſterius diluvio Ogygis: verùm inde ſequeretur, Deucalionis diluvium vicinum fuiſſe temporib. belli Trojani, verùm multis ſaculis bellum Trojanum fuiſſe poſterius Ogygiano, & Pererius lib. 12. in Geneſ. diſput. 14. ut probabiliorem ſequitur Euſebii ſententiam & Oroſii, qui Deucalionis diluvium poſterius faciunt Ogygiano ducentis triginta annis. i. e. circa annum ætatis Moſis quinquageſimum, licet Euſebius ſignificet ibi 70. & Cyrillus lib. 1. contra Julianum ad ſexageſimum ſeptimum annum Moſis referat diluvium Deucalionis, unde liquet, fuiſſe poſt Noeticum ſeptingentis fere & ſeptuaginta annis, à qua ſupputatione non longe abeſt Genebrardus, qui ſcribit, interceſſiſſe inter diluvium univerſale Noeticum & hoc Deucalionis 800. annos.*

ζ Quod appellatum eſt Deucalionis eo quod ipſe.] *Aliter Juſtinus*, eo quod *ſcilicet* qui ſuperfuerunt diluvio in illa parte Græciæ, quam fere abſumpſit, ad regem Theſſaliæ Deucalionem ratibus vecti ſunt, à quo propterea genus hominum conditum dicitur.

η Hoc autem diluvium nequaquam ad Ægyptum.] *Ita Plato in Timæo inducit quendam ſacerdotem Ægyptium Soloni referentem diluvia, quæ hiſtoriæ referunt, non inundaſſe Ægyptum, ut alias regiones, quo factum ſit, ut apud Ægyptios rerum antiquarum memoria facilius ſit conſervata, cum apud reliquas nationes diluviis perierint rerum antiquitus geſtarum monimenta.*

CAP. XI.

Quo tempore Moyſes populum de Ægypto eduxerit: & de Jeſu Nave, qui eidem ſucceſſit, quorum regum ætate ſit mortuus.

EDuxit ergò Moyſes ex Ægypto populum Dei, α noviſſimo tempore Cecropis Athenienſium regis, quum apud Aſſyrios regnaret Aſcatades, *a* apud Sicyonios Marathus, apud Argivos Triopas. Educto autem populo in monte Sina divinitus acceptam tradidit legem: quod Vetus β dicitur teſtamentum: quia promiſſiones terrenas habet: & per Jeſum Chriſtum futurum fuerat teſtamentum Novum, in quo regnum cœlorum promitteretur. Hunc enim ordinem ſervari oportebat, ſicut in unoquoque homine, qui in Deum proficit, id agitur, quod ait Apoſtolus, ut non ſit prius, quod ſpiritale eſt: ſed quod animale, poſtea ſpiritale: quoniam ſicut dixit, & verum eſt: *primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis.* 1. Cor. 15. Rexit autem populum Moyſes per annos quadraginta in deſerto: & γ mortuus eſt annorum centum & viginti: cùm Chriſtum etiam ipſe prophetaſſet per figuras obſervationum carnalium in tabernaculo, & ſacerdotio, & ſacrificiis aliiſque myſticis plurimiſque mandatis. Moyſi ſucceſſit Jeſus Nave: & in terra promiſſionis introductum populum collocavit, ex autoritate divina debellatis gentibus, à quibus eadem loca tenebantur. Qui, δ cùm populum rexiſſet poſt mortem Moyſi viginti & ſeptem annos, etiam ipſe defunctus eſt, regnante apud Aſſyrios octavo decimo Amynta, apud Sicyonios ſexto decimo Corace, *b* apud Argivos decimo Danao, apud Athenienſes quarto Erichthonio.

L.Viv. a APud Sicyonios Marathus.] *Peratus Pauſanias πέρατος. Euſebius Marathum, quem viginti annos tenuiſſe imperium ſcribit. Eſt etiam Marathus Apollinis filius, à quo urbs in Phocide, non longè ab Anticirrha. Fuit & Marathus, qui cùm Tyndaridis militavit, à quo Marathon in Attica δῆμος, ut ſcribit Plutarchus. Neſcio an hic ſit Apollinis filius: tempora ſatis congruunt. Et Suidas ab Maratho Apolline nato dictum perhibet campum Marathonium in Attica.*

b Apud Argivos decimo Danao.] *Danaus Beli filius Ægyptius navem primus ex Ægypto in Græciam advexit, ut ſcribit Plinius. Nam antè ratibus navigabatur inventis in mari Rubro, inter inſulas à rege Erythra. Idem Danaus primus puteos excogitavit in Argo dipſio, hoc eſt, ſiticuloſo, hunc Ægyptii ejecerunt, præfecto ſibi Ægypto, à quo nomen habet regio, quum prius Aëria nominaretur, ut ſcribit Euſebius. Pauſanias Danaum refert ex Ægypto Argos veniſſe, Gelanore Sthenelæ filio regnante Argis, quem ipſe & omnes de Agenorica gente regno ſpoliavit: contentionem verò Danai & Gelanoris ad hunc modum narrat: Quum ex Ægypto Danaus veniſſet, certaretq́; cum Gelanore Sthenelæ filio, de regno diſceptante populo, multaque utrinque ad perſuadendum conducentia afferrentur, nec minus æqua videretur Danaus dicere, quàm Gelanor, populus judicium in poſtridianum diſtulit diem: quo die, oriente luce lupus in gregem boum ad pomeria paſcentium incurrit, cœpitq́; cum duce gregis tauro depugnare. Ibi oblata eſt occaſio Argivis tauro ſimilem Gelanorem, lupo Danaum æſtimare: quoniam ubi bellua illa non eſt cum hominibus educata: ita nec Danaus erat cum ipſis. At cùm taurum lupus confeciſſet, pro Danao pronunciatum eſt. Ea de cauſa putans Danaus, Apollinem in armentum immiſiſſe lupum, templum erexit Apollini, λυκίῳ, id eſt, lupino. Hic Danaus in arce Argiva habitavit, cæteriq́; Pelaſgi, Danai ſunt ex ejus nomine vocati. Hujus ſunt illæ quinquaginta filiæ carminibus celebres. Diodorus ait, ab hoc conditos eſſe Argos Argivos, antiquiſſimam ferè urbem Græciæ: alii tantùm arcem perhibent, & ab eo Danaos dictos, qui antè Pelaſgi. Tanta gloria fuit rex ille præ cæteris ejusce gentis.*

I.L.Coq. α NOviſſimo tempore Cecropis.] *Ita Euſebius in Chronicis. Quoad ſacram Chronologiam eduxit Moſes Hebræos ex Ægypto, ut notat Pererius diſp. 20. in cap. 12. Exodi annis bis mille quadringentis quinquaginta tribus poſt mundum conditum, & poſt diluvium Noeticum 797. poſt ortum Abrahæ 505. poſt deſcenſum Jacob in Ægyptum 215. poſt mortem Joſeph 144. ante ædificationem templi Salomonis annis 480. ante ortum Chriſti Salvatoris in 4. anno 194. Olympiadis annis mille quingentis triginta ſex, quæ ratio temporum ex ſcriptura ipſamet demonſtrari poteſt. Si verò cum externa & prophana hiſtoria conferamus tempus illud, quo egreſſi ſunt ex Ægypto, duce Moſe filii Iſrael, id accidit 356. annis ante bellum Trojanum, & 764. ante Olympiades & 788. ante Romam conditam 910. ante captivitatem Babylonicam, & 980. ante Imperium Cyri, & ſolutionem captivitatis Babylonicæ. Notavit Euſebius egreſſum filiorum Iſrael ex Ægypto in anno 8. Aſcatadis 16. Regis Aſſyriorum, qui regnavit annis 40. & in an. 18. Marathi. 14. Sicyoniorum Regis, qui regnavit annis 20. & in annum 43. Triopæ Regis Argivorum 7. qui regnavit 46. & Cecropis 47.*

β Vetus dicitur teſtamentum, quia terrenas promiſſiones habet.] *Diſtinguit obiter*

obiter vetus teſtamentum , cujus Miniſter fuit Moſes, à novo Teſtamento Chriſti, quod illo terrenæ promiſſiones contineantur, hoc verò regnum cælorum promitteretur, atque ideo illud vetus, hoc novum dici teſtamentum. D.Paulus ad Hebræos 7. hac ratione vocat novi teſtamenti meliorem ſpem, per quam approximamus ad Deum, & cap. 8. de teſtamento novo loquens; in melioribus (*inquit*) repromiſſionibus ſancitum eſt. *Divus Auguſtinus libr. 4. contra Fauſtum cur dicatur vetus teſtamentum, eandem, quam hic, cauſam adfert.* Temporalium (*inquit*) rerum promiſſiones teſtamento veteri contineri, & ideo teſtamentum vetus appellari nemo noſtrum ambigit, & quod æternæ vitæ promiſſio regnumque cœlorum ad novum pertinet teſtamentum. Pollicitus eſt verò Deus in veteri teſtamento terrena præmia legis obſervatoribus, ut oſtenderet, talia etiam bona non aliunde quam ab ipſo expectanda eſſe. *Idem ſic ſcribit epiſt. 120. ad Honoratum,* Volens Deus oſtendere, etiam terrenam fœlicitatem ſuum donum eſſe, nec aliunde ſperari oportere, diſpenſandam judicavit teſtamentum vetus, quod pertinet ad hominem veterem, à quo vita iſta neceſſe eſt, incipiat. Hebræi enim pueris erant ſimiles, lex verò pædagogo; quemadmodum ergo pueri munuſculis quibusdam terrenis ſolent incitari, ſic Hebræi à lege terrenis bonis ſunt invitati. Exod. 5. Ut educam vos ad terram fluentem lacte & melle. *Idem Auguſt. libr. 19. contra Fauſtum, ubi multis oſtendit, omnia legis Moſaicæ myſteria fuiſſe figuras novi teſtamenti. Adde cap. 31.* Denique quod non temere dixerim, neſcio utrum quiſquam in illis libris veteris legis invenit no[illegible]n regni cœlorum, quod tam crebro nominat dominus, *& in fine ejusdem capitis.* Proinde teſtimoniis vitæ æternæ & reſurrectionis mortuorum abundat illa ſcriptura, ſed hoc nomen. *i. e.* regnum cœlorum de nullo inde loco mihi occurrit. Hoc enim proprie pertinet ad revelationem novi teſtamenti. *Idem tradit D. Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos;* Addis (*inquit*) præterea regnum cœlorum etiam in teſtamento veteri repromitti, poniſque teſtimonia de apocryphis, cùm perſpicuum ſit, regnum cœlorum primùm in Evangelio prædicari per Joannem Baptiſtam , & dominum Salvatorem & Apoſtolos.

γ Mortuus eſt annorum centum viginti.] *Deuteron. ult. Joſephus lib. 4. antiq. cap. 8. Trebellius Pollio in vita Claudii Imperat. bifariam errat, & quod ſcribat, Moſem centum viginti quinque annis vixiſſe, & quod addat, excepto Moſe neminem centum & viginti annos tranſcendiſſe: utrumque enim ex literis ſacris ſcimus eſſe falſiſſimum.*

δ Cum populum rexiſſet poſt mortem Moſis viginti & ſeptem annis.] *Ex ſcriptura quidem conſtat, Joſue vixiſſe centum & decem annos. Joſue ult. verùm de numero annorum, quibus præfuit populo Dei, ex ſcriptura non ita conſtat, ideo variæ de hoc ſunt ſententiæ. Joſephus enim putat, eum præfuiſſe annis 25. lib. 5. antiquit. cap. 1. Euſebius 27. vel 28. & ita plerique Hebræorum. Sulpitius lib. 2. Sacræ hiſtoriæ, & hic D. Auguſtinus hanc ſententiam ſequuntur, cui etiam adhæret Andreas Maſius in cap. 22. Joſue. Lucidus & Genebrardus ajunt, ex convenienti ſupputatione annorum, qui 3. Reg. 6. ponuntur, colligi, eum præfuiſſe annos 17. vel 18. Nam Joſephus, Euſebius,*

Auguſtinus & alii tribuunt præfecturæ Joſue 25. vel 27. aut 28. annos, quia ſequuntur Græcos 70. Interpretum codices, in quibus deeſt Aialon, qui Judicum 12. perhibetur judicaſſe Iſraelem annis 10. quos tribuerant Joſue, ut conficerent ſummam annorum 480. ab egreſſione filiorum Iſrael ex terra Ægypti usque ad templi ædificationem, quæ ponitur 3. Reg. 6. Videtur etiam ex ſcriptura colligi, Joſue ſeptem annos conſumpſiſſe in terra Chananæorum expugnanda, & totidem alios in ea dividenda. Unde quidam Hebræorum tribuunt ei 14. annos; probabile eſt 3. vel 4. annos ſupervixiſſe, ſicque Rempublicam gubernaſſe annis 17. vel. 18.

Cap. XII.

De ſacris falſorum deorum, quæ reges Græciæ illis temporibus inſtituerunt: quæ ab exitu Iſraël ex Ægypto uſque ad obitum Jeſu Nave dinumerantur.

PEr hæc tempora, id eſt, ab exitu Iſraël ex Ægypto, uſque ad mortem Jeſu Nave, per quem populus idem terram repromiſſionis accepit, ſacra ſunt inſtituta diis falſis à regibus Græciæ, quæ memoriam diluvii, & ab eo liberationis hominum, vitæque tunc ærumnoſæ, modò ad alta, modò ad plana migrantium, ſolenni celebritate revocarunt. *a* α Nam & Lupercorum *b* β per ſacram viam aſcenſum atque deſcenſum ſic interpretantur, ut ab eis ſignificari dicant homines, qui propter aquæ inundationem, ſumma montium petiverunt, & rurſus eadem reſidente ad ima redierunt. His temporibus *c* Dionyſium, qui etiam *d* Liber pater dictus eſt, & poſt mortem ejus Deus habitus: *e* γ vitem ferunt oſtendiſſe in Attica terra hoſpiti ſuo. *f* Tunc Apollini Delphico inſtituti ſunt ludi muſici, ut placaretur ira ejus, qua putabant afflictas eſſe ſterilitate Græciæ regiones, quia non defenderunt templum ejus, quod rex Danaus, cùm eaſdem terras bello invaſiſſet, incendit. Hos autem ludos, ut inſtituerent, oraculo ſunt admoniti. In Attica verò rex Erichthonius ei ludos primus inſtituit, nec ei tantùm, ſed etiam Minervæ, ubi præmium victoribus oleum ponebatur, *g* quòd ejus fructûs inventricem Minervam, ſicut vini Liberum tradunt. Per eos annos *h* à rege Xantho Cretenſium, cujus apud alios aliud nomen invenimus, *i* rapta perhibetur Europa, & inde geniti *k* Rhadamantus, *l* Sarpedon, *m* & Minos, quos magis ex eadem muliere filios Jovis eſſe, vulgatum eſt. Sed talium deorum cultores illum quod de rege Cretenſium diximus, hiſtoricæ dant veritati: hoc autem, quod de Jove poëtæ cantant, theatra concrepant, populi celebrant, vanitati deputant fabularum, ut eſſet, unde ludi fierent placandis, numinibus etiam falſis eorum criminibus. His temporibus *n* Hercules in Tyria † clarus habebatur. Sed nimirum alius, non ille, de quo ſuprà locuti ſumus. Secretiore quippe hiſtoria *ſ* plures fuiſſe dicuntur & Liberi patres & Hercules. Hunc ſanè Herculem, ζ cujus ingentia duodecim facta numerant. *o* η Inter quæ Antæi Afri necem non commemorant, quòd ea res ad alterum Herculem pertinet, *p* θ in Oeta monte *q* à ſeipſo incenſum produnt ſuis literis, cum ea virtute, qua monſtra ſubegerat, morbum tamen, quo languebat, ſuſtinere non poſſet. Illo tempore vel rex vel

† *al. Syria*

potius

potius tyrannus *r* Buſiris ſuis diis ſuos hoſpites immolabat, quem filium perhibent fuiſſe Neptuni, ex matre Libya filia Epaphi. Verùm non credatur hoc ſtuprum perpetraſſe Neptunus, ne dii accuſentur, ſed poëtis & theatris iſta tribuantur, ut ſit unde placentur. *ſ* 1 Erichthoni regis Athenienſium, cujus noviſſimis annis Jeſus Nave mortuus reperitur, Vulcanus & Minerva parentes fuiſſe dicuntur. *t* Sed quoniam Minervam virginem colunt, in amborum contentione Vulcanum commotum effudiſſe ajunt ſemen in terram, atque inde homini nato ob eam cauſam tale inditum nomen. Græca enim lingua ἔρις contentio & χθὼν terra eſt: ex quibus duobus compoſitum vocabulum eſt Erichthonius. Verùm quod fatendum eſt, refellunt, & à ſuis diis repellunt iſta doctiores, qui hanc opinionem fabuloſam hinc exortam ferunt, *u* quia in templo Vulcani & Minervæ, quod ambo unum habebant Athenis, expoſitus inventus eſt *x* puer dracone involutus, qui eum ſignificavit magnum futurum, & propter commune templum, quum eſſent parentes ejus ignoti, Vulcani & Minervæ dictum eſſe filium: nominis tamen ejus originem fabula illa potius, quàm iſta deſignat hiſtoria. Sed quid ad nos hoc, quum iſti in veracibus libris homines inſtruant religioſos, illud in fallacibus ludis dæmones delectet impuros, quos tamen illi religioſi tanquam deos colunt? Et quum de illis hæc negant, ab omni ejus crimine purgare non poſſunt, quoniam ludos eis poſcentibus exhibent, ubi turpiter aguntur, quæ velut ſapientur negantur, & his falſis ac turpibus dii placantur, *y* ubi & ſi fabula cantat crimen numinum, falſum tamen delectari falſo crimine crimen eſt verum.

a NAm & Lupercorum.] *Lupercal Romæ locus erat in palatio, ſacer Pani Lyceo, hoc eſt lupino, quem ferunt Arcades, qui cum Evandro in Italiam venére, monitu Carmentis vatis dicaſſe? ut in patria magnis religionibus Pan Lyceus colebatur, & Jupiter Lyceus in Lyceo monte, & eodem Romæ loco Romulus & Remus ſuxerint lupæ mammas ſimulachrumq́; erat ejuſce facti æneum, idcirco Servius hac de cauſa Lupercal dictum eſſe putat. Sed ſacra Lycei panis ab Evandro ante natum Romulum multis annis inſtituta erant. Sic Ovid. in Faſtis:* L. Vive.

Quid vetat Arcadico dictos à monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lyceus habet.

Et Vergilius libro octavo:

Gelida monſtrat ſub rupe Lupercal,
Parrhaſio dictum Panos de monte Lycei.

Et Romulus ex Lupercis fuit. Quod ſacrum celebrant, quum à paſtoribus Numitoris eſt captus. Sacrificabatur Pani à nudis hominibus, tectis tantùm pudendis, ut inquit Dionyſius, pellibus animantium mactatarum ad aram, deinde vicum circumibant curſitantes. Varro lib. 5. de ling. Lat. Lupercalia dicta, quòd in Lupercali Luperci ſacra faciunt. Rex quum ferias menſtruas Nonis Februariis edicit, hunc diem februatum appellat. Februum Sabini purgamentum, & in ſacris noſtris verbum: nam & lupercalia februatio, ut in Antiquit. libris demonſtravi. Feſtus has ferias Lupercales Junoni videtur attribuere: quam ſive februatam, ſive februalem, ſive fe- Febru.

bru-

brualim nominant, eoq; die mulieres ſebruantur, hoc eſt, purgantur à Lupercis amiculo Junonis, id eſt, pelle caprina. Erat enim perſuaſum mulieribus prodeſſe ad fœcunditatem cædi ſcuticis pellium caprarum immolatarum Lupercalibus. Ideò Lupercis currentibus, offerentes ſe, manus tendebant, ut ferirentur, Immolabant etiam Luperci canem, ſicut narrat Plutarchus: ſeu quòd id genus erat purgationis, ſeu quòd lupis inimicum, quum lupino deo ſacrum fieret.

b Per ſacram viam.] *Sacra via Romæ eſt, autore Feſto, non tantùm, ut vulgus opinatur à regia ad domum regis ſacrificuli, ſed à regis domo ad ſacellum Strenuæ, & rurſus à regia uſque in arcem. Varro de ling. Latina: Ab Strenuæ Sacello prope Carinas oritur caput ſacra via, quæ pertinet in arcem, qua ſacra quotquot menſibus feruntur in arcem, per quam augures ex arce profecti, ſolent inaugurare. Hujus ſacræ viæ pars hæc ſola vulgò nota, quæ eſt à foro eunti primoro clivo, ſacra dicta, quòd ibi fœdus inter Romulum & Titum Tatium regem Sabinum ictum. Poma ſolita hìc vendi oſtendit Ovid. aliquot locis. Acclivem fuiſſe ſatis indicant loca, quæ aſcripſi. Ideò Auguſtinus aſcenſum & deſcenſum dicit.*

c Dionyſium.] *Cic. 3. de nat. Deor. Dionyſios multos habemus: Primum è Jove & Proſerpina natum: ſecundum Nilo, qui Niſam dicitur interemiſſe: tertium Caprio patre, eumq; regem Aſiæ præfuiſſe dicunt, cujus Abarea ſunt inſtituta: quartum Jove & Luna, cui ſacra Orphica putantur confici: quintum Nyſo natum & Thyone, à quo Thrieterides conſtitutæ putantur. De Dionyſiis, Thebano, & Indico, & Aſſyrio, Philoſtratus lib. 2 Apollonii. Diod. lib. 4. eſſe ſcribit, qui unicum Dionyſium fuiſſe credant repertorem vini; gentiumq; victorem eſſe: qui tres, diverſo tempore. Primum Indum, qui vinum invenerit: alterùm Jove natum & Proſerpina, ſeu Cerere, aratri monſtratorem, quum prius manibus foderent terram, ac ſubigerent. Tertium Jove & Semele, voluptuarium hominem, quiq; in exercitu fœminas ducebat.*

d Qui etiam Liber p. d. eſt.] *Macrob. in Satur. cur Dionyſius Liber dicatur, cauſam reddit ex ſententia Nævii: quod ſol ſit, & liber per cœlum vagetur. Alias rationes affert in Quæſt. Plutarch. vel quòd liberos reddat bibentes: vel quòd pro libertate Bœotiæ pugnarit. vel quòd à curis liberat, & in agendo ſecuriores reddit. Seneca in lib. de tranquill. vitæ Bacchum Liberum eſſe dictum, interpretatur, non ob linguæ licentiam, ſed quia liberat ſervitio curarum animum, & aſſerit, vegetiorem & audaciorem in omnes conatus facit. Trudit enim curas, & ab imo animum movet, ac ut morbis quibusdam, ita triſtitiæ medetur. Idcirco liberalius interdum potandum cenſet.*

e Vitem ferunt oſtendiſſe.] *Ideò Plato in Cratylo Διόνυσον interpretatur, id eſt, διδοῦν οἶνον. Paulò diverſa Val. Prob. 1. Geor. Ætolus, inquit, paſtor Staphylus, quum Oenei capellas in pabulum deduceret, notavit unam præcipuè ſecedentē à grege, lætiorem cæteris, recipientem ſe ſeriùs in præſepia. Cujus rei ut cauſam cognoſceret, ſequutus eſt eam clàm, & in remota ſtirpe unam edentem pomum ei incognitum ſuſtulit, regiq; pertulit Oeneo, qui expreſſo humore delectatus, quum eum vetuſtate cognoſceret miteſcere, Libero patri appoſuit, accepto à ſe hoſpitio. Cujus rei cultum, quum monſtraret Liber, ut perpetua inventorum eſſet gloria, conſtituit, ut ab Oeneo οἶνος appella-*

appellaretur vinum, à Staphylo uva σαφυλη. Euſeb. Dionyſium quendam ponit Deucalionis filium, antiquiorem illo Semele nato, quem in Atticam terram veniſſe dicit, & ab eo vitem inventam: ejusq; hoſpitem nominat Semacum, cujus filia capreæ pellem donavit, ſed id Cecrope adhuc rege. Eubolus tamen ante Cecropem tradit, quàm vinum ſit repertum, & homines in ſacrificiis aqua pro vino uſos.

f Tunc Apollini Delphico inſtituti ſunt ludi.] *Euſeb idem in eadem tempora conjicit templi Apollinis Delii conſtructionem, à filio Cecropis Erichthone factam. Ludi Apollini ſacri, quum alii erant multi in Græcia, tum in primis celebrati duo Actii in Acarnania Apollini Actio, quibus præerant Lacedæmonii, tum nobiles tota Græcia: Delphici in Phocide, qui dicebantur Pythia, & celebrabantur octavo quoque anno, ut ſcribit Cenſorinus. Plutarch. in Quæſt. ait: Delphos tres agere enneatrides, hoc eſt, novennales ludos. Quarum unam vocant Stephaterium, alteram Heroidem, tertiam Chorilam. Verum de inſtitutione certaminum non convenit. Interpres quidam Pindari in Pythiis ſcribit, duplicia eſſe Pythia, quod & teſtatur Strabo: antiquiſſima inventa ſunt ab Apolline ipſo Pythone ſerpente occiſo: in quibus victores ferunt heroes, Caſtor, Pollux, Peleus, Hercules, Telamon: qui omnes lauro ſunt coronati. Recentiorem agonem, Pythium conſtituerunt Amphyctiones conſilium Græciæ, poſtquam Cirrhæos execratos, adjutore Eurylocho Theſſalo, vicerunt temporibus Solonis, cujus belli meminit Æſchines contra Cteſiphontem.*

g Quod ejus fructus inventricem Minervam.] *Hanc non tam olei putant inventricem, quàm oleæ. ſic Verg.*

Oleæque Minerva inventrix.

Nam Plin. lib. 7. Oleum & trapetas Ariſtæi Athenienſis inventum facit ejusdem, cujus ſunt & mella: quin etiam & vinum, ut placet Ariſtoteli, qui eum doctum hominem facit, & à Muſis educatum, etſi Diodorus olei exprimendi rationem ex Minervæ artibus, quas homines docuit, eſſe dicit. Oleam verò Minervæ eſſe ſacram, omnes perhibent, ut laurum Apollini, & eſculum Jovi, & Veneri myrtum, & populum Alcidæ, ſicut inquit Virg. Plin. lib. 16. manere adhuc ætate ſua tradit oleam illam Athenis, quam in certamine edidit Minerva. Olea coronantur Athenis victores. Unde mos Romanis in minoribus triumphis, quas ovationes nominant, olea & myrto redimere caput, & turmæ equitum Calendis Quintilibus olea coronantur, in Olympia victores oleaſtro: durareq; ſcribit Plinius etiam memoria ſua oleaſtrum in Olympia, quo Hercules ibi coronatus eſt.

h A Rege Cretenſium Xantho.] *Hunc Xanthum puto, quem Diod. lib. 5. Aſterium nominat ex minoribus Deucalionis: nam hujus filius fuit Helenus, à quo Dorus progenitus, ab hoc Tectamus, qui cum Pelaſgis & Æolibus in Cretam navigavit, ibi rex Aſtrium genuit. quo rege narrant contigiſſe raptum Europæ, quæ ex Jove tres filios, Minoem, Rhadamanthum & Sarpedonem peperit, quos Aſterius, quum prolibus careret, eorumq; matrem Europam in conjugem accepiſſet, adoptavit. Euſeb. Aſterium hunc tres illos genuiſſe perhibet. Strabo aliter, qui Deucalionis filium dicit Hellenem, hujus filios Dorum & Xuthum, qui ducta Creuſa Erechthei filia Colonos in Quadripolin Attica terra deduxit, Oenoam, Marathonem, Probalynthum, & Tricori-*

thum, cum quo Joannes Grammaticus ſentit περὶ διαλέκτων, qui tertium filium Helleni addit Æolum, à quo lingua Æolica, ut à Doro Dorica, idq́ eſt veroſimilius. Nam octoginta tantùm anni computantur inter Deucalionis inundationem & raptum Europæ, nempe à triceſimo Cecropis ad xl. Erichthonii. Alii Græci non Helleni filios dicunt Dorum & Xuthum, ſed Æoli, qui Creuſam in matrimonio habuerit. Ab hujus verò Xanthi filio Ione dicta eſt Ionia, quæ prius Ægialia. Is enim colonos Athenien. duxit in duodecim Aſiæ civitates ex Apollinis reſponſo, ut Vitruvius tradit, qui in hoc negotio patrem Xanthum cum filio conjungit, ſed filii nomine vocatam eſſe regionem conſtat. Erat Athenis βοηδρομεία feſtum q. accurſus ad ferendam opem, id enim eſt βοηδρομεῖν, quòd cum belligerarent cum Eumolpo, Neptuni filio, Xanthus magna celeritate Athenienſibus ſuppetias tulit. Propter quod in generum eſt aſcitus ab Erechtheo rege. Hunc putant, Aſterium eſſe & Xanthum: nam Xuthus & Xanthus indifferenter ponuntur: & hinc jus regni Athenienſis, quod Androgeus, Minois filius Xanthi nepos, ab Ægeo Theſei patre repetebat. Eo Androgeo inſidiis Ægei ſublato, Minos bellum intulit Athenienſibus cum diris execrationibus, quæ Athenienſes ita afflixerunt, ut ſingulis annis ſeptenos pueros & totidem virgines Minoi pendere cogerentur. Aſterii cujusdam meminit Orpheus, quem dicit cum Argonautis navigaſſe, ſed alterius ab hoc, nempe Amphionis fratris.

i Rapta perhibetur Europa.] *Agenoris filia ex Sidone Phœnicia à prædonibus dicitur rapta vectaq́ in Cretam navi, cujus inſigne erat taurus albus, de cujus nomine ferunt tertiam orbis partem, hanc, quam nos incolimus, eſſe dictam. Herodotus Creſenſes Græcos fuiſſe raptores ſcribit, ut raptum Jus, quam ceperant, Phœnices vindicarent. Paridem quoque, ut Aſianos ulciſceretur, Helenam rapuiſſe, & hinc initium malorum, Palæphatus Parius ſic narrat, fuiſſe Gnoſium quendam virum Taurum nomine, hunc cùm bellum Tyriæ regioni faceret, & alias rapuiſſe virgines, & Europam phœnicis filiam è Tyro: unde nata ſit fabula. Græci ex eo Jovis & Europæ concubitu, ne fruſtrà fuerit carnium, ajunt, eſſe progenitum adamatum ab Apolline: unde ſunt apud Lacedæmonios feriæ Apollinis Carnii, authore Praxilla.*

k Rhadam.] *Hic leges dicitur dediſſe Cretenſibus, & judex inducitur apud inferos à fabulatoribus. Ho. ξάνθον nominat, hoc eſt, ſeu flavum, ſeu pulchrum. Puto quoque & ipſum patrem ſignificare, & ſi alios quoque pulchros ξάνθους nominat. Plato in Georg. Rhadamanthum Æginæ fuiſſe filium opinatur ab Aſopo genita, quæ ex Jove Æacum peperit, nomenq́ dedit inſulæ Græca.*

l Sarpedon.] *Hunc Homerus Iliad. 11. non Europa, ſed Laodomia Bellerophontis filia & Jove natum dicit, qui in Cilicia regnavit, ubi promontorium eſt Serpedon finis regni ejus, autore Mela. Vulgatior fama eſt, in lycia ditionem habuiſſe, & ſic Strabo ſentit lib. 12. qui ſcribit, Sarpedonem ex Creta colonos in eam regionem deduxiſſe, quā poſtea Lycem Pandionis filius de ſe vocavit, cùm antea Mynia dicerentur, ac poſt etiam Solymi, tametſi eos populos Homerus ſeparat. Porrò Sarpedon bello Trojano à Menelao eſt interfectus multum dolente Jove, nec valente ſervare filium contra decretum fatorum.*

m Et

m Et Minos.] *Rex fuit & legumlator Cretenſium, qui Minoem minorem genuit, quem nonnulli Jovis filium fuiſſe autumant, ut perhibet Diodo. l. 5.*

n Hercules in Tyria.] *Aliter in Syria, ſed Tyros, quæ eſt urbs Phœnicia, in Syria quoque eſt, ut Phœnicia ipſa, patet enim latiſſimè Syria, ut dixi: nec tamen dicendum eſt Tyria, ſed Tyro. Verùm Hercules Cicero 3. de nat. Deorum ſex fuiſſe dicit, ut recenſui. Euſebius in hac tempora rejicit Herculem cognomento Delphinam, qui claruit in Phœnice: Sed ſi hic eſt Hercules, qui in Oeta combuſtus eſt, Hercules Argivus erit, & legendum erit in Auguſtino non Syria, neque Tyria, neque Tyro, ſed Tyrinthia, quæ eſt urbs in Peloponneſo prope Argos, in qua educatus eſt Hercules, qui Argivus dicitur. Unde & nominatur Tyrinthius, quem in Italiam veniſſe, & monſtra domuiſſe, ſcriptores tradunt. Quanquam hunc, qui ad Gades Herculis pervenit, Philoſtratus lib. 2. Ægyptium Herculem fuiſſe contendit. Sic enim ait,* ὅθεν δηλεῖται μὴ τὸν Θηβαῖον Ἡρακλέα, τὸν καὶ αἰγύπτιον ἐπὶ τὰ Γάδειρα ἐλθεῖν, καὶ ὅρους θέσθαι τῆς γῆς. *Unde manifeſtum ſit, inquit, non Thebanum Herculem, ſed Ægyptum ad Gades perveniſſe, & ibi finem ſtatuiſſe terræ.*

o Inter quæ Antæi Afri.] *Antæus Terræ filius fuit, habitavitq; oppidum Tingem, in Mauritania, quæ ab eo dicta eſt Tingitana, freto & Hiſpaniæ objecta. Extare dicit Mela rei ſignum, parmam elephantino tergore execto ingentem, & ob magnitudinem nulli nunc uſuro habilem, quam locorum accolæ ab illo geſtatam pro vero habent, traduntq; & inde eximiè colunt: eſt collis in ea terra modicus, re ſupini hominis imago jacentis: illius, ut incolæ ferunt, tumulus. Unde, ubi aliqua pars exuta eſt, ſolent imbres ſpargi, & donec effoſſa repleantur, eveniunt. Victoriam Herculis de Antæo Euſebius in priora refert tempora, & ad primum Herculem, à quo tradit victum Anthæum luctæ certamine. Nec Ver. inter facinora Herculis, qui in Italiam venit, meminit Antæi. Ovid. tamen, Claudianus & alii omnia omnium Herculum facta, uni Herculi poſtremo, Jovis & Alcmenæ filio attribuunt.*

p In Oeta monte.] *Hic eſt in Macedonia. Mela: Hic noviſſimè calcatum Grajo Herculi ſolum, ſaltus Oeteus. De hac Herculis in Oeta morte pleni ſunt Græcorum & Latinorum libri, nihil penè eſt nobilius.*

q A ſeipſo incen.] *Cum atra bili laboraret, & puſtulis. Ejus morbi meminit in Problem. Ariſt. de ingeniis loquens: quod & Politianus in Centuriis annotavit. Feſtus ſcribit, Herculem aſtrologum fuiſſe, qui eo ſe flammis injecit die, quo ſolis erat obſcuritas futura, ut opinio ſuæ divinitatis confirmaretur. Didicerat enim eam artem ab Atlante in Libya: cumq; ſpheram ab eodem datam Græcis oſtendiſſet, ſtupidis animis omnia trahentibus ad fabulam, argumentum dedit fingendi, Herculem in cœlo ſuſtinendo Atlanti feſſo jam ſucceſſiſſe.*

r Buſiris.] *Euſeb. ſequitur, Buſiris rex Ægypti fuit, qui Buſirim urbem condidit, & Nomon loco importuoſo, & inhoſpitali, unde initium fabulæ, quòd occiderit hoſpites. Nam bubulci, qui eo loco tenent paſcua, ſuis gregibus appulſos hoſpites, ſi imbecilliores ſint, ſpoliant. Aliam rationem fabulæ affert Diodo. lib. 2. cùm Typhon, qui Oſiridem fratrem interemit, ruffus eſſet, ut melius placaretur Oſiris magnus Deus, inſtitutum boves ruffos, homines etiam ruffos ad ejus ſepulchrum immolari. Hac de cau-*

ſa, cum pauci rufi Ægyptii reperirentur, externi complures. Hæc res, inquit, materiam fabulandi Græcis dedit, Buſiridem hoſpites necaſſe, ſed ea crudelitate Oſiridis ſepulchrum notatum eſt. Euſebius Buſiridem latrocinia exercuiſſe ait, quem Hercules occidit, totamq́; eam regionem ex infeſta pacatam tranquillamq́; reddidit. Non dubium, quin Hercules Ægyptius.

ſ Erichthonii regis Athenien.] *Pauſanias Amphyctionem ſcribit regno deturbatum conjuratione Erichthonii, cujus patrem mortalium nullum fuiſſe putant: progenitum verò ex Vulcano & terra.*

t Sed quoniam Minervam virginem volunt.] *Jupiter, cùm Minervam, quam in capite gerebat, parturiret, implorata Vulcani ſecuri juſſit ſibi caput ſindi. Unde ſubitò orta eſt Minerva virga armata, ſaltitans. Hanc in mercedem illius velut obſtetricatus, ſeu quòd arma Jovi feciſſet, & diis cum gigantibus pugnaturis, conjugem ſibi Vulcanus depoſcit, eamq́; rem totam Jupiter arbitrio detulit puellæ, quæ viro negavit ſe ulli nupturam. Cùmq́; permiſſu Jovis Vulcanus, ut eam vellet cogere, excitata natura, ſemen effudit in terram, quod pudibunda Pallas terra operuit, unde Erichthonius eſt natus, quem anguinis fuiſſe pedibus, memoriæ traditum eſt, ideò currus inveniſſe, ut deformitatem corporis celaret. Verg. 3. Georg.*

> *Primus Erichthonius currus & quatuor auſus*
> *Jungere equos, rapidisq́; rotis inſiſtere victor.*

Ubi Servius ſimili ſententia, qua nos, fabulam refert. Higinius lib. 2. Hiſt. cæleſt. ſcribit, Jovem novum Erichthonii commentum admiratum illum in cælum tranſtuliſſe, vocariq́; ἡνίοχον, id eſt, aurigam ſtellis ſeptem ad circulum æſtivum & lacteum orbem. Sed Erichthonius, inquit, quadrigas, ut antè diximus, & ſacriſicium Minervæ, & templum in arce Athenien. *primus inſtituit.*

u Quia in templo Vulcani.] *Pauſanias in* Atticis: *Supra Ceramicum & Stoam Baſileum dictam, templum eſt Vulcano ſacrum, in quo & ſignum eſt Minervæ: quæ res occaſionem præbuit fabulæ Erichthonii. Fuit & una ex Minervis, quæ ex Vulcano* Apollinem *genuit, in cujus* Apollinis *tutela ſunt* Athenæ.

x Puer dracone involutus.] *Hinc quod fictum eſt de anguinis pedibus, Ovidius 2. Met. fabulam narrat, quemadmodum Minerva dederit cuſtodiendum Erichthonium ciſta viminea clauſum filiabus Cecropis, monitis prius, ne curioſè, quid incluſum eſſet, inquirerent, ipſas eo magis arſiſſe cupiditate videndi, ita detectum puerum reſolutis ciſtæ nodis, vidiſſe cubantem unà draconem. Pauſanias Pandroſum deæ paruiſſe narrat, reliquas duas retexiſſe, ideò in furorem verſas, ex arcis loco maximè præcipiti dejeciſſe ſe.*

y Ubi etiam ſi fabula.] *Alibi ſic, Ubi & ſi fabula cantat crimen numinum falſum, delectari tamen falſo crimine, crimen eſt.*

B.L. Cap. *a* NAm & Lupercorum.] *Luperci ſacerdotes erant Panos paſtorum Dei, qui Lupercalium die nudi per urbem curſitabant, prægnantiumque mulierum manus uterosque caprina pelle feriebant, qua re & fœcunditatem & facilem partum fieri putabant. Dicti creduntur* Luperci *à* Pane *paſtorũ Deo, cui ſacra faciebãt in Lupercali. Græci enim* Pana *vocãt* Lycæũ, *deducto nomine ἀπὸ τοῦ λύκου, hoc e. à* Lupo, quod

oves

oves à Lupis tueri credebatur, *vel à Lycæo, Arcadiæ mõte, in quo Pã colebatur. Ovid. 2. Faſtorum.*

Quid vetat Arcadiæ dictos de monte Lupercos
Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.

Lupercalia ſacra ab initio Novembris celebrari ſolita ſcribit Lazius lib. 11. comment. reipub. Rom. cap. 5. ad mitigandos lupos, ne pecoribus obeſſent. Sunt enim in tempore, nive & gelu ingruentibus, ſæviſſimi & maxime famelici: Alii verò *menſe Februario fieri ſolita à Lupercis in honorem Panis Dei, Paſtorum, nempe quintodecimo Kalend. Februar. Ita docet Feneſtella lib. de ſacerdotiis Romanorum cap. 1. ex Ovidio in Faſtis, & Plutarchus in Romulo. De Lupercorum & Lupercalium origine & ſacris plura Onuphrius Panvinius in civitate Romana, Alexander ab Alexan. libr. 4. genial. dier. cap. 12. Lazius lib. 10. commentariorum reipub. Rom. cap. 9. Feneſtella cap. 1. lib. de ſacerdot. Romano. Ovidius 2. Faſtor. Juſtinus lib. 43. Plutarchus problem 67. Dionyſius lib. 2. Livius lib. 1. Hæc ſacra Romæ usque ad Anaſtaſii Imperatoris tempora perduraverunt, regnante in Italia Theodorico Amalo, Gothorum rege, authore Gelaſio Papa, circiter annum Chriſti 495. reclamantibus ſuperſtitioſis quibusdam Romanis, omnino abolita ſunt, fierique amplius prohibita.*

β Per ſacram viam aſcenſum atque deſcenſum.] *Vocat aſcenſum atque deſcenſum, quod acclivis eſſet hæc via.*

γ Vitem ferunt oſtendiſſe.] πολυστάφυλος *Homero dicitur i. e.* Uvis abundans, *& Pindaro* δημήτερος πάρεδρος; *in deorum numerum fortaſſe relatus, quod vini uſum primus ſingatur hominibus oſtendiſſe. Lactantius lib. 1. cap. 18.* Nomen Deorum Cereri ac Libero traditio munerum fecit: *Arnobius lib. 1. contra Gentes.* Si enim vos Liberum, quod uſum repererit vini, ſi quod panis Cererem, ſi Æſculapium, quod herbarum, ſi Minervam, quod oleæ, ſi Triptolemum, quod aratri, ſi denique Herculem, quod feras, quod fures, quod multiplicium capitum ſuperavit compeſcuitque natrices, divorum retuliſtis in cœtum, honoribus quantis afficiendus eſt nobis, qui ab erroribus non magis inviſitata veritate traduxit? *primum omnium Narceum Libero patri honores decreviſſe divinos author Pauſanias libr. 5. vites, vini uſum atque cæterarum arborum fructus Dionyſium inveniſſe, author eſt Diodorus lib. 4. ubi dicit, Dionyſium orbem cum exercitu perambulantem & vitem plantare & ex racemis vinum torculari, ex quo ipſum appellant Lenæum, educere monſtraſſe. Virgilius etiam hunc vitium & reliquarum arborum inventorem fuiſſe videtur aſſerere cum de vitibus & aliis arboribus ſcripturus ſtatim initio libri primi Georg. dixit.* Nunc te Bacche canam------

Quis fuerit hic Dionyſius ſeu Liber pater, dubitat Arrianus lib. 5. Hoc, *inquit,* tantum cenſuerim quæ de Diis veteres fabulis conſcripſere, non eſſe nimium curioſe perveſtiganda, οὐκ ἀκριβῆ ἐξέτασιν χρὴ εἶναι τῶν ὑπὲρ τοῦ θείου ἐκ παλαιοῦ μεμυθευμένων. *Lib. 7. dicit, Arabas duos præcipuè Deos coluiſſe, Cœlum ſcilicet & Dionyſium. Cœlum quidem, quod cum reliqua aſtra, tum Solem in ſe continere videretur, à quo plurima maniſeſtiſſimaque ad omnes humanos uſus commoda manarent. Dionyſium verò ob famam ducti in indos exercitus.*

δ A Rege Xantho Cretenſium.] *Hunc alii Aſterium nominant; Euſebius in*

Chronicis. Hic Europam Agenoris filiam duxit uxorem, ex qua procreavit Rhadamantum, Sarpedonem & Minoem, vel potius rex illos Jove editos in ſuos adoptavit: nam prius Europa à Jove devirginata fuerat, quàm Xantho in matrimonium jungeretur. *Apollodorus libr. 3. de deorum origine Agenorem ex Telephaſſa conjuge Europam filiam, & Cadmum Phœnicemque & Cilicem dicit ſuſtuliſſe: ſunt qui Europam non Agenoris, ſed Phœnicis filiam eſſe affirment. Hujus amore captus periit Jupiter, nec non Taurus per medium mare navigat, qui ubi ſeſe puellæ mitem cicuremque præbuit, inde tauri dorſo illam impoſitam velut prædam pelago avexit in Cretam, eamque inibi à Jove compreſſam Minoem, Sarpedonem ac Rhademantum peperiſſe, Theodoretus ſerm. 3. cont. Græcos,* καὶ τὴν Εὐρώπην δὲ ἐπὶ τοῦ Ταύρου καθημένην καὶ οἱ ζωγράφοι γράφουσιν, καὶ οἱ χαλκοτύποι διαπλάττουσιν, καὶ διαγλύφουσιν οἱ τῶν ἀγαλμάτων δημιουργοί.

ε Plures fuiſſe dicuntur & Liberi Patres, & Hercules.] *Cicero lib. 3. de natur. deor. vide etiam Cœlium Rhodiginum libr. 6. Lectio. antiquar. cap. 7. Arnobius lib. 4.* Ajunt Theologi veſtri, Dionyſios eſſe quinque, ter binos Hercules. *Varro 44. Hercules recenſuit.*

ζ Cujus ingentia duodecim facta numerant.] *Duodecim certamina ſeu labores Herculis commemorantur tum à Poetis ethnicis, tum etiam à Diodoro Siculo lib. 4. cap. 2. Apollodoro lib. 2. de deor. origine, Clemente Alexand. lib. 5.* στρωμ. *Euſeb. lib. 3. de præparat. Evang. cap. 4. Boetio de conſolatione philoſophiæ lib. 4. met. 7. Quædam etiam recenſentur à Tertulliano lib. de pallio, à Lactantio lib. 1. cap. 9.*

η Inter quæ Antæi Afri.] *Euſebius etiam in Chronico luctam cum Antæo Gigante attribuit Herculi Ægyptio, non Alcmenæ filio.* Antæus ille Neptuni filius Lybiæ præerat, qui peregrinos ſecum palæſtra dimicare compellens occidebat. Hercules itaque Lybiam percurrens cum eo luctari coactus ſublimem illum è terra ulnis elatum interemit. Si enim terram contigiſſet, robuſtiſſimus evadebat: quapropter hunc terræ filium nonnulli dixerunt: *Apollodorus lib. 2. de Orig. deor. Euſebius in Chroni.* Dicitur Antæus terræ filius, quia ſolorum palæſtricæ artis certaminum, quæ in terra exercentur, ſcientiſſimus erat, & ob id videbatur, à matre terra adjuvari. *Ovidius, Claudianus, Apollodorus & alii omnia omnium Herculum certamina uni Herculi Thebano Jovis & Alcmenæ filio tribuunt.*

θ In Oeta monte à ſe ipſo incenſum.] *Sextum hunc Herculem Cicero nominat. Diodorus Siculus libr. 4. è tribus ſecundum; de interitu ejus &* ἀποθεώσει *Ovidius lib. 9. metamorph. recenſet Lactantius lib. 1. cap. 9. Arnobius lib. 1. contra Gentes hunc nominat Thebanum,* Cum Tyrius Hercules ſit in finibus Hiſpaniæ ſepultus, *& lib. 4.* Plutarchus, *inquit,* in Oetis verticibus Herculem poſt comitialium morborum ruinas diſſolutum in cinerem prodidit: *Clemens Alexand. in exhortat. ad Gentes,* Hercules cum duos & quinquaginta annos vixiſſet, & vita exceſſit per eam, quæ fuit in Oeta pyram, juſtis illi factis exequiis. *Claudianus in conſulatum Honorii,*

Juga

------ Juga deſeris Oetes
Herculeo damnata rogo

Minutius in Octavio; Hercules ut hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur; *quæ eadem exſtant apud D. Cyprianum lib. de Idolor. vanitate. Theodoretus ſerm. 3.* θεραπευτ. Herculem Græci teſtantur ſtructis ab uxore Dei aniræ inſidiis ipſum ſibi læthale incendium intuliſſe, eoque pacto vita exceſſiſſe, *& ſermo 8.* ὁμόζυγα γὰρ ἔχων Ἡρακλῆς τὴν Δηιάνειραν ξυνήφθη καὶ ἄλλῃ δι᾽ ἔρωτα· ὑπὸ δὲ τῆς προτέρας παρὰ γνώμην ἐπεβουλεύθη. ἐρωτικὸν γὰρ αὐτὴ κατασκευάσασα φάρμακον καὶ χρίσασα τοῦ αἵματος τὸν χιτῶνα πέπεμφεν ἡττηκότι, καὶ ἤλπισε τε ἀχέ-νειν πρὸς ἑαυτὴν διήμαρτε δὲ ὧν ἤλπισεν. ἐκ θερμῆναι γὰρ τὸ ἐκεῖνο φάρμακον τοῦ Ἡρακλέους τὸ σῶμα παγχαλέπῳ περιέβαλε νόσῳ· ὁ δὲ ἀλγυνόμενος καὶ μὴ φέρων τὸ πάθος, πυρὰν νήσας καὶ ἑαυτὸν τὸ καθεὶς τοῦ βίου τὸ τέλος ἐδέξατο. *Decidet nimirum Græcos, qui talem hominem in Deos adſcripſerunt, quod & Tertullianus facit in Apologet. cap. 15.*

ι Erichtonii regis Athenienſium.] *Sextus Athenienſium rex, qui regnavit annis 50. Amphione expulſo, Apollodorus lib. 3. Pauſanias lib. 1. ab Homero Erichtheus dictus.*

κ In amborum contentione Vulcanum commotum.] *Cum Vulcanus arma Diis feciſſet, eique Jupiter optionem dediſſet præmii, quod vellet, poſtulandi, juraſſetque per infernam paludem, ſe nihil ei negaturum, tum Faber claudus Minervæ nuptias poſtulavit. Jupiter tanta religione obſtrictus, abjicere non potuit. Minervam tamen monuit repugnare, pudicitiamque defendere. Tum in illa colluctatione Vulcanum ajunt in terram ſemen profudiſſe, unde ſit Erichthion natus, idque nomen ſit illi impoſitum* ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονός. *Refert Servius in 3. Georg. Lactantius lib. 1. c. 17. Apollodorus lib. 3. Pauſanias lib. 1. Tertull. lib. de ſpectaculis cap. 9.* Ericthonius Vulcani & Minervæ filius, & quidem de caduca in terrā libidine portentum eſt dæmonicum, imò diabolus ipſe non coluber: *alludit ad fabulam, qua natus fertur draconteis pedibus, unde ad tegendam pedum fœditatem junctis equis uſus dicitur curru.*

CAP. XIII.

Qualium fabularum figmenta ſint eo tempore, quo Hebræis judices præeſſe cœperunt.

POſt mortem Jeſu Nave, populus Dei judices habuit, quibus temporibus alternaverunt apud eos, & humilitates laborum pro eorum peccatis, & proſperitates conſolationum propter miſerationem Dei. *a* His temporibus fabulæ fictæ ſunt α de Triptolemo: qui jubente Cerere, anguibus portatus alitibus, indigentibus terris frumenta volando contulerit. *b* β De Minotauro quòd beſtia fuerit incluſa *c* labyrintho: quò cùm intraſſent homines, inextricabili errore, inde exire non poterant. *d* γ De Centauris quòd equorum hominumque fuerit natura conjuncta. *e* δ De Cerbero, quòd ſit triceps inferorum canis. *f* ε De Phryxo & Helle ejus ſorore, quòd vecti ariete volaverint.

verint. *g* ζ De Gorgone, quod fuerit crinita ſerpentibus, & aſpicientes convertebat in lapides. η *h* De Bellorophonte, quòd equo pennis volante ſit vectus, qui equus Pegaſus dictus eſt. *i* θ De Amphione, quod citharæ ſuavitate lapides mulſerit & attraxerit. *k* ι De fabro Dædalo & ejus filio Icaro, quòd ſibi coaptatis pennis volaverint. κ *l* De Oedipo, qui monſtrum quoddam, quod ſphinga dicebatur, humana facie, quadrupes, ſoluta quæ ab illa proponi ſolebat velut inſolubili quæſtione, ſuo præcipitio perire compulerit. λ De Antæo, quem necavit Hercules, quòd filius terræ fuerit, propter quod cadens in terram fortior ſoleret aſſurgere. Et ſi quæ fortè alia prætermiſi. Hæ fabulæ ad bellum usque Trojanum, ubi ſecundum librum M. Varro de populi Rom. gente finit, *ll* ex occaſione hiſtoriarum, quæ res veraciter geſtas continet, ita ſunt ingeniis hominum fictæ ut non ſint opprobriis numinum affixæ. Porrò autem quicunque finxerunt à Jove *m* ad ſtuprum ruptum μ pulcherrimum puerum Ganymedem, ν quod nefas rex Tantalus fecit, & Jovi fabula tribuit, *n* ξ vel Danaes per imbrem aureum appetiſſe concubitum, ubi intelligitur pudicitia mulieris auro fuiſſe corrupta, quæ illis temporibus vel facta, vel ficta ſunt, aut facta ab aliis, & ficta de Jove, dici non poteſt, quantum mali de hominum præſumpſerunt cordibus, quod poſſent iſta patienter ferre mendacia, quæ tamen etiam libenter amplexi ſunt: qui utique quanto devotius Jovem colunt, tanto eos qui hæc de illo dicere auſi ſunt, ſeverius punire debuerunt. Nunc verò non ſolùm eis, qui iſta finxerunt, irati non ſunt, ſed niſi talia figmenta etiam in theatris agerent, ipſos deos potiùs iratos habere timuerunt. His temporibus *o* Latona peperit Apollinem, non illum cujus oracula ſolere conſuli ſuperius loquebamur, ſed illum, quem cum Hercule ferunt ο Admeti regis armenta paviſſe: qui tamen ſic eſt deus creditus, ut plurimi, ac penè omnes unum eundemque Apollinem fuiſſe opinentur. tunc *p* & Liber pater appellavit in India, qui multas habuit in exercitu fœminas, quæ Bacchæ appellatæ ſunt, non tàm virtute nobiles, quàm furore. Aliqui *q* ſanè victum ſcribunt iſtum Liberum & vinctum: nonnulli & occiſum in pugna à Perſeo, nec ubi fuerit ſepultus, tacent, & tamen ejus velut Dei nomine per immundos dæmones π Bacchanalia ſacra, vel potiùs ſacrilegia ſunt inſtituta. De quorum rabioſa turpitudine poſt tam multos annos ſic ϱ ſenatus erubuit, ut in urbe Roma eſſe prohiberet. Per ea tempora *r* σ Perſeus & uxor ejus Andromeda poſtea, quàm ſunt mortui, ſic eos in cœlum receptos eſſe crediderunt, ut imagines eorum ſtellis deſignare, eorumque appellare nominibus non erubeſcerent, *ſ* nec timerent.

L. Vives. Triptolemus. *a* His temporibus fabulæ fictæ ſunt de Triptolemo.] *Hujus origo eſt incerta. Ovidius illi genus dat ignobile, refertq́ ex pratenui natum muliercula, imbecille, in infantia valetudinis: quæ mulier, cùm errantem Cererem hoſpitio accepiſſet, beneficio deæ filium firmiorem recepit. Lactantius verò Eleuſii Eleuſis regis & Hiones filium facit, redditumq́ immortalem à Cerere hoſpitio patris ſuſce-*

pta alitum interdiu divino deæ lacte, per noctem verò igne tectum obrutumque. Servius non Eleuſium patrem, ſed Celeum dicit: Euſebius alienum à Celeo Triptolemum putat: Regnante, inquit, in Eleuſi, quæ eſt Atticæ terræ civitas Celeo, appulit illuc Triptolemus longa navi vectus. Atticorum ea fuit vulgaris opinio Celei filium fuiſſe. Argivi non Celei, ſed Trochili Hierophante, qui Argis propter inimicitias cum Agenore Argivo rege fugiens in Eleuſim Atticæ terræ venerit, ubi ducta uxore Triptolemum genuerit, & Eubolea. Sunt, qui Oceani & terræ filium fuiſſe autument, quam ferunt fuiſſe Muſæi ſententiam: fuiſſe verò Eubolem & Triptolemum Dyſaulis, ea eſt Orphei. Chœrilus Athenienſis Rharum dat Triptolemo patrem, matrem verò filiam quandam Amphictyonis. Diodorus Herculem patrem & Philei Theſprotum regis filiam matrem. Ceterùm huic Triptolemo volunt fruges à Cerere datas, eumq́; conſcenſo curru, quem alati per aëra vehebant ſerpentes, unius quemadmodum Higinus ait, rotæ, ne curſum moraretur, fruges orbi diſtribuiſſe, primumq́; Pharium agrum, qui eſt juxta Eleuſim, ſemina accepiſſe, & reddidiſſe fructum: ideo ex eo agro tuberes legebantur, ex quibus bellaria confici ſolita erant in ſacrificiorum uſum: ibi & area Triptolemi fuit, & ara. Qui ſe rem veram huius fabulæ exiſtimant afferre, cum Euſebio videntur conſentire. Nam Triptolemum ſcribunt Eleuſii filium fuiſſe Eleuſina regem, quem ſterilitate anni populum ſuis frugibus aluiſſe perhibent. Idem cùm Triptolemus ſimili tempore præſtare non poſſet, veritus popularem iram ac tumultum, longa navi, cujus ſerpens erat inſigne, ex patria fugit, & aliquandiu peregrinatus rediit, cum maxima frumenti copia. pulſoq́; Celeo, qui eo abſente regnum ibi occuparat, frumenta diſtribuit, populumq́; arare, & ſerere docuit. Hinc Cereris alumnus nuncupatus. Sunt qui non Celeum pepuliſſe, ſed Lyncum tradunt, à quo inſidiis impetitus fuerat. Hunc Lyncum Ovidius Scythiæ regem facit, quem Ceres, quòd Triptolemum occidere tentaſſet, ex Lynco homine lyncem animal fecit.

b De Minotauro.] *Paſiphae Solis filia Minoi Cretæ regi denupſit, quo bellum in Megarenſes, & Athenienſes gerente ob Androgei necem, & quòd regnum ad ſe jure ſpectare diceret, uxor infando tauri amore incenſa eſt, cui à Dædalo fabro ſtructa eſt machinula, qua ſpecie buculæ cum tauro poſſet concumbere. Hinc natus Minotaurus, qui carnibus humanis veſcebatur. Horum amorum autor fuit Venus, ut ſcribit Servius. Nam judicato à Sole adulterio Martis & Veneris, Vulcanus minutiſſimis catenis lectulum cinxit, quibus Venus & Mars ignorantes implicati ſunt, & cum ingenti turpitudine reſoluti ſub teſtimonio cunctorum deorum. Hoc dolens Venus, omnem ſolis ſtirpem infandis amoribus proſecuta eſt. Unde natus Taurus, quem Minois dicunt, μινωτοῦ ἔργον. Pauſanias, ἐς ἢ λεγομένη Θησέως μάχη πρὸς τὸν ταῦρον τὸν μινω καλούμενον. Eſt enim μίνω genitivus Atticus. Servius hunc taurum non beſtiam, ſed hominem fuiſſe narrat, ſeu notarium, ſeu magiſtrum militum Minois, cum quo Paſiphae in domo Dædali concubuit, & quoniam geminos peperit, unum de Minoe, alterum de Tauro, fingitur Minotaurum peperiſſe: quod Vergilius exprimit dicens:* Minotaurus.

Mixtumq́; genus, prolemq́; biformem.

Euripides media ex parte virum, & media taurum fuiſſe arbitratus eſt. Plutarchus in Theſeo Taurum hunc ducem copiarum Minois, ſive navali prælio, ſive gymnico certamine oppreſſum eſſe à Theſeo, narrat, quod Minos non invitus accepit. Nam erat Taurus homo ſævo & immiti ingenio, rumorq́; erat conſtans, eum rem habere cum Paſiphaë: quocirca puero omnes Atticos Minos Theſeo reddidit, qui tributi nomine quotannis in Cretam mittebantur, & eo tributo Athenienſ. in poſterum liberavit. Palephatus Parius Taurum adoleſcentem formoſum fuiſſe ſcribit, Minois comitem, cujus amore capta Paſiphaë, cum eo concubuerit, unde natus ſit infans, quem Minos, cùm tamen rem cognoſceret, noluerit occidere fratrem filiorum ſuorum: cumq́; adoleſſet & ſe inſolentius in paſtores gereret, juſſit eum rex comprehendi. Is verò effodit locum ſubterraneum, in quo ſe eſt tutatus. Illuc deinde rex miſit facinoris alicujus convictos, ut cum eo pugnarent. Locus erat inexpugnabilis, ita ſupplicio afficiebantur damnati, ut locus vice eſſet carceris, & ille pro carnifice. Theſeum hoſtem cùm cœpiſſet Minos, eodem inermem miſit. Ariadne gladium illi ſuggeſſit carcerem intranti, quo Minotaurum confecit.

Labyrinthus. c Labyrintho.] *Labyrinthus ædificium eſt meatibus variis & ambagibus, ſinuoſum, & in ſe reflexum, quod ingreſſis errorem parit. Tales in orbe fuerunt quatuor. Ægyptius in Heracleopolite nomo, prope ſtagnum Mœrin, non procul ab urbe Crocodilorum, ut autor eſt Herodotus, qui ſe eum vidiſſe teſtatur, nec mirum. Adhuc ætate Diodori Siculi, Plinii quoque extabat. Deſcribitur ab ipſis, & Strabone, ac Mela Herodotus majorem ait eſſe fama & Græcorum narrationibus. Pſametici opus fuiſſe Mela ſcribit. Plin. varias ſententias adducit. Nam alii putarunt eſſe Peteſuci, alii Tithois, & eſſe qui regiam fuiſſe Motherudis narrent, ut Demoteles, Lycias ſepulchrum Mœridis, plures ſoli ſacrum id extructum, quod maximè creditur. Ad exemplar hujus Dedalus in Ægypto educatus Cretenſem fecit, Diodoro & Plinio autoribus, ſed centeſimam tantùm Ægyptii partem imitatus, & tamen hunc ambagioſiſſimum fuiſſe, Plinius quoque docet, ut deſcriptionem ejus præteream, apud Ovidium 8. Metam. Sed Philochorus apud Plutarchum labyrinthum Cretæ tantùm putat fuiſſe carcerem, ex quo effugere non poſſent, qui aſſervarentur. cujus ſententia videtur eſſe Palephatus. Tertius fuit Lemnius opus Zmili & Rholi & Theodori architectorum. Plinius extare ejus veſtigia dicit, cùm Cretenſis & Italici nulla extent. Italicus porrò fuit quartus ſub urbe Cluſio, quemadmodum M. Varro dicit, Perſonæ regis Ethruſci monumentum.*

Centauri. d De Centauris.] *Ixion Phlegiæ filius, Martis nepos, quum Junonem adamaſſet, eaque marito Jovi eſſet queſta, Jupiter nubem in ſpecie Junonis deformatam Ixioni ſuppoſuit, cui Ixion commiſtus ex ea Centauros genuit. Hunc Ixionem Theſſaliæ fuiſſe regem conſtat, ubi primus equorum domandorum fuit uſus. Plinius lib. 7. Frænos & ſtrata equorum Peletronius invenit, pugnare ex equo Theſſali, qui Centauri appellati ſunt, habitantes ſecundum Pelium montem. Vergilius non admodum diverſè:*

Fræna Peletronii Lapithæ gyrosq́; dedere

Impo-

Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.
Idem Lucanus in ſexto:
Primus ab æquorea percuſſis cuſpide ſaxis
Theſſalicus ſonipes bellis feralibus omen
Exiluit, primus chalybem frenosq; momordit,
Spumavitq; novis Lapitæ domitoris habenis.

Servius 3. Georg. explicans Vergilii, quem modò citavi locum, ad hunc modum ſcribit: Quidam Theſſalus rex bobus æſtro exagitatis, ſatellites ſuos ad revocandos ire cùm juſſiſſet, illique curſu non ſufficerent, aſcenderent equos, & eorum velocitate boves ſequuti, eos ſtimulis ad tecta revocatur. Sed hi viſi, aut cùm irent velociter, aut eorum, equi cùm circa flumen Peneon potarent, capitibus inclinatis locum fabulæ dederunt, ut Centauri eſſe crederentur. Dictiq; ſunt Centauri ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους. Centaur. *Alii dicunt, Centaurorum fabulam eſſe confictam ad exprimendam humanæ vitæ velocitatem, quia equum conſtat eſſe velociſſimum. Hæc Servius, Palephatus ſic refert: Quum tauri præferoces Lariſſam, & eam Theſſaliæ regionem vaſtarent, Ixion rex præmium propoſuit iis, qui tauros arcerent. Juvenes è Nephele pago quum equos manſuefactos & edoctos conſcendiſſent, nam priùs curribus modo utebantur, tauros abegerunt. Accepta ob hoc pecunia inſolentiores facti injuriis affecerunt, & ipſum Ixiona, & Lariſſæos, qui tum Lapithæ dicebantur, ita ut invitati ad nuptias Pirithoi mulieres eorum raperent. Quæ res præbuit occaſionem fabulæ, quòd Centauri dicantur, quòd ſemiequi, quòd filii Ixionis, quia ab eo miſſi & donati, quòd ex nubibus: nam Nephele eſt nubes. Ipſi quoque Centauri Lapithæ erant: nam Nephele in Lapithis: & ſic diſtinguuntur ut Romani & Latini. De navigatione hac Theſei ſic ſcribit Plato in Phedone: Theſeum profectum in Cretam cum bis ſeptem hominibus, votum ſuſcepiſſe, ſi ipſe ſalvus ſalvos ſuos reduceret, ſingulis annis ſpectaculum Delphos ducturum ad Apollinem: quem morem Athenienſes adhuc ſuo tempore ſervarent, ut ipſam eandem Theſei navem coronatam Delum mitterent: quo toto navigationis tempore quousque ad Piraeum rediit, nefas ſit, quenquam ſupplicio capitali afficere.*

e De Cerbero quòd ſit triceps.] *Cerberus, ut Heſiodus in Theogonia dicit, filius fuit Syphonis ferrea voce, quinquaginta cervicibus monſtrum. Id hoc modo deſcribit Seneca in Hercule furente:*

Poſt hæc avari Ditis apparet domus,
Sævus hic umbras territat Stygius canis,
Qui terna vaſto capita concutiens ſono
Regnum tuetur ſordidum tabo caput
Lambunt colubri, viperis horrent jubæ,
Longusque torta ſibilat cauda draco.
Par ira formæ ſenſit ut motus pedum,
Attollit hirtas angue vibrato comas,
Miſſumque captat aure ſubjecta ſonum,

Sentire & umbras ſolitus.

Hunc canem avarorum naturæ quidam conferunt, ut Bocatius, qui de fabulis non omnino, ut illa ætate ſcripſit infeliciter, Porphyr. verò interpretat. divinorum ait, ſymbolum Sarapidis & Iſidis, hoc eſt, Ditis & Proſerpinæ eſſe cane tricipitem, illum ſcilicet pernicioſiſſimum dæmonem, qui in aqua, terra, & aëre tribus his elementis verſatur. Idem Porphyr. *Cerberum tricipitem eſſe nominatum inquit, quia ſuperiores ſolis regiones tres ſunt ortus, occaſus, meridies. Hunc canem ab Hercule ex inferis ad ſuperos extractum fabulantur. Ideò de re difficili cùm proficitur, aut explicatur, ſolemus dicere, Cerberum è tenebris extractum: aut cùm difficile id volumus ſignificare, non eſſe facile dicimus, Cerberum ab inferis. Sunt qui per Tænarum promontorium Laconiæ tradant, hunc canem extractum ab Hercule, ut Strabo & Seneca, & vulgarior opinio. Nam illac eſt iter ad inferos expeditiſſimum, & ingens vorago faucib. vaſtis patet, latumq́; pandit omnibus populis iter. Serpentem ferunt in Tænaro fuiſſe exitiabilem, quem Hercules occidit, & quia in eo loco via creditur eſſe ad inferos: hinc nata eſt fabula de Cerbero. Mela tamen ſic ſcribit de regionibus Ponti Euxini: In eo primum Mariandyni urbem habitant, argivo, ut ferunt, Hercule datam, Herculea vocitatur: id famæ fidem adjecit, juxta ſpecus eſt Acheruſia, ad manes, ut ajunt, pervius, atque inde extractum Cerberum exiſtimant. Melam Plinius eſt ſecutus lib. 27. Aconitum enim venenum fabulæ narraverunt è ſpumis Cerberi natum, Hercule ab inferis extrahente, ideoque, inquit, apud Heracleam Ponticam, ubi monſtratur ejus ad inferos aditus, gigni. Ovid. in 7. nullum locum apertè ponit, ſed Ponticam terram ſubſignificat, in qua primum Cerberus viſus eſt ſuperis, & aconitum ſparſit cantibus, ideo ſic appellatum, q. ἀκονιτὶ ſicut in palæſtris ſolet dici ſine pulvere, aut ἀπὸ τῆς ἀκόνης, hoc eſt, cautè: ipſe verò Cerberus nominatus eſt q. κρεάτων βορὸς carnivorus. Fuit & Ardeo Moloſſorum regi canis Cerberus. Hic enim cùm Ἀϊδωνεὺς, hoc eſt, Orchus nominaretur, conjugi Cereris nomen indidit, filiæ verò Proſerpinæ, cani Cerberi. Alii raptam attribuunt conjugem Proſerpinam, ſed ex Plutarcho pergam narrare: hujus regis filiam, cum Theſeus & Pirithous raptum veniſſent, Orchus comprehenſis eis Pirithoum Cerbero cani objecit, Theſeum verò aſſervavi in cuſtodia arcta. Hinc orta fabula, Theſeum & Pirithoum ad rapiendam Proſerpinam ad inferos deſcendiſſe: & eſt alioqui Moloſorum regio in Epiro, Atticis & Theſſalis occidentalis, quæ pars mundi inferior eſt, ſemper inferorum nomine ſignificata, ut apud Homerum inferi, Elyſii, & inſulæ Fortunatæ in occidua mundi parte. Palephatus verò ad hunc modum: Hercules cùm in Ponto Geryonem viciſſet, in civitate quæ dicebatur Tricarenia, id eſt triceps, abduxiſſetque ejus armenta, ſecutus eſt boves canis ferociſſimus, Cerberus nomine. Ubi in Peloponneſum eſſet ventum, vir Mycenæus opulentus nomine Moloſſus canem expetivit, & petiit: non concedente Euryſtheo, egit cum paſtoribus, ut in Tænari ſpelunca eum continerent, cui & ſummiſit canes fœminas. Euryſtheus verò Herculem ad canem repetendum miſit, qui inveſtigatum invenit in Tænaro, indeque abduxit ad regem; hinc nata fabula.*

f De

f De Phryxo & Helle.] Frater & ſoror nati ſunt Athamante Æoli filio & Nephele, quæ poſtquam furore correpta in ſaltus & ſolitudines abiit Athamas Inum Cadmi duxit: huic, cum odioſi eſſent Phryxus & Helle, privigni nempe novercæ, operam per matronas omnes regni dedit, ut fruges corrumperentur. In remedium horum malorum, quum miſiſſent, qui Apollinem conſulerent, Ino illos oraculum ementiri coegit, depoſci à numine Nepheles liberos, quorum miſerta Juno arietem aureum miſit, quo per mare veherentur. Helle tenera puella dum ſe regere non valeret, in mare decidit anguſtum illud, quod Aſiam & Europam interſecat, deq; ejus nomine Helleſpontus nominatur. Eamq; Neptunus compreſſit, genuitque Paona. Phryxus verò per Propontidem & Boſphorum Thracium dextramq; Ponti Euxini oram delatus eſt in Colchos. Hic cùm terram tenuiſſet, arietem mactavit Jovi, pellem verò auream Marti ſacravit, in templo à ſe condito. Apollonius tamen lib. 4. non Marti erexiſſe templum ſcribit, ſed Διὶ Φυξίῳ, i. e. Jovi fugio, hoc eſt fugæ ſeu comiti duci: tametſi & Διὶ Φυξίῳ ſacrum feciſſe Deucalionem poſt diluvium, Græci ſunt autores. Is aries in Orchomeno Bœotiæ natus erat. Alii in Theſſalia dicunt, inter cœleſtia ſidera collocatus primum anni ſignum: quod ſubobſcurius videtur, ut inquit Eratoſthenes, quod ipſe cœlum conſcenſurus ultrò pellem auream ſibi detraxit, & Phryxo dedit. Diodorus lib. 5. Poſtmodum, inquit, Æetæ in Ponto regnanti reſponſum datum eſt, illum tunc mortem obiturum, cum externi navigio delati aureum vellus ſuſtuliſſent: hac ex cauſa, tum verò innata crudelitate oſtentavit, ſe hoſpites ſacrificare, ut divulgata tanti ſceleris fama externi omnes eam acceſſum abhorrerent: templum quoque muro circumdedit, cuſtodesque plures appoſuit ex Taurica accitos, de quibus à Græcis mirandæ fabulæ finguntur. Decantatum enim eſt, Tauros ignem ſpiritantes circa templum eſſe, à dracone inſuper cuſtodiri vellus. Verùm taurorum nomen à cuſtodum robore traductum eſt, vel quòd eſſent ex Taurica, à crudelitate verò cædis hoſpitum tauros ignem efflare confictum. Modo ſimili cùm templi cuſtos Draco appellaretur, traduxerunt poëtæ admirandas ſtupendasque ejus animantis fabulas. Similiter & de Phryxo fabulæ conficta ſunt, quippe navigaſſe eum ferunt quidam navi, cujus in prora ſignum fuerit arietis. Helle verò è navigatione graviter ægra, cùm in oram navis incumberet, in mare decidit. Alii tradunt Gambrum Scytharum regem in Colchos, quo tempore Phryxus cum pædagogo captus fuerit, advectum: cumque adoleſcentem dilexiſſet, dono illum ab Æeta accepiſſe, ac ut legitimum ab ſe filium educatum regni hæredem relictum. Pædagogum, is Aries vocabatur, ſacrificatum diis, ejusq; pellem cadaveri exemptam de more templo fuiſſe affixam. Deinde reſponſo indicto, eum tunc moriturum, quum adventantes hoſpites arietis pellem ſuſtuliſſent, Regem ajunt adhibitis templo cuſtodibus eam, quo diligentius ſervaretur, deauraſſe. Tantum Diorus Siculus: nam alii hanc fabulam ad fluvios Colchicos referunt, qui aurum ſecum devolvunt, quòd captum cum arietis aſſeribus perforatis purgant, pellibusq; ſubſtratis excipiunt. Alii ad opes illius regionis magnam vim auri & argenti & ferri. Quemadmodum Plinius inquit, ſic ſcribens: Jam regnaverat in Colchis Salauces & Eſubopes, qui terram virginem nactus, plurimum ar-

genti auriq́; dicitur in Savorum gente, & alioquin velleribus aureis inclyto regno. Propter hæc metalla, ſicut apud Strabonem legitur, expeditiones in eam regionem ſuſceptæ ſunt, & à Phryxo, & poſtea ab Jaſone, quorum extant illic monumenta, Jaſonia ab Jaſone, & Phryxium à Phryxo conditæ urbes: & ambo Æetæ filias in conjuges acceperunt, Jaſon Medeam, Phryxus Chalciopen, ex qua nati ſunt Cytiſſorus, Melana Phontis, Argus, à quo Pherecides putat, Argon navem eſſe nominatam. Verùm Phryxum hunc in tempora Abantis Argivi, & Erechthei Athenienſis regis confert Euſebius: Secundum quorundam, inquit, opinionem hac ætate Phryxus cum Helle ſorore ſua fugiens inſidias novercales, viſus eſt per mare vehi ab ariete velleris aurei. Fuit autem ei navis parata fugienti, cujus inſigne aries erat. Porrò Palaphatus hiſtoriam ſic narrat: Athamas Æoli filius regnavit in Phrygia, huic fuit procurator Crios, id eſt, Aries, quem fidiſſimum ſibi arbitrabatur. Hic ſignifinificavit Phryxo conſilium Athamantis de ejus cæde, fugit ergò Phryxus, in navi congeſtis multis opibus: ſimul fugerunt Crios & Helle ſoror, & Eos mater Pelopis. Helle moleſtia navigationis interiit, projectaq́; eſt in id mare, quòd ab illa Helleſpontius dicitur, reliqui Colchos tenuerunt. Phryxus filiam Æetæ regis duxit uxorem, deditq́; regi ſimulachrum arietis aureum, quod ex divitiis ſuis Eos confecerat.

g De gorgone quòd fuit crinita.] *Gorgones tres dicuntur fuiſſe, Stheno, Euriale, & Meduſa, Phorci filiæ & marini monſtri. Heſiodus in Theogonia Meduſam tantum mortalem fuiſſe perhibet, reliquas immortales. Ovid. duas ſolum ponit 4. Metam. quibus unicus erat oculus, quem inter ſe utendum per vices ſibi tradebant. E regione Æthiopiæ occidentalis inſulæ ſunt, quas Mela Gorgones Gorgonum domum locat, cui lucam in 9. ſuffragatur. Plin. lib. 6. Contra promontorium Æthiopiæ Heſperoceras inſulæ narrantur Gorgonum quondam domus, bidui navigatione diſtantes à continente, ut tradit Xenophon Lampſacenus. Penetravit in eas Hanno Pœnorum Imperator, prodiditq́; hirta fœminarum corpora, viros pernicitate evaſiſſe, duarumq́; Gorgonum cutes argumenti & miraculi gratia in Junonis templo poſuit, ſpectatas uſque ad Carthaginem captam. Sic ille. Sunt qui has Gorgonas Heſperidas fuiſſe exiſtiment, ſed Heſperides procul à Gorgonibus ſitas eſſe conſtat, & xl. dierum navigatione, ut Statius Seboſus prodidit. Diodorus verò lib. 4. Bibliothecæ, Gorgonum gentem mulierum dicit eſſe in Libya pugnaciſſimam ac viribus prævalidam, à Perſeo Græco victam, duce earum Meduſa. Hanc Meduſam fabulantur in templo Minervæ cum Neptuno concubuiſſe, ideò iratam Minervam ejus crines in angues commutaſſe, vertebatq́; in ſaxum intuentes. Perſeus Minervæ ſcuto armatus congreſſus eſt cum ea; quæ, quum in ſcuto tanquam in ſpeculo imaginem eſſet ſuam intuita, gravi oppreſſa ſomno in ſaxum verti cœpit, proptereq́; caput ei Perſeus amputavit, ex cujus cruoris ſtillis per Libyam ſparſis, tam multi variiq́; ſunt editi ſerpentes, & virgæ, quas contigerant, in coralium induruerunt. Etiam Pegaſus allatus equus prodiit, opinione Ovidii & Heſiodi, alii ex concubitu Neptuni & Meduſæ putant. C. Julius Higinius victas à Perſeo Gorgonas refert, hoc modo: cum ipſarum una communem oculum alteri traderet, cæca utraque exiſtente, accurriſſe maxima celeritate Perſeum, ac oculum intercepiſſe, projeciſſeq́; in Tritonem paludem: ita facilè ſuperatas*

Gor-

Gorgonas excæcatas. Jupiter bellum in Titanas geſturus, reſponſo acceperat Gorgonis caput induendum, ſi vellet vincere, ita pelle capræ Gorgonis capite addito contectus, quam Græci Ægida vocant in bellum prodiſſe, id ſcuti poſtea Minervam à Jove impetraſſe. Euhemerus in ſacra hiſtoria Gorgonem à Minerva occiſam ſcribit. Vulgò Meduſam hanc formoſiſſimam fœminam fuiſſe putant, quæ ſtupore intuentes defigeret, ideò in lapides dixerunt verſos, & Diod. armatas prodit coriis ingentium ſerpentum. Neſcio, an aliquam hujus commenti partem in Catoblepas derivent: nam contra Gorgonas inſulas in ipſa continenti terra Catoblepæ ſunt, ut Mela & Plin. tradunt: haud grandes feræ, ſed grande malum. Cæteris membris inertes, prægrandibus capitibus, quæ ægrè ſuſtinent, idcirco ſemper in terram ore converſo, unde illis nomen, nec impetu ſæviunt, nec morſu, tantum oculos earum vidiſſe mortiferum. Eadem vis eſt baſilici ſerpentis, contra quos ferunt armari homines ſpeculis, ut ſerpens ipſe ſe videat. Palæphatus longam fabulam de his refert, quam non gravabor adſcribere. Phorcus, inquit ille, vir fuit Cyrenæus, quod genus eſt Æthiopicum. Habent verò inſulam. Cyrenem extra columnas Herculis. Arant verò agrum Lebyæ ad annona fluvium non procul Carthagine, ſunt auri dites admodum. Itaque Phorcis tricubitam Minervæ ſtatuam ſtruxit, quam prius, quàm conſecraret, mortem obiit. Illi verò deam Gorgona nominant. Tres reliquit filias, Sthenum, Eurialem, Meduſam, quæ nulli voluerunt nubere, ſed patrimonium inter ſe diviſerunt, unicuique ſua inſula obvenit, ſimulachrum autem neque dedicarunt, neque ſunt partitæ, ſed theſauri loco reſervarunt, ut per vices poſſiderent. Erat Phorcyni ſocius in omnibus fideliſſimus, quo non aliter quàm oculo utebatur. Perſeus Argis profugus, cum piraticam exercet, ageretq́; ex maritimis locis prædas audiſſetq́;, Gorgonas inſulas mulierum eſſe, auri ejus copiam, virorum inopiam, primùm in freto inter Corſicam & Sardiniam delituit, in quo virum illum, qui jam de miniſterio oculus vocabatur, quum ab alia ad aliam mitteretur, intercepit, cognovitq́;, non eſſe, quod poſſet rapere, præter Minervæ ſimulachrum, in quo eſſet tanta auri vis. Puellæ quum demirarentur, quid eſſet factum ſuo oculo, Perſeus appulit, qui ſignificavit ſe habere, quem ſe negavit redditurum, niſi ſibi indicaretur Gorgonæ ſimulachrum, addidit inſuper minas, occiſurum ſe illas, ni indicarent. Meduſa inſtitit nihil prodere, reliquæ prodiderunt, ita Meduſa ſola eſt occiſa, duabus oculum ſuum reddidit. Caput Meduſæ in triremi poſuit, & navem de nomine illius Gorgona nuncupavit. Tum pergens latrocinari, pecunias ab inſulanis exigebat, occidens & vexans, qui non darent. A Serapiis, quum poſtulaſſet, illi urbe ceſſerunt, in quam Perſeus ingreſſus cùm ſuis deſertam, vidit in foro tantùm maximos lapides ſtantes humanæ magnitudinis: Aſpicite, inquit Perſeus reliquis inſulanis, ut mea Gorgo homines vertit in lapides, cavete, ne & vobis idem accidat. Hæc Palæphatus, qui multum in topographia fallitur. Ego illas inſulas Syrtes potius crediderim, in has enim multum reliqua congruunt de Cyrenis, de Sardinia & Corſica: quanquam ille non κύρνην dicit: ſed κορίνθην καὶ τὴν σαρδῶ: ſed indubiè legendum eſt κύρνην καὶ τὴν σαρδῶ, ubi loquitur de freto, niſi & in hoc quoque eſt lapſus, ut in aliis, nec dicendum ἔξω τῶν Ἡρακλείων ϛηλῶν, ſed εἴσω vel ἔσω intra.

b De Bellerophonte.] Hic natus eſt Glauco Siſyphi filio, regnumque Ephyræ, quæ poſtea Corinthus dicta eſt, tenuit, quo privatus à Præto Argivorũ rege ei ſervivit, à cujus uxore Anthia, ut ſecum concumberet ſolicitatus, quum ille fœditatem rei averſaretur, Anthia illum apud maritum detulit, tanquam ab eo eſſet provocata. Prætus juvenem ad Ariobatum miſit ſocerum ſuum Anthiæ patrem qui Liciæ imperabat cum literis, quibus illi pudicitiam filiæ tuendam mandabat, Ariobatus Chimæræ ipſum objecit, quam Bellerophon vicit Pegaſo equo adjutus. Porrò quid monſtri ſit Chimæra, unde melius diſcemus, quàm à pſeudodialecticis Chimæræ conſanguineis, ut ovum non ſit ovo ſimilius? Neque aliud libentius habent in ore nec crebrius. Monſtrum dicit Heſiod. Chimæram fuiſſe prima parte leonis imagine ac ingenio, media draconis, poſtrema capræ, quæ χίμαιρα dicitur, à quo totum animal nomen invenit Homerus non poſtremam partem, ſed mediam Chimæram, id eſt, capram ponit. Hinc Horat. monſtrum triforme nominat. Filia dicitur Typhonis gigantis & Echidnæ: flammas ore evomebat: idcirco Virg. flammis eam armatam dicit libr. 6. quo loco Servius narrat, revera montem eſſe in Lycia, cujus etiamtum ardebat cacumen, juxta quod leones erant, media verò paſcua eſſe, & ima ſerpentibus plena. Hunc Bellerophontem feciſſe habitabilem, quòd Chimæram occidiſſe dicitur, Equus Pegaſus Meduſæ fuit filius, ut paulo ante dicebam, allatus, cui ſicut Ovid. inquit, Cœlum pro terra, pro pede penna fuit. Apulejus lib. 8. Aſini, feſtivè ait, Pegaſum inclytum illum metu magis volaticum fuiſſe, ac per hoc merito pennatum proditum, dum in altum & uſque ad cœlum ſubſilit ac reſultat, formidatus ſcilicet igniferum morſum Chimæræ. Ab hoc equo duo Muſarum fontes ſunt in Græcia nominati. de quib. ſic Solinus: Apud Thebas, inquit, Helicon lucus eſt. Cytheron ſaltus, amnes Iſmenius, fontes Aretuſa, Oedipodia, Pſammate, Dirce, ſed ante alios Aganippe & Hippocrene, quos Cadmus literarum repertor primus, quoniam equeſtri exploratione primus deprehendiſſet, dum rimatur, quanam adiiſſet loca, incenſa eſt licentia poëtarum, ut pariter utrumque vulgarent, ſcilicet quòd eorum alter alitis equi ungula ſolicitatus foret: alter potus facundia animas irrigaret, & quod aperta foret alitis equi ungula, & quòd poti inſpirationem facerent literarum. Hæc ille Bellerophon, quum in cœlum equo veheretur deſpiciens inferiora, oborta vertigine cecidiſſe dicitur. Pegaſus verò curſum tenuiſſe, ac inter ſidera agere. Palæphatus Bellerophontem Phrygium fuiſſe dicit ex genere Corinthiaco, qui piratas juxta anguſtias illas Aſiæ & Europæ prædas agebat, longa navi, cui nomen Pegaſus. In Phrygia mons erat Telmiſſus, cui adjunctus is, qui Chymæra dicebatur, proximus valli unde incendia prodibant: in Chimæra feræ erant permultæ agricolis noxiæ, ut leones & dracones. Bellerophon totum montem incendit, ita feræ perierunt.

i De Amphione.] Jupiter tres filios ex Antiopa, genuit, Amphionem, Zetum & Calam. Propterea maritus Lynceus Thebanorum rex eam repudiavit. Pueri cum adoleviſſent ulti repudium matris Lynceum interemerunt, & Dyrcem ejus conjugem, pulſoque Cadmo ſene, Thebas poſſederunt, & Amphion cithara moviſſe lapides dicitur, atque ita muros Thebanos condidiſſe. ſaxis in ſtructuram concurrentibus, numeris muſicis illectis Hor. in Arte: Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis Saxa movere ſono teſtudinis. Plin. lib. 9. muſicam Amphionis inventum tradit, & eſſe qui

citha-

citharam quoque putent: & ſi alii donatum cum cithara à Mercurio tradunt. Lydios etiam invenit modulos. Val. Prob. in Alex. in Virg. Amphionem & Zetum, Eurip. & apud nos Pacuvius, Jovis ex Antiopa Nyctei filia natos cantando potuiſſe armenta vocare. Teſtantur id Thebæ, quas Apoll. in Argon. à fratrb. antedictis muris eſſe clauſas ait. Sed Zetus humeris ſaxa contulit operi, Amphion cantu vocavit, ſiquidem ſenſus animalium difficilius, quàm ſaxa vincuntur. Euſeb. in Evang. præp. utrique inventionem muſicæ aſſignat. Panyaſis & Alex. lyram à Mercurio muneri datam dicit Amphioni, quod primus Cynaram liberaverit. Hæc Prob. Solinus ſic: Thebas condidit Amphion, non quod lyra ſaxa duxerit. Neque enim par eſt, id ita geſtum videri, ſed quòd affatus ſuavitate homines rupium incolas & incultis moribus rudes ad obſequii civilis pellexerit diſciplinam. Hoc eſt quod Horat. inquit in Arte poet.

> *Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis*
> *Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda*
> *Ducere quò vellet.*

Fieri poteſt, ut cãtu & ſuavitate orationis, precibꝰ etiã à vicinis accolis civibusque ſuis imperavit ſaxa ad ſubſtructionem murorum. Palæphatus mercede cantus, lapides ab agricolis accepiſſe ſcribit, quum pecuniam non haberet. Euſeb. Amphionem & Zetum non uno ponit tempore, niſi ſit error librarii. Nam & Lynceo Argis regnante, & poſtea Abantis principatu, Amphionis uxor fuit illa nominata Niobe, de quorum liberis eſt illa nobilis inter ſcriptores controverſia.

k De Fabro Dædalo.] *Diod. Sic. lib. 5. hunc ſcribit Atticum fuiſſe ex Erechthidarum gente Eupalami filium, qui Athinio natus eſt Erechthei filio, ſtatuis, ſignis & ſtructuris admirandus artifex, adjutus multorum, quos ſibi accerſivit, opera, ſtatuasque fecit, quæ ambulare & ſpirare ſunt creditæ, tanta in illis erat ars, docuit Talum ſororis ſuæ filium. Hic adoleſcens quum ingenii ut tornum primum, deinde ſerram ad imitationem ſerpentinæ maxillæ inveniſſet, indoluit Dædalus aliquam artis ſuæ gloriam in alium derivari, ita adoleſcentem interemit: damnatus in Cretam ad Minoem fugit, cui arte facile conciliatus eſt, labyrinthùmque ei ſtruxit. Hæc ex Diod. Servius 6. Æn. ait. Dædalum cum Icaro filio in labyrinthum incluſum: Dædalum falſis cuſtodibus ſub faciendi muneris ſpecie, quo ſimulabat, poſſe regem placari, cera & pennis alias ſibi & filio fabricaſſe, & volando aufugiſſe. Sed Icarus altiora petens ſolutis ex calore ſolis pennis, mari, in quo cecidit, nomen impoſuit. Dædalus primo in Sardiniam, ut ait Saluſt. deinde Cumas delatus eſt, templo Apollini condito. Sic Servius, Diod. & alii non in Sardiniam veniſſe Dædalum tradunt, ſed in Siciliam, quò inſequutus eſt eum Minos, regnante in Camarinas Siciliæ Cocalo, à quo per ſpeciem colloquii retentus diutinè, in thermis præfocatus eſt. Ariſtot. in Polit. à filiabus Crotali occiſum narrat, ſed de pennis non dubitant, quin navi fugerit: cæterùm vel remi ſpeciem alarum præbuerunt, quod ſubindicat Virg. dicens, Remigio alarum, vel celeritas volatus eſt nominata. Recenſet multa opera Diodorus, quæ in Sicilia dicitur feciſſe Dædalus, quum à Cocalo eſſet humaniſſimè propter ingenii famam exceptus, & in proverbium venit, ut ſcitè & affabré conſtructum, Dædalum & Dædaleum vocemus. Sic apud Homerum ſæpe, & alios Græcos ac Latinos ſcriptores, ut primo Odyſſeæ.*

Καλὸν δαιδάλεον, ὑπὸ ἡ θῆλυς ποιῶν εἶεν.

Et Vergius 4. Georg. de fanis,

Et Dædala ſingere tecta.

Et Circem, Dædalam nominavit, Ariſt. in Polit. Dædali ſtatuas ſcribit, ipſas per ſe ſua opera ſubiiſſe: & Plato in Memnone, aufugere ſolitas, ni vinciantur: Ita perinde eſſe, qui eas ſolutas habet, ac qui ſervum fugitivum. Philippus Comicus, ut Ariſt. lib. De anima 1. refert. Dædalum Veneris ſignum feciſſe, quod in fuſo argento vivo moveretur. Palæphatus ad diſtinctionem crurum & pedum refert, cùm ſtatuarii priores pedes non diſtinxerint. Didicit Dædalus in Ægypto artes ſuas, ſed brevi magiſtros ſuperavit: nam apud Græcos pauciores non fecit ſtatuas, quàm apud Ægyptios erant: & in Memphi propylæa viſebantur Vulcani, opus Dædali memorabile adeò, ut etiam ſtatuam apud illos mereretur, & honores divini ſint ei habiti. templum enim Dædali longis deinde temporib. magna veneratione inſula quadam juxta Memphim cultum eſt. Verùm ſuccurrit ambigere, de quibus Cumis ſentiant ſcriptores, cùm Dædalum Cumas volando perveniſſe dicunt, utrum Cumas Italicas, an Jonicas, ex quibus natæ ſunt Italicæ. Frequens opinio eſt, de Italicis dici. Nam hinc in Siciliam profectus eſt: & Juvenalis ac Vergilius de iſtis loquuntur. Juvenalis cùm Umbritium ex urbe Cumas abeuntem narrat: & Verg. cùm conſulit Æneas Sibyllam Cumis. Reddit tamen id dubium, quod Icarium mare, in quod Icarus, Dædali filius dicitur cecidiſſe, nomenque aquis dediſſe, non eſt inter Cretam & Italiam, ſed inter Cretam & Joniam juxta Icarum inſulam unam ex Sporadibus, à qua mare dicitur Icarium, & ipſa inſula ab Icaro, ſicut Varro inquit, Cretenſi: qui naufragio ibi periit, & de exitu hominis impoſitum nomen loco Ovid. quoque volatum illum deſcribens inquit. Et jam Junonia leva.

Parte Samos fuerat Deloſque Patroſque relicta:

Dextra Lebynthos erat fœcundaque melle Calydna.

Tum Verg. Dædalum dicit,

Inſuetum per iter gelidus enaſſe ad arctos.

At cum Joniæ non Italicæ arcticæ ſunt Cretæ. Sed hoc Servius ſic interpretatur, ſi ad fabulam reſpicias, contra ſeptentrionem: ſi ad hiſtoriam, ad ſeptentrionis obſervationem: itaque fabula aliquid itineris devii videtur addidiſſe rei veritati, niſi & alius eſt Icarius, qui in illud mare demerſus eſt, quàm Dædali filius, alia ratio nominis, & inſulæ, & maris, quod in re tam vetuſta quis definire audeat?

l De Oedipo.] *Lajus Agenoris ex Labdaco nepos, Thebarum Bœotiarum rex, Jocaſtam duxit Creontis filiam: quæ, cum infœcunda videretur, maritusque liberos vehementer cuperet, conſultus Delphicus Apollo reſpondit, non eſſe, cur tantopere ſolicitus eſſet, ut pareret uxor, foret ut à filio occideretur. Peperit mox Jocoſta, & infantem pater trajectis ferro pedib. juſſit exponi, traditus tamen eſt ab iis, quib. negotium erat commiſſum, Polybiæ, cuidam tenui mulieri, & educatus in Tenea agri Corinthii vico: cumque adoleſceret vir & corpore robuſtus & animo forti, oraculum Delphicum percunctatum ſit de patre, nam expoſitum ſe non ignorabat. Lajus pater inde tum redibat: factique ſibi juxta Phocidem obvii cum uterque cedere ſibi alterum de via juſſiſſet,*

ſet, jurgio primum moto, de hinc gladiis diſtrictis filius patrem interemit: ſeu, ut alii tradunt. Phocide ſeditione & tumultu excitato, cum Oedipus & Lajus diverſis partib. faverent. Jocaſta manſit vidua, ad quam Sphinx venit, quæ ænigma proponebat omnibus ſolvere paratis, hac lege, ut ſi explicuiſſet, ducenti Jocaſtum cum regno Thebarum, ſin non poſſet, perirent, ænigma erat hoc quod animal eſt & quadrupes, & bipes, & tripes? multis propter ænigma eum regni eſſent avidiores occiſis, Oedipus Thebas venit, & obſcuritatem declaravit. Ita matrem Jocaſtam accepit in conjugem, Thebaſque rexit, Sphinx ſe ex edito præcipitavit loco, Oedipus, cum ex Jocaſta liberos genuiſſet, matremque eſſe ſuam reſciſſet, & ſe patrem occidiſſe, luminibus ſe ipſum privavit, filii armis inter ſe de paterno regno contenderunt. Hæc ex Diodoro. Strabone, & tragicis Sophocle ac Seneca. nam ea res tragœdiis eſt celebrata. Oedipus appellatus eſt ἀπὸ οἰδεῖν τὰς πόδας, à tumore pedum. Sphinx verò, quale animal ſit, diximus. Hanc Spingem Chimæra & Typhone natam, tradit Heſiodus, Auſonius in Gryphis triforme monſtrum Sphingem ait fuiſſe facie puellari, alis volucris & pedibus leoninis: ſic enim ait;

Illa etiam thalmos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes & quadrupes foret, & tripes omnia ſolus.
Terruit Aoniam volucris leo, virgo triformis
Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Sed hæc Sphinx erat mulier acri & ſævo ingenio. Oedipum & Sphingem Euſebius temporibus Pandionis Attici regis, & Argonautarum adſcribit Palæphatus, Harmoniam Cadmi uxorem, cùm eſſet à Cadmo repudiata, obſediſſe ait Sphinga mentem Bœotiæ, inde inſidiis Bœotios cepiſſe, ac trucidaſſe. Porrò Bœotii αἴνιγμα vocant inſidias Oedipus Corinthius hanc vicit, & occidit.

l Ex occaſione hiſtor.] Attingit Origines fabularum, quarum nulla eſt ficta de nihilo: ut Lactant. & Palæphatus ajunt, qua de re diſſerui ſatis multa in Veritate fucata.

m Ad ſtuprum raptum pulcherrimum puerum Ganymedem.] Trois regis Trojanæ filium forma elegantiſſima Tantalus raptum in Cretam ad Jovem tulit, eique dono dedit. Jupiter eum pocillatorem ſuum fecit, & in ſignum vertit, quem aquarium dicimus. Tantalo propter Ganymedem bellum à Troe natum eſt, ut Phanocles poeta ſcribit. Euſebio & Oroſio fuit juxta Parium urbem in Phrygia locus Harpagium, denominatum, quòd inde raptum Ganymedem fama eſſet. Stephanus.

n Vel Danaëis per imbrem aureum.] De hac alibi: filia fuit Acriſii regis Argivi, quam pater in mare arca concluſam ejecit cum Perſeo filio, in Apuliam delata Pylumno nupſit, ex quo Daunum genuit, unde Apulia dicta Daunia.

o Admeti regis armenta.] Jupiter cùm querelas deorum inferorum audiiſſet, quòd regnum ſuum Æſculapius imminueret ad vitam mortuos revocando, illum fulmine interemit, ob quod factum Apollo iratus ejus pater, ſagittis Cyclopas fulminis fabricatores occidit, quod indigniſſimè ferens Jupiter, Apollinem ad inferos voluit detrudere, ſed Latona flexus precibus, tam gravem remiſit pœnam: juſſit tamen eum anno uno mortali ſervire: ita in Theſſaliam profectus, Admeti Pherarum regis armenta

 pavit,

Digitized by Google

pavit, ideo Nomius dictus, quaſi paſtoritius, ex Orpheo & Flacco in Argonautis, Diodoro Siculo libro quinto, & Higinio, ſed Flaccus Steropem tantùm ab eo peremptum tradit. Admetus verò cum Argonautis navigavit, Apollini adamatus, cujus boves ſtupri mercede pavit: ut Lactantius refert. Forſan hic eſt Apollo Arcas, à quo Arcades ſe leges accepiſſe tradunt, vocantque Nomionem, ſed quis in re tam obſcura & confuſa definiat?

p Et Liber pater bellavit in India.] *Hoc eſt apud Diodorum, Strabonem, Philoſtratum Plinium, & poetas, omneſque ſcriptores frequens. Diodorus & Philoſtratus, cur ex femore dicatur natus tradunt: nam cùm exercitum, qui lue in India conficiebatur, in montanum quendam eduxiſſet locum corporibus ſalubriorem, valetudinem vireſque copiarum refecit & reparavit: eum Indi locum Femur vocant, hinc occaſio fabulæ.*

q Aliqui ſanè & victum ſcribunt iſtum.] *Euſebius in temporibus ſub rege Athenien. Pandione in mutatione Argivi regni, cùm Mycenas eſt translatum. Quidam, inquit, his temporibus indicant geſta Liberi Patris, & ea, quæ de Indis, Lycurgo, Actæone, & Pentheo memorantur, quomodo adverſus Perſeum conſiſtens occiditur in prælio, ait Dinarchus poeta, non rhetor: qui autem voluerit, poteſt inſpicere ipſius Liberi patris apud Delphos ſepulchrum, juxta Apollinem aureum. Pingitur autem Liber muliebri & delicato corpore propter mulieres in ſuo exercitu dimicantes. nam pariter ad arma viros & fœminas adalligabat, ut Philocorus loquitur in 2. Hec. Euſeb. Clemens in lib. adverſum gentes, Dionyſium tradit à Titanibus diſcerptum & lebetibus elixum: verubuſq; aſſari cœptum: ſed juſſu Jovis Apollinem ſepeliiſſe membra Dionyſii in Parnaſſo tradita ſibi à Pall. quæ illa è manibus gigantum extorſerat.*

r Perſeus & uxor ejus Andromeda.] *Perſeum dixi, Danaes & Jovis fuiſſe filium, à quo Perſiam nominatam, cùm maxima in ea bella feliciter geſſiſſet, putat Oroſius, & Græci, in quibus eſt Xenophon Atticus. Andromeda Cepheo Phœnicis filio & Caſſiopeia genita eſt: quæ cùm ex oraculo Apollinis ſaxo religata eſſet, expoſitaq; marino monſtro, parentibus illuc ejulantibus Perſeus ex bello Gorgonico rediens, cauſa cognita pactus cum parentibus virginis nuptias, eam liberavit occiſa bellua Gorgonis capite oſtenſo, omnes in cœlum ſunt tranſlati. Cepheus ſtellas habet 19. à tergo minoris urſæ à pedibus ad pectus arctico circulo includitur, præter humeros nihil ejus occidit. Caſſiopeia ſedens in ſeliquaſtro, ut Higinus inquit, propter arrogantiam, quòd gloriata ſit, ſe forma Nereidas præſtare, ita vertente mundo reſupinato videtur ferri capite, ſtellas habet 13. quam prope mediam ſecat lacteus circulus. Andromeda in cœlum adducta à Minerva, quòd patriæ & parentibus maritum prætulerit: ſtellas habet 20. Caſſiopeiæ proxima: cujus caput equi Pegaſi ventri conjungitur, hujus medium pectus & ſiniſtram manum circulus æſtivus dividit. Perſeus 17. ſtellas, manu dextra circulum arcticum tangit, dextro pede caput aurigæ: hæc, qui requirit, habet apud Julium Higinum, & Aratum Solenſem. Mela libro 1. Eſt in Syria Ioppe ante diluvium, ut ferunt condita, ubi Cephea regnaſſe eo ſigno accolæ affirmant, quòd titulum ejus fratriſq; Phinei veteres quædam aræ cum religionis plurima retinent: quin etiam rei celebratæ carminibus ac fabulis ſervatæque à Perſeo Andro-*

dromeda clarum veſtigium belluæ marinæ oſſa immania oſtentant. Idem Hierony. & Plin. lib. 5. qui lib. 9. hæc ſcribit: Belluæ, cui dicebatur, expoſita fuiſſe Andromeda oſſa Romæ apportata ex oppido Judææ Joppe oſtendit inter reliqua miracula ædilitate ſua M. Scaurus, longitudine pedum xl. altitudine coſtarum Indicos elephantes excedente ſpina craſſitudine ſeſquipedali. Et cùm omnes maximi nominis ſcriptores conſentiant, Joppen Judææ eſſe, ubi Andromeda marinæ belluæ fuerit expoſita, miror Laurentio Val. in 6. lib. Elegant. eam opinionem non probari. Quo loco inceſſit Hieronymum tanquam ignoratione loci lapſum, quòd hanc Joppen in Judæa poſuerit. Nam ipſe in India ponit oblitus tantarum autoritatum, duobus Ovidii verſiculis adductus, cùm fuerit potius in geographia Melæ & Plinio aſſentiendum, quàm Ovidio. Sed nec ipſi Ovidii verſus magnopere faciũt ad rem: alter de colore fuſco facilè poteſt intelligi de Ægypto & Palæſtina. In altero falſus eſt Valla ignoratione hiſtoriæ: à Mauritania enim per Africam venit Perſeus in Ægyptum & Judæam. Ibi duxit Andromedam: inde profectus eſt ad Euphratem, & eam, quæ mox de illius nomine Perſia eſt à Græcis dicta: ex Perſia in Indiam, inde rediit Argos cum uxore.

ſ Ne timerent.] *Impietatem talibus hominum nominibus cœlum contaminare.* F.L. Cap.

α DE Triptolemo, qui jubente Cerere.] *De Triptolemo variæ opiniones commemorantur à Pauſania lib. 1. his verbis:* Argivi eum Throilum ſacrorum antiſtitem volunt ab Agenore Argis pulſum in Atticam veniſſe, cumque Eleuſine uxorem duxiſſet Eubulem & Triptolemum genuiſſe: Athenienſes verò & finitimi Triptolemum Celei filium fuiſſe, qui primus frugum cultum & ſationem tradiderit, nihil dubitant. At Muſæus carminibus (ſi modo Muſæi ſunt) Triptolemum Oceani & Terriæ filium prodidit; & Orpheus, quamquam & ea Orphei eſſe ut credam, adduci non poſſim, Eubuleo & Triptolemo Diſaulem patrem fuiſſe; eos à Cerere frumenta ſerendi rationem accepiſſe, quod ex illis primum Ceres filiæ raptum cognoviſſet. Chœrilus Athenienſis in ea fabula, cui Alope nomen eſt, Cercyonem & Triptolemum fratres fuiſſe & Amphictyonis filiabus ſcripſit, & Triptolemo Rharon, Cercioni Neptunum patrem fuiſſe. *Hunc Alimelech nothi Gedeonis ætate fuiſſe, vult Genebrardus: longe ſuperiorem ætate fuiſſe, vult Auguſtinus ſecutus Euſebium, nempe circa tempora Joſue, vel initio Judicum.*

β De Minotauro.] *Monſtrum fuit partim habens hominis, partim Tauri formam, natum ex Paſiphaë Minois uxore, quæ Tauro ſe commiſcuerat: hoc Minos Labyrinthe incluſit, & cum veſceretur humanis corporibus, coegit Athenienſes, qui Androgeum filium ſuum interfecerant, ut quotannis ſeptem filios ac totidem filias in Cretam mitterent ad alendum monſtrum. Quo cum veniſſet Theſeus, filius Ægei regis Athenarum, beneficio Ariadnes filiæ Minois Minotaurum occidit, & Labyrintho egreſſus eſt Apollodorus lib. 3. de deor. origine Diodorus lib. 4. cap. 5. Pauſanias lib. 1. meminit & Theodoretus ſermo. 10. θεραπευτ. Servius credit, Taurum ſcribam fuiſſe Minois, qui abſente rege, cum Paſiphaë concubuit in domo Dædali, & quia Paſiphaë eodem tempore gemellos peperit, quorum alter Minoi, alter Tauro eſſet ſimilis, factus eſt locus fabulæ, ut Minotaurum biforme monſtrum peperiſſe dicatur.*

γ De Centauris.] *Centauri Theſſaliæ populi ſecus Pelion montem habitantes,*

qui primi equos domare & ex iis pugnare cœperunt: quo factum eſt, ut à vicinis populis primum conſpecti membra partim humana, partim equina habuiſſe crederentur. De horum origine ſic Poetæ fabulantur, Ixionem à Jove deorum immortalium menſæ adbibitum Junonis amore captum fuiſſe eamque de ſtupro interpellaſſe. Quod cum illa viro ſuo indicaſſet, Jovem Ixioni nubem ſubjeciſſe in uxoris imaginem transformatam, eamque Ixionem pro Junone compreſſiſſe, & ex ea Centauros generaſſe, qui inde nubigenæ dicti ſunt. Cui fabulæ anſam præbuiſſe videtur caſtellum nomine νεφέλη *Centaurorum ſedes. Diodorus lib. 4. cap. 8. fabulam interpretatur Fulgentius libr. 2. Mytholog.*

δ De Cerbero.] *A Poetis fingitur eſſe canis triceps, inferorum cuſtos, quem ab Hercule cathena ab inferis tractum eſſe, iidem fabulantur.*

ε De Phrixo & Helle.] *Phrixus Athamantis ex Nephele filius, qui cum novercales inſidias ferre non poſſet, una cum Helle ſorore profugit, acceptoque à patre ariete, cui vellus erat aureum, eoque conſcenſo cum in Aſiam trajicere vellent, Helle puellari timore exterrita decidit in mare, quod ex ejus nomine Helleſpontus appellatur. Phrixus verò incolumis in Perſidem pervenit ad Æetem regem, ubi arietem Jovi, vel, ut aliis placet, Marti immolavit, vellusque illud aureum in templo ſuſpendit, quod poſtea Jaſon, Medeæ ope adjutus, abſtulit. Ovidius libr. 7. metamorph. Apollodorus lib. 1.*

ζ De Gorgone.] *Gorgone dictæ ſunt Phorci filia Meduſa, Sthenio & Euryale; quæ Dorcadas inſulas in Oceano Æthiopico ſitas habitaſſe dicuntur. Harum unam Meduſam ſcilicet, cum Neptunus ſtupraſſet in templo Palladis, indignata Pallas capillos ejus mutavit in colubros, fecitque eos lapideſcere & in ſcopulos verti, à quibus conſpiceretur. Perſeus demum Jovis & Danaes filius acceptis à Mercurio talaribus & enſe falcato, dormienti Meduſæ caput abſtulit, quod Pallas impoſuit ſuo clypeo, & ex Meduſæ ſanguine natum fabulantur Pegaſum equum alatum. Narrat Apollodorus lib. 2. fabulam hanc exponit Fulgentius lib. 1. mytholog. ſcribit Diodorus lib. 3. cap. 4. fœminas fuiſſe in Africa bellicoſas, adverſus quas Perſeus bellum geſſerit, & earum reginam Meduſam debellaverit ac interfecerit.*

η De Bellerophonte.] *Bellerophon Glauci, qui fuit Siſyphi filius, cum per imprudentiam Deliadem fratrem, ſive, ut quidam ferunt Pirenem, aut, ut alii volunt, Alconem peremiſſet, ad Prœtum Argos confugit, ab eoque expiatur. Mox verò cum amore illius Sthenobœa, quæ & Antea dicebatur, deperiret, ſubmiſit qui illum de concubitu interpellaret: qui cum mulieris libidini non conſenſiſſet, Sthenobœa Prœta Bellerophontem quæſiti concubitus inſimulavit. Prœtus uxori credulus, dat illi ad Jobatem ſocerum literas hujuſce argumenti, ut Bellerophontem curaret occidendum. At Jobates recognita, illum ut ad Chimæram extinguendam iret, imperavit. Siquidem iuvenem ita à fera perditum iri arbitrabatur, quando ea non unius modo, ſed ne multorum quidem viribus facile perdomari poterat. Nam prima in parte leo, poſtrema Draco, media verò Capra eſſe videbatur, quæ flammas evomebat, ac proxima quæque diſperdebat pecoraque inficiebat. Conſcenſo igitur Pegaſo, quem ex Meduſa ac Neptuno ſatum & aligerum habebat Bellerophontes, ſublatus in altum*

ex

Digitized by Google

ex eo Chimæram ſagittis impetebat. Qua demum peracta pugna Jobates eundem in Solymos pugnaturum miſit; ubi & id fœliciter exegit, ad Amazonas expugnandas proficiſci imperavit. Quibus item devictis collectam Lyciorum juventutem, quæ cæteris præcellere videretur, in inſidiis conſidere jubet, atque ita Bellerophontem occidi præcipit. Ubi autem & hoſce ad unum omnes ab eo cæſos accepit, admiratus juvenis præſtantiam Jobates, literas illi Præti oſtendit, inde ut ſecum maneret, rogavit, eiq; Philonoem filiam uxorem dedit. Qui demum cum fato conceſſiſſet, Bellerophontem generum ſuum regni ſucceſſorem oſtendit. Apollodorus narrat lib. 7. biblior. ſive de deor. orig. Bellerophontes fœlici rerum ſucceſſu elatus cum in cœlum evolare cum Pegaſo conaretur immiſſo à Jove œſtro, equo excuſſus eſt, deciditque in eum campum, qui poſtea Ælerius appellatus eſt. Pegaſus autem à Jove inter ſidera eſt elatus. *Bellerophontis fabulam exponit Fulgentius lib 3. mythol.*

θ De Amphione, quod cytharæ ſuavitate.] *Amphion Jovis & Antiopes filius, vel ut alii volunt, Mercurii, à quo lyra donatus cytharœdiam exercuit; adeò verò ſuaviter canebat, ut ſaxa adſtruendos muros Thebanos traxiſſe dicatur. Horatius de arte poetica.*

> Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
> Saxa movere ſono teſtudinis.

Quod eo factum, quia eloquii ſuavitate homines rudes & incultis moribus ad obſequii civilis pellexit diſciplinam. Meminit Clemens Alexandrinus ſerm. adhort. ad Gentes ſtatim initio. Cœlius Rhodiginus lib. 21. lect. antiq. c. 22. Ægyptii putant Amphiona magiæ peritum fuiſſe, propterea petras illi in Thebarum mœnibus exſtruendis viſas obtemperare, ſicuti Orpheo ratione eadem feræ obediverunt: *Amphionem Muſicam inveniſſe ſcribit Plinius lib. 7. cap. 56.*

ι De fabro Dædalo & ejus filio Icaro.] *Dædalus Athenienſis faber egregius, Icari pater, qui primus in formis animalium, quas veteres plaſtæ cæcas fingebant, & immobiles oculos induxit, & abditis quibusdam nervis effecit, ut hinc & illinc moverentur adeò ſcite, ut ſpectantibus vivere & progredi viderentur; fecit & ligneam venerem, quæ in fuſo argento vivo movebatur; item & labyrinthum in Creta multiplici & intricata viarum perplexitate irremeabilem, quo incluſus alis ſibi & Icaro filio confectis per viam mortalibus negatam periculum effugit. Quod ideò finxerunt Poetæ, quoniam velα Icarus, malum & antennam Dædalus invenit. Plinius lib. 17. cap. 56.* Item primus fabricam materiarum, item ſerram, aſciam, perpendiculum & tenebram invenit. *Authore etiam Apollodoro lib. 3.* Hic architectus omnium præſtantiſſimus & primus imaginum, deorumque ſtatuarum fuit inventor: ejus opera Paſiphaë tauro ſe commiſcuit & Theſeus Labyrinthum effugit. Quod ægrè ferens Minos rex Cretæ eum dare morti conſtituerat, niſi remigio alarum Cumas convolaſſet, ubi Apollini templum condidit. *Diodorus lib. 4. cap. 13.*

κ De Oedipo. qui monſtrum quoddam.] *Creonte apud Thebas regnante non mediocris clades Thebas invaſit. Si quidem Juno Sphingem ex Echidna & Typhone parentibus ortam immiſit. Hæc muliebri facie, pectore, pedibus ac cauda leonis & avis pennis prædita fuit. Quæ cum à Muſis ænigmata didiciſſet, in Phiceo monte conſedit,*

conſedit, de quibus id unum Thebanis proponere ſolebat, quod eſt hujuſmodi, Quodnam eſſet id animal, quod unam habet vocem, & quadrupes, bipes ac demum tripes efficitur. *Ad hæc Thebanis oraculo renunciatum fuerat, jam tunc Sphingis incommodo liberos fore, quando hoc ænigma ſolverent: quinetiam in unum ſæpe coeuntes univerſos, quid illud eſſet, rogabat; quod cum minimè reperirent, abreptum ex omnibus unum devorabat, eaque de cauſa plerique ſubinde peribant: ac poſtremo ad eum modum Æmone Creontis filio perempto Creon ænigma hujuſmodi ſoluturo & regnum & Laji uxorem ſe traditurum præconis voce renunciari jubet. Quod ubi ad Oedipi aures pervenit, ita ipſe ſolvit, quod à Sphinge proponitur ænigma, hominem eſſe ait, naſcitur enim quadrupes infans, qui quatuor graditur membris, grandior autem effectus homo bipes eſſe incipit, ſeneſcens verò ad demum tertio aſſumpto pede, id eſt, ſcipione tripes dici poteſt. Ipſa igitur Sphynx ex arce ſeſe præcipitem dedit: Oedipus inde regnum accepit ac matrem ignorans duxit uxorem, de qua etiam Polynicem & Etheoclem maris fœmineique ſexus Iſmenem & Antigonem procreavit. Apollodorus lib. 3. Diodorus lib. 4. c. 6.*

λ De Antæo quem necavit Hercules.] *Fabulam Antæi & Herculis exponit Fulgentius lib. 2. mythol.* Quod Antæus in modum libidinis ponitur, & ideo terræ fingitur filius, quia ſola libidine de carne concipitur: tacta terra validior exurgebat. Libido enim quanto carni conſenſerit, tanto ſurgit iniquior, tandem à virtute gloriæ quaſi ab Hercule ſuperatur. Nam denegato ſibi terræ tactu moritur, altiusque elevatus materna non potuit mutuari ſuffragia: omnem enim mentem, dum virtus in altum ſuſtulerit & carnalibus etiam denegaverit aſpectibus, victrix ſtatim exſurgit.

μ Pulcherrimmum puerum Ganymedem.] *Hic Trois regis Trojanorum filius fuit ex Callithoe Scamandri filia: hunc ob corporis formam raptum per aquilam Jupiter deorum pincernam in cœlo conſtituit. Appollodorus lib. 3. Diodorus lib. 4. cap. 12. Hanc fabulam tangit Virgilius 1. Æneid. cum inter cauſas odii Junonii in Trojanos recenſet raptum Ganymedis, meminit & Pauſanias lib. 5. Clemens Alexandrinus ſer. exhortat. Minutius in Octavio:* Quid loquar Martis & Veneris adulterium deprehenſum? & in Ganymedem Jovis ſtuprum cœlo conſecratum? Quæ omnia in hoc prodita, ut vitiis hominum quædam authoritas pararetur. His atque hujuſcemodi figmentis & mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum, & iisdem fabulis inhærentibus aduſque ſummæ ætatis robur adoleſcunt, & in iisdem opinionibus miſeri conſeneſcunt. *De eodem Lactantius lib. 1. cap. 11. Euſebius lib 5. de præparat. Evang. cap 13.*

ν Quod nefas rex Tantalus fecit.] *Scribit Euſebius ex Phanok Poeta ob raptum Ganymedis Troi patri Ganymedis & Tantalo bellum exortum eſſe, unde fruſtra Jovis fabula & raptrix Aquila fingitur.*

ξ Vel Danaes per imbrem aureum.] *Danae Acriſii regis Argivorum filia, quæ à Jove in aurei imbris effigiem converſo compreſſa Perſeum peperit, qui avum ſuum occidit. Tangit hanc fabulam Jovis & Danaes Tertullianus in Apologet. cap. 20. Cyprianus epiſt. 2 ad Donatum,* Exprimunt *(inquit)* impudicam Venerem, adulte-

rum Martem, Jovem illum ſuum non magis regno quam vitiis principem in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem nunc in plumas oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubeſcentium raptus miniſtris avibus proſilire. *Interpretatur fabulam eo ſenſu quo Auguſt. Lactantius libr. 1. cap. 11.* Danaen violaturus Jupiter aureos nummos largiter in ſinum ejus infundit. Hæc ſtupri merces fuit, at Poetæ, qui quaſi de Deo loquebantur, ne authoritatem creditæ majeſtatis infringerent, finxerunt ipſum in aureo imbre delapſum. *Juppiter Pindaro χρύσεῳ νίφων dicitur. Danaes fabulæ meminit Terentius in Eunucho, Ovid. lib. 6. metamor. & 2. de Triſtib. Horat. lib. 3 carmin. in mytholog. conſentiunt cum D. Auguſt. Lactantius loco citato, & Fulgent. & Epiph. in Ancorato;* erga Danaem, *inquit,* Juppiter aurum fiebat, ut virginem caſtam in thalamo decumbentem corrumperet, at ille aurum nunquam fieri potuit, ſed fuit præſtigiator & per auri largitionem virginem decepit.

ο Peperit Apollinem, non illum.] *Ita Euſebius in Chronicis;* Apollo de Latona naſcitur, non ille, cujus conſueverunt oracula conſuli, ſed qui cum Hercule ſervivit Admeto. *Scribit Apollodorus lib. 3. quod* cum Juppiter jam jam in tartarum dejecturus eſſet Apollinem, quod Cyclopas occidiſſet, quod Jovi fulmina comparaſſent, Latonæ precibus exoratus annum totum ut ipſe viro mercede conductus ſerviret, imperavit. Is autem Pharas ad Admetum Pheretis filium ſe contulit, apud quem ſervitutem ſerviens armenta paſcebat. *Cicero lib. 3. de Natur. deor. quatuor Apollines commemorat. primum ex Vulcano, & Minerva natum, cuſtodem Athenarum, alterum Corybantis filium natum in Creta, cujus de illa inſula cum Jove ipſo certamen fuiſſe traditur. Tertium Jove 3. natum & Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt adveniſſe: quartum in Arcadia, quem Arcades non jovem appellant, quod ab eo ſe leges ferant acccepiſſe. Lactant. lib. 1. cap. 10. ſcribit, Apollinem ob amorem, quo flagrabat turpiſſimè, gregem paviſſe alienum; hoc nomine ſugillatur ab Arnob. lib. 4. contra Gentes.*

π Bacchanalia Sacra vel potius ſacrilegia] *Bacchanalia, quæ & Dionyſia Bacchi feſta, in quibus viri per noctem fœminis & teneræ ætati turpiter miſcebantur per dolum. Hæc à multis Græciæ urbibus triennio quoque celebrabantur. Unde* trieterica *dicta ſunt, i. e.* triennalia. *Virgil. 4. Æneidos.*

----Ubi audito ſtimulant trieterica Baccho.

Origia verò dicebantur, ἀπὸ τῆς ὀργῆς. i. e. à furore, *ut quidam putant.* quod hæc præcipue ſacra à mulieribus furore correptis celebrarentur, *vel* ab illa Cereris in Jovem, *ut vult Clemens Alexand.* quod fortaſſe in Draconem mutatus cum Proſerpina filia eſſet congreſſus, *vel ἀπὸ τῶν ὀρέων. i. e.* à montibus, *in quibus potiſſimum hæc Sacra fiebant. Hæc primùm inſtituta ab Orpheo docent Diod. Siculus, Tertul. in Apolog. cap. 21. Theodor. ſermo. 1 & 2. θεραπ. Lactant. lib. 1. cap. 22.* Sacra Liberi patris primus Orpheus induxit in Græciam primusque celebravit in monte Docotiæ Thebis, ubi liber natus eſt, proximo.

ρ Sic ſenatus erubuit ut in urbe Roma eſſe prohiberet.] *De Bacchalium origine in urbe, ſceleribus & flagitiis, quæ in ſacris illis nefandis committebantur, & quomo-*

do S.C. Omnia diruta ſint, fusè narrat Livius lib. 49. ab V. C. 568. Sp. Poſtumio Albino & Q. Martio Philippo Coſſ. Tertul. in Apolog. cap. 6. Liberum patrem cum myſteriis ſuis Coſſ. Senatus authoritate non modo urbe, ſed univerſa Italia eliminaverunt.

σ Perſeus & uxor ejus Andromeda.] *Perſeus filius Jovis ex Danae, ut jam dictum eſt. Hic Andromedam, Cephei filiam, marinæ belluæ objectam periculo liberavit, liberamque uxorem duxit. Apollodorus lib. 2. bibliot.* Andromedam *cum Auguſt. vocavit Steph. in voce χαλδαῖοι, Scholiaſtes Apollonii, Solinus, Ovidius, Suidas in Perſeo, Mela libr. 1 cap. 11. Strabo libr. 16. Plinius libr. 9. cap. 5. & libr. 35. cap. 11. Euſebius* Andromacham *appellat, niſi fortè locus ſit corrigendus.*

Cap. XIV.

De Theologis Poëtis.

Per idem temporis intervallum extiterunt poëtæ, qui etiam Theologi dicerentur, quoniam de diis carmina faciebant: ſed talibus diis, qui quamlibet magni homines, tamen homines fuerunt: aut mundi hujus, quem verus Deus fecit: elementa ſunt, aut in principatibus & poteſtatibus pro voluntate creatoris, & non ſuis meritis ordinati: & ſi quid de uno vero Deo inter multa vana & falſa cecinerunt, colendo cum illo alios, qui dii non ſunt, eiſque exhibendo famulatum, qui uni tantùm debebatur Deo, non ei utique ritè ſervierunt, nec à fabuloſo deorum ſuorum dedecore etiam ipſi abſtinere potuerunt. Ex quorum numero fuiſſe perhibentur. *a* α Orpheus, Muſæus, Linus. Verùm iſti Theologi deos coluerunt, non pro diis culti ſunt: quamvis Orpheum, neſcio quomodo, *b* infernis ſacris vel potius ſacrilegiis præficere ſoleat civitas impiorum. *c* β Uxor autem regis Athamantis, quæ vocabatur Ino, & ejus filius Melicertes præcipitio ſpontaneo in mari perierunt, & γ opinione hominum in deos relati ſunt: ſicut & alii homines eorum temporum: *d* inter quos fuerunt Caſtor & Pollux. Illam ſanè Melicertis matrem Leucotheam Græci, Matutam Latini vocaverunt: utrique tamen putantes deam.

a Orpheus, Muſæus, Linus.] *Eodem tempore hi tres vixerunt paulo ante Troicum exeidium. Orpheus Thrax Oeagri filius: ut alii putant Apollinis & Calliopes, quod fictum eſt ob cantus ſuavitatem. Artapanus illum in Ægypto doctum tradit, adjutumq́; magnopere doctrina Moſaica. Diodorus ſacra Bacchi ex Ægypto in Græciam attuliſſe dicit, dediſſeq́; Thebanis, quod ab eis eſſet honorificè exceptus. Hic cantus ſuavitate, & beſtias, & ſaxa ad ſe fertur allexiſſe. Quin & Parcas dulcedine ſuæ lyræ flexit, ut ſibi ſua redderetur Euridice. Sunt pleni harum rerum poëtarum libri. Occiſus eſt à bacchantibus fœminis, cauſa non conſtat. Alii, quòd viderit Liberi ſacra, putant, alii quòd cùm apud inferos deos omnes laudaſſet, Liberum prætermiſerit: alii quòd cùm adjudicaſſet Adonim dimidio anno Calliopæ, & dimidio Veneri, nec Veneri totum, hæc in eum fœminarum furorem immiſit: Higinius lib. 2. Ita ab illis diſcerptus eſt, lyra inter ſidera relata novem ſtellis, cujus teſtudo ſpectat ad arcticum circulum. Ariſtoteles negat, Orpheum hunc unquam fuiſſe. Porrò qui Argonautica ſcripſit Crotoniaca fuit temporibus Piſiſtrati tyranni Athenienſis.*

ſis. Linus, ut Hermodorus ait, Mercurii & Uraniæ Muſæ filius fuit. Vergil. Apollinis dicit. Diod. hunc primum in Græcia numeros, & melodiam inveniſſe ait. Scripſit mundi originem, ſolis & lunæ curſus, animalium & fructuum generationes docuit Herculem citharam: cumq́; is ingenio eſſet tardo, & ob id objurgaretur, ac etiam interim vapularet: in magiſtrum Linum inſurrexit, cumq́; confecit ictibus citharæ: alii ſagitta Apollinis periiſſe narrant. Muſæos non unum commemorat Suidas: tres enim fuiſſe ait. Primum Eleuſinum Antiphemi filium, Orphei diſcipulum, qui verſibus ad Eumolpum filium vitæ inſtitutæ compoſuit: Alterum Thebanum Thamyræ genitum, ante Troicam cladem poëtam melicum, ſcripſiſſeq́; hymnos & cantica. Tertium multo recentiorem Epheſium item poëtam, qui vixit Eumene & Attalo regibus, conſcripſitq́; res Pergamenſium. At muſæum illum Orphei diſcipulum, vulgò Eumolpo patre faciunt. Diogenes initio operis hunc Athen. primumq́; ait deorum ſcripſiſſe genealogias, ſphæram inveniſſe, & ex uno fieri atque in idipſum reſolvi, omnia dixiſſe: quem Phaleræ Atticæ diem obiiſſe, indicio eſt epigramma ejus ſepulchro inſcriptum. Hunc ferunt, Eleuſinis ſacris præfuiſſe, cùm Hercules initiaretur. Dixi, alibi eſſe autores, qui tradunt Moſen à Græcis ſolitum Muſæum dici, ſi modò nihil eſt apud Euſebium mundi.

b Infernis ſacris.] *Propterea quòd deſcendiſſe putatus eſt, ac incolumis rediiſſe, etiam præter inſtitutum Parcarum uxorum recepiſſe, lacrymasq́; Furiis excuſſiſſe, ut Ovid. canit 10. Metamor. Ideò multum apud manes deos poſſe videtur.*

c Uxor autem regis Athamantis, quæ vocatur Ino.] *Hæc cùm comperuiſſet, maritum adamare ſervam Ætolam, Antipheram nomine, dicitur & ipſa filium Melicertam deperiiſſe. Idcircò ſervus omnis ſervaq́; aditu templi Inus prohibetur. Quin & hinc Cherone æditus locum tenens clamabat: Ne ſerva ingreditor, ne ſervus, ne Ætolus, ne Ætola Romæ in ædem Matutæ unam tantùm ancillam matronæ inducebant, quam cædebant alapis. Hæc Plutarchus in Problematis. Ino & Melicerta, ubi ſe in mare conjeciſſent, mutata ſunt nomina, & Ino mater Matuta eſt Latinis, Græcis λευκόθεα, i. e. alba dea: filius Græcis Palemon, nobis Portunnus, quòd portubus praeeſſe crederetur, & in portu Tiberino ejus erat ædes feſtumq́; Portunalia, ut ait Varro, quòd eo die templum ei eſt ſacratum, & feriæ inſtitutæ. In hujus honorem ludos Iſthmicos Corinthii inſtituerunt, autor Pauſan.*

d Inter quos fuerunt Caſtor & Pollux.] *Jupiter verſus in Cycnum, cùm Venerem juſſiſſet mutata in Aquilæ faciem forma ſe inſequi, ad Ledam confugit, quæ Cycnum gaudens excepit, & tutari ſibi viſa eſt: cumq́; obdormiiſſet, à Cygno compreſſa eſt, pepericq́; ovum, ex quo nati ſunt Caſtor & Pollux & Helena: alii gemina ova peperiſſe dicunt: ſicut Horatius ait in Arte: Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo. Ex altero geminas puellas Helenam & Clytemneſtram natas. Sunt qui tantùm ex uno ovo Helenam & Pollucem prodiiſſe immortales, Caſtorem verò ſatu Tyndari mortalem. Iſoc. in Panegyr. Helenæ, idcirco ait, exiſtimatam Helenam ab olore genitam, quòd collo eſſet oblonga & candido. Caſtor & Pollux Tyndaridæ dicuntur, quia Tyndarus Oebali filius Ledæ erat maritus, & haud dubiè putantur ejus eſſe, non Jovis. Tametſi Cycnus eſt in cœlo, concubitus illius ſanctæ, ſcilicet rei, & imita-*

Digitized by Google

tu dignæ monumentum, ipſiq́; Caſtor & Pollux ſignum efficiunt geminorum. quorum uterque alternis ſolùm diebus lucet, cujus rationem Home. reddit, quòd cùm Caſtor & Pollux Lynci & Idæ ſponſas eripere tentarent, moto conflictu Idas Caſtorem interfecit, confecturus & alterum, ni ſubitò à Jove ſubventum eſſet, ne lædi quiret. Pollux à patre Jove petiit, ut liceret ſibi de ſua vita dimidium fratri impartiri, idq́; Jupiter conceſſit. Studioſius fuit equorum Caſtor. Pollux palæſtræ. Dioſcuri ſunt dicti, i. e. διὸς κῦροι, Jovis pueri. Homer. hos ſepultos tradit Lacedæmone: putabantur propitii eſſe navigantibus & periclitantibus in ſpeciem geminarum ſtellarum adeſſe, hac de cauſa, quòd dum navigarent cum cæteris Argonautis, orta tempeſtate, & reliquis miſerè metuentibus, Orpheus omnes bono eſſe animo juſſit, ac votis diis Samothracibus ſuſceptis cœpit mare miteſcere, duabus ſtellis, ſuper Caſtoris & Pollucis capitibus apparentibus, quo miraculo læti crediderunt, ſe deorum providentia liberatos, ac deinceps ipſos geminos implorare, mos fuit, & ſi appareant geminæ ſtellulæ, credere ſalutare, non item ſi ſolitariæ. Cæterum Romani, cùm ambobus idem condidiſſent templum ad lacum Iuturnæ, ferè non aliter quàm Caſtoris nominabant: in quo nimium vel erant inciviles ipſi, vel immodeſtus & ingratus Caſtor, qui cum mortalis eſſet ſuaptè natura, immortalitatem beneficio fratris nactus, eam gratiam Polluci referebat, ut ſe præferendo nomen, famam, ac propè vitam ejus premeret & obſcuraret, futurus ipſe alioqui obſcurus & prorſum ignotus, ni aliter ſubveniſſet: ſed nimirum prius hoc Pollux peccaverat, nam dum à patre impetrat, ut alternis tantùm viverent diebus, effecit, ne unquam alter altero frui poſſet.

E 1.609 a ORpheus, Muſæus, Linus] *Orpheus poeta ſeu vates Calliopes & Apollinis filius, quem à Mercurio, ſive ut alii habent, à patre Apolline Lyram accepiſſe ferunt, eaque tantum valuiſſe, ut illius cantu Sylvas & Saxa moverit, fluviorum curſum prohibuerit, ferasque mitiores reddiderit, quod forte agreſtes homines ad civiliorem cultum reformarit. Ita enim Horatius.*

Sylveſtres homines ſacer interpreſque deorum
Moribus & fœdo victu deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones.

θεολόγος ἅμα καὶ ποιητὴς, *à Clemente dicitur: de eo ita D. Nazianzenus,* ὃν τοσοῦτον ἕλληνες ἐπὶ σοφίᾳ ἐθαύμασαν ὥστε καὶ λύραν αὐτῷ ποιοῦσι πάντα τοῖς κρούσμασιν ἕλκουσαν. *Macrobius lib. 2. in ſomnium Scipionis cap. 3.* Hinc exiſtimo, *inquit*, Orphei vel Amphionis fabulam, quorum alter animalia ratione carentia, alter ſaxa quoque trahere cantibus ferebatur, ſumpſiſſe principium, quia primi forte gentes vel ſine rationis cultu barbaras, vel ſaxi inſtar nullo affectu mobiles ad ſenſum voluptatis canendo traxerunt. *Apollodorus & Suidas Œagri & Calliopes filium faciunt. Theodoretus ſermone 2.* θεραπευτ. *ſcribit, Orpheum generatione una bellis Trojanis antiquiorem fuiſſe. Linum porro ac Muſæum circa Trojani tempora viguiſſe. Ibidem ſcribit, Orpheum, etſi multa præclare de Deo vero dixerit, quæ ab Ægyptiis didicerat, qui nonnullas prius ab Hebræis diſciplinas acceperant, aliquos tamen errores ſua illi Theologiæ admiſcuiſſe, ac Dionyſiorum Theſmophoriorumque impuriſſima Orgia Græcis tradidiſſe quaſi melle ad oras calicis circumducto lethale*

lethale poculum deceptis porrexerit. De Orpheo & Muſæo Juſtin. Martyr. orat. ad Gentes ita ſcribit, Ορφεὺς γ' ȣ̃ν ὁ τῆς πολυθεότητ☉ ἡμῶν ὡς ἄν εἴποιτις πρῶτ☉ διδάσκαλ☉ γεγονὼς δια πρὸς τὸν ὑὸν αὐτȣ̃ Μȣσαῖον, καὶ τοὺς λοιποὺς γνησίοις ἀκροατας ὕστερον περὶ ἑνὸς καὶ μόνȣ θεȣ̃ κηρύττει λέγων.

β Uxor autem regis Athamantis.] *Ino Cadmi & Hermiones filia uxorque Athamantis regis Thebarum, ut refert Ovidius lib.3. metamorph. cum Melicerta filio propter timorem ſe de ſcopulo præcipitem egit in mare, amboque facti ſunt dii marini, illa Leucothea, Melicertes, Palæmon, qui & Portunus, vocati ſint. Scribit Apollodorus lib.3.* quod Inoni & Athamanti Juno furorem immiſerit. Inde Athamas majorem natu filium Learchum velut cervum venatu interfecit: Ino verò Melicerta in ferventem lebetis aquam conjecto, & cum perempto filio in profundum maris deſiluit; Et hæc quidem Leucothea nominatur, puer autem Palæmonis nomen accepit. Sic itaque appellati à navigantibus quod maris tempeſtatem patientibus opem ferrent. *Pauſanias libr.1. Paulo aliter fabulam narrat cum Melicerte natu minore filio ſe de ſaxo, quam Moluidam petram appellant, præcipitem dediſſe, cum natu majorem Learchum occidiſſet; & puerum quidem à Delphine receptum cum in Corinthiorum Iſthmo fuiſſet expoſitus, mutato nomine ex Melicerte Palæmonem appellatum, eique cum alios habitos honores, tum verò Iſthmicos ludos decretos. Moluidam certe petram Leucotheæ & Palæmoni ſacrarunt, de quo Ovid. 4. Metamorph. & in Faſtis.*

Leucothea Graiis, Matuta vocabere noſtris.

Lactantius lib.1. c.21. Ino poſtquam ſe præcipitavit in mare, Leucothea, materque Matuta, & Melicertes filius ejus, Palæmon atque Portunus. *Cic. lib.3. de nat. deor.* Ino dea dicetur, quæ Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicitur.

γ Opinione hominum in Deos relati ſunt.] *Cicero lib.3. de Natura deorum:* Jam verò in Græcia multos habent ex hominibus deos, Alabindum Alabandi Tenedi regem, Leucotheam, quæ fuit Ino & ejus Palæmonem filium cunctæ Græcia. *De Ino Pindarus in Olympic. ode.2.*

Λέγονται δὲ ἐν καὶ θαλάσσῃ,
μετὰ κόραισι Νηρῆ☉
Αλίαις βίοτον ἄφθιτον
Ινοῖ τετάχθαι τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον.

Inter quos fuerunt Caſtor & Pollux.] *Fratres gemini fuerunt Jovis ex Leda filii, qui & Tyndaridæ paſſim à Poetis appellantur. Hi ubi primum adoleverunt, mare piratis liberaverunt, & ob id Dii maris habiti ſunt, quos in tempeſtate nautæ ſolent implorare. Poſt hæc Cholcos cum Argonautis profecti ſunt; qua in expeditione Pollux Amycum Bebryciorum regem inſidias ſibi ſtruentem interfecit. Apollodorus libr.1. domum reverſi Helenam ſororem à Theſeo raptam receperunt Aphidna urbe, Archeſio abſente, expugnata. Tandem cum Caſtor diem ſuum obiiſſet, ferunt Pollucem, qui eodem cum Helena ovo natus immortalis erat, fratris deſiderio à Jove petiiſſe, ut immortalitatem ſuam cum fratre poſſet partiri, quare impetrata alternis eos mortem oppetiiſſe & revixiſſe. Cui fabulæ occaſionem dedit Geminorum natura,*

quorum alter ʃ Oriente alter occidit, & è converſo. Minutius in Octavio: Caſtores alternis moriuntur, ut vivant; *Lactantius libr. 1. cap. 10.* eosdem Poetæ alternis vivere, alternis mori narrant, ut jam ſint non deorum tantum, ſed omnium mortalium miſerrimi, quibus ſemel mori non licet. Hos tamen ambos Homerus ſimpliciter, *inquit*, non ut poetæ ſolent, mortuos eſſe teſtatur. Nam cum faceret in muris aſſidentem Priamo Helenam cunctos Græciæ Principes recognoſcere, ſolos autem ſe fratres ſuos requirere, ſubjecit orationi ejuſmodi verſum.

Ὥς φατό, τοὺς δ' ἤδη κατέχει φυσίζοος αἶα.

Inter deos ἀποτρόπαιους *i. e.* malorum averſores *ſunt annumerati; quibus etiam Romæ inſigne dedicatum erat templum in foro, quod Romanis adverſus Latinos periculoſiſſimo in prælio ſuppetias tuliſſe crederentur. Nam ut Dionyſius lib. 6. antiquit. ſcribit,* in pugna ad lacum Regillum apparuerunt forma anguſtiore ducentes equitatum Romanum adverſus Latinos, haſtiſque feriebant, propellebantque adverſarios, ſocios verò cohortabantur. Quæ potiſſimum cauſa fuit, ut Latini fugarentur & caſtra caperentur; iidem mox viſi ſunt ſudorem equorum abluere juxta fontem Iuturnarum, deinde è conſpectu mortalium ſe ſubduxerunt. *Caſtoris ædem dedicatam A. V. C. an. 267. quæ vota erat Latino bello Poſthumio Dictatore, ſcribit Titus Livius lib. 2. Tertullia. in Apolog. cap. 22. fallacias dæmonum & phantaſmata Caſtorum appellat.*

CAP. XV.

De occaſu regni Argivorum, quo tempore apud Laurentes Picus Saturni filius regnum patris primos accepit.

PEr ea tempora *a* regnum finitum eſt Argivorum, *a* translatum ad Mycenas: unde fuit Agamemnon, *c* & β exortum eſt regnum Laurentum: ubi Saturni filius *d* γ Picus regnum primus accepit, δ judicante *e* apud Hebræos fœmina Debora, ſed per illam Dei Spiritus id agebat: nam & Prophetiſſa erat, *f* cujus prophetia minus aperta eſt, quàm ut poſſimus eam ſine diuturna expoſitione de Chriſto demonſtrare prolatam. Jam ergò regnabant Laurentes utique in Italia, *g* ex quibus evidentior ducitur origo Romana poſt Græcos: & tamen adhuc regnum Aſſyriorum permanebat, ubi erat rex viceſimus tertius Lampares, quum primus Laurentum Picus eſſe cœpiſſet. De hujus Pici patre Saturno viderint, quid ſentiant talium deorum cultores, qui eum negant, hominem fuiſſe: de quo & alii ſcripſerunt, quòd ante Picum filium ſuum *h* in Italia ipſe regnaverit: *i* & Vergilius notioribus literis dicit:

Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legesq́; dedit, Latiumq́; vocari
Maluit: his quoniam latuiſſet tutus in oris.
k Aureaq́; ut perhibent illo ſub Rege fuere
Secula.

Sed hæc poëtica opinentur eſſe figmenta, *l* & Pici patrem Stercen potius fuiſſe aſſeverunt, à quo peritiſſimo agricola inventum ferunt, *m e* ut fimo animalium agri

agri fœcundarentur, quod ab ejus nomine ſtercus dictum eſt: unde & hunc quidam Stercutium vocatum ferunt. Qualibet autem ex cauſa eum Saturnum appellare voluerint, certum eſt tamen, hunc fuiſſe Stercen ſive Stercutium, quem meritò agriculturæ fecerunt deum. Picum quoque ſimiliter ejus filium in talium deorum numerum receperunt, *n* quem præclarum augurem *o* & belligeratorem fuiſſe aſſerunt. *p* Picus Faunum genuit. Laurentum regem ſecundum, etiam iſte deus illis ſylveſtris fuit. Hos ante Trojanum bellum divinos honores mortuis hominibus detulerunt.

a TRanslatum ad Mycenas.] *Pauſanias de hoc regno ad hunc ſcribit modum: Jam hic omnes ſciunt filiarum Danai in patrueles ſcelus, & quemadmodum Danao mortuo imperium Lynceus habuerit, quo decedente, Abantis filii ejus liberi regnum inter ſe diviſerunt & Acriſius Argis manſit: Prætus verò Eræum, Midæam, ac Tyrinthum habuit, & quæcunque ad mare ſpectant Argeum, relicta ſunt Tyrinthi argumenta habitationis Præti. Procedente tempore Acriſius Perſeum ſupereſſe audient, & facta oſtentare, ſeceſſit in Lariſſam, quæ eſt circa Peneim. Perſeus verò avi ſui videndi erat percupidus, illumq́; & verbis & operibus prædulcibus complecti ſtudebat, itaque ad ipſum Lariſſam venit, qui utpote ætate florens, & inventione diſci gaudens, apud omnes ingenium oſtentabat & vires. Acriſius verò in ictum diſci impudens incidit, atque hoc modo Dei oraculum circa illum impletum eſt, neque vim fati potuit à ſe avertere, quæ de filio & nepote prædicta erant. Perſeus verò cùm Argos rediſſet pudore affectus ob rumorem cædis à ſe perpetratæ, regnum cum Megapentha Præti filio commentavit, Perſeusq́; Mycenas condidit, ſic appellatas, quod μύκη, id eſt, vagina gladii ibi ei deciđiſſet, quod ipſe putavit ſignum condendæ urbis: & ſi ſunt, qui dicant à Mycena Inachi ſecundi filia dictas uxore Areſtoris: cujus Mycenæ meminit Homer.* I. Vives. Argivũ regnum. Mycenæ.

b Unde fuit Agamemnon.] *Pelops ex Hippodamia Atreum & Thieſten genuit: Atreus Agamemnonem & Menelaum ex Ærope ex ſententia Homeri: nam Heſiodus Pliſthenis, quem Thieſte genuit filios, dicit, niſi pro Pliſthene legendum ſit Thieſtes, quod veriſimilius. Hic fuit dux Heroum ad Trojam, etſi alii abrogatum illi quandoque imperium narrant, & Palamedi traditum, quo occiſo fraude Ulyſſis imperium ad Agamemnonem redierit.* Agamemnõ.

c Exortum eſt regnum Laurentum.] *Laurentum urbs fuit Latii vetuſtiſſima, quam Aborigenes tenuere ſedem regni à Saturno fundati. Laurentum appellatum à laureo luco ſolis indigetis.* Laurentum.

d Picus regnum primus.] *Hunc fuiſſe filium Saturni ex Fauna, canit Verg. lib. 7. & Ovid. lib. 14. Metam. habuit Circen, à qua, quod Pomonem nympham adamaſſet, in avem ſui nominis verſus eſt, quæ propterea ſacra fuit Marti apud Latinos & oracula ad ea reddita, autor eſt Diony. Alexandrinus. Ovidius aliam cauſam affert, cur ſit in avem mutatus, quòd ſcilicet preces Circes, non quidem conjugis, ſed quæ conjunx eſſe cupiebat, ſprevit. Cui Servius ſuffragatur.* Picus.

e Apud Hebræos fœmina Belbora.] *Vulgò Belbora: Hieron. tamen Balbora legit, quod interpretatur loquacem, vel apiculam. Hujus auſpiciis, & propè ductu,*

ſed

ſed imperatore belli Barach, tribus Neptalim Iſraelitæ fuderunt exercitum copioſiſſimum Siſara, Jud. 4. & apud Joſephum lib. de Antiq. 5. Præfuis hæc Belbora populo Judæo annos quadraginta, quo toto tempore feſta pax fuit in Iſrael.

f Cujus prophetia minus aperta eſt.] *Canticum Judic. 5.*

g Ex quibus evidentior.] *Nunc ſucceſſiones ſunt certæ à Laurentibus ad Laviniam Æneæ conjugem, Sylvium Poſthumum utriusque filium, hinc ad cæteros reges Albanos uſque in Numitorem Amulium, Iliam. Romulum & Remum.*

h In Italia ipſe reg.] *Unde Saturnia eſt dicta, & ſi aliter opinatur Euſeb. poëta pervetuſtus, cujus ſententiam Dion præſcripſit lib. 1. ex eo petat, ſi quis cupit.*

i Verg. notiorib. literis.] *Eſt enim frequens in manibus hominum Verg. & nulli non notus. Verſus, quos adducit, ſunt 8. Æn perſona Evam.*

Ætas aurea, *k* Aureaque ut perhibent.] *Dixi alibi de ætate aurea, quam Plato in Civili non aliter deſcribit, ac nos eam, quam primi parentes humani generis ante noxiam in Paradiſo egerunt. Idq; Platoni ex Moſaicis literis, ut alia plurima deſumptum contendit Euſeb. lib. Præp. 12.*

l Et Pici patrem Stercem.] *Et hunc ſive Stercem, ſive Stercutium Saturnum dixerunt, quod agros ſtercorare docuerit. Macrob. 1. Saturnalium. Plinio tamen Stercutius filius eſt Fauni, ob ejus rei uſum immortalitate donatus. Saturnus verò antiquior eſt multo iſtis temporibus, quem Theophilus ex tali ſententia trecentis annis fuiſſe dicit ante bellum Trojanum: ſed addit, æqualem fuiſſe Belo Babylonio. Alexander Polyhiſtor ipſum Belum Saturnum nominat: quod ſi ita eſt, vel malè nobis ſunt digeſta tempora, vel pluribus, quam octingentis annis præceſſit id bellum. Cæterum Saturni plures fuerunt. Ac neſcio, an verum ſit, quod tradit is, qui Xenophontis ſcripſit æquivoca, Saturnos dici nobiliſſimarum familiarum antiquiſſimos reges, & eorum filios Joves.*

Stercutius. Saturni

m Ut fimo animalium ægri fœcundarentur.] *Hoc ut fiat, docent Plin. lib. 16. & Varro, aliiq;, qui de rebus ruſticis ſcripſere. Cato Senior apud Ciceronem miratur, hanc partem agriculturæ prætermiſſam eſſe ab Heſiodo, cùm ejus eſſet facta mentio jam tum ab Homero.*

n Quem præclarum augurem.] *Servius 7. Æneid. dicit, propterea fictum illum eſſe in Picum avem verſum, quòd augur eſſet, & domi haberet Picum, per quem futura noſceret, quod & Pontificales indicant libri. Idcircò lituus, qui eſt augurum proprius, ei à Virg. appingitur:*

Ipſe Quirinali lituo parvâque ſedebat
Succinctus trabea.

o Et belligeratorem fuiſſe.] *Talem fingit Ovid. 14. Metam & Verg. Picus equum domitor. quo ſignificatur bellator, ut Græcè ἱππώτης & πλήξιππος & ταχύπωλος & αἰολόπωλος & ἱππόδαμος & ἱπποκορυστής. Idcircò & in avem audacem mutatum ferunt, & magni roboris: quercus enim roſtro ſubvertit, & Marti ſacra eſt: quam Romani venerantur, & ab ea vehementer abſtinent: quam etiam ferunt: expoſitos Romulum & Remum cuſtodiſſe, & eſſe ab injuria tutatum.*

p Picus Faunum genuit.] *Sic Vergilius: Fauno Picus pater. hic Faunus Fatuus etiam*

etiam eſt dictus, ut ſoror Fatua & Fauna. De quis alibi dixi. Dionyſius Martis pronepotem fuiſſe quoſdam exiſtimaſſe ſcribit, virum ſimul cum promptitudine prudentem, quem etiam ut genium quendam, ſive indigetem ſacrificiis & carminibus Romani colunt. Idem & Trogus. Inquiunt Faunum Arcadibus, qui Evandro duce in Italiam haud magna manu venerant, agros & montem, quem & illi poſtea Palatium appellarunt, aſſignaſſe: & poſt paulum Trogus: Fauno fuit uxor nomine Fatua, quæ aſſiduè divino ſpiritu impleta, velut per furorem futura præmonebat. Unde adhuc, qui inſpirari ſolent, Fatuari dicuntur. Ea Fatua à Fauno occiſa, pro dea culta eſt, appellataq́; Bona dea, quod tanta pudicitia fuerit, ut nemo illam quoad vixerit præter ſuum virum, mas viderit: autor M. Varro. Ab hoc Fauno putantur Fauni, Satyri & Sylvani, progeniti. Fatua.

α REgnum finitum eſt Argivorum translatumque Mycenas.] *Euſebius in Chronico anno mundi 3890.* Argivorum reges defecerunt, qui imperaverunt annis 544. usque ad Pelopem, qui regnavit annis 59. & Mycenas imperio translato poſt Acriſium regnavit Euriſthenes filius Stheleni annis 45. Poſt Acriſium in Mycenas Argivorum imperio translato; *hi reges ab Euſebio recenſentur Perſeus, Sthelenus, Euriſthenes, Atreus, Thyeſtes, Agamemnon, Ægiſtus, Oreſtes, Tyſamneus, Penthilus & Cometes usque ad Heraclidarum deſcenſum. Aliquanto aliter ſcribit Strabo lib. 8.* nimirum ab initio cum poſteri Danao in Argivorum regno ſuccederent, iisque permiſcerentur. Amythaonidæ profecti è Piſatide & Triphylia, cognati cum eſſent, ita ab initio ditionem in duo diviſerunt regna, ut duæ urbes, quæ regnorum ſedes forent, invicem minus 50. Stadiis diſtarent. Argos videlicet ac Mycenæ, Heræumque. i. e. Junonium ad Mycenas ſitum commune ambobus regibus eſſet templum. *Paulo poſt;* principio Argos Mycenas excellebat, poſtmodum Mycenæ excreverunt Pelopidarum migratione facta. Cum enim omnia ad Atrei filios eſſent devoluta, Agamemnon natu major poteſtatem adeptus, fortuna virtuteque uſus magnam regionis partem ſuo adjecit patrimonio, & Mycæneo regno etiam Argolicum adjecit; *Paulo poſt;* poſt bellum Trojanum regno Agamemnonis extincto, Mycenæ decreverunt maxime poſt Heraclidarum reditum, hi enim occupata Peloponneſo ejecerunt priſtinos dominos, atque ita, qui Argis potiti erant, Mycenas quoque ſubegerunt, & in unum corpus contraxerunt: Aliquanto poſt tempore Mycenæ ab Argivis ſunt dirutæ, ut jam earum ne veſtigium quidem ſuperſit. *Hæc Strabo de Argivorum & Mycenarum regno: Mycenas vocat Homerus 2. Iliad.* ἐϋκτίμενον πτολίεθρον. *Mycenarum regni finem refert Genebrardus in tempora Samuelis & Saulis: Pauſanias lib. 8. exemplo potentiſſimarum ac opulentiſſimarum jam olim civitatum, inſtabilitatem & volubilitatem fortunæ oſtendens Mycenarum inprimis meminit:* Nam & Mycenæ, *inquit,* quæ urbs Troicis temporibus cunctæ Græciæ imperabat, & regia Aſſyriorum Ninus funditus deletæ ſunt, *de everſione Mycenarum ab Argivis Diodorus Siculus lib. 11.* F. L. Cog.

β Exortum eſt regnum Laurentum.] *Laurentum civitas Latii non procul à Lavinio, ita dicta à Sylva laurea, qua exciſa ædificata eſt, vel (ut inquit Priſcianus) à* Lauro

Lauro ibi primum inventa, dum Picus eam conderet. *Hinc Laurentes populi dicti ſunt.*

γ Picus regnum primus accepit.] *Fuit Picus rex Latinorum Fauni pater, Latini regis avus, auguriorum peritiſſimus, qui à Circe adamatus cum ejus conjugium ſperneret, mutatus fertur in avem ſui nominis, quod idcirco fingi creditur quia primus hac ave uſus eſt in auſpiciis: de hoc Ovid. 13. Metamorph.*

Picus in Auſoniis proles Saturnia terris.

De eo etiam Virgilius 7. Æneidos. Meminit & Cyprianus lib. de idolorum vanitate. Arnobius lib. 2. Saturni filium, Jovis fratrem, & primum Laurentium regem fuiſſe eo tempore, quo apud Hebræos judicabat Debbora, ſcribit. unde colliges, quam parum abfuerit ætas deorum à Trojano bello.

δ Judicante apud Hebræos fœmina Debbora.] *De ea hiſtoria exſtat Judic. 4. & apud Joſephum lib. 5. Antiquit. cap. 6. fuit ex tribu Ephraim.*

ε Ut fimo animalium agri fœcundarentur.] *De eo Cato de re ruſtica cap. 5. 29. & 36. Varro item lib. 1. de re ruſtica cap. 38. Columella lib. 2. cap. 15.*

Cap. XVI.

De Diomede poſt Trojæ excidium in deos relato, cujus ſocii traditi ſunt in volucres eſſe converſi.

TRoja *a* verò everſa, & excidio illo usquequaque cantato, puerisque notiſſimo: quod & magnitudine ſui, & ſcriptorum excellentibus linguis inſigniter diffamatum atque vulgatum eſt: *a* geſtumque β regnante jam Latino Fauni filio, *b* ex quo Latinorum regnum dici cœpit, Laurentumque ceſſavit: Græci victores, deletam Trojam delinquentes, & ad propria remeantes, *c* diverſis & horrendis cladibus dilacerati atque contriti ſunt: & tamen etiam ex eis deorum ſuorum numerum auxerunt, *d* γ Nam & Diomedem fecerunt deum, δ quem pœna divinitus irrogata perhibent ad ſuos non revertiſſe, *e* ε ejusque ſocios in volucres fuiſſe converſos, non fabuloſo poëticoque mendacio, ſed hiſtorica atteſtatione confirmant: quibus nec deus ut putant factus, humanam revocare naturam, vel ipſe potuit vel certè à Jove ſuo rege tanquam cælicola novitius impetravit. Quinetiam templum ejus eſſe ajunt *f* ζ in inſula Diomedæa, non longè à monte Gargano, qui eſt in Apulia, & hoc templum circumvolare, atque incolere has alites tam mirabili obſequio, ut roſtrum aqua impleant & aſpergant: & eò ſi Græci venerint, vel Græcorum ſtirpe progeniti, non ſolùm quietas eſſe, verùm & ſuperadvolare: ſi autem alienigenas viderint, ſubvolare, & capita eorum tam gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare. Nam duris & grandibus roſtris ſatis ad hæc prælia perhibentur armatæ.

L. Vives. Latinus. *a* GEſtumque regnante jam Latino.] *Latinum Vergil. dicit filium Fauni & Maricæ Laurentis, quam plerique Circen putant. Servius fuiſſe dicit, qui per Maricam Venerem intelligerent, ſed Heſiodus Latinum Circes & Ulyſſis fuiſſe filium perhibet, quod & Verg. tangit dicendo: Solis avi Specimen, ſed quia temporum ratio non procedit, illud accipiendum eſt Higini, qui ait, Latinos plures fuiſſe, ut intelligamus,*

mus poëtam abuti nominum ſimilitudine. Dionyſius perhibet, Herculem, cùm eſſet in Italia, ex Lavinia Evandri filia genuiſſe Pallantem, ex Hyperboride verò obſide Latinum, quam Hyperboridem, cùm in Græciam trajecturus eſſet Fauno, collocavit Aboriginum regi, Juſtinus ex Trogo Latinum Hercule & Fauni filia ſtupro genitum tradit. Hunc regem Græci τηλεφον nominant, quaſi præclarum ſeu illuſtrem.

b Ex quo Lat.] *Hæc eſt fama vulgatior, Aborigines antea, regnante verò Latino Latinos eſſe dictos: ſic Dionyſius & alii tradiderunt, Philelphus id verò negat, adducitq; dictum Orphei, qui ante natum Latinum ſcripſerit, qui jam illos populos Latinos nominet. Sed ipſe viderit, cujus Orphei ſint illa ſcripta, non modò Argonautica, quæ inter doctos convenit, non eſſe illius Thracii, ſed etiam hymni, quos Pythagorici putant, cujuſdam fuiſſe cerdonis. Ariſtoteles nullum fuiſſe Orpheum poëtam contendit. Cæterùm ſi Latium dicitur, vel quod ibi Saturnus latuerit, vel quòd inter juga Apennini lateat, profectò Latini à Latio dicentur. At M. Varro Latium à Latino dictum vult.* Latium.

c Diverſis & horrendis cladibus.] *Noti ſunt errores Ulyſſis. Menelaus jactatus eſt in Ægyptum. Ajax Oileus cum Locris Lybiam incoluit: claſſis Græcorum decepta à Nauplio Palamedis patre naufragium fecit ad Euripum Eubœæ inſulæ, quæ omnia commemorat Verg. libro II. Servius magnam partem hujus calamitatis in iram Minervæ refert, quæ multum accenſa eſt in Græcos, ſeu quòd Caſſandram violarunt vatem, ſeu quòd ſuperbi, & ſucceſſibus elati ſacrificare illi contempſerint.*

d Nam & Diomedem.] *Diomedes Tydei & Deiphiles filius, qui ad Trojam militavit, cujus virtutem mirificè Homerus extollit: tota enim ε Rapſodia de illius eſt admirandis in bello facinoribus, ita ut Martem etiam vicerit: cum Achilli ferè æquat. Ætoliæ rex fuit, ſed propter adulterium uxoris Ægiales, quæ rem cum Cyllibaro Stheneli filio habuit, redire in patriam noluit, conceſſitq; in Apuliam, ubi Adriam condidit, & Argiripam, & Sipuntem, & Salapiam, ibique ſunt Diomedæi campi, qui ei ceſſerunt, regione inter ipſum & Daunum ſocerum diviſa. Fuit & alter Diomedes vetuſtior Thraciæ rex ſæviſſimus, ſolitus equis immanibus objicere hoſpites, quem illis eiſdem objecit Hercules, hujus ſoror fuit Abdera, quæ urbem ſibi cognominem poſuit in Thracia Democriti patriam. Fuit haud procul Diomedis turris, Græci hos equos αἰσχρὰς θυγατέρας εἶναι νομίζουσι, αἷς μίγνυσθαι τοὺς ξένους ἠνάγκασε, εἶτα ἀνήρει. turpes filias, quibus admiſceri cogebat hoſpites, mox tollebat. Palæphatus ad comeſa patrimonia refert propter equorum curam, ſicut de Actæone & canibus.* Diomedes.

e Ejusque ſocios in vol. f. converſos.] *Ira Veneris eos mutavit, ſeu quod ei maledixiſſet Agmon Diomedis ſocius, ut ait Ovid. 14. Metamor. ſeu quòd ipſa Venus & Mars ſauciati eſſent ad Trojam à Diomede, quod videtur veriſimilius, & congruentius ſententiæ Hom. in ε. Has aves earumque ingenium deſcribit Plin. lib. 10. vocariq; ſcribit à Juba cataractas, eſſeque illis dentes, & oculos igneo colore, cæterùm corpus candidum: duas ſemper iis duces, alteram ducere agmen, alteram cogere: has tantùm viſi in inſula nobili Diomedis tumulo atque delubro contra Apuliæ oram, fulicarum ſimiles. Advenas barbaros clamore infeſtant, Græcis tantum adulantur miro diſcrimine, velut generi Diomedis hoc tribuentes. Originem verò fabulæ eſſe dicit,*

quod

quod illi ædem ejus quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt atque purificant. Ser. 2 Georg ait ſocios Diomedis duce ſuo ſublato impatiẽtia doloris in aves mutatos eſſe , & memores originis ſuæ Græcis navib. lætas occurrere, barbaris infeſtas, quòd ab Illyriis Diomedis ſit interemptus. Ariſtoteles tamen in mirabilib. auditis, ab Ænea occiſum dicit: has aves Servius dicit à Græcis vocari ἐρωδιὸς; ſic putat Ælianus. Gaza. ἐρωδιον ardeam vertit, & quam Ariſt. λευκερώδιον, ipſe albam ardeam. Suidas ὀρωδιός, inquit, εἶδος ὄρνεου ὁ πέλαργος λεγόμενος, ἢ ὅμοιος αὐτῷ hoc eſt, ciconia, vel ei ſimilis. Profectò ſimilis ciconiæ poteſt eſſe, aut etiam ardea, quem aves forma non multùm defferunt, aut cycnus, quemadmonum dicit Ovid. ſed nec ciconiæ ſunt, nec ardeæ, nec cycni, quæ in orbe reliquo ſunt frequentes.

f In inſula Diom.] *Sic Auguſt. ut plerique, qui unam tantùm ponunt inſulam Diomedæam, velut Suidas, Feſtus & alii. Et revera duæ ſunt, ſed una tantùm, in qua delubrum eſt & monumentum Diomedis. Nec deſunt, qui 6. alii 5. ſtatuunt. Plin. & Strabo duas è regione promontorii Gargani, quod in more Adriaticum ſe protendit ad ſtadia ccc. altera culta eſt, altera deſerta, in qua Diomedem ferunt, ſubitò non extitiſſe, eumq́; & in inſula, & in ſua terra divinis honoribus Veneti proſecuti ſunt.*

L. Cap. α TRoja vero everſa.] *Diodorus Siculus initio libr. 14. captam Trojam narrat ante confectum bellum Peloponneſiacum & captas à Lyſandro Athenas annis 779. quos reperias à Samſone vel certe Abdem ad Darium Longimanum, & annis 408. ante primam Olympiadem. i. e. annis 432. ante urbem conditam Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. & 2.* ante hoc nihil fere certum, ſed omnia fabulis referta apud prophanos ſcriptores,

β Regnante jam Latino Fauni filio.] *Herculis filium facit Dionyſius libr. 1. Latinus nomen regis Aboriginum Fauni & Maricæ nymphæ filii, cujus filiam Laviniam Æneas accepit uxorem; de quo Virgilius 7. Æneid.*

—— rex arva Latinus & urbes
Jam ſenior longa placidas in pace regebat.

Ab eo dicti Latini populi, qui prius Aborigines, poſtea verò Trojanis, quibus agrum ad habitandum conceſſere permixti, uno nomine dicti ſunt Latini à loci rege, ut ſcribit Dionyſius, eam etiam Italiæ partem, quæ Latinum dicebatur, ita à Latino appellatam contendit M. Varro, licet alii contendant Latium dictum, quod ibi latuerit Saturnus dum Jovem fugeret. Ovidius libr. 1. Faſtorum.

Dicta quoque eſt Latinum terra latente Deo.

Virgilius 8. Æneid.

—— Latiumque vocari.
Maluit his quoniam latuiſſet tutus in oris.

γ Nam & Diomedem fecerunt Deum.] *Strabo lib. 5. refert, in ipſo intimo Sinus Adriatici templum fuiſſe Diomedis memorabile, & ibidem Diomedi apud Venetos aliquos honores eſſe decretos & lib. 6. Venetorum fabulam vocat, qui Diomedem apud ſe affirmabant mortalem eſſe deſiiſſe & in Deorum numerum relatum.*

δ Quem pœna divinitus irrogata perhibent ad ſuos non revertiſſe.] *Cum enim pugnaret adverſus Æneam Venerem in dextra manu, dum Æneam vult protegere, vul-*

Digitized by Google

re, vulneravit. Quamobrem dea indignata Ægialeæ uxori ejus tantam libidinem immiſit, ut cum Cyllabaro Stheleni filio concumberet: quare cognita Diomedes domum reverti noluit, ſe in Apuliam profectus regni partem à Dauno accepit, ibique Arpos condidit. Cedrenus in Compendio hiſtoriarum Diomedem quidem ad ſuos reverſum ſcribit, non tamen à ſuis admiſſum: Διομήδης δὲ ὁ τοῦ Τυδέως υἱὸς εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν καταπλεύσας οὐκ ἐδέχθη, ἀλλὰ διωχθεὶς ὑπ' Αἰγιαλείας τῆς αὐτοῦ γυναικὸς καὶ τῶν πολιτῶν κατέφυγεν εἰς Καλαβρίαν, κτίζει οὖν πόλιν ἐκεῖ ἣν ἐκάλεσεν Ἀργυρίππην. τὴν μετονομασθεῖσαν μαλέβεντον εἶτα καὶ βενεβεντὸν, καὶ ἐν αὐτῇ οἰκεῖ ἔχων τὸ παλλάδιον ὅπερ ἔλαβεν ἐκ Τροίας. *Eadem Suidas.*

ε Ejusque ſocios in volucres fuiſſe converſos.] *De Diomedis avibus, &* [*unde origo fabulæ Diomedis ſocios in earum effigies mutatos vide Plinium lib. 10. natur. hiſt. cap. 44.*

ζ In inſula Diomeda.] *Strabo lib. 6. vult, eſſe duas inſulas Diomedeas, quarum alteram colitur, alteram ferunt eſſe deſertam.* ἐν δὲ τῇ πλησίον θαλάσσῃ δύο νῆσοι Διομήδειοι προσαγορευόμεναι, ὧν ἡ μὲν οἰκεῖται, τὴν δ' ἔρημον φασὶν εἶναι. *Ptolemæus vult eſſe quinque Diomedeas inſulas.*

CAP. XVII.

De incredibilibus hominum commutationibus, quid Varro crediderit.

HOc Varro, ut aſtruat, commemorat alia non minus incredibilia *a* de α maga illa famoſiſſima Circe, quæ ſocios quoque Ulyſſis mutavit in beſtias, *b* & β de Arcadibus, qui ſorte ducti tranſnatabant quoddam ſtagnum, atque ibi convertebantur in lupos, & cum ſimilibus feris per illius regionis deſerta vivebant. Si verò carne non veſcerentur humana: rurſus poſt novem annos eodem renato ſtagno reformabantur in homines. Denique etiam nominatim expreſſit quendam Demænetũ, quum guſtaſſet de ſacrificio, quod Arcades immolato puero deo ſuo Lycæo facere ſolerent, in lupum fuiſſe mutatum. & anno decimo in figuram propriam reſtitutum, *c* ad pugillatum ſeſe exercuiſſe, & Olympiaco viciſſe certamine. Nec idem propter illud arbitratur ab hiſtoricis in Arcadia tale nomen affictum *d* Pani Lycæo & Jovi Lucæo, niſi propter hanc in lupos hominum mutationem, *e* λυκὸς dicitur, unde λυκαίῳ nomen apparet inflexum. Romanos etiam Lupercos ex illorum myſteriorum, velut ſemine, dicit exortos.

a DE maga illa famoſiſſima Circe.] *Hæc Solis fuit filia, Medeæ amitita. De matre non convenit, Cicero Aſteriam Latonæ ſororem dicit: Homerus Perſan Oceani filiam, Diodorus aliter fabulam narrat. Nam ex Sole Perſeum & Æetem genitos dicit, Perſeum Hecatem genuiſſe ſæviſſimam venatricem, homines pro feris ſolitam configere ſpiculis aconito tinctis, cujus uſum ipſa invenit, & ex patruo Æeta Medeam & Circem peperit fœminas, & Ægiadem marem. Circe peritiſſima fuit virium herbarum, & phyltra excogitavit, nupſitque Scythæ Sarmatarum regi, quem veneniꝭ ſuſtulit, ideo à civibus pulſa in inſulam quandam Oceani deſertam fugit, ſeu, ut alii tradunt, in promontorium, quod de ejus nomine Circeios nominant. Circeum ſunt qui inſulam putent, ſed promontorium eſt in modum inſulæ deformatum, ut inquit Strabo. Olim inſulam fuiſſe Servius ſignificat, adjunctam tempore continenti, ut a-* L. Vives.

lias pleraſque terras: in majore Pharmacuſſarum ſepulchrum Circes oſtenditur. Hæc maga, quæ ſocios Ulyſſis in varias beſtias mutavit, celebratiſſima eſt libris Hom. Theocriti, Virg. & cæterorum poëtarum, tum etiam qui ſoluta oratione ſcripſerunt.

b Et de Arcadibus.] *Plin. lib. 8. Euantes inter autores Græciæ non ſpretus, tradit Arcades ſcribere ex gente Antæi cujuſdam ſorte familiæ electum ad ſtagnum quoddam regionis ejus duci, veſtituq́; in quercu ſuſpenſo tranare atque abire in deſerta, transfigurariq́; in lupum, & cum cæteris ejuſdem generis congregare per annos novem: quo in tempore, ſi homine ſe abſtinuerit, reverti ad idem ſtagnum, & quum tranaverit, effigiem recipere ad priſtinum habitum, addito novem annorum ſenio: addit quoque Fabius eandem recipere veſtem. Mela de Neuris Scythiæ Europicæ gente ſcribens, ait, ſtatum ſingulis tempus eſſe, quo ſi velint in lupos, iterumq́; in eos, qui fuere, mutentur.*

c Ad pugillatum.] *In Græcis certaminibus erat lucta, curſus, ſaltus, jactatio diſci, pugillatus, qui clavis fiebat, quos ceſtus vocant. Græci hoc πύκτας dicunt. Ex iſtis quinque exercitamentis πένταθλοι dicuntur, & quinquertiones Latinè.*

d Pani Lycæo & Jovi Lycæo.] *In Lycæo monte Arcadiæ colebantur tres dii: Jupiter, Pan bicornis & Bacchus: qui Lycæi ſunt dicti a loco, ut puto. Sunt qui à lupis abigendis, alii quòd illi mutationi in lupos præſunt juvantq́; homines, ut priſtinam figuram recuperent.*

e Quòd ea niſi vi divina.] *Putatur legendum, aut eam niſi ut divinam: mallem tamen, quòd ea niſi vi divina fieri non putaretur.*

P.L.Coq. *a* DE Maga illa famoſiſſima Circe.] *Fuit Circe Maga & venefica & ſacerdos dæmonum, ut ſcribit Tertullianus lib. de ſpectac. c. 8. Solis & Perſæ nymphæ filia fingitur, ex qua Telegonum filium Ulyſſes ſuſcepit, à quo tandem interfectus traditur. Hæc, quod venefica eſſet peritiſſima, ſocios Ulyſſis dicitur in porcos commutaſſe. Virgilius eclog. 8.*

Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyſſis.

Ovidius lib. 14. de Metamorph. Plutarchus lib. de Homero interpretatur, Ulyſſis ſocios in porcos & alia id generis animantia mutatos, eo ænigmate innui dementium hominum animas in beſtiarum corpora migrare juxta Pythagoreos; at Ulyſſes, quia eſſet ſapiens, iſtam mutationem perpeſſus non eſt, contra eam à Mercurio. i. e. à ratione munitus. Tibullus lib. 4.

Solum nec doctæ verterunt pocula Circes.
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.

Circem alii volunt Atlantis filiam.

β De Arcadibus, qui ſorte ducti.] *Hæc ex Euenthe Græco ſcriptore Varro tradidit. Id fabuloſum eſſe vidit, nec diſſimulavit Plinius lib. 8. cap. 22.* Homines in lupos verti rurſumque reſtitui ſibi falſum eſſe confidenter exiſtimare debemus, aut credere omnia, quæ fabuloſa tot ſæculis comperimus, *cumque prædictam fabulam de Arcadibꝰ enarraſſet, ſubjecit;* Mirum eſt, quo procedat Græca credulitas, nullum tam impudens mendacium eſt, ut teſte careat. *Mela lib. 2. cap. 1. de Neuris ſcri-*

ris ſcribit, ſtatum ſingulis tempus eſſe, quo ſi velint in lupos, iterumque in eos, qui fuere, mutentur. Olaus Magnus Gothus extremis tribus capitibus lib. 18. vulgatiſſimis exemplis confirmat in Pruſſia, Livonia & Lituania neſcio quibus artificiis magicis homines transfigurari in lupos, & rurſus in humanam ſpeciem reformari.

γ Quendam Demenatum cum guſtaſſet de ſacrificio.] *Iſidorus lib. 8. orig. c. 9.* Legitur & de ſacrificio, quod Arcades de ſuo Lycæo immolabant, ex quo quicumque ſumerent, in beſtiarum formas converterentur.

CAP. XVIII.

Quid credendum ſit de transformationibus, quæ arte dæmonum hominibus videntur accidere.

SEd de iſta tanta ludificatione dæmonum, nos quid dicamus, qui hæc legent: fortaſſis expectant, *a* quid Chriſtiani agere debeant, α quando inter idola gentium miracula fieri aſſeruntur. Et quid dicemus, niſi de medio Babylonis eſſe fugiendum? Quod præceptum propheticum ita ſpiritaliter intelligitur, ut de hujus ſeculi civitate, quæ profectò & angelorum & hominum ſocietas impiorum eſt, fidei paſſibus, quæ per dilectionem operatur, in Deum vivum proficiendo fugiamus. Quantò quippe β in hæc ima poteſtatem dæmonum majorem videmus, tantò tenacius mediatori eſt inhærendum, per quem de imis ad ſumma deſcendimus. Si enim dixerimus, ea non eſſe credenda, non deſunt etiam nunc, qui ejusmodi quædam vel certiſſima audiſſe, vel etiam expertos ſe eſſe aſſeverent. Nam & nos, quum eſſemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium: ubi ſtabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caſeo dare ſolere dicebant, quibus vellent ſeu poſſent viatoribus, unde in jumenta ilicò verterentur, & neceſſaria quæque portarent, poſtque perfuncta opera iterum ad ſe redirent: nec tamen in eis mentem fieri beſtialem, ſed rationalem humanamque ſervari, *b* ſicut Apuleius in libris, quos Aſini aurei titulo inſcripſit, ſibiipſi accidiſſe, ut accepto veneno humano animo permanente aſinus fieret aut judicavit, aut finxit. *c* Hæc vel falſa ſunt, vel tam inuſitata, ut meritò non credantur. Firmiſſimè tamen credendum eſt, omnipotentem Deum omnia poſſe facere, quæ voluerit, ſive vindicando, ſive præſtando, nec dæmones aliquid operari ſecundùm naturæ ſuæ potentiam, quia & ipſa angelica creatura eſt, licèt proprio ſit vitio maligna, niſi quod ille permiſerit, cujus judicia occulta ſunt multa, injuſta nulla. *d* Nec γ ſanè dæmones naturas creant, ſi aliquid tale faciunt, de qualibus factis iſta vertitur quæſtio, ſed ſpecietenus, quæ à vero Deo ſunt creata, commutent, ut videantur eſſe, quod non ſunt: δ Non itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidem ulla ratione crediderim dæmonum arte vel poteſtate in membra, vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe converti, ſed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando ſive ſomniando per rerum innumerabilia genera variatur, & quum corpus non ſit, corporum tamen ſimiles mira celeritate formas capit, ſopitis aut oppreſſis corporeis hominis ſenſibus, ad aliorum ſenſum, neſcio quo ineffabili modo, figura corporea poſſe perduci:

duci: ita ut corpora ipſa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, ſed multò gravius atque vehementius quàm ſomno ſuis ſenſibus obſeratis, *e* Phantaſticum autem illud, veluti corporatum in alicujus animalis effigie apparet ſenſibus alienis, *e* talisque etiam ſibi homo eſſe videatur, ſicut talis ſibi videri poſſet in ſomnis, & portare onera: quæ onera, ſi vera ſunt corpora, portantur à dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falſa cernentibus. Nam quidam nomine Præſtantius patri ſuo contigiſſe indicabat, ut venenum illud per caſeum in domo ſua ſumeret, & jaceret in lecto ſuo, quaſi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari. Poſt aliquot autem dies eum velut evigilaſſe dicebat, & quaſi ſomnia enarraſſe, quæ paſſus eſt, caballum ſe ſcilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulaſſe militibus, quæ dicitur retica, *f* quoniam ad retia deportatur. Quod ita, ut narravit, factum fuiſſe, compertum eſt: quæ tamen ei ſua ſomnia videbantur. Indicavit & alius ſe domi ſuæ per noctem, antequam requieſceret, vidiſſe venientem ad ſe quendam philoſophum ſibi notiſſimum, ſibique expoſuiſſe nonnulla Platonica, quæ antea rogatus exponere noluiſſet. Et cum ab eodem philoſopho quæſitum fuiſſet, cur in domo ejus fecerit, quod in domo ſua petenti negaverat. Non feci, inquit, ſed me feciſſe ſomniavi. Ac per hoc alteri per imaginem phantaſticam exhibitum eſt vigilanti, quod alter vidit in ſomnis. Hæc ad nos non quibuscunque qualibus credere putaremus indignum, ſed eis referentibus pervenerunt, quos nobis non exiſtimaremus fuiſſe mentitos. Proinde quòd homines dicuntur, mandatumque eſt literis à diis, vel potius dæmonibus Arcades in lupos ſolere converti: *g* & quòd carminibus Circe ſocios mutavit Ulyſſis, ſecundùm iſtum modum mihi videtur fieri potuiſſe, quem dixi: ſi tamen factum eſt. Diomedæas autem volucres, quandoquidem genus earum per ſucceſſionem propaginis durare perhibetur, *ζ* non mutatis hominibus factas, ſed ſubtractis credo fuiſſe ſuppoſitas, *h* ſicut cerva pro Iphigenia regis Agamemnonis filia: Neque enim dæmonibus judicio Dei permiſſis hujusmodi præſtigiæ difficiles eſſe potuerunt: ſed quia illa virgo poſtea viva reperta eſt, ſuppoſitam pro illa cervam eſſe, facilè cognitum eſt. Socii verò Diomedis, quia nuſquam ſubitò comparuerunt, & poſtea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos ultoribus angelis malis, *i* in eas aves pro illis occultè ex aliis locis, ubi eſt, quæ hoc genus avium, ad ea loca perductæ ſunt ac repentè ſuppoſitæ, creduntur eſſe converſi. Quod autem Diomedis in templum aquam roſtris afferunt & aſpergunt, & quod blandiuntur Græcigenis, alienigenas perſequuntur, mirandum non eſt, fieri dæmonum inſtinctu: *k* quorum intereſt, perſuadere deum factum eſſe Diomedem, ad decipiendos homines, ut falſos deos cum veri Dei injuria multos colant & hominibus mortuis, qui *l* nec cùm viverent, verè vixerunt, templis, altaribus, ſacrificiis, ſacerdotibus, quæ omnia cùm recta ſunt, non niſi uni Deo vivo & vero, cui debentur, inſerviant.

L. Vives. *a* Quid Chriſtiani ag. deb.] *Alibi hoc totum deeſt: quid Chriſtiani agere debeant: quando inter idola gentium, miracula fieri aſſeruntur.*

b Sicut

b Sicut Apuleius in libris, quos Aſini aurei titulo inſcripſit.] *Apuleium magnum fuiſſe conſtat, verſum tamen in aſinum putandum non eſt: nec id videbat Auguſtinus, ſatis eſſe veriſimile: ſed librorum Græcorum lectione parum adjutus divinare non potuit, unde id argumentum de transfiguratione in aſinum Apulejus ſumpſiſſet, cùm ipſe nullius ſcriptoris meminerit, quem ſaltem profiteatur ſequi ſe, ut in De coſmographia fecerat. Scripſit ergò Lucianus, cùm eſſet in Theſſalia, magiæ noſcendæ cauſa ſe in aſinum mutatum, dum in avem cuperet, non quòd hoc ei contigerit, ſed quia hujuſmodi argumentis delectabatur, nec veris, nec veriſimilibus. Id opus ſic Latinum fecit Apulejus, ut ad verbum, expreſſerit pleraque omnia, additis plurimis, quo jucundior eſſe lectio iis, qui Mileſiis fabulis delectantur, & condivit ſua illa partim antiquaria, partim nimis audaciter novata dictione rem alioqui futuram ſubinſulam atque ſubfatuam. At nunc juvat legere, quia phraſi illa complura dixit, quæ nec appoſitius dici, nec majore cum gratia poterant: quem nonnulli cùm imitari conantur, in ridiculas ineptias incidunt. Puto enim, gratiam illam eſſe propè inimitabilem. Non ergò factus eſt aſinus Apulejus, ſed ficto caſu tam mirabili narratio magis tenet animos vel legentium, vel audientium, quod in fabulis cum primis captatur.* Apulei.

c Hæc vel falſa ſunt.] *Plinius libro octavo falſum eſſe non dubitat, niſi credere libeat omnia, quæ fabuloſa tot ſeculis comperimus: ſed Græca credulitas eò proceſſit, ut nullum tam impudens mendacium ſit, quod teſte careat.*

d Nec ſanè dæmones naturas creant.] *Creare vocat aliquid de nihilo facere: hoc modo nihil aliud, quàm Deus poteſt creare, idq; Theologi omnes magno conſenſu affirmant: diſputant tamen, an potentia hæc creandi poſſit communicari creaturæ, *(de quo multa Thomas, cujus argumenta nititur infirmare Scotus, ut ſua confirmet: quæ labefactare conatur Occam, ut ſua figat, at iſta quoque Petrus Alician. luxat: uſque adeò vel ludunt in re ſeria, vel affectibus & factionibus ſuis cogunt rem cæleſtem ſubſervire: qui mores poſſunt emendari, qui ſedari & tolli pravi affectus, qui fieri divini ex doctrina diſſidiis agitata, & tracta verſaq; ſurſum pro libito affectuum humanorum concuſſa machinis tam pertinaciter litigantium?)** Creare.

e Phantaſticum autem illud.] *Hæc Auguſtini ſententia innumeris eſt experimentis omni ævo comprobata.*

f Quoniam ad retia deportabatur.] *Retia & riticulum genus eſt ſacculi, quo viatores panem, carnes, & poma geſtare conſueverant. Horat. lib. 1. Serm.* Retia.

Reticulum panis venales inter onuſtos
Fortè ut has humero, nihil plus accipias quàm
Qui nil portarit.

Acron, Reticulum, rete, quo in urbe panis inter venales ſervos portari ſolet, conjectura adducor.

g Et quod carminibus Circe.] *Verſus eſt Vergilii in Pharmaceutria.*

h Sicut cerva pro Iphigenia.] *Iphigenia filia fuit Agamemnonis & Clytemneſtræ, cumq; claſſis Græcorum in Aulide Bœotiæ, quæ eſt contra Eubœam inſulam ſtaret, Agamemnon cervum Dianæ occidit, ob quod factum dea adverſos ventos flare juſſit,* Iphigenia.

juſſit, tum & peſtem immiſit in copias, diis conſultis, renunciavit Chalcas, placandam eſſe Dianam ſanguine Agamemnonis. Ulyſſes Mycenas miſſus, ſpecie nuptiarum Iphigeniam à matre abduxit, cumq; ad aram ſub ictu ſtaret, miſeratione divæ ſubtracta eſt, & cerva ſubſtituta, ipſaq; virgo in Tauricam Cherſoneſum ad Thoantem regem adducta præfecta eſt ſacerdotio Dianæ Tauricæ, cui homines mactabantur: eò cùm Oreſtes veniſſet frater ejus, ambo conſilio communicato regem occiderunt, migraruntq; Ariciam Italiæ.

i Et pro eis aves occcultè.] *Alii libri ſcriptum habent: In eas aves, quæ pro illis ſunt occultæ, ex aliis locis, & poſt perd. ac rep. ſupp. creduntur, &c.*

k Quorum intereſt, id eſt, ad quos perſuadere pertinet.] *Scholium eſt ab aliquo additum, qualia temporibus avorum erant ineptiſſima non ſanè pauca, ut dilexit, id eſt, amavit: locutus eſt, id eſt, dixit, aſinus, id eſt, animal ſic vocatum: charta, id eſt, papyrus: tacui, id eſt, nihil locutus ſum. Legendum ergò, quorum intereſt perſuadere.*

l Qui nec cùm viverent, verè vixerunt.] *Nam vera animæ vita Deus eſt, à quo ſi anima diſcedat, moritur: nec hoc tantum dicimus ſanctæ religioni dediti Chriſtiani, ſed philoſophi etiam gentiles, qui eo minus & vivere & eſſe res arbitrantur, quò longius à Deo abſceſſerint: tantò verò magis vivere ac eſſe, quantò propius acceſſerint. Pleni ſunt Platonis libri ejuſmodi ſententiarum, apud Ariſtotelem quoque nonnulla. Stoici ſolum ſapientem verè vivere, ac eſſe hominem putant, cæteros nil à ſimiis abeſſe, ut dicebat Socrates.*

8.L.C.9. *a* QUando inter Idola gentium miracula fieri.] *Non ſunt vera miracula, quæ fiunt arte dæmonum. Eſt enim potentiæ infinitæ facere miraculum, ideoque divinitati reſervatum; omnis etiam potentia creaturæ naturæ ordini ſubditur; miraculum verò effectus eſt præter & ſupra naturæ vires productus. Addo quod alioquin miraculum non poſſet aſſumi ut efficax argumentum probandæ veritatis fidei. D. Aug. lib. 3. de trinit. cap. 8. D. Iſidorus in cap. non mirum 26. q. 2. Poſſunt quidem multa operari effecta, quorum cauſas ignoramus. Verùm ſemper dependent à cauſis naturalibus. Neque enim verbi gratia, excitare hominem mortuum, eſt in dæmonis poteſtate, & ſi quid hujuſmodi vel ab Apollonio, vel à Magis factum legitur, fabulæ ſimile cenſendum eſt; & quod referri ſolet de Simone Mago, quod Magicis artibus mortuos excitaret, ea in re oculis hominum impoſuiſſe certum eſt; ita cæco conferre aſpectum, & quæ ejuſdem generis ſunt, nunquam fieri potuere, nec facta leguntur opera dæmonum, niſi quibuſdam præſtigiis; & quando aliqua mira fiunt ab eis, tum maxime ab eis cavendum* & fidei paſſibus (*ut loquitur D. Auguſt.*) ad Deum vivum confugiendum. *Siquidem Dæmones cum vel per ipſos vel opera Magorum hujuſmodi opera efficiunt, habent malum finem ſibi propoſitum, ut facilius homines à Dei cultu & vera fide abducant; & quidem miraculorum editionem olim ſibi Magi vindicarunt. Ita apud Clem. Rom. lib. 2. recogn. Simon Magus gloriatur, omnia ſibi obtemperare, & omnia, quæ velit, poſſe efficere. Ita dæmones Magicis artibus celebrem orbi reddere conati ſunt inſignem illum Magum Apollonium Tyanæum, quò miracula Chriſti & Apoſtolorum deprimerent, nonnulli ut inter cæteros Hierocles ille contra quem ſcribit*

Euſe-

Euſebius, impudenter Tyanæum illum cum Chriſto contulerunt, & vulgo miracula Chriſti & ſanctorum Martyrum Gentiles Magiæ adſcribebant. Aug lib. 1. de conſenſu Evangel. Qua verò ratione ne decipiamur, ita facile diſcerni poſſunt, quæ videntur Dæmonum ſeu Magorum miracula à veris miraculis D. Thomas docet li. 3. cont. Gent. c. 103. & ſeq. Quando enim fiunt certo aliquo miraculo ſtatim fiunt ac veluti in momento, infinita enim virtus in inſtanti operatur; & quando fiunt à dæmonibus, egent longiori tempore. Nec enim poſſunt ſtatim ſanitatem conferre, imo aliquando nulla ratione conferre poſſunt. Accedit quod immiſceant varias ſuperſtitiones & alia hujusmodi, quæ nihil omnino conferunt ad id, quod fieri debet: Dæmones etiam non poſſunt facere, niſi quando & quatenus permittuntur; non permittuntur autem ad confirmandum aliquem falſum cultum Dei hac ſua poteſtate uti. Si vero objicias: à malis etiam & de fide perperam ſentientibus miracula aliquando edita fuiſſe, & ideo non eſſe cenſenda miracula efficacem fidei probationem; reſponderi poteſt, ſolere quidem Deum aliquando hanc gratiam gratuito illis elargiri, verùm id in veræ fidei probationem, ut quando dedit prophetiam Balaam & Cayphæ, verùm in falſæ fidei probationem dare non poteſt, ut nec mendacium Deus miraculo poteſt confirmare, qui eſt prima ipſa & ſumma veritas. Unde non eodem modo infertur, fecit miraculum, ergo fides ejus eſt vera, & fecit miraculum. Verùm in confirmationem fidei, quam ipſe profitebatur; ergo hæc ipſius fides erat vera: prior enim illatio falſa eſſe poteſt, quia per infideles Deus poteſt operari miracula; poſterior verò ſemper vera, quia non poteſt Deus ad falſæ fidei confirmationem per illum miracula exercere. Ita Delrio lib. 2. disquiſit. Magic. q. 7. Hinc ſi qua miracula apud Gentes idololatras divinitus edita legantur, quale illud de Claudia Romana, quod cingulo navim arenæ Tyberis hærentem attraxit; aut illud, quod de altera Veſtæ virginali, quæ aquam in ſignum pudicitiæ ab eodem flumine cribro hauſiſſe refertur, reſpondet Michael Medina lib. 12. de recta in Deum fide c. 7. Non in illius, quæ tunc apud Gentes vigebat, ſuperſtitionis atteſtationem hæc prodigia facta, ſed tantum in divinitatis & providentiæ teſtimonium, nimirum ut ſcirent Gentes, eſſe Deum, cui curæ eſſent mortalium actiones, quique ſanctos mores & juſtitiam probaret, contra verò pro delictis ſupplicia rependeret; *adde quod hæc & ſimilia non fuerunt miracula, ſed opera dæmonum facta, quo facilius homines ſeducerent & ſibi divinitatem arrogarent.*

β In hæc ima poteſtatem dæmonum majorem.] *Quanta ſit & quousque ſe extendat dæmonum poteſtas in hæc inferiora, alicubi dicit Auguſtinus, difficillimum eſſe homini intelligere. Job. 41.* non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei comparetur, qui factus eſt, ut neminem timeret.

γ Nec ſane dæmones naturas creant.] *Id docet plurib. lib. 3. de Trin. c. 8. & eſt communis Theologorum. Ad creandum enim requiritur infinita virtus, & cauſæ naturalis activitas non extenditur in id, quod nihil eſt, imo nec inſtrumentaliter poſſe creaturam ad creationem concurrere D. Thom. aſſerit, & fere Theologi.*

δ Non itaque ſolum animum, ſed ne corpus quidem.] *Neque enim dæmon poteſt mutare unam ſubſtantiam in aliam, ut hominem in beſtiam, & qui contrarium aſſeruerit infidelis & pagano deterior pronuntiatur 26 q. 5. can. epiſcopi, & author*

Digitized by Google

mallei maleficarum. 1 p. q. 10. & deinceps probat, hæreſim eſſe formas aut corporis aut animæ poſſe transmutari à dæmone aut Maga. Id etiam ratio perſuadet. Nequit enim anima humana in ferinum corpus migrare illud informatura, multominus poterit cum corpore anima immutari, cum ſit immortalis, nec à dæmone corrumpi poſſit aut vulnerari. Quæ ergo referuntur de hujusmodi mutationib. ſunt plane fabuloſa, & Martinus Delrio refellit Spondanum & Bodinum, volentes novam introducere metamorphoſim.

e Taliſque etiam ſibi homo videatur.] *Facit aliquando dæmon ut homo ſibi tantum beſtia videatur & non aliis. Ita contigiſſe videtur regi Nabuchodonozor.* Daniel. 4. *& tunc fit tantum ſenſus illuſio. Ita nonnulli ex humorum vitio & atræ bilis exceſſu, ſive ex morbo id contingat, ſive opera dæmonum, qui poſſunt perturbare phantaſiam ex commutatione humorum & ſpirituum, ſe canes, leones vel alias beſtias putant, unde Medici λυκανθρωπίας appellant, Latini* melancholiam, *vel* inſaniam lupinam *nominant. Ita etiam pater Præſtantii, de quo hic Auguſtinus ſibi caballus, non cæteris videbatur. Similes hiſtorias refert Delrio Diſquiſit. Magic. libr. 2. quæſt. 18. Sprenger ibidem refert hiſtoriam cujusdam mulieris à ſancto Macario ſanatæ, cum magicis artibus ita illuſa eſſet, ut ſibi & aliis etiam marito equa exiſtimaretur, verùm ducta ad B. Macarium non potuit dæmon propter hominis ſanctitatem ita illudere ſenſibus ejus ſicut aliorum. Nam illi videbatur vera mulier, non equa, cujus tamen oratione liberata eſt ab illa illuſione. Sprenger refert à Judæo maleficium perpetratum fuiſſe, author tamen primus illius hiſtoriæ Palladius in hiſtoria Lauſiaca, quæ habetur tom 7. Bibliothecæ Patrum, dicit ab amatore conventum fuiſſe præſtigiatorem, verùm non dicit, eum fuiſſe Judæum. Refert hiſtoriam Delrio loco citato de quoddam Stumfio Petro Bobburgi Ubiorum oppidulo, qui à dæmmone ſuccuba, cum qua plus quatuor luſtris conſueſſet donatus fuerat quadam lata Zona, qua cum cingebatur & ſibi & aliis in lupum verti videbatur. Aliquando verò videtur aliis & non ſibi, ut narrat idem Jacobus Sprenger 2. p. mallei maleficio q. 2 cap 4. de quodam juvene in Cypro, qui aliis videbatur mutatus in aſinum, ſed non ſibi ipſi, & in his ultimis duobus modis ſolet diabolus circumducere aliud corpus aereum vel phantaſticum humano corpori, vel etiam ſolet ſenſus decipere vel proprios, vel etiam aliorum, cum tamen verè non fiat in re ipſa aliqua mutatio, ſed apparenter per dæmonum præſtigias.*

ζ Non mutatis hominibus factas, ſed ſubtractas credo fuiſſe] *Movere poteſt dæmon corpora velociſſime ex ſuo loco in alium; unde fit, ut queat rem oculis ſubtrahere, & aliam tam præpropere ſubſtituere, ut animos & oculos intuentium fallat, eiſque perſuadeat prioris in hanc poſteriorem transformationem. Eo modo interpretatur D. Auguſtinus, accidiſſe eas, quæ creditæ ſunt Gentilibus miræ transformationes, ut Iphigeniam filiam Agamemnonis verſam fuiſſe in cervam, quod illa aliò delata fuerit, & cerva in illius locum tranſpoſita. & ſocios Diomedis commutatos in aves, quia illi amoti ſunt ab eo loco, in quo erant. & aves eadem celeritate in eundem locum translatæ. In confirmationem hujus doctrinæ ſimilis hiſtoria exſtat apud Euſeb. lib. 7. Eccleſ. hiſt. cap. 14.* dum apud Cæſaream à Gentibus ſolennis hoſtia immolaretur, factum eſt, ut opera dæmonis tanta eſſet ſublata celeritate, ut videretur in cœlum

elata

Google

elata fuiſſe: ſed cum quidam nomine Aſtyrius Deum rogaret, ne ita ſineret hominibus illudi, aperti ſunt eorum oculi, ut viderent hoſtiam illam ad vicinas paludes fuiſſe delatam, & ibi hærere: *Ista hæc miracula, quæ videntur fieri a dæmonibus, in modum ſecundum locum refert D. Auguſt.*

CAP. XIX.

Quòd eo tempore Æneas in Italiam venerit, quo Labdon judex præſidebat Hebræis.

EO tempore poſt captam Trojam atque deletam, *a* α Æneas cum viginti navibus, quibus portabantur reliquiæ Trojanorum, in Italiam venit, regnante ibi Latino, & *b* β apud Athenienſes Mneſtheo, *c* γ apud Sicyonios Polyphide, *d* apud δ Aſſyrios Tautane, *e* ε apud Judæos † autem judex Labdon fuit. Mortuo autem Latino ζ regnavit Æneas tribus annis eiſdem in ſupradictis locis manentibus regibus, niſi *f* quod Sicyoniorum jam Pelaſgus erat, *g* η & Hebræorum judex Samſon, qui cùm θ mirabiliter fortis eſſet, putatus eſt Hercules. Sed Æneam, *h* quoniam quando mortuus eſt, non comparuit, *i* deum ſibi fecerunt Latini, *k* ι Sabini etiam regem ſuum primum Sangum, ſive ut alii, qui appellant Sanctum, retulerunt in deos. *l* κ Per idem tempus Codrus rex Athenienſium Peloponenſibus ejuſdem hoſtibus civitatis ſe interficiendum ignotus objecit. Et factum eſt. Hoc modo cum prædicant patriam liberaſſe. *m* Reſponſum enim acceperant Peloponenſes, tunc demum ſe ſuperaturos, ſi eorum regem non occidiſſent. Fefellit ergo eos habitu pauperis apparendo, & in ſuam necem per jurgia provocando: λ unde ait Verg. Aut jurgia Codri. *n* Et hunc Athenienſes tanquam deum ſacrificiorum honore coluerunt. Quarto Latinorum rege μ Sylvio Æneæ filio: non de Creuſa, de qua fuit *o* Aſcanius, qui tertius ibi regnavit, ſed Lavinia Latini filia, quem poſthumum Æneas dicitur habuiſſe: ν Aſſyriorum autem viceſimo & nono Oneo, *p* & Melantho Athenienſium ſexto decimo, ξ judice autem Hebræorum Heli ſacerdote, regnum Sicyoniorum conſumptum eſt, quod per annos nongentos quinquaginta & novem traditur fuiſſe porrectum.

al. Hebræi.

a ÆNeas cum xx. navibus] *Quomodo evaſerit Æneas ex Ilio capto, varias ſcriptorum ſententias refert Dionyſius lib. 1. Nam, ut alii tradiderunt, ipſe occupata arce, dum in ſe impetum Grajorum converterit, præmiſit ad naves impedimenta & imbellem multitudinem, pueros, ſenes, mulieres: deinde arce deſerta, ex urbe ſe proripuit nactusque ſuos, qui præceſſerant, munitiſſima Ida tenuit, quò ex Troade tota, qui Græcorum imperia exhorrebant, confugere: ita manus non contemnenda brevi coacta eſt, manſitque ibi plus paulo quàm annum. Sed cùm in eos Græci pararent arma, conditionibus pacis oblatis juſſi ſunt agro Trojano excedere, data fide fore illos cum ſuis rebus tutos omni Graja ditione, dum ſedes ſibi quærerent. Sic Hellanicus ſcriptor alioqui fabuloſus, ſed multi nominis. Menecrates verò Xanthius liberatum ait Æneam à Græcis, quòd urbem prodidiſſet: prodendi verò cauſam fuiſſe Alexandrum, qui illum contemnebat, aliiſque proceribus*

L. Vives: Æneas.

Trojanis.

Trojanis præbebat contemnendum. Sunt qui putent, eum in portu fuiſſe, dum Ilium caperetur: alii miſſum à Priamo ſcribunt ad opus militare. Latini ſervatum eum à Grajis perhibent cum Anthenore vetuſti jure hoſpitii, & quia ſemper autores fuerunt reddendæ Helenæ. Quomodo verò in Italiam venerit, multis verbis Vergilius canit, veris falſa miſcens, qui mos eſt poëticus. Ego nec opiniones adducam aliorum, ſed veriſimiliora ſequar. Primùm in Thraciam vectus eſt, ibique hyemem totam egit, recipiens qui ad ſe ex Aſia fugiebant, condita urbe de ſuo nomine. quàm Æneam Dionyſius, Mela Ænon vocat, iisdem Plinius, ubi Polydori dicit tumulum fuiſſe Vergilius 3. Æneidos.

Feror huc, & littore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingreſſus iniquis:
Æneadeſque meos nomen de nomine fingo.

Quo loco Servius ait, Ænum eſſe eam urbem vocatam à Salaſtio, etſi Homerus dicit auxilia illinc ad Trojam veniſſe. Euphorion & Callimachus à ſocio Vlyſſis cognominant ibi ſepulto, cùm frumentatum miſſus eſſet. Hæc urbs uſque ad Macedonicum principatum manſit, quo tempore à Caſſandro Macedoniæ rege delata eſt conditaq; Theſſalonica, in quam Ænei commigrarent. Tum Æneas in Delum venit, hinc in Cytheram inſulam, tum in Arcadiam veteres hoſpites & cognatos, ex Arcadia in Zacynthum inſulam, poſtea in Leucadiam, inde in Ambraciam, ubi erat urbs Ænea ad Acheloum amnem, poſtea deſerta: inde Butrotum Epiri Anchiſes, Æneas cum expeditiſſimo, & acerrimo quoque Dodonam ad conſulendum numen, tum recepto patre in Drepanum Siciliæ, ubi eum amiſit. Strabo tamen ingreſſum Anchiſen ſcribit in Italiam, & Dionyſius anno ante mortem Æneæ Anchiſen obiiſſe narrat. Æneas verò ex Sicilia Italiæ applicuit, deſcenditq; in agrum Laurentem quinto & triceſimo anno regni Latini, ſecundo poſtquam ex Aſia ſolverat. Nec tota ejus claſſis Latio appulit: aliæ enim naves in Apuliam conceſſere, aliæ in alia Italiæ loca. Extantq; adhuc ſigna adventus illius gentis. Nonnulli, ubi Æneam in Italia ſtatuiſſent, antiquam patriam repetierunt. Locus ipſe in Latio, quem primum Æneas tenuit, Trojam poſteritas nominavit, ſtadiis à mari quatuor.

b Apud Athenienſes Mneſtheo.] *Hic Petenſi tribu fuit nepos Erichthei regis ex Ornio filio, qui Theſeo abſenti multam invidiam nobilitatis concitavit, tanquam is Atticæ terræ populos in urbem, ceu in cuſtodiam incluſiſſet. Porrò Theſeus apud Orchum Moloſſorum regem in arctiſſima cuſtodia aſſervabatur: relinqueratque raptam Helenam Aphydnæ, quam urbem Caſtor & Pollux bello ceperunt, ut Helenam ſororem recuperarent. Atticæq; terra Mneſtheum regem fecere, cujus opera dicuntur adjuti: Theſeus verò per Herculem liberatus, cùm opes ad recipiendum regnum pararet, profectus in Scyrum inſulam, à Lycomede rege occiſus eſt. Ita imperium Athenien. nullo vindicante Mneſtheo ſtetit: nam Theſei liberi parvi adhuc apud Elpenorem Euboicum educebantur, eorumque Mneſtheus nullam habuit rationem. Hinc conflato Trojano bello, cùm ex tota Græcia concurreretur, filii Theſei cum Elpenore militârunt. Mneſtheus verò alias copias ad Ilium duxit.*

xit. Unde quum rediret in Melo inſula diem obiit, cui Demophon ſucceſſit Theſei filius. Hæc ex Plutarcho, Pauſania, Euſebio. Ita aliquanto poſterior fuit adventus Æneæ in Italiam, quàm regnum Mneſthei, quid quod Apion Polyhiſtor Demophontem tradit regnaſſe Athenis, cùm Troja à Græcis excinderetur.

c Apud Sicyonios Polyphide.] *Sic Euſebius, at Pauſanias aliter, qui ad hunc ſcribit modum:* Σικυῶνος γίνεται ἐχθονοφύλη, ἐχθονοφύλης δὲ καὶ ἑρμοῦ πόλυβον γενέσθαι λέγουσι: ὕστερον δὲ αὐτὴν φλίας ὁ διονύσου γαμεῖ καὶ οἱ παῖς ἀνδροδάμας γίνεται: πόλυβος δὲ ταλαῷ τῷ βίαντος βασιλεύοντι τῶν ἀργείων λυσιάνασσαν τὴν θυγατέρα ἔδωκε, καὶ ὅτε ἄδραστος ἔφυγεν ἐξ ἄργους παρὰ πόλυβον, ἦλθεν ἐς σικυῶνα, καὶ ὕστερον ἀποθανόντος πολύβου, τὴν ἐν σικυῶνι ἀρχὴν ἔσχε. ἀδράστου δὲ ἐς ἄργος κατελθόντος, ἰανίσκος ἀπόγονος κλυτίου τοῦ λαομέδοντι κηδεύσαντος, ἐλθὼν ἐκ τῆς ἀττικῆς ἐβασίλευσεν: ἀποθανόντος ἰανίσκου, φαῖστος τῶν ἡρακλέους λεγόμενος παίδων καὶ οὗτος εἶναι: φαίστου δὲ κατὰ μαντείαν μετοικήσαντος ἐς κρήτην, βασιλεῦσαι λέγεται ζεύξιππος ἀπόλλωνος υἱὸς καὶ νύμφης συλλίδος. μετὰ δὲ ζεύξιππον τελευτήσαντα, ἀγαμέμνων στρατὸν ἤγαγεν ἐπὶ σικυῶνα, καὶ τὸν βασιλέα ἱππόλυτον ῥοπάλου παῖδα τοῦ φαίστου: δείσας δὲ τὸν στρατὸν ἐπιόντα ἱππόλυτος συνεχώρησεν ἀγαμέμνονος κατήκοος καὶ μυκηναίων εἶναι ἱππολύτου δὲ ἦν τούτου λακεστάδης. φάλκης: ταμφάλκης δὲ ὁ τημένου καταλαβὼν νύκτωρ σικυῶνα σὺν δωριεῦσι κακὸν μὲν ἅτε ἡρακλείδην καὶ αὐτὸν ἐποίησεν οὐδέν. κοινωνὸν δὲ ἔσχε τῆς ἀρχῆς, καὶ δωριεῖς μὲν σικυώνιοι γεγόνασιν ἀπὸ τούτου, καὶ μοῖρα τῆς ἀργείας. *Sicyonis filia fuit Echthonophyle, ex qua Mercurio genitus eſt, ut ferunt, Polybus. Eam poſtea Phlias Dionyſii filius duxit, ex qua Androdamam genuit filium; Polybus verò Talao Biantis filio Argivorum Lyſianaſſam filiam nuptui dedit. Hoc tempore Adraſtus ex Argis ad Polybum perfugit in Sicyonem: ac Polybo vita functo imperium Sicyonis penes Adraſtum fuit: quo in Argos reverſo, Janiſcus de Clytii Lomedontis affinis poſteris, quum ex Attica terra Sicyonem veniſſet, regnum ibi obtinuit. Janiſco mortuo Phæſtus regnavit, qui de filiis Herculis fuiſſe dicitur. Hic cum ex vaticinio in Cretam migraſſet, ferunt regnaſſe Zeuxippum Apolline & Sylide nympha genitum. quo fato functo, Agamemnon bellum Sicyoni fecit, & Hippolyto, qui Rhopalo Phæſti filio natus erat, quique veritus adventantem exercitum, pactus eſt cum Agamenone, ſe illius & Mycenæorum ſubditum fore. Hippolyti hujus fuit Laceſtades, Phalces. Tamphalces verò Temeni filius noctu cum Dorienſibus urbem cepit: non tamen regi quicquam mali fecit, nempe nato etiam ex Heraclidarum gente, ſed ſocium regni habuit. Ab eo tempore Sicyonii ipſi Dorienſes ſunt facti, & in partem ceſſerunt Argivæ ditionis.*

d Apud Aſſyrios Tautane.] *Hunc ferunt temporibus Iliaci belli regnaſſe: ſic Euſebius & Diodorus, qui narrat Priamum, cùm bello premeretur miſiſſe, qui ab hoc Aſſyriorum rege, cujus imperio & ipſe Priamus parebat, ſubſidium ſuo nomine peterent, Aſſyrium decem millia Æthiopum, totidem Suſianorum, ac carrus ducentos miſiſſe præfecto illis Memnone Tithoni ſatrapæ apud regem gratioſiſſimi filio, cujus Homerus meminit. Nam in eo bello occidit, juvenis corporis atque animi dotibus præſtantiſſimus, quique pugnando multa ediderat egregia facinora.*

e Judex

Digitized by Google

e Judex Labdon fuit.] Euſeb. Labdon vocat, vulgo Abdon dicitur, Judic. 12. & apud Joſephum lib. 5. Hylonis filius è tribu Effraim, cui filii fuerunt quadraginta, & ex his nepotes quinquaginta equis exercitati, omnesque reliquit ſuperſtites.

f Sicyoniorum jam Pelaſgus erat.] In antiquis exemplaribus legitur, Pelagus. Admonuit me Hieronymus Ruſſaldus meus, juvenis pectore ut muſis deditiſſimo, ſic & candidiſſimo, & ad amicitiam cum bonis incundam, ſervandamque ſtilo & concinnato, legiſſe ſe in quodam Auguſtini codice Pelaſum: Ex Pauſania nihil hic adjuvari poſſumus. quippe qui alios ponit reges.

Hieronymus Ruſſaldus.

g Et Hebræorum judex Samſon] Judic. 13. & Joſeph. libro 5. cujus facta majora ſunt & admirabiliora quàm quæ gentiles de Hercule, vel Hectore, vel Milone fabulantur. Quæ, quia ſunt omnibus notiſſima, fuſius non perſequar.

h Sed Æneam, quoniam quando mortuus eſt.] Mezentius rex Ethruſcorum bellum cum Latinis, quibus Æneas imperabat, geſſit, commiſſoque prælio juxta Lavinium gravi & ambiguo, quod nox ſola diremit, in eo Æneas evanuit, alii in deos tranſlatum exiſtimârunt, alii ſubmerſum in Numico crediderunt amne. Templum eſt ei conſtructum à Latinis, hac inſcriptione, ut Dionyſius prodit interprete Lapo: Patris divi terreſtris, qui fluvii Numici undas gubernat. Sunt qui dicant, ab Ænea ipſo conſtructum templum. Feſtus ab Aſcanio tradit. Obiit ergo tertio anno poſt Latini ſoceri mortem, quo tempore ipſe regnum tenuit: ſeptimo verò anno poſt captum Ilium. Sepulchra ejus varia in variis regionibus viſuntur: ſed honorario, quæ Græci κενοτάφια nominant, & ut Verg. vertit inanes tumulo. Unum tamen verum, plerumque ajunt ad Numicum fluvium. Livius: Situs eſt, quemcunque eum appellare fas jusque eſt, ad Numicum amnem. Jovem indigetem appellant. Hoc nomine ab Aſcanio filio dictus eſt, relatusque in deorum numerum Indigetes dii vocantur, ceu in diis agentes, qui ex hominibus eò pervenêre. Sunt qui putant indigetes eſſe quos indigitari, hoc eſt, vocari & nominari, nefas eſt. iique ſunt dii, in quorum cuſtodia ſunt urbes genteſque: ſed ſi indigitare ſit invocare, dici poterunt, quod invocati faciles ſint, & præſtò adſint. Cæterùm puto indigetes appellari, quaſi in eo loco vel geniti, vel degentes, & propitiores ſunt, tum loco, velut patriæ, tum hominibus velut civibus. Hos intelligit Lucanus, cùm dicit bella civilia ob cladem venturam,

Mezentius. Æneas deus.

Indigetes.

Indigetes fleviſſe deos, urbisque laborem
Teſtatos ſudore Lares.

Ideo & Æneas, qui Jupiter indiges, Jupiter quoque Latialis exiſtimatur. Illud non prætermittam. Aneam habere oſcillationem in Italia, ut in Græcia Erigonem Icari filiam. Apud Feſtum enim Pompejum ſic legitur, mendosè quidem, ſed nos lectionem, ut poterimus, reſtituemus, ut intelligi ſaltem poſſit: Cauſa, inquit, ejus jactationis oſcillorum proditur, quòd Aneas Latinus rex, prælio quod ei fuit adverſus Mezentium Ceritum regem, nuſquam apparuerit, indicatusque ſit Jupiter factus Latialis. Itaque per ſex eos dies feriatos Aſcanius rex liberos ſervosque requirere juſſit, non ſolùm in terris, ſed etiam quàm videretur cælum poſſe adiri, per oſcillationem, velut imaginem quandam vitæ humanæ, in qua altiſſima interdum ad infimam, infima ad ſummum efferuntur. Hæc Feſtus. Porro oſcillum ab ore diminutivum eſt, ut Columella

Oſcillatio.

a oſcilla lupinorum dicit, imagunculæ ſunt hominum. Santra ab oſcello deducit re verbo, quòd eſt inclinare, quòd præcipites in os ferantur.

Deum ſibi fecerunt Latini.] *Colitur & in Sicilia in Elima urbe, quam ipſe con-t. Ovid. 14. Met. Æneæ parvum eſſe numen ſubſignificat.*

Sabini etiam regem ſuum primum Xanthum, ſive, ut aliqui appellant, Xan-m.] *In variis exemplaribus variè habetur: in aliis Xanthum in aliis Sanctum, is Sancum, aliquo veſtigio melioris lectionis. Sangum enim eſt legendum Dionyſ. . Porcium Catonem ait ſcriptum reliquiſſe, Sabinorum gentem eſſe nominatam à no filio Sangi dei gentilis, qui etiam dictus eſt Piſtius. Et Lactant. Sabini, in- colunt Sangum, ut Romani Quirinum, & Attici Minervam. De hoc plurima s apud Annium, ſi cui vel vacat, vel libet illa conſectari. Sangigenii meminit eſter Urbius in Urbis regionibus.*

Per idem tempus Codrus rex Athen.] *Codrus Melanthi Meſſenii filius fuit,* Codrus. *ege Heraclidæ, qui in Peloponneſo imperabant, bellum moverunt Athenien. quòd dante ibi exulum multitudine, & regnante Codro Melanthii filio, timere cœpe- & Corinthiis propter vicinitatem loci: nam Megara Iſthmum contingit, in quo orinthus, & Meſſeniis, quorum rex fuerit Melanthus Codri pater. Conſultum à Laconibus oraculum, reſpondit, victoriam & mortem regis eandem in partem are. Heraclidæ hoc audito, ſimul diſſimulandam Dei vocem curabant ſimul e- m in caſtris propoſuerunt, ne quis Codri corpus violaret. Verùm divini reſponſi r ad Athenienſes pervenit. Codrus ut erat & patriæ amans, & gloriæ appetens regio cultu, caſtra Laconum ingreſſus, provocatis jurgio militib. ſe interficien- orabuit. Ita Lacones prælio fuſi, reliqua exacti Attica ſolam Megaricam ter- enuerunt.*

Reſponſum enim acceperat.] *Servius redditum oraculum tradit in eam ſen- m, quam dixi. Trojus ſcribit reſponſum eſſe ſuperiores fore Lacones, ni regem nien. occidiſſent. Cicero 1. Tuſcul. quæſt. Si rex interfectus eſſet, victrices Athe- re.*

Hunc Athenien. tanquam deum.] *Cicero 3. de natura deorum, inquit: Sed ſi* Erich- *ii hi, eſt certè Erichtheus, cujus Athenis delubrum vidimus & ſacerdotem:* theus. *ſi deum facimus, quid aut de Codro dubitare poſſumus, aut de cæteris, qui pu- es pro patriæ libertate ceciderunt? Quod ſi probabile non eſt, nec illa quidem ora, unde hæc manant, probanda ſunt. Hoc dicto Ciceronis in dubium venit, in nien. Codrum, vel deum putarunt, vel divinis coluerint honoribus.*

Non de Creuſa, de qua fuerit Aſcanius.] *Creuſa Priami & Hecubæ filia, Æ-* Creuſa. *perit Aſcanium: Ilio incolumi. Idem Æneas in Italia ex Lavinia Latini filia Syl- procreavit, qui poſthumus eſt natus, hoc eſt, patre mortuo. Sunt qui putent, ſublato, imperium Latinorum penes Laviniam fuiſſe, conſervatumque ab ea filius ætate fuit imperio idonea. Tunc ei traditum à matre regnum. Alii ditio- Enea Aſcanium accepiſſe, tametſi genitus non erat ex Lavinia, cujus nomine ad m Latium regnum pervenerat, ſed quia nedum Æneæ filius quiſquam erat ex , nec bellum difficile, quod cum Etruſcis duce Mezentio illorum rege & Lauſo*

ſilio gerebatur, à fœmina adminiſtrari poterat. Laviniamque quum videret privignum imperantem, ſeceſſiſſe in rura, ac in ſylvis extructa domo egiſſe, ibique edidiſſe filium, quem Sylvium nominavit: quia in ſylvis, & Poſthumum, quia mortuo patre natus eſſet. Aſcanius ex ſylvis novercam cum fratre eduxit, habuitque apud ſe liberaliter, cùmque Aſcanius diem obiiſſet, reliquit Julum filium, inter quem & Sylvium patruum controverſia fuit de regno: quam populus diſceptator ita diremit, ut quoniam Sylvius & natu major erat, ac perinde rebus adminiſtrandis commodior, & Laviniæ filius regni hæredis regnaret: penes Julum verò ſacrorum eſſet poteſtas, quæ eſt ſecundum regiam maxima. De his ſacris loquitur Cæſar, & apud Lucanum: Phrygiiq; penates gentis Julææ: & in laudatione amitæ Marii conjugis apud Suetonium: A Venere, inquit, Julii, cujus gentis familia eſt noſtra. Eſt ergo in genere ceremonia deorum. Nam Dionyſ. etiam ætate ſua ſcribit, Juliam gentem illa ſacra habere. Memini ſcripſiſſe me alio volumine hujus operis, propter vaticinium Neptuni, quod eſt apud Hom. credidiſſe nonnullos, Æneam, condita ſociis urbe in Italia, rediiſſe in Phrygiam atque ibi dominatum Trojanis, neſcio an prælio cum Etruſcis ſe ſubduxerit, & navigio redierit in patriam. Sed exiſtimarim potius, ſi quid de Troja Phrygia Homerus ſentit, illud eſſe quod Aſcanium in Phrygia regnaſſe ferè convenit, Dion. illum ſcribit, cum in ea regione imperaſſet, reductis ab Heleno Hectoris filiis in Ilium & Aſcanium eò reverſum, expulſis Antenoris liberis, quos ibi Agamemnon non diſcedens præfecerat. Tum & urbs eſt in Phrygia, quam Antandron nominant, in qua regnum tenuiſſe Aſcanium proditur, & ſic nominatam, quòd cum eſſet à Pelaſgis captus, ea ſe redemit, ideo Antandrus quaſi ἀντὶ ἀνδρὸς, hoc eſt, pro Aſcanio. Itaque dubitari poteſt, an Aſcanius relictus ſit in patria ab Ænea, nec comes fuerit paternæ fugæ, an patre mortuo, ubi res penes novercam fuêre, conceſſit in Aſiam. Aſcaniam urbem Heſychius ponit in Phrygia conditam ab Aſcanio, ut Stephanus aſſerit. Ac fieri poteſt, ut alius ſit is Æneæ filius, qui in Aſia dominatus eſt, quam hic Italienſis Aſcanius: neque enim duos tantùm fuiſſe Æneæ filios crediderim etiam Aſcanios dictos, quod puto cognomen illorum potius fuiſſe, quam proprium cujusquam nomen: Nam is ipſe Aſcanius, qui in Italia dicitur patri ſucceſſiſſe, Euryleon proprio nomine vocabatur.

Melanthus. p Melantho Athen.] *Melanthus pater fuit Codri, ut diximus. Regnum Athen. quomodo ſit nactus, referunt cum alii permulti, tum verò Suidas in voce ἀπατούρια. Feſtum hoc, inquit, eſt populo celebre: agebatur ab Athen. per tres dies, in quo donatus eſt civitate filius Sitalci regis Thraciæ. Vocant quidem primum diem δορπείας, cœnæ diem, quò ſodales veſpere convenientes epulabantur. Alterum verò ἀνάρρυσιν, hoc eſt, luxum, à ſacrificando: ſacrum verò fiebat Διὶ Φρατρίῳ. Jovi ſodali, & Minervæ. Tertium verò κουρεῶτιν, id eſt puellare, quòd tunc pueros & puellas in ſodalitates aſcriberent. Fuit autem cauſa feſti hæc: bellum erat Athen. cum Bœotiis de Celænis, quæ eſt regio in confiniis: Xanthus Bœotius provocavit regem Athen. Thymœtum, quo non recipiente certamen, Melanthus qui tum ibi erat peregrinus, Meſſenius genere à Periclymeno Nelei filio, præfectus eſt regno certamine ſuſcepto. Cum verò pugnarent, viſus eſt Melantho quidam à tergo Xanthii conſiſtere nigram capræ pellem indutus. Exclamavit ergo, iniquè eum agere, qui comitatus in pugnam veniret. Bœotius cum ſe conver-*

ſe, occiſus eſt à Melantho. Hinc feſtum deceptoris, & Dionyſii μιλαναιγιδος,
ra caprinæ pellis templum extruxerunt. Sunt qui dicant apaturia nomina-
bus ſimul convenientibus adſcriptiones liberorum inter viros, id eſt, ad ſu-
togam virilem. Sic apaturia & homopatoria dici, ut uxor dicitur ἀκοίτης ἢ
. Hæc Suidas.

eas cum viginti navibus, quibus portabantur reliquiæ.] De evaſione R.L.Op.
neæ poſt Trojæ excidium cum Dardanis, qui excidio ſuperfuerant, & in I-
ventu plura Dionyſius lib. 1.

d Athenienſes Mneſtheo.] Hujus meminit Homerus Iliad 2. undecimus
nienſium Rex Euſebio, & regnavit annis 24. qui regrediens à Troja obiit in
in regno ſucceſſit Demophoon: A primo anno Cecropis, qui primus in Atti-
it uſque ad captivitatem Trojæ, & usque ad 23. annum Mneſthei, cujus me-
nerus, computantur anni 375. Extremo ergo anno regni Mneſthei Æneas ſe
mari commiſit: alii tamen Trojam captam ſcribunt anno 1. regni Demo-
Theſei filii, qui Mneſtheo ſucceſſit. Clemens Alexandrinus lib. 1. ϛρωμ. ex

d Sicyonios Polyphide.] 24. apud Sicyonios regnavit annis 31. Euſebius.
d Aſſyrios Tautane.] 26. Aſſyriorum Rex regnavit annis 32. Euſebius in
Sub Tautane (inquit) rege Aſſyriorum Troja capta eſt. In quem locum
bſervat, falſum eſſe, regnum Tautanis Aſſyrii in Trojana tempora incidiſſe.
n Tautanes annis 205. ante excidium Trojanum, 215. ante conjurationem
Aulide. Sed Euſebius (inquit) ex 40. Regibus à Nino, quos memorat
s quatuor ſuſtulit poſt Tautanum, ut Tautani Regis regnum in Trojana
incideret.

d Hebræos Judex Labdon fuit.] Hic præfuit Hebræis annis 18. Judic. 12.
no 3. Troja capta eſt, & Æneas in Italiam venit. Iſidorus in Chronico &

navit Æneas tribus annis.] Æneas cum Trojanis condito Lavinio 2. anno
ſum ſuum ſequenti quidem anno hoc eſt, 3. poſt diſceſſum ſuum Trojanorum
t fuit Rex, quarto verò ſuccedens ſocero defuncto Latino etiam illius regno
, quod id eſſet uxoris Laviniæ patrimonium, & tribus annis poſt illius obi-
vit, & quarto contra Mezentium & Regem Tyrrhenorum & Rutulos pu-
riit: Corpus Æneæ quæſitum cum nusquam appareret, alii conjectabant,
ſſe ad Deos, alii necatum in flumine, apud quod pugnaverant: Latini
ellum dicaverunt cum hac inſcriptione: PATRI DEO INDIGETI QVI
AMNIS UNDAS TEMPERAT, licet non deſint qui dicunt, Æneam di-
hiſſe defuncto ante hoc bellum anno proximo. Hoc Dionyſ. lib. 1.

ræorum judex Samſon.] Judicum 13. Joſephus lib. 5. cap. 10. Andreas
cap. ult. Ioſue Samſonem è numero judicum expungit: 20. ejus annos, qui-
m judicaſſe memoratur, attribuens principatui Heli judicis. Verùm mi-
ito Genebrardus, Maſium doctiſſimum Ioſue interpretem maluiſſe expungere
n de numero judicum, & ejus 20. annos, quibus judicaſſe Iſraelem comme-

Gggg 2 moratur,

nomtur, adſcribere dimidiato Pontificatui Heli, quam in cæterorum Chronographorum ſententia, aut potius diſertis ſcriptura verbis permanere Judic. 16. Dicitur enim expreſſis verbis judicaſſe Iſrael viginti annis, & eam prophetiam Jacob. Geneſ. 49. Dan judicabit populum ſuum ſicut & alia tribus, *fere de Samſone interpretantur, qui futurus erat de tribu Dan, & eam tribum alioquin ſatis obſcuram mirum in modum nobilitaturus.*

θ Cum mirabiliter fortis eſſet, putatus eſt Hercules.] *Certè utriuſque temporis non multum diſcrepant. Eos enim propemodum ſynchronos fuiſſe indicat Euſebius in Chronicis;* Ex ejus robore & caſibus *(ait Genebrardus)* Herculis, qui his temporibus exſtitit, vires & ærumnas Poetæ finxiſſe videntur. *Hujuſmodi fortitudinem Samſonis non fuiſſe naturalem, ſed ſupernaturaliter & divinitus ei datam docet Abulenſis q. 19. in cap. 14. Iudicum.*

ι Sabini etiam regem ſuum primum Sangum.] *Alii* Santum : Sancum *nominat Lactantius lib. 1. cap. 15. Dionyſius lib. 2. Porcius Cato nomen Sabinis impoſitum ait à* Sabino filio Sabi (alias Sangi) ejus quem colunt illius regionis homines, & eum appellari à quibusdam Diumfidium.

κ Per idem tempus Codrus rex Athenienſium.] *Codrus Melanthi filius ultimus rex Athenienſium, qui enim ei ſucceſſere, Medon ejus filius & poſteri, Archontes dicti ſunt magna parte poteſtatis ſpoliati & referendis rationibus obnoxii, morte ſua Peloponneſiacum bellum diremit ſe pro patriæ ſalute devovens. Reſponſum enim acceperant Peloponneſienſes, ita demum ſe ſuperaturos, ſi hoſtium regem non occidiſſent. Fefellit ergo eos habitu pauperis, eoſque per jurgia in ſuam necem provocando à nullo cognitus fidem fecit oraculo. Horatius.*

Codrus non timidus pro patria mori.

Nota eſt hiſtoria ex Cicerone lib. 1. Tuſculan. & lib. 3. de nat. deorum, ex Juſtino lib. 2. Velleio lib. 1. Valerio Maximo lib. 5. cap. 6. Oroſio lib. 1. cap. 18. Euſebio in Chronico, Lactantio lib. 3. cap. 12. Theodoreto ſerm. 7. Θεραπευτ. *Codri regimen & & necem Genebrardus refert in tempora Samuelis & Saulis: Alii tum interemptum Codrum volunt cum cœpiſſet David regnare in Iſrael. Scribit Euſebius in eo Haraclidarum regnum deſtructum eſſe, quod 382. annis duraverat.*

λ Unde ait Virgilius, aut jurgia Codri.] *Secutus in hoc Servium Auguſtinus, & utrumque immerito meo judicio notat Scaliger ad Euſebium, quod falſo eundem faciant Codrum regem Athenienſium cum Codro Virgiliano.*

Si quas Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Uterque enim *(inquit)* paſtor eſt apud Virgilium. *Quid ſi Alconem Heroem illum Virgilius intellexerit, cujus meminit Pauſanias in Laconicis, quem Hippocreontis dicunt filium fuiſſe, vel etiam quemvis alium intellexerit?*

μ Sylvio Æneæ filio.] *Quomodo poſt mortem Aſcanii fratris ad imperium pervenerit ex Lavinia Latini filia poſt mortem patris genitus, & unde nomen Sylvii illi inditum, quod ad poſteros propagavit, vide Dionyſium lib. 1. unde triginta annis regno potitus eſt. Euſebius in Chronico,* Sylvius poſthumus, quia poſt mortem

tem patris editus ruri fuerat educatus, & Sylvii & poſthumi nomen accepit, à qua omnes Albanorum Reges Sylvii vocati ſunt.

ι Aſſyriorum 29. Oneo.] *Dercilum nominat Euſebius, qui regnaverit annis 40.*

ξ Regnum Sicyoniorum conſumptum eſt quod per annos 959.] *Zeuſipp. 26. & ultimus regnavit apud Sicyonios, in eoque defecerunt Reges Sicyoniorum. Euſebius ſcribit regnaſſe annis 862. Verùm collecti anni efficiunt 972. Suidas ſcribit hoc regnum duraſſe 900. annos, à quibus omnibus diſcrepat Auguſtinus.*

CAP. XX.

De ſucceſſione ordinis regni apud Iſraëlitas poſt Judices.

MOx eisdem per loca memorata regnantibus, Iſraëlitarum regnum, finito tempore Judicum, à Saule rege ſumpſit exordium: quo tempore fuit Samuel Propheta. Ab illo igitur tempore hi reges Latinorum eſſe cœperunt, α quos cognominabant Sylvios, β ab eo qui filius Æneæ primus dictus eſt Sylvius: cæteris ſubſecutis & propria nomina imponebantur, & hoc non defuit cognomentum, ſicut longè poſtea Cæſares cognominati ſunt, *a* qui ſucceſſerunt Cæſari Julio. Reprobato autem Saule, ne quiſquam ex ejus ſtirpe regnaret, *b* eoque defuncto David ſucceſſit in regnum *c* poſt annos à Saulis imperio XL. *d* Tunc Athenienſes habere deinde reges poſt Codri interitum deſtiterunt, & γ magiſtratus habere cœperunt adminiſtrandæ Reipub. *e* Poſt David, qui etiam ipſe quadraginta regnavit annos, filium ejus Salomon rex Iſraëlitarum fuit, qui templum illud nobiliſſimum Dei Hieroſolymitanum condidit. δ Cujus tempore apud Latinos condita eſt Alba, ex qua deinceps non Latinorum, ſed Albanorum reges appellari in eodem tamen Latio cœperunt: *f* Salomoni ſucceſſit filius Roboam, ſub quo in duo regna populus ille diviſus eſt, & ſingulæ partes ſuos ſingulos reges habere cœperunt.

QUi ſucceſſerunt Cæſari Julio.] *Alibi habetur, Cæſari Auguſto: & haud dubiè propter Auguſtum cæteri Romani principes & Cæſares & Auguſti ſunt [...]i, & ſi Auguſtus nominatus eſt Cæſar, qui priùs C. Octavius, quòd teſtamento à Julio Cæſare majore avunculo adoptatus.* I. Vives. Cæſares

[...] Eoque def.] *Erat jam multis annis anteà unctus à Samuele, ſacratusq́; rex [...]l, ſed non cœpit imperare quoad vita conceſſit Saul, cùm David conſulto ora[...]venit in Ebron. 2. Reg. cap. 2.*

[P]oſt annos à Saulis imp.] *Tot enim annis regnavit Saul rex ſacris literis, & [...]o. Eupolemus verò, qui Hebræorum conſcripſit hiſtorias, tantum 21. ponit.*

[T]unc Athenien.] *His ſucceſſere quos ipſi vocant ἄρχοντας, hoc eſt principes. [...]ymus magiſtratus vertit, & Plinius lib. 33. Cicero in De fato Græco verbo eſt [q]uod parum commodè Latinè poſſe exprimi videbat: Archonte, inquit, Py[...]. Idem fecit Spartianus in Adriano: Athenis, inquit, archon fuit. Velle[ius Pate]rculus ſic: Codri fuit filius Medon, primus archon Athenis fuit, ab hoc po[...]ud Atticos dicti Medontidæ: ſed hi inſequentes uſque ad Charopem dum [...]t, eum honorem uſurpârunt, poſtea decennales fuêre magiſtratus, inſtituti [an]te primam Olympiadem. Poſt Eryxiam fuerunt anni, id eſt, Olym. 26.* Archontes

Pollux. lib. 8. ἀρχόντων Ἀθήνησι ὀνόματα οἱ ἐννέα ἄρχοντες εἰσὶ δὲ ὁ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπώνυμος ἄρχων, βασιλεὺς πολέμαρχος, καὶ θεσμοθέται ἕξ: ἐκ τούτων γὰρ οἱ ἐννέα ἄρχοντες συμπληροῦνται, ἐκαλεῖτο δέ τις θεσμοθετῶν ἀνάκρισις. *& mox:* ὁ δὲ ἄρχων διατίθησι μὲν διονύσια καὶ θαργήλια μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν, δίκαι δὲ πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται κακώσεως παρεινίας, εἰς διαιτητῶν αἵρεσιν ἐπιτροπῆς ὀρφανῶν, ἐπιτρόπων καταστάσεις. κλήρων καὶ ἐπικλήρων ἐπιδικασίαι, ἐπιμεληταὶ δὲ καὶ τῶν γυναικῶν αἳ ἂν φανῶσιν ἀπ' ἀνδρὸς τελευτῆς κύειν, καὶ τοῖς οἴκοις ἐκμισθιοῦ τῶν ὀρφανῶν. ἐστὶ δὲ ἐπώνυμος ἄρχων, καὶ ἀπ' αὐτοῦ ὁ χρόνος ἀριθμεῖται. *Id eſt Nomina magiſtratuum Athenis. Novem magiſtratus, qui ſunt: primum is qui annis ſingulis archon nominatur: tum rex: inde polemarchus ſive belli princeps: & theſmothetæ, ſive legum latores ſex, ex quibus novem conficiuntur magiſtratus: idq́, theſmothetarum vocatur forum, & cognitio. Archon verò diſponit Dionyſia & ludos Apollinis in vere cum aliis, qui ei adhibentur curæ ſocii: judicia apud illum exercentur hæc, malæ tractationis injuriarum, de eligendis qui orphanis dent curatores, & curatorum conſtitutio, advocatio heredum, & fœminarum quæ ſola ſunt hæredes ex aſſe, curatores mulierum quæ à mariti morte deprehenduntur ferre uterum, locatio ædium orphanorum. Hic verò præcipuè archon dicitur, & ab eo ſignantur faſti. Sic ille. Judicabant olim ante Solonis leges ſeparatim, nec aliter licebat. Rex ſedebat ad Bucoleum non procul à Prytaneo, polemarchus in Lycæo, theſmothetæ in Theſmotio, Archon ad ſtatuas æneas, qui exonymi dicebantur, ubi & figebantur leges, antequam eſſent approbatæ, ceu quis dicat pro roſtris.*

David. e Poſt David qui etiam.] *Non modò inter reges, ſed nec inter privatos homines tale par, quales hi pater & filius, David & Salomon. Pater manſuetudine & probitate Deo chariſſimus, inſignis vaticinio: filius ſapientia cunctos mortales antecellens. Hujus Salomonis & templi ab eo conſtructi meminerunt profani ſcriptores Eupolemus, & Timochares. Lact. lib. 4. Divin. inſtit. Salomonem ſcribit regnaſſe ante Trojana tempora annis cxl. quum totidem annis poſterior fuerit clade Ilii, vel erratum eſt à librariis, vel autor ipſe lapſus memoria, & pro poſt dixit ante.*

Roboam f Salomoni ſucceſſit filius Roboam.] *Hic planè, quod dici ſolet, Heroum filii noxæ, ex patre ſapientiſſimo ſtultiſſimus filius & arrogantiſſimus, qui quòd populum ſe arctius habiturum, quàm feciſſet pater, palàm profeſſus eſſet, decem tribus amiſit, quarum qui electus rex dictus eſt rex Iſraël: ipſe verò cui duæ reliquæ ſuperfuerunt, nominatus rex Juda: nam ei tribus Juda & proxima illi Benjamin parebant, Leutica cum Judaica manſit propter templum Domini, quod erat Hieroſolymis Judæis.*

α QUos cognominabant Sylvios.] *Ita Livius lib. 1.* Manſit poſtea Sylvius omnibus cognomen, qui Albæ regnaverunt. *Alexander Neapolit. lib. 1. cap. 2. ubi ſcribit qui Reges vel Principes apud varias gentes cognomina ex ſuo nomine poſteris reliquerunt.*

β Ab eoque filius Æneæ primus eſt dictus Sylvius.] *Non deſunt, qui dicant Sylvium hunc, à quo reliqui deinceps reges, qui ei ſucceſsêre, Sylvii cognominati ſunt,*

ſunt, non Æneæ, ſed Aſcanii filium fuiſſe, & ſecundum ab Aſcanio ſuſcepiſſe Albæ regnum; Ita Livius lib. 1.

γ Magiſtratus habere cœperunt adminiſtrandæ Reipublicæ.] *Archontes hi dicebantur, & à Medonte Codri filio usque ad Charopem, qui primus Archon decennalis creatus eſt, perpetui erant, poſtremo annui fuerunt. Pauſanias in Atticis;* Athenienſium civitas Medonthi poſteros, qui Medonthidæ dicti ſunt, magna parte poteſtatis ſpoliavit, & ex regno redegit ad Imperium referendis rationibus obnoxium; deinde cavit, ne ultra decem annos idipſum continuarent. *& Paterculus lib. 1.* Codri filius Medon primus Archon fuit; ab hoc poſteri apud Atticos dicti Medonthidæ; ſed hi inſequentes archontes usque ad Charopem dum viverent, honorem uſurparunt, inde perpetui archontes eſſe deſierunt, cùm fuiſſet ultimus Alcmæon, cœperuntque in denos annos creari; quæ conſuetudo in annos ſeptuaginta manſit, ac deinde annuis commiſſa eſt magiſtratibus Reſpublica. *Ex iis, qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops, ultimus Eryx, ex annuis primus Creon.*

δ Cujus tempore apud Latinos condita eſt Alba.] *Conditam vult Genebrardus temporibus Samuelis & Saulis, ut & Euſebius, ut author eſt Dionyſius lib. 3. ab Aſcanio ex Ænea Anchiſæ filio, & Creuſa filia Priami prognato condita, & per quingentos minus tredecim annos habita, triginta oppidorum Latinorum mater, & gentis ejus ſemper princeps à noviſſima ſua colonia Roma, æquata ſolo.*

CAP. XXI.

De regibus Latii, quorum primus Æneas, & duodecimus Aventinus dii facti ſunt.

LAtium poſt Æneam, quem deum fecerant, α undecim reges habuit, quorum nullus deus factus eſt. β Aventinus autem, qui duodecimo loco Æneam ſequitur, quum eſſet proſtratus in bello, & ſepultus in eo monte, qui etiam nunc ejus nomine nuncupatur, deorum talium, quales ſibi faciebant, numero eſt additus, alii ſanè noluerunt eum in prælio ſcribere occiſum, ſed non comparuiſſe dixerunt: α nec ex ejus vocabulo appellatum montem, ſed ab adventu avium dictum Aventinum. Poſt hunc non eſt deus factus in Latio, γ niſi Romulus conditor Romæ. Inter iſtum autem & illum reges reperiuntur duo: quorum primus eſt, ut Vergiliano cum verſu eloquar:

δ *Proximus ille Procas Trojanæ gloria gentis:*

Cujus tempore, quia jam quodammodo Roma perturiebatur, illud omnium ε regnorum maximum Aſſyriorum finem tantæ diuturnitatis accepit. ζ Ad Medos quippe tranſlatum eſt η poſt annos fermè mille trecentos quinque, ut etiam Beli, qui Ninum genuit, & illic parvo contentus imperio primus rex fuit, tempora computentur. Procas autem regnavit ante θ Amulium. Porrò Amulius fratris ſui Numitoris filiam Rheam nomine, quæ etiam Ilia vocabatur, Romuli matrem Veſtalem virginem fecerat, quam volunt de Marte geminos concepiſſe, iſto modo ſtuprum ejus honorantes, vel excuſantes, & adhibentes argumen-

Digitized by Google

gumentum, quòd infantes expoſitos lupa nutriverit. Hoc enim genus beſtiæ ad Martem exiſtimant pertinere, ut videlicet ideò lupa credatur admonuiſſe ubera parvulis, quia filios domini ſui Martis agnovit: quamvis non deſint, qui dicant, quum expoſiti vagientes jacerent, neſcio à qua primùm meretrice fuiſſe collectos, & primas ejus ſuxiſſe mamillas. Meretrices autem lupas vocabant, unde etiam nunc turpia loca earum lupunaria nuncupantur. Et eos poſtea ad Fauſtulum perveniſſe paſtorem, atque ab ejus Acca uxore nutritos, quanquam ſi ad arguendum hominem regem, qui eos in aquam projici crudeliter juſſerat, eis infantibus, per quos tanta civitas condenda fuerat, de aqua divinitus liberatis, per lactantem feram Deus voluit ſubvenire, quid mirum eſt? Amulio ſucceſſit in regnum Latiale frater ejus Numitor avus Romuli, cujus Numitoris primo anno condita eſt Roma, ac per hoc cum ſuo deinceps, id eſt, Romulo nepote regnavit.

L.Vives. Aventinus. α Nec ex ejus vocabulo appellatum montem.] *Varro lib. 4. de lingua Latina: Aventinum aliquot de cauſis dicunt: Nævius ab avibus, quòd eò ſe ab Tiberi ferrent aves. Alii à rege Aventino Albano, quòd ibi ſit ſepultus. Alii Aventinum ab adventu hominum, quòd commune Latinorum, ibi Dianæ templum ſit conſtitutum. Ego maximè puto ab advectu. Nam olim paludibus mons erat ab reliquis diſcluſus, itaque eò ex urbe advehebantur ratibus. Et quandoquidem bene curioſioribus ingeniis volumen hoc decimum octavum paulò fuſius extendimus, illud non pigebit quoque annotare: Aventinum montem extra pomœrium fuiſſe Romæ propter alteram ex duabus cauſis, aut quòd plebs eò ſeceſſiſſet, aut quòd Remo auſpicante illo loco aves non addixiſſent.*

P.L.Coq. α Undecim reges habuit.] *Recenſentur ordine à Dionyſio lib. 1. T. Livio lib. 1. & ab Euſebio in Chrònicis.*

β Aventinus, qui duodecim loco Æneam ſequitur.] *13. Latinorum regem facit Euſebius. Dionyſius lib. 1.* Aventinus Halladio ſucceſſit, à quo nomen uni è ſeptem urbis collibus, tenuitque regnum annis 37. *Livius lib. 1.* Is ſepultus in eo colle, qui nunc eſt pars Romæ urbis, nomen colli dedit.

γ Niſi Romulus conditor Romæ] *De Apotheoſi Romuli Livius lib. 1. Dionyſius lib. 2 Plutarchus in Romulo, Zonoras & alii. De hoc alibi plura.*

δ Proximus ille Procas.] *Livius lib. 1. Dionyſius lib. 1. 23. annis regnum tenuit.*

ε Regnorum maximum Aſſyriorum finem.] *Euſebius in Chronicis,* Teſpico Ariphronis filio Athenis regnante Aſſyriorum regnum deletum eſt.

ζ Ad Melos quippe translatum eſt.] *Juſtinus lib. 1. Vellejus Paterculus lib. 1. ab Arbacto præfecto Medorum, quem Vellejus Pharnacem nominat, Sardanapalo ultimo rege Aſſyriorum molitiis florente & nimium fœlice malo ſuo imperio, vitaque privato. Hunc vult eſſe Genebrardus eum, quem ſcriptura Aſar Adon nominat, qui Senacherib patri in regnum ſucceſſerat.*

η Poſt annos ferme mille trecentos quinque.] *De diuturnitate illius imperii ſupra dictum, & ad caput 2. & variæ illic opiniones allatæ.*

θ Amulius fratris ſui Numitoris.] *Euſebius in Chron. Numitor Procæ ſuperioris*

regis

regis filius à fratre Amulio regno pulſus in agro ſuo vixit; filia ejus adimendæ ſpei partus gratia virgo Veſtalis lecta, quæ cum ſeptimo patrui ſui anno geminos edidiſſet infantes, juxta legem in terram viva defoſſa eſt. Verùm parvulos prope ripam Tyberis expoſitos Fauſtulus regii armenti paſtor ad Accam Laurentiam ſuam uxorem detulit, quæ propter pulchritudinem & rapacitatem corporis quæſtuoſi lupa à viciniis appellabatur, unde ad noſtram usque memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur: Pueri cum adoleviſſent, collecta Paſtorum & Latinorum manu, interfecto apud Albam Amulio, avum Numitorem in regnum reſtituunt. Habes diffusè hiſtoriam apud Livium lib. 1. Dionyſium lib. 1. Juſtinum lib. 43. Zonaram lib. 2.

Cap. XXII.

Quòd eo tempore Roma ſit condita, quo regnum Aſſyriorum intercidit, quo Ezechias regnavit in Judæa.

a NE multis morer, *a* condita eſt Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum, & in unam ſocietatem Reip. legumque perductum longè latèque pacare. Erant enim jam populi validi, & fortes, & armis gentes exercitatæ, quæ non facilè cederent, & quas opus eſſet ingentibus periculis & vaſtatione utrinque non parva atque horrendo labore ſuperari. Nam quando regnum Aſſyriorum totam penè Aſiam ſubjugavit, licèt bellando ſit factum, non tamen multum aſperis & difficilibus bellis fieri potuit, quia rudes ad reſiſtendum gentes erant, nec tam multæ, vel tam magnæ. Siquidem poſt illud maximum atque univerſale diluvium, quum in arca Noë octo ſoli homines evaſerunt, *β* anni non amplius quàm mille tranſierant, quando Ninus Aſiam totam excepta India ſubjugavit. Roma verò tot gentes & Orientis & Occidentis, quas imperio Rom. ſubditas cernimus, non ea celeritate ac facilitate perdomuit, quoniam paulatim creſcendo robuſtas eas & bellicoſas quaquaverſum dilatabatur, invenit. *γ* Tempore igitur, quo Roma condita eſt, populus Iſrael habebat in terra promiſſionis annos ſeptingentos decem & octo. Ex quibus viginti ſeptem pertinet ad Jeſum Nave, deinde ad tempus Judicum in trecenti viginti novem. Ex quo autem ibi reges eſſe cœperant, anni erant trecenti ſexaginta duo. Et rex tunc erat in Juda, cujus nomen erat Achax, vel ſicut alii computant, qui ei ſucceſſit Ezechias, quem quidem conſtat, optimum & piiſſimum regem Romuli regnaſſe temporibus, *b* in ea verò his temporibus Hebraici populi parte, quæ appellabatur Iſrael, regnare cœperat Oſee.

a NAm altiſſima tunc condita eſt civitas Roma] *In quodam libro ſic legitur: Ne multis morer, condita eſt civitas Roma, ut annotavit mihi Nicolaus Vottonius meus, acri judicio & ſuaviſſimo ingenio juvenis. Porrò Petrus Apoſtolus Romam Babylonem appellat, ut etiam Hieronymus in vita Marci interpretatur, qui ad Marcillam ſcribens non aliam exiſtimabat deſcribi à Joanne in Apocalypſi Babylonem, quam urbem Romã. *(Nunc verò nomen tam odioſum exuit, nam nihil eſt in ea confuſum & promiſcuum, diſcretis adeò & redactis omnibus in certas leges, ut* L. Vives.

*quum omnia propè illic vendantur & emantur, nihil tamen agas ſine lege ac formula, atque etiam ſanctiſſimi juris.)**

b In ea verò.] *Alibi ſic, In ea Hebræi populi parte.*

F.L.C.9. *a* Condita eſt Roma velut altera Babylon.] *Quemadmodum enim Babylon imperatrix fuerat Orientis, ita Roma occidentis. Oroſius lib. 2. cap. 2.* Babylon noviſſimè eo tempore à Cyro rege ſubverſa, quo primum Roma à Tarquiniorum regum dominatione liberata eſt. Siquidem ſub una eademque convenientia temporum illa cecidit, iſta ſurrexit: illa tunc primum alienigenarum perpeſſa dominatum, hæc tunc primum etiam ſuorum aſpernata faſtidium: illa tunc quaſi moriens dimiſit hereditatem; hæc verò pubeſcens tunc ſe agnovit heredem; tunc orientis occidit imperium & ortum eſt occidentis. *& cap. 3.* Ecce ſimilis Babyloniæ ortus eſt Romæ, ſimilis potentia, ſimilis magnitudo, ſimilia tempora, ſimilia bona, ſimilia mala. *Eo etiam convenire utramque urbem ſcribit, quod & Babylon poſt annos 1160. & fere quatuor quam condita erat à Medis & Arbacto rege eorum, præfecto autem ſuo, ſpoliata opibus & regno, atque ipſo rege privata eſt, ipſa tamen poſtea aliquandiu incolumi. Sic Roma poſt annos totidem. i. e. mille centum ſexaginta, & fere quatuor à Gothis & Alarico rege eorum, comite autem ſuo, irrupta & opibus ſpoliata, non regno, manet adhuc & regnat incolumis. Dicitur etiam per figuram Babylon in ſcriptura ſacra Apocal. 17, Romana urbis figura eſt regno ſuperba, & ſanctorum Dei perſecutricis ac debellatricis. 1. Petri 5.* Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta *D. Hieronymus lib. de viris illuſtr. in Marco,* Petrus 1. epiſt. in fine ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans, ſalutat (*inquit*) vos eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta cum omnibus dominaretur gentibus, omnium certe gentium ſerviebat erroribus. *Verùm idem Hieronymus lib. 2. contra Joviniana. eandem Romam ita alloquitur;* At te loquar, quæ ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione deleſti.

β Anni non amplius quam mille tranſierant.] *Id quidem ſecundum 70. editionem. Nam in Hebræis codicib. à diluvio ad Ninum longe pauciores anni reperientur, ut obſervavit etiam ſupr. lib. 16. c. 10. ſiquidem à diluvio ad natum Abrahamum non amplius quàm anni 292. Abrahamum autem natum eſſe temporibus Nini Regis, & jam longe lateque patente ejus imperio, fama fere conſtans eſt.*

γ Tempore igitur quo Roma condita eſt.] *Vult D. Auguſt. Romam conditam eſſe 718. annis ab ingreſſu Hebræorum in terram promiſſionis, quos ita computat; nimirum, Joſue præfuit populo 27. annis, de quo aliàs dictum eſt, & poſt eum Judices 329. annis, inde Reges ante Romam conditam præfuère annis 362. qui omnes efficiunt 718. annos. Dicit verò conditam Romam regnante Achaz, vel etiam Ezechia. Ita Iſidorus in Chronico vult conditam temporibus Achaz regis Juda: Genebrardus, Cedrenus, regnante Oſea & Achazo: Euſebius lib. 10. de præparat. Evangel. cap. 3. vult, Romam regnante Ezechia conditam fuiſſe.*

CAP. XXIII.

De Sibylla Erythræa, quæ inter alias Sibyllas cognoſcitur, de Chriſto evidentia multa ceciniſſe.

EOdem *a* tempore nonnulli Sibyllam Erythræam vaticinatam ferunt. *a* β Sibyllas autem Varro prodit plures fuiſſe, non unam: *b* Hæc ſanè Erythræa Sibylla quædam de Chriſto manifeſta conſcripſit, quæ etiam nos in Latina lingua verſibus malè Latinis & non ſtantibus legimus, per neſcio cujus interpretis imperitiam, ſicut pòſt cognovimus. Nam vir clariſſimus Flaccianus, qui etiam proconſul fuit, homo facillimæ facundiæ, multæque doctrinæ, quum de Chriſto colloqueremur, Græcum nobis codicem protulit, carmina eſſe dicens Sibyllæ Erythrææ, ubi oſtendit quodam loco *c* γ in capitibus verſuum ordinem literarum ita ſe habentem, ut hæc in eo verba legerentur: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, quod eſt Latinè: Jeſus Chriſtus Dei filius Salvator. Hi autem verſus, quorum primæ literæ iſtum ſenſum, quem diximus, reddunt, ſicut *d* eos quidam Latinis extantibus verſibus eſt interpretatus, hæc continent.

e Judicii ſignum, tellus ſudore madeſcet,
E cœlo rex adveniet per ſecla futurus:
f Scilicet in carnem præſens, ut judicet orbem.
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis
Celſum cum ſanctis, ævi jam termino in ipſo.
g Sic animæ cum carne aderunt, quas judicet ipſe.
Quum jacet incultus denſis in vepribus orbis
Rejicient ſimulachra viri, cunctam quoque gazam:
h Exuret terras ignis, pontumq; polumq;
Inquirens: tetri portas effringet Averni.
i Sanctorum ſed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur, ſontes æterna flamma cremabit.
k Occultos actus retegens, tunc quiſque loquetur
Secreta, atque Deus reſerabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, ſtridebunt dentibus omnes.
l Eripitur ſolis jubar, & chorus interit aſtris.
Solvetur cœlum, lunaris ſplendor obibit.
m Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
n Non erit id rebus hominum ſublime, vel altum.
o Jam æquantur campis montes, & cærula ponti.
Omnia ceſſabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur: fluminaq; igni.
Sed tuba tunc ſonitum triſtem demittet ab alto
p Orbe, gemens facinus miſerum varioſq; labores:
Tartareumq; chaos monſtrabit terra dehiſcens.
Et coràm hic Domini reges ſiſtentur ad unum.
Decidet è cœlis ignisq; & ſulphuris amnis.

In his Latinis verſibus de Græco utcunque translatis, ibi non potuit ille ſenſus occurrere: qui fit, cùm literæ, quæ ſunt in eorum capitibus connectuntur, ubi υ litera in Græco eſt poſita, *q* quia non potuerunt verba Latina inveniri, quæ ab eadem litera inciperent, & ſententiæ convenirent. Hi autem ſunt verſus tres, quintus & octavusdecimus & nonusdecimus. Deinde literas, quæ ſunt in capitibus omnium verſuum connectentes, harum trium, quæ ſcriptæ ſunt, non legamus, ſed pro eis υ literam tanquam in eisdem locis ipſa ſit poſita, recordemur, exprimitur in quinque verbis, Jeſus Chriſtus Dei filius ſalvator: δ ſed cum Græcè hoc dicitur, non Latinè. Et ſunt verſus viginti & ſeptem, qui numerus *r* quadratum ternarium ſolidum reddit. Tria enim ter ducta fiunt novem. Et ipſa novem ſi ter ducantur, ut ex lato in altum figura conſurgat, ad viginti ſeptem perveniunt. Horum autem Græcorum quinque verborum, quæ ſunt Ιησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, quòd eſt Latinè: Jeſus Chriſtus Dei filius Salvator, ſi primas literas jungas, erit ἰχθὺς *s* id eſt, piſcis, in quo nomine myſticè intelligitur Chriſtus, eo quòd in hujus mortalitatis abyſſo velut in aquarum profunditate vivus, hoc eſt ſine peccato eſſe potuerit. Hæc autem Sibylla ſive Erythræa, ſive ut quidam magis credunt Cumana, ita nihil habet in toto carmine ſuo cujus exigua iſta particula eſt, quod ad deorum falſorum ſive fictorum cultum pertineat, quinimò ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, ζ ut in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad civitatem Dei. *ſ* η Inſerit etiam Lactantius operi ſuo quædam de Chriſto vaticinia Sibyllæ, quamvis non exprimat cujus. Sed quæ ſigillatim ipſe poſuit, ego arbitratus ſum conjunctim eſſe ponenda, tanquam unum ſit prolixum, quæ ille plura commemoravit & brevia, *t* In manus iniquas, inquit, infidelium poſtea veniet. Et dabunt Deo alapas manibus inceſtis, & imputato ore expuent venenatos ſputus. Dabit verò ad verbera ſimpliciter ſanctum dorſum. *u* Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat, quod verbum, vel unde venit, ut inferis loquatur, & corona ſpinea coronetur. *x* Ad cibum autem fel, & ad ſitim acetum dederunt, *y* in hoſpitalitate hanc monſtrabunt menſam. *z* Ipſa enim inſipiens gens tuum Deum non intellexiſti, ludentem mortalium mentibus, ſed & ſpinis coronaſti, & horridum fel miſcuiſti. *a* Templi verò velum ſcindetur, & medio die nox erit tenebroſa nimis in tribus horis. *b* Et morte morietur tribus diebus ſomno ſuſcepto. Et tunc ab inferis regreſſus ad lucem lætam veniet, *c* primus reſurrectionis principio revocatis oſtenſo. Iſta Lactantius carptim per intervalla diſputationis ſuæ, ſicut ea poſcere videbantur, quæ probare intenderat, adhibuit teſtimonia Sibyllina, quæ nos nihil interponentes, ſed in unam ſeriem connexa ponentes, ſolis capitibus, ſi tamen ſcriptores deinceps ea ſervare non negligant, diſtinguenda curavimus. Nonnulli ſanè Erythræam Sibyllam θ non Romuli, ſed belli Trojani tempore fuiſſe ſcripſerunt.

L. Vives. *a* Sibyllæ.] *Mulieres ſunt vates Deo plenæ, ut inquit Diodorus lib. 5. Servius 4. Æneid. & Lactantius primo Div. inſtit. ex Varrone Sibyllam nominatam dicunt, q. Dei conſilium, nam Æoles* σιὸς *deos vocant, &* βυλλὼ *conſilium. Suidas* λέξιν

φαμαι-

ῥωμαϊκὴν eſſe dicit ἑρμηνευομένην προφῆτιν, Romanam vocem interpretarique prophetiſſam, hoc eſt, vatem. Quæ verò & quot Sibyllæ, quibus temporibus, quibus locis fuerint, non convenit, nobilium ſententias aliquot colligimus. Martianus Capella duas tantùm eſſe dicit, non decem, Erophilam Trojanam Marmeſi filiam, quam eandem putat eſſe Phrygiam, & Cumæam, alteram Symmachiam Hipporenſis filiam, quæ Erythræ progenita etiam Cumis vaticinata eſt. Plinius eſt autor Romæ trium Sibyllarum fuiſſe ſtatuas juxta roſtra, unam, quam Paccujus Taurus ædil. pleb. inſtituit, duas quas M. Meſſala. Solinus eas nominat Cumanam, Delphicam, & Erythræam Heriphilem. Ælianus in Varia hiſt. quatuor ponit, Erythræam, Samiam, Ægyptiam, Sardianam. Iſtis alii duas addunt, Judæam & Cumanam. Varro in libris Rerum divin. ad C. Cæſarem, quatuor adjungit, ut ſint decem. Nonnulli Græcorum conati ex Sibyllis facere, quod de Jovibus, Herculibus, & aliis, qui cùm multi fuerunt, unicum tantùm prodidêre, varia de Sibylla ſcribunt, & multum inter ſe diſcrepantia. Alii eam Apollinis Lamiæ filiam volunt: alii Ariſtocratis & Hydolis, alii Grinagoræ, alii Theodori. Tum de patria non minus diſſidetur. Sunt qui Erythræam tradunt, ſunt qui Siculam, ſunt qui Sardinicam, ſunt qui Gergeticam, ſunt qui Rhodiam, ſunt qui Libycam, ſunt qui Leucanam, ſunt qui Samiam, quæ omnia magna ex parte de Erythræa opinati ſunt, quam dicunt ante Trojana tempora fuiſſe. Cæterùm decem Sibyllas Varronis percenſebo, ut à Lactantio ponitur, additis quæ mihi videbuntur partim ex Latinis ſcriptoribus, partim ex Græcis, ut res tota planior fiat. Prima Sibylla fuit Perſica, cujus mentionem fecit Nicanor, qui res geſtas Alexandri Macedonis ſcripſit. Hanc eandem Chaldæam eſſe dicunt, ab aliis Hebræa nominatur, cui proprium nomen Sambetha, Noë quæ urbs eſt prope mare Rubrum nata, patre Beroſſo, & matre Erymantha, cujus libri fuerunt quatuor & viginti ac de Chriſto Domino innumera cecinit, deque ejus adventu, cui cæteræ quoque Sibyllæ concinunt. Verſus hujus paſſim legebantur imperfecti, & interdum parùm cohærentes vitio non vatis, ſed exſcribentium feſtinanter, ita ut multa conjectura ſit opus, quod non ſine numine contigit, ne ab indignis illa vaticinia, intelligerentur. Altera Sibylla fuit Libyca, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo. Tertia Delphica, de qua Chryſippus loquitur in eo libro, quem De divinatione compoſuit. Hanc putant Delphis natam dictamque Themin & vixiſſe ante Troicum excidium, cujus plurimos verſus operi ſuo Homerum inſeruiſſe crediderunt. Hanc Diodorus Daphnen Tyreſiæ filiam fuiſſe refert, quam Argivi, cùm Thebas viciſſent, Delphos misêre, ibique peritior dominandi Apollinis vaticiniis facta, dei oracula conſulentibus edidit, idcircò Sibylla eſt ab omnibus cognominata. Fertur & Daphne altera Ladonis Arcadis filia, Apollini adamata, quæ in laurum eſt verſa, cum deum averſaretur & fugeret. Quarta Cumæa in Italia, quam Nævius in libris belli Punici, Piſo in annalibus nominat. Hanc alii Italicam nuncupant, ex Cimerio Campaniæ vicino Cuminis oppido. Quinta Erythræa, quam Apollodorus Erythræus affirmat ſuam fuiſſe civem, eamque Grajis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram eſſe Trojam, & Homerum mendacia ſcripturum. Hanc vulgatior opinio eſt, fuiſſe ante obſidium Ilii. At Euſebius in primam ætatem urbis Romæ regnumque Romuli refert. Strabo verò non unam ponit Erythræ-

am Sibyllam, nam priſcam quandam facit, & aliam recentiorem, Athenam nomine, quæ fuit Alexandri temporibus. Lactantius Sibyllam Erythræam Babylone natam eſſe ait, & ſeſe Erythræam appellare maluiſſe. Sexta Samia, de qua ſcripſit Eratoſtenes in antiquis annalibus Samiorum ſe reperiſſe ſcriptum, dicta eſt nomine Phyto. Septima Cumana nomine Almathæa, quæ ab aliis Herophile vel Demophile nominatur. Suidas Hierophilem dicit, eamque novem libros attuliſſe ad regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos philippæos poſtulaſſe, regemque aſpernatum pretii magnitudinem, & mulieris inſaniam deriſiſſe, illam in conſpectu regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem pretium poſtulaſſe. Tarquinium multò magis mulierem inſanire putaſſe, quæ denuo tribus aliis exuſtis, cùm in eodem pretio perſeveraret, motum eſſe regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe. Hujus facti meminerunt plerique ſcriptores, Plinius, Dionyſius, Solinus, Gellius, Servius, qui Tarquinio Superbo libros oblatos, non Priſco tradunt, & Plinius tres libros non novem ponit, ac combuſtis duobus tertium ſuperfuiſſe. Suidas novem libros ſcribit eam attuliſſe peculiarium oraculorum, hoc eſt ad certum aliquem populum ſpectantium, ſed combuſtos tantùm duos. Solinus hujus ſepulchrum dicit viſi in Sicilia. Cæterùm non hanc nominat Heriphilem, Erythrææ namque nomen hoc dat, quam antiquiorem facit Cumanæ. Euſebius Herophilem nec Erythræam, nec Cumanam autumat, ſed Samiam, vixiſſeq; Numa rege, Leocrato Athenis archonte. Fuit & Eriphilo Amphiaræ conjunx Adraſti ſoror Octava Helleſpontiaca in agro Trojano nata vico Marmiſſo circa oppidum Gergetium, quam ſcribit Heraclides Ponticus Solonis & Cyri fuiſſe temporibus. Nona Phrygia, quæ vaticinata ſit Ancyræ. Decima Tyburs nomine Albunea, quæ Tyburi colitur ut dea, juxta ripas amnis Avicenis, cujus in gurgite ſimulachrum ejus inventum eſſe dicitur, tenens in manu librum. Has Sibyllas tradit Varro. Feruntur & aliæ nonnullæ, ut Colophonia, quæ dicta eſt Lampuſia Chalchante nata, cujus vaticinia & reſponſa carmine ſunt olim lecta, & Sibylla Eliſſa, cujus etiam vaticinia extiterunt carmine. Venit etiam in numerum Sibyllarum Caſſandra Priami filia, quæ ruinam patriæ ceciniſſe dicitur, & dediſſe reſponſa conſulentibus: & Epirotica Sibylla, Theſprotiæ nata, quæ oracula ſcripſit, & Theſſalica Manto Tireſiæ Thebani filia. Poſſet & Sibylla dici Carmentis Arcas Evandri mater, & Fauna fatua Fauni regis ſoror & conjunx. Dubitavit Didius grammaticus, an Sappho Sibylla fuerit, ut eſt apud Senecam in ſtudiis liberalibus: etſi alii eo loco non Sibyllam ſed publicam legunt. Verùm quænam fuerit Sibylla, cujus carminibus fata Romana continebantur, requiſiſſe Varronem ipſum ferunt, multi Cumanam putant, ut Verg. qui eam vocat Deiphoben Glauci filiam. Glaucus enim vates fuit, qui artem Apollinem ipſum docuit, niſi quis Deiphilem malit dicere, nam & hanc ajunt libros attuliſſe ad Tarquinium Priſcum, quos ipſe in Capitolio condiderit, quam Solinus dicit quinquageſima Olympiade rebus Romæ interfuiſſe: quod ſi ita eſt, regi Priſco vendidit libros non Superbo, nam in quinquageſimam Olympiadem victore Olympiorum Epitolide Lacone, & archonthe Athenis Archoſtratide, incurrerunt & mors Priſci anno quarto & initium regni Servii generi ejus. Ita congruentius eſt quod Varro & Suidas dicunt de Tarquinio Priſco, quàm quòd alii de Superbo, ſi modò Solino conſtat ſua

compu-

computatio. Viſebatur hujus Sibyllæ ſacellum Cumis, ſed Varroni non videtur veriſimile, vatem illam, quam Æneas conſuluerit, potuiſſe pertingere Romana regna, etiam poſt quinque reges, ideo Erythræam potius fuiſſe putat, quæ de Romanis cecinerit, quarto tamen eam Dionyſius facit conſultam ab Ænea. Varro etiam illo argumento utitur, quod poſt incenſum Apollinis templum, apud Erythræam Joniæ ipſa inventa ſunt carmina. Vergilius hanc eandem, ut puto, Cumæam vocat: nam ſicut Capella dicit, Cumis vaticinata eſt, Italicis credo, quippe ſunt & Cumæ Jonicæ, ubi & Erythræ. & Ariſtoteles in libello De natura miraculis, ſpeluncam narrat eſſe Cumis urbe Italiæ Sibyllæ domicilium, quam multi & Erythræam putant, incolæ Cumæam nominant, haud dubiè patriæ favore, aut certè de alia ſentientes. Non enim Vergiliana ea Cumana eſt, quæ libros Tarquinio vendidit. Neque Vergilius affirmat, neque verò unius Sibyllæ putanda ſunt Carmina quæ fuerunt in Capitolio, quod ſignat Tacitus, inquiens, quòd Auguſtus Cæſar indicavit. Nam cum eo tempore multa vana, nomine Sibyllarum ferrentur, juſſit conquiſita Samo, Erythræo, Ilio, Africa, & per Italicas colonias carmina intra certum diem ad præfectum urbis afferri, & judicium cenſuramque quindecimvirorum adhiberi, ne haberi privatim liceret, quod jam à majoribus erat cautum. Lactantius ex Varrone Capitolio refecto ex omnibus civitatibus, & Italicis, & Græcis, & præcipuè Erythræis coacti allatique ſunt Romam, cujuscunque Sibyllæ nomine fuerunt, Et paulò poſt Feneſtella, inquit, diligentiſſimus ſcriptor de quindecimviris dicens, ait, reſtituto Capitolio retuliſſe ad ſenatusconſultum Curionem conſulem, ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquiſita Romam deportarent. Itaque miſſos eſſe P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium, qui deſcriptos à privatis verſus circa mille Romam deportaverunt. Idem ſupra oſtendimus dixiſſe Varronem. Tantum Firmianus. Stilico Honorii Cæſaris ſocer concitaturus in generum ſeditionem, verſus omnes Sibyllinos curavit abolendos, de quo facto loquens Rutilius Claudianus inquit:

Nec tantùm Geticis graſſatus proditur armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis. Hæc de Sybillis.

b Et ſanè Erythræa Sibylla.] At Lactantius aliquot ex his verſibus nomine aliarum Sibyllarum citat, ſed non refert cujus Sibyllæ ſint. Sibyllæ eſſe conſtat, & pleraque aliarum vaticinia Erythrææ ceu nobiliſſimæ aſſignabantur.

c In capitibus verſuum.] Solitas Sibyllas aliquid per initia verſuum ſignificare docet Cicero ſecundo de divinatione. De Sibyllis enim loquens, ſic ſcribit: non eſſe autem illud carmen furentis, tum ipſum poema declaret, eſt enim magis artis & ſcientiæ, quàm vaticinationis & motus: tùm verò ea quæ acroſtichis dicitur, cùm deinceps verſus literis connectitur, ut in quibusdam Ennianis, quæ Ennius fecit. id certè magis eſt attenti animi, quam furentis: atque in Sibyllinis ex primo verſu cujuscunque ſententiæ primis literis illius ſententiæ carmen omne prætexitur, ad hunc modum ille. Hoc etiam ſubſignificat Verg. 4. Ægl. cùm dicit:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Silicet tempus etiam quò vaticinium tendebat, certis erat literis inſertum.

d Quidam Latinus.] Alibi ſic, Quidam Latinis & extantibus ver. aliàs & ſtantibus.

e Judiciũ

e Judicii ſignum.] *Verſus Græci, ut ab Euſebio* ἐν τῷ λόγῳ βασιληκῷ *ponuntur, ſunt hi:*

ἱδρώσει γὰρ χθὼν κρίσεως, σημεῖον ὅτ' ἔσται.
ἥξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων
σάρμα παρὼν κρῖναι πᾶσαν, καὶ κόσμον ἅπαντα.
ὄψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι.
ὕψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο
σαρκοφόρων ψυχὰς δ' ἀνθρώπων ἐπὶ βήματι κρινεῖ.
χέρσος ὅτ' ἂν ποτὲ κόσμος ὅλος, καὶ ἄκανθαι γένηται.
ῥίψωσί τ' εἴδωλα βροτοὶ, καὶ πλοῦτον ἅπαντα.
ἐχιυδίων ῥήξει τε πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο.
σὰρξ τότε πᾶσα νεκρῶν εἰς ἐλευθέριον φάος ἥξει.
τῶν ἁγίους ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.
ὁππόσα τις πράξας ἔλαθεν τότε πάντα λαλήσει.
στήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωστῆρσιν ἀνοίξει.
θρῆνος δ' ἐκ πάντων ἔσται, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.
ἐκλείψει σέλας ἠελίου, ἄστρων τε χορεῖαι.
οὐρανὸν εἱλίξει μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται.
ὑψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βουνῶν,
ὕψος δ' οὐκ ἔτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται.
ἶσα τ' ὄρη πεδίοις ἔσται, καὶ πᾶσα θάλασσα
οὐκ εἰς πλοῦν ἥξει, γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ.
σὺν πηγαῖς ποταμοὶ καχλάζοντες λείψουσι.
σάλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει.
ἠρύουσα μύσος μέλλον καὶ πήματα κόσμου.
ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χαμοῦσα,
ἥξουσι δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.
ῥεύσει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἠδὲ γε θείου.

e Judicii ſignum.] *Mallem vertiſſet judicii ſigno. Græcè ſic eſt, ſudabit terra, judicii ſignum erit.*

f Scilicet in carnem.] *Alibi legitur: ſcilicet ut carnem præſens dijudicet orbem: maluiſſem, ſcilicet ut carnem præſens & judicet orbem. Græcè habet. Et veniet cunctam carnem cenſurus & orbem.*

g Si animæ cum carne aderunt.] *Secus Græcè: videbunt eum carniferum, & judicabit hominum animas pro tribunali: hoc eſt, in corpore videbitur judex, ut viſus eſt, cùm judicaretur: quemadmodum primo Actuum habetur: Hic Jeſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Si quis tamen in Græco verſu malit legere* σαρκοφόρους, *aut* σαρκοφόρας, *tum erit, animas corporibus indutas judicabit.*

h Exuret terras.] *Hic verſus non eſt in Græco, nec eſt tamen in Latino addititius hoc loco: nam oportet eſſe ſeptem & viginti:*

i Sanctorum ſedem.] *In alio codice, Sanctorum, ſed enim: verùm Græcè eſt,*

Caro

Caro tunc omnis mortuorum in liberum veniet cælum: tum ſequitur, ſanctos & iniquos ignis in æternum corripiet: ſed quia hæc aſpera & abſurda eſt ſententia, malim legere non τοὺς ἁγίους, ſed τῶν ἁγίων, ut concordet cum eo, quod Latinè interpretatum eſt.

k Occultos actus retegens.] *Conſcientiarum libri aperientur, ut eſt in Apocalypſi, de quo ſequentibus libris.*

l Eripitur ſolis jubar.] *Potius in futuro eripietur, ἐκλείψῃ.*

m Dejiciet colles.] *Sic Eſaia 40 Et omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt plana indirecta, & aſpera in vias planas.*

n Non erit in rebus hominum.] *Hic verſus parum conſtat, nam tertio loco pro dactylo ponitur tribrachus: & Græcè ſic habetur, Sublime non amplius moleſtum in hominibus apparebit: aut videbitur. Poterat verti: non erit in nobis poſthac ſublime moleſtum. Neſcio, utrum intelligendum, perinde futura hominibus alta, ut humilia, quod neutra illis erunt laborioſa: an quod æqualitas erit in genere humano tanta, ut iſta vel opum, vel nobilitatis, vel honorum celſitudines non amplius graves & moleſta ſint humano generi futura, & ut Apoſtolus Corinthiis ſcribit: Evacuetur omnis principatus & poteſtas humana, & ſit Deus omnia in omnibus. Nihil enim gravius aut difficilius, quàm iſtos tolerare, quorum falſa aliqua magnitudinis opinio animos imbuit, hunc inſolentem faciunt opes nimiæ, hic nihil non ſibi putat licere, quod ſit ex majoribus prognatus neſcio quibus, quos ſine fine habet in ore, inclytis videlicet multis & ſævis latrociniis. Alius adorari vult propter dignitatem, nec ullus videtur ipſi honor honori ſuo ſatisfacere. Alius robuſtus nebulo, militem ſe eſſe jactat, & propugnatorem reip. & patronum ac defenſorem cæterorum, ideò licere ſibi humana & divina polluere: ibi verba præferocia, ibi minæ excindendæ civitatis, ſi quis obviam eat. Et hæc aguntur in Chriſtiano populo, in quo gentis autor Chriſtus diſertis verbis omnem inæqualitatem ſuſtulit, honoresq; & principatus univerſos ad gentilium inſanias rejecit, nihilq; eſſe voluit, quod nobis ſpiritus attolleret.*

o Jam æquantur campis.] *Græcè ſic. Æquales erunt campis montes, & cunctum mare innavigabile fiet. Terra enim inſenſa fulmine.*

p Orbe gemens.] *Græcè orbis facinus.*

q Quia non potuerunt Latina verba inveniri.] *Nullum enim Latinum verbum habet ὑψηλὸν, & Græca omnia, quæ ab ea incipiuntur, litera ſunt aſpirata, quo fit, ut cum ad Latinos tranſeant, nullum eorum incipiat ab u leni ſine aſpiratione h, in quo paſſim labuntur imperiti.*

r Quadratum ternarium ſolidum reddidit.] *Planum quadratum fit ex reductione numeri in ſe, ut tertia, ſi hoc rurſus in primum ducatur, ut dicamus ter tria, ter erit ſolidum, prior illa ſumma eſt novem, tum ter novem eſt poſterior viginti ſeptem. Dixi de his alibi.*

ſ Inſerit etiã Lactantius operi ſuo.] *Lactantius Firmianus ſecutus Arnobii præceptoris ſui exemplum, contra Gentes ſeptem volumina conſcripſit elegantiſſima & acutiſſima, nec eſt ullus inter Chriſtianos ſcriptores tam vicinus dictioni Tullianæ.* Lactan-tius.

t In manus iniquas.] *Lactantius lib. 4. cap. 18.*

εἰς ἀνόμους χεῖρας, καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει.
δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις.
καὶ στόμασι μιαροῖσι τὰ πτύσματα φαρμακόεντα
δώσει δὲ εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.

u Et colaphos accipiens.]

καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, μή τις ἐπιγνῷ
τίς λόγος ἢ πόθεν, ἦλθεν ἵνα φθιμένοις λαλήσῃ
καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον.

x Ad cibum autem fel.]

εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, κ' εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν.
τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.

y Inhoſpitalitate.] *Græcè eſt, Inhoſpitalitatis hanc oſtendent menſam.*

z Ipſa enim inſipiens gens.] *Hæc alius Sibyllæ verſus dicit:*

αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας,
παίζοντα ἐν θνητοῖσι νοήμασιν, ἀλλὰ ἀκάνθαις
ἔστεψας στεφάνῳ, φοβερὴν τε χολὴν ἐκέρασας.

a Templi verò velum ſcindetur.] *Sequenti capite:*

ναοῦ δὲ σχισθήσεται πέτασμα, καὶ ἤματι μέσσῳ
νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις.

b Et morte morietur tribus diebus.] *Ibidem.*

καὶ θάνατος μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας,
καὶ τότ' ἀπὸ φθιμένων ἀνακύψας εἰς φάος ἥξει.
πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.

c Primus reſurrectionis principio.] *Græcè eſt: primus oſtendens vocatis initium reſurrectionis: vel, primus oſtendens Apoſtolis à ſe vocatis initium & ſpem reſurrectionis: vel, primus reſurgens, & quaſi faciens viam vocatis & electis: ut ſit, quemadmodum Paulus inquit, primogenitus in multis fratribus, & primitiæ dormientium.*

L. c. 23. α Eodem tempore nonnulli Sibyllam Erythræam.] *Iſidorus lib. 8. Originum cap. 8. Hanc quinto loco inter Sibyllas recenſet nomine Erophylam in Babylone ortam, quæ Græcis Ilium petentibus vaticinata ſit perituram eſſe Trojam, & Homerum mendacia ſcripturum; dicta ſit autem* Erythræa, *quia in eadem inſula ejus inventa ſunt carmina. Verum in Chronico regnante Roboam vixiſſe ſcribit Sibyllam Erythræam. Genebrardus ad tempora Jephte eam refert, dictam etiam Erophilam ſcribit Clemens Alexandr. lib. 1. ςρωμ. Hanc celebriorem inter cæteras ac nobiliorem habitam ſcribit Lactantius lib. 1. capit. 6. & lib. de ira Dei cap. 22.* Sibyllarum multas plurimi & maximi authores tradiderunt Græcorum Ariſto. Chius & Apollodorus Erythræus, noſtrorum Varro & Feneſtella. Hi omnes præcipuam & nobilem præter cæteras Erythræam fuiſſe commemorant. Apollodorus quidem ut de civi ac populari ſua gloriatur, Feneſtella vero etiam legatos Erythras à Senatu eſſe miſſos refert, ut hujus Sibyllæ carmina Romam deportarentur, & ea Coſſ. Curio & Octavius in Capitolio, quod tunc erat curante Q. Catullo reſtitutum ponenda curarent. *Ejus meminit Cicero lib. 1. de Divinat.* β Siby-

β Sibyllas autem Varro prodit plures fuiſſe.] *Decem recenſent Lactantius lib. 1. capit. 6. & Iſidorus lib. 8. Origin. cap. 8 plures etiam refert Clemens lib. 1. ςρωμ. & Suidas* Σίβυλλαι ὡς πολλοὶ ἔγραψαν, γεγόνασιν ἐν διαφόροις καὶ χρόνοις δέκα τὸν ἀριθμόν, *ubi eas ſigillatim recenſet. Legi poteſt elegans libellus Onuphrii noſtri de Sibyllis & Sibyllinis carminibus.*

γ In capitibus verſuum ordinem literarum.] *Idem orat. contra Judæos Paganos, & Arrianos repetitis bis verſibus Sibyllæ*, Hæc, *inquit*, de Chriſti nativitate, paſſione & reſurrectione atque ſecundo ejus adventu ita dicta ſunt, ut ſi quis in Chriſto capita horum verſuum diſcernere voluit, inveniat ἰησοῦς χριστὸς υἱὸς θεοῦ σωτήρ. *Euſebius in Oratione Conſtantini ad ſanctorum cœtum cap. 18.* notis & ordine primarum literarum. quæ Ακροστιχὶς *dicitur, hiſtoriam de Jeſu adventu declaravit.* Ακροστιχὶς *hæc quidem eſt*, Jeſus Chriſtus Dei filius, ſervator, crux.

δ Sed cum Græcè hoc dicitur, non Latine.] *Ita tamen Latine redduntur apud Onuphrium & ex interpretatione Chriſtophorſoni apud Euſebium ut hæc ſervetur* Ακροστιχὶς, Jeſus Chriſtus filius Dei ſervator, crux. *Conſtat itaque divino quodam afflatu Sibyllas locutas*, non concitatione quadam animi, aut ſoluto liberoque motu, *ut loquitur Cicero lib. 1. de Divin.*

ε Ιχθὺς. i. e. piſcis in quo nomine myſtice intelligitur Chriſtus.] *Piſcis nomine Chriſtum ſignificari præter D. Auguſtinum plerique alii obſervarunt. Proſper de prædict. p. 2. cap. 39. ubi illud inter cætera*; ſatians ex ſeipſo in litore diſcipulos & toti ſe offerens mundo ἰχθὺν. Namque Latine piſcem ſacris literis majores noſtri hoc interpretati ſunt ex Sibyllinis verſibus colligentes quod eſt, Jeſus Chriſtus filius Dei ſalvator, piſcis in ſua paſſione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur & paſcimur: *& Tertullianus lib. de Baptiſ. cap. 1.* ſed nos piſciculi ſecundum ἰχθὺν noſtrum Jeſum Chriſtum in aqua naſcimur. *Optatus etiam lib. 3. contra Parmenianum de Chriſto loquens*: hic eſt piſcis, qui in baptiſmate per invocationem fontalibus undis inſeritur, ut quæ aqua fuerat, à piſce etiam piſcina vocetur. Cujus piſcis nomen ſecundum appellationem Græcam in uno nomine per ſingulas literas turbam ſanctorum nominum continet ἰχθὺς, quod eſt Latine Jeſus Chriſtus Dei filius ſalvator. *Huc alluſit D. Hieronymus epiſt. 43.* Bonoſus, *inquit*, tanquam ἰχθὺς filius aquoſa petit.

ζ In eorum numero deputanda videntur, qui pertinent ad civitatem Dei.] *Id quidem ſuadere videntur tot manifeſta oracula Sibyllarum de filio Dei, ut videantur divinitus inſpirata & fide in Chriſtum, ſine qua nunquam ſalus contigit, divinitus illuſtrata, nec tamen id convincit Sibyllas hujuſmodi ad civitatem Dei pertinuiſſe, ut nec impius ille Balaam, qui de futuris temporibus & de Chriſto domino multa vaticinatus eſt, quem tamen minime pertinuiſſe ad civitatem Dei certo conſtat. Longe enim aliter Prophetæ apud Hebræos & Balaam ille aut etiam Sibyllæ apud Gentes de Chriſto prænuntiarunt futura, illi nimirum quæ vaticinabantur, intelligebant, iſti minime intellexiſſe putandi ſunt & velut arreptitii loquebantur, D. Auguſtinus etiam lib. 13. contra Fauſtum cap. 15. de Orphei, Hermetis & Sibyllarum prædictionibus, ac prophetarum oraculis loquens*; Quantum diſtat *(inquit)* de adventu Chriſti inter

 prædi-

Digitized by Google

prædicationem Angelorum & confeſſionem dæmoniorum, tantum inter authoritatem Prophetarum & curioſitatem ſacrilegorum. *Ex quo intelligitur, quo ſenſu Juſtinus Martyr ſermon. exhortat. ad Gent. ſcribat Sibyllana oracula prope ad veritatem accedere. D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum ob virginitatis inſigne meritum Sibyllis ſcribit divinationem eſſe conceſſam. Verum & obſtetricibus Ægyptiorum Deus ædificavit domos, quæ tamen ſorte non pertinebant ad civitatem Dei; & virginitas quidem laudanda, ſed in illis præmio Dei filiorum compenſari non potuit.*

η Inſeruit etiam Lactantius operi ſuo.] *Lib. 4. divina. inſtitut. cap. 14. & ſæpius Patres dum contra Gentes diſputant, citant carmina Sibyllarum. Juſtinus Martyr. ſermon. ad Gentes ad libros Sibyllæ eos provocat;* Credite *(inquit)* Sibyllæ antiquiſſimæ, cujus libri per totum orbem ſervantur, afflatu divino proditi, docentque non eſſe Deos, quos vulgus exiſtimat, & adventum Jeſu Chriſti ſervatoris noſtri prædicant apertiſſimè, atque etiam quicquid geſturus erat, erit id vobis ad legendos ſacros Prophetas ceu præludium: *Unde Gentiles ipſi authore Origene lib. contra Celſum Chriſtianos Sibylliſtas nominabant. Tam aperta vero ſunt Sibyllarum oracula de Chriſto, quam quæ de eo divinitus inſpirati locuti ſunt Prophetæ, ut redarguerentur his Gentiles à Chriſtianis & ita convincerentur, ut refragari non poſſent; authore tamen Lactantio lib. 4. cap. 15. eo ſolebant nonnulli confugere, ut dicerent non illa eſſe Sibyllina oracula, ſed à noſtris ficta atque compoſita, quod & de Prophetarum oraculis etiam nonnullos eſſe mentitos ſcribit Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum.* Sed profecto id non putabit *(ait Lactantius)* qui Ciceronem Varronemque legerit, aliosque veteres, qui Erythræam Sybillam, cæteraſque commemorant, quarum exempla proferimus, qui authores ante obierunt quam Chriſtus naſceretur. *Verum non dubito, quin illa carmina priorib. temporibus pro deliramentis habita ſint, cum ea nemo intelligeret.*

θ Nõ Romuli, ſed belli Trojani.] *Atqui à bello Trojano ad primordia urbis Robis quæ cõdita fuit an. ætatis Romuli 18. fluxere anni 432. ex Dionyſio Halicarnaſſeo libro 1. antiquitat. Romanor. & Solino cap. 2. ex Euſebio, Cyrillo & Beda anni 430.*

Cap. XXIV.

Quòd regnante Romulo ſeptem ſapientes claruerint, quo tempore decem tribus, quæ Iſraël dicebantur, in captivitatem à Chaldæis ductæ ſunt, idemq; Romulus mortuus divino honore donatus eſt.

Eodem Romulo regnante α Thales Mileſius fuiſſe perhibetur, unus è ſeptem ſapientibus, qui poſt Theologos Poëtas, β in quibus Orpheus maximè omnium nobilitatus eſt, Sophi appellati ſunt, quod eſt Latinè ſapientes. *a* γ Per idem tempus decem tribus, quæ in diviſione populi vocatæ ſunt Iſrael, debellatæ à Chaldæis, & in eas terras captivæ ductæ ſunt, remanentibus in Judæa terra duabus illis tribubus, quæ nomine Judæ vocabantur, ſedemque regni habebant Hieruſalem. Mortuum Romulum, cùm & ipſe nuſquam comparuiſſet, in deos, quod & vulgò notiſſimum eſt, retulere Romani, quod uſque adeò jam fieri deſierat,

b nec

b nec poſtea niſi adulando, non errando factum eſt temporibus Cæſarum, ut Cicero magnis Romuli laudibus tribuat, *δ* quòd non rudibus & indoctis temporibus, quando facilè homines fallebantur, ſed jam expolitis & eruditis meruit hos honores, quamvis nondum efferbuerat ac pullulaverat philoſophorum ſubtilis & acuta loquacitas. Sed etiam ſi poſteriora tempora deos homines mortuos non inſtituerunt, tamen ab antiquis inſtitutos colere ut deos, & habere non deſtiterunt: quin etiam *ε* ſimulachris, quæ veteres non habebant, auxerunt vanæ atque impiæ ſuperſtitionis illecebram, id efficientibus immundis in eorum corde dæmonibus, per fallacia quoque oracula decipientibus, ut fabuloſa etiam crimina deorum, quæ jam urbaniore ſeculo non fingebantur, per ludos tamen in eorundem falſorum numinum obſequium turpiter agerentur. *ζ* Regnavit deinde Numa poſt Romulum, qui cùm illam civitatem putaverit *η* deorum profectò falſorum numeroſitate muniendam, in eandem turbam referri mortuus ipſe non meruit, tanquam ita putatus ſit, cœlum multitudine numinum conſtipaſſe, ut locum ibi reperire non poſſet. Hoc regnante Romæ & apud Hebræos initio regni Manaſſe *c θ* à quo impio rege Propheta Eſaias perhibetur occiſus, *d* Samiam fuiſſe Sibyllam ferunt.

a PEr idem tempus decem tribus.] *Hoc factum eſt rege Iſrael Oſee à Sennacherib, qui & Salmanaſar nominatur Chaldæorum rege, translatiq́ ſunt in Medorum montes, regnatum eſt in Samaria annis CCL. à regib. Iſrael. Idem Sennacherib ad cuſtodiendam Judæam incolas miſit ex Aſſyria, qui æmulatores Judææ legis facti Samaritani nuncupati ſunt, quod Latinè cuſtodes ſonat, autor Euſeb.* L.Viv.

b Nec poſtea niſi adulando.] *Nam Cicero in Philippicis divinitatem Cæſaris dictatoris proſcindit, & Seneca divinitatem Claudii irridet, & Lucanus omnium Cæſarum divinitatem conculcat.*

c A quo impio rege.] *Sic Euſebius: Manaſſes impius Eſaiam interfecit, ſtatuamq́ ſuam poſuit quinque facies habentem. De Eſaia ſic Hieronymus: Eſaias in Hieruſalem nobili genere ortus eſt, ibiq́ prophetavit ſub Manaſſe rege, ſectus in duas partes occubuit, ſepultusq́ eſt ſub quercu Rogel juxta tranſitum aquarum, quas olim Ezechias rex jacto obſtruxerat pulvere.* Eſaias.

d Samiam fuiſſe Sibyllam.] *Euſebius de eiſdem temporibus: Sibylla Samia, quæ Herophila appellatur, in Samo inſignis habetur.*

α THales Myleſius fuiſſe perhibetur.] *Euſebius in Chronico & Phlegon apud Suidam octava Olympiade fuiſſe referunt, quos hic ſecutus videtur divus Auguſtinus. Iſidorus in Chronico Joſia regnante claruiſſe ſcribit, longe poſterius ætate Romuli. Natum anno primo Olympiadis 35. Laertius author eſt. Plinius libro 2. cap. 12. ſcribit apud Græcos primum Thaletem inveſtigaſſe ſolis eclipſim Olympiadis 40. anno 41. prædicto Solis defectu, qui Alyatte Rege factus eſt anno 170. urbis C. Joannes Tzetzes paulo aliter. Scribit enim defectus circuitusque Lunæ primum inveniſſe Crœſi temporibus, cui & prædixerit defectum futurum Lunarem. A. V. C. 181. claruiſſe ſcribit Genebrardus & diutiſſimè vixiſſe ad 58. uſque Olympiadem. Tatianus contra Græcos Thaletem ſcribit circiter 50. Olympiad. vixiſſe.* I.L.Coq.

Digitized by Google

β In quibus Orpheus.] *Quæ Orpheo attribuuntur poemata ſcribit Tatianus contra Græcos Onomacritum Athenienſem Piſiſtradis imperantibus circa 50. Olympiadem compoſuiſſe. Exſtant apud Iuſtinum in ſermon. exhortat. ad Gent. verſus Orphei de uno Deo, ubi etiam ſcribit, eum priorem de multis Diis doctrinam recantaſſe & utiliorem ac neceſſariam ſubſtituiſſe.*

γ Per idem tempus decem tribus.] *Hæc fuit extrema clades regum Iſrael ac decem tribuum, quæ contigit anno 6. Ezechiæ Regis Iuda, & anno 9. Oſeæ Regis Iſrael 4. Reg 18. Ioſephus libro 9. cap. 14. antiquit. decem tribuum tres fuiſſe captivitates ſive transmigrationes notavit Genebrardus ad annum mundi 3443.*

δ Quod non rudibus & indoctis temporibus.] *Vide infra libro 22. cap. 6. argumentum certè inde firmius ad Chriſti divinitatem arguendam dici poteſt, quòd longè difficilioribus temporibus & ſæculis magis eruditis, & ab ingeniis excultis non uno loco, ſed toto orbe, & quidem ab omni hominum genere creditus eſt Deus.*

ε Simulacris quæ veteres non habebant.] *Tertullianus in Apologet. cap. 25.* Etſi *(inquit)* à Numa concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſimulacris aut templis res divina apud Romanos conſtabat. *Poſt.* Nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Thuſcorum fingendis ſimulacris urbem inundaverant. *Plinius libro 34. cap. 4.* Romæ *(inquit)* ſimulacrum ex ære factum Cereris primùm reperio ex peculio Sp. Caſſi, quem regnum affectantem pater ipſius interemerat. *Plutarchus in vita Numæ dicit, ex illius præcepto annis 170. ab V. C. nullam in templis Romanorum imaginem neque fictam neque pictam fuiſſe conſpectam. Clemens Alexandrinus libro 1. ςρωμ.* Numa Rex Romanorum erat Pythagoræus ex iis, quæ à Moyſe tradita ſunt adjutus, prohibuit Romanis, ne homini aut animali ſimilem Dei facerent imaginem. Cum itaque centum, & 70. primis annis templa ædificarent, nullam imaginem nec affictam nec depictam fecere. *Cyrillus libro 6. contra Julianum, de cultu à Numa inſtituto;* Diligenter inquiramus, *inquit*, quem ille cultus habuerit modum. Scripſit de illo Dionyſius Halicarn. quod templa quidem & delubra extruxerit, ſimulacrum autem in illis erat nullum.

ζ Regnavit deinde Numa poſt Romulum.] *Externis licet & Curibus Sabinis natus, ob prudentiam, juſtitiam, doctrinam, philoſophicam vitam & alias virtutes, quibus tunc temporis erat clariſſimus, dignus omnium judicio viſus eſt, qui ad regnum ultro acciretur, & Romæ poſt Romulum populi juſſu ac patrum authoritate legitimè regnaret. Regnum auſpicatus eſt anno 3. Olympiadis 16. ab V. C. 39. author Dionyſius, Plutarchus & Livius.*

η Deorum poſtea falſorum numeroſitate muniendam.] *Tertullianus in Apologet. cap. 21.* Homo fuit Pompilius Numa qui Romanos operoſiſſimis ſuperſtitionibus oneravit. *Iſidorus in Chronico;* Numa Pompilius primus ad Romanos Pontifices & virgines Veſtales inſtituit, falſorumque deorum numeroſitate civitatem replevit.

θ A quo impio Rege Propheta Iſaias perhibetur occiſus.] *Secatum juſſu impii Manaſſis ſcribunt Dorotheus in Synopſi, Epiphanius, & Iſidorus cap. 37. de vitis Prophetar.*

phetar. Joſephus lib. 1. antiquit. cap. 4. Exorſus Manaſſes ac Dei contemptu in omnes, quotquot erant in Hebræis, juſtos graſſabatur cædibus, ne à Prophetis quidem cruentas manus abſtinens. Nam & ex horum numero per ſingulos dies aliquem afficiebat ſupplicio, ut Hieroſolyma inundaretur ſanguinibus. *Iſaiam ſecatum fuiſſe à Manaſſe ſerra lignea ex certiſſima traditione Hebræorum ſcribit D. Hieronymus in cap. 57. Iſaiæ,* Unde & noſtrorum plurimi *(inquit)* illud quod de paſſione ſanctorum in epiſtola ad Hebræos ponitur, ſerrati ſunt, ad Eſaiæ referunt paſſionem.

Cap. XXV.

Qui Philoſophi enituerint regnante apud Romanos Tarquinio Priſco, apud Hebræos Sedechia, cùm Hieruſalem capta eſt, templumque ſubverſum.

Regnante *a* α verò apud Hebræos Sedechia, & β apud Romanos Tarquinio Priſco, qui ſucceſſerat Anco Martio, ductus eſt captivus in Babyloniam populus Judæorum, everſa γ Hieruſalem & templo illo à Salomone conſtructo, *b* Increpantes enim eos Prophetæ de iniquitatibus & impietatibus ſuis, hæc eis ventura prædixerant, δ maximè Hieremias, *c* ε qui etiam numerum definivit annorum. *d* Eo tempore *e* Pittacus Mitylenæus unus è ſeptem ſapientibus fuiſſe perhibetur. Et quinque cæteros qui ut ſeptem numerentur, Thaleti quem ſuprà commemoravimus, & huic Pittacho adduntur, *f* eo tempore fuiſſe ſcribit Euſebius, quo captivus Dei populus in Babylonia tenebatur. ζ Hi ſunt autem, *g* Solon Athenienſis, *h* Chilo Lacedæmonius, *i* Periander Corinthius, *k* Cleobulus Lindius, *l* Bias Prienæus, Omnes hi ſeptem appellati ſapientes poſt poëtas theologos claruerunt, *m* quia genere vitæ quædam laudabilia præſtabant hominibus cæteris, *n* & morum nonnulla præcepta ſententiarum brevitate complexi ſunt. Nihil autem monimentorum quod ad literas attinet poſteris reliquerunt, niſi quòd Solon quaſdam leges Athenienſibus dediſſe perhibetur. Thales verò phyſicus fuit, & ſuorum dogmatum libros reliquit. Eo captivitatis Judaicæ tempore, & Anaximander, & Anaximenes, & Xenophanes phyſici claruerunt. Tunc & Pythagoras ex quo cœperunt appellari philoſophi. *Ier. 25.*

a Regnante verò.] *Nabocodroſorus, qui in ſacris literis Nabugodonoſor dicitur cum tribus regibus Judæ bellum geſſit, cum Joachim primùm, quem tributarium ſibi fecit: deinde cum Iecονia Joachim filio, qui etiam patris nomine ſæpè nuncupatur, quem tertio regni menſe in Babylonem tranſtulit, ſpoliata Iudea præfectoque regioni Matathia patruo Iechoniæ eumque Matathiam Sedechiam appellavit, ceu quis dicat domini juſtitiam, ut vel juſtitiæ in rebus adminiſtrandis admoneretur, vel juſtitiæ illius & ultionis divinæ. Sed hic cum Nabocodronoſoro parùm eſſet dictis audiens, magnum in ſe bellum concitavit. Ipſe enim Chaldæus ingenti exercitu fines Judææ ingreſſus omniaque ferro atque igni longè lateq; perpopulatus, urbem Hieroſolymas corona cinxit, preſſoſque diu intoleranda fame Judæos cepit, ac regem ipſum occiſis priùs ante ejus ora liberis luminibus privavit, cateniſque religatum in Babylonem cum toto populo pertraxit, univerſamque urbem funditus evertit.* *L. Vives.*

b Incre-

Hierem. *b* Increpantes enim eos proph.] *Hieremias propheta vaticinari cœpit decimotertio anno Joſiæ filii Amon regis Juda, ut idem ipſe initio ſui operis profitetur. Euſebius in decimum annum rejicit initium prophetiæ illius: prædixitque venturam cladem Iudæ, ut ipſe in volumine ſuorum vaticiniorum declarat. De Hieremia, & captivitate, excidioque Iudææ gentis, ad hunc modum ſcribit Alexander Polybiſtor: Temporibus, inquit, Ioachim Hieremias prophetavit, qui miſſus à Deo, cùm Iudæos aureo ſimulachro, cui nomen erat Baal, ſacrificantes reperiſſet, futuram eis propter hoc calamitatem prædixit: unde Ioachim vivum juſſit cremari. Illum autem dixiſſe foveas ipſos à rege Aſſyriorum captos juxta Tigridem, atque Euphratem eiſdem lignis facturos. Hæc Nabocodroſorum regem Babyloniæ audiviſſe, ac Stibare Medorum rege in auxilium adducto clxxx. peditum, equitum c. & xx. M. CC. ac x. millia curruum, primò Samaritanas omnes urbes, Galilæam, Scythopolin & Galaditidem evertiſſe: deinde Hieroſolymam & Iudæorum regem Ioachim vivum cepiſſe, & aurum, argentum, æs, cæteraque omnia quæ in templo fuerant, arca excepta, & tabulis, in Babylonem aſportaſſe. Arcam enim, inquit Hieremias, detinuit. Sic ille.*

c Qui etiam numerum definivit an.] *Hier. 25. Septuaginta annos duraturam ſervitutem Iudaicam prædicitur.*

d Eo tempore Pittacus Mitylen.] *Euſeb. lib. 10. Præpar. Evang. ſeptem Græciæ ſapientes temporibus fuiſſe Cyri ſcribit, ſed ætas eorum non poteſt uno ſemel verbo definiri: nam alii inter eos juniores, alii ſeniores fuerunt. Conſtat Thalem cum Cyro eſſe congreſſum: & Solonem, ac Pittacum cum Crœſo, qui bellum cum Cyro geſſit, ſed ultimis ſuis temporibus, prima Cyri tempora attigerunt. Floruerunt enim à quadrageſima ad quinquageſimam Olympiadem. Nonnulli ad quinquageſimam* Thales *primam, ſecundam & tertiam, usque ad octavam Euſeb. in Chronicis Thalem in prima tempora Romuli regis confert, inſigni errore, vel ipſius autoris, vel librarii, ſed quem Auguſtinus eſt ſecutus. Qui enim potuiſſet Cyri tempora pertingere, hoc eſt ab Olympiade octava ad quinquageſimam quintam vixiſſe, annis ferè ducentis? Qui longiſſimam vitam dant Thaleti, nonaginta non excedunt annos, ut Soſicrates: nam vulgò ſeptuaginta ſeptem tantùm attribuunt, quemadmodum Laërtius refert, & Euſebius ipſe primo anno Servii Romani regis ſeptimi, ſeptem ſapientes ſtatuit. Et primò Anci Martii Thalem Mileſium, hoc eſt Olymp. xxxv. quem ait ad octavam & quinquageſimam Olymp. perveniſſe, & in hujus regis tempora debuit referri initium Thaletis, non Romuli. Ac de ſeptem quidem ſapientibus qui fuerint, maxima eſt inter Græcos diſſenſio, ambitioſè ſuis unoquoque favente. Priſci homines omnes, qui aliqua præſtarent arte, ut nos gnarum aut ſcium illius, ita illi σοφὸν vocabant, hoc eſt ſapientem. Tum poëtæ ſapientes ſunt dicti, ut Heſiodus, & Homerus. Hinc Thales dictus eſt ſapiens, & Bias, & Pittacus, & Solon, De his enim Dicæarchus conſtare ait. Quinam verò his ſint adjungendi, controverſiſſimum eſt. Neque enim de parva re agitur nihil majus in rebus humanis, atque præſtabilius eſt quam hoc. Vulgò illi tres adduntur, quos hic Auguſtinus ſic etiam Laërtius. Plato in Protagora Periandrum ſuſtulit, pro eoque Myſonem repoſuit, de cujus patria non convenit. Plato Chenensem facit, quem*

ferunt

ferunt fuiſſe etiam μισάνθρωπον, hoc eſt hominum oſorem, ut Timonem, & Apemantum, Leandrius nec Myſonem relinquit, nec Cleobulum, ſed Leophantum Epheſium & Epimenidem Cretenſem. Ephorus Periandro ſubſtituit Scytham Anacharſim, alii alios addunt Ariſtodemum Pamphilum & Scabram, Argivum. Hermippus 17. ſapientes tradit: Solonem, Thalem, Pittacum, Biantem, Cleobolum, Chilonem, Periandrum, Anacharſin, Acuſilaum, Epimenidem, Leophantum, Pherecydem, Ariſtodemum, Pythagoram, Laſum, Hermionem, Anaxagoram.

e Pittacus Mitylenæus.] *Hic natus eſt Hirrhadio patre Thrace, ut fama eſt,* Pitta. *Mithylenis urbe Lesbi inſulæ, vir & amans libertatis, propter quam Melanchrum patriæ tyrannum expulit, & fortiſſimus. nam ſingulari certamine congreſſus cum Phrynone imperatore Athenien. Pancratiaſte, qui etiam Olympia vicerat, eum confecit, & juſtiſſimus: nam quum jure de agri poſſeſſione inter Athenienſes & Mitylenæos ageretur, electus judex pro Athenien. pronunciavit. Quocirca Mitylenæi principatum ei detulerunt, quem ipſe tenuit, quoad res civitatis ſuæ conſtituerentur, & in meliorem adducerentur ſtatum, poſtea depoſuit. Obiit anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, Olympiade prima & quinquageſima, decem annis poſtquam ſe in ordinem redegerat.*

f Eo tempore fuiſſe ſcribit Euſebius.] *Et in Præpar. Evang. & in Chronicis, quod opus in digeſtione temporum multum hic Auguſtinus ſequitur: nam rege Cyro ſolutus eſt populus, ſub cujus principatu floruerunt ſeptem ſapientes.*

g Solon Athen.] *Solon in Salamina natus inſula, juris & ditionis Athenienſis* Solon. *patre Exceſtide nobiliſſimo viro, nempe ex Codro genus ducente. Leges Draconis ſanguinarias mitigavit, latis humanioribus toto orbe inclytis. Nam illas priores, ut Demades orator ſolitus erat dicere, non atramento ſcripſerat Draco, ſed humano ſanguine. Omnibus erat idem paratum ultimum ſupplicium, quamlibet levi crimine convictis, etiam otii. Solon adverſatus eſt ſemper Piſiſtrati propinqui ſui tyrannidi latenter obrepenti, quam ubi invaſiſſe civitatem vidit, in Ægyptum abiit, hinc ad Crœſum regem Lydiæ: tùm in Ciliciam, ubi Solos condidit, quæ poſtea fuit Pompejopolis, piratis à Pompejo victis: deinde in Cyprum inſulam, ubi mortem obiit, anno vitæ ſuæ lxxx. Fuit Archon Athen. tertio anno Olympiadis xlvj. Nam jam tunc annui erant principatus, non decennales, ut antea Athenienſes ei tyrannidem obtulerunt, quam ipſe magno animo reſpuit, adhortatus potiùs cives ſuos, ut in libertate permanerent. Solonis leges aliquot recenſent Laertius & Plutarchus in ejus vita, eas Romani in ſuas xii. tab. tranſtulerunt.*

h Chilo Lacedæmo.] *Hic natus eſt Lacedæmone Damagete patre. Ephorus* Chilo. *fuit, qui magiſtratus non admodum à tribunatu plebis Romano differt. Ipſe enim inſtituit ut Ephori regibus adjungerentur. Fuit pauciloquus & in ſermonibus perbrevis, quod ipſi patrium erat: nam Laconiſmum vulgò vocant. Ariſtagoras Mileſius Chilonium loquendi morem nominat. Obiit Piſadum filium Olympionicam complectitur. Ipſius imagini elogium inditum eſt fuiſſe inter ſeptem ſapientiſſimum.*

i Periander Cor.] *in hoc nomine nihil invenio tanto dignum nomine, nam ty-* Periander.

rannus fuit ſuæ civitatis, quem magiſtratum ſevè & crudeliter exercuit, & iracundia fuit tam incenſa, ut etiam inſanierit, & inceſtus perpetravit haud nominandos, & ſuam civitatem auro ſpoliavit, ut votum ſolveret. Quis inter hæc locus ſapientiæ? idcircò ex ſapientium numero à plurimis rejectus eſt. Ceterùm Setion & Heraclides, & Pamphila non hunc Corinthiorum tyrannum ſed alterum quendam Periandrum ajunt fuiſſe ſapientem Ambraciæ natum. Ariſtoteles etiam hunc ſapientem Corinthi eſſe natum perhibet, & quidem tyranni patruelem quidam putant. Plato Corinthium negat fuiſſe.

Cleobulus. k Cleobulus Lindius.] Hic ex Lindio fuit, quæ urbs eſt Rhodi inſulæ. Alii Carem volunt, ut Duris, fuit patre Evagora. virib. formaque cunctis ætatis ſuæ antecellens. In Ægypto didicit, cujus filia Cleobulina inſignis fuit vates ænigmatum heroicis verſibus conſcriptorum.

Bias. l Bias Prienæus.] Natus eſt Prienis urbe Ioniæ Teutamo patre, hunc ferunt delatum ad ſe tripodem aureum ad Herculem Thebanum miſiſſe, quòd Priene patria Thebanorum eſſet colonia. Conſiliis & prudentia ſua patriam graviter ab Haliate Lydorum rege Crœſi patre obſeſſam liberavit, hujus ferunt illud eſſe vulgatum. Omnia bona mecum porto, ut Cic. in Paradox. ſcribit, Miror Græcos tam inſignis dicti nullam in vita Biantis feciſſe mentionem, ſed Prienem tradunt Biante vivo captam eſſe, Profectò nihil dubitem memoria falſum hic fuiſſe maximum virum, nec eſſe hoc unicum exemplum. Seneca veriſimilius qui Stilponi Megarenſi dictum attribuit libro, Quòd in ſapientem non cadit injuria, ſecundo: nam Megaram tunc cepit Demetrius Poliorcetes. Obiit Bias morte ſuaviſſima dormiens, capite in ſinum nepotuli ex filia reclinato. Prienenſes ſacellum ei erexerunt. Satyrus ſeptem reliquis hunc prætulit.

m Quia genere vitæ quædam laudabilia præſtabant.] Dicæarchus Peripateticus eos, qui ſeptem ſapientes vocantur, ſapientes fuiſſe aut Philoſophos negat, ſed cordatos tantùm, & legumlatores: ex cujus ſententia Cicero in Lælio, inquit: Qui ſeptem appellantur, eos iſta ſubtilius quærunt, in numero ſapientum non habent.

n Et morum nonnulla.] Circumferuntur Græcè aliquot ſententiolæ ſeptem ſapientum, & ex eis Auſonius quædam vertit carmine: tum reſperſi ſunt omnes & Græcorum & Latinorum libri ſapienter dictis, & γνώμαις eorum, velut Thalis: Eadem expecta, quæ parentibus feceris, optimè ac juſtiſſimè vivemus, ſi ipſi non fecerimus, quæ in aliis reprehendimus. Hujus erat ceu ſymbolum, ut putant, Noſce te Pittaci, Principatum viros declararet prudentium eſſe dare operam, ne quid contingeret adverſi fortium, ſi contigiſſet, magno animo ferre: ſymbolum: Noſce occaſionem. Solonis erat. Nihil nimis. Chilonis: Præſtare damnum turpi lucro: aurum cotibus explorari, mentes hominum auro: ſymbolum ejus, Sponſioni non deeſſe jacturam. Periandri: Stipandum eſſe eum, qui velit diu imperare, non armis, ſed benevolentia. Cleobuli: Cavendas inſidias inimicorum, & amicorum invidiam. Biantis: Indignum hominem divitiarum gratia non laudandum. perſuadendo accipiendum, non cogendo: ſymbolum, Plures mali. Congruit enim ſententia Auguſtini, & Euſebius in decimo Præpar.

inqui-

inquiens: Nihil aliud ab iſtis ſapientibus eſſe compertum, quàm ſententias commodas & breviter dictas, ad utilitatem humanæ vitæ.

ο Nihil autem monimentorum, quod ad literas attinet.] *At nonnulli eorum carmina dicuntur reliquiſſe, ut Solon & Bias.*

α REgnante apud Hebræos Sedechia.] *Hic ultimus Regum Juda ex poſteris David filius Joſiæ, quem Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum translato Babylonem Jechonia regem conſtituerat, verum cum ab eo defeciſſet, Judæam reverſus Hieroſolyma obſedit biennio integro ab anno 9. ad 11. Sedechiæ eum Babylonem captivum duxit ac luminibus privavit 4. Reg. 25. 2. paralip. cap. 36. Joſephus lib. 10. antiquit. cap. 10.* 8.Lc.4.

β Apud Romanos Tarquinio Priſco.] *Hic Lucumo antea dictus Demarati Corinthii filius; quomodo Romam profectus Anci Martii Regis familiaritatem conſecutus ſit, ac tandem regnum adeptus, vide Livium libro 1. Dionyſium lib. 3. Strabonem lib. 5. Valerium Maximum lib. 3. cap. 4. regnum auſpicatus eſt anno 2. Olympiad. 41. 139. ab V. C.*

γ Everſa Hieruſalem & templo illo à Salomone conſtructo.] *Anno ab exitu Hebræorum 907. Siquidem ab exitu ad conditum templi anni 479. abſoluti, à conditu templi ad caſum, Sedechiæ cum everſa ſunt Hieroſolyma & templũ incenſum à Chaldæis 428. Ita obſervat Joſephus Scaliger lib. 5. de emendat. tempor. quot tamen anni fluxerint à conditu templi ad ejuſdem everſionem & incendium à Chaldæis variæ ac diſcrepantes ſunt ſententiæ. Nam Joſephus libro 10. antiquitat. cap. 11. Incenſum fuiſſe templum ſcribit annis ex quo exſtructum fuerat, elapſis 470. menſibus ſex diebus decem. Iſidoro incenſum fuit anno ædificationis ſuæ 454. Euſebio 442. ex ſententia Clementis; Nicephoro in Chronologia 424. Joſephus lib. 7. ἁλώσεως cap. 9. in decimam menſis Auguſti templi incendium confert, & cap. ſequenti quaſi quadam περιόδῳ idem ſub Tito accidiſſe obſervat ejuſdem menſis die eadem.*

δ Maxime Hieremias.] *Inſtantem ubi captivitatem Babylonicam ac populo ac Regi eventuras clades prædixit. Euſebius prophetare cœpiſſe ſcribit anno 1. Olympiad. 36. in quem refert annum decimum Joſiæ Regis vixiſſe eum Hieroſolymis ab an. 13. Joſiæ Regis uſque dum templum eſt dirutum, ſcribit Joſephus libro 10. antiquit. c. 6.*

ε Qui etiam numerum definivit annorum.] *Cap. 25. & cap. 29. 70. annos duraturam captivitatem illam Babylonicam vaticinatur his verbis;* hæc dicit Dominus, Cum cœperint impleri in Babylone 70. anni viſitabo vos & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos, ad locum iſtum. *De his 70. annis etiam Danielis 9. & extremis verbis poſterioris libri παραλειπ.*

ζ Hi ſunt autem Solon Athenienſis.] *Septem ſapientum nomina complexus eſt duobus verſibus Joannes Tzetzes Chili. 2.*

Σόλων, Θαλῆς Περίανδρος, καὶ Πίτλακος καὶ Χίλων.
Καὶ Βίας καὶ Κλεόβουλος, ἑπτὰς ἦν ἡ σοφωτάτη.

In eos minime nomen Sapientum convenire ſcribit Lactantius libr. 4. cap. 1. 50. Olympiade celebres fuiſſe hos ſeptem ſapientes ſcribit Cyrillus lib. 7. in Julianum.

η Et morum nulla præcepta.] *Nomina urbes & ſententias ſeptem ſapientum his paucis verſibus complexus eſt author τῆς ἀνθολογίας.*

Ἑπτὰ σοφῶν ἐρέω κατ' ἔπος πόλιν, οὔνομα, φωνήν.
Μέτρον μὲν Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος εἶπεν ἄριστον.
Χίλων δ' ἐν κοίλῃ Λακεδαίμονι, γνῶθι σεαυτόν.
Ὃς δὲ Κόρινθον ἔναιε, χόλου κρατέειν, Περίανδρος.
Πιττακὸς οὐδὲν ἄγαν, ὃς ἔην γένος ἐκ Μιτυλήνης.
Τέρμα δ' ὁρᾶν βιότοιο Σόλων ἱεραῖς ἐν Ἀθήναις.
Τοὺς πλέονας κακίους δὲ Βίας ἀπέφηνε Πριηνεύς.
Ἐγγύην φεύγειν δὲ Θαλῆς Μιλήσιος ηὔδα.

θ Solon quaſdam leges Athenienſibus.] *De legibus latis à Solone, ſublatis, quæ à Dracone prius conditæ fuerant, vide Plutarchum & Laertium in ejus vita, & Agellium lib. 11. cap. 18. qui & libro 17. cap 21. docet Solonem leges ſcripſiſſe Athenienſibus Tarquinio Priſco Romæ regnante anno regni ejus 33. Cyrillus lib. 1. contra Julianum 46.* Olympiade Solon abrogatis Draconis legibus ſua jura dedit.

CAP. XXVI.

Quòd eo tempore, quo impletis ſeptuaginta annis, Judæorum eſt reſoluta captivitas, Romani quoque à dominatu ſunt regio liberati.

a PEr α idem tempus Cyrus rex Perſarum, qui etiam Chaldæis & Aſſyriis imperabat, relaxata aliquanta captivitate Judæorum, quinquaginta millia hominum ex eis ad inſtaurandum templum regredi fecit. A quibus tantùm prima cœpta fundamenta, & altare conſtructum eſt. Incurſantibus autem hoſtibus, nequaquam progredi ædificando valuerunt, β dilatumque opus eſt uſque ad Darium. b γ Per idem tempus etiam illa ſunt geſta, quæ conſcripta ſunt in libro Judith: δ quem ſanè in canone ſcripturarum Judæi non recepiſſe dicuntur. ε Sub Dario ergò rege Perſarum impletis ſeptuaginta annis, c quos Hieremias Propheta prædixerat, reddita eſt Judæis ſoluta captivitate libertas, regnante Romanorum ſeptimo rege Tarquinio. Quo expulſo etiam ipſi à regum ſuorum dominatione liberi eſſe cœperunt. Uſque ad hoc tempus Prophetas habuit populus Iſrael: qui quum multi fuerint, paucorum & apud Judæos, & apud nos canonica ſcripta retinentur. De quibus me aliqua poſiturum eſſe promiſi in hoc libro, quum clauderem ſuperiorem, quod jam video eſſe faciendum.

L. Vives. Cyrus. a PEr idem tempus Cyrus rex Perſarum.] *Cyrus Perſarum rex filius fuit ad Mandanes, Aſtyagis Medorum regis filiæ, & Cambyſis obſcuro loco nati, Cyrus dictus à Cyro, ut ferunt, Albaniæ & Iberiæ amne, juxta quem eſt educatus. Bellum avo fecit, quo victo, imperium ex Medis tranſtulit ad Perſas. Idem Chaldæam imperio adjunxit. Nam Sardanapalo mortuo, Medi quum ipſi ſibi imperium conſtituiſſent, Chaldæi & ſuos reges habuerunt Babylone, inter quos Nabucodroſorus, quem Chaldæi Herculi rebus geſtis anteponunt, duxiſſeq; tradunt victorem exercitum uſque ad colonnas, ut Strabo ex Megaſthene ſcribit. Alphæus de rebus Aſſyriorum loquens, inquit. Megaſthenes vir priſcus Nabucodroſorum Hercule robuſtiorem fuiſſe dicit, univerſamq;*

Lybiam

Libyam, Aſiamq; uſque ad Armenios ſubegiſſe, quem Chaldæi dicunt, quum in regnum rediiſſet, furore divinitus captum, magna voce exclamaſſe, O Babylonii, futuram vobis calamitatem magna voce prænuncio, quam neque Belus ille, nec ulla vis deorum avertet: veniet Perſa mulus, qui vobis afferet ſervitutem. Hæc aliisque ejuſmodi dictis ſubitò evanuit. Cui filius Milina Rudocus ſucceſſit, quem Igliſa rex interfecit, ac loco ejus regnavit, cui Babaſo Araſcus filius ſuffectus eſt, quo inſidiis interempto Nabividocus regnavit. Hunc Cyrus capta Babylone Carmaniæ principem fecit. Hæc Alphæus. Præterea quæ Alexander Polyhiſtor de ſucceſſoribus Nabucodroſori ſcribit paulò diverſum, quam Alphæus, ſed ſumma ferè eſt eadem. Joſephus tamen libro decimo, duos Nabugodonoſor recenſet, & filium dicit Herculi à Megaſthene præferri in quarto libro Rerum Indicarum, ſed patrem eſſe, qui Hieroſolymam cepit. Nabucodronoſori filio dicit, filium etiam ſucceſſiſſe Amilmadapacum ſive Alimatadocum, qui Iechoniam regem ſolvit, habuitq; inter primores aulæ. Amilmadapaco, quum xviij. regnaſſet annos, hæres fuit Egreſſarius filius. Huic poſt xl. annos regni Laboſordacus filius, cui poſt novum principatus menſem Baltaſar, qui & Mabour, quem Cyrus regno Chaldæo expulit, ubi xvij. annis imperaſſet. Quæ annorum computatio, ſi vera eſt, plures quàm centum anni ſunt à calamitate Judaica ad Cyrum Perſam. Non dubium, quin ſit error, cujus autoris ne an ſcribæ, haud facilè pronunciarim. Cyrus verò commotus vaticinio Eſaiæ, qui ducentis & decem annis ante ipſum de regno ejus etiam nominatim prædixerat, Judæos ſolvit, ut in patriam redirent urbem, templumq; reſtituerent, redditis templi vaſis, quæ Nabucodroſorus in Babyloniam advexerat. Idque factum eſt anno, poſtquam in Babyloniam Judæi erant ducti, quadrageſimo, autore Euſebio. Itaque profecti ſunt, qui templum ædificarent & urbem. Sed quum vicinarum gentium incurſibus opus impediretur, intermiſſum eſt uſque ad ſecundum annum Darii Hiſtapis filii, qui expulſis magis regnavit. Hic enim propter Zorobabel, redire Judæos in patriam permiſit prohibuitq;, ne quis conſtructionem urbis & templi interturbaret. Ita ſeptuageſimo anno poſt captivitatem Judaicam, dirutumq; templum populus in antiquas ſedes remigravit. Hæc ex computatione Euſebii, qui etiam Clementem autorem ſententiæ ſuæ adducit, in hunc modum: Clemens quoque, inquit, his congruit in primo ſtromate, ita ſcribens: Et perſeveravit captivitas annis ſeptuaginta uſque ad ſecundum annum Darii Hiſtaſpis, qui Perſis, Aſſyriis, & Ægypto regnavit, ſub quo Aggeus, & Zacharias, & unus de duodecim, qui vocatur Angelus, prophetaverunt, ſacerdotioq; functus eſt Jeſus filius Joſedec. hæc ſupradictus vir. Quod autem ſeptuageſimus annus deſolationis templi altero anno Darii fuerit expletus, domeſticus teſtis eſt Zacharias Propheta, ſecundo anno Darii dicens, Domine omnipotens, quouſque non miſereberis Hieruſalem, & civitatibus Juda, quas deſpexiſti, iſte ſeptuageſimus annus eſt. Ita Euſebius. Nam Joſephus libro undecimo à captivitate Judææ gentis uſque ad Cyrum lxx. annos numerat.

b Per idem tempus etiam illa ſunt geſta, quæ conſcripta ſunt in libro Judith.] *Judith vidua Bethuliam civitatem ſuam obſidione Holophernis ducis Nabucodonoſoris liberavit, ut in ejus libro fusè narratur. Qui liber Chaldæo ſcriptus ſermone, ſicut*

 Hiero-

Digitized by Google

Hieronymus inquit, minus autoritatis habet ad ea roboranda, quæ in contentionem veniunt. Sed ſanctus Nicenus conventus, inter ſacrarum ſcripturarum volumina & hunc librum computavit. Beda in temporibus ait. Cambyſem Cyri majoris filium, ab Hebræis ſecundùm Nabucodonoſorem vocari, & ſub eo contigiſſe, quæ de Judith narrantur.

c Quos Hieremias Propheta prædixerat.] *Hieremiæ vigeſimo quinto: Et ſervient omnes gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annis.*

F.L.Coq. α PEr idem tempus Cyrus Rex Perſarum.] *Hic condidit Monarchiam Perſarum, & regnum auſpicatus eſt anno primo Olympiadis 55. Euſebius in Chronicis & lib. 10. de præparat. Evang. cap. ult. quod etiam fuſe oſtendit Pererius lib. 11. comment. in Danielem, ubi ex inſtituto quærit, quo tempore regnare cœperit Cyrus Monarchiæ Perſarum author & conditor.*

β Dilatumque opus usque ad Darium.] *Ita libr. 1. Eſdræ cap. 4. Cum enim Cyrus initio regni ſui capta Babylone & Judæis captivitate ſolutis conceſſiſſet, ut templum in Hieruſalem ædificaretur vel reſtitueretur prius everſum à Chaldæis, atque ſedulo operi inſtarent, factum eſt tandem, ut Samaritanis eos deferentibus & accuſantibus apud regem Cambyſem, qui Eſdræ dicitur Aſſuerus & Artoxerxes & patri Cyro ſucceſſit, illud opus impediretur usque ad ſecundum annum regni Darii, qui ut ſcribit cap. 6. Eſdras juſſit prout jam ſtatuerat Cyrus, templum illud reædificari. Quis vero fuerit Darius ille Judæis adeo benevolus ut vaſa aurea & argentea, quæ Nabuchodonozor captis Hieroſolymis & inverſo templo Babylonem tranſportarat, reſtitui curarit, & ad ædificium templi omnia ſuppeditari abunde quæ neceſſaria viderentur. Sulpitius lib. 2. hiſtoriæ ſacræ putat eſſe Darium nothum, qui ſucceſſit Artoxerxi longimano. Verum communis ſententia eſt fuiſſe Darium Hyſtaſpis filium, cui regnum occiſis magis delatum eſt à proceribus Perſarum, ut author eſt Herodotus lib. 3. cujus anno 6. & abſoluta eſt templi ædificatio 1. Eſdræ 6. Atque hic eſt, cujus etiam meminit Aggæus cap. 1. & 2. & Zachar. 1. & 7. Id etiam oſtendit contra Sulpitium & Ioſephum Scaligerum lib. 6. de emendat. temp. Pererius lib. 11. comment. in Danielem diſputat de hac re ex inſtituto.*

γ Per idem tempus ſunt illa geſta.] *Quando contigerit hiſtoria Libri Judith an ante vel poſt captivitatem Babylonicam, variæ ac diſcrepantes ſunt ſententiæ. Certe D. Auguſtinus hoc loco exiſtimat tum temporis cum differebatur ædificium templi usque ad Darium Hiſtaſpis filium, contigiſſe hiſtoriam illius libri, eam itaque ad tempora Cambyſis, qui Nabuchodonoſor in libro Judith dicitur, referre videtur, in qua etiam ſententia ſunt Euſebius in Chronicis, Beda lib. de ſex ætatibus. Lyranus in cap. 1. libri Iudith. Glycas pag. 2. Annal. Otho Friſingenſis lib. 2. cap. 15. Suidas verbo Holofernes Hugo Cardinalis hoc loco. Ioannes Driedo libro primo de ſcripturis & dogmatibus eccleſiaſt. cap. 2. pag. 2. & lib. 3. cap. 5. pag. 3. exiſtimant poſt captivitatem Babylonicam hanc hiſtoriam contigiſſe, & Azor. lib. 6. conſtitut. moralium cap. 56. Alii eam referunt ad tempora Xerxis, ut Suidas v. Judith. Julius Africanus apud eundem. Ribera in cap. 2. Nahum Gerardus Mercator ad tempus Darii Hiſtaſpis. Sulpitius accidiſſe vult tempore Artaxerxis Ochi; ea tamen tempora non ſatis congruere viden-*

videntur cum hiſtoria Judith, quia temporibus Cambyſis vel aliorum Regum Perſarum, ad quorum tempora ſupra citati authores eam hiſtoriam referunt, aut Hieroſolyma nulla erant, vel ita paulatim reædificabantur; ut contra finitimos vix ſe ſe tuerentur. Eſdræ primo cap. 4. & 5. & lib. 2. cap. 4. Templum etiam tum vel proſtratum jacebat, vel non niſi ſenſim excitabatur, ut ex iisdem locis & Aggæi 1. conſtat. Deinde ſub extremis Imperii Perſici temporibus licet jam aliquo modo Hieroſolyma & templum reſtoreſceret, nullus tamen tum temporis fuit Heliachim Pontifex. Denique Aſſyriorum ſceptrum conciderat, Medorum regnum jam Satrapia erat, & omnia uni Perſico imperio parebant; unde Rex Perſarum tunc temporis, & Rex magnus dicebatur; & non in Ninive, ſed Babylone ſeu Suſis ſedem obtinebat. At in hiſtoria Judith cap. 5. 15. & 16. ſtat templum, vigent Hieroſolyma, Pontificatum gerit Heliachim, & cap. 1. adhuc eſt Rex Aſſyriorum, Ninive triumphat, Media adhuc regni dignitatem obtinet, & nulla Regum Babyloniorum fit mentio, & cap. 16. Fit quidem mentio Perſarum, ſed tanquam adhuc obſcuræ gentis, quam facile Rex Aſſyrius ſuæ ditioni ſubjiceret. Itaque probabilius alii cenſent ante captivitatem Babylonicam ea omnia contigiſſe, quæ ſcribantur in libro Judith, quo verò tempore, vel quo Rege apud Judæos non omnium una eſt ſententia. Alia enim ad tempora Sedechiæ eam referunt, ut Genebrardus lib. Chronologiæ; aliqui ad tempora Regis Joſiæ; ut Joannes Benedictus in Annotationibus margin. ad cap. 4. lib. Judith. Cardinalis Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 12. & Nicolaus Serarius quæſtiuncula 2. ad cap. 1. lib. Iudith. Satis fuſe hanc difficultatem pertractarunt propoſitis ea de re omnium tum veterum, tum recentiorum opinionibus, utrinque videtur accommodatiſſimum huic hiſtoriæ tempus Manaſſis Regis, poſtquam Babylone is rediit. Nam primum tum exſtabant Hieroſolyma & templum Domini, quorum fit mentio Iudith. 4. & quod eſt majoris momenti argumentum, eo tempore vivebat ſacerdos magus Heliachim, ut conſtat ex Chronologia Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani, ubi recenſens Iudæorum Pontifices inter Sobnam qui fuit Pontifex tempore Ezechiæ & Helchiam, qui fuit tempore Ioſiæ, ponit Heliachim, inter Ezechiam autem & Ioſiam Reges Manaſſes interceſſit. Id etiam convenit cum lib. 4. Reg. cap. 18. ubi Heliachim nominatur inter præcipuos ſacerdotes, & quadrat cum prophetia Iſaiæ cap. 22. ubi prædicitur depoſitio Sobnæ impuri Pontificis, & exaltatio Heliachim in ejus locum: facile etiam hac ratione invenitur tempus longiſſimæ illius pacis, quod fuit toto tempore vitæ Iudith, & deinceps multis annis. Nam à reverſo Babylone Manaſſe usque ad regnum Ioachaz filiæ Ioſiæ pax ſumma fuit in terra Iuda, & tempus illud oſtendit Bellarminus fuiſſe 72. annorum; verum ne acta agamus, videantur Bellarminus & Serarius locis citatis. Quis etiam fuerit ille Rex Aſſyriorum Nabuchodonoſor, & Rex Medorum Arphaxat, qui ædificavit Ecbatana, licet non conſentiant inter ſe, fuſe diſputavit, non eſt noſtri inſtituti, neque hujus loci in his diutius immorari. Qui verò poſt captivitatem Babylonicam hanc hiſtoriam contigiſſe volunt, videntur moti his verbis Achior ducis Ammonitarum 5. cap. Iudith. Nam & ante hos annos cum receſſiſſent à via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati ſunt præliis à multis nationibus, & plurimi eorum captivi abducti ſunt in terram non ſuam, nuper autem reverſi ad

Domi-

Dominum Deum ſuum ex diſpenſatione, qua diſpenſati fuerant, adunati ſunt, & aſcenderunt montana hæc omnia, & iterum poſſident Hieruſalem, ubi ſunt ſancta ſanctorum. *Reſpondet optime Bellarminus, non eſſe intelligenda illa de captivitate Babylonica, ſed de variis afflictionibus præcedentibus, quas variis temporibus à variis nationibus paſſus eſt ille populus, & præcipuè de illa ultima, quæ acciderat cum caperetur Manaſſes. Tum enim tota illa regio devaſtata fuit, & Rex ille cum multis aliis captus & ductus in Babylonem, ac multi etiam diſperſi fugatique in varia loca, & verba illa* (nuper reverſi ex diſperſione) *intelligi poſſunt de reverſione Regis Manaſſæ, cum ſuis ex Babylone, aut etiam de reverſione ex variis locis, ad quæ confugerant Rege Babylonis regionem devaſtante.*

ð Quem ſane in canone ſcripturarum Judæi] *Idem teſtatur D. Hieronymus epiſt. 111. quæ eſt præfatio in Iudith:* Apud Hebræos *(inquit)* liber Judith inter hagiographa legitur, cujus authoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt minus idonea judicatur; Chaldæo tamen ſermone conſcriptus inter hiſtorias computatur. *In qua ſententia fuit aliquando ipſe D. Hieronymus, ut in prologo Galeato, & epiſt. 10. ad Furiam, & in cap. 1. Aggæi, quam etiam ipſi Eccleſiæ tribuit epiſt. 115. quæ eſt præfatio in Proverbia, Eccleſiaſtem, & Cantica canticorum,* Judith, & Tobiæ & Machabæorum libros *(inquit)* legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas ſcripturas non recipit. *Fuiſſe tamen receptum in numero ſanctarum ſcripturarum à Nicæna Synodo teſtatur idem D. Hieronymus epiſt. 111. citata. *(Certe jam de illius authoritate poſt Concilium Tridentinum nemini licet dubitare, imo aliquos Patres eum habuiſſe pro ſacra & canonica ſcriptura teſtatur Genebrard. in Chronologia ad annum mundi 3560. & Nicolaus Serarius prolegomeno 4. ad lib. Iudith)**

ſ Sub Dario Rege Perſarum impletis 80 annis.] *De 70. illorum annorum, quibus completis prædixerat Hieremias ſolvendos captivitate Hebræos, & libertati priſtinæ reſtituendos, ac ad natale ſolum reverſuros, principio & fine, unde nimirum illorum exordium ſumendum, & quando etiam completi ſint, non una eſt, & eadem omnium ſententia: diſputationem hac de re fuſiſſimam habes apud Pererium lib. 10. commentar. in Danielem. Deſiiſſe in ſecundum annum Darii Hiſtaſpis filii cum D. Auguſtino hoc loco docuere etiam Clemens Alexandrinus lib. 1. ſτρωμ. Euſebius in Chronicis. & lib. 10. de præparat. Evangel & lib. 8. de demonſtrat. Evangel. D. Hieronymus prologo in Aggæum, & in cap. 1. Zachar. & in 4. caput Ezechiel Iſidorus lib. 5. Originum cap. ult. Alii finitos volunt anno primo Cyri Regis Perſarum, Ita ſentit Ioſephus libr. 11. Antiquitat. cap. 1. & lib. 20. Iulius Africanus lib. 5. Annal. Lactantius lib. 4. capit. 5. Cyrillus libr. 8. contra Iulianum; Beda libro de 6. ætatibus mundi, quos ſequitur Pererius loco citato. Id ex ſcriptura facile colligitur. Primo ex poſtremis verbis 2. paralipom. quibus traditur ſerviiſſe Iudæos Chaldæis per ſeptuaginta annos uſque ad imperium Regis Perſarum, id eſt, uſque ad Cyrum, ut ibidem ſubditur ſcriptura: primo anno ſolvit captivitatem Iudæorum: Secundo probatur ex vaticinio Hieremiæ cap. 25. quo prædixit tum ſeptuaginta annos captivitatis complendos, cum Babylonis imperium eſſet deſtructum; cum impleti fuerint ſeptuaginta anni,* Vi-

ſitabo

ſitabo ſuper Regem Babylonis, & iniquitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum. *Eſt vero deſtructum à Dario Medo, & Cyro Rege Perſarum; Tertio confirmatur ex ejusdem Hieremiæ vaticinio cap. 29. quo Iudæos prædicit completis ſeptuaginta annis captivitatis & ſervitute liberandos, & in patriam reverſuros; verum utrumque primo anno Cyri Iudæis accidiſſe conſtat ex Eſdræ l. 1. cap. 1. Anno 1. Cyri Regis Perſarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ, nimirum vaticinium de liberatione populi poſt 70. annos futura ſuſcitavit Dominus ſpiritum Regis Perſarum, ut ædificaret ei templum in Hieruſalem, & locutus eſt ad populum Juda, hortatus eſt ut irent in Hieruſalem & ædificarent templum. Poſtremo confirmatur ex vaticinio Iſaiæ 45. ubi Cyrus prædicitur captivitate ſoluturus populum Dei, quod factum eſſe primo anno illius regni docet ſcriptum. Tum ergo completi intelliguntur anni captivitatis. Quorum etiam exordium unde ſumendum ſit variæ ſunt ſententiæ. Cum enim tres fuerint Regum Juda & Judæorum captivitates Babylonicæ ſub eodem Rege Nabuchodonoſor, prima Regis Joachim, Danielis & ſociorum ejus facta tertio vel quarto regni ejus anno, & primo anno Regis Nabuchodonoſor, de qua cap. 1. Danielis, & Hieremiæ 46. & 2. paralipom. 26. Altera fuit Regis Joachim ſex Jechoniæ 8. annis poſt primam, in qua etiam captus eſt Ezechiel, nimirum 8. anno regni Nabuchodonoſor, ut legitur 4. Reg. cap. 24. Tertia fuit omnium longe graviſſima & calamitoſiſſima Regis Sedechiæ, qua urbs ſolo æquata, templum incenſum, cuncta regio vaſtata, Judæi in miſerrimam ſervitutem Babylonem ducti. De qua l. 4. Reg. cap. 25. & Hieremiæ 39 & 52. A quanam harum captivitatum 70. anni ſunt computandi? à captivitate prima & primo anno Nabuchodonoſor computandos vult Lyranus & Severus Sulpitius lib. 2. Sacræ hiſtoriæ, cui ſententiæ ſubſcribit Vatablus in cap. 9. Danielis. Altera ſententia eſt computandos 70. annos à transmigratione ſeu captivitate Regis Jechoniæ, nimirum ab 8. anno regni Nabuchodonozor. In eam ſententiam citat Lyranus Rabbi Salomonem, quam etiam ſecutus eſt Cajetanus in cap. ult. lib. 2. Paralip. & eam ſolam veram aſſerit Joſephus Scaliger lib. 6. de emendat. tempo. qui id probat ex verbis Hieremiæ cap. 29. ubi Iudæis cum Iechonia Babylonem abductis verbis Dei ſpondet Hieremias completis ſeptuaginta annis captivitatis libertate recepta in patriam redituros: ex quo conſtare videtur ſeptuaginta annos captivitatis à transmigratione Iechoniæ cœpiſſe principium. Poſtrema ſententia eſt eorum qui computandos volunt ab ultima captivitate nimirum Sedechiæ, qui incidit in annum regni Sedechiæ 11. & regni Nabuchodonoſoris 18. in quam ſententiam Pererius loco citato adducit Ioſephum libro undecimo antiquitat. Iudaic. Clementem Alexandrinum libro 1. ςρωμ. Iulium Africanum 5. Annal. Euſebium in Chronicis & lib. 10. præparat. Evang. cap. ultim. & lib. 8. demonſtrat. Evangel. diſputat. de ſeptuaginta hebdomadis. Lactantium libro 4. divinar. inſtitut. cap. 5. Hieronymum in 4. caput Ezechielis & prooemio in Aggæum, Cyrillum Alexandrinum libro 8. adverſus Iulianum, Iſidorum lib. 5. origin. cap. ultim. & Bedam libr. de ſex ætatibus mundi, qui tamen authores id perſpicue tradere mihi non videntur. Etſi enim dicant completos anno primo Regis Cyri, non inde certe colligitur computandos à Sedechiæ captivitate, ſcilicet, ab anno illius undecimo & ab anno regni Nabuchodonozor deci-*

mo octavo, cũ nõ ſatis nobis certo conſtet, quot anni interceſſerint à Sedechiæ captivitate ad 1. annum Cyri Regis. Etſi enim libenter admittamus, Nabuchodonozorem regnaſſe totis 43. annis, à captivitate Sedechiæ 26. & Balthazari, quo interempto, Monarchiam illius evertit & Babylone potitus eſt Cyrus, concedamus ſeptuaginta annos, verùm de numero annorum, quibus intermedii Reges imperárunt, non ſatis conſtat. Certe ut conſtet ſumma ſeptuaginta annorum 18. Nabuchodonoſoris ad extremum uſque regni Balthazaris, cogitur Perreius libro 6. comment. in Danielem extremis verbis Regi Euilmerodach & Nigliſſar ſimul tribuere annos viginti ſeptem, quot verò iſtorum unicuique aſſignari conveniat, incompertum eſſe certe id ſine ullã authoritate & fundamento dictum. Neque verò convincit argumentum, quo utitur Pererius: Quoties divina ſcriptura horum ſeptuaginta annorum meminit, ut extremo cap. poſterioris Paralip. Hierem. 25. & Danielis 9. ſemper eos vocat, Annos deſolationis, ſolitudinis & vaſtitatis, *quibus nimirum terra Judæorum futura erat inhabitata, inculta, & penitus deſerta, at ea vaſtitas & ſolitudo cœpit non in captivitate Iechoniæ, ſed Sedechiæ, ergo inde anni captivitatis ſunt inchoandi. Nec enim ut dicantur illi anni ſolitudinis & vaſtitatis neceſſe eſt, ut ſtatim ab initio & à primo anno captivitatis cœperit illa ſolitudo & vaſtitas, ſed ut fere per totos illos ſeptuaginta annos in ſolitudinem redacta & inculta fuerit terra. A Iechoniæ autem captivitate, à qua potius computandi videntur ad Sedechiæ captivitatem, qua civitas everſa, templum incenſum & regio devaſtata, fluxére tantum 11. anni. Unde non mirum ſi à maxima parte anni deſolationis vocentur; atque in hac re nihil certi ſtatui poteſt, nec defuêre argumenta & rationes, quæ moverent D. Auguſtin. & alios ut ſentirent, completos fuiſſe eos annos ſub Dario Rege Perſarum, anno ſcilicet regni illius 2. ut videre eſt apud eundem Pererium diſputatione de hac re fuſiſſima libr. 10. comment. in Danielem: imo 52. annos quidam computant ab undecimo Sedechiæ ad primum annum Cyri Regis, ſicque hoc modo à prima captivitate & à primo anno Nabuchodonozoris 70. anni erunt ſupputandi.*

Cap. XXVII.

De temporibus Prophetarum, quorum oracula habentur in libris: quique tunc de vocatione gentium multa cecinerunt, quando Romanorum regnum cœpit, Aſſyriorumq; defecit.

TEmpora *a* igitur eorum, ut poſſimus advertere, in anteriora paululum recurramus. In capite libri β Oſee Prophetæ, qui primus in duodecim ponitur, ita ſcriptum eſt: *Verbum Domini, quod factum eſt ad Oſee a γ in diebus Oziæ, & Joathan, & Achaz, & Ezechiæ regum Juda. b* δ Amos quoque in diebus Oziæ regis prophetaſſe ſe ſcribit: *c* Addit etiam Hieroboam regem Iſrael, qui per eoſdem dies fuit. *ε* Nec non Eſaias filius Amos ſive ſupradicti Prophetæ, ſive quod magis prohibetur, alterius, qui non Propheta eodem nomine vocabatur, ζ eoſdem reges quatuor, quos poſuit Oſee in capite libri ſui, ponit, quorum diebus ſe prophetaſſe præloquitur. *d* η Michæas etiam eadem ſuæ prophetiæ commemorat tempora poſt dies Oziæ. Nam tres, qui ſequuntur, reges nominat:

nat: quos & Oſee nominavit: Joathan, & Achaz, & Ezechiam. Hi ſunt, quos eodem tempore ſimul prophetaſſe ex eorum literis invenitur. *e θ* His adjungitur Jonas eodem Ozia regnante, *f* & *ι* Johel cùm jam regnaret Joathan, qui ſucceſſit Oziæ. *κ* Sed iſtorum Prophetarum duorum tempora in chronicis, non in eorum libris potuimus invenire, quoniam de ſuis diebus tacent. *g λ* Tenduntur autem hi dies à rege Latinorum Proca ſive ſuperiore Aventino uſque ad regem Romulum jam Romanum, vel etiam uſque ad regni primordia ſucceſſoris ejus Numæ Pompilii. Ezechias quippe rex Juda eouſque regnavit, ac per hoc per ea tempora iſti velut fontes prophetiæ pariter eruperunt, quando regnum defecit Aſſyriorum, cœpitque Romanorum: ut ſcilicet quemadmodum regni Aſſyriorum primo tempore extitit Abraham, cui promiſſiones apertiſſimæ fierent in ejus ſemine benedictionis omnium gentium, ita in occidentalis Babylonis exordio, qua fuerat Chriſtus imperante venturus, in quo implerentur illa promiſſa oracula prophetarum, non ſolùm loquentium, verùm etiam ſcribentium in tantæ rei futuræ teſtimonium ſolverentur. Cùm enim prophetæ nunquam ferè defuiſſent populo Iſrael, ex quo ibi reges eſſe cœperunt, in uſum tantummodo eorum fuêre, non gentium. *h* Quando autem ea ſcriptura manifeſtius prophetica condebatur, quæ gentibus quandoque prodeſſet, tunc oportebat incipere, quando condebatur hæc civitas, quæ gentibus imperaret.

a IN diebus Oziæ, & Joathan, & Achas, & Ezechiæ regum Juda.] *Nuſquam certius colliguntur tempora, quàm ex ipſis eiſdem Prophetis, ſi quibus ſcripſerint, teſtificentur. Ideò cùm eorum teſtimonia, ac velut ſyngraphas habuerimus, aliorum adducere ſupervacaneum fuerit. Ait ergo, ſe ſub illis tribus regibus duarum tribuum vaticinatum, qui pater, filius, & nepos fuêre, & ultimo eorum imperante ductæ ſunt decem tribus Iſrael in Chaldæam à Salmanaſar rege. Itaque Hieronymus docet, & ante captivitatem, & poſt Oſee prophetatus eſt, & tam vicinam quàm præſentem, quàm etiam præteritam, & denunciaſſe venturam, & luxiſſe ingruentem. Porrò Ozias vixit, quo tempore magnum illud & vaſtum Aſſyriorum imperium concidit, rebellantibus Medis. Hunc alii Azariam nominant, ne quem varietas fallat nominum.* L. Vives. Oziæ.

b Amos quoque.] *De hoc Hieronymus: Amos Propheta, qui ſequitur Joelem, & eſt tertius duodecim Prophetarum, non eſt ipſe, quem patrem Eſaiæ prophetæ legimus. Ille enim* אמוץ *ſcribitur per primam & ultimam nominis ſui literam* א *&* ץ *& interpretatur fortis atque robuſtus, hic verò* עמוס *per* ע *&* ס *interpretatur populus avulſus. Mediæ literæ* מ *&* ו *utrique communes ſunt. Apud nos autem, qui ... ntùm vocalium literarum, & s literæ, quæ apud Hebræos triplex eſt, differentiam non habemus, hæc & alia nomina videntur eſſe communia, quæ apud Hebræos elementorum diverſitate, & ſuis proprietatibus diſtinguuntur. Hoc igitur Propheta, ... em nunc habemus in manibus, fuit de oppido Thecue, quod ſex milibus ad meridianam plagam abeſt à ſancta Bethleem, quæ mundi genuit Salvatorem, & ultra illus eſt viculus, ne agreſtes quidem caſæ, & furnorum ſimiles, quas Afri appellant ... palia: tanta eſt eremi vaſtitas, quæ uſque ad mare Rubrum Perſarumq; & Æthiopum*

Digitized by Google

thiopum, atque Indorum terminos dilatatur, & quia humi arido atque arenoſo nihil omninò frugum gignitur, cuncta ſunt plena paſtoribus, ut ſterilitatem terræ compenſent pecorum multitudine. Ex hoc numero paſtorum & Amos Propheta fuit imperitus ſermone, ſed non ſcientia. Idem enim, qui per omnes Prophetas Spiritus ſanctus loquebatur. Tantum Hieronymus. Quo magis miror, cùm prologus, qui vulgò in noſtris ſacris literis huic prophetæ præponitur, hoc ex loco ſit deſumptus, legi expreſſè in eo etiam Amos patrem Eſaiæ Prophetam fuiſſe: forſan ex Hebræorum dogmate, qui ut Hieronymus in Sophoniam ſcribit, tradunt cujuscunque prophetæ pater aut avus ponatur in titulo, ipſos quoque prophetas fuiſſe.

Hieroboam. *c* Addit etiam Hieroboam regem Iſrael.] *Non illum, qui temporibus Roboam filii Salomonis autor ſuccedendi fuit decem tribubus, qui centum & ſexaginta annis præceſſit hunc filium Joas.*

Michæas. *d* Michæas etiam.] *Hunc Hieronymus tradit, non vaticinatum eſſe temporibus Oziæ, ſed ejus filii Joatham, quem LXX. fecerunt tertium Hebræi ſextum habent inter xij. minores.*

e His adjungitur Jonas.] *Euſebius in temporibus Azariæ, qui idem eſt Ozias: Prophetabant apud Hebræos, inquit, Amos, Eſaias, & Jonas. Et Hieronymus in Oſee, In quo perſpicuum eſt, inquit, prophetante Oſee, Eſaia, & Joel, & Amos, & Abdia, & Jona, & Michæa, qui σύγχρονοι ejus fuere, hoc eſt, contemporanei, regnum decem tribuum eſſe finitum. Et in prologo in Jonam ſic ait: Tradunt Hebræi Oſee, Amos, & Eſaiam, ac Jonam, eisdem prophetaſſe temporibus. In quo eodem prologo opinionem quorundam refert, qui exiſtimarunt, Amathi patrem Jonam eſſe filium illum viduæ Sareptanæ, quem Helias vitæ reddidit, matre poſtea dicente: Nunc cognovi, quia vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo eſt veritas, & ob hanc cauſam, etiam ipſum puerum ſic vocatum. Amathi enim in noſtra lingua veritatem ſ[illegible]at.*

Joel. *f* Et Joel.] *Interpretatur ἀρχόμενος, inquit Hieronymus, id eſt, incipiens. Vulgò legimus, hunc eisdem temporibus afflatum Deo, quo Prophetas ſuperiores.*

g Tenduntur autem hi dies à rege Latinorum Proca.] *Aventinus regnavit annos triginta ſeptem: hujus triceſimo ſecundo, ut Euſebius digerit, cœpit Azarias regnum in Juda. Eutropius Azariam in tempora Procæ reducit, quòd ultimis annis Aventini cœperit imperare. Ezechiæ verò regnum prima tempora Numæ pertigit.*

h Quando autem ea ſcriptura manifeſtius prop.] *Iſti enim prophetæ, quos percenſuit, gentium vocationem prænunciarunt, ut poſt aperiet.*

L. Cap. α TEmpora eorum poſſimus advertere.] *Magni intereſt etiam ad intelligendos Prophetas ſive ſacram Chronologiam, ſcire quibus temporibus ipſi Prophetæ vixerint & ſint vaticinati. Id docet Lactantius libro 4. cap. 5.* Qui veritatem, *inquit*, ſtudet comprehendere, non modo intelligendis Prophetarum vocibus animum debet intendere, ſed etiam tempora, per quæ quisque illorum fuerit, diligentiſſime inquirere, ut ſciat & quæ futura prædixerint, & poſt quot annos prædicta completa ſint, nec difficultas, *inquit*, in his colligendis ineſt ulla. Teſtati enim ſunt ſub quo quisque Rege divini Spiritus paſſus fuerit inſtinctum.

β Oſeæ Prophetæ qui primus in duodecim.] *Etſi non eodem ordine collocentur apud*

apud Hebræos & apud Græcos 12. Prophetæ, ut Hieronymus indicat in illorum prologo, & Ruffinus in Principio Joelis, apud utroſque tamen Oſee primus eſt, ut cui primo ex 12. Dominus ſit locutus.

γ In diebus Oziæ, Joatham.] *Chryſoſtomus hom. 5. de Ozia,* Omnibus Prophetis mos eſt Regum tempora exprimere. *D. Hieronymus Iſai. 1.* In titulis Prophetarum commemorantur perſonæ. v. g. Eſaias, Jeremias, cauſa ut vitia Hebræorum reſecet, aut ut aliquid prænuntiet, aut mœrentem populum conſoletur, tempus, ſub quibus prophetiam ediderit.

δ Amos quoque in diebus Oziæ Regis.] *Tertio loco ponitur inter Prophetas minores, Reges nominat, ſub quibus floruit, in diebus Oziæ Regis Juda, & in diebus Hieroboam filii Joas Regis Iſrael ante duos annos terræ motus: Cùm regnum Oſiæ fuerit 52. annorum & Jeroboam 41. colligit Ribera cœpiſſe prophetare intra 14. annum regni Oziæ, quia ſimiliter meminit Oziæ, & Jeroboam, ſi quidem eo tempore intelligitur prophetaſſe, quo regnante in Juda Ozia regnabat in Iſrael Hieroboam, hoc eſt intra 14. annum Oziæ. Nam anno. 27. Jeroboam filii Joas regnare cœpit Ozias. Jeroboam autem regnavit quadraginta & uno anno. Itaque regnum Oziæ concurrit primus 14. aut 15. annis cum regno Hieroboam 4. Reg. 14. & 15.*

ε Nec non Iſaias filius Amos, ſive ſupradicti Prophetæ, ſive quod magis perhibetur, alterius.] *Clemens Alexand. lib. 1.* ςρωμ. *exiſtimat, Amos Prophetam fuiſſe patrem Eſaiæ. Contrarium ſentit D. Hieronymus in cap. 1. Iſaiæ.* Amos pater Eſaiæ non ut plerique autumant, *tertius duodecim Prophetarum eſt, ſed aliis, diverſiſque apud Hebræos ſcribitur literis. Ipſe primam & extremam literas* א & צ, *ille* ע & ס. *illum Hebræi exiſtimant ortum regio ſanguine, & non tantùm patrem habuiſſe Regem Amaziam, ſed & ſocerum fuiſſe Manaſſæ Regis, à quo ſectus miſere dicitur.*

ζ Eoſdem Reges quatuor, quos poſuit Oſee.] *D. Hieronymus in cap. 1. Iſaiæ.* Uno quidem, atque eodem tempore. Eſaiam Oſee, Joel, & Amos prophetaſſe ex Regibus, qui ponuntur in titulo cognoſcimus, ſed principium verbi Domini fuit in Oſee filio Beeri. *Vide Euſebium lib. 10. de præparat. Evangel. cap. 3. ubi de temporibus Moyſis & Prophetarum diſſerit, ac Iſaiam & Oſeam fuiſſe adſtruit prima Olympiade.*

η Michæas etiam.] *Ut ſcribit divus Hieronymus in prologo;* Michæas in ordine duodecim Prophetarum ſecundum ſeptuaginta interpretes tertius eſt, ſecundùm Hebraicam veritatem ſextus; *poſt* ergo quaſi in corde voluminis poſitus debet profunda continere myſteria.

θ His adjungitur Jonas.] *Tradunt Hebræi authore Hieronymo in prologo, hunc eſſe filium viduæ Sareptanæ, quem Helias propheta mortuum ſuſcitavit matre poſtea dicente ad eum.* Nunc cognovi, quia vir Dei es tu & verbum Dei in ore tuo eſt veritas, *& ob hanc cauſam etiam ipſum puerum ſic vocatum filium Amathi.* Amathi *enim Hebraica lingua veritatem ſonat, & ex eo quod verum Helias locutus eſt, ille qui ſuſcitatus eſt, filius eſſe dicitur veritatis. Hieronymus in prologo* com-

commentariorum Jonæ. Tradunt Hebræi Oſee & Amos & Iſaiam & Jonam iiſdem prophetaſſe temporibus, ita ſentit Euſebius in Chronico.

ι Et Joel inter 12.] *Quartus apud ſeptuaginta interpretes, apud Hebræos & in vulgata editione ſecundus Hieronymus interpretatur* ἀρχόμενος, *id eſt*, incipiens, *epiſt. 122. ita ſcribit*, tempora, quibus prophetavit Joel, eadem debemus accipere, quæ in Oſee legimus, in diebus Oziæ, Joatham & Ezechiæ Regum Juda, & in diebus Hieroboam filii Joas Regis Iſraël.

κ Iſtorum Prophetarum duorum tempora in Chronicis non in eorum libris.] *Obſervatu dignum D. Hieronymi documentum in prolog. 12. Prophetarum, in quibus tempus non præfertur in titulo ſub illis Regibus eos prophetaſſe, ſub quibus & hi, qui ante habent titulum, prophetaverunt. Unde conſtabit ſub quibus Regibus Jonas & Joel prophetaverunt, & Ruffin. mit. comm. in Joel. in Prophetam.* Quod non in omnibus Prophetis indices temporum tituli prælegantur neutiquam incertum fuit quibus ætatibus eorum ſinguli prophetaverint, quandoquidem traditio per manus miſſa commendet, ſub illis regibus eorum, qui ſine titulo legantur, viguiſſe doctrinam ſub quibus ante eos prophetaverint, qui titulis inſtruuntur.

λ Tenduntur hi dies à Rege Latinorum Proca ſive ſuperiore Aventino.] *Aventinus, à quo nomen uni ex ſeptem urbis collibus, regnavit apud Latinos decimus tertius, & 37. annis regnum tenuit regnantibus apud Judæos Amaſia & Ozia, cui Procas filius ſucceſſit & regnavit annis 23. & initium regni illius Euſebius confert in ſeptimum annum Oziæ & 19. Hieroboam filii Joas. Hunc proximè ſecutus eſt Amulius, qui majore fratre Numitore pulſo quæſitum injuria regnum per annos 42. tenuit, quo cæſo à Romulo & Rhemo natis Rhea Sylvia filia Numitoris regnum legitimo jure redit ad Numitorem. Sequenti anno, quo Numitor ſuum regnum auſpicatus eſt poſt Ilium captum anno 432. anno primo Olympiadis Roma à fratribus condita eſt. Romulus verò. 37. annis adminiſtrationi rerum præfuit. Hæc ex Dionyſio lib. 1. & aliis. Totum itaque tempus quod interceſſit inter initium regni Aventini & finem regni Romuli eſt 140. annorum, inter initium Procæ finem Romuli 103. annorum, Tempus verò, quod complectitur regnum Oziæ, Joathan, Achaz & Ezechiæ Regum Juda eſt 113. annorum. Nam Ozias & regnavit annis 52. Joatham annis 16. Achas annis 16. & Ezechias annis 29. Euſebius autem confert mortem Romuli in 25. Ezechiæ, & in primum Oziæ 32. Aventini, cui ſucceſſit Procas anno Oziæ ſeptimo, quod ergo ſcribit divus Auguſtinus dies, quibus vaticinati ſunt iſti Prophetæ ſub Ozia, Joathan, Achaz & Ezechia Regibus Juda, protendi à Proca Latinorum Rege ſeu ſuperiore Aventino ad Romulum, vel etiam ad primordia regni Numæ, intelligit certè extrema tempora Aventini, à cujus anno 32. qui fuit primus Oziæ ad mortem Romuli, quæ incidit in 25. Ezechiæ, interceſſerunt anni 109. inter regnum autem à Romulo ad Numam duravit anno integro, unde Numa extremis tribus annis Ezechiæ, regnum auſpicatus eſt, quod ſignificat Auguſtinus cum ſcribit, Ezechiam uſque ad primordia regni Numæ ſucceſſoris Romuli regnaſſe.*

CAP. XXVIII.

e his, qui ad Evangelium Chriſti pertinent, quid Oſee & Amos prophetaverint.

OSee igitur a Propheta, quantò profundius quidem loquitur, tantò opero-
ſius penetratur. Sed aliquid inde ſumendum eſt, & hic ex noſtrâ promis-
ne ponendum. *Et erit*, inquit, *in loco, quo dictum eſt eis: Non populus meus vos,* Hoſ. 1.
cabuntur & ipſi filii Dei vivi. Hoc teſtimonium propheticum de vocatione
puli gentium, qui prius non pertinebat ad Deum, a β etiam Apoſtoli intel-
xerunt. Et quia ipſe quoque populus gentium ſpiritaliter eſt in filiis Abrahæ,
y ac per hoc rectè dicitur Iſrael, propterea ſequitur, & dicit: *Et δ congregabun-*
r filii Juda, & filii Iſrael in idipſum, & ponent ſibimet principatum unum: & a-
cendent à terra. Hoc ſi adhuc velimus exponere: eloquii prophetici obtunde-
ur ſapor. Recolatur tamen lapis ille angularis, & duo illi parietes: unus ex Ju-
æis, alter ex gentibus: ε ille nomine filiorum Juda, iſte nomine filiorum Iſrael,
idem uni principatui ſuo in idipſum innitentes, & aſcendentes agnoſcantur
n terra. Iſtos autem carnales Iſraelitas, qui nunc nolunt credere in Chriſtum,
poſtea credituros, id eſt, filios eorum: nam utique iſti in ſuum locum moriendo
tranſibunt: idem Propheta teſtatur, dicens: *quoniam ζ diebus multis ſedebunt fi-* Hoſ. 3.
lii Iſrael ſine rege, ſine principe, ſine ſacrificio, ſine altari, ſine ſacerdotio, c ſine mani-
feſtationibus. Quis non videat, nunc ſic eſſe Judæos? Sed quid adjungat, audia-
mus. Et poſteà inquit, *revertentur filii Iſrael, & inquirent Dominum Deum ſuum:* Hoſ. 3.
η & David regem ſuum, & ſtupeſcent in Domino, & in bonis ipſius, in noviſſimis die-
bus. Nihil eſt iſta prophetia manifeſtius, qua David regis nomine ſignificatus
intelligitur Chriſtus, *qui factus eſt*, ſicut dicit Apoſtolus, *ex ſemine David ſecun-* Rom. 1.
dum carnem. Prænunciavit iſte Propheta etiam tertio die Chriſti reſurrectio-
nem futuram, ſicut eam prophetica altitudine prænunciari oportebat, ubi ait:
θ Sanabit nos poſt biduum, & in die tertio reſurgemus. Secundum hoc enim no- Oſ. 6.
bis dicit Apoſtolus: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite.* Amos Col. 3.
quoque de rebus talibus ſic prophetat: ι *Præpara*, inquit, *te, ut invoces Deum tu-* Amos 4.
um Iſrael, quia ecce ego firmans tonitruum, & creans ſpiritum, annuncians in homi-
nibus Chriſtum ſuum. Et alio loco: κ d *In illa die*, inquit, *reſuſcitabo tabernacu-*
lum David, quod cecidit: & reædificabo, quæ ceciderunt ejus: & deſtructa ejus re-
ſuſcitabo, & reædificabo ea, ſicut dies ſeculi, ita ut exquirant me reſidui hominum, &
omnes gentes, in quibus invocatum eſt nomen meum ſuper eos, dicit Dominus fa-
ciens hæc.

a ETiam Apoſtoli intellexerunt.] *In priore etiam Epiſtola Petri capite ſecundò: Qui aliquando, inquit, non populus Dei, nunc populus Dei.* 1. Pet.

b Ac per hoc rectè dicitur Iſrael.] *Cuncti enim homines poſſunt pertinere ad ſpiritalem promiſſionem Abrahæ, ſi ejus pietatem & juſtitiam fuerint ſectati. Idcirco qui ex ſemine carnali ab eo deſcendunt per Judam intelliguntur, quæ tribus in ſacris ritibusq; majorum, cum ſacerdotibus & templo manſit: qui non ab Abraham pro-*

progeniti ſunt corpore,ſed animo,per Iſrael. Nam decem tribus,quæ à rege Juda defecerunt,Iſrael ſunt à Judæis nominatæ, quæ à gentili populo non multum aberant. Nam priſcis patrum inſtitutis deſertis,idola coluerunt more gentium. Ideò Judaicis & Levitis non longè ſecus erant abominabiles,quàm gentes,quæ proautorem ſeminis non noſcebant Abraham.

c Sine manifeſtationibus.] *δήλων vertunt LXX. quod eſt Hebraicè ephod, ἐπωμίδα ſuperhumerat. Significant LXX. perituram è ſenioribus prophetiam doctrinam & ſapientiam, quo majus malum civitati contingere non poteſt. Hebraica veritas denotat, nec ſacerdotalem futuram dignitatem, neque cultum ejus atque ornamenta.*

d In die illa, inquit, reſuſcitabo tabernaculum David.] *Hunc locum ad vocationem gentium pertinere,præterquam quod verba ipſa apertè teſtantur, etiam Jacobus frater Domini interpretatus eſt Act. 15. cùm ii,qui ex Judaiſmo Phariſaico ad baptiſmum venerant, negotium faceſſerent Barnabæ & Tito, quòd in Eccleſia Dei cum præputio verſarentur,& ſine ceremoniis ſabbatiſmorum. Itaque cùm Apoſtolica declaratio huic dicto acceſſerit,quis audeat aliam quærere?*

v.L.C.7. *α* OSee Propheta quando profundius] *Hujus Prophetæ quanta ſit obſcuritas cum Auguſtino hoc loco indicavit etiam divus Hieronymus in proœmio commentar. ejusdem Prophetæ*; Si in explanationibus omnium Prophetarum, *inquit*, ſancti Spiritus indigemus adventu, ut cujus inſtinctu ſcripti ſint, illius revelatione pandantur, quantomagis in explanatione Oſee Prophetæ ordinandus eſt Dominus, & cum Petro dicendum, ediſſere nobis parabolam iſtam, præſertim cum obſcuritatem voluminis in fine teſtetur ipſe qui ſcripſit, Quis ſapiens & intelliget iſta, intelligens & cognoſcet ea?

β Etiam Apoſtoli intellexerunt.] *D. Paulus certè Romanor. 9. expoſuit illud & interpretatur de vocatione gentium ita ſcribens*, Quos & vocavit non ſolùm ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee dicit, vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam; & erit in loco, ubi actum eſt eis, non plebs mea vos, ibi vocabuntur Filii Dei vivi. *D. Hieronymus in cap. 7. Oſee*; B. Apoſtolus Oſee Prophetæ aſſumens teſtimonium & exponens illud ſuper vocatione gentium & eorum fide, qui ex gentibus credere voluerunt, omnem nobis interpretationis difficultatem abſcidit aſſerens Chriſti temporibus eſſe completum. Ita etiam intellexit D. Petrus prio. epiſt. cap. 2. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum, qui aliquando populus,nunc populus Dei, qui non conſecuti miſericordiam,nunc autem miſericordiam conſecuti. *Hoc idem Oſee teſtimonium fusè tractat D. Auguſtinus libro 22. contra Fauſtum cap. 89. & ex authoritate loci illius Apoſtoli Pauli & Petri de vocatione gentium interpretandum docet.*

γ Ac per hoc rectè dicitur Iſrael.] *Alii enim ſunt Iſraelitæ ſeu Iudæi ſecundum carnem, qui ab Abrahamo quidem per Iſaac & Iacob originem ducunt, fidem*

tamen

& pietatem eorum minime ſectantur; alii verò ſecundum ſpiritum: qui licet
atres illos originem ſuam minime referant, eorum tamen fidei ac pietatis ſunt
ores; atque cum Abraham ſit Pater omnium credentium in Deum. Roman.
erte filii Abrahæ potiori jure cenſendi quàm carnales illi. Duplicem illum Iſrael
eſcribit Apoſtolus ad Roman. 9. Non omnes qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſrae-
eſt, non omnes qui carnalem à Iacob ducunt originem, ſunt Iudæi & Iſraelitæ,
pertinent Dei promiſſiones: Neque qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filii, ſed
l vocabitur tibi ſemen, id eſt, non qui filii carnis, ii filii Dei, ſed qui filii
omiſſionis, æſtimantur in ſemine. Galat. 3. Cognoſcite quia qui ex fide
ſunt filii Abrahæ. Atque de Iſrael ſecundum ſpiritum illud Oſee intelligitur,
nerus filiorum Iſrael quaſi arena maris, id eſt, Iſraëlitæ ſecundum ſpiritum,
ni per totum orbem diffundentur, & homines Ethnici, hoſpites teſtamento-
ibus dicitur, non eſtis populus Dei, filii Dei viventis ubique terrarum voca-

congregabuntur filii Juda & filii Iſrael.] Significat Judæos, quos filios Ju-
, & Ethnicos ad Chriſtum converſos, quos filios Iſrael nominat, congregan-
um corpus Chriſti myſticum, id eſt, unam Eccleſiam, & ponent ſibimet ca-
m, Id eſt, Chriſtum, qui eſt caput totius Eccleſiæ influens varie & multifor-
omnia illius membra, Aſcendent à terra captivitatis, non Babylonica, ſed
, à terrenis deſideriis ad cœleſtia cum aſcenſiones in corde igitur diſponant.
nomine filiorum Juda, iſte nomine filiorum Iſrael.] Ut in hac prophetia
ine Juda & Iſrael vocati ex Iudæis & gentibus intelligantur, & lapis ille an-
uo uterque paries conjungitur, ſit Chriſtus, qui virtus Dei in ſalutem omni
udæo primum & Græco, in quo non eſt circumciſio, neque præputium, ne-
s, neque Gentilis, ſed omnes unum. D. Auguſtinus loco citato contra Fau-
s illud Oſee, non omnino (inquit) de illo Iſrael dictum eſt, qui eſt ſecundum
d de illo, de quo Apoſtolus Gentibus dicit: vos ergo Abrahæ ſemen eſtis ſe-
romiſſionem heredes. Sed quoniam de illa Iudæa multi crediderunt & cre-
, nam inde erant Apoſtoli, inde tot millia quæ in Hieruſalem Apoſtolis ſocia-
de Eccleſiæ, de quibus ad Galatas dicit, eram autem ignotus facie Eccleſiis
ſunt in Chriſto, unde & lapidem angularem in Pſalmis appellatum Domi-
terpretantur, quod duos parietes in ſeipſo conjunxerit circumciſionis vi-
ræputii, ut duos conderet in ſe unum novum hominem, faciens pacem, &
t utroſque in corpore uno Deo, per crucem interficiens inimicitias in ſe-
veniens evangelizaret pacem iis, qui longe, & iis qui prope, id eſt, genti-
& Iudæis prope. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum, merito
pheta filios Iuda ponens pro Iudæis & filios Iſrael pro Gentibus: & congre-
inquit) filii Iuda & filii Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum & a-
terra. Huic itaque prophetiæ tam manifeſtæ ipſo rerum effectu declara-
contradicit non ſolum propheticis, verum etiam Apoſtolicis literis, nec
eslibet literis, verum etiam rebus impletis, & clariſſima luce perfuſis im-
è contradicit.

 Die-

ζ Diebus multis ſedebunt filii Iſrael.] *Iudæi autore D. Hieronymo in hunc locum, hanc prophetiam referunt ad tempus captivitatis Babylonicæ, cum quibus etiam conſentiunt Theophilactus, Theodoretus & Ruffinus, tunc videlicet Iudæos fuiſſe ſine Rege, ſine Principe, ſine altari, exſpectaſſeque dies. i. e. totum tempus captivitatis, donec ad Deum reverſi ſunt, & Principem agnoverunt Zorobabelem, quem & Davidem nominarunt, quod ex Davidis ſtirpe natus eſſet. Intelligenda certe verba Prophetæ de tempore, quod mortem Chriſti conſecutum eſt, quando omnino ſunt à Deo reprobati Judæi,* Et quando cæcitas ex parte contigit in Iſrael, *ut ſcribit Apoſtolus Roman. 11.* Donec plenitudo Gentium intraverit. *Tunc enim temporis implebitur Prophetia Oſee,* Poſt hæc revertentur ad Dominum Deum ſuum, & ad David Regem ſuum, *cum Auguſtino conſentiunt omnes Chriſtiani. Ita Galatinus interpretatus eſt lib. 9. contra Judæos cap. 6. Samuel Marochianus epiſt. de adventu Meſſiæ cap. 26. Julianus Pomezius lib. 1. contra Judæos.*

η David Regis nomine ſignificatus intelligitur Chriſtus.] *David inter cæteros fuit expreſſima Chriſti figura. Frequens autem in ſcriptura nomen figuræ tribui rei figuratæ Jeremiæ 30* Servient Domino Deo ſuo, & David Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis. *Ezechiel. 34.* Suſcitabo ſuper eas paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David; & ego Dominus ero eis in Deum, & ſervus meus David Princeps in medio eorum: *37.* Ero eis Deus, & ſervus meus David Rex ſuper eos. *Vide Galatinum lib. 3. cap. 23.*

θ Sanabit nos poſt biduum] *Vulgata editio habet.* Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos. *Hunc locum Prophetæ de Chriſti reſurrectione tertio die facta Patres intellexere, Hieronymus & Theodoretus in hunc locum, Tertullianus libro contra Judæos cap. 13. & libro 4. contra Marcion. cap. 43. Lactantius libro 4. cap. 19. Cyprianus libro 2. contra Judæos cap. 25. Origenes homil. 5. in Exodum, Ruffinus in expoſitione Symboli, Auguſtinus hic & ſermon. 60. de tempore, Dorotheus in Synopſi, qui etiam addit hunc locum indicatum eſſe à Paulo 1. Corinth. 15. cum dixiſſet,* Quia ſurrexit tertio die ſecundum ſcripturas. *Nec enim alibi tertium diem Chriſti reſurrectionis indicari in ſcriptura, quod idem ſentit Anſelmus in eum locum Apoſtoli. Veteres etiam Hebræos intellexiſſe hunc locum de reſurrectione Chriſti teſtis eſt Galatinus lib. 8. cap. 22. Ita etiam intellexit Moyſes Rabbi Hadarſem magnæ apud Hebræos authoritatis, ut author eſt Hieronymus à ſancta fide ex Judæo Chriſtianis lib. 1. contra Judæos cap. 8.*

ι Præparat te, ut invoces.] *Amos 4. vulgata editio habet,* Præpara te in occurſum Dei tui. *Septuaginta autem, quos ſecutus eſt Auguſtinus ita habent,* ἑτοιμάζου τοῦ ἐπικαλεῖσθαι τὸν θεόν σου Ισραήλ. *D. Hieronymus in eo loco,* Ubi 70. tranſtulerunt præparare, ut invoces Deum tuum, & nos juxta Theodotionem poſuimus præparare in occurſum Dei tui, ut ſcilicet ad te venientem Dominum tota aviditate ſuſcipias. *Ribera* Monet (*inquit*) & hortatur decem tribus poſtquam captæ fuerint ab Aſſyriis, non penitus animum deſpondeant, ſed in occurſum Dei ſui ſe præparent, *id eſt,* cum Evangelium per Apoſtolos prædicatum fuerit, Chriſtum amplectantur, & ad ſe venientem recipiant, vel Dominum invocent. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit.

κ In

x Indie illa reſuſcitabo tabernaculum David.] *Nullo modo ambigendum de interpretatione hujus loci, ubi illum interpretatus eſt de vocatione gentium Jacobus frater Domini Actor. 15. Eum enim locum Prophetæ adduxit ad confirmandam Petri ſententiam, nempe Gentiles ad Evangelium Chriſti vocandos fuiſſe, ut in unum Eccleſiæ corpus cum electis Judæis coaleſcerent. Petri ſententia hæc fuit,* Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii & credere. Et qui novit corda Deus teſtimonium perhibuit dans illis Spiritum ſanctum ſicut & nobis, & nihil diſcrevit inter nos & illos fide purificans corda eorum : *Subjungit Jacobus,* Viri fratres audite me, Simon narravit, quemadmodum primum Deus viſitavit ſumere ex gentibus populum nomini ſuo, & huic concordant verba Prophetarum ſicut ſcriptum eſt, & poſt hæc revertar & reædificabo tabernaculum David, quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud. *D. Hieronymus;* Ubi Apoſtolorum præcedit authoritas maxime Petri & Jacobi, quos columnas eccleſiæ vas electionis vocat, ibi omnes variæ interpretationis tollenda ſuſpitio eſt, & quod à tantis viris exponitur, hoc ſequendum. Hoc certe tabernaculum populum Judæorum Amos intelligit, quod in iis cecidit, qui Chriſtum recipere noluerunt & malitia ſua excæcati ſunt; ſuſcitatum eſt in Apoſtolis & aliis ex illo populo credentibus, at quamvis ex parte erectum eſſet, reſtabant tamen aperturæ murorum, quæ ſuppletæ ſunt gentibus quaſi vivis lapidibus in eorum loco poſitis. Illorum enim delicto ſalus eſt gentibus, & ita inſtaurata ſunt quæ corruerunt.

CAP. XXIX.

Quæ ab Eſaia, de Chriſto & Eccleſia ſunt prædicta.

ESaias *a α* propheta non eſt in libro duodecim prophetarum; qui propterea dicuntur β minores, quia ſermones eorum ſunt breves, in eorum comparatione, qui majores ideò vocantur, quia prolixa volumina condiderunt. Ex quibus eſt hic Eſaias, quem propter eadem prophetiæ tempora ſubjungo ſupradictis duobus. Eſaias ergo inter illa, quæ iniqua arguit & juſta præcepit, & peccatori populo mala futura prædixit, etiam de Chriſto & Eccleſia, hoc eſt de rege, & ea quam condidit civitate, multò plura quam cæteri prophetavit, *b* ita γ, ut à quibusdam Evangeliſta, quàm propheta potiùs diceretur. Sed propter rationem operis terminandi, unum de multis hoc loco ponam. δ Ex perſona quippe Dei patris loquens. *c* ε *Ecce,* inquit, *intelliget puer meus, & exaltabitur, & glorificabitur valde. Quemadmodum ſtupeſcent ſuper te multi, ita gloria privabitur ab hominibus ſpecies tua, & gloria tua ab hominibus: ita mirabuntur gentes multæ ſuper eum, & continebunt reges os ſuum: quoniam quibus non eſt annunciatum de eo, vivebunt: & qui non audierunt, intelligent. Domine, quis credidit auditui noſtro, & brachium domini cui revelatum eſt? Annunciabimus coram illo, ut infans, ut radix in terra ſitienti: non eſt ſpecies illi, neque gloria: & vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem: ſed ſpecies ejus ſine honore deficiens præ omnibus hominibus. Homo in plaga poſitus, & ſciens ferre infirmitatem: quoniam averſa eſt facies ejus, inhonoratus eſt, nec magni exiſtimatus eſt. Hic pecca-*

ta portat, & pro nobis dolet: & nos exiſtimavimus illum eſſe in dolore, & in plaga & in afflictione. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & infirmatus eſt propter peccata noſtra: Eruditio pacis noſtræ in eo: livore ejus nos ſanati ſumus: omnes, ut oves erravimus: homo à via ſua erravit, & dominus tradidit illum pro peccatis noſtris: & ipſe propter quod afflictus eſt, non aperuit os ſuum. Sicut ovis ad immolandum ductus eſt, & ut agnus ante eum qui ſe tondet, ſine voce: ſic non aperuit os ſuum. In humilitate judicium ejus ſublatum eſt, generationem ejus quis enarrabit? Quoniam tolletur de terra vita ejus. Ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem, & dabo malignos pro ſepultura ejus, & divites pro morte ejus: quoniam iniquitatem non fecit, d nec dolum in ore ſuo: & dominus vult purgare eum de plaga: e ζ Si dederitis pro peccato animam veſtram, videbitis ſemen longævum, & dominus vult auferre à dolore animam ejus, oſtendere illi lucem, & formare intellectum, juſtificare juſtum bene ſervientem pluribus, & peccata eorum ipſe portavit. η Propterea ipſe hereditabit plures, & fortium dividet ſpolia. propter quod tradita eſt ad mortem anima ejus: & inter iniquos æſtimatus eſt: & ipſe peccata multorum portabit, & propter peccata eorum traditus eſt. Hæc de Chriſto. θ Jam verò de Eccleſia quod ſequitur, audiamus. *Lætare ſterilis,* inquit, *quæ non paris: erumpe & clama* * *quæ non parturis: quoniam multi filii deſertæ magis, quàm ejus quæ habet virum. ι Dilata locum tabernaculi tui, f & palos caularum tuarum fine. Noli parcere, pro longa funiculos tuos, & palos tuos conforta. Adhuc in dextram & ſiniſtram partem extende, & ſemen tuum hæreditabit gentes: & civitates deſertas inhabitabis. Ne timeas, quoniam confuſa es, neque reverearis, quia exprobata es: quoniam confuſionem æternam obliviſceris, & opprobrii viduitatis tuæ non eris memor, quoniam dominus faciens te, dominus Sabaoth nomen ejus: & κ qui eruit te, ipſe Deus Iſraël univerſa terra vocabitur,* &c. Verùm iſta ſint ſatis, & in eis exponenda ſunt nonnulla. Sed ſufficere arbitror quæ ita ſunt aperta, ut etiam inimici intelligere cogantur inviti.

* al. exclama

L. Vives.

a ESaias.] *Hieronymus ad Paulam & Euſtochium, Eſaiam nobilem fuiſſe virum, ſcribit, diſertum, & urbanæ eloquentiæ, nec habentem quicquam in eloquio ruſticitatis admiſtum: nec eum tam Prophetam dicendum, quàm Evangeliſtam. Prophetavit in Hieruſalem & Judæa. Serratus eſt à Manaſſe rege Juda ſocero ſuo, ut Hebræi ferunt, ſerra lignea. Unde quod ad Hebræos undecimo de ſanctorum ſuppliciis legitur, Serrati ſunt, ad Eſaiam referri ſolet. Cauſas cur ſit occiſus, recenſet Hieronymus libro primo Commentariorum in hunc Prophetam.*

b Ita ut à quibusdam.] *A Hieronymo ad Paulam & Euſtochium, ut dixi. Videtur enim non ventura prædicere involucris & ambiguis verbis, ac obſcuritate velatis, qui mos eſt vatum, ſed apertè detectéq; præterita enarrare.*

c Ecce, inquit, intelligit puer meus.] *Hæc Eſaiæ 52 cap. quibus adduntur verba capitis ſequentis illo in loco: Domine, quis credidit auditui noſtro? & 54. Lætare ſterilis, quæ non paris. Diſcrepat interdum verſio Septuaginta, quam Auguſtinus ſequitur, & Hebraica veritas, ſed ſumma rei atque argumenti eadem eſt, de paſſione*

Chri-

Chriſti Domini. Quæ omnia perſequi, non hujus temporis eſſet, nec loci: præſertim cùm Auguſtinus ceu aperta atque manifeſta reſerare ſuperſedeat. Credo etiam, ne volumen in immenſum excreſceret.

d Nec dolus inventus eſt in ore ſuo.] *LXX habent: Quia iniquitatem non fecit, neque dolum in ore ſuo.* ὐδὲ δόλον ἐν τῷ ςόματι αὐτοῦ.

e Si dederitis.] *In LXX ſic: Si detis pro peccato, anima veſtra videbit ſemen longævum.*

f Et palos caularum.] Δέῤῥεις τῶν αὐλαίων, *pelles tabernaculorum, & vulgò legimus, ab Auguſtino indubiè ſcriptum eſt, pelles aularum vel aulearum.*

α ESaias Propheta.] *De eo ita Hieronymus epiſtola 117. de Eſaia,* Sciendum quod[F] in ſermone ſuo diſertus ſit, quippe vir nobilis, & urbanæ eloquentiæ, nihil habens quidquam in eloquio ruſticitatis admixtum. *Ibidem.* Prophetavit Eſaias in Hieruſalem & in Judæa nondum decem tribubus in captivitatem ductis, ac de utroque regno nunc commixtim, nunc ſeparatim texit oraculum; & cum interdum ad præſentem reſpiciat hiſtoriam, & poſt Babyloniæ captivitatem reditum populi ſignificet in Judæam, tamen omnis ejus cura de vocatione gentium, & de adventu Chriſti eſt. *L. Cogn.*

β Minores, quia ſermones eorum ſunt breves.] *Ruffinus in eo proœmio Oſée,* Minores (*ait*) non pro meritis, ſed pro numero verſuum nominantur.

γ Ita ut à quibuſdam Evangeliſta.] *Hieronymus loco citato;* Non tam Propheta dicendus Eſaias, quam Evangeliſta: ita enim univerſa Chriſti Eccleſiæque myſteria ad liquidum proſecutus eſt, ut non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere, *& proœmio in Eſaiam,* Sic exponam Eſaiam, ut non Prophetam, ſed Evangeliſtam & Apoſtolum doceam, *& epiſtol. 103. ad Paulinum,* Eſaias non prophetiam mihi videtur texere, ſed Evangelium, *Cyrillus oratio 1. in Eſaiam:* Mihi videtur propheta Eſaias non ſola prophetiæ gloria plurimum exornatus, ſed & decoribus Apoſtoli. Eſt enim in hoc ipſo Propheta ſimul & Apoſtolus, & in hac ſcriptione ſua habet ſermones ab Evangelicæ prædicationis ſplendore non abhorrentes.

δ Ex perſona Dei patris.] *Ita Cyrillus,* Manifeſte his verbis de omnium noſtrum ſervatore Chriſto Deus & pater loquitur.

ε *Ecce* intelliget puer meus] *Obſervat Leo de Caſtro ab his verbis initium cap. 53. veteres patres ſumpſiſſe, ut Auguſtinum hic, & libr. 1. de conſenſu Evangeliſt. cap. 31. Origenem libr. 1. contra Celſum, Juſtinum dialogo cum Tryphone, ut ſint ejuſdem ſenſus, & ille intelligatur apud Gentes exaltandus, & magnam gloriam conſecuturus, quibus per prædicationem Apoſtolicam innoteſcere debebat tanti myſterii altitudo & dignitas, qui alioquin mortem ignominioſam, quæ deinceps deſcribitur, perpeſſurus erat. Hunc etiam locum Eſaiæ citat D. Auguſtinus, & de Chriſto manifeſtè intelligendum docet lib. 1. de conſenſu Evangeliſt. cap. 31.* Nempe jam exaltatus eſt, jam glorificatus eſt vehementer. Nempe jam mirantur gentes multæ ſuper eum, & continuerunt reges os ſuum, qui adverſus Chriſtianos leges ſæviſſimas promulgabant. Nempe quibus non eſt nuntiatum de illo, jam vident, & qui non audie-

Digitized by Google

audierunt, jam intelligunt, quoniam gentes, quibus non nuntiaverunt prophetæ, magis ipſæ vident, quam vera nuntiata ſint per Prophetas, & qui non audierunt Eſaiam loquentem, jam in literis ejus, de quo iſta ſit locutus, intelligunt. *D. Hieronymus*, Gloriam *(inquit)* præmiſit reſurrectionis, exaltabitur & relevabitur & ſublimis erit valde, ut humilitate crucis reſurrectionis gloriam præveniret. Ecce intelliget, *interpretatur Cyrillus*, omnia cum intelligentia & ſapientia divina & faciet & loquetur.

ζ *Si* dederitis pro peccato animam veſtram.] *Ita legit vel etiam exponit lib. 1. de conſenſu. Evang. cap. 31.* Si dederitis vos ob delicta veſtra animam veſtram, videbitis ſemen longiſſimæ vitæ 70. *habent* ἐὰν δῶτε περὶ ἁμαρτίας ἡ ψυχὴ ἡμῶν ὄψεται σπέρμα μακρόβιον. *Ita legunt D. Hieronymus & Cyrillus*, Si detis pro peccato, anima veſtra videbit. *Hieronymus ex Hebræo tranſtulit*, Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, *id eſt. Si mortuus fuerit Chriſtus pro peccato mundi, videbit ſemen longævum. i. e. Eccleſiam ædificatam toto orbe terrarum usque ad ſæculi conſummationem permanſuram, ut idem his verbis ſignificetur, quod illis Evangelii*, Si granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert.

η *Propterea* ipſe hæreditabit plures.] *Idem lib. 1. de conſenſu Evangel. cap. 31.* Nempe jam in hæreditate poſſidet multos, & fortium partitur ſpolia cum ea, quæ diabolus & dæmones poſſidebant per Eccleſiarum ſuarum fabricas, & quoslibet neceſſarios uſus illis expulſis proditisque diſtribuit, *& lib. de Trinitate Eccleſiæ contra Donatiſt. cap. 7. urget hunc locum.* Quid eſt hæretici, quod de paucitate gloriamini, ſi propterea dominus noſter ideo traditus eſt ad mortem, ut multos hæreditate poſſideret. *Tertullianus lib. contra Judæos cap. 10. & lib. 3. contra Marcionem cap. 19. eodem modo interpretatur, quod morte ſua Chriſtus meruerit converſionem tot gentium, & quod ob injuriam paſſionis hoc ſit Chriſto tributum, ut multas gentes hereditate acceperit. Eodem ferè modo Euſebius lib. 3. de demonſtrat. Evang. cap. 2.*

θ *Jam* vero de Eccleſia quod ſequitur audiamus.] *Idem lib. 1. de conſenſ. Evang. cap. 31. & lib. de unita. Eccleſiæ cap. 7. hæc ita explanat, ut ſuperioribus cohæreat. Nam ſuperiori cap. paſſionem Chriſti deſcripſit Propheta, hoc verò fructum paſſionis Chriſti, qui fuit quod toto orbe progagata eſt Eccleſia, ita dicit ſterilem & deſertam, quæ virum non habebat, quo nomine Eccleſiam Gentium intelligit, quæ tum non habebat legem, quæque adhuc fide Chriſto non erat deſponſata, longè plures habituram filios, quam ipſam Synagogam*, Dicitur, *ait Auguſtinus*, plures filios deſertæ futuros quam ejus, quæ habet virum cum viri nomine ſignificata eſt lex vel Rex, quem accepit primus populus Iſrael, nec acceperant Gentes legem eo tempore, quo Propheta loquebatur, neque rex Chriſtianorum apparuerat adhuc Gentibus, ex quibus tamen longè fertilior & numeroſior ſanctorum multitudo provenit. *Hunc locum citat B. Apoſtolus ad Galat. 4. juxta tranſlationem 70. In quem locum Chryſoſtomus.* Quæ igitur, *inquit*, ſterilis & deſerta? an non perſpicuum eſt hanc eſſe Eccleſiam è gentibus, quæ ante hac Dei cognitione fuit privata? & Synago-

ga

abuit virum, plures tamen filii deſertæ quam ejus, quæ habuit virum, quod
agoga habuit tantum unam Gentem, Eccleſia è Gentibus, quæ olim erat ſte-
habuit Perſas, Græcos, Medos, habuit univerſum orbem.

Dilata locum tabernaculi.] *Hæc de Eccleſia toto orbe diffuſa interpretatur et-
lib. 1. de conſen. Evang. cap. 32. & lib. de unitate Eccleſiæ cap. 7. & Euſebius lib.
demonſt. Evang. cap. 2.*

Qui eruit te Deus, univerſæ terræ.] *Libro de unitate Eccleſiæ. c. 7.* Ecce quo-
e Eccleſia juſſa eſt extendere funiculos ſuos, donec Deus Iſrael univerſæ ter-
ocetur. i. e. donec Eccleſia toto orbe diffundatur. *Eundem locum citat lib. 1.
nſen. Evang. c. 14. & c. 32.* Quia ſcilicet id per Chriſtum ſit impletum, per
n innotuit toti orbi terrarum verus Deus, qui ſoli populo Iſrael innotuerat
itio. *Ita etiam Cyrillus & Procopius.*

Cap. XXX.

e Michæas, & Jonas, & Johel novo teſtamento congruentia prophetaverint.

Ichæas Propheta Chriſtum in figura ponens cujuſdam magni montis hæc Mich. 4
loquitur: *a α Erit in noviſſimis diebus manifeſtus mons Domini, præparatus* Eſ. 2.
*vertices montium, & exaltabitur ſuper colles: & feſtinabunt ad eum plebes,
ntes multæ ibunt, & dicent: Venite, aſcendamus in montem Domini, & in do-
Dei Jacob; & oſtendet nobis viam ſuam, & ibimus in ſemitis ejus: quia ex Sion
det lex, & verbum Domini ex Hieruſalem: & judicabit inter plebes multas, &
guet gentes potentes uſque in longinquum.* Prædicens iſte Propheta & lo-
in quo natus eſt Chriſtus: *Et b β tu,* inquit, *Bethlehem domus c Ephrata ne-* Mich 5.
*iam minima es, d ut ſis in millibus Juda: e ex te mihi prodiet dux, ut ſit in
pem Iſrael: & γ egreſſus ab initio, f & ex diebus æternitatis, propterea da-
s uſque ad tempus, g quo parturiens pariet, h & reſidui fratres ejus conver-
r ad filios Iſrael: & i ſtabit, & videbit, & paſcet gregem ſuum in virtute Do-
& in honore nominis Domini Dei ſui erunt: quoniam nunc magnificabitur
ad ſummum terræ. k δ* Jonas autem Propheta, non tam ſermone Chri- Iona 2.
quàm ſua quadam paſſione prophetavit, profectò apertius, quàm ſi ejus
em & reſurrectionem voce clamaret. Ut quid enim exceptus eſt ventre
no, & die tertio redditus, niſi ut ſignificaret Chriſtum de profundo inferni
rtio rediturum: Joel autem omnia, quæ prophetat, multis verbis compel-
oni ut quæ pertinent ad Chriſtum & Eccleſiam eluceſcant. ε Unum ta- Act. 2.
quod *l* etiam Apoſtoli commemoraverunt, quando in congregatos cre-
s Spiritus ſanctus, ſicut à Chriſto promiſſus fuerat, deſuper venit, non præ-
tam. *Et erit,* inquit, *poſt hæc, & effundam de ſpiritu meo ſuper omnem car-* Ioel. 2.
*& prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: & ſeniores veſtri ſomnia ſomnia-
& juvenes veſtri viſiones videbunt: & quidem in ſervos meos & ancillas meas
diebus effundam de ſpiritu meo.*

a Erit

L. Vives. a ERit in noviſſimis.] *Eadem etiam verba ſunt Eſaiæ 2.*

b Et tu, inquit, Bethleem.] *Sic LXX. ut Auguſtinus hic,* καὶ σὺ Βηθλεὲμ ὁ οἶκος Ἐφραθᾶ ὀλιγοστὸς εἰς τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσι ἰούδα. ἐκ σοῦ μοὶ ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ ἰσραήλ. *In Hebræo verò Hieronymo interprete, hoc modo: Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda. Ex te mihi egreditur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio æternitatis. Matthæus cap. 2. Evangelii reſpondiſſe narrat pontifices & ſcribas Herodi quærenti patriam Meſſiæ:* καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν ἰούδα· ἐκ σοῦ γάρ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν ἰσραήλ. *Et tu Bethleem terra Juda nequaquam es minima in principibus Juda: ex te enim mihi prodibit, qui regat populum meum Iſraelem. Hieronymus lib. 2. in Michæam, dictum hoc Matthæi, nec cum Septuaginta, nec cum Hebræis ait congruere. Cujus quæſtionis exitum vir ſanctus, quum non inveniret, eò delabitur, ut aut non è libro petiiſſe Apoſtolos teſtimonia, ſed è memoria, quæ nonnunquam fallitur, aut hunc locum ſic Matthæum adduxiſſe ajat, quemodo eſt ab ſcribis & pontificibus Herodi reſponſum, ut illorum in ſacris literis oſtenderet negligentiam. Primam autem illam reſponſionem, non ex ſua ſententia ponit, ſed aliorum: & durum profectò videatur concedere, contrarium ſenſum eſſe redditum ab Apoſtolo: quod, ubi non refert ejus utercunque ſit, nec Porphyrius, nec Celſus credat: diverſum verò modò ſumma in idem propè recidat, tolerabile etiam nobis videretur. Sacerdotes verò ita reſpondiſſe, conjectura eſt parum firma: non quod fieri ab ſcriptoribus, pragmaticis præcipuè, ſit inſuetum, ut imperitum quid, & ineptum, & frigidum dicant, dum ad verum conantur aſſumptam perſonam referre. Cujusmodi ſunt apud Terentium & Plautum haud ſane pauca, etiam in Bucolicis Vergilii & Theocriti. Cæterùm priusquam hujusmodi error Evangeliſtæ imò Spiritui Dei impingatur, quod religioſorum hominum aures exhorrent, valeat ſanè illa conjectura, aut alia quævis imbecillior, dum major ingeniorum noſtrorum imbecillitas eruere verius quicquam & certius nequit. Quod ſi & nobis quoque poſt Hieronymum heroa in ſacris tractandis literis tantum aliquid ſuſpicari permittitur, ut donemus & Septuaginta, & in Hebræo, Prophetam ſcripſiſſe abſque negatione, & Evangeliſtam cum negatione: nam vel hujus, vel illius contrarium contigiſſe poteſt, etiamnum non modò non pugnant Propheta & Evangeliſta, ſed maximè conſentiunt, ſi prophetæ verba per interrogationem legantur. Erit enim prophetæ mens. Quid tu Bethlehem exiguus es? non es certè: quippe ex quo prodibit princeps recturus populum meum Iſraelem. Hoc dictum per interrogationem majorem habet vim, & propheticis illis ardentibus affectibus congruentiorem, quàm ſimpliciter. Quod ſchema prophetis eſt haud ſanè rarum, & ſunt ejus ſexcenta exempla. At à ſacerdotibus & Evangeliſta narrante omittenda fuit figura, & ſenſus tamen reddendus nudus ac ſimplex. Poteſt & hic alter eſſe ſenſus, ut propheta parvam quidem dixerit eſſe Bethleem, ſed ingentem magnitudinem inde naſciturum: nempe æternum ducem Iſraelitici populi, non carnalis, ſed dominici, ita ut ex infirmitate naſci videatur potentia, & ex humilitate ſublimitas. Verùm tanti filii magnitudo non amplius ſinit natale ſuum ſolum exiguum cenſeri, ut etiam propheta amplitudinem illius, quam animo con-*

mo concipiebat, in exiguitate, quam oculis habebat ſubjectam, veneraretur. Quocirca ſacerdotes & ſcribæ, quaſi ſenſum interpretantes magnum dixerunt, aut certè non parvulum Meſſiæ tanti regis patriam, quod ipſi potius in reſponſo ſpectarent, quàm oppiduli poſitum: ſenſusq; illorum à ſenſu prophetæ nihil abhorrebat: utrique enim maximam judicarunt urbem non muris atque ædificiis, de quo non agebatur, ſed partu, de quo quærebatur. Jam cætera ſunt faciliora.

c Ephrata.] Regio eſt, in qua Bethleem civitas Juda, in tribu Juda, quod nomen utpote priſcum, & minus ad vulgum notum, ſacerdotes prætermiſerunt, quum Herodi alienigenæ loquerentur, ſubjecto quod notus erat Juda. Tum, nec intereſſe prophetæ exiſtimabat Evangeliſta, vel Judam dicere, vel Ephratam, ceu quis Romam Latii, & alius Romam Italiæ dicat. Atque obiter ſubmonebat, de Juda eſſe Dominum noſtrum. Eſt etiam altera Bethleem in Galilea, ut ſcribitur in libro Jeſu Nave. Adnotavit Hieronymus apud Matthæum, pro Juda, ſcriptum fuiſſe Judææ, librarii vitio. Nam non eſt alibi Bethleem, quàm in Judæa. Ea enim quæſita eſt in Galilæa, nihilominus eſt Judææ: nempe Galilæa & ipſa Judææ parte. Simile forſan mendum paulò poſt: Verùm cùm audiſſet Archelaum regnare in Judæa, pro in Juda, niſi quod procedente tempore poſt reditum ex Babylone Judææ nomen veteres fines non ſervavit, maximè apud gentiles, & coarctatum eſt indies ad regionem Hieroſolymis vicinam, ubi templum & principum ſedes. Ephrata.

d Ut ſis in millibus Juda.] Hoc ad eandem interrogationis emphaſim ſpectat: an verò minima es? Etiam ſi diis placet in millibus oppidorum pagorumq; Juda? non eſt, ne inter metropoles quidem & urbes, quæ aliis principes & duces ſunt. Atque hunc ſenſum expreſſit Evangeliſta.

e Ex te mihi prodiet dux.] In codice Brugenſi non eſt dux, nec in LXX. apud Hier. apud Evan. eſt dux, quod de ſententia nihil variat.

f Ab initio.] Hoc dicto mortales omnes à ſenſu vaticinii hujus excluduntur, ac ſolus eo clauditur, qui immortalis & æternus eſt Dei filius Chriſtus Jeſus, coæternus & æqualis Patri, cui à Patre in illo ſine ullis exordiis finibusq; dicitur die: Filius meus es tu, ergò hodiè genui te.

g Dabit eos uſque ad tempus, quo parturiens pariet.] Sinet populum gentilem regnare quoad ſterilis gentilis, ſed conata aliquid edere enitetur tandem, & gratulantes dicentes: Lætare ſterilis, quæ non paris. LXX. tamen verterunt, Uſque ad tempus parturientis: pariet. Et ſic eſt in veteribus codicibus Auguſtini.

h Et reſidui frat.] Gentilis populus frater Iſraelitici, ſeu ex patre Abraham ſpiritualiter quum ad meliorem mentem convertentur, ſive ex Adam, ſive ex Deo, per quem genus humanum ſanguine inter ſe totum devinctum eſt, atque adeò germanitate quadam Gentes ergo id credent, quod veri Iſraelitæ, quibus venturus erat Chriſtus promiſſus.

i Et ſtabit, & videbit, & paſcet.] Hic erit quies, hic ſtatio, tum oves ſuas ſpectabit Dominus: & præſentes intuens paſcet eas bonus ille paſtor, non quovis pabulo, ſed virtute domini.

k Jonas autem Propheta.] Hic à nautis in mare ejectus, velut hoſtia piacularis

ventis & tempeſtati, exceptus eſt hiatu ceti, inq; ejus utero tribus diebus, ceu in cubiculo adſervatus, tertio die littori redditus eſt: Jonæ ſecundo, expreſſiſſima ſepulti & reſurgentis Domini imago, quam ipſe importunis Judæis, & ſignum aliquod efflagitantibus, pro certiſſimo ac manifeſtiſſimo ſigno objecit. Matth. 12.

l Quod etiam Apoſtoli commemoraverunt.] *Actuum 2.*

F.L.Cap. α ERit in noviſſimis diebus manifeſtus mons domini.] *Eandem habes Prophetiam & iiſdem verbis Eſaiæ 2. vaticinatur uterque gentes magna cum alacritate ad Chriſtum convertendas. Montem hunc Auguſtinus hic & in oratione, adverſus Judæos c. 7. Chriſtum interpretatur, ut etiam Hieronymus in cap. 2 Eſaiæ & 4. Michææ, ut etiam Tertullianus lib. contra Judæos cap. 3. & lib. 3. cont. Marcionem cap. 21 & Galatinus lib. 5. c. 3. montem illum Meſſiam intellexiſſe aliquot Hebræos refert. Eſt certè Chriſtus in vertice omnium montium & elevatur ſuper omnes colles, quia præſtantior Moſe, Patriarchis ac Prophetis, Gregorius lib. 33. moral. cap. 1.* Mons eſt in vertice montium incarnatus dominus tranſcendens celſitudinem Prophetarum, Ille caput omnis principatus, caput ſuper omnem Eccleſiam, in quo uno ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi, in quo ſolo plenitudo gratiæ, & de cujus plenitudine nos omnes accipimus. *Alii montem illum Eccleſiam interpretantur, quæ poſita eſt in vertice montium, & elevata ſuper omnes colles, quoniam ejus doctrina tam quæ ad fidem, quam quæ ad mores ſpectat, altior eſt omni humana ſapientia, & altitudine ſua longè ſuperat quicquid altum apud omnes videtur. Ita Origenes lib. 5. contra Celſum, ubi explicat quomodo Eccleſia ſit ſuper omnes colles, & in vertice montium. Ita etiam interpretatur Chryſoſtomus in Eſaiam & in demonſtratione quod Chriſtus ſit Deus, Cyrillus Hieroſolymit. catech. myſtag. 3. quæ interpretatio magis Riberæ probatur. Verùm montem illum rectiſſimè utrumque intelligimus, & Chriſtus ipſe mons, & Eccleſia mons. & qui convertitur ad Chriſtum, convertitur ad Eccleſiam, atque ita vice verſa nemo ad Eccleſiam pertinere ullo modo poteſt, qui non ſit & Chriſti. Neque enim Chriſtus ſine Eccleſia, cujus caput eſt, neque Eccleſia ſine Chriſto, cujus eſt corpus. Ex hac prophetia Eſaiæ & Michææ aliquot congerunt argumenta Hebræi, quibus oſtendere conantur Chriſtum non eſſe Meſſiam, quæ refert Galatinus lib. 5. aliquot capitibus, in quibus referendis & refellendis non eſt quod immoremur.*

β Et tu Bethlehem domus Ephrata.] *Juxta translationem 70. ita cum Auguſtino nonnulli citant hoc teſtimonium, ut Origenes lib. 1. contra Celſum ſub finem, Euſebius lib. 6. demonſtrat. Evan. cap. 13. Theodoretus ita legit* καὶ σὺ Βηθλεὲμ οἶκος Ἐφραθὰ ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. *Judæi ut refert Theodoretus in c. 4. Michææ, & Chryſoſtomus in c. 2. Matthæi, Theophylactus & Euthymius, de Zorobabele interpretantur, qui fuit dux redeuntium Hieruſalem è captivitate Babylonica; quantum vero delirent ex verbis Prophetæ conſtat. Loquitur enim de duce naſcituro in Bethleem, at Zorobabel tempore captivitatis natus eſt Babylone; neque quæ ſequuntur, in Zorobabelem quadrare ullo modo poſſunt,* quod egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis; *Et inter veteres Hebræos conſtabat omnium conſenſu hæc non de alio quam de Meſſia intelligi, & Matth. 2. interrogati ab Herode principes ſacerdotum*

&

& ſcriba populi, ubi Chriſtus naſceretur, reſponderunt in Bethleem Judæ; *& cita-*
runt hunc prophetam. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam, & tu Bethleem ter-
ra Juda, *&c. Ubi tamen videtur diſcrepantia aliqua* inter Prophetam, *& Evange-*
liſtam. Primum ubi Propheta ait, & tu Bethleem Ephrata, *ipſe retulit*, & tu
Bethleem terra Juda, *Secundo cum Propheta dicat*, parvulus es, ut ſis in millibus
Juda, *Evangeliſta ſcripſit*, nequaquam minime es in principibus Juda. *Tertio ubi*
Propheta ait, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, *Evangeliſta ſcri-*
pſit, Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael. *Facile tamen erit o-*
ſtendere etſi in verbis nonnihil videantur diſcrepare, in ſenſu tamen omnino conveni-
re. Et quidem ad primum cum duplex eſſet Bethleem, altera in tribu Iuda, de qua
Judic. 19 & 1. Reg. 17. altera in tribu Zabulon, de qua Ioſ. 19. addit Propheta neceſſa-
rio Ephrata, ut oſtenderet ſe de illa loqui, quæ erat in tribu Iuda; Sex milliaribus tan-
tum ab Hieruſalem diſtans, in qua natus eſt David, & naſciturus erat Chriſtus, &
quæ olim dicta eſt Ephrata Gen. 35. & 48. mortua eſt Rachel, & ſepulta eſt in via,
quæ ducit Ephratam. Hæc eſt Bethleem; *cum vero Matthæus retulit prophetiam*
his verbis, Et tu Bethleem terra Juda, *idem eſt ac ſi diceret*, Et tu Bethleem Ephrata.
i. e. quæ es in terra Iuda & cognominaris Ephrata D. Hieronym. in epitaphio Paulæ;
Salve Bethleem domus panis, in qua natus eſt ille panis, qui cœlo deſcendit, ſal-
ve Ephrata regio uberrima atque καρποφόρε, cujus fertilitas Deus eſt. De te
quondam Michæas vaticinatus eſt, Et tu Bethleem domus Ephrata non minima
es in millibus Judæ. *Quoad ſecundum, ita nonnulli conciliant, quod parvula eſſet*
Bethleem, ut eam nominavit Propheta, ſi murorũ ambitum & civium numerum con-
ſideremus; ſed revera magna, quod in ea maximus Rex & dux, Chriſtus nempe, naſci-
turus eſſet, ideoque Evangeliſtam dixiſſe, nequaquam minima es. *Ita Chryſoſtomus,*
Theophil. Euthymius in cap. 2. Matthæi, Canus lib. 2. de locis cap. 14. Ianſenius in
concord. cap. 9. Ribera huic difficultati inter cæteros optime ſatisfacit in commenta-
riis ad cap. 5. Michea, reſpondet enim verba Prophetæ cum interrogatione eſſe legen-
da, & tu Bethleem parvulus ne es ut ſis in millibus Juda? *non ſane:* Ex te enim mi-
hi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, *& hoc Evangeliſta declaravit, cum di-*
xit, nequaquam minima es, *atque id confirmat ex modo loquendi ſcripturæ pluri-*
mis in locis. Sic igitur ſi verba Prophetæ interrogando dicantur, conſentiunt omni-
no cum verbis Evangeliſtæ. Quod ait Propheta, parvulus es, *& Evangeliſta*, ne-
quaquam minima es, *diſcrepantia verborum, non ſenſus. Scriptura enim loquitur,*
quando de urbibus, ac ſi homines eſſent aut mulieres. Amos 5. Virgo Iſrael pro-
jecta eſt in terram, *& Ezechielis 16. dicitur Hieruſalem*, Soror tua major Samaria.
Itaque de Bethleem Propheta loquitur, quaſi de homine adoleſcentulo, qui non ſit in-
ter minores honorandus & numerandus; at Evangeliſta apertius quaſi de urbe locu-
tus eſt, Nequaquam minima es, *quod ſcripſit propheta* in millibus Judæ, *& Evan-*
geliſta in principibus Juda. *Certe nomen* אלפים *utrumque ſignificat &* duces *&*
millia, voluit autem Propheta per mille *intelligere magnum quendam numerum, ve-*
rum cujus rei illa eſſet multitudo, minime indicaverat, quod Evangeliſta expoſuit di-
cens, In principibus Juda. *Principes vocans nobiliores urbes ut hic ſit ſenſus.* O Beth-

leem Ephrata parvula ne urbs es, ut numereris inter tã multas urbes, quæ ſunt in tribu Juda? non ſane, ſed omnium maxima & nobiliſſima, *cujus cauſa redditur,* quod naſciturus in ea eſſet Meſſias, ex te mihi egredietur. *Quoad tertium nulla eſt diſcrepantia, propheta dixit* מושל dominator 70. ἄρχων. dux: *atque dominator & dux eodem accedunt, & utroque regia Chriſti dignitas exprimitur, qui debebat ita dominari, ut tamen regeret more Paſtoris & præterea interno affectu potius quam dominorum more ſervos in ſe gereret.*

γ Egreſſus ejus ab initio & ex diebus æternitatis.] *Manifeſtè generationem Chriſti æternam ſignificat, ut utramque naturam & nativitatem Chriſti expreſſerit in hac Prophetia. Natus enim ille in Bethleem ex tempore naturam aſſumens humanam, egreſſus eſt præterea à patre ab æterno. Hoc teſtimonio utitur Euſebius lib. 7. de Demonſtr. Evang. cap. 2. ad probandam æternam Chriſti generationem & divinitatem, & Chryſoſtomus in demonſtrat. quod Chriſtus ſit Deus, hoc citans teſtimonium,* en divinitatem, *inquit,* & humanitatem indicat. Nam cum dicit, & exitus ejus ab initio, & à diebus ſæculi, ſubſtantiam declaravit, quæ ante ſæcula fuit. Cum autem dicit, egredietur dux, qui reget populum meum Iſrael nativitatem ſecundum carnem docet. *Cyrillus l. 2. de Trinit. & l. de recta fide ad Theodoſium, & homilia 4. contra Neſtorium, illud idem citat.* Hæc verba quæ Chriſti divinitatem & æternitatem apertiſſime loquuntur, Evangeliſtam videmus præteriiſſe, quia ad rem non faciebant, cum non quis quantuſque Chriſtus foret, ſed ubi naſci deberet, quæreretur.

δ Jonas propheta non tam ſermone Chriſtum.] *Jonas typus eſt ſalvatoris, & tribus diebus ac noctib. in ventre ceti commoratus, præfiguravit Domini reſurrectionem, ita etiam expoſuit allegoriam Chriſtus Matthæi 12.* Sicut fuit Jonas. *Ita enim in ſcriptura ſacra res non minus ſignificant quam voces, & quemadmodũ ſenſus literalis ſumitur ex ſignificatione vocum ita myſticus ex ſignificatione rerum. Hiſtoriam hanc Jonæ velut quid ἀπίθανον, & incredibile Pagani irridebant, ut author eſt D. Aug. epiſt. 49. ad Deograt. quæſt. 6. quibus ita reſpondet,* quod aut omnia divina miracula non ſint, aut hoc cur non credatur cauſa nulla ſit. In ipſum autem quod die tertio reſurrexerit, non crederemus, ſi fides Chriſtianorum cachinnum metueret Paganorum. *Ibidem.* Si movent ad fidem, quæ figurate tantum dicta, non facta ſunt, quanto magis movere debent, quæ figurate non tantum dicta, ſed facta ſunt? Nam ſicut humana conſuetudo verbis, ita divina etiam potentia factis loquitur, & ſicut ſermoni humano verba nova, vel minus uſitata moderatè ac decenter aſperſa ſplendorem addunt, ita in factis mirabilibus congruenter aliquid ſignificantibus, quodammodo luculentior eſt divina eloquentia.

ε Unum tamen quod etiam Apoſtoli commemorarũt.] *Cum repente variis linguis loquerentur Apoſtoli, & quidam mirarentur, alii verò irriderent dicentes, quia muſto pleni ſunt iſti, ſtans Petrus cum undecim levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis Act. 2.* Viri Judæi & qui habitatis Hieruſalem univerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt cum ſit hora diei tertia, ſed hoc eſt quod dictum eſt per prophetam Joel, & erit in noviſſimis

viſſimis diebus dicit dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. *Unde conſtat expoſitore etiam Petro principe Apoſtolorum, hanc prophetiam impletã eſſe Spiritu ſancto miſſo in Apoſtolos in die Pentecoſtes. Omnes etiam patres ita exponunt, Hieronymus, Theodoretus, Juſtinus Martyr Dialogo cum Tryphone, Hilarius lib. 8. de Trinit. Chryſoſtomus hom. 4. in acta Apoſtol. & homil. 5. & homil. 1. in epiſt. ad Epheſ. Unde non immerito Ribera velut audacem & Judaicam reprehendit interpretationem Ruffini, qui hæc omnia retulerit ad tempora Ezechiæ. Quomodo enim oſtendi poterit tum effuſum eſſe Spiritum ſanctum ſuper omnem carnem? Ubi Prophetiæ filiorum & filiarum? Ubi ſomnia ſenum & viſiones juvenum? quis fidelior interpres & magis intelligens ſcripturarum ipſo Petro, & Apoſtolis, qui à Deo ipſo arcana divina & reconditos ſcripturarum ſenſus edocti ſunt? quos à Deo doctos vocat Eſaias? Et patet ex ipſo contextu verborum. Locutus enim Propheta de Chriſti adventu atque doctrina recte ait* poſt hæc. *i. e. paulo poſt, cum in cælum aſcenderit, quod Petrus dixit,* in noviſſimis diebus. *i. e. poſterioribus ac conſequentibus effundam. Atqui Rabi David & Rabi Jeſu ad tempora Meſſiæ retulerunt, & etiam Rabenu Haccados, qui longe ante Chriſtum natum fuit, in libro, qui revelator arcanorum inſcribitur referente Galatino lib. 8. cap. 25.*

Cap. XXXI.

Quæ in Abdia, in Naum, & Abacuc de ſalute mundi in Chriſto pronunciata reperiantur.

TRes Prophetæ de minoribus, *a* α Abdias, *b* β Naum, *c* & γ Abacuc, nec ſua tempora dicunt ipſi, nec in Chronicis Euſebii & Hieronymi, quando prophetaverint, invenitur. *d* δ Abdias enim poſitus eſt quidem ab eis cum Michæa, ſed non eo loco, ubi notantur tempora, quando Michæam prophetaſſe, ex ejus literis conſtat: *e* ε quod errore negligenter deſcribentium labores alienos, exiſtimo contigiſſe. Duos verò alios commemoratos in codicibus Chronicorum, quos habuimus, non potuimus invenire: tamen quia canone continentur, nec ipſi oportet, prætereantur à nobis. Abdias quantum ad ſcripturam ejus attinet, ζ omnium breviſſimus prophetarum *f* η adverſus Idumæam gentem loquitur, ſcilicet Eſau unius ex duobus geminis, filiis Iſaac nepotibus Abrahæ, majoris illius reprobati. Porrò, ſi Idumæam modo locutionis, quo intelligitur à parte totum, accipiamus *g* θ poſitam eſſe pro gentibus: de Chriſto noſcere poſſumus, quod ait inter cætera: *In montem autem Sion erit ſalus, & erit ſanctum.* Et paulò poſt in fine ipſius prophetiæ. *Et aſcendent*, inquit, *reſalvati* ι *ex monte Sion: ut defendant montem Eſau, & erit domino regnum.* Apparet quippe, id eſſe completum, *h* cùm reſalvati ex monte Sion, id eſt, ex Judæa credentes in Chriſtum, qui præcipuè agnoſcuntur Apoſtoli, aſcenderunt, ut defenderent montem Eſau. Quomodo defenderunt, niſi per Evangelii prædicationem, ſalvos faciendo eos, qui crediderunt, ut eruerentur de poteſtate tenebrarum, & transferrentur in regnum Dei? Quod conſequenter expreſſit addendo: *Et erit Domino regnum.* Mons enim Sion, Judæam ſignificat, ubi futura

prædicta eſt ſalus, & ſanctum, quod eſt Chriſtus Jeſus. *i* Mons verò Eſau Idumæa eſt, per quam ſignificata eſt Eccleſia gentium, quam defenderunt, ſicut expoſui, reſalvati ex monte Sion, ut eſſet Domino regnum. *x* Hoc obſcurum erat, antequam fieret: ſed factum, quis non fidelis agnoſcat? Naum verò Propheta, imò per illum Deus, *Exterminabo*, inquit, *ſculptilia & conſlatilia: ponam ſepulturam tuam: k λ quia ecce veloces ſuper montes pedes evangelizantis & annunciantis pacem. Celebra Juda dies feſtos tuos, redde vota tua: quia jam non adjicient ultra, ut tranſeant in vetuſtatem: conſummatum eſt, conſumptum eſt. Aſcendit, qui inſufflat in faciem tuam, eripiens ex tribulatione.* Quis aſcenderit ab inferis, & inſufflaverit in faciem Judæ, hoc eſt, Judæorum diſcipulorum, Spiritum recolat ſanctum, qui meminit Evangelium. Ad novum enim teſtamentum pertinent, quorum dies feſti ita ſpiritaliter innovantur, ut in vetuſtatem tranſire non poſſint. Porrò per Evangelium exterminata ſculptilia & conflatilia, id eſt, idola deorum falſorum, & oblivioni tanquam ſepulturæ tradita jam videmus: & hanc etiam in hac re prophetiam completam eſſe cognoſcimus, Abacuc, de quo alio quàm de Chriſti adventu, qui futurus erat, intelligitur dicere: *Et reſpondit Dominus ad me, & dixit, Scribe viſum apertè in buxo: ut aſſequatur, qui legit ea: quia adhuc viſio ad tempus, & orietur in fine, & non in vacuum ibit: ſi tardaverit, ſuſtine eum: quia veniens veniet, & non morabitur.*

Naum 1. Hab. 2.

L. Vives. Abdias. *a* Abdias.] *Hieronymus ſuper hoc propheta: Hunc, inquit, eſſe ajunt Hebræi, qui ſub Rege Samariæ Achab, & impiiſſima Iezabel pavit centum prophetas in ſpecubus, qui non curvaverunt genu ante Baal, & de ſeptem millibus erant, quos Helias arguitur ignoraſſe, ſepulchrumque ejus uſque hodie cum Mauſoleo Heliſæi prophetæ, & Baptiſtæ Ioannis in Sebaſta venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur: hic igitur, quia centum prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus fit dux eccleſiæ. Hæc ille. Fuit ergo vetuſtior quovis ſuperiorum ætate Ioſaphat regis Iuda, rege Latinorum Tiberio.*

Naum. *b* Naum.] *Ioſephus libro nono, Naum ſcribit fuiſſe temporibus Ioathan regis Iudæ.*

Abacuc. *c* Abacuc.] *Hujus propheta fit mentio Danielis 14. quòd prandium ſuum ex Iuda Babylonem tulerit ad Danielem: quo teſtimonio ad probationem temporum Auguſt. non eſt uſus: quòd ea Beli hiſtoria, & totum xiiij. caput cum hiſtoria Suſannæ apocripha ſint, nec in Hebræo habeantur, nec ſint verſa à LXX. ſenibus. Porrò Abacuc vaticinatus eſt, ut Hieronymus inquit, quum jam Iuda & Benjamin in captivitatem iiſſent à Nabucodroſoro ducta, in quam & Babylonem, diriguntur vaticinia Abacuc.*

Abdias. *d* Abdias enim poſitus eſt quidem ab eis.] *Hic locus non caret mendo, etſi ſenſus non ſit difficilis. Significat enim Auguſtinus non eo loco eſſe ab illis poſitum Michæam, quo rectè ejus notentur tempora. Abdiam Euſebius Michæa conjungit, regno Ioſaphat. De Abdia rectè de Michæa verò contra ſuum Michææ ipſius teſtimonium, quod Auguſtinus annotavit. Quippe Michæas ſe viſionem vidiſſe perhibet ſub regibus Ioathan Achas & Ezechia, multò poſterioribus Ioſaphat.*

e Quod

e Quod errore.] *In eo Euſebii opere, ut ſi in quo alio, tales errores ſunt creberrimi, haud parvo periculo legentium, etiam interdum eruditorum.*

f Adverſus Idumæam.] *Idumaam Plin. ſtatim poſt Arabiam ſubjicit, Palaſtina proximam. Sic etiam Joſephus & Hieronymus Nabathaos etiam hos vocant Graci Latiniq; ſcriptores, qui Petram urbem dicuntur incolere. Hieronymus circa Petram Idumaam eſſe ait. Nominata eſt ab Eſau, qui & Edom vocatus eſt, quaſi ruffus, vel ex pulmento, quòd primogenituram vendidit, colore, ut ſcribit Joſephus, rubeo: vel quod veriſimilius, & haud dubiè verius eſt, ex corporis habitu, ut ſacra docent litera.*

g Poſitam eſſe.] *Non eſt Idumaa ex Iſrael, etſi propinquitate teneantur, utpote populi ex duobus geminis progeniti: tamen adverſaria eſt Idumaa terra promiſſionis: & ejus nomine Judai. Romanos intelligunt. Eſtque Idumaa, caro, qua pugnat adverſus ſpiritum.*

h Quam ſalvati ex monte Sion.] *In antiquis libris legitur reſalvati,* ἀνασωζόμενοι.

i Mons verò Eſau.] *Seir vocantur montes Idumaa, ut Joſephus & Hieronymus, ſed & Jeſu Nave 24. docet. Seir dicitur, id eſt, hiſpidus & piloſus, nam talis Eſau.*

k Quia ecce.] *In LXX. ex Hieronymo habetur: Ponam ſepulchrum tuum, quia inhonoratus es, ecce ſuper montes. In Graco ſic habet codex quidem meus:* καὶ θήσομαι ταφήν σου, ὅτι ταχεῖ ἰδοὺ ἐπὶ τὰ ὄρη οἱ πόδες εὐαγγελιζομένου καὶ ἀπαγγέλλοντος εἰρήνην. *Et ponam ſepulchrum tuum, quia veloces ecce ſuper montes evangelizantis, annunciantis pacem. Paulus ad Rom. 10. non hinc ſumpſit prophetiam, ſed ex Eſaia 2.*

a Abdias] *D. Hieronymus refert ex traditione Hebraorum hunc eſſe, qui ſub rege Samaria Achab, & impia Iezabele paverit centum Prophetas in ſpecubus 3. Reg. 18. In ea ſententia eſt etiam Lyranus in principio Abdia, atque hanc eſſe ſententiam doctorum Hebraorum & Latinorum teſtatur. Certe eam ſequi videtur D. Hieronymus initio comment. Abdia & in epitaphio Paula ad Euſtochium, & Epiphanius lib. de vita & interitu Prophetarum cap. 44. ſcribunt fuiſſe illum tertium quinquagenarium militem miſſum ab Ochozia 4. Reg. 1. cui pepercit Elias, quique poſtmodum illi adhaſit, & prophetico ſpiritu donatus eſt, ex quo fit eum multo antiquiorem fuiſſe Hoſea & Eſaia, qui ſub regib. poſterioribus ipſis Achab & Ochozia prophetarunt. Hæc Hebraorum traditio non adeo magni facienda eſt, ut recedamus à regula D. Hieronymi, cujus ſuperius meminimus, Prophetam qui tempus prophetia ſua non indicat, ad tempus prophetia pracedentis pertinere, & D. Hieronymus ipſe non ex propria ſententia aſſeruit hunc fuiſſe temporibus Achab vel Ochoſia, ſed retulit Hebraorum traditionem. Imo initio comment. in Oſeam dicit prophetante Oſee, Eſaia & Joel & Amos, & Abdia & Jona & Michaa, qui* σύγχρονοι *i.e.* Contemporanei, *fuerunt, regnum decem tribuum eſſe finitum, Ergo exiſtimavit hunc Prophetam longe poſteriorem fuiſſe regibus Achab & Ochozia, quod probari videtur etiam ex ipſis Propheta verbis,* Auditum audivimus à Domino, *Quibus verbis non ſe ſolum juſſum eſſe prophetare contra Idumaos docet, ſed alios etiam ſui temporis Prophe-* F.L.C.

Digitized by Google

Prophetas, utpote Eſaiam & Amos, quorum hic cap. 1. ille cap. 21 & 24. contra Idumæos vaticinantur. Non enim dicitur, audivimus, aut quid ſimile apud Hebræos, niſi ſint plures. Hoc argumento utitur Ribera prælud. 2. in expoſit. 12. Prophetarum.

β Nahum.] *Hieronymus in prologo Nahum, & Theodoretus in prologo. 12. prophetarum, & Epiphanius lib. de vita & interitu Prophetarum, Nahum volunt poſt Jonam prophetaſſe,* quod prophetiæ argumentum declarat, *ait Theodoretus.* Nam Jonas cum univerſum interitum Ninivitis futurum denuntiaſſet, ut eos reſipiſcentiæ remediis uterentur comparavit, quæ cauſa fuit, quare in periculum horribilium, quæ futura prædixerat, non incurrerent: ubi vero in priſtina flagitia iterum prolapſi ſummo ſupplicio digna commiſerunt, Nahum poſt eorum funditus perditionem prædixit, *volunt prophetiam ejus cœpiſſe decem tribubus jam in captivitatem abductis ab Aſſyriis, quod ſexto anno Ezechiæ contigit, ſub quo etiam vaticinatus eſt in conſolationem populi transmigrati. Nec enim parva erat conſolatio tam his qui jam Aſſyriis ſerviebant, quam reliquis, qui ſub Ezechia de tribu Juda & Benjamin ab iisdem hoſtibus obſidebantur, ut audirent quoque Aſſyrios à Chaldæis eſſe capiendos. In Chronologia Hebræorum dicitur Joel, Nahum & Abacuc vaticinatos tempeſtate Manaſſis, ſed quia impius erat ſubſtituiſſe ejus nomen; vixiſſe quidem & mortuum eſſe ſub Manaſſe crediderim, at prophetaſſe ſub Ezechia à captivitate decem tribuum, i. e. poſt ſextum illius regni annum, unde conſtat fuiſſe deceptum Clementem Alexandrin. lib. 1. ςρωμ. cum affirmat Nahum prophetaſſe poſt Ezechielem. i. e. poſt annum quintum transmigrationis Ioachim regis Iudæ in terram Chaldæorum.*

γ Et Abacuc.] *D Hieronymus prologo in Abacuc, & Epiphanius exiſtimant eum fuiſſe, qui prandium tulerit Danieli in locum Leonum, à quibus non diſſentit Pererius extremis verbis Commentarior. in Danielem: & prophetaſſe eum vult D. Hieronymus jam duabus tribubus Babylonem ductis in captivitatem. Hebræi longe antea temporibus Manaſſæ eum volunt prophetaſſe. Genebrardus in ſua Chronologia & alii affirmant non unum fuiſſe Habacuc, ſed duos: nec refert eum, qui ſubminiſtravit prandium Danieli, dici etiam Prophetam. Nam ſicut fuerunt duo Michææ uterque Propheta, alter quidem filius Iemula, de quo 3. Reg. ult. alter, qui unus eſt ex 12. ita dicendum neceſſario duos fuiſſe Habacuc Prophetas. Ut enim unum dicamus, ratio temporis non patitur. Hic enim qui unus eſt ex 12. vel ſub Ezechia prophetavit, vel certe ante duas tribus captas, quod patet ex ejus prophetia,* Ecce ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram, *& quib. verbis prædixit futuram Nabuchodonoſor & Chaldæorum potentiam, qui Aſſyrios, contra quos jam vaticinatus erat Nahum, & alias multas nationes, ac denique Iudæos & Hieruſalem debellaturi erant, & in poteſtatem ſuam redacturi. Si vero poſt everſionem Hieruſalem & captivitatem decem tribuum vaticinatur, quomodo ait,* Ecce ego ſuſcitabo Chaldæos. *Cum jam florentes res Chaldæorum Aſſyriis, & tot nationibus in ſuam poteſtatem jam redactis, neque potuiſſe prophetare poſt captivitatem Hieruſalem oſtendit manifeſte Ribera prælud. 2. in expoſitionem 12. Prophetarum.* Rem certo præteritam tanquam hiſtoricus non narrat, ſed futuram ut vates ſpiritu prophetico prædicit. Suſcitantur verò

verò Chaldæi cum ad aliena regna capiunda mittuntur, ergo antequam Chaldæi invaderent Judæos, Aſſyrios & alias nationes, prophetavit Abacuc. At ille, qui poſt multos annos jam everſo Chaldæorum imperio temporibus Darii Medi, & Cyri Perſæ attulit prandium Danieli, non potuit propheταſſe certè ante captivitatem duarum illarum tribuum, nec antequam florerent res Chaldæorum everſo Aſſyriorum imperio, relinquitur itaque alium fuiſſe ab illo. Quemadmodum verò Nahum vaticinium habuit contra Ninivem & Aſſyrios, qui vaſtaverunt decem tribus, quæ Iſrael vocabantur, ita Abacuc prophetiam habuit contra Babylonem & Nabuchodonozor, à quibus regnum Juda & Hieruſalem templumque ſubverſa ſunt.

δ Abdias enim poſitus eſt ab eis cum Michea.] *Nimirum ſub regno Ioſaphat, quia fortaſſe Abdiam prophetam eſſe illum volunt, qui temporibus Achab & Ochoziæ regum Iſrael & Joſaphat regis Juda in prophetas Domini pius fuerit & officioſus, & in ſpeluncis eos paverit, & Micheam illum intelligunt non qui ſit in numero 12. prophetarum, ſed eum, qui præſente Joſaphat ab Achab aliquando conſultus ſit de prælio ineundo nec ne 3. Reg. 22. Atqui de alio Michæa utpote de eo, qui unus ex 12. Prophetis eſt loquitur Auguſtinus cum dicit non eo loco poſitum, eſſe, ubi notantur tempora illius prophetiæ ex eodem ipſo, quod certe verum erit de Michæa uno ex 12. Prophetis, nam tempora illius cum Abdia notantur ſub Joſaphat, atqui hic dicit ſe prophetaſſe in diebus Joathan, Achaz & Ezechiæ regum Juda, qui poſteriores fuêre ipſo Joſaphat.*

ε Quod errore negligenter deſcribentium.] *Atqui nullus error eſt ſi Micheam alium intelligamus, cujus tempora notantur ſub Ioſaphat, nempe filium Iemla, de quo 3. Reg. 22. alium verò eum, qui prophetavit ſub regibus Juda, Ioathan, Achaz & Ezechia.*

ζ Omnium breviſſimus Prophetarum.] *D. Hieronymus initio Commentar.* parvus propheta verſuum ſupputatione, non ſenſuum. Alioquin ut in quibus voluminibus Salomonis Canticum Canticorum, quanto brevius eſt tanto difficilius, Evangelicus quoque ſermo breviatus laciniosis legis operibus anguſtior eſt, ita hic quoque propheta quaſi ſervus Domini, &c. ea videt, ea audit quæ prophetali digna ſunt ſervitute, & *initio Commentar. in epiſtol. ad Philemonem*, ſi brevitas habetur contemptui, contemnatur Habdias, Nahum, Sophonias & alii 12. prophetæ, in quibus tam mira & tam grandia ſunt, quæ feruntur, ut neſcias utrum brevitatem ſermonem in illis demirari debeas, an magnitudinem ſenſuum.

η Adverſus Idumæam Gentem.] *Idumæi ab Eſau, qui & Edom, originem ducebant, quemadmodum verò ille odio proſequebatur fratrem Iacob, ſic & illi paternum odium hereditarunt, & poſteros Iacobi, id eſt, Iſraelitas perpetuo odio inſectati ſunt. Illis ex Ægypto redeuntibus & proficiſcentibus in terram Chanaam liberum iter per eorum regionem quibuſcumque pactis propoſitis minimè concedere voluerunt. Num. 20. auxilio fuere Chaldæis in obſidione Hieruſalem: vaticinatur itaque Habdias contra eos, eorumque prædicit interitum, & Iudæorum ubi Babylone redierint, fœlicitatem.*

Digitized by Google

θ Poſitam eſſe pro Gentibus.] *Nempe per Synecdochem pro externis populis alienis à populo Iſrael, qui Evangelica gratia participes erant futuri, ut Idumaa gentilitatem ad Eccleſiam venientem ſignificet Pſal.59.107.& extenditur calceamentum Chriſti in Idumaam uſque cum pradicatio venit ad gentes.*

ι Reſalvati ex monte Sion] *Ita legitur apud 70. ἀνασωζόμενοι, Symmachus σώζοντες, Hebrai* בושיעים ſalvatores, *vel etiam* facientes ſuos, *ut intelligantur Apoſtoli & primi ex Iudaa in Chriſtum credentes, qui primum quidem ad gratiam Evangelicam vocati fuere, qua via eſt unica ad ſalutem, deinde verò indeſeſſe pro aliorum ſalute & converſione ad Chriſtum laborarunt.*

κ Hoc obſcurum erat antequam fieret, ſed factum.] *Qua enim obſcura fuere à Prophetis pradicta ipſo eventu patefacta & comprobata manifeſtè ſunt intellecta. Ita D. Irenaus libr. 4. cap. 43.* Omnis prophetia priuſquam habeat effectum, ambiguitas & ænigma eſt hominibus, cum autem venerit tempus ejus, & evenerit quod prophetatum eſt, tunc Prophetæ habent liquidam & certam expoſitionem, quæ certè ratio eſt cur Judæi prophetias minimè intelligant, quas in Chriſto & Eccleſia adimpletas eſſe minimè credunt.

λ Ecce veloces ſuper montes.] *Hac prophetia ad literam eſt contra Sennacherib regem Aſſyriorum, ſignificat famam ejus mortis cito ad Iudaos adferendam eſſe, eoſque tunc ſecuriores & hilariores feſta ſua eſſe celebraturos. Rectè Auguſtinus accommodat novo teſtamento, quo annuntiatum eſt toti orbi Sennacherib hoſtem populi Dei cum toto ſuo exercitu, id eſt, damonem & adverſarias poteſtates planè concidiſſe, fuſum eſſe exercitum damonis, Eccleſiam nunc tranquillè & ſecurè agere poſſe, ſine timore ac periculo celebrare feſtivitates ſuas. Similis prophetia apud Eſaiam cap. 52. quem locum citat D. Paulus ad Roman. 10.*

Cap. XXXII.

De prophetia, qua in oratione Abacuc & cantico continetur.

IN α oratione autem ſua cum cantico, cui niſi Chriſto Domino dicit: *Domine, audivi auditionem tuam, & timui: Domine, conſideravi opera tua, & expavi:* quid enim hoc eſt, niſi præcognitæ ac repentinæ ſalutis hominum ineffabilis admiratio? β *in medio duorum animalium cognoſceris:* quid eſt niſi aut in medio duorum teſtamentorum, aut in medio duorum latronum: aut in medio Moyſi & Heliæ, cùm eo in monte ſermocinantium? *Dum appropinquant anni cognoſceris: in adventum temporis oſtenderis:* hoc quia per ſe patet, non eſt exponendum. Quod verò ſequitur, *In eo dum conturbata fuerit anima mea, in ira miſericordia memor eris:* quid eſt, niſi quod Judæos in ſe transfigurarit, de quorum gente fuit: quia cum magna ira turbati, crucifigerent Chriſtum, ille miſericordiæ memor, dixit: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt? Deus de γ Theman veniet, & ſanctus de δ monte umbroſo & condenſo.* Quod hìc dictum eſt, de *a* Theman veniet, alii interpretati ſunt ab Auſtro, vel ab Africo: *b* per quod ſignificatur meridies: id eſt, fervor charitatis, & ſplendor veritatis. *c* Montem verò umbroſum atque condenſum: quamvis multis modis poſſit intelligi, libentius acceperim ſcripturarum altitudinem divinarum: quibus prophetatus eſt Chriſtus.

Luk. 19. Mat. 17. Luc. 23.

Digitized by Google

ſtus. Multa quippe ibi umbroſa atque condenſa ſunt, quæ mentem quærentis exerceant: Inde autem venit: quum ibi eum, qui intelligit, invenit. *Operuit cælos virtus ejus, & laudis ejus plena eſt terra:* quid eſt, niſi quod etiam in Pſalmo dicitur: *Exaltare ſuper omnes cælos Deus, & ſuper terram gloria tua? Splendor ejus ut lumen erit*, quid eſt, niſi fama ejus credentes illuminabit? ε *Cornua in manibus ejus*, quid eſt, niſi trophæum crucis? *Et poſuit charitatem firmam fortitudinis ſuæ:* nec exponendum eſt. ζ *Ante faciem ejus ibit verbum, & prodiet in campum poſt pedes ejus:* quid eſt, niſi quòd & antequam huc veniret, prænunciatus eſt, & poſteaquàm hinc reverſus eſt, annunciatus eſt? *Stetit, & terra commota eſt:* quid eſt, niſi quòd ſtetit ad ſubveniendum: & terra commota eſt, ad credendum? η *Reſpexit, & tabuerunt gentes*: hoc eſt, miſertus eſt, & fecit populos pœnitentes. *Contriti ſunt montes violentia:* hoc eſt, vim facientibus miraculis, elatorum contrita eſt ſuperbia. *Defluxerunt colles æternales:* hoc eſt, humiliati ſunt ad tempus, ut erigerentur in æternum. *Ingreſſus æternos ejus pro laboribus vidi:* hoc eſt, non ſine mercede æternitatis laborem charitatis aſpexi. *Tabernacula Æthiopum expaveſcent, & tabernacula terræ Madian:* hoc eſt, gentes repentè perterritæ nuncio mirabilium tuorum, *d* etiam quæ non ſunt in jure Romano, erunt in populo Chriſtiano. *Nunquid in fluminibus iratus es Domine: aut in fluminibus furor tuus, vel in mari impetus tuus?* Hoc ideò dictum eſt, quia non venit nunc, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. θ *Quia aſcendes ſuper equos tuos, & equitatio tua ſalus*, hoc eſt, Evangeliſtæ tui portabunt te, quia reguntur à te: & Evangelium tuum ſalus eſt eis, qui credunt in te. *Intendens intendes arcum tuum ſuper ſceptra, dicit Dominus*, hoc eſt, comminaberis judicium tuum: etiam regibus terræ. *Fluminibus ſcindetur terra:* hoc eſt, influentibus ſermonibus prædicantium te, aperientur ad confitendum hominum corda: quibus dictum eſt, *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Quid eſt *videbunt te: & dolebunt populi:* (Ioel. 2.) niſi ut lugendo ſint beati? quid eſt, *diſperges aquas inceſſu*, niſi ambulando in eis, qui te uſquequaque annunciant, hac atque illac diſperges fluenta doctrinæ? Quid eſt: *abyſſus dedit vocem ſuam?* An profunditas cordis humani, quid ei videretur, expreſſit? *Altitudo phantaſiæ ſuæ,* tanquam verſus ſuperioris eſt expoſitio: altitudo enim eſt abyſſus. Quod autem ait, phantaſiæ ſuæ, ſubaudiendum eſt, vocem dedit: hoc eſt, quod diximus, quid ei videretur, expreſſit. Phantaſia quippe viſio eſt, quam non tenuit, non operuit, ſed confitendo eructavit. *Elevatus eſt ſol, & luna ſtetit in ordine ſuo:* hoc eſt, aſcendit Chriſtus in cœlum, & ordinata eſt Eccleſia ſub rege ſuo. *In lucem jacula tua ibunt:* hoc eſt, non in occultum, ſed in manifeſtum verba tua mittentur. *In ſplendorem coruſcationis armorum tuorum:* ſubaudiendum eſt, *jacula tua ibunt*. Dixerat enim ſuis: *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* (Mat. 10.) *In comminatione minorabis terram*, id eſt, comminando humiliabis homines. *Et in furore dejicies gentes:* quia eos, qui ſe exaltant, vindicando collides. *Exiſti in ſalutem populi tui, ι ut ſalvos faceres Chriſtos tuos, miſiſti in capita iniquorum mortem:* nihil horum eſt exponendum. *Excitaſti vincula uſque ad collum.* Et bona hic poſſunt intel-

ligi vincula ſapientiæ, ut vinciantur pedes in compedes ejus, & collum in torquem ejus. *Præcidiſti in ſtupore mentis tuæ*: ſubaudiamus *vincula*. Excitavit enim bona, præcidit mala: De quibus ei dicitur. *Dirupiſti vincula mea*: & hoc in ſtupore mentis, id eſt, mirabiliter. *Capita potentium movebuntur in ea*, ſcilicet admiratione. Adaperient morſus ſuos, ſicut edens pauper in abſconſo. Potentes enim quidam Judæorum veniebant ad Dominum facta ejus & verba mirati, & eſurientes panem doctrinæ manducabant abſconsè propter metum Judæorum, ſicut eos prodit Evangelium. *Et immiſiſti in mare equos tuos turbantes aquas multas*: quæ nihil ſunt aliud, quàm populi multi. Non enim alii timore converterentur, alii furore perſequerentur, niſi omnes turbarentur. *Obſervavi, & expavit venter meus à voce orationis labiorum meorum. Et introivit tremor in oſſa mea: ſubtus me turbata eſt habitudo mea.* Intendit in ea, quæ dicebat: & ipſe ſua in oratione eſt perterritus, quam propheticè fundebat, & in qua futura cernebat. Turbatis enim populis multis, vidit imminentes Eccleſiæ tribulationes, continuòque ſe membrum ejus agnovit, atque ait: requieſcam in die tribulationis: tanquam ad eos pertinens, qui ſunt ſpe gaudentes, in tribulatione patientes. *Ut aſcendam*, inquit, *ad populum peregrinationis meæ.* Recedens utique à populo maligno carnalis cognationis ſuæ, non peregrinante in hac terra, neque ſupernam patriam requirente: *Quoniam ficus*, inquit, *non afferet fructum: & non erunt nativitates in vineis: mentietur opus olivæ, & campi non facient eſcam. Defecerunt ab eſca oves, & non ſuperſunt in præſepibus boves.* Vidit eam gentem, quæ Chriſtum fuerat occiſura, ubertatem copiarum ſpiritualium perdituram, quas per terrenam fœcunditatem more prophetico figuravit. Et quia iram Dei talem propterea paſſa eſt illa gens, quia Dei ignorans juſtitiam ſuam voluit conſtituere, iſte continuò: *Ego autem*, inquit, *in Domino exultabo, gaudebo in Deo ſalutari meo. Dominus Deus meus virtus mea, ſtatuet pedes meos in conſummationem: ſuper excelſa imponet me, ut vincam in cantico ejus*: ſcilicet illo cantico, de quo ſimilia quædam dicuntur in Pſalmo: *Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos: & immiſit in os meum canticum novum, hymnum Deo noſtro.* Ipſe ergo vincit in cantico Domini, qui placet in ejus laude, non ſua: ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Meliùs autem mihi videntur quidam codices habere: *a Gaudebo in Deo Jeſu meo*, quàm hi qui volentes id Latinè ponere, nomen ipſum non poſuerunt, quod eſt nobis amicius, & dulcius nominare.

L. Vives. Themā. a QUod hìc dictum eſt, de Themam veniet.] *Et Aquila, inquit Hieronymus, & Symmachus, & quinta editio, ipſum Hebraicum poſuerunt. Solus Theodotio quid ſignificaret Themam interpretatus eſt dicens: Ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharam. Idem Hieronymus in locis Hebraicis, Themam regio principium Edom in terra Gebalitica à Themam filio Eliphaz, filii Eſau, ſortita vocabulum: ſed & uſque hodie eſt villa nomine Themam, diſtans ab urbe Petra quinque milibus: ubi & Romanorum militum præſidium ſedet, de quo loco fuit Eliphaz rex Themanorum. Unus quoque filiorum Iſraël appellabatur Themam. Sciendum autem, quod omnis auſtralis regio Hebrais Thema dicitur.*

b Per quod ſignificatur meridies.] *Simile quod in Canticis quærit ſponſa, ubi paſcat in meridie, in quo maximus eſt diei & calor & ſplendor.*

c Montem verò umbroſum.] *Soli LXX. verterunt* ἐξ ὄρους κατασκίου δασέος, *ex monte umbroſo & condenſo. Cæteri, ut eſt in Hebraica, ex Pharan, quod eſt oppidum trans Arabiam, junctum Saracenis, per quod iter fecerant filii Iſrael, cùm de Sina moviſſent. Ideo LXX. quoniam vicinum eſt ſaltui, habitum loci potius reddiderunt, quàm nomen.*

d Etiam quæ non ſunt in jure Romano.] *Indi & Perſæ, & hac ætate inſulæ in oceano occidentali.*

e Gaudebo in Deo Jeſu meo.] *Sic in Hebræo, pro quo Septuaginta verterunt* τῷ σωτῆρί μου, *hoc eſt, ſervatore meo. Et hæc tria idem ſunt. Jeſus Hebraicè,* σωτὴρ *Græcè, ſervator Latinè: quanquam Cicero act. iiij. in Verrem negat* σωτῆρα *uno verbo Latino poſſe reddi, eſſeq́ eum qui ſalutem dederit: ſalvatoris nomen recentius eſt, ſed eo utuntur Lactantius, Auſonius, & reliqui ſacri ſcriptores. Qui latius carmen hoc avet expoſitum videre, habet in id geminam Hieronymi enarrationem.*

α IN oratione ſua cum cantico.] *Totum hoc canticum Habacuc manifeſtam de Chriſto continet prophetiam ut in prolog. 2. libri in Abacuc docet Hieronymus, & totum de Chriſto expoſuere non modo Auguſtinus hoc loco, verùm & Euthymius in expoſitione hujus cantici, & Theophylactus & Rupertus & Theodoretus, & partem Euſebius lib. 6. de demonſtrat. Evang. cap. 15.* F.L.Cog.

β In medio duorum animalium cognoſceris, quid eſt niſi in medio.] *Ita etiam interpretatur orat. 2. contra Iudæos, Paganos & Arrianos cap. 13. & ſerm. 100. de tempor.* In medio duorum teſtamentorum novi & veteris, *id eſt,* in interiori ſine ſpirituali intellectu. *D. Hieronymus in Commentariis,* Porrò ſimplex interpretatio & opinio vulgi de Salvatore intelligit, quod inter duos latrones crucifixus agnitus ſit. Qui autem melius, hoc dicunt, quod in prima eccleſia, quæ de circumciſione fuit, & de præputio congregata duobus populis ſe hinc inde cingentibus, intellectus ſit Salvator & creditus. Sunt qui duo animalia duo intelligant teſtamenta, novum & vetus, quæ verè animantia ſunt atque vitalia, quæ ſpirent, & in quorum medio dominus agnoſcatur. *Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22. Tertiam Auguſtini adfert interpretationem in medio Moſis & Heliæ.*

γ De Themam veniet.] *Ita vertunt ſeptuaginta & Aquila, & Symmachus, & 5. editio. Theodotio verò,* Deus ab Auſtro veniet, *quem ſecutus eſt D. Hieronymus. Eſt verò* Themam *regio in Idumæa, & urbs in eadem regione authore D. Hieronymo in locis Hebraicis, ubi etiam ſubjicit,* Sciendum quod omnis Auſtralis regio Hebræis Themam dicitur, rectè ergo verſum eſt, Deus ab Auſtro veniet.

δ Montem verò umbroſum atque condenſum.] A ſolis 70. poſitum *(inquit Hieronymus in commentariis)* ἐξ ὄρους κατασκίου δασέος. *id eſt,* De monte umbroſo & condenſo: *Montem umbroſum & condenſum Theophylactus & Theodoretus interpretantur Hieruſalem, quæ omnibus gratiis abundat, & ſub umbra Dei erat. D. Auguſtinus figuras & prophetias Chriſti venturi montem umbroſum appellavit. Ea-*

dem eſt D. Gregorii interpretatio lib. 33. moral. cap. 1. Per montem *(inquit)* teſtamentum Dei exprimitur, ſicut Abacuc ait, Deus à Libano veniet, & ſanctus de monte umbroſo & condenſo. Qui enim venturum ſe per teſtamenti ſui paginas ſpopondit, quaſi inde venit, unde velut ſub promiſſione ſe tenuit. Quod videlicet teſtamentum benè mons umbroſus & condenſus dicitur, quia ſpiſſis allegoriarum obſcuritatibus opacatur.

ε Cornua in manibus ejus.] *Victoria per crucem & paſſionem futura prædicitur, & quomodo trophæum crucis hic exponit Auguſtinus, ita etiam D. Hieronymus vexilla & trophæa crucis. Euſebius lib 6 de demonſtr. cap. 15.* Cornua in manibus ejus regni ejus inſignia & notas ſignificat, quibus cornibus inviſibiles atque adverſantes poteſtates repellens & vitas obtinens abigit. *De paſſione Chriſti hæc interpretatur Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap 21. & in ſerm. de paſſio. Chriſti, & Rabi Samuel Marochianus epiſt. de adventu Meſſiæ cap. 7.*

ζ Ante faciem ejus ibit verbum] *Ita legerunt 70.* πρὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσεται λόγος, *quia vox Hebraica* דבר *ſi legatur* שה דבר *ſonat* verbum, *ſicque legerunt 70. & Theodotio. Si autem cum ſex punctis* דבר *ſonat* mors *ſeu* peſtis, *quomodo legerunt Aquila & Symmachus; & quinta editio, & Hieronymus, & omnes Hebræi, ut ſignificetur effectus paſſionis Chriſti, quodque illa victa & pudibunda fugiet.*

η Reſpexit & tabuerunt gentes.] Επέβλεψε καὶ ἐτάκη ἔθνη, tabuerunt, *ſive* liquefactæ ſunt, *idem quod conſumptæ ſunt, perierunt, gentiles eſſe deſierunt & Chriſtiani facti ſunt.*

θ Qui aſcendes.] Ο ἀναβησόμενος, qui aſcenſurus es, *unde legendum non* aſcendis, *ſed* aſcendes *futuri temporis.*

ι Ut ſalvos faceres Chriſtos tuos] *Ita etiam legit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 39.* Sciendum, *ait Hieronymus*, quod ubi poſuerunt 70. plurali numero, ut ſalvares Chriſtos tuos, ibi eſſe in Hebræo לישע את משיחין, quod Aquila tranſtulit in ſalutem cum Chriſto tuo, non quod Deus egreſſus ſit, ut ſalvaret populum & ſalvaret Chriſtum ſuum, ſed quod in ſalutem populi venerit cum Chriſto ſuo. Sed & quinta editio ſimiliter tranſtulit, egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto. Theodotio autem, verè quaſi pauper & Ebonita, ſed & Symmachus ejuſdem dogmatis pauperem ſenſum ſecuti Judaice tranſtulerunt. Egreſſus es in ſalutem populi tui ut ſalvares Chriſtum tuum. Iſti ſemi Chriſtiani, *inquit*, Judaice tranſtulerunt, & Judæus Aquila interpretatus eſt ut Chriſtianus. Sexta editio prodens manifeſtiſſimè ſacramentum, ita vertit ex Hebræo, ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν χριστόν σου. *Cui ſenſui poteſt illud aptari, quod egreſſus ſit pater cum filio de templo & ceremoniis Iudæorum dicens, relinquetur vobis domus veſtra deſerta, & venerit ad ſalutem gentium ut ſalvaret credentes per Jeſum Chriſtum filium ſuum.*

κ In Deo Jeſu meo.] *Ita vertit Hieronymus 70.* Σωτῆρός μου, *id eſt*, ſalvatore meo, *Chaldæus*, in Deo factore redemptionis meæ.

CAP.

Cap. XXXIII.

De Chriſto, & vocatione gentium, quæ Hieremias & Sophonias prophetico ſpiritu ſunt præfati.

ᵃHieremias α propheta de majoribus eſt, ſicut & Eſaias: non de minoribus, ſicut cæteri, de quorum ſcriptis nonnulla jam poſui. Prophetavit autem, regnante Joſia in Hieruſalem: & apud Romanos β Anco Martio, jam propinquante captivitate Judæorum. Tetendit autem prophetiam ſuam usque ad quintum menſem captivitatis, ſicut in ejus literis invenitur. *b* γ Sophonias autem unus de minoribus adjungitur ei. Nam & ipſe in diebus Joſiæ prophetaſſe ſe dicit: ſed quousque non dicit. Prophetavit ergo Hieremias, non ſolùm Anci Martii, verumetiam Tarquinii Priſci temporibus: quem Romani habuerunt quintum regem. Ipſe enim quando eſt illa captivitas facta, regnare jam cœperat. Prophetans ergo de Chriſto Hieremias: *c* δ *Spiritus*, inquit, *oris noſtri dominus Chriſtus captus eſt in peccatis noſtris*: ſic breviter oſtendens, & dominum noſtrum Chriſtum, & paſſum eſſe pro nobis. Item alio loco. ε *Hic Deus meus*, inquit, *& non æſtimabitur alter ad eum: qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. Hoc teſtimonium quidam, ζ non Hieremiæ, *d* ſed ſcribæ ejus tribuunt: qui vocabatur Baruch: ſed Hieremiæ celebratius habetur. Rurſus idem propheta de ipſo: η *Ecce*, inquit, *dies veniunt, ait Dominus: & θ ſuſcitabo David germen juſtum: & regnabit rex, & ſapiens erit: & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod ι vocabunt eum, Dominus juſtus noſter*. (Hier. 23.) De vocatione etiam gentium, quæ futura fuerat, & eam nunc impletam cernimus, ſic locutus eſt: *Dominus Deus meus & refugium meum in die malorum: κ ad te gentes venient ab extremo terræ, & dicent:* Verè mendacia coluerunt patres noſtri ſimulacra, & non eſt in eis utilitas. (Hier. 16.) Quia verò non erant eum agnituri Judæi: à quibus eum & occidi oportebat: ſic idem propheta ſignificat, *e Grave cor per omnia, & homo eſt, & quis cognoſcet eum?* Hujus eſt etiam illud, quod in libro decimo ſeptimo poſui de teſtamento novo, cujus eſt mediator Chriſtus: ipſe quippe Hieremias ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & conſummabo ſuper domum Jacob teſtamentum novum*: & cætera, quæ ibi leguntur. (Hier. 31.) Sophoniæ autem prophetæ, qui cum Hieremia prophetabat, hæc prædicta de Chriſto interim interponam: λ *Expecta me, dicit Dominus in die reſurrectionis meæ, in futurum: quia judicium meum, ut ι congregem gentes, & colligam regna.* (Soph. 3.) Et iterum: μ *Horribilis*, inquit, *Dominus ſuper eos: & exterminabit omnes deos terræ: & adorabit eum vir de loco ſuo omnes inſulæ gentium.* Et paulò pòſt: ν *Tunc*, inquit, *Transvertam in populos linguam, & progenies ejus, ut omnes invocent nomen Domini: & ſerviant ei ſub uno jugo, ξ à finibus fluminum Æthiopiæ, afferent mihi hoſtias: ο in illo die non confunderis ex omnibus adinventionibus tuis, quas impiè egiſti in me: quia tunc auferam abs te pravitates injuriæ tuæ, & jam non adjicies, ut magnificeris ſuper montem ſanctum*

ctum meum, & ſubrelinquam in te populum manſuetum & humilem, & verebuntur à nomine Domini, qui reliqui fuerint Iſrael. π Hæ ſunt reliquiæ, de quibus alibi
Rom. 11. prophetatur, quod Apoſtolus etiam commemorat, *Si fuerit numerus filiorum Iſrael, ſicut arena maris, reliquiæ ſalvæ fient.* Hæ quippe in Chriſtum illius gentis reliquiæ crediderunt.

L. Vives. a Hieremias.] *De hoc ſæpe alibi.*

b Sophonias.] *Hunc Hebræi prophetam, & prophetarum filium, nepotem & abnepotem fuiſſe tradunt. Pater enim fuit Chuſi, avus Godolias, proavus Amarias, atavus Ezechias, prophetæ omnes: nam ajunt omnes majores, quos in titulo nominat propheta aliquis, etiam prophetas fuiſſe.*

c Spiritus, inquit, oris noſtri, dominus Chriſtus.] *Sunt Chriſti multi, & domini multi, At Chriſtus dominus ſpiritus oris noſtri, unicus eſt Jeſus Deus, Dei Filius per quem ſpiramus, & vivimus, & ſumus: qui ſi à nobis abſcedat, minus adhuc victuri ſumus, quàm ſi diſcedat anima.*

d Sed ſcribæ ejus attribuunt, qui vocabatur Baruch.] *Hieremias in libro ſuorum vaticiniorum, Baruch ſcribam & miniſtrum fuiſſe ſuum ſignificat, cujus extat brevis prophetia, quam eccleſia recepit, quoniam de Chriſto & poſtremis temporibus pleraque continet.*

e Grave cor per omnia, & homo eſt & quis cognoſcet eum.] *Septuaginta eſt hæc interpretatio. In Hebræo verò ſic ex Hieronymo: Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile, qui cognoſcet illud? Symmachus verba Septuaginta apertius poſuit: Inſcrutabile cor omnium, vir autem quis eſt, qui inveniat illud? LXX. enim βαθεῖα ἡ καρδία dixerunt, quod eſt profundum cor.*

F. L. Coq. α Hieremias Propheta.] *Hieronymus init. libr. comment. in Hieremiam*, Hieremias cum eſſet adhuc puer prophetare cœpit anno 13. Joſiæ filii Amon Regis Juda prophetavitque imperio ejus annis decem & novem, & poſt ea ſub Joachim filio ejus annis undecim, & ſub Sedechia, qui fuit ultimus regum Juda, annis undecim usque ad quintum menſem, quando à Babyloniis capta eſt Hieruſalem. Joachaz verò & Jechoniæ terni menſes quorum alter in Ægyptum, alter cum matre ductus eſt Babylonem in ſupradictis annis computantur, ac per hoc ab exordio prophetiæ ſuæ usque ad captivitatem Hieruſalem, in qua & ipſe captus eſt, prophetavit annis quadraginta & uno, præter illud tempus quando ductus eſt in Ægyptum, ibique prophetavit in Taphnis, ubi & à populo lapidibus obrutus occubuit, *quod tempus non complectitur Auguſtinus cum dicit tetendiſſe prophetiam ſuam uſque ad quintum menſem captivitatis, ſi quidem intelligitur de tempore, quo prophetavit in terra Juda.*

β Et apud Romanos Anco Martio.] *Euſebius initium regni Ioſiæ rejicit in Olympiadem 34. Ancus verò Martius regnum cœpit A. V. C. 114. Olympi. 35. anno 2 Dionyſius & Solinus Olympiade 35. Tullum Hoſtilium regem obiiſſe ſcribit, cui ſucceſſit Ancus Martius.*

γ Sophonias unus de minoribus.] *Contemporaneus fuit Hieremiæ. Scribit enim ſe prophetaſſe in diebus Ioſiæ, unde colligimus eum prophetaſſe poſt captas ab Aſſyriis de-*

decem tribus, nec multo ante captivitatem duarum. Si quidem decem tribus captæ ſunt à Salmanazare rege Aſſyriorum ſexto anno regni Ezechiæ 4. Reg. 18. Regnavit verò Ezechias annos 29. Poſt eum Manaſſes 55. 4. Reg. 21. Amon duos, mox Ioſias pronepos Ezechiæ 31. 4. Reg. 22. unde à tempore captivitatis decem tribuum uſque ad initium regni Ioſiæ anni interfluxere 81. A primo autem anno Ioſiæ uſque ad undecimum Sedechiæ, quo urbs capta eſt & templum incenſum quinquaginta tres anni lapſi ſunt: Secundo colligimus verba Sophoniæ tantùm ad duas tribus eſſe referenda, cum jam decem tribus eſſent in captivitate, & quidem prophetaſſe ante 18. annum regni Ioſiæ, ſiquidem invehitur in idololatriam duarum tribuum, anno vero 18. regni ſui Ioſias hortatus eſt populum, ut abjectis idolis Deum patrum ſuorum ſequerentur, aſſenſus eſt populus, & omnia idola ſunt confracta 4. Reg. 23. Joſephus lib. 10. Antiquit. cap. 5 Argumentum illius prophetiæ eſt præcipuum deterrere duas tribus ab omni idolorum cultu per comminationem appropinquantis captivitatis, quas etiam poſtea conſolatur more cæterorum prophetarum promiſſione futurorum bonorum per Chriſtum.

δ Spiritus (*inquit*) oris noſtri dominus Chriſtus.] *Thren. 4. Hieronymus in illum locum.* Hanc ſententiam diverſi authores diverſis modis expoſuerunt. Nam alii ſuper reges Judæorum, qui Chriſti, *id eſt*, uncti dicebantur, ſub quorum protectione gens Judæorum videbatur degere, interpretati ſunt quaſi propter peccata populi ipſi interieriat, ut Joſias qui juſtus fuiſſe legitur, & cæteri hujuscemodi. Alii autem ſuper Jeſu Chriſto vero univerſorum domino, ac vita animarum fidelium dictum intelligunt, ſub cujus tutela in univerſis gentibus verſatur Eccleſia. Ipſe autem ſpiritus oris noſtri eſt, in quo vivimus, movemur & ſumus, ex cujus ſapore quicquid rectè ſapimus, ſapimus, qui traditus eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. *De Chriſto intellexit Ireneus lib. 3. cap. 11. Tertullianus lib. 3 cont. Martionem cap. 6. Theodoretus in illum locum, Ruffinus in expoſitione ſymboli, Iſidorus Hiſpalenſis lib. de paſſi. Domin. cap. 24. Juſtinus Martyr Apolog. 2 pro Chriſtianis Cyrillus Hieroſolym. catech. 13.*

ε Hic Deus meus & non æſtimabitur.] *Manifeſtiſſimum teſtimonium pro Divinitate & Incarnatione Chriſti, qui Deus Iſrael poſtquam tradidit diſciplinam illi populo, id eſt, legem in monte Sina, tandem homo factus in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus eſt. Ita cum D. Auguſtino alii Patres expoſuere, Tertullianus contra Praxeam cap. 16. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 6. Euſebius lib. 6. de Demonſtr. cap. 19. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 2. Hilarius lib. 5. de Trinit. ſub finem. Nazianzenus oratio 4. de Theol. Baſilius lib. 4 in Eunomium, Chryſ. in oratione quod Chriſtus ſit Deus, Cyrillus lib. 10. contra Iulianum, Theodoretus in eum locum, Proclus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus epiſtola de recta fide ad Armenios, Moſes Barchepha Syrus Commentario, de paradiſo part. 2. cap. 7. Galatinus lib. 3. cap 25.*

ζ Non Hieremiæ, ſed ſcribæ ejus attribuunt.] *Scribam Hieremiæ Baruch fuiſſe conſtat ex cap. Hierem 37 cujus extat brevis prophetia, quæ recepta eſt in canonem ſacrorum librorum à concilio Tridentino ſeſſio 4. Citatur tamen ut plurimùm à patribus*

tribus ſub nomine Hieremiæ, ut ab Ambroſio lib. 1. de Pœnitent. cap. 8. recitantur ſub nomine Hieremiæ, quædam ex capit. 3. & quædam ex capit. 5. illius libri, & libr. 3. in Hexamer. cap. 14. aliqua ex cap. 4. à ſancto Baſilio libr. 4. in Eunomium. A. D. Ioanne Chryſoſtomo in oratio. quod Chriſtus ſit Deus, citatur ſub nomine Hieremiæ ille locus, hic eſt Deus noſter, *& à Sixto Papa, id eſt, in epiſtol. ad omnes fideles & à Felice 4. in epiſtola ad Petrum Antiochenum, & à Pelagio 1. in epiſtol. ad Virgilium. à Clemente Alexandrino lib. 1. pædagog. ca. 10. citantur ſub nomine Hieremiæ aliqua ex cap. 5. itemque à Tertulliano in Scorpiano cap. 8. & Cypriano lib. 2 teſtimonio. cont. Judæos cap. 6. ab Hilario lib. 4. de Trinit. qui librum illum exiſtimarunt eſſe partem vaticiorum Hieremiæ.*

η Ecce dies veniunt.] *Hieremiæ 23. Manifeſta prophetia de Chriſto etiam ex ſententia Judæorum, ſicut & paraphraſis Chaldaica de Meſſia manifeſtè interpretatur, dies iſti ſunt, de quibus Apoſtolus Hebræo. 1.* Noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, *& Gal. 4.* Cum venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, *dies certe, quibus ortus eſt ſol juſtitiæ.*

θ Suſcitabo David germen juſtum.] *Chriſtum*, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, *Roman. 1. Ita non uno loco vocatur Chriſtus, ut docet etiam Galatinus lib. 3. c. 14. Hieremiæ 33* In diebus etiam illis & tempore illo germinare faciam David germen juſtitiæ, *Iſaiæ* 4. In die illa erit germen domini in magnificentia, *Zachar. 6.* Ecce vir oriens nomen ejus, *ubi Hebr. eſt eadem vox* צמח, *quæ* germen & orientem *ſignificat, & Chaldæus paraphraſtes ſemper in illis locis vertit* Meſſiam, *ut ibidem docet Galatinus, Hieronymus in cap. 6. Zachariæ ad illa verba,* Ecce vir oriens nomen ejus, quod Hebraicè, *inquit.* dicitur צמח non per ש, ſed per צ literam ſcriptum. Qui idcirco oriens, *id eſt.* ἀνατολὴ, vel ἀνατολὴ ſive βλάστημα nuncupatur, *id eſt* germen, quia ex ſerpente ſuccreſcet & ex radice ſua in ſimilitudinem germinis pullulabit, *id eſt*, cum omnino videatur parvus & contemptibilis, repente creſcet, & quam magnus ſit oſtendet, ut Danielis 2. lapis ille parvus repente crevit in montem magnum. *Altera ratio Germen id dicimus, quod primùm pullulat ſive ex arbore, ſive ex terra: vocatur ergo Chriſtus germen, quod ex radice Jeſſe ſive Davidis, quæ videbatur exaruiſſe, nullo jam rege aut duce ex ea procedente, iterum germinet & pullulet ad regnandum. Ex Hebræo autem & ex Græco conſtat in illis locis ſcripturæ* David *eſſe dativi caſus,* Suſcitabo David ſemen juſtum, *Senſus eſt, faciam ut David qui jam videbatur aruiſſe, enaſcatur & pullulet novum germen, quo priſtinam Chriſti gloriam reciperet.*

ι Vocabunt eum. Dominus juſtus noſter.] *Hebr.* חצוקנו Dominus juſtitia noſtra, *de quo Apoſtol. 1. Corinth. 1.* Qui factus eſt ſapientia nobis à Deo & juſtitia & ſanctificatio & redemptio, *ubi obſervandum nomen Hebraicum* יהוה, *quod Hebræi contendunt nunquam attribui creaturis, veri Dei proprium eſſe. eo loci tribui Meſſiæ, & teſtatur Galatinus lib. 3. cap. 7. Chaldæum paraphraſtem tranſtuliſſe.* Deus juſtus noſter.

κ Ad te gentes venient.] *Chaldaica paraphraſis,* ad famam potentiæ tuæ populi

puli venient ab extremis terræ, *hæc de converſione Gentium ad Chriſtum abjectis erroribus & idolis & cognita veritate manifeſtè intelliguntur. D. Auguſtinus citans etiam hunc locum lib. 1. de conſenſu Evangeliſt. cap. 26.* Ecce nunc fit *(inquit)* ecce nunc gentes ab extremo terræ venient ad Chriſtum ita dicentes, & ſimulacra frangentes.

λ Expecta ne in die reſurrectionis.] *Cum Auguſtino etiam Euſebius lib. 2. de demonſtrat. Evangel. demonſt. 17 ex hoc loco confirmat reſurrectionem Chriſti & vocationem gentium, quæ tunc facta eſt.*

μ Tunc transvectam in populo linguam.] *Ita 70. Hieronymus ex Hebræo,* Tunc reddam populis labium electum. *Illud verò eſt non jam Deos nominare, ſed unum Deum agnoſcere & adorare, q. d. Ceſſabit omnis idololatria gentium. paraphraſtes Chaldæus* Convertam in omnes gentes locutionem unam electam, ut premantur omnes in nomine domini. *Hieronymus in eum locum,* Poſſumus hunc locum de Chriſti adventu exponere, quoniam omni errore ſublato, dæmonibusque calcatis & terrenis operibus deſtructis Apoſtoli univerſis linguis locuti ſunt, & veteri errore ſublato unum confeſſionis redditum eſt labium.

ν Et iterum horribilis dominus ſuper eos.] *Sophoniæ 2. ex hoc loco cum Auguſtino etiam Euſebius 2. de demonſtr. Evangel. demonſtr. 16. probat adveniente Chriſto auferenda ſimulacra fuiſſe, & gentes ad Deum convertendas, legunt 70.* Manifeſtus erit dominus ſuper eos, quem nunc neſciunt *(ait Hieronymus)* quem ignorant, & diſperdet omnia dogmata, *id eſt,* deos eorum, & diverſarum gentium idola, ut poſtquam ſimulacra, quæ de ſuo ſibi ſenſu compoſuerunt, everſa fuerint, convertantur gentes ad dominum, & unusquisque in loco ſuo adoret eum, quem neſciebat ante.

ξ Et ſervient ei ſub jugo uno.] *Ita 70. Hieronymus,* Humero uno *i. e. uno corde. una mente, metaphora ſumpta ab iis qui ſimul humeros ſupponunt ad aliquod onus portandum.*

ο A finibus fluminum Æthiopiæ.] *Scilicet ab illis uſque regionibus, quæ ſunt trans flumina Æthiopiæ, venient homines ad Eccleſiam, & ſupplicíter me adorabunt, mihi munera deferent in ſignum ſubjectionis & obedientiæ, mihi ſacrificia offerent.*

π In illo die non confunderis.] *Loquitur Hieruſalem ſeu Synagogæ, non ſuper omnibus, ſed ſuper iis, qui ad Chriſtum convertuntur, qui dicuntur reliquiæ Iſrael.*

ρ Hæ ſunt reliquiæ] *Frequens eſt in ſcriptura electos vocari reliquias, utpote qui ſalvi fiunt cæteris per infidelitatem pereuntibus Iſaiæ 10.* Reliquiæ convertentur, reliquiæ (inquam) Jacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Iſrael quaſi arena maris, reliquiæ converterentur, *ex eo caput 1.* Niſi dominus exercituum nobis reliquiſſet ſemen : *Semen hoc relictum dicuntur reliquiæ, Michee 2.* In unum conducam reliquias Iſrael. *Roman. 11.* Si ergo & in tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.

Cap. XXXIV.

De prophetia Danielis & Ezechielis, quæ in Chriſtum eccleſiamque concordat.

IN α ipſa porrò captivitate Babyloniæ, a β Daniel, b & γ Ezechiel prophetaverunt prius, alii ſcilicet duo ex prophetis majoribus, δ Quorum Daniel etiam tempus quo venturus fuerat Chriſtus, atque paſſurus, ε numero definivit annorum: quod longum eſt computando monſtrare: & ab aliis factitatum eſt ante nos. De poteſtate verò ejus & gloria † ſic loquutus eſt: *Videbam*, inquit, *in viſu noctis: & ecce cum nubibus cœli filius hominis veniens erat, & uſque ad vetuſtum dierum pervenit: & in conſpectu ejus prælatus eſt, & ipſi datus eſt principatus, & honor, & regnum: & omnes populi tribus & linguæ ipſi ſervient. Poteſtas ejus, poteſtas perpetua, quæ non tranſibit: & regnum ejus non corrumpetur.* Ezechiel quoque more prophetico per David Chriſtum ſignificans, quia carnem de David ſemine aſſumpſit: propter quam formam ſervi, qua factus eſt homo, etiam ζ ſervus Dei dicitur idem Dei filius: ſic eum prophetando prænunciavit ex perſona Dei Patris: *Et ſuſcitabo*, η inquit, *ſuper pecora mea paſtorem unum, qui paſcat ea: ſervum meum David: & ipſe paſcet ea: & ipſe erit eorum paſtor. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & ſervus meus David princeps in medio illorum: ego Dominus locutus ſum.* Et alio loco: *Et rex*, inquit, *unus erit omnibus imperans: & non erunt ultrà duæ gentes: nec dividentur amplius in duo regna: neque polluentur ultrà in idolis ſuis: & abominationibus ſuis: & in cunctis iniquitatibus ſuis: & ſalvos eos faciam de univerſis ſedibus ſuis, in quibus peccaverunt: & mundabo eos, & erunt mihi populus: & ego ero illis Deus: & ſervus meus David rex ſuper eos, & paſtor unus erit omnium eorum.*

[al. Eccleſia. Dan. 7. Ezech. 34. Ez. 37.]

L. Vives Daniel. a DAniel.] *De filiis fuit Juda, qui ex Daniele Balthaſar vocatus eſt, ab eunucho regio, cui puerorum erat demandata cura. Maximo in pretio habitus eſt ſapientiæ nomine à Balthaſare ultimo Chaldæorum rege, & deinde apud Darium Medum gratioſiſſimus, ut in libro Danielis ipſius, & Joſephi de antiquitatibus decimo legimus. Calumniis Porphyrii in librum hujus vatis reſponderunt Methodius, & Apollinaris, & Euſebius Cæſarienſis præſul.*

Ezechiel. b Et Ezechiel.] *Hic ſacerdos fuit, & ſimul cum Daniele in captivitate populi Judaici Babylone: quod ex ejus ſcriptis apertè colligitur.*

B. L. Cog. α IN ipſa porro captivitate Babylonis] *Euſebius lib. 10. de præpar. Evang. cap 3. Clemens Alexandrinus lib. 1. ςρωμάτων.*

β Daniel.] *Præter multa, quæ de Daniele in Sacris literis leguntur, ſcribit de eo Joſephus libr. 10. Antiquit. cap. 14. Epiphanius de vita & interitu prophetarum cap. 10. De eodem Dorotheus in Synopſi cap. 17. & Iſidorus de vita & obitu ſanctorum cap. 10.*

γ Et Ezechieli] *A Judice populi Iſrael, quod eum idololatriæ argueret. apud Babylonem eſt interfectus, martyrolog Roman. 10. Aprilis. Præter ea, quæ de eo teſtantur divinæ literæ, ſcribunt Joſephus libr. 10. Antiquit. cap. 8. & 10. Epiphanius*

nius de vit. & interi. prophetar. Dorotheus in Synopſi cap. 17. de tempore ejus prophetiæ agit S. Hieronymus in Ezechielem cap. 1. & cap. 14.

δ Quorum Daniel etiam tempus.] *D. Hieronymus in proœmio in Danielem,* Illud, *inquit,* commoneo nullum prophetarum tam aperte dixiſſe de Chriſto. Non enim ſolum ſcribit eum eſſe venturum, quod eſt commune cum cæteris, ſed etiam quo tempore venturus ſit, docet. *Theodoretus in præfatione,* multò apertius, *inquit,* quam alii omnes magni Dei ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti prædixit adventum, neque ſolum ea, quæ facturus eſſet, ante commemoravit, ſed etiam tempus præſignificavit numerumque aſcripſit annorum, *eamque rationem eſſe dicit, cur Hebræi Chriſtiani nominis hoſtes eum non habeant inter prophetas, ſed inter hagiographa, ut etiam ſcribit Hieronymus præfati. 120.*

ε Numero definivit annorum.] *Nimirum capit. 9. 70. hebdomadibus annorum, quæ efficiunt 490. annos, epiſtol. 78. ad Heſychium probat Hieron. ſententiam, quod in priore Domini adventu illæ hebdomades ſint completæ. De his Athanaſius lib. de incarnat. verbi. Tertullianus lib. contra Judæos cap. 8. Clemens Alexandrinus lib. 1. ςρωμ. Julianus Pomerius l. 1. contra Judæos, unde ſumendum illarum initium, & quando completæ fuerint, variæ quidem ſunt ſententiæ, de quibus Pererius lib. 10. comment. in Danielem, & Suares in 3. partem D. Thom. diſputat. 1. ſectio 2. Alphonſus Salmeron. tom. 1. prolegom. 43. & ult. & Barradius comment. in hiſtoriam Evangel. lib. 3. cap. 2.*

ζ Etiam ſervus dicitur idem Dei filius.] *Ita vocatur Eſaiæ 42.* Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum, *in quem locum Hieronymus:* Nec mirum ſi ſervus vocetur, factus ex muliere factusque ſub lege, qui cum in forma Dei eſſet humiliavit ſe, formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo. *Zachariæ 3.* adducam ſervum meum orientem, *idque multis patrum teſtimoniis oſtendi poteſt. Nihilominus quemadmodum non concedimus ſimpliciter Chriſtum eſſe creaturam, quia licet patiatur aliquem ſenſum catholicum & verũ, quia tamen ambigua eſt locutio & poteſt habere ſenſum hæreticum & falſum, ita dicendum de hac promiſſione,* Chriſtus eſt ſervus Dei, *nimirum cum addito quatenus homo, vel ſecundum humanam in eo naturam, ſecundum quam etiam dicitur inferior ſeu minor patre.*

η Suſcitabo ſuper pecora mea.] *Hunc locum de principe paſtorum Chriſto & de illius ovibus fuſe tractat Auguſtinus tractatu de Paſtoribus, & quæſt. 5. ad Dulcitium, & Hilarius in Pſal. 131.*

CAP. XXXV.

De trium Prophetarum vaticinio, id eſt, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ.

RESTANT tres minores Prophetæ, qui prophetarunt in fine captivitatis: *a* α Aggæus, Zacharias, *b* Malachias. Quorum Aggæus Chriſtum & Eccleſiam hac apertius brevitate prophetat. *Hæc dicit Dominus exercituum: β Adhuc unum modicum; & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes* Agg. 2.

 mnes

omnes gentes, & γ veniet deſideratus cunctis gentibus. Hæc prophetia partim jam completa cernitur: partim ſperatur in fine complenda. Movit enim cœlum, angelorum & ſiderum teſtimonio: quando incarnatus eſt Chriſtus. Movit terram ingenti miraculo, de ipſo virginis partu. Movit mare & aridam, quum & in inſulis, & in orbe toto Chriſtus annunciatur. Ita moveri omnes gentes videmus ad fidem. Jam verò quod ſequitur: Et veniet deſideratus cunctis gentibus: de noviſſimo ejus expectatur adventu. Ut enim deſideratus eſſet expectantibus: prius oportuit eum dilectum eſſe credentibus. Zacharias de Chriſto &

Zach.9. Eccleſia: δ *Exulta*, inquit, *valde filia Sion, jubila filia Hieruſalem: ε ecce rex tuus veniet tibi juſtus & ſalvator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, d & ſuper pullum filium aſinæ & poteſtas ejus à mari ad mare, & à fluminibus uſque ad fines terræ.*

Luc.19. Hoc quando factum ſit, ut Dominus Chriſtus in itinere jumento hujus generis uteretur, in Evangelio legitur: ubi & hæc prophetia commemoratur ex parte, quantum illi loco ſufficere viſum eſt. Alio loco ad ipſum Chriſtum in ſpiritu prophetiæ loquens de remiſſione peccatorum per ejus ſanguinem: ζ *Tu quoque*, inquit, *in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* η Quid per hunc lacum velit intelligi, poſſunt diverſa ſentiri, etiam ſecundum rectam fidem. Mihi tamen videtur, non eo ſignificari melius, niſi humanæ miſeriæ ſiccam profunditatem quodammodo, & ſterilem: ubi non ſunt fluenta juſtitiæ, ſed iniquitatis lutum. De hoc quippe lacu etiam in Pſalmo di-

Pſ.39. citur: *Et eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto limi.* Malachias prophetans Eccleſiam, quam per Chriſtum jam cernimus propagatam, Judæis apertiſſimè dicit

Mal.1. ex perſona Dei: *Non eſt mihi voluntas in vobis: munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & θ in omni loco ε ſacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus: dicit Dominus.* Hoc ſacrificium per ſacerdotium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu uſque ad occaſum Deo jam videamus offerri: ſacrificium autem Judæorum, quibus dictum eſt: *Non mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus veſtris munus*, ceſſaſſe negare non poſſunt: quid adhuc expectant alium Chriſtum, quum hoc, quod prophetatum eſt, legunt, & impletum vident, impleri non potuerit, niſi

c. 2. per ipſum? Dicit enim paulò pòſt de ipſo ex perſona Dei: *Teſtamentum meum erat cum eo vitæ & pacis: & dedi ei, ut timore timeret, & à facie nominis mei revereretur. Lex veritatis erat in ore ipſius, in pace dirigens ambulavit mecum: & multos convertet ab iniquitate: quoniam labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem inquirent ex ore ejus: quoniam Angelus Domini omnipotentis eſt.* Nec mirandum eſt, quia ι omnipotentis Dei Angelus dictus eſt Chriſtus Jeſus. Sicut enim ſervus propter formam ſervi, in qua venit ad homines: ſic & Angelus propter Evangelium, quod nunciavit hominibus. Nam ſi Græca iſta ita interpretemur: & Evangelium bona nunciatio eſt, & Angelus nuncius eſt. De ipſo quippe iterum

Mal.3. dicit: *Ecce mittam Angelum meum & proſpiciet viam ante faciem meam: & ſubitò veniet in templum ſuum Dominus, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem*

vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus Deus omnipotens: & quis ſuſtinebit diem introitus ejus? aut quis reſiſtet in aſpectu ejus? κ Hoc loco, & primum & ſecundum Chriſti prænunciavit adventum. Primum ſcilicet, de quo ait: *Et ſubitò veniet* λ *in templum ſuum Dominus*, id eſt, in carnem ſuam: de qua dicit in Evangelio, Solvite templum hoc, & in triduo reſuſcitabo illud. Secundum verò, ubi ait: *Ecce venit, dicit Dominus omnipotens, & quis ſuſtinebit diem introitus ejus, aut quis reſiſtet in aſpectu ejus?* Quod autem dicit, *Dominus, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis:* ſignificavit utique Judæos ſecundùm ſcripturas, quas legunt, Chriſtum quærere & velle. Sed multi eorum, quem quæſierunt & voluerunt, veniſſe non agnoverunt: excœcati in cordibus ſuis, præcedentibus meritis ſuis. μ Quod ſanè hic nominat teſtamentum, vel ſuprà, ubi ait: *Teſtamentum meum erat cum eo:* vel hic, ubi eum dixit Angelum teſtamenti: novum procul dubio teſtamentum debemus accipere, ubi ſempiterna: non vetus, ubi temporalia ſunt promiſſa: quæ pro magno hic habentes plurimi infirmi, & Deo vero talium rerum mercede ſervientes, quando vident, impios abundare, turbantur. Propter quod idem Propheta, ut novi teſtamenti beatitudinem æternam, quæ non dabitur niſi bonis, diſtingueret à veteris terrena felicitate, quæ plerunque datur & malis: ν *Ingravaſtis*, inquit, *ſuper me verba veſtra, dicit Dominus, & dixiſtis: in quo detraximus de te? Dixiſtis, vanus eſt omnis, qui ſervit Deo: & quid plus, quia cuſtodivimus obſervationes ejus: & quia ambulavimus ſupplicantes ante faciem Domini omnipotentis? Et nunc nos beatificamus alienos: &* ξ *reædificantur omnes, qui faciunt iniqua: & adverſati ſunt Deo & ſalvi facti ſunt. Hæc oblocuti ſunt, qui timebant Dominum, unusquisque ad proximum ſuum: & animadvertit Dominus, & audivit: & ſcripſit librum memoriæ in conſpectu ſuo eis qui timent Dominum, & reverentur nomen ejus.* In iſto libro ſignificatum eſt teſtamentum novum, Denique, quod ſequitur, audiamus. *Et erunt mihi, dicit Dominus omnipotens, in die, quam ego facio, in acquiſitionem: & eligam eos, ſicut homo elegit filium ſuum ſervientem ſibi: & convertemini, & videbitis inter juſtum & injuſtum, & inter ſervientem Deo & non ſervientem. Quoniam ecce dies venit ardens ſicut clibanus, & concremabit eos: & erunt omnes alienigenæ omnes facientes iniquitatem ſtipula: & incendet illos dies, qui adveniet: dicit Dominus omnipotens: & non derelinquetur eorum radix, neque ſarmentum: & orietur vobis timentibus nomen meum, ſol juſtitiæ: & ſanitas in pennis ejus, & exibitis, & exultabitis, ſicut vituli ex vinculis reſoluti: & conculcabitis iniquos, & erunt cinis ſub pedibus veſtris in die, in quo ego facio, dicit Dominus omnipotens.* Hic eſt, qui dicitur dies judicii: de quo ſuo loco, ſi Deus voluerit, loquemur uberius.

α AGgæus, Zacharias.] *Horum meminit Eſdras 1. lib. 5. cap. in ſuperiore namque quum dixiſſet, tunc & intermiſſum eſt opus Domini in Hieruſalem, & non fiebat uſque annum ſecundum Darii regis Perſarum: addidit, Prophetarunt autem Aggæus Prophetæ, & Zacharias filius. Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Juda & Hieruſalem. Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Joſue filius Joſedech, & cœperunt ædificare templum Domini in Hieruſalem, & cum eis Prophetæ* L. Vives.

Dei

Dei adjuvantes eos, & ipſi ſe temporibus Darii vaticinatos teſtantur etiam eodem ſecundo Darii anno. Ceterùm Zacharias non ſe Addo filium ſed nepotem ſcribit, ex filio Barachia. Nec dubitant, inquit Hieronymus, quin hic ſit Addo, qui juxta Paralipomenon librum miſſus eſt ad Hieroboam filium Nabath, ſub quo altare diruptum eſt, & manus regis aruit. Rurſumq; ad preces illius reſtituta eſt, 2. Paralipom. 2. & 3. Reg. 13. ſed in neutro ſacrarum literarum loco nominatur Addo. in lib. Reg. ſubticetur propheta nomen, in Paralip. nuncupatur Semeias, & Propheta, qui illis temporibus vixerit, non potuit ne atavus quidem eſſe hominis Judaici Babylone captivi. Jam illud ne admonendum quidem eſt, non hunc eſſe Zachariam illum Jojada filium, quem occidit Joas rex Juda, ſecundi Paralipomenon 24. cujus meminit Chriſtus Dominus, Matthæi 23. dicens, illum occiſum inter templum & altare.

Malachias. b Malachias.] *Hic eſt, quem Septuaginta vocarunt* ἄγγελον αὐτοῦ. *hoc eſt angelum ejus. Hebraicè namque nuncium meum ſonat. Quam ob cauſam Origenes, quum in hunc Prophetam ſcriberet, ſignificationem dedit, putare ſe angelum fuiſſe, qui prophetarit, ſi Hieronymo credimus, ceteri Malachiam nominarunt. Neque enim nomina, cum in alias linguas veniunt, ex etymologia mutanda ſunt. Nemo enim Platonem vocat latum: aut Ariſtotelem optimum perfectum: vel Joſue ſervatorem vel Athenas Minervas. Relinquuntur enim nomina, ut cuique in proprio ſunt impoſita ſermone. Alioqui non lux adderetur iis, quorum verterentur in alienas linguas nomina, ſed obſcuraretur claritas quam habebant prius: quo magis miror eſſe, qui ſibi peregrina & Græca nomina aſciſcunt juxta etymon ſuorum patria lingua. qui dum ſibi famam parare ſtudent, plus media illius parte ſe fraudant, quantò ſimplicius & prudentius, adde etiam ad rerum naturam accommodatius, Cæſar, qui Gallos omnes & Germanos ſuis ipſorum appellavit nominibus, inflexis tantum finibus in formam Latinorum. Ceterùm Malachiam non deſunt, præſertim ex Hebræis, qui putent Eſdram eſſe propter conſonantiam librorum, & ſub Dario Hiſtaſpis filio prophetaſſe creditur. De Eſdra proximo capite.*

c Exulta, inquit, valde.] *Hic locus depravatus eſt ut cetera, ab eo qui noſtram editionem voluit ſequi. LXX. ſic habent:* χαῖρε σφόδρα θύγατερ σιὼν κήρυσσε θύγατερ ἱερουσαλὴμ. ἰδοὺ ὁ βασιλεύς ἔρχεταί σοι δίκαιος, καὶ σώζων αὐτοὺς. πρᾳὺς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον, καὶ πῶλον νέον, *id eſt Lætare vehementer filia Sion, prædica filia Hieruſalem: ecce rex tuus venit tibi juſtus & ſervans eos, manſuetus, & vehens ſubjugali & pullo novo. Illud quoque* χαῖρε σφόδρα *poſſet eſſe ſalutantis, ſalve multum.*

d Et ſuper pullum.] *In Hebræo legitur, ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. Matthæus ſic in 21. capite ſui Evangelii:* καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου, *ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubjugalis. Subjugalis verò erat Judaicus populus jugo tot ceremoniarum preſſus. Pullus verò novus & liber, populus gentium. In utroque populo ſedet Dominus, ut utrumque purget, & trahat ad ſe.*

e Sacrificabitur & offer.] *Apud LXX. eſt in præſenti ſic:* θυμίαμα προσάγεται τῷ ὀνόματί μου καὶ θυσία καθαρά: *ſed propheta futura quia videt, tanquam præſentia enun-*

enunciant, ſæpè etiam ut præterita, ſicut ea quæ ſequuntur, in quibus quædam ſunt mutata à traditione LXX.

α AGgæus, Zacharias, Malachias.] *Hi tres jam ſoluta captivitate prophetarunt, unde non ſatis convenit ſcripturæ, quod ſcribit Cyrillus libro 1. contra Julianum, Cyro apud Perſas regnante 56. Olympiade prophetaſſe Aggæum & Zachariam. Aggæus & Zacharias ſecundo anno Darii filii Haſtaſpis cœpere, ut ipſi docent, prior menſe ſexto, alter menſe octavo. Horum meminit Eſdras c. 4. & 5. urgebant maxime populum, ut inſtarent templo ædificando.* Sciendum juxta literam *(ait) Hieronymus prologo in Zachariam)* magni Spiritus Aggæum fuiſſe, & Zachariam Prophetas, ut adverſus Artoxerxis Regis edictum Samaritanos, genteſque cunctas per circuitum ædificationem templi impedientes juberent templum exſtrui. *Malachiam, Eſdram ſcribam legiſque doctorem fuiſſe Hebræi autumant teſte divo Hieronymo præfat. 121. quam opinionem latius in præfatione præfixa commentariis in eum Prophetam, ſecutus eſt aſſerens & tempus, & titulum, & ea, quæ in Malachiæ volumine continentur, Eſdræ optime convenire. Dorotheus tamen, cum quo conſentit Auguſtinus, diverſum illum facit ab Eſdra, ſcribens, quod poſt reditum populi è Babylone natus ſit in Supha, vocatumque aſſerit Malachiam, quod velut Angelus quidam à populo ſit habitus. De quo etiam Epiphanius libro de vit. inter Prophetas. cap. 22. & Iſidorus libro de vita & morte ſanctorum, cap. 51. Eum Origenes Angelum humana carne indutum fuiſſe putavit, quæ refellit Hieronymus in præfation. commentariorum in eundem.* P. L. Sep.

β Adhuc unum modicum & ego commovebo cœlum & terram.] *Aggæi 2. continent hæc verba promiſſionem adventus Chriſti, & quidem non ad ſecundum, ſed ad primum adventum referenda ſunt. Ita intellexere Hieronymus, Rupertus, Ambroſius libro 3. epiſt. 12. & Cyrillus libro 5. in Geneſim, & qui contra Judæos ſcripſere. Galatinus libro 4. cap. 9. & 10. Porchetus prima parte victoriæ contra Judæos cap. 7. Hadrianus Finus libro 5. cap. 2. Hæc vero ſigna intelliguntur ita exhibita in primo adventu Chriſti, quod eo naſcente cœli moti ſunt cum Angeli & ſydera teſtimonium illi præbuerunt, & Angeli gloriam Deo cecinerunt, & obſtupuerunt in admiratione tanti myſterii. Terra mota eſt, quemadmodum & David futurum prædixerat Pſ. 95.* Commoveatur à facie ejus univerſa terra, dicite in gentibus, quia Dominus regnavit, *id eſt, gaudeat & exultet terra tanti Regis adventu, norunt omnes hunc eſſe qui promiſſus ſit & tandiu deſideratus redemptor futurus generis humani.*

γ Veniet deſideratus cunctis gentibus.] *Ita Geneſ. 49. dicitur,* Expectatio gentium. *Verùm dicet aliquis, quomodo dicitur,* Deſideratus cunctis gentibus. *quibus fidei lumen nondum affulſerat, qui nihil de Chriſto audiverant. Neque enim ſub deſiderium cadere poteſt, cujus nulla notitia præextitit. Ideo D. Auguſtinus hæc interpretatur, de ſecundo adventu, & infra cap. 58.* His verbis non *(inquit)* piror adventus ejus deſideratus erat omnibus gentibus. Non enim quem debebant deſiderare, ſciebant in quem non crediderant. *Ita etiam Juſtinus Martyr Dialogo cum Tryphone interpretatus eſt de ſecundo Chriſti adventu. Verùm tota illa prophetia recte intelligitur de primo Chriſti adventu, ac primum probabiliter reſpon-*

reſponderi poteſt in omnibus nationibus fuiſſe electos, qui Chriſti fidem, ſpem ac deſiderium haberent, ut in quo uno omnem ſuæ ſalutis ſpem ac fiduciam reponerent, vel potius deſideratus cunctis gentibus *dicitur, quoniam omnes gentes illius adventu & redemptione multum indigebant, unaquæq; res quaſi quodam naturæ pondere id appetere dicitur, quo maxime indiget.*

δ Exulta valde filia Sion.] *Primi patres ac proceres Eccleſiæ ex Judæis fuerunt, & primi ad gratiam Evangelii vocati. Etſi igitur omnibus promitteretur Chriſtus, gratia ejus redundatura eſſet ad gentes, & omnes illius bonorum cœleſtium participes eſſent futuri; non immeritò tamen fœlicitas totius Eccleſiæ & adventus Meſſiæ præmittitur ei genti tanquam radici & principio illius, & tanquam matri ipſius Eccleſiæ, Chriſtus omnium benedictionum fons ex illa gente, Apoſtoli item & primi fideles; Quomodo igitur non exultandum magnopere filiæ Sion, id eſt, populo illo Judaico, & Eccleſiæ, quæ ramos ſuos copia ubertatis per univerſum mundum extenſura erat, interim ab Hieruſalem erat inceptura?*

ε Ecce Rex tuus venit tibi.] *Hanc prophetiam Joannes & Matthæus Evangeliſtæ docent, tum completam fuiſſe, cum paucis ante paſſionem diebus ingreſſus eſt Dominus Jeſus in Hieruſalem aſinæ primum, deinde pullo aſinæ inſidens. Matth. 21. Joan. 12 Euſebius lib. 8. de demonſtrat. Evangel. demonſtrat. 4. & libro 9. demonſtrat. 17. & Chryſoſtomus homil. 67. in Matthæum Jeſum Dominum noſtrum ex hoc loco argumentantur contra Judæos Chriſtum eſſe verum Meſſiam prænuntiatum hoc loco à Zacharia, quoniam à tempore Zachariæ uſque ad excidium Hieruſalem nullum Regem habuerunt, qui aſinæ inſidens ingreſſus ſit in urbem, in quo finem hæc prophetia habuerit, niſi Jeſum Nazarenum.*

ζ Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui.] *Apoſtrophe ad Chriſtum. Tu qui inſidens ſuper aſinam & ſuper pullum aſinæ ingreſſus es Hieruſalem juſtꝰ & ſalvator non eos ſolos, qui tum aderant, ſed omnes etiam juſtos, *(qui limbi carcere detinebantur,)* eduxiſti in ſanguine tuo, id eſt, virtute ſanguinis tui effuſi in paſſione:* Sanguinem teſtamenti, *vocat ſanguinem Chriſti, id eſt, pacti ſeu fœderis, per quem nimirum fœdus cum Deo initum eſt, & humanum genus creatori ſuo conciliatum,* Sanguis etiam teſtamenti dicitur, *quia per eum author vitæ moriens æternam nobis hereditatem confirmavit, utrumq; enim teſtamentum ſignificat, nempe fœdus ſive pactum, & diſpoſitionem hereditatis morientis teſtatoris.*

η Quid per hunc lacum velit intelligi.] *De limbo patrum exponunt Hieronymus, Cyrillus, D. Thomas 3. pa. quæſt. 52. artic. 1. & 5. quos omnes recentiores ſequuntur. *(Animæ enim* Patrum *uſque ad paſſionem Chriſti ibi detinebantur, nec fruebantur beatitudine; Chriſtus autem moriens inde eas liberavit beatitudinem ſiquidem & gloriam ſtatim à morte ſua illis impertivit, & tandem in cœlum ſedem beatorum ſecum tranſtulit.)**

θ In omni loco ſacrificabitur & offeretur.] *Hieronym. ex Hebræo, & etiam ex 70. tranſtulit in præſenti. Ita enim prophetæ loqui ſolent, de futuris ac ſi jam ante oculos poſita eſſent, cum certiſſimè futura ſint, quæ ſpiritu prophetico prænuntiant, imo nonnunquam ea ut præterita enuntiant. * (Omnes ad unum patres*

bunt locum de ſacrificio novi teſtamenti, quo Chriſtus incruente ſub ſpeciebus panis & vini offertur in miſſa, quod unum ſacrificiis Judaicis ſucceſſit, intellexerunt, Auguſtinus hic & infra libro 19. cap. 23. & oration. contra Judeos cap. 9. Irenaus libro 4. cap. 32. Tertullianus lib. 3. contra Marcionem c. 22. Cyprian. lib. 1. contra Judeos c. & Euſeb. lib. 1. de demonſtr. Evang. cap. 6. Juſtinus martyr dialogo cum Triphone, Chryſoſtomus in Pſal. 95. & in orat. 2. contra Judeos, ubi eos maximè urget, quod hec prophetia nunquam ſit impleta, niſi in noſtro ſacrificio. Nam Judaicum ſacrificium neque in toto orbe Deo fuit oblatum, neque offerri poteſt extra Hieruſalem lege prohibente Deut. 19. Damaſcen. lib. 4. de fide orthod. cap. 14. Hoc, *inquit*, eſt purum incruentum ſacrificium, quod à Solis ortu uſque ad occaſum Dominus per Prophetam oblatum iri prædixit. *Et tom. 4. biblioth. patrum Hieronymus à ſancta fide libro 1. contra Judeos c. 9. Ita etiam expoſuerunt Theodoretus & Rupertus in commentariis. Accedit & pleniſſima interpretatio concilii Tridentini ſeſſio. 22. cap. 1. his verbis,* Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundum offerendum prædixit.)*

ι Dei Angelus dictus eſt Jeſus Chriſtus.] *Iſaiæ 9. juxta 70. interpretes dictus eſt,* Magni conſilii Angelus. *Voluntatis enim Dei nuntius fuit & interpres, & tradidit hominibus Dei oracula. Quod verò interpretatur locum illum Malachiæ,* Ecce mittam Angelum meum, *de Chriſto, ita etiam interpretatus eſt Euſebius libro 5. demonſtrat. Evangel. cap. 28. Verùm Chriſtus ipſe de ipſo Joanne Baptiſta clariſſimè interpretatus eſt Matthæi 11. De eo enim loquens.* Hic eſt, *inquit,* de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mittam Angelum meum, *& Marcus cap. 1. & Lucas 7. hunc eundem locum de Joanne citarunt.*

κ Hoc loco primum & ſecundum Chriſti prænuntiavit adventum.] *Affirmat duplicem Chriſti adventum à Propheta prænuntiari, priorem illis verbis,* Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum, *poſteriorem ſequentibus,* Ecce veniet, & quis poterit cogitare diem adventus ejus. *Ita etiam intellexit infra libro 20. cap. 25. & 26. Et Euſebius libro 5. de demonſtrat. Evangel. cap. 28. & Cyrillus Hieroſolym. & Theodoretus in illum locum, Rupertus & alii, Franciſcus Ribera de primo adventu ſuper loqui volunt Prophetam, quia nonnulla, quæ ſequuntur in ſecundum adventum quadrare non poſſunt, ut illud,* Et erant Domino offerentes ſacrificia in juſtitia, & placebit Deo ſacrificium Juda & Hieruſalem, *(quod intelligitur de ſacrificio evangelico inſtituto à Chriſto in eccleſia.)*

λ In templum ſuum Dominus.] *Id eſt,* in carnem ſuam. *Ita interpretatur Theodoretus in commentariis humanitatem ſeu carnem domini aſſumptam, de qua intellexit Johann. 2.* Solvite templum hoc, *&c. Hieronymus de ſancta fide lib. 1. contra Judaos cap. 2. & Galatinus lib. 4. cap. 10. templum illud ſecundum extructum poſt reditum à captivitate intelligunt, & ex hoc loco argumentantur contra Judeos non amplius expectandum Meſſiam, ſed venturum fuiſſe, & ab eis expectandum ante everſionem ſecundi templi,* Dixit (ad templum ſuum) *ait Galatinus.*

tinus, ut duo ſimul, quæ Judæi negaturi erant, oſtenderet. In hoc enim & ejus divinitatem inſinuavit, niſi enim Meſſias deus futurus eſſet, fruſtra eum ad templum ſuum venturum dixiſſet, & adventus ejus tempus præfixit, cum ſtante templo illo ipſum venturum prædixit.

μ Vel ſupra, ubi ait Teſtamentum meum erat cum Deo.] *cap. 2. de teſtamento inito cum Levi, id eſt, cum genere ſacerdotali in veteri teſtamento intelligit, quod promiſiſſet Deus familiam Leviticam ſemper eo officio illi perfuncturam, neque ab ea ſacerdotium & alia miniſteria templi ablaturum.* Quod verò dicere videtur Propheta de Levi *(ait Cyrillus)* inprimis referendum eſt ad Chriſtum, qui in Levi, ut in typo, & in umbra figuratus eſt, qui & ipſa vita & pax. *Reſpexit itaque D. Auguſtinus ad præfiguratum, non ad figuram, cum de Chriſto & de novo teſtamento eum locum expoſuit.*

ν Ingravaſtis ſuper me verba veſtra.] *Ita 70. id eſt, moleſtiſſima mihi fuerunt verba veſtra. Hieronymus,* Invaluerunt ſuper me verba veſtra.

ξ Reædificantur omnes, qui faciunt iniqua.] *Hieronymus*, Ædificati ſunt facientes iniquitatem, *id eſt, quod Job. 21. dicitur de proſperitate impiorum*, Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum. Ædificare enim aliquem, *Hebraiſmus eſt pro eo quod eſt dare poſteros & facultates, unde vivant. Ita Exodi 1. dicitur Deus obſtetricibus Ægyptiorum ob ſervatos Judæorum infantes* ædificaſſe domus, *id eſt, ampliſſimam familiam & poſteros ac facultates dediſſe. Hinc Sara cupit ædificari ex Agar, Geneſ. 16. ubi enim vulgata editio habet*, Si fortè ex ea ſuſcipiam liberos. *& 70.* ἵνα τεκνοποιήσωμαι ἐξ αὐτῆς, *Hebraicè legitur* אולי אבנה ממנה, ut & ego ædificer ex ea. *Et certè dictio Hebraica* בן filius *venit à verbo* בנה, *quod ſignificat* ædificare, *eo quod* filius ſit velut quoddam ædificium patris, *in quo & nomen parentum, & facultates, & domus remanere ſolent. Id etiam notat Hieronymus in tradit. Hebraic. in Geneſ. in cap. 16.*

ο In acquiſitionem.] *Hebraic. tex. leg.* סגלה peculium, *quod Aquila* περιούσιον, *& cæteri* περιποίησιν, *interpretati ſunt, id eſt,* acquiſitionem. *Ita à D. Petro vocantur electi,* populus acquiſitionis, *ſeu in acquiſitionem*, λαὸς εἰς περιποίησιν. *1. Petr. 2. Sunt enim grex ille divinus, & illa eccleſia,* Quam Deus acquiſivit ſanguine ſuo, *Actor. 20.*

Cap. XXXVI.

De Eſdra & Machabæorum libris.

POſt hos tres Prophetas, Aggæum, Zachariam, Malachiam, per idem tempus liberationis populi ex Babylonica ſervitute *a α* ſcripſit etiam Eſdras, qui magis rerum geſtarum ſcriptor eſt habitus, quàm propheta: ſicuti eſt liber, *b* qui appellatur Heſter: cujus res geſta in laudem Dei *β* non longè ab his temporibus invenitur: niſi fortè Eſdras in eo Chriſtum prophetaſſe intelligendus eſt, quòd inter juvenes quoſdam orta quæſtione quid amplius valeret in rebus: cùm reges unus dixiſſet: alter vinum: tertius mulieres, quæ plerunque regibus im-

imperarent: *c* γ idem tamen tertius veritatem ſuper omnia demonſtravit eſſe victricem. Conſulto autem Evangelio, Chriſtum cognoſcimus eſſe veritatem. Ab hoc tempore apud Judæos reſtituto templo, non reges, ſed principes fuerunt *d* δ uſque ad Ariſtobolum: quorum ſupputatio temporum, non in ſcripturis ſanctis, quæ Canonicæ appellantur: ſed in aliis invenitur, in quibus ſunt & *e* ε Machabæorum libri: quos non Judæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet, *f* ζ propter quorundam martyrum paſſiones vehementes atque mirabiles, qui antequàm Chriſtus veniſſet in carnem, uſque ad mortem pro Dei lege certaverunt, & mala graviſſima atque horribilia pertulerunt.

a SCripſit etiam Eſdras.] *Hic fuiſſe dicitur ſcriba legis peritiſſimus, quem Hieron. tradit, fuiſſe Joſedech, cujus filius fuit Jeſus ſacerdos magnus, quem ferunt incenſos à Chaldæis legis libros memoriter reſtituiſſe, non ſine numine, commutaſſeq́; literas Hebraicas, ne cum Samaritanis, qui ex gentibus in Judæam venerant, Judæi miſcerentur. Autor Euſebius. Eis poſtea literis uſi ſunt Judæi, figura tantùm & apicibus à Samaritanicis, quæ fuerunt priſcæ illæ à Moſe datæ, diſcrepantes.* L. Vives. Eſdras.

b Sicuti eſt liber, qui appellatur Heſter.] *Heſter hiſtoriam Joſephus refert in tempora Artaxerxis, quem Cyrum dicit, vocatum eſſe. Darii enim Hiſtaſpe geniti filius fuit Xerxes, hujus Artaxeres, cognominatus μακρόχειρ: quo regnante, periculum tantum fuit Judæo nomini ab Aman propter Mardochæum patruum Heſter, ut in lib. Heſter narratur. Ejusdem eſt ſententiæ Nicephorus Græcus ſcriptor. At Euſebius non poſſe per hæc tempora Heſter, & diſcrimen Judæorum contigiſſe, videlicet Eſdræ, qui ſub hoc Artaxerxe rege, ſuæ gentis acta perſequutus eſt, de tantis rebus non taciturо. Itaque illa omnia poſteriora facit, ſtatuitq́; in regno Artaxerxis μνήμονος, hoc eſt, Mnemonis Darii nothi filii, quem ab Hebræis Aſſuerum vocari ſolitum perbi-[illegible] aſtipulatorem ſibi habet Bedam in temporibus. Cæterùm vereor, ne non tam Euſebio conſtet ſua ratio, quàm Joſepho. Nos hic in plerisque alienas potius ſententias referimus, quàm aperimus noſtram.* Heſter.

c Idem tamen tertius veritatem.] *Hic eſt Zorobabel. qui veritatem cæteris præſtare vi ac virtute dixit, tertio Eſdræ 3. cap. Et Joſephus lib. 11. Antiq. ſed tertius & quartus libri Eſdræ inter Apocrypha rejiciuntur, quos Hieronymus vocat ſomnia.*

d Uſque ad Ariſtobolum.] *Euſebius ſic inquit, Ariſtobolus filius Jonathæ rex pariter & pontifex, primus apud Judæos diadematis ſumpſit inſigne: poſt cccclxxxiiij. annos Babylonicæ captivitatis, intellige ex quo Nabuchodozor populum in Chaldæam tranſtulit.*

e Et Machabæorum libri.] *Machabæorum liber prior, Hebraicè lectus eſt ab Hieronymo, alter Græcè tantùm, aitq́; ex ipſa phraſi probari poſſe, à primo eſſe Græcè conſcriptum. Idem adverſus Pelagianos Joſephum nominat Machabæorum hiſtoriæ ſcriptorē. Neſcio, an autorem ſignificet horum duorum voluminum Machabææ hiſtoriæ, quam inter ſacra habemus, an libelli cujusdam, qui ſeparatim Græcus circumfertur ἐπιγέγραπτου εἰς τοὺς μακκαβαίους. Eſt & tertius Machabæorum Græcus itidem, nondum, quod ſciam, verſus in linguam Latinam: hunc non videtur, Eccleſia recepiſſe in canonem.*

f Propter quorundam.] *Nam ſeptem fratres cum matre juſſi ab Antiocho rege* va-

patrias leges violare, maximo animo ſe potiùs excarnificari paſſi ſunt, quàm ut legem Dei peccarent.

F.L.C.9. a SCripſit etiam Eſdras] *Hic fuit ſcriba legis peritiſſimus, frater Joſedec ſummi ſacerdotis & filius Saraiæ ſummi quoque ſacerdotis, ut colligitur ex 1. paralip. 6. ubi in genealogia ſummorum ſacerdotum dicitur Joſedec filius Saraiæ & ex 1. Eſdræ 7. ubi item Eſdras dicitur filius ejuſdem Saraiæ, non autem inde cum aliis colligendum eundem eſſe Esdram & Joſedech. Hic poſt Zorobabelem & Joſue filium Joſedec ſummum ſacerdotem Babylone Hieroſolyma venit anno 7. Xerxis, qui patri Dario Hiſtaſpis filio ſucceſſerat, ut regni, ita paternæ pietatis hæres ſumma benevolentia Judæos proſecutus & nihil prætermittens, quod ad inſtaurandum templum & reſtituendum divinum cultum ſpectare videretur, ut videre eſt 1. Eſdræ 7. & apud Joſephum libr. 11. Antiquit. capite 5. Feruntur quatuor libri Eſdræ, *(quorum duo primi in canonem ſacrorum librorum ab Eccleſia recepti ſunt, duo poſteriores habiti apocryphi. Concilium Tridentin. ſeſſ. 4.)* Hieronymus præfat. 109 in Esdram & Nehemiam, & in prologo Galeato. Hic characteres, qui nunc ſunt in uſu, inveniſſe traditur, & id affirmat Hieronymus in prologo Galeato:* Certum eſt, *inquit,* Eſdram ſcribam legisque doctorem poſt captam Hieroſolymam & inſtaurationem templi ſub Zorobabel alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur, cum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint, *Et Ezechiel. 9.* Antiquis, *ait,* Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema thau litera crucis habet ſimilitudinem. *Euſebius in Chronico.* affirmatur, *inquit,* Eſdras ut Samaritanis non miſcerentur literas Judaicas commutaſſe, fortaſsè id fecit conſulto & prudenter, ne ſapientiam diſcebat & præ exercitamentum divinarum rerum humana ita facilè Judæi cum Samaritanis commercium haberent. *Quidam eum authorem faciunt punctorum & accentuum, quibus hodie notantur libri Hebraici. Verùm conſtat ex libris B. Hieronymi nulla ſuo tempore exſtitiſſe, ſunt qui adinventa velint, paulò poſt tempora Honorii Imperatoris anno ab everſo templo à Romanis 436. à Chriſto paſſo 476. in Tiberiade urbe Galileæ. 1. Eſdræ 7. dicitur* ſcriba velox in lege Moſis. *Non deſunt etiam ex patribus, qui velint omnes libros ſacros cum prius periiſſent Chaldæis invadentibus Hieruſalem & incendentibus templum ab eo fuiſſe reſtitutos. Ita docet Tertullianus lib. de habitu mulier. c. 3.* Hieroſolymis, *ait,* Babylonica expugnatione deletis omne inſtrumentum Judaicæ literaturæ per Eſdram conſtat reparatum. *Euſebius in Chronico,* fuit Eſdras eruditiſſimus legis divinæ & clarus omnium Judæorum magiſter, qui de captivitate fuerunt regreſſi in Judæam, affirmaturque divinas ſcripturas memoriter condidiſſe. *Clemens Alexandrinus lib. 1. ςρωμα. Iſidorus lib. de vita & morte ſanctor. Theodoretus in præfatio. pſalmorum, Lyranus Esdræ 7, Abulenſis lib. 7. paralipom. cap. 9. quæſt. ult. Ireneus lib. 3. cap. 25. Hieronymus lib. contra Helvidium Esdram reſtauratorem pentateuchi nominat, verùm non probabile eſt omninò periiſſe ſacros illos libros, ut Spiritu ſancto iterum eos dictante reſtitueris Eſdras, ſed fuiſſe Eſdram ſacrorum librorum inſtau-*

inſtauratorem non omnia iterum dictando, ſed colligendo & ordinando ſcripturas in unum corpus, quarum partes in variis locis reperiunt, & etiam emendando ut qui peritiſſimus eſſet legis ſi quæ ſcribarum injuria depravata erant, & hujus ſententia eſt Divus Athanaſius in Synopſi, Chryſoſtomus homil. 8. ad Hebræos, D. Hilarius præfat. in pſalmos. Hanc ſententiam amplectitur & probat Bellarminus lib. de verbo Dei cap. 1. Barradius lib. 5. Harmon. Evang. cap. 4.

β Non longè ab his temporibus.] *Quando contigerint ea, quæ in libro Eſter habentur, non apud omnes omninò conſtat. Certum eſt poſt captivitatem Babylonicam, cum jam florerent res Perſarum, jam omninò everſo regno Aſſyriorum. ſi quidem Aſſuerus ille maritus Eſteris dicitur rex Perſarum, & longè latèque dominatus fuiſſe: verùm quis ille fuerit ex regibus Perſarum, ex quo conſtet quando contigerit illa hiſtoria, non omnes conſentiunt. Non eſt tamen noſtri inſtituti immorari in omnibus ſententiis circa hoc recenſendis. Cæteris probabiliorem puto eam ſententiam, quæ Artoxerxem Longimanum, qui patri Xerxi in regnum ſucceſſit, aſſerit fuiſſe maritum Heſteris, illo autem regnante ut aliqui volunt; vel ut alii regnante patre Xerxe anno regni illius 7. Eſdras Babylone reverſus eſt Hieruſalem. Unde circa eadem fere tempora, quibus ea contigerunt, quæ ſcribit Eſdras lib. 1. ea etiam contigerunt, quæ in libro Eſter habentur, & iiſdem temporibus vixere Eſter, Mardochæus & Eſdras ſacerdos ac ſcriba legis, eo hanc ſententiam amplector, quod ſit Joſephi libr. 11. Antiquit. cap. 6. qui rerum Judaicarum fuit peritiſſimus, neque eſt quod quis objiciat Mardochæum Eſter 11. dici fuiſſe de numero captivorum, quos tranſtulit Nabuchodonozor rex Babylonis de Hieruſalem cum Jechonia rege Juda, ergo Mardochæus non potuit pervenire ad tempora Artoxerxis Longimani, vel certè ea non geſſit, quæ in libro Eſter nominantur: reſpondetur enim non in ſeipſo, ſed in parentibus fuiſſe tranſlatum, quia ex his genus ducebat, qui Babylonem fuere ducti captivi.*

γ Idem tamen tertius veritatem.] *Hic fuit Zorobabel, qui cæteris duobus ſociis, altero quidem extollente vini potentiam, altero regiam poteſtatem, mulierum vim præpollentem, oſtendens mox veritati ut omnibus fortitudine longè præſtanti primus partes attribuit, cujus ſententia regi Dario Hyſtaſpis filio, nam illo regnante hæc hiſtoria contigit, maximè probata fuit. Habetur hiſtoria 3. Eſdræ cap 4. unde conſtat eum librum illa continere, quæ geſta ſunt ante Eſdræ & Nehemiæ præcedentes libros, ideoque apud Græcos & canonicus eſt, & Eſdræ primus. Ab Origene citatur ut canonicus homil. 9. in Joſue, ab Athanaſio lib. 3. contra Arrianos, à Cypriano epiſt. 74. ad Pompejum, & lib. de ſingularitate clericorum cap. 21. & Auguſtinus videtur hic non obſcurè eum habere pro canonico, ut qui ſententiam illam tertii de victoria & fortitudine veritatis ſupra omnia, prophetiam de Chriſto dici poſſe judicet, qui veritas ipſiſſima eſt, & qui in omnia tandem dominium ac imperium obtineret. Eandem ſententiam refert Joſephus libro. 11. Antiquitat. caput. quarto.*

δ Uſque ad Ariſtobulum.] Ariſtobulus Johannis Hircani filius (*non Jonathæ ut mendosè ex Euſebio habet Vives*) primus poſt captivitatem Babylonicam ſuſcepto diademate regio regem ſe appellavit poſt 481. annos & menſes tres, ex quo de captivitate Babylonica liberatus populus ad priſtinas ſedes

poſt

poſtliminio reverſus eſt, *ut ſcribit Ioſephus libr. 13 Antiquitat. cap. 19. de qua tamen annorum ſupputatione non ſatis certo conſtat. Nam etſi liberationem illam intelligamus factam anno primo Cyri Regis, certè incidit in primum annum Olympiadis 55. regnum autem Ariſtobuli refert Euſebius in Olympiadem 169. unde fluxerunt à prima illa liberatione populi ſeu à primo anno Cyri uſque ad regnum Ariſtobuli 114. Olympiades, quæ tantùm efficiunt 456. annos.*

ε Machabæorum libri, quos non Judæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet.] *Idem ſcribit libr. 2. contra Epiſtolam Gaudentii cap. 31.* Hanc, *inquit*, ſcripturam, quæ appellatur liber Machabæorum, non habent Judæi ſicut legem, Prophetas & pſalmos, quibus Dominus teſtimonium perhibet tanquam teſtibus ſuis Lucæ 24. ſed recepta eſt ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobriè legatur, & audiatur. *Hanc verò cautionem præſcribit Auguſtinus, quia de Razia illo agebat, qui ſeipſum interfecerat 2. Machabæorum 14.* Id ergo vult ſobriè legi, *id eſt*, non temere intelligi, *ut inde aliquis colligat ſibi licere violentas manus adferre, ut colligebant Circumcelliones, contra quos ibi diſputat.* *(*Hos libros eſſe canonicos docent concilium Cartaginenſe 3. can. 47. Tridentin. ſeſſ 4. Innocentius epiſtola 3 ad Exuperium cap. ult. Gelaſius in Concilio 70. Epiſcoporum decreto de libris canonicis, ubi duo libri vocantur liber unus Machabæorum, quia de una & eadem re agunt. D Auguſtinus etiam lib. 2. de doctrin. Chriſtian. cap. 8. eos inter libros canonicos recenſet, & lib. de cura pro mortuis agenda cap. 1. ex his probat pro mortuis ſacrificandum: & veteres patres hac ſcriptura velut divina uſi ſint ad doctrinæ, fidei & morum confirmationem, ut Tertullianus lib. contra Judæos, Cyprianus lib. 1. epiſto 4. & lib. 6. epiſt. 6. de exhortat. marty. cap. 6. & 11. lib. 3 ad Quirinum cap. 4. 15. & 53. D. Ambroſius lib. 2. Officio. cap. 40. & 41. & lib. 2. de Iacob & vita beata cap. 10. 11 & 12 Chryſoſtomus homil. 4. de verbis Iſaiæ,* vidi dominum. *& in Pſal. 44. Quod verò D. Hieronymus præfatione in libros Salomonis* ejusmodi eſſe negat, ut ad Eccleſiaſticorum dogmatum valeant authoritatem, *quomodo intelligendum ſit explicat ſub finem lib 2. contra Rufinum;* non quid, *inquit*, ipſe ſentirem, ſed quid illi *(de Rabinis Hebræorum loquens)* contra nos dicere ſoleant, explicavi.)*

ζ Propter quorundam martyrum paſſiones.] *Eleazarum intelligit & ſeptem fratres Machabæos una cum matre, qui maluerunt extrema quæq; perpeti tormenta, quam à patriis Dei legibus recedere, de quibus lib. 2. Machabæor. cap. 6. & 7.*

Cap. XXXVII.

Quòd prophetica autoritas omni origine gentilis philoſophiæ inveniatur antiquior.

Tempore *a* igitur noſtrorum prophetarum, quorum jam ſcripta ad notitiam ferè omnium gentium pervenerunt: Philoſophi gentium nondum erant, qui hoc etiam nomine vocarentur, *b* quod cœpit à Samio Pythagora, *α* qui eo tempore, quo Judæorum ſoluta eſt captivitas cœpit excellere atque cognoſci. Multò ergò magis cæteri Philoſophi poſt Prophetas reperiuntur fuiſſe. *c* β Nam ipſe Socrates Athenienſis magiſter omnium, qui tunc maximè claruerunt,

runt, tenens in ea parte, quæ moralis vel activa dicitur principatum, poſt Eſdram in Chronicis invenitur. *γ d* Non multò poſt etiam Plato natus eſt, qui longe cæteros Socratis diſcipulos anteiret. Quibus ſi addamus etiam ſuperiores, qui nondum Philoſophi vocabantur, ſeptem ſcilicet ſapientes, ac deinde phyſicos, qui Thaleti ſucceſſerunt, in perſcrutanda natura rerum ſtudium ejus imitati, Anaximandrum ſcilicet & Anaximenem, & Anaxagoram, aliosque nonnullos, antequàm Pythagoras ſe philoſophum primus profiteretur, nec illi prophetas noſtros univerſos temporum antiquitate præcedunt: quandoquidem *ε* Thales, poſt quem cæteri fuerunt, regnante Romulo emicuiſſe fertur, quando de fontibus Iſrael eis literis, quæ toto orbe manarent, prophetiæ flumen erupit. *ζ* Soli igitur illi Theologi Poëtæ, Orpheus, Linus, Muſæus, & ſi quis alius apud Græcos fuit, his Prophetis Hebræis, quorum ſcripta in autoritate habemus, annis reperiuntur priores. Sed nec ipſi verum Theologum noſtrum Moyſen, qui unum verum Deum veraciter prædicavit, cujus nunc ſcripta in autoritatis canone prima ſunt, tempore prævenerunt: ac per hoc, quantum ad Græcos attinet, in qua lingua literæ hujus ſeculi maximè ferbuerunt, nihil habent, unde ſapientiam ſuam jactent, quo religione noſtra, ubi vera ſapientia eſt, ſi non ſuperior, ſaltem videatur antiquior. Verùm quod fatendum eſt, non quidem in Græcia, ſed in barbaris gentibus, ſicut in Ægypto, jam fuerat ante Moyſen nonnulla doctrina, quæ illorum ſapientia diceretur: alioquin non ſcriptum eſſet in libris ſanctis, *η* Moyſen eruditum fuiſſe omni ſapientia Ægyptiorum, tunc utique quando ibi natus eſt *e θ* & à filia Pharaonis adoptatus atque nutritus, etiam liberaliter educatus eſt. Sed *ι* nec ſapientia Ægyptiorum ſapientiam prophetarum noſtrorum tempore antecedere potuit, quandoquidem *κ* & Abraham propheta fuit. Quid autem ſapientiæ eſſe potuit in Ægypto, antequam eis Iſis, quam mortuam tanquam deam magnam colendam putaverunt, literas traderet? Iſis porrò Inachi filia fuiſſe proditur, qui primus *λ* regnare cœpit Argivis, quando Abrahæ jam nepotes reperiuntur exorti.

a TEmpore igitur noſtrorum prophetarum.] *Auguſtinus hoc capite colligit, ſcripta veteris teſtamenti eſſe antiquiora ſapientibus & philoſophis Græciæ, quod multis argumentis oſtendunt Joſephus contra Apionem, Euſebius in Evangel. præparat. & Juſtinus martyr ad gentes. Cæterùm hoc ex iis, quæ à nobis ſuperioribus hujus libri capitibus ſunt adducta ſatis ſuperq; poteſt liquere.* L. Vives.

b Quod cœpit à Samio Pythagora.] *Pythagoram, Cicero dicit, fuiſſe ſuo regnante gentili, hoc eſt, Servio Tullio, idem Liv. 1. haud dubiè vixit temporibus Cyri Perſæ, & Tullii Romani regis, ſed ultimis. floruit enim ſexageſima olympiade, quæ regnum Tarquinii ſuperbi incurrit. Euſebius mortem ejus in lxx. olympiade locat. quo tempore jam Hieroſolymis Judæi captivitate ſoluti tranquillè degebant.* Pythagora.

c Nam ipſe Socrates.] *Socrates, ut Apollodorus, inquit lxxvij. Olymp. anno quarto quadraginta ferè annis poſtquam Judæi à Dario juſſi ſunt, templum & urbem reparare.*

d Non multò pòſt etiam Plato natus.] *Lxxxviij. Olymp. eodem autore.*

e Et à filia Pharaonis adoptatus.] *Artapanus, ut tradit Euſebius lib. 9. præpar. ait, Merin Chenephris Ægyptiorum regis filiam, quum ipſa non pareret, adoptaſſe puerum Judæum, quem Hebræi Moſen, Græci Muſæum vocant.*

F.L.C.37. α *OStendit hoc capite, ſacros ſcriptores ac prophetas antiquiores exſtitiſſe Græcis philoſophis ac ſapientibus, quod idem demonſtrarunt veteres illi noſtræ religionis defenſores adverſus Gentiles; Juſtinus Martyr in exhortat. ad gentes. & Apologia 2. pro Chriſtianis, Euſeb. lib. 10. de præparat. Evangel. cap. 2. & 3. & initio Chronici, Lactantius lib. 4. cap. 5. Theophilus ad Antolycum ſermone 3. Tatianus Orat. contra Græcos, Clemens Alexandrinus 1. ςρωμα. Cyrillus lib. 1. contra Julianum, Theod. lib. 2 de Græc. affect. curat. qui Moſem Oceanum appellat, à quo fluvii alii emanarunt, quod & ante fecerat Joſephus contra Appionem. Plato etiam in Timæo fatetur non obſcure, Græcos à Barbaris diſciplinas accepiſſe.*

β Qui eo tempore, quo Judæorum ſoluta eſt captivitas.] *Scribit Euſebius in Chronico, Pythagoram floruiſſe & claruiſſe Olympiade 64. & lib. 10. de præparat. Evangel. cap. 3. ſcribit floruiſſe 62. Olympiade ex Tatiano, cum apud Hebr. eſſet Pontifex Jeſus filius Joſedech & principatum gereret Zorobabel, & ultimi prophetarent Aggæus, Zacharias & Malachias Servio Sulpitio regnante apud Romanos. Cicero 1. Tuſculanarum ſcribit, regnante Tarquinio Superbo Pythagoram in Italiam veniſſe, & 4. Tuſculana ſcribit, eum fuiſſe in Italia iisdem temporibus, quibus I. Brutus patriam liberavit. Laertius ſcribit, floruiſſe Pythagoram Olympiade ſexageſima, Dionyſius Alexandrinus lib. 2. Antiquitat. Romana. ſcribit, poſt 50. Olympiadem Pythagoram veniſſe in Italiam.*

γ Non ipſe Socrates Athenienſis.] *Eum Laertius natum ſcribit 77. Olympiadis anno quarto, mortuum vero anno 1. 95. Olympiadis 70. ætatis anno.*

δ Non multo poſt etiam Plato natus eſt.] *Ut ſcribit Laertius ex Apollodoro 88. Olympiade & moritur primo anno 108. Olympiadis octogeſimum & primum ætatis annum agens.*

ε Thales regnante Romulo] *De hoc ſupra cap. 24. Ubi idem aſſerit D. Auguſtinus, Laertius eum poſteriorem facit Romulo, ſiquidem ex Apollodoro ſcribit ortum primo anno 35. Olympiadis. Euſebius ex Tatiano lib. 10. de præparat. Evangel. cap. 13.* Thales vetuſtiſſimus omnium, qui ſeptem ſapientes appellantur, in 50. vivebat Olympiade.

ζ Soli igitur Poetæ, &c.] *Linus floruiſſe perhibetur eo tempore, quo Othoniel apud Hebræos rempublicam adminiſtrabat. Orpheus Thrax & ejus diſcipulus Muſæus vixiſſe perhibentur Gedeone rempublicam item Iſraeliticam adminiſtrante, teſte Euſebio in Chronico, quo fit, ut prophetas quidem, quorum exſtant ſcripturæ, præceſſerint, poſteriores vero Moſe fuerint. Alii vero longe poſteriores ætate eos faciunt. vide Pererium in Exod. cap. 2. diſputat. 3.*

η Moſem eruditum fuiſſe omnia ſapientia Ægyptiorum.] *Actor. 7. merito quæritur, quæ & qualis fuerit apud Ægyptios illos priſcos tēpore Moſis doctrina & ſapientia. Juſtinus Martyr quæſtio. 25. ad Orthodoxos duplicem ſcribit fuiſſe apud Ægyptios tum temporis doctrinam, unam quidem forenſem & vulgarem & quibuſlibet*

bet tradi ſolitam; Erat verò hæc Arithmetica, Geometria, & Aſtrologia; alteram vero ſecretam & ſacram hieroglyphicam dictam, apud eos in magno pretio habitam, nec quibuslibet, ſed eximiis tantum viris tradi ſolitam. Clemens Alexandrinus de eo argumento ita ſcribit lib. 1. ςρωμᾶ. cum ætate eſſet grandior Moſes Arithmeticam & Geometriam, Rythmicam & Harmonicam & præterea Medicinam ſimul & Muſicam doctus eſt ab iis, qui erant inſignes inter Ægyptios, & præterea eam, quæ traditur per ſymbola ſeu ſigna philoſophiam, quam in literis oſtendunt hieroglyphicis. *Alium autem doctrinæ orbem tanquam puerum regium Græci eum docuere in Ægypto, ut dicit Philo in vita Moſis. Didicit autem literas Ægyptiorum & rerum cœleſtium ſcientiam à Chaldæis & ab Ægyptiis, unde in ejus rebus geſtis dicitur,* Doctus fuiſſe in omni ſapientia Ægyptiorum. *Quod verò dicit Philo lib. 1. de vita Moſis, è Græcia accerſitos fuiſſe ſapientiſſimos & doctiſſimos viros, qui Moſem edocerent, omninò falſum eſt, cùm nullum tunc temporis eſſet nomen Græcorum, nulla apud eos exſtaret ſapientia vel literarum cognitio, & à barbaris longè poſterioribus doctoribus acciperent, & primus omnium Cadmus dicitur literas à Phœnicibus acceptas in Græciam tranſtuliſſe, & in uſum Græcorum primum induxiſſe, qui longe Moſe poſterior fuit. D. Hieronymus in 1. cap. Danielis dicit Danielem & ſocios didiciſſe literas & ſcientiam Chaldæorum ea mente, qua Moſes Ægyptiorum ſapientiam didicerat. Scribit verò Juſtinus Martyr ubi ſupra, Moyſem etiamſi ſcientiam habebat eorum, quæ tradebantur diſciplinis illis Ægyptiorum, non tamen uſum, ut pote contraria divino Hebræorum regimini. quod tamen intelligendum ſi quæ in illis diſciplinis traderentur, quæ ſuperſtitionem aliquam & vanitatem magis quàm pietatem & ſapientiam redolerent. Cyrillus lib. 1. contra Julianum,* Moſes adoleſcens adhuc etiam Ægyptiorum ſapientiā diſcebat, & præexercitamentum divinarum rerum humana quodammodo faciebat. *D. Athanaſius oratione contra Sabellii gregales:* Recipit in ſe animus Moſis omnem Ægyptiorum ſapientiam, & eam ſapientiam, quæ illi à Deo imperita eſt. *Qua ratione etiam, & in quem finem liceat Chriſtiano Gentilium diſciplinas edoceri exemplo Moſis, vide D. Auguſtinum lib. 2. doctrin. Chriſtia. cap. 11.*

θ Et à filia Pharaonis adoptatus.] *Exodi 2. act. 7. Philo lib. 1. de vita Moſis, Joſephus lib. 2. antiquit.*

ι Nec ſapientia Ægyptiorum ſapientiam prophetarum noſtrorum.] *Unde iſtiusmodi ſapientiam acceperint Ægyptii, vel quis primus apud eos eam ſit profeſſus, illosq; docuerit, vide Pererium in cap. Geneſ. 12. diſputat. 6. & in caput 2. Exodi diſputatione 8.*

κ Et Abraham Propheta fuit.] *Geneſ. 20. dicitur Abraham propheta, nemo ante eum in ſcriptura dictus eſt propheta, habuit enim varias ac multiplices viſiones, & cum ad prophetiam viſio minime ſufficiat, ſiquidem intelligentia opus eſt in viſione, quid ſibi vellent illæ viſiones intellexit; An non habuit multas revelationes de Chriſto, de futura benedictione omnium gentium, & de multiplicatione eccleſiæ.*

λ Regnare cœpit Argivis quando Abrahæ jam nepotes.] *Euſebius in Chronico Inachi regis, cujus filia fuit Iſi, regnum inchoat poſt mortem Abrahæ, ſupra cap. 3.*

Regnum Argivorum ſimul cum Abrahæ nepotibus ortum eſt, ubi primus regnavit Inachus. *vide Euſebium initio Chronici.*

Cap. XXXVIII.

Quòd quædam ſanctorum ſcripta eccleſiaſticus canon propter nimiam non receperit vetuſtatem, ne per occaſionem eorum falſa veris inſererentur.

JAm verò ſi longè antiquiora repetam, & ante illud grande diluvium noſter erat utique Noë patriarcha, *α* quem prophetam quoque non immeritò dixerim: ſiquidem ipſa arca, quam fecit, & in qua cum ſuis evaſit, prophetia noſtrorum temporum fuit. *β* Quid Enoch ſeptimus ab Adam? Nonne etiam in canonica epiſtola Apoſtoli Judæ prophetaſſe prædicatur? quorum ſcripta, ut apud Judæos, & apud nos in autoritate non eſſent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur, habenda eſſe ſuſpecta, ne proferrentur falſa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipſorum eſſe dicuntur ab eis, qui pro ſuo ſenſu paſſim, quod volunt, credunt. Sed ea caſtitas canonis non recepit, non quòd eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur autoritas, ſed quòd iſta eſſe non credantur ipſorum. Nec mirum debet videri, quòd ſuſpecta habeantur, quæ ſub tantæ antiquitatis nomine proferuntur, quandoquidem in ipſa hiſtoria regum Judæ, & regum Iſrael, quæ res geſtas continet, de quibus eidem ſcripturæ canonicæ credimus, commemorantur plurima, quæ ibi non explicantur, *a γ* & in libris aliis inveniri dicuntur, quos prophetæ ſcripſerunt, & alicubi eorum quoque prophetarum nomina non tacentur: nec tamen inveniuntur in canone, quem populus Dei recepit. Cujus rei, fateor, cauſa me latet, niſi quòd ego exiſtimo etiam ipſos, quibus ea, quæ in autoritate religionis eſſe deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat, alia ſicut homines hiſtorica diligentia, alia ſicut prophetas inſpiratione divina ſcribere potuiſſe, atque hæc ita fuiſſe diſtincta, ut illa tanquam ipſis, iſta verò tanquam Deo per ipſos loquenti judicarentur, eſſe tribuenda: ac ſic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis autoritatem, in qua autoritate cuſtoditur canon; præter quem, ſi qua jam etiam ſub nomine virorum prophetarum ſcripta proferuntur, nec ad ipſam copiam ſcientiæ valent, quoniam utrum eorum ſint, quorum eſſe dicuntur, incertum eſt: & ob hoc eis non adhibetur fides, maximè his, in quibus etiam contra fidem librorum canonicorum quædam leguntur, propter quod ea prorſus illorum non eſſe apparet.

L. Vives. *a* ET in libris aliis inveniri dicuntur.] *Nam in fine primi libri Paralipomenon geſta David dicuntur conſcripta à Samuele & Nathan, & Gad prophetis: tum in cap. 9. poſterioris libri Paralipomenon acta Salomonis perſecutus dicitur Nathan vates, & Achias Silonites, & Addo propheta, qui etiam retuliſſe diligentiſſimè fertur acta Abia regis Juda: geſta quoque Joſaphat perſcripſit Jehu filius Anani, 2. Paralip. 20.*

a Quem

α QUem prophetam quoque non immerito dixerim.] *Quod divinas revelationes habuerit, & quod etiam fortaſſe intellexerit, in cujus rei ſignificationem juberetur à Deo fabricare illam arcam, in qua ſervarentur generis humani reliquiæ; quod etiam ſacrorum interpres tum temporis apud ſuos, & concionator fuerit, quo ſenſu accepit verbum prophetandi D. Paulus 1. Corinth. 14.* Qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem & conſolationem; *Tum etiam quod Dei amicus & familiaris, qua ratione etiam Geneſ. 20. dictus eſt Abraham Propheta. Philo Judæus lib. quis divina. rer. heres* Noe juſtus nonne prophetat etiam, alioqui quomodo potuerunt benedictiones ejus maledictionesque vim ſuam obtinere apud poſteros?

β Quod Enoch ſeptimus ab Adam.] *De eo Geneſ. 5. Judas Apoſtolus ex ejus libro ſumit teſtimonium, rejicitur tamen à canone ſacrorum librorum, & Auguſtinus hoc loco putat non eſſe ab Enoch ſcriptum, de quo plura dixi ſupra ad cap. 23. lib. 15. Hieronymus inter apocryphos connumerandum cenſent, lib. de viris illuſtrib. agens de Juda Apoſtol. Contrà Tertullian. lib. de habit. mulieb. cap. 3. fuiſſe ſcriptum ab Enoch aſſerit, neque in armarium Judaicum admitti, à Chriſtianis tamen non eſſe rejiciendum, & ipſe inde multa teſtimonia paſſim citat, ut lib. de idololatria, de pudicitia, de cultu virginum; quod idem facit Origenes homil. 82. ſuper Numeros, & in Anacephalæoſi lib. 4. de princip. vide Sixtum Senenſem lib. 2. biblioth. ſancta V. Henoch.*

γ In libris aliis inveniri dicuntur.] *Ita citatur in ſcriptura liber bellorum domini, liber dierum Regum Juda lib. 1. paralipo. dicuntur geſta David ſcripta à Samuele & Nathan & Gad Prophetis.*

CAP. XXXIX.

De Hebraicis literis, quæ nunquam in ſua linguæ proprietate non fuerunt.

NOn α itaque credendum eſt, quod nonnulli arbitrantur, Hebræam tantùm linguam, per illum, qui vocabatur Heber, unde Hebræorum vocabulum eſt, fuiſſe ſervatam, atque inde perveniſſe ad Abraham. *a* Hebræas autem literas à lege cœpiſſe, quæ data eſt per Moyſen: ſed potius per illam ſucceſſionem patrum, memoratam linguam cum ſuis literis cuſtoditam. Denique Moyſes in populo Dei conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priusquam divinæ legis ullas literas noſſent. Hos appellat ſcriptura β grammaton *b* iſagogos, qui Latinè dici poſſunt literarum inductores vel introductores, eo quòd eas inducant quodammodo in corda diſcentium, vel in eas potius ipſos, quos docent. Nulla igitur gens de antiquitate ſapientiæ ſuper Patriarchas & Prophetas noſtros, quibus inerat divina ſapientia, ulla ſe vanitate iniqua jactaverit, quando nec Ægyptus invenitur, quæ ſolet falsò & inaniter de ſuarum doctrinarum antiquitate gloriari, qualicunque ſapientia ſua Patriarcharum noſtrorum tempore præveniſſe ſapientiam. Neque enim quisquam dicere audebit mirabilium diſciplinarum eos peritiſſimos fuiſſe, antequam literas noſſent, id eſt, antequam Iſis eò veniſſet, easque ibi docuiſſet. Ipſa porrò eorum memorabilis

rabilis doctrina, quæ appellata eſt ſapientia, *g* quid *c* erat niſi maximè aſtronomia, & ſi quid aliud talium diſciplinarum *ð* magis ad exercenda ingenia, quam ad illuminandas vera ſapientia mentes valere ſolet? Nam quod attinet ad philoſophiam, quæ ſe docere aliquid profitetur, unde fiant homines beati circa tempora Mercurii, quem Triſmegiſtum vocaverunt, in illis terris ejusmodi ſtudia claruerunt: *d e* longè quidam antè ſapientes vel philoſophos Græciæ, ſed tamen poſt Abraham, & Iſaac, & Jacob, & Joſeph, nimirum etiam poſt ipſum Moyſen. Eo quippe tempore, quo Moyſes natus eſt, fuiſſe reperitur *ζ* Atlas ille magnus aſtrologus Promethæi frater, maternus avus Mercurii majoris, cujus nepos fuit Triſmegiſtus iſte Mercurius.

L. Vives. Moſes. *a* HEbræas autem literas à lege cœpiſſe.] *Vulgaris & noſtrorum & Hebræorum opinio literas Hebræas Moſen habuiſſe authorem, quod Eupolemus & Artapanus aliique prophani ſcriptores aſſerunt, qui Moſen ſapientiſſimum fuiſſe, hominem tradunt, literarumque inventorem, quas Judæis tradidit, à quibus viciri Phœnices acceperunt, à Phœnicibus Græci per Cadmum. Quin & Ægyptiis quoque dediſſe Moſen literas, Artapanus idem credit: Moſenq́; eſſe Mercurium illum. ſic enim eum vocaverunt Ægyptii, quem apud Græcos omnes Latinosq́; ſcriptores literas gentem Ægyptiam docuiſſe conſtat. Quod ſi quis inquirat, quibus ergo ſapientia illa Ægyptiorum continebatur literis, qua Moſen inſtitutum eſſe legimus, inveniat forſan voce tantùm eam ſolitam tradi percipiq́;, & docentium diſcentiumque memoria aſſervari, literarum, ſi quæ tunc erant, formas, imagines fuiſſe animalium, quæ ἱερογλυφα γράμματα, hoc eſt, literas in ſacris ſculptas nominabant. Philo verò Judæus ad Abraham inventionem literarum Hebraicarum refert: ſed multis ante Abraham annis literæ videntur fuiſſe. nam Joſephus primo Antiquit. narrat, à filiis Seth filii Adam duas erectas columnas, lapideam unam, alteram lateritiam, inſcriptasq́; in eis artes, quas ipſi inveniſſent, quarum lapidea etiam ætate ſua maneret in Syria. Has literas videtur Auguſtinus hoc loco Hebræas nominare.*

b Grammatos Iſagogos.] *Alibi grammaton iſagogos: legendum grammatoiſagogos: γραμματοεισαγωγεῖς. ſic vocantur apud LXXII. quos Hieron. vertit doctores. Deut. 29. & 31. Num. verò γραμματεῖς nominantur, quod vertit magiſtros: ſunt*
Scribæ. *etiam γραμματεῖς Scribæ, de quibus multa mentio in Evangelio: hi erant, qui ſacrorum librorum literam tantùm docebant: nec ab ea recedebant vel culmum latum:*
Pharisæi *qui verò majus quiddam profitebantur, Phariſæi nominati ſunt, à Phares quod eſt diviſio, q. ſe velint meliores à multis dividentes ſeparantesque: & utique, tam Scribæ quàm Phariſæi in cathedra Moſis ſedebāt, populo legem enarrantes: Scribæ ad cognitionem literæ ſenſusq́; hiſtorici, ac velut introductionem rerum altiorum ac ſecretarum, quas Phariſæi explicabant.*

c Quid erat niſi maximè aſtronomia, & ſi quid aliud talium diſciplinarum.] *Geometria, arithmetica, & aſtronomia: nam in his plurimum veteres ſeſe Ægyptii exercuerunt, quarum geometriam neceſſitate excoluerunt, quippe qua in primis egebant, quum turbatis increſcente Nilo agrorum finibus, poſtquam amnis in ſuum alveum redierat, ſua cuique eſſent reſtituenda, nec alia ratione conſtare poſſent agrorum dimenſus*

dimenſus, niſi adhibita quæ ex certis coalita principiis, fallere peritos menſores nequirent. ideo geometria eſt nominata, quaſi terræ menſio. Aſtronomiæ verò ſeſe dediderunt commoditate, ut qui ſerenas ſemper haberent noctes, Aſpicerentque tractum cœli latè patentem, nullis nubibus, nullis nebulis turbatum, facilè ortus, occaſus, progreſſus regreſſusq; ſyderum animadvertere potuerunt, quæ res & ad cognitionem erat jucundiſſima, & ad vitam fructuoſiſſima, & humani ingenii exercitatione digna: tum his duabus gemetria & aſtrologiæ addita eſt illa veluti ſubſerviens, & cujus miniſterio hæ carere non poſſunt, cognitio numerorum, quæ arithmetica dicitur.

d Longe quidem ante ſapientes quàm philoſophos habuit Græcia.] *Alibi ſic, longe quippe ante ſapientes vel philoſophos Græciæ.*

a NOn itaque credendum eſt.] *Cyrillus lib. 7. contra Julian. & Clemens Alexandrinus lib. 1. στρωμ. ſcribunt, Moſem primum fuiſſe ſapientem, & Grammaticam ac literas primum tradidiſſe Judæis, Phœnices accepiſſe à Judæis, Græcos autem à Phœnicibus. Verùm hoc non probatur Auguſt. vult enim, quemadmodum ante diluvium fuit lingua Hebraica, ita etiam inventos fuiſſe characteres Hebraicos. ſententiam D. Auguſtini confirmare videtur quod ſcribit Joſephus lib. 1. antiquit. cap. 3. de filiis Seth loquens;* Sideralem ſcientiam (*inquit*) & cœleſtium rerum cognitionem excogitaverunt. Ne autem inventa ſua ex hominum notitia delaberentur, & prius perirent quàm pernoſcerentur ſcientes, prædixiſſe Adamum, duplicem fore univerſalem rerum interitum, unum incendio, alterum diluvio, excitatis duabus columnis utrique ſua inventa inſcripſerunt ut ſi lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret; & quæ inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet: lapidea porro columna ab ipſis dicata noſtris etiam temporibus exſtat in terra Syria. *Vult igitur ante diluvium ut linguæ Hebraicæ, ſic & literarum uſum fuiſſe apud priſcos illos homines. Genebrardus in Chronologia ita ſcribit,* Seth & Enoch inveniſſe Aſtrologiam & duabus columnis inſcripſiſſe, characteresque Hebraicos excogitaſſe, vetus eſt traditio ex Joſepho, Cedreno & Rabinis. — 8. L. cap.

β Grammaton Iſagogos.] i. e. Doctores, *ut vertit Hieronymus ſeu* magiſtros, ad literas ſeu literarum introductores, *legitur apud ſeptuaginta hæc vox γραμματοεισαγωγεῖς. Deuteron. 16. 29. & 31. Exodi item 18. habetur eadem vox, & Auguſtin. ipſe q. 18. in Exodum ad eum locum:* Quod, *inquit*, dicat γραμματοεισαγωγεῖς, non facile ſciri poteſt, quoniam hoc nomen in nullo uſu habemus vel officiorum, vel magiſteriorum. Nam quidam doctores interpretati ſunt, ut intelligantur utique literarum, qui introducant in literas, ſicut reſonat Græcum vocabulum. Hic ſane ſignificatur quod ante legem datam Hebræi habuerint literas, quæ quando cœperint eſſe, neſcio utrum valeat indagari. Nonnullis enim videtur eas à primis hominibus cœpiſſe, & perductas eſſe ad Noe, & inde ad parentes Abrahæ & inde ad populum Iſrael, ſed unde hoc probari poſſit, ignoro. *Hæc Auguſtin. Scribit Joſephus lib. 2. contra Appionem, Moſem inter cæteram curam habuiſſe inſtitutionis puerorum, juſſiſſeque literis erudiri propter leges, & noſſe primogenitorum actiones, ut actus imitentur.*

ꝺ Quid

γ Quid erat niſi maxime Aſtronomia.] *Quæ eſſet illa ſapientia Ægyptiorum, & quibus partibus conſtaret, vide Sixtum Senenſem lib. 2. biblioth. ſancta verbo Ægyptiorum ſapientia: Cælium Rhodiginum lib. 16. cap. 4. Diodorum Siculum lib. 1. Diogenem Laertium in proœmio, Philonem, Euſebium, Ludov. S. Franciſci Luſitanum lib. 10. de divinis arcanis in proœmio. Manilius lib. 1 ſcribit, Aſtronomiam Ægyptiorum & Babyloniorum eſſe inventum, quod & teſtatur Ariſtoteles* Αἰγύπτιοι καὶ Βαβυλώνιοι, παρ' ὧν πολλὰς πίστεις ἔχομεν περὶ ἑκάστου τῶν ἄστρων.

δ Magis ad exercenda ingenia, quàm ad illuminanda.] *D. Hieronymus in cap. 15. lib. 15. comm. in Iſaiam ſapientiam ſæcularem & hujusmodi diſciplinas diſciplinam vocat,* In qua non ſunt panes, & cibi, in quibus nulla eſt ſaturitas, *& divinam ſapientiam ſectandam monet,* Quæ non eſt in foliis ac flore verborum, ſed in medullis ac fructibus ſenſuum, quæ non aurem prætervolat, ſed animum reficit; *ea certe eſt, quæ mentem illuminat, & quemadmodum ſcribit Aug. lib. 1. de actis cum Fœlice Manichæo c. 10.* Non legitur in Evangelio dominum dixiſſe, mitto vobis paracletum, qui vos doceat de curſu Solis & Lunæ, & de aliis, quæ adferebant Manichæi, Chriſtianos enim facere volebat, non Mathematicos: ſufficit autem homines de his rebus quantum in ſchola didicerint, noverint propter humanos uſus, Chriſtus autem venturum paracletum dixit, qui inducat in omnem veritatem, quo nomine doctrinam Chriſtianorum intelligit, quæ ad ſalutem hominum & ad mentes illuminandas neceſſaria eſt.

ε Longe quidem ante ſapientes vel Philoſophos Græciæ.] *Verior enim ea ſententia, quam in proœmio refert Laertius,* τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι, *quod contendit Tatianus contra Græcos, Clemens Alexandrinus, Juſtinus Martyr & alii. Scribit Plato in Timæo, Solonem ex Ægypto reverſum Critiæ dixiſſe, ex quodam Ægyptio ætatis integræ ſacerdote ſe audiſſe verba hæc,* O Solon, Solon, vos Græci perpetuo pueri eſtis, nec quisquam Græcus ſenex eſt, & *mox,* ſemper eſtis juvenes anima, in qua nulla eſt à priſcis accepta opinio, nulla cana ſcientia.

ζ Atlas ille magnus Aſtrologus.] *Apud Euſebium lib. 9. de præparat. Evang. cap. 4. docet Eupolemus Seth fuiſſe primum inventorem Aſtronomiæ, & à Græcis eum Atlantem nominatum. Verùm longe poſteriorem ætate Græci faciunt Atlantem, neq; Seth, aut eorum, quæ fuere ante diluvium ullam habuere notitiam, niſi aliqua ex ſacris literis non intellecta ſurripuerint & ſibi vendicarint.*

CAP. XL.

De Ægyptiorum mendaciſſima vanitate, quæ antiquitati ſcientiæ ſuæ centum millia aſcribit annorum.

FRuſtra itaque vaniſſima præſumptione garriunt quidam dicentes, ex quo rationem ſyderum comprehendit Ægyptus, α amplius quàm centum annorum millia numerari. In quibus enim libris iſtum numerum collegerunt, qui non multum ante annorũ duo millia β literas magiſtra Iſide didicerunt? Non enim parvus autor eſt in hiſtoria Varro, qui hoc prodidit, quòd à literarum etiam divinarum veritate non diſſonat. Quum enim ab ipſo primo homine, qui eſt appellatus

pellatus γ Adam, nondum ſex millia annorum compleantur, quomodo non iſti ridendi potiùs quàm refellendi ſunt, qui de ſpatio temporum tam diverſa, & huic exploratæ veritati tam contraria perſuadere conantur? δ Cui enim narranti melius præterita credimus, quàm qui etiam futura prædixerit, quæ præſentia jam videmus? Nam & ipſa hiſtoricorum inter ſe diſſonantia copiam nobis præbet, ut eis potius credere debeamus, qui divinæ, quam tenemus, non repugnant hiſtoriæ. Porrò autem cives impiæ civitatis, diffuſi uſquequaque per terras, quum legunt doctiſſimos homines, quorum nullius contemnēda videatur autoritas, inter ſe de rebus geſtis ab ætatis noſtræ memoria remotiſſimis diſcrepantes, cui potius credere debeant, non inveniunt. Nos verò in noſtræ religionis hiſtoria, fulti autoritate divina, quicquid ei reſiſtit non dubitamus eſſe falſiſſimum, quomodo libet ſeſe habeant cætera in ſæcularibus literis, quæ ſive vera, ſeu falſa ſint, nihil momenti afferunt quo rectè beatèque vivamus.

α AMplius quam centū annorum millia.] *Scribit Mela Ægyptios vetuſtiſſimos omnium hominum ſeſe prædicaſſe, qui etiam tricenos & triginta reges ante Amaſim & ſupra tredecim millium annorum ætates:* Certis annalibus (*inquit*) referunt, mandatumque literis ſervant, dum Ægyptii ſunt, quater curſus ſuos ſidera vertiſſe, ac Solem bis jam occidiſſe, unde nunc oritur, *abſolvi verò ſiderum curſum volebant triginta ſex millibus annorum, quæ quater addita conficient ſummam centum & quadraginta quatuor millium annorum, qui erant anni vetuſtatis Ægyptiorum. Unde conſtat facile, quod ſcribit Auguſtinus, eos tanta ſuperſtitione vetuſtatis laboraſſe*, Ut ex quo primum rationem ſiderum comprehenderant, amplius quàm centum annorum millia fluxiſſe affirmarent. *Scribit tamen Herodotus lib. 2. Pſammeticho apud eos regnante Phrygibus antiquitate ceſſiſſe: Apud Juſtin. lib. 2. etiam Ægyptii cum Scythis contendunt de generis vetuſtate & ſe hominum antiquiſſimos prædicant. Eo accedit quod ſcribit Lactant lib. 7. cap. 14.* Plato & multi alii Philoſophorum cum ignorarent originem rerum, ſupremumque illud tempus, quo mundus eſſet effectus, multa millia ſæculorum fluxiſſe dixerunt, ex quo hic pulcherrimus mundi extiterit ornatus, ſicut fortaſſe Chaldæi, qui ut ſcribit Cicero lib. 1. de divinat. quadringenta ſeptuaginta millia annorum monimentis comprehenſa ſe habere delirant, in quo qui ſe argui non putabant liberum ſibi crediderunt eſſe mentiri. *Prima ſiquidem mundi origo & à primo homine certa, recta & perennis linea, adeoque conſtitutus ac certus annorum numerus durationis mundi non niſi ex ſacris literis deprehendi poteſt.* L. 1. Cap.

β Literas magiſtra Iſide didicerunt.] *Ex Æthiopia ad Ægyptios manaſſe ferunt literas per Iſim, leges, ritus civitatum, & inſtituta ſacrorum. Iſis filia fuit Inachi regis Argivorum, cujus regnum poſt mortem Abraha inchoat Euſebius. Etſi verò Ægyptii literas & prima rudimenta ſcientiarum ab Iſide acceperint, ut aſſeruit author graviſſimus Varro, à quo non diſſentit Auguſtinus, poſtea tamen per Jacob & Patriarchas, qui apud nos vixere, in primis vero Joſephum, doctrina Ægyptiorum ante rudi magnam factam eſſe acceſſionem veroſimillimum eſt. Et de Joſeph quidem id videtur aperte teſtari ſcriptura Pſalm. 104.* Conſtituit eum (*Joſephum Rex Ægypti*)

dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, ut erudiret principes ejus ſicut ſemetipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret, *& probabilius quidem eſt ab Iſide, quæ Moſem præceſſit, cujus tempore jam florebat apud Ægyptios ſapientia, literas Ægyptios accepiſſe, quam quod ſcribit Jamblichus lib. de myſteriis, accepiſſe à Mercurio Triſmegiſto, qui poſterior fuit Moſe, ut ſuperiori cap. docuit.*

γ Nondum ſex millia annorum compleantur.] *Claruit Auguſtinus circa 300. Olympiadem poſt annos ſcilicet 400. ab ortu Chriſti; Chriſtus natus eſt ultimo anno 194. Olympiad. 1. ab initio Olympiadum annis 776. Natus eſt verò Chriſtus, ſi ſequamur ſupputationem ſeptuaginta anno à mundi creatione quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono, unde certum ad tempora Auguſtini nondum completa fuiſſe ſex annorum millia.*

δ Cui enim narranti melius præterita credimus.] *Tertullianus eleganter in Apologet. cap. 20.* Idoneum opinor, teſtimonium divinitatis, veritas divinationis. Si certo credendum Prophetis futura prænuntiantibus, quæ in dies compleri videmus eiſdem etiam eodem ſpiritu prophetico de præteritis ſcribentibus credendum. Nam & Moſes eodem ſpiritu edoctus, & quæ futura erant, prænuntiavit & ab hominum cognitione longe remotam mundi originem ac creationem edoctus eſt, eamque deſcripſit. Quod verò compleri videntur quæ prædixere prophetæ, argumento eſt eos eſſe veraces, & ſpiritu Dei locutos. *Hieronymus in cap. 2. Danielis,* Confitentur Magi, confitentur arioli, & omnis ſcientia ſæcularis literaturæ præſcientiam futurorum non eſſe hominum, ſed Dei.

ε Quicquid ei reſiſtit non dubitamus eſſe falſiſſimum.] *Scripturis ſacris eum honorem timoremque didicerat deferre D. Auguſtinus, ut nullum earum authorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime crederet epiſtola 19. ad D. Hieronymum;* Et certe ſi vel minimum errorem in ſcripturis ſacris admitteremus, tota illarum rueret authoritas. *lib 12. confeſſio cap. 25.* Diſcedant à me *(inquit)* longe omnes, quia ea, quæ falſa ſunt, Moyſem dixiſſe arbitrantur. Major certe eſt hujus ſcripturæ authoritas *(ait)* quam omnis humani ingenii capacitas. *libr 2. de Geneſ. ad liter. & libr. 11. contra Fauſtum cap. 5.* Excellentia canonicæ authoritatis veteris & novi teſtamenti, quæ Apoſtolorum confirmata temporibus per ſucceſſiones Epiſcoporum & propagationes eccleſiarum tanquam in ſede quadam ſublimiter conſtituta eſt, cui ſerviat omnis fidelis & pius intellectus. *Et licet hiſtoria prophana & humana ſcientia, quod docet idem lib. 2. de doctr. Chriſt. plurimum conferant ad intelligentiam ſacræ ſcripturæ, earum tamen veritas exigenda eſt ex ſcriptura, quæ regula & norma nobis eſſe debet omnis veritatis, ut ſi externa hiſtoria non concordent cum ſacris literis, in iſtis veritatem, in illis mendacium omnino profiteamur; ſiquidem ſacrarum literarum author eſt ἀυτόπιστος Spiritus ſanctus. lib. 2. contr. Creſcon. Grammat. cap. 31.* Neque ſine cauſa tam ſalubri vigilantia canon eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant, quos omnino non judicare debeamus, & ſecundum quos de cæteris literis fidelium vel infidelium libere judicemus.

Cap.

CAP. XLI.

De philoſophicarum opinionum diſſenſionibus, & canonicarum apud Eccleſiam concordia ſcripturarum.

UT autem jam cognitionem omittamus hiſtoriæ, ipſi Philoſophi, à quibus ad iſta progreſſi ſumus, qui non videntur laboraſſe in ſtudiis ſuis, niſi ut invenirent, quomodo vivendum eſſet accommodatè ad beatitudinem capeſſendam, cur diſſenſerunt & à magiſtris diſcipuli, & inter ſe condiſcipuli, *a* niſi quia ut homines humanis ſenſibus & humanis rationibus iſta quæſierunt? Ubi *α* quamvis eſſe potuerit & ſtudium gloriandi, quo quiſque alio ſapientior & acutior videri cupit, *β* nec ſententiæ quodammodo addictus alienæ, ſed ſui dogmatis opinionis inventor: tamẽ ut nonnullos vel etiã plurimos eorũ fuiſſe concedam, *γ* quos à ſuis doctoribus vel diſcendi ſociis, amor veritatis abruperit, ut pro ea certarent, quam veritatem putarent, ſive illa eſſet, ſive non eſſet: quid agit, aut quò vel quà ut ad beatitudinem perveniatur, humana ſe porrigit infelicitas, ſi divina non ducit autoritas? Denique autores noſtri, in quibus non fruſtrà ſacrarum literarum figitur & terminatur canon, *δ* abſit, ut inter ſe aliqua ratione diſſentiant. Unde non immeritò, cùm illa ſcriberent, eis Deum vel per eos locutum, non paucis in ſcholis atque gymnaſiis litigioſis diſputationibus garruli, ſed in agris atque in urbibus, cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt. Ipſi ſanè pauci eſſe debuerunt, ne multitudine vileſceret, quod charum regione eſſe oporteret, nec tamen ita pauci, ut eorum non ſit miranda conſenſio. Neque enim in multitudine philoſophorum, qui labore etiam literario monumenta ſuorum dogmatum reliquerunt, facilè quis invenerit, inter quos cuncta, quæ ſenſere conveniant, quod oſtendere hoc opere longum eſt. Quis autem ſectæ cujuslibet autor ſic eſt in hac dæmonicula civitate approbatus, ut cæteri improbarentur, qui adverſa & diverſa ſenſerunt? Nonne apud Athenas & *ε* Epicurei claruerunt †, aſſerentes res humanas ad deorum curam non pertinere: & *ζ* Stoici, qui contraria ſentientes, eas regi atque muniri diis adjutoribus atque tutoribus diſputabant? Unde miror, cur *b* *η* Anaxagoras reus factus ſit, quia ſolem eſſe dixit lapidem ardentem, negans utique Deum, cùm in eadem civitate gloria floruerit Epicurus, vixeritque ſecurus, non ſolùm ſolem, vel ullum ſyderum Deum eſſe non credens, ſed nec Jovem, *c* nec ullum deorum omninò in mundo habitare contendens, ad quem preces hominum, ſupplicationesque perveniant. Nónne ibi *θ* Ariſtippus in voluptate corporis ſummum bonum ponens: ibi Antiſthenes virtute animi potius hominem fieri beatum aſſeverans, duo philoſophi nobiles & ambo Socratici in tam diverſis atque inter ſe contrariis finibus vitæ ſummam locantes: quorum etiam *ι* ille fugiendam, iſte adminiſtrandam ſapienti dicebat eſſe rempublicam, & ad ſuam quiſque ſectam ſectandam diſcipulos congregabat? *d* Nempe palàm *κ* in conſpicua & notiſſima porticu *e* in gymnaſiis, *f* in hortulis, in locis publicis ac privatis catervatim pro ſua quiſque opinione certabant. *g* Alii aſſerentes unum, alii in-

† *al. clamabant.*

numerabiles mundos, λ ipſum autem unum, alii ortum eſſe, alii verò initium non habere: alii interiturum, alii ſemper futurum, alii mente divina, alii fortuitu & caſibus agi. μ Alii immortales eſſe animas, alii mortales: & ν qui immortales, alii revolvi in beſtias, alii nequaquam: qui verò mortales, alii mox interire poſt corpus, alii vivere etiam poſtea vel paululum, vel diutius, non tamen ſemper. Alii conſtituentes in corpore finem boni, alii in animo, alii in utroque: alii extrinſecus poſita etiam bona ad animam & corpus addentes: alii ſenſibus corporis ſemper, alii non ſemper, alii putantes, nunquam eſſe credendum. Has & aliàs penè innumerabiles diſſenſiones philoſophorum, quis unquam populus, quis ſenatus, quæ poteſtas, vel dignitas publica impiæ civitatis dijudicandas, & alias probandas ac recipiendas, alias improbandas repudiandasque curavit: ac non paſſim ſine ullo judicio confusèque habuit in gremio ſuo tot controverſias hominum diſſidentium, non de agris & domibus, vel quacunque pecuniaria ratione, ſed de his rebus, quibus aut miſerè vivitur aut beatè? Ubi etſi aliqua vera dicebantur, eadem licentia dicebantur, & falſa prorſus, ut non fruſtrà talis civitas myſticum vocabulum Babylonis acceperit. Babylon quippe interpretatur confuſio, quod nos jam dixiſſe meminimus. Nec intereſt diaboli regis ejus, quam contrariis inter ſe rixentur erroribus, quos merito multæ variæque impietatis pariter poſſidet. ξ At verò gens illa, ille populus, illa civitas, illa reſpublica, illi Iſraelitæ, quibus credita ſunt eloquia Dei, nullo modo pſeudoprophetas cum veris Prophetis pari licentia confuderunt, ſed concordes inter ſe atque in nullo diſſentientes, ſacrarum literarum veraces ab eis agnoſcebantur & tenebantur autores. Ipſi eis erant philoſophi, hoc eſt, amatores ſapientiæ, ipſi ſapientes, ipſi Theologi, ipſi Prophetæ, ipſi Doctores probitatis atque pietatis. Quicunque ſecundùm illos ſapuit & vixit, non ſecundùm homines, ſed ſecundùm Deum, qui per eos locutus eſt, ſapuit & vixit. Ibi ſi prohibitum eſt ſacrilegium, Deus prohibuit. Si dictum eſt, *Honora patrem tuum, & matrem tuam,* Deus juſſit. Si dictum eſt: *Non mœchaberis, non homicidium facies, non furaberis,* & cætera hujusmodi, non hæc ora humana, ſed oracula divina fuderunt. b o Quicquid philoſophi quidam inter falſa, quæ opinati ſunt, verum videre potuerunt, & laborioſis diſputationibus perſuadere moliti ſunt: quòd mundum iſtum fecerit Deus: cumque ipſe providentiſſimus adminiſtraret, ne honeſtate virtutum, de amore patriæ, de fide amicitiæ, de bonis operibus atque omnibus ad mores probos pertinentibus rebus, quamvis neſcientes ad quem finem, & quonammodo eſſent iſta omnia referenda, propheticis, hoc eſt, divinis vocibus, quamvis per homines in illa civitate populo commendata ſunt, non argumentationum concertationibus inculcata, ut non hominis ingenium, ſed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognoſceret.

Exod. 20.

L. Vives. 4 QUamvis eſſe potuerit & ſtudium gloriandi.] *Ea res tranſverſos agit, quàm plurimos ſcriptores, afferto in diſciplinas memorabiles errores & pernicioſos, dum mavult quisque autor eſſe ſuæ ſententiæ, quàm aſſertor alienæ: cæci non vident, quanta ſit laus: & paruiſſe bene monenti, & bene dicenti aſſenſiſſe. Hominem novi:*

novi non tam doctum, quàm arrogantem jactabundúmque, qui ſe & ſcripturum multa profitebatur, & non ſecus vitaturum, quæ quis antea dixiſſet, quàm aſpides vel baſilicos: longè enim malle ſe ſcientem prudentemq; falſum pro vero affirmare, quàm alienæ opinioni acquieſcere.

b Anaxagoras reus factus ſit, quia ſolem eſſe dixit lapidem ardentem.] *Quum olim lapis in Ægos Thraciæ amnem è cœlo cecidiſſet, Anaxagoras, quem etiam prædixiſſe ferunt in futurum, affirmavit cœlum omne ex lapidibus conſtare: ſolemq; ipſum candens eſſe ſaxum. Idcirco Euripides ejus diſcipulus in Phaëthonte tragœdia ſolem auream glebam nominavit: eam ob cauſam, ut Sotion in Succeſſionibus narrante Laërtio Diogene ſcribit, Anaxagoras à Cleone impietatis accerſitus, defenſusq; à Pericle diſcipulo, talentisq; quinque atque exilio mulctatus eſt: alii aliter. Inter omnes penè conſtat capitali ſupplicio, cui additus erat ſententiis judicium ſubtractum à Pericle, qui opibus & gratia plurimum in civitate poterat, ideò à poëtis fictum Jovem irritatum impietate Anaxagoræ jaculatum grave fulmen in eum, ſed Anaxagoram protectum à Pericle, fulmen diverſum abiiſſe.* Anaxagoras.

c Nec Jovem nec ullum deorum.] *Epicurus deos quidem dixit eſſe, ſed ad illos nihil ſpectare de noſtris rebus, nec gratia, nec ira moveri aut tangi: itaque revera deos ſuſtulit, metu autem Areopagi & civium ſuorum reliquit, ſed tales, quales ſi ipſi ſunt, nihil opus eſt eis, atque ut dicit apud Ciceronem Cotta, valeant.*

d In conſpicua & notiſſ. porticu.] *Stoici in porticu, quæ pœcila, id eſt, varia dicebatur.*

e In gymnaſiis.] *Ut Peripatetici in Lyceo.*

f In hortulis] *Ut Epicurei.*

g Alii aſſerentes unum.] *Hæc omnia dicta nobis ſunt libro vij. & latius expoſita.*

h Quicquid philoſophi.] *Euſeb. aliquot libris Præparationis Evangelicæ multis argumentis colligit optima quæque, quæ Plato in ſuis libris conſcripſit, hauſiſſe eum ex ſacris literis Veteris teſtamenti.*

α Niſi quia ut homines humanis ſenſibus & humanis ratiocinationibus.] *Ea ratione etſi magnum ſtudium Philoſophi adhiberent, non tamen veritatem ſunt aſſecuti, cum ea non humanis rationibus aut ſenſibus inveſtigetur, verùm à ſuprema illa veritate exſpectanda ſit, quo factum eſt, ut inane fuerit omnino ſtudium tot tantorumque Philoſophorum Lactantius lib. 3. c. 1.* Nec ſi Philoſophi doctrina literarum mirabiles extiterint, ego etiam illis ſcientiam veri, cognitionemque conceſſerim, quam nemo cogitando aut diſputando aſſequi poteſt. Neque enim nunc reprehendo eorum ſtudium, qui veritatem ſcire voluerint, quia naturam hominis Deus veri aſſequendi cupientiſſimam fecit; ſed id arguo, id revinco, quod honeſtam illorum & optimam voluntatem non ſit ſecutus effectus, quia neque quid eſſet verum ipſum ſciebant, neque quomodo aut ubi, aut qua mente quærendum. Ita dum ſuccurrere humanis erroribus cupiunt, ipſi ſe in plagas ac maximos errores induxerunt, *ibidem*, loqui *(inquit)* bene potuerunt Philoſophi ut homines eruditi, vere autem nullo modo, quia veritatem non didicerant ab eo, qui ejus potens eſſet. l. L. Cap.

β Nec ſententiæ quodammodo addictus alienæ, ſed ſui dogmatis.] *At Socrates omnium ſapientiſſimus judicatus obſtetricādi artem docere ſe profitebatur, prohibitum autem ſe à Deo gignere, quod nimirum nullum dogma proprium introduceret, nec privatum aliquid aſſereret: Judicium certe impeditur familiaritate, amantem enim res amata cæcum facit. De his autem, quæ noſtra ſunt nihil perinde amamus atque opinionem & orationem à nobis ſictam. Vide Plutarchum in quæſt. Platon. quæſtion 1. & qui propriæ opinioni adeo erit addictus, non erit certe capax unquam pernoſcendæ veritatis. Nam ſicut aer in auribus contentus, ſi non tranquillus ſit propriaque vocis expers, ſed ſonitus ac fremitus plenus, non accurate excipit voces, ſic in philoſophia judiciū ſi intus ſit, quo commoveatur, & quod obſtrepat, recte intelligere nequit ea quæ foris dicuntur; & quemadmodum ſophiſta ille dicebat. Et eos optimos fore Olympicorum certaminum arbitros. ſi nemo Eleus certaret; ita qui de diſputatione aliqua recte volet pronuntiare, par eſt ipſum non ambire coronam, neque adverſariis, quæ ſunt dijudicanda. Arnobius lib. 2. contra Gent.* Quid eſt quod humana ingenia labefactare non audeant ſtudio contradictionis, quamvis illud, quod infirmare moliuntur, ſit purum ac liquidum, & veritatis obſignatione munitum. Aut quid rurſus aſſerere veriſimilibus argumentis non queunt, quamvis apertiſſime falſum, quamvis evidens, manifeſtumque mendacium? Cum enim ſibi perſuaſerit quis aliquid eſſe aut non eſſe, amat quod opinatur aſſerere, & acumine alios anteire, maxime ſi agatur res ſubmota & abdita, & caligine involuta. *Philoſophi igitur cum propriis opinionibus nimium eſſent addicti & gloriam apud homines affectarent, veritatem aſſequi minime potuerunt. Id unum certe eſt quod tranſverſos & præcipites agit hæreticos, qui ut ſua dogmata introducant, Eccleſiæ authoritatem ac Patrum inconcuſſam doctrinam ſpernunt ac impudentiſſime rejiciunt. Notandum illud Ariſtotelis lib. 1. Ethico. cap. 6.* δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας.

γ Quos à ſuis doctoribus.] *Ita Ariſtoteles 1. Ethico.* Amicus Plato, amicus Socrates, ſed amica magis veritas. ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.

δ Abſit ut inter ſe aliqua ratione diſſentiant.] *Inde conſtat eodem illos ſpiritu locutos. De diſcordia philoſophorum inter ſe & à ſeipſis & de concordia ſcripturarum veteris & novi Teſtamenti vide Michaelem Medinam lib. 2. de recta in Deum fide cap. 2.* Diſſentiunt ab invicem & à ſeipſis Philoſophi, ut ex mutuis diſcordiis appareat eorum ignorantia, quod conentur alter alterius placita ſubvertere, noſtri vero majores & ſacri ſcriptores tanquam uno ore, unaque lingua de Deo, de mundi creatione, de homine condito, de immortalitate humanæ animæ, de futuro poſt hanc vitam judicio, deque omnibus cognitu neceſſariis pariter eodem conſenſu nos docuerunt, idque in diverſis temporibus locisque conſtituti cum hanc doctrinam traderent, *ut ſcribit & oſtendit Juſtinus in Exhortat. Vide item Tertullianum in Apologetico cap. 47. Lactantius lib. 5. cap. 3.* Hæc eſt mendaciorum natura, *inquit*, ut cohærere non poſſint, illorum autem Apoſtolorum traditio quia vera eſt, quadrat undique ac ſibi tota conſentit, & ideo perſuadet, quia conſtanti ratione ſuffulta eſt.

ε Epi-

ε Epicurei clarebant aſſerentes res humanas.] *Epicurum authorem impietatis vocat Clemens Alexandrinus libr. 1. ςρωμα. De Epicureorum dogmatibus vide Laertium libr. 10. in Epicuro, Epiphanium lib. 1. ſecta 8. Quod illis aſcribit Auguſtinus aſſeruiſſe res humanas ad deorum curam non pertinere, idem teſtatur & Cicero libris de nat. deor. & ſub finem lib. 1. ſcribit Epicurum ſuſtuliſſe omnem religionem, & non manibus quidem quod fecit Xerxes, ſed rationibus deorum immortalium templa & aras everiiſſe.* Quid enim eſt cur Deos ab hominibus colendos dicas, cum Dii non modo homines non colant, ſed omnino nihil curent, nihil agant? *& Tertullianus in Apolog cap. 47.* Platonici quidem Deum curantem rerum aſſeverant, contra Epicurei otioſum & inexercitum, &, ut ita dixerim, neminem humanis rebus. *Minutius Felix in Octavio,* Epicurus Deos aut otioſos fingit aut nullos. *Lactantius lib. 3. cap. 13.* Irreligioſius ex Epicuro audit Deus nihil curare, *& lib. de ira Dei cap. 17. ejusdem dogmatis meminit Epicuri.*

ζ Et Stoici, qui contraria ſentientes.] *Balbus ex ſententia Stoicorum apud Ciceronem lib. 2. de natur. deor. aſſerit & eſſe Deos, mundum ab his adminiſtrari, & conſulere eos rebus humanis.*

η Cur Anaxagoras reus factus ſit, quia ſolem eſſe dixit lapidem ardentem] *Apud Laertium lib. 2. in Anaxagora* οὗτος ἔλεγε τὸν ἥλιον μύδρον εἶναι διάπυρον καὶ μείζω τῆς Πελοποννήσου. *Joſephus lib. 2. contra Appionem,* Anaxagoras Glazomenius, & quia exiſtimantibus Athenienſibus Solem eſſe Deum, ille eum ſaxum ignitum aſſeruit, paucorum ſententia morte damnatus eſt. *Plinius libr. 2. cap. 58. & Plutarchus lib. 2. de placit. philoſophor. quin & Plato in Apologia Socratis meminit illius dogmatis.*

θ Ariſtippus in voluptate ſummum bonum ponens.] *De quo ſupra diximus cap. 13. lib. 8.*

ι Ille fugiendam, iſte adminiſtrandam ſapienti Rempublicam.] *De hoc Seneca lib. de vita beata ſub finem.*

κ In conſpicua & notiſſima porticu, in gymnaſiis.] *Tertullianus in Apologet. cap. 3.* Nonne Philoſophi de ſuis authoribus nuncupantur, Platonici, Epicurei, Pythagorici, etiam à locis conventiculorum & ſtationum ſuarum Stoici, Academici? Stoici enim ἀπὸ τῆς στοᾶς, quod ſignificat porticum, quo convenire ad diſſerendum ſolebant, dicti ſunt. *Erat enim porticus Athenis* ποικίλη *ex varietate picturæ, in qua Zenon primus illius ſectæ author philoſophiam profitebatur.*

λ Ipſum autem unum alii ortum eſſe.] *Sic Tertulianus in Apologetico cap. 47.* de ipſo mundo natus, innatusve ſit, deceſſurus manſurusve ſit, variant. *Et Arnobius,* mundum *(inquit)* quidam ex ſapientibus exiſtimant non eſſe natum neque ullo eſſe in tempore periturum; immortalem nonnulli, quamvis eum conſcribant natum eſſe & genitum. Tertiis vero collibitum eſt dicere, & eſſe natum & genitum & ordinaria neceſſitate periturum. *Unum eſſe aſſeruit Plato & Ariſtoteles, quod ex tota ſua materia conſtet, innumerabiles vero aſſeruit Democritus.*

μ Alii immortales eſſe animas, alii mortales.] *Ita Arnobius lib. 2.* Non alia neque abſimili ratione de animarum conditione ab his diſſeritur. Hic enim eas

retur

retur eſſe perpetuas, & ſupereſſe mortalium functioni, ſupereſſe ille non credit, ſed cum ipſis corporibus extingui. *Tertullianus in Apologet. cap. 47.* Animam alii divinam & æternam, alii diſſolubilem contendunt. *Idem lib. de teſtimon. animæ & lib. de anima varias philoſophorum de anima ſententias refert, quod & facit Ariſtoteles libr. 1. de anima, & Cicero Tuſcul. 1.*

ν Qui immortales alii revolvi in Beſtias.] *Ut Pythagoras, qui μετεμψύχωσιν animarum transmigrationem è corpore in corpus aſſerebat. Meminit & ſugillat Tertullianus in Apologet. cap. 48. & lib. de teſtimon. animæ cap. 4. & libr. de anima cap. 28. Lactantius lib. 3. cap. 18.*

ξ At vero gens illa.] *Joſephus id docet egregie lib. 2. contra Appionem: Apud philoſophos quidē varias de Deo, & de rebus divinis extare opiniones, cum apud Judæos ſolos, utpote divinitus edoctos ex ſacris oraculis eadem ſit de Deo ſententia & eadem fides.* Παρ ἡμῖν μόνοις οὔτε περὶ τοῦ θεοῦ λόγους ἀκούσεταί τις ἀλλήλους ὑπεναντίους, ὁποῖα πολλὰ παρ' ἑτέροις, οὐδὲ ὑπὸ τῶν τυχόντων μόνον κατὰ τὸ προσπεσὸν ἑκάστῳ, λέγεται πάθος, ἀλλὰ καὶ παρά τισι τῶν φιλοσόφων αὐτῶν τετόλμηται, τῶν μὲν τὴν ὅλην τοῦ θεοῦ φύσιν ἀναιρεῖν ἐπικεχειρηκότων, ἄλλων δὲ τὴν ὑπὲρ ἀνθρώπων αὐτοῦ προνοίαν ἀφαιρουμένων οὔτ' ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασι τῶν βίων ὄψεται διαφορὰν, ἀλλὰ κοινὰ μὲν ἔργα πάντων παρ' ἡμῖν, εἷς δὲ λόγος ὁμοῦ σύμφωνος περὶ θεοῦ πάντα λέγων ἐκεῖνον ἐφορᾶν.

ο Quicquid Philoſophi quidam.] *Si quam veritatem & notitiam rerum divinarum aſſecuti ſunt Philoſophi, vel ſi qua præcepta ad recte inſtituendam vitam humanam utilia tradiderunt, ab Hebræis ſurripuiſſe affirmant Euſebius lib. 2. de præparat. Clemens Alexandrinus lib. 1. ςρωμ. & 5. Juſtinus in exhortat ad Gentes, Tertullianus in Apologet. cap. 47.* Quis Poetarum, quis Sophiſtarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur Philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt; *Gregorius Nazianzenus ad Nemeſium de Philoſophis loquens*, Nec vero hoc me movet, quod propius aliquando quam nonnulli alii ad veritatem interdum accedant; non enim id divinitus ipſis contingit, ſed quia libros noſtros velut limis oculis inſpexerunt.

Cap. XLII.

Qua diſpenſatione providentiæ Dei Scriptura ſacræ Veteris teſtamenti ex Hebræo in Græcum eloquium translata ſint, ut univerſis gentibus innoteſcerent.

HAs ſacras literas etiam α ᾳ unus Ptolemæorum regum Ægypti noſſe ſtuduit & habere. Nam poſt Alexandri Macedonis, qui etiam magnus cognominatus eſt, mirificentiſſimam minimèque diuturnam potentiam, qua univerſam Aſiam, imò penè totum orbem, partim vi & armis, partim terrore ſubegerat: quando inter cætera Orientis regna etiam Judæam ingreſſus obtinuit: eo mortuo β comites ejus cùm regnum illud ampliſſimum non pacificè inter ſe poſſeſſuri diviſiſſent, ſed potius diſſipaſſent, bellis omnia vaſtaturi, Ptolemæos reges habere cœpit Ægyptus. γ Quorum primus Lagi filius, δ multos ex Judæa captivos in Ægy-

in Ægyptum tranſtulit. *a* Huic autem ſuccedens alius Ptolemæus, qui eſt appellatus Philadelphus, omnes, quos ille adduxerat ſubjugatos, liberos redire permiſit: inſuper & dona regia in templum Dei miſit, petivitque ab Eleazaro tunc Pontifice, dari ſibi ſcripturas, quas profectò audierat fama prædicante divinas: & ideò concupiverat habere in bibliotheca, quam nobiliſſimam fecerat. Has ei cùm idem pontifex miſiſſet Hebræas: poſt etiam ille interpretes poſtulavit, & dati ſunt ei ſeptuaginta duo, de ſingulis duodecim tribubus ſeni homines, linguæ utriusque doctiſſimi, Hebrææ ſcilicet atque Græcæ. Quorum interpretatio, ut Septuaginta vocetur, jam obtinuit conſuetudo. *b* Traditur ſanè, tam mirabilem, ac ſtupendum planèque divinum in eorum verbis fuiſſe conſenſum, ut quum ad hoc opus ſeparatim ſinguli ſederint (ita enim eorum fidem Ptolemæo regi placuit explorare) in nullo verbo, quod idem ſignificaret, & tantundem valeret; vel in verborum ordine alter ab altero diſcreparet: ſed tanquam, ſi unus eſſet interpres, ita quod omnes interpretati ſunt, unum erat, quoniam revera ſpiritus erat unus in omnibus. Et ideò tam mirabile Dei munus acceperant, ut illarum ſcripturarum, non tanquam humanarum, ſed ſicut erant, tanquam divinarum etiam iſto modo commendaretur autoritas credituris quandoque gentibus profutura, quod jam videmus effectum.

a UNus Ptolemæorum regum Ægypti.] *Reges Ægypti uſque ad Cambyſem Cyri filium, qui eam regionem imperio Perſarum bello adjunxit, Pharaones communi dicebantur cognomine. Poſt Alexandrum verò à Ptolemæo Lagi filio, Ptolemæi uſque in Cæſarem Auguſtum, qui Ægyptum in provinciæ formam redegit. Alexander Macedo xxi. natus annos è patria cum exercitu egreſſus, Aſiam domuit, tenuitq; perpaucis annis: nam xxxij. ætatis anno naturæ conceſſit: quo mortuo velut confracta arca nummis referta, & pecuniis reſilientibus, ad prædam tanti jacentis imperii undique à purpuratis accurſum eſt, rapuitq; quisque quantum potuit, nec ullus tam immodicæ fortunæ hæſit, qui non cum regno diſcederet. Antigonus Aſiam arripuit: Seleucus Chaldæam, Caſſander Macedoniam, alii alias regiones, Ptolemæus Ægyptum, Phœnicem & Cyprum, homo natus loco humili atque obſcuro, nempe Lago patre ſatellite Alexandri, evectus ex gregario milite ad gratiam regis ob indolem egregiam, fortitudinem animi, & peritiam rei militaris: qui cùm in ſenecta tranquillius vivere ſtatuiſſet, rerum curam filio mandavit, quia Philadelphus eſt dictus, vel ob amorem primum Arſinoes ſororis, vel ob odium poſtremum per antiphraſim. Hic Judæos, quos pater frequentes in Ægyptum duxerat, liberos eſſe juſſit, graviq; tributo Judæam ſolvit: quumq; in maturiore ætate morbis affligeretur, proculq; à bellis gerendisq; rebus eſſe cogeretur, autore Demetrio Phalereo, qui patria Athenis vir nobiliſſimis maximisq; functus magiſtratibus, civium invidia pulſus ad eum confugerat, ſtudiis ſe tradidit, accitis undique ingeniis, & conſtructa illa nobili Alexandrina bibliotheca, in qua & ſtatuit libros veteris teſtamenti. Nam legatos ad Eleazarum miſit, qui pro beneficiis à ſe in Judæam gentem largiter collatis libros Moſaicæ legis & interpretes poſcerent, qui eos in Græcam linguam transferrent, quod Eleazarus regi conceſſit, ut par erat, miſitq; ex unaquaque tribu ſenos viros, & ætate & autori-*

L. Vives. Ptolemæi.

Philadelphus.

*tate & eruditione in primis commendabiles Hebraicè Græcèq; periti*ſ*ſimos: qui quum e*ſſ*ent duo & ſeptuaginta, dicuntur tamen vulgò Septuaginta interpretes, ut brevius atque expeditius loquamur, quemadmodum judices illi Romani, qui ad haſtam de rebus judicabant, centum viri appellantur, cùm eſſent centum & quinque, ex ſingulis tribubus terni. Extant apud Joſephum lib. antiq. xij. epiſtola Ptolemai ad Eleaz. Pont. & Eleazari ad regem ſuper ea re ex Ariſtea non Proconneſio illo, ſed quodam Ptolemai ſatellite, qui ſe ex legatis à Ptolemao in Ægyptum miſſus ait fuiſſe. Circumfertur libellus ejus nomine de LXX. interpretibus confictus, ut puto, ab aliquo recentiore.*

b Traditur ſanè tam mirabilem.] *Magno in honore hos LXXII. viros Ptolem. habuit, ſapientiamq; eorum admiratus eſt Juſtinus, narrat in Apologetico ad gentes, regem, quo fidem certius interpretum experiretur, & ex conſenſu veritatem colligeret, domunculas juſſiſſe duas & ſeptuaginta conſtrui, ſuccedereq; unumquemque in ſua cum verſurus eſſet, poſtea contuliſſe omnium interpretationes, & per omnia inter ſe conſenſiſſe. Veſtigia domuncularum Juſtinus profitetur, ſe vidiſſe in Phari arce Alexan. Tertullianus itidem adverſus gentes: Menedemus, inquit, Philoſoph. provincia Judea ſeptuaginta duos interpretes de ſententia communione ſuſpexit, Hieron. interdum LXX. interpret. plurimum defert, & Spiritu ſancto plenos fuiſſe dicit: ſapè malè atque imperitè vertiſſe affirmat, ut erat, in quod intenderat vehemens, de cellulis verò planè irridet. ſic enim in prologo Pentateu. ſcribit: & neſcio, quis primus autor ſeptuaginta cellulas Alexandria mendacio ſuo extruxit, quibus diviſi eadem ſcriptitarent, quum Ariſteas ejuſdem Ptol. ὑπερασπιστὴς, & multo pòſt tempore Joſephus nihil tale retulerint, ſed in una baſilica congregatos contuliſſe ſcribant non prophetaſſe. Aliud eſt enim vatem, aliud eſt eſſe interpretem: ibi ſpiritus ventura pradicit, hic eruditio & verborum copia ea, qua intelligit, transfert. Sic ille.*

F.L.Cog. *a* UNus Ptolemæorum regum Ægypti.] *A Ptolemao Lagi filio primo rege Ægypti poſt Alexandrum deinceps omnes dicti ſunt Ptolemai, quouſq; regnum illud tandẽ morte Cleopatra omnino cederet Romanis, & in provincia formã redigeretur.*

β Comites ejus cum regnum illud ampliſſimum.] *Alexandrum Macedonem everſurum regnum Perſarum & magnum imperium adepturum, quod deinde in multos Principes divideretur, pradixerat Daniel cap. 8. ubi per Hircum caprarum intelligit Alexandrum regem Macedonum, & per arietem intelligit Darium regem Perſarum;* cum appropinquaſſet, *inquit,* hircus capratum prope arietem, efferatus eſt in eum *i. magna violentia & magno impetu Alexander Darium aggreſſus eſt,* & percuſſit arietem, & comminuit duo cornua ejus. *i. regnum Perſarum atq; Medorum,* & non poterat aries reſiſtere ei, cumque eum miſiſſet in terram, conculcavit, & nemo quibat liberare arietem de manu ejus: *deinceps de imperio & potentia Alexandri;* Hircus autem caprarum, magnus factus eſt nimis, cumque creviſſet, fractum eſt cornu magnum. *i. cum ſubacto Oriente Perſis devictis potentiſſimum imperium adeptus eſſet, validiſſimis animi viribus florentiſſima atate, robuſtiſſimo corpore repentina morte extinctus eſt.* Et orta ſunt quatuor cornua ſubter illud per quatuor ventos cœli. *i. mortuo Alexandro Babylone 32. anno atatis ſua*

cum

cum 12. annos & 8. menſes imperaſſet teſte Arriano lib. 7. in quatuor ſucceſſiones tantum imperium diſtractum eſt. Nam Ægyptum tenuit Ptolemeus Lagi filius, Macedoniam Philippus qui & Aridaus frater Alexandri, Syriam & Babylonem & omnia regna Orientis Seleucus Nicanor, Aſia potitus eſt Antigonus; quod idem Propheta predixerat etiam cap. 11. Surget rex fortis Alexander Græcorum Imperator, & dominabitur poteſtate multa & faciet, quod placuerit ei; & cum ſteterit contoretur regnum ejus & dividetur in quatuor ventos cœli, *quia brevi tantum imperium collapſurum erat, quod loco unius Alexandri in quatuor principes erat dividendum. Narrat Joſephus lib. 11. antiq. cap. 8. librum Danielis à Pontifice Hieroſolymis Alexandro oſtenſum,* In quo Græcorum quendam Perſas debellaturum ſignificabat, & hunc ipſum ſe eſſe interpretatus, lætus ac ſecurior perrexit adverſus Perſas.

γ Quorum Primus Lagi filius.] *Strabo lib. 17. & Pauſanias in Atticis ſcribunt Ptolemaum putatum eſſe Lagi filium, ſed revera Philippi fuiſſe, matrem enim illius jam gravidam ex Ptolemeo Philippum Lago in matrimonium dediſſe.*

δ Multos ex Judæa captivos.] *Joſephus lib. 12. antiq. cap. 1.*

ε Huic autem ſuccedens alius Ptolemæus.] *Translationem ſacrorum librorum per 72. interpretes ex lingva Hebraa in Gracam volunt Irenaus lib. 3. cap. 25. & Clemens Alexandrinus lib. 1. ςρωμάτων Ptolemai Lagi filio regnante factam eſſe. Verum cum Auguſtino Ariſtaas in hiſtoria de hac re, Joſephus lib. 12 antiq. cap. 2. & lib. 2. contra Appionem, Philo lib. 2. de vita Moſis, Tertullianus in Apologet. cap. 18. Athanaſius in Synopſi, Epiphanius lib. de menſuris & ponderibus, aliiq; omnes ſcriptores conſentiunt fuiſſe Ptolemaum Philadelphum Ptolemai Lagi filii ſucceſſorem, qui curarit transferri ſacros libros, eoque nomine munera & literas miſerit ad Eleazarum Pontificem. Cum enim ille ampliſſimam & libris refertiſſimam bibliothecam ex toto fere orbe conquiſitam inſtruxiſſet, cui prafecerat Demetrium Phalereum Athenienſem in patria antea maximis dignitatibus functum tum civium invidia exulem, ſed in magno pretio a Ptolemao habitum, ab illo interim monitus extare apud Judaos libros multos, qui eorum leges ſcriptas continerent, dignos cognitu & bibliotheca regia, ſcriptos ipſorum lingva & literis, & nihil vetare, quin illa ex Hebrao traducta in bibliothecam ſuam referat. Rex ſine mora ſcribit Judaorum Pontifici, ut curet hoc negotium ex ſententia ſua confici. Cujus voluntati quia imprimis propenſiſſimum ſe & bene affectum erga Judaos demonſtrar. t, annuit Pontifex Eleazarus, & ad eum mittit 72. interpretes Hebraica lingva & Graca peritiſſimos, qui ſacros libros ex Hebrao in Gracā lingvam transferrent. Etſi vero D. Hieron. in quaſt. Hebraicis & in c. 5. Ezechielis, & in c. 2. Michea videatur propenſior in eam ſententiam, eos ſolos libros quinq; libros Moſis vertiſſe, quod aſſerere dicit Ariſtaū, Joſephū & omnē Judaorum, veriſimilius tamē eſt, reliquos libros etiam vertiſſe, ut fuſe oſtendit Leo de Caſtro in diſputatione de translationibus ſac. ſcript. c. 15. & 26. de quo etiam Baronius tom. 2. anno Chriſti 231. cum Apoſtoli & Evangeliſta citent fere ſemper teſtimonia Prophetarum juxta translationem 70. interpretum: Neque probabile eſt Regem illum numeroſa bibliotheca inſtruenda & conquirendorum undique librorum adeo*

ſtudioſum noluiſſe etiam Prophetarum oracula & alios libros Judæorum præter pentateuchum transferri. Deinde vero intererat maxime Chriſtianæ Eccleſiæ, quæ toto orbe terrarum ædificanda erat, ut non modò libri Moſis, verùm etiam oracula Prophetarum, ex quibus noſtra maxime confirmamus, in eam lingvam, quæ, ut teſtis eſt Cicero pro Archia Poeta, legebatur ferè in omnibus gentibus, transferrentur. Nec enim id ſine ſingulari Dei providentia factum eſt. Nam jam inſtabat tempus, quo non Hebræi ſolum, verum etiam Græci ac reliquæ Gentes omnes ad fidem Chriſti convocandæ, & ex divinis ſcripturis edocendæ erant. Id etiam diſpenſatione factum eſſe ſcribit D. Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 15. Ut libri, quos Gens Judæa cæteris populis vel religione vel invidia prodere nolebat, credituris per dominum gentibus miniſtra Regis Ptolemæi poteſtate tanto ante proderentur. *Et Euſeb. lib. 8. præpar. Evangel. cap. 1.* Cum jam Salvatoris noſtri tempora propius viderentur advenire, conducebatque maxime ſaluti omnium gentium quæcumque à Prophetis ſcripta erant, intelligere, per lingvam Græcam, quam fere omnes intelligunt, Judaicam ſcripturis univerſis propoſuit. Aut enim poſt ſalvatoris noſtri tempora non habuiſſemus ſcripturas, Judæis ex invidia occultantibus, aut corruptiores nobis dediſſent, aut ſi recte haberi potuiſſent, in ſuſpicionem traductores facile vocarentur. *Quam ultimam rationem & ipſe Irenæus lib. 3. cap. 25 adfert his verbis,* Prophetatum eſt quidem priusquam in Babylonem fieret populi transmigratio. i. antequã Medi & Perſæ acciperent principatum; interpretatum vero in Græco ab ipſis Judæis, multum ante tempora adventus domini noſtri, ut nulla relinquatur ſuſpicio, ne forte nobis morem gerentes Judæi, hæc ita ſint interpretati. Quemadmodum enim ad confirmandam religionem Chriſtianam, *ut fuſe diſſerit Auguſtinus contra Paganos lib. 1. de conſenſ. Evangel.* voluit præmittere Prophetas, qui ea longe ante vaticinarentur, quæ completa poſtea fuere in gentibus, & quidem eas ſcripturas voluit haberi præ manibus Judæorum inimicorum, ne dicerent Gentiles hujusmodi prophetias à nobis confictas, ita ne objicerent iidem detrectatores, in gratiam Chriſtianorum Judæos, vel ad confirmanda noſtra aliquos ex Chriſtianis poſt Chriſtum ita in Græcam lingvam vertiſſe ſcripturas, voluit quadam ſingulari providentia trecentis ante annis Chriſtum eas per Judæos interpretes ex Hebraica transferri in lingvam Græcam. *Ita Hilarius in Pſ. 2* Perfecta horum 70. interpretum authoritas manet; quod ante adventum *inquit*, corporalem Chriſti tranſtulerunt, nec adulatio interpretandi adhibita tempori arguitur tanto anterioris interpretationis ætate.

{Dati ſunt ei ſeptuaginta duo.] *Scribit enim Joſephus, ſenos per tribus presbyteros delectos eſſe, qui Alexandriam ad Ptolemæum mitterentur, & Ariſtæas in hiſtoria de hac re ſingulorum mentionem per tribus ſuas facit. Eos vocat Juſtinus Orat. parænet. ad Gent. Sapientes Græcæ & Hebraicæ lingvæ peritos: & Irenæus ſcribit, quos habebant perfectiores ſcripturarum intellectores & utriusque lingvæ peritos ad Regem miſſos fuiſſe. Philo lib. 2. de vita Moſis ſcribit, delectu habito optimos*

&

& præſtantiſſimos viros collegiſſe. Hilarius in Pſ. 2. vocat eos principes doctoresque Synagogæ, & præter ſcientiam legis per Moſem quoque ſecretiori doctrina perfectos. Theodorus Antiochenus in cap. 1. Sophoniæ vocat illos patrii ſermonis peritiſſimos & rerum divinarum ſcientiſſimos. Uſus obtinuit ut vocetur interpretatio 70 eo modo, quo dicuntur 70. diſcipuli domini brevitatis cauſa, cum certo conſtet fuiſſe 72. quemadmodum etiam illi judices Romani, qui de cauſis quibusdam privatis cognoſcebant & judicabant, Centumviri appellabantur: cum tamen eſſent centum & quinque, terni nempe ex ſingulis tribubus, quæ Romæ erant triginta quinque.

n Traditur ſane tam mirabilem.] *Non citra miraculum certe edita eſt interpretatio illa 70. interpretum. Cum enim eſſent ab invicem ſejuncti, quod per Ptolemæum effectum eſt ſuggerente divino nomine, ut majoris authoritatis eſſet ea interpretatio, & omni ſuſpicione careret, ita conſenſiſſe reperti ſunt in ea verſione, ut non modò ſententiis convenirent, ſed ne verbis quidem ullo modo diſcreparent; Tertullianus ſcribit in Apologet. cap 18. Menedemum etiam Philoſophum de ſententiæ communicatione eos ſuſpexiſſe. D. Auguſtinus lib. 2. de doct. Chriſti c. 15. 70.* Interpretum, quod ad vetus teſtamentum attinet, excellit authoritas; qui jam per omnes peritiores Eccleſias tanta præſentia Spiritus ſancti interpretati eſſe dicuntur; ut os unum tot hominum fuerit. Qui ſi ut fertur, multique non indigni fide prædicant, ſinguli cellis etiam ſeparatis cum interpretati eſſent, nihil in alicujus eorum codice inventum eſt, quod non iiſdem verbis, eodemq; verborum ordine inveniretur in cæteris, quis huic authoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat? *Quod fuerint ab invicem ſeparati & ſinguli ſingulis cellulis collocati ac ſeorſum diſpoſiti, tradunt fere ſcriptores. Juſtinus Martyr orat. parænet. ad Gentes, & cellulas aſſeverat & earum veſtigia ſe propriis oculis vidiſſe teſtatur non longe ab Alexandria, ſeque certiſſime didiciſſe ab incolis illius loci, ſe traditione quadam à majoribus accepta, ita rem habere compertiſſimam. Et hanc opinionem confirmare videntur quotquot ſcripſerunt, ſingulatim ſingulos & ſeorſim ab invicem collocatos ſacros libros vertiſſe, ut Philo lib. 2. de vita Moſis, Clemens Alexandrinus lib. 1. ςρωμα. Irenæus lib. 3 cap. 25. & Cyrillus Hieroſolymit. catecheſ. 4. ſcribit, Ptolemæum ſingulis interpretibus ſingulas domos diſtribuiſſe, & unicuique ut ſeparatim omnes ſcripturas interpretaretur, mandaſſe. Epiphanius lib. de menſ. & ponderib. non quidem cellulas 72. at 36. conſtituit, in qualibet domuncula binos conſtituens, quod idem ſentit Juſtinianus Novella 146. Unus D. Hieronymus in Apologet. adverſus Ruffinum & præfatio. in pentateuchum & epiſt. 104. & 107. 70. illas cellulas videtur fabulæ loco habere.* Neſcio (*inquit*) quis primus author 70. cellulas Alexandriæ mendacio ſuo exſtruxerit, cum Ariſtæas ejusdem Ptolemæi ὑπερασπιστής, & multo poſt tempore Joſephus nihil tale retulerint, ſed in una baſilica congregatos contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe. Aliud enim eſt vatem eſſe, aliud eſſe interpretem; ibi ſpiritus ventura prædicit. hîc eruditio & verborum copia ea, quæ intelligit, transfert. *Et præfat. 1. in Paralip. ait, hujusmodi 70. cellulas vulgò ſine authore jactari. Pluris tamen facienda eſt tot Patrum authoritas, quàm unius duntaxat, quem late refutat Leo de Caſtro di-*

ſputatione de tranſlationibus ſacræ ſcripturæ cap.35. & deinceps,& præterquam quod tot Patres aſſerunt illas cellulas, non deſunt etiam rationes probabiles ad confirmandam eorum ſententiam. Nam imprimis Ptolemæus periclitari voluit divinine eſſent libri, an non, ideoque interpretes ſimul congregatos vertere noluit, verum ſigillatim ſeparatos, veritus fortaſſe ne communi conſilio eum deciperent,& non fideliter libros illos Hebræos transferrent. Deinde id factum eſt ſingulari Dei providentia, ut libri illi ſacri proculdubio haberentur & à divino numine dictati, & majori cum religione in bibliotheca aſſervarentur. Præterea id factum eſt ita diſponente Deo,ut translatio illa non modo tum apud regem Ptolemæum & Ægyptios, verum etiam in poſterum apud Gentes credituras omni careret ſuſpicione & miraculi loco haberetur; quæ à tot interpretibus ſeorſim poſitis uno ſpiritu illis dictante,ne quidem minimo verbo diſcrepantibus profecta ſit. Certe ſi in unum collecti tranſtuliſſent illos libros, nec caruiſſet ſuſpicione illa translatio, nec miraculi loco habita fuiſſet. Nec mirum eſt Joſephum in narranda illa hiſtoria cellularum non meminiſſe, nec enim omnia eſt perſecutus, ne fortasſis videretur aliquid detrahere libris Hebraicis, quos Judæi tanti faciebant, & ne ſi tantum miraculum recenſeret, eodem in pretio haberent libros illos Græce editos, quo eosdem Hebraice primum à Moſe & Prophetis ſcriptos.

Cap. XLIII.

De authoritate ſeptuaginta interpretum, quæ ſalvo honore Hebraicæ linguæ, omnibus ſit interpretibus præferenda.

NAm cùm fuerint & alii interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam ſacra illa eloquia tranſtulerunt, α ſicut Aquila, β Symmachus, γ Theodotio, ſicut etiam illa eſt interpretatio,cujus autor non apparet,& ob hoc δ ſine nomine interpretis quinta editio nuncupatur: hanc tamen,quæ Septuaginta eſt,tanquam ſola eſſet,ſic recepit Eccleſia,eaque utuntur Græci populi Chriſtiani, quorum plerique utrum alia ſit aliqua ignorant. ε Ex hac ſeptuaginta interpretatione etiam in Latinam linguam interpretatum eſt, quod Eccleſiæ Latinæ tenent. ζ Quamvis non defuerit temporibus noſtris Presbyter Hieronymus homo doctiſſimus & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, ſed ex Hebræo in Latinum eloquium eaſdem ſcripturas converterit. α Sed ejus tam literarum laborem,quamvis Judæi fateantur,eſſe veracem,ſeptuaginta verò interpretes in multis erraſſe contendant: tamen Eccleſiæ Chriſto tot hominum autoritati ab Eleazaro tunc Pontifice,ad hoc tantum opus electorum, neminem judicant præferendum, quia etſi non in eis unus apparuiſſet ſpiritus ſine dubitatione divinus: ſed inter ſe verba interpretationis ſuæ ſeptuaginta docti more hominum contuliſſent,ut quod placuiſſet, omnibus hoc maneret, η nullus eis unus interpres debuit anteponi. Cùm verò tantùm in eis ſignum divinitatis apparuit, profectò quiſquis alius illarum ſcripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam interpres eſt verax, aut congruit illis ſeptuaginta interpretibus, aut ſi congruere non videtur,altitudo ibi prophetica eſſe credenda eſt. θ Spiritus enim,qui in Prophetis erat,quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam in

LXX.

LXX. viris, quando illa interpretati ſunt. Qui profectò autoritate divina & aliud dicere potuit, tanquam Propheta ille utrumque dixiſſet, quia utrumque idem ſpiritus diceret, & hoc ipſum aliter, ut ſi non eadem verba, idem tamen ſenſus bene intelligentibus dilucēſceret, & aliquid prætermittere, & aliquid addere: etiam ut hinc oſtenderetur, non humanam fuiſſe in illo opere ſervitutem, quam verbis debebat interpres, ſed divinam potius poteſtatem, quæ mentem replebat & regebat interpretis. Nonnulli autem codices Græcos interpretationis Septuaginta ex Hebræis codicibus emendandos putarunt: nec tamen auſi ſunt detrahere, quod Hebræi non habebant, & LXX. poſuerunt, ſed tantummodo addiderunt, quæ in Hebræis inventa, apud Septuaginta non erant, *a* eaque ſignis quibuſdam *b* in ſtellarum modum factis, ad capita eorundem verſuum notaverunt, *c* quæ ſigna aſteriſcos vocant. Illa verò, quæ non habent Hebræi, habent autem Septuaginta, ſimiliter ad capita verſuum jacentibus *d* virgulis, ſicut ſcribuntur unciæ, ſignaverunt: & multi codices Græci has notas habentes uſquequaque diffuſi ſunt & Latini. Quæ autem non prætermiſſa vel addita, ſed aliter dicta ſunt, ſive alium ſenſum faciant etiam ipſum non abhorrentem, ſive alio modo eundem ſenſum explicare monſtrentur, niſi utriſque codicibus inſpectis nequeunt reperiri. Si igitur, ut oportet, nihil aliud intueamur in ſcripturis illis, niſi quid per homines dixerit Dei ſpiritus, *x* quicquid eſt in Hebræis codicibus, & non eſt apud interpretes Septuaginta, noluit hoc per iſtos, ſed per illos Prophetas Dei ſpiritus dicere. Quicquid verò eſt apud Septuaginta, in Hebræis autem codicibus non eſt, per iſtos maluit, quàm per illos idem ſpiritus dicere, ſic oſtendens, utroſque fuiſſe prophetas. Iſto enim modo alia per Eſaiam, alia per Hieremiam, alia per alium atque alium prophetam, vel aliter eadem per hunc ac per illum dixit, ut voluit. Quicquid porrò apud utroſque invenitur, per utroſque dicere voluit unus atque idem ſpiritus, ſed ita ut illi præcederent prophetando, iſti ſequerentur propheticè illos interpretando: quia ſicut in illis vera & concordantia dicentibus unus pacis ſpiritus fuit, ſic & in iſtis non ſecum conferentibus, & tamen tanquam uno ore cuncta interpretantibus, idem ſpiritus unus apparuit.

a Ed ejus tamen literarum laborem.] *Nullus error ſimul oſtenſus eſt & relictus, non tam benè agitur cum rebus humanis: ad hæc multis rebus tempus parit autoritatem, interim nihil aliud, quàm tempus, ſed laudandus vehementer candor, quo vir ſanctus de Hieronymo loquitur, à quo diſſentiebat in re tanta, utinam eum hoc tempore imitaremur.* L. Vives.

b Eaque ſignis quibuſdam in ſtellarum modum factis.] *De hac re Hieronymus ſic ſcribit in Proœmio Paralip. Ubicunque aſteriſcos, id eſt ſtellas hoc in volumine radiare videritis, ibi ſciatis de Hebræo additum, quod in Latinis codicibus non habetur: ubi verò obelus transverſa ſcilicet virga præpoſita eſt, illic ſignatur, quod LXX. interpretes addiderunt vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus ſancti autoritatem, licet in Hebræis voluminibus non legatur. Hæc Hieronymus. Quem laborem ſic conferendi interpretationes, & annotandi primus ſumpſit Origenes, collata verſione Septua-*

ptuaginta cum Theodotionica, ut Hieron. eſt autor, ſcribens ad Auguſtinum: qui quum hoc Origenis ſtudium alibi vehementer probet, in epiſtola ad Aug. inceſſit, non ſic emendatos codices dicens, ſed per obelos & aſteriſcos depravatos: quod ut diceret, transverſus eſt affectu impulſus, quòd interpretationem ejus Auguſt. nollet attingere, apud quem ſacroſancta erat Septuaginta: adeò vel in ſanctiſſ. viris affectus ſæpè humani dominantur.

c Aſteriſcos vocant.] *Hoc eſt, ſtellulas.*

d Jacentibus virgulis, ſicut ſcribuntur unciæ.] *Uncia duodecima eſt cujusvis integri pars: videtur ſolita eſſe obelo ſignari, hoc eſt, veru. Iſidorus, ſi modò idoneus eſt is autor, gammate græco, & o noſtro in ſic, Γ O unciã dicit ſignari: linea verò in transverſum porrecta — obolum. Quid ſi legeretur non uncia, ſed unci vel uncini? Cæterùm obelo ſeu veris utebantur annotando, ut videretur transfodi & jugulari dictum illud ceu nothum & inſititium: tractum hoc à priſco Grammaticorum more, quum de verſibus libriſq; cenſuram faciebant, Ariſtarchi Grammatici inſtituto. Quintil. lib. 1. Quo quidem ita ſunt ſeverè uſi veteres Grammatici, ut non verſus modò cenſoria quadam virgula notare, & libros, qui falsò viderentur inſcripti tanquam ſubdititios ſubmovere familia permiſerint ſibi, ſed autores alios in ordinem redegerint, alios omninò exemerint numero. Sic ille. Seneca feſtivè Ariſtarchi notas, inquit, quibus aliena carmina compunxit.*

F.L.Cog. α SIcut Aquila.] *Aquila genere Ponticus annis 430. menſibus quatuor poſt interpretationem Septuaginta ſub Hadriano Imperatore anno domini 128 ut ſcribit Epiphanius lib. de menſu. & ponderib. aggreſſus eſt ſuam interpretationem, de quo plura ſupra lib. 15 cap 13.*

β Symmachus] *Temporibus Severi Imperatoris novam divinæ ſcripturæ interpretationem edidit, quam fuiſſe duplicem teſtatur D. Hieronymus in cap. 32. Hieremiæ, qui de eodem Symmacho ait, nequaquam interpretando reddidiſſe verbum ex verbo, ſed ſententias ex ſententiis, & ſenſum ex ſenſu. Fuiſſe genere Samaritanum author eſt Epiphanius lib. de menſuris & ponderibus, & à ſuis tranſiiſſe ad Judæos, ac factum eſſe proſelytum ac circumciſum ſecunda circumciſione. Qui enim à Judæis ad Samaritas profugiebant, rurſus circumcidebantur, ſimiliter & qui à Samaritis ad Judæos transfugiebant Quomodo autem à circumciſione præputiati fierent, & ſecundò circumciderentur, ſcribit ibi Epiphanius. Verùm S. Hieronymus Apologia adverſum Ruffinum, præfat. in Eſdram & in Job hunc ex Chriſtiano factum Hebionitam ſcribit, ut etiam Nicephorus lib. 5. cap 12. ſcribit, fuiſſe ſectæ Hebionitarum.*

γ Theodotion.] *Poſt Symmachum ponit Theodotionem, ſecutus in hoc Epiphanium, cum tamen Symmachus Severi temporibus ſuam promulgaverit editionem, Theodotion verò primis Commodi annis circa annum Domini 184. D. Athanaſius in Synopſi etiam Symmachi verſionem tertiam nominat, Theodotionis quartam, cum tamen eos non latuerit Severum regnaſſe poſt Commodum, & ita priorem Theodotionem fuiſſe Symmacho. Verùm ab eis id ea ratione factum eſt, quod non ſecundùm ordinem eaſdem numerarunt editiones, ſed ſicut in exaplis ab Origine poſitæ erant, in quibus tertio loco Symmachi, quarto vero erat Theodotionis editio collocata Hunc*

tradunt

tradunt Tatiani auditorem fuiſſe, ejusque dogmam eſſe ſecutum, moxque ſe Marcionitis adjunxiſſe, neque tamen apud eos diu potuiſſe conſiſtere, ſed ad Judæos tranſiſſe, jamque proſelytum eam ſubiiſſe provinciam, ut ex Hebræo in Græcum ſacra volumina transferret. Euſebius lib. 3. hiſtor. cap. 8. eum Hebioneum appellat, quem ſecutus Hieronymus inter hæreticos Judaizantes annumerat, illumque multa myſteria ſalvatoris ſubdola interpretatione celaſſe prodit præfatione in Job, & Apolog. adverſ. Ruffinum; ea ratione moti ſunt fortaſſe, quod dicat Irenæus lib. 3. cap. 24. Hebionæos hæreticos translationem Theodotionis ſicut & Aquilæ Pontici eſſe ſectatos, qui & hunc patria Ephesium nominat, quemadmodum & Athanaſius in ſynopſi, quibus magis credendum, quam Epiphanio, qui eum Ponticum nominat.

δ Sine nomine interpretis quinta editio.] *Hæc inventa fuit ab Origine in Hiericho in doliis quibusdam, cum adhuc viveret Antonius Severi filius annum auſpicatus ſui imperii ſeptimum, qui fuit annus Chriſti 219. teſte Epiphanio lib. de menſuris & ponderibus & Euſebio lib. 6 hiſtor. cap. 12. Athanaſius in ſynopſi à quodam ex illis, qui Hieroſolymis pietati vacaverant, fuiſſe conflatam ſcribit. Sexta editio inventa fuit Nicopoli 7. anno Imperii Alexandri Severi Mamæi filii, qui fuit annus Chriſti 230. incerto authore. Scribit Athanaſius in Synopſi à quodam Origenis familiarium compoſitam fuiſſe.*

ε Ex hac 70. interpretatione etiam in Latinam linguam.] *De hac re in ſuperioribus libris à nobis dictum eſt.*

ζ Quamvis non defuerit temporibus noſtris presbyter Hieronymus.] *Interpretatio 70 magnæ fuit ab initio authoritatis apud omnes, ut etiam Judæi univerſi eam probarent, in ſynagogis ſuis ea uterentur, ſupplicem libellum aliquando etiam obtulerint Juſtiniano Imperatori contendentes eam in ſynagogis ſuis, ſicut antea factum erat, legi debere, Apoſtoli eam citarint, & legendam Eccleſiæ tradiderint. Merito igitur communis habita eſt in Eccleſia quãdiu ſincera permanſit. Poſtea vero multa corruptelæ in eam invecta ſunt, negligentia, vel malitia, aut etiam ignorantia aliquorum. Unde primum ab Origene, deinde à Luciano Martyre, poſtea ab Heſychio, quarto demum ab Hieronymo fuit mendis expurgata. Unde factum eſt, ut toto orbe diverſa eſſet editio 70. cum alii legerent, quæ ab Origene correcta fuit, rurſum alii à Luciano emendatam, alii denique eam, quæ Heſychii diligentia priſtinæ reddita eſt integritati. Cum igitur ob triplicem hanc editionem, dum ſuam quisque commendaret, non leves conflarentur ſeditiones, ob eamque cauſam ſæpe Hebraicam veritatem vel alias à prophanis editas translationes conſulendi pateret occaſio, his & aliis rationibus permotus (ut ipſemet ait) Hieronymus ſacras ſcripturas ex Hebræo in Latinum convertit, etſi nonnulli id diſſuaderent, ut inter cæteros D. Auguſtinus, ut conſtat ex epiſt. 8. Alii etiam objicerent, quod odio 70. interpretum id faceret. Ideoque rationem inſtituti ſui reddere coactus fuit, quemadmodum conſtat ex omnibus fere prologis librorum veteris teſtamenti, & lib. 1. Apolog. adverſus Rufinum;* Egone *(inquit)* contra 70. interpretes, qui ante plurimos annos illos diligentiſſime emendatos linguæ meæ ſtudioſis dedi, quos quotidie in conventu fratrum ediſſero, quorum Pſalmos jugi meditatione decanto, adeo ne ſtultus ſim, ut quod puer didici, id

ei, id ſenex oblíviſci velim. *Frequenter etiam repetit non ita ſe nova excudere, ut veterem deſtruere velit,* Non *(inquit)* ſic nova excudimus, ut vetera deſtruamus, *& in præfatione lib. Paral. ad Cromatium,* Si *(inquit)* pura eſſet editio 70. interpretum, qualis ab illis in lucem edita fuit, ſuperflue me rogares, ut Hebraica volumina tibi in linguam Latinam transferrem; *& Epiphanius ſcribit, Aquilam depravaſſe data opera interpretationem 70. Laudat quidem Auguſtinus hoc loco ſtudium & laborem Hieronymi, nequaquam tamen præferendam putat illam verſionem antiquæ illi 70. interpretum editioni. D. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 6. Etymol. c. 3. Hieronymi editionem maxime commendat;* Presbyter Hieronymus *(inquit)* trium linguarum peritiſſimus ex Hebræo in Latinum eloquium divinas ſcripturas convertit eloquenterque transfundit, cujus interpretatio merito cæteris anteponitur. Nam eſt & verborum tenacior, & perſpicuitate ſententiæ clarior. *& l. 1. de offic. eccl. c. 12.* De Hebræo in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter ſacras ſcripturas convertit; cujus editione generaliter omnes eccleſiæ uſquequaque utũtur, pro eo quod veracior ſit in ſententiis, & clarior in verbis. *Non Latini modo hanc verſionem probarunt, verum etiam Græci, qui quoſdam ſacræ ſcripturæ libros ex Hieronymi verſione Latina in Græcum ſermonem tranſtulerunt, ut ipſe etiam teſtatur lib. 2. adverſus Ruffinum, imo & Judæi ipſi, ut hoc loco teſtatur D. Auguſtinus.*

n Nullus eis unus interpres.] *Etſi 70. interpretes non eo ſpiritu vertiſſent ſcripturas, quo primum editæ ſunt, nec vates, ſed interpretes fuiſſent, nullus tamen eis alius præferri debuit, quod tot numero ſapientiſſimi viri utriuſque linguæ peritiſſimi ad hoc munus præ cæteris ab Eleazaro Pontifice ſelecti fuerint, quod ſcribit lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 11.* Si contulerint, *inquit*, ut una omnium communi tractatu, judicioque vox fieret, nec ſic quidem quemquam unum hominem qualibet peritia ad emendandũ tot ſeniorum doctorumque conſenſum aſpirare oportet aut decet.

o Spiritus enim, qui in Prophetis erat.] *Omnes fere Patres ſcribunt translationem 70. à Spiritu ſancto profectam & tanquam prophetico Spiritu concinnatam commendant, illos interpretes ut Prophetas Dei celebrant; illos ſacra biblia Evangelice & Apoſtolice convertiſſe paſſim tradunt. Ita D. Auguſt. non modo hoc loco, ſed etiam lib. 2. de conſ. Evang. cap. 66. in Pſalm. 78. D. Irenæus lib. 3. cap. 25. dicit aperte id Spiritu Prophetico factum eſſe, & confert 70. interpretes cum Eſdra nimirum per aſpirationem Dei interpretatas eſſe ſcripturas à ſeptuaginta, quemadmodum in captivitate Babylonica corruptis ſcripturis per Eſdram omnes rememoratis ſermones, & reſtitutam populo eam lex quæ data erat per Moyſem. Et Clemens Alexandrinus lib. 1. ςρωμα.* Neque vero, *inquit*, ab inſpiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tanquam Græcam efficeret prophetiam. *Vult itaque hanc translationem futuram gentibus velut alteram prophetiam, & ſubjicit exemplum Eſdræ renovantis legem, ut fecerat Irenæus. Ita Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 4. docet non caſu factum, ut omnes in eandem & iiſdem verbis explicatam ſententiam convenirent, ſed ex ſpiritu ſancto divinarum ſcripturarum interpretationem profectam. Ita Theodoretus præfat. in Pſalmos de Eſdra loquens;*

Si di-

Si divino numine afflatus horum librorum memoriam illis hominibus renovavit, etiam hi ſeptuaginta viri non ſine ſancto ſpiritu hæc opera in Græcum ſermonem converterunt, *& Juſtinianus Nov.146. de interpret. 70. loquens:* Quis non illud in illis viris admiretur *(inquit)* quod longo tempore apparitionem magni Dei, & ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti præceſſerunt, tamen illam futuram quaſi præſentem cernentes oculis prophetica quadammodo gratia ipſos circumfulgente ſacrorum illi librorum interpretationem accommodaverunt; *Et Philo ipſe Judæus lib. 2. de vita Moſis eos docet propbetaſſe & ſpiritu Dei plenos non alia alios, ſed eadem omnes neſcio quo illis ea ſuggerente tradidiſſe, eoſque prophetas appellat; Et licet D. Hieron. aliter ſentire videatur, ut lib. 2. contra Ruffinum & præfat. in* πεντατεύχον. *ubi eos aſſerit interpretes non vates fuiſſe, tamen præfat. in lib.* παραλειπ. *ſcribit eos Spiritu ſancto plenos quæ vera fuerunt, transſtuliſſe.*

ι Eaque ſignis quibusdam in ſtellarum modum factis.] *Multa quidem habentur in textu Hebraico, quæ apud 70. minime reperiuntur; ea omnia notavit Origenes* aſteriſcis. *i. e. ut loquitur Auguſtinus,* Signis in modum ſtellularum factis, ſeu ſtellulis, *quæ è contrario apud 70. interpretes inveniebantur, & non in textu Hebraico, ea notavit* obeliſcis; *Author Epiphanius & Hieronymus præfat. in lib. Paralip. & epiſt. 135. ad Suinam & Fretellam*, Ubi quod minus habetur in Græco ab Hebraica veritate, Origenes de translatione Theodotionis addidit, & ſignum poſuit aſteriſcum. i. e. ſtellam quæ quod prius abſconditum videbatur, illuminet & in medium proferat: ubi autem quod in Hebræo non eſt, in Græcis codicibus invenitur, ὀβελόν. i. e. jacentem præpoſuit virgulam, quam nos latine poſſumus veru dicere; quo oſtenditur jugulandum & confodiendum, quod in authenticis libris non habetur. *Idem lib. de optimo gen. interpret.* Longum eſt nunc evolvere quanta Septuaginta de ſuo addiderunt, quanta dimiſerunt, quæ in exemplaribus Eccleſiæ obelis aſtericiſque diſtincta ſunt.

κ Quicquid eſt in Hebræis codicibus & non apud 70.] *Nonnulla reperiuntur in ſcripturis Hebraico ſermone primum edita, quæ tamen non reperiuntur in translatione 70. Interpretum, & è contrario quædam apud 70. quæ non reperiuntur in Hebraicis codicibus, cum eadem ſit ſcriptura translata ex una lingua in alteram. Id non ſine myſterio factum putat Auguſtinus. Alia enim per ſcriptores ſacros; qui primum dictante Spiritu ſancto ediderunt Hebraice, revelare voluit, alia item per ſacros interpretes, ut non modo eos interpretum officio functos exiſtimemus, ſed & Prophetas fuiſſe, & exemplo id docet, quod ut quædam dixit Spiritus ſanctus per Iſaiam, quædam vero per Hieremiam, & alia per utrumque, ita alia per Hebraicam veritatem, & alia per 70. interpretum translationem, quædam vero per illam & per iſtos; & lib. 2. de doctrin. Chriſt. c. 15.* etiamſi *(inquit)* aliquid aliter in exemplaribus Hebræis invenitur quam iſti poſuerunt, credendum eſſe arbitror divinæ diſpenſationi, quæ per eos facta eſt. Itaque fieri poteſt, ut ſic illi interpretati ſint, quemadmodum congruere gentibus ille qui eos regebat, & qui os unum omnibus fecerat Spiritus ſanctus judicavit: *& lib. 2. de Conſenſ. Evangel. cap. 66* Manifeſtum eſt illam interpretationem, quæ dicitur Septuaginta, in nonnullis aliter ſe habere quam

inveniunt in Hebræo, qui eam linguam noverunt, & qui ſimul interpretati ſunt ſinguli eosdem libros Hebræos. Hujus item diſtantiæ cauſa ſi quæratur, cur tanta authoritas interpretationis ſeptuaginta multis in locis diſtet ab ea veritate, quæ in Hebræis codicibus invenitur, nihil occurrere probabilius exiſtimo, quam illos ſeptuaginta eo ſpiritu interpretatos quo & illa, quæ interpretabantur, dicta fuerant, quod ex ipſa eorum mirabili, quæ prædicatur, conſenſione firmatum eſt. Ergo & ipſi nonulla in eloquio variando & ab eadem voluntate Dei, cujus dicta illa erant, & cui verba ſervire debebant, non recedendo nihil aliud demonſtrare voluerunt, quam hoc ipſum, quod nunc in Evangeliſtarum quatuor concordi quadam diverſitate miramur, nobis oſtenditur non eſſe mendacium, ſi quiſpiam ita diverſo modo aliquid narret, ut ab ejus voluntate, cui conſonandum & conſentiendum eſt, non recedat. *D. Hieronymus multa loca, quæ omiſerunt 70. interpretes, quæ inveniuntur tamen in Hebrais codicibus, recenſet præfatio. 104. in Pentateu. & lib. 2. adverſus Ruffinum. Cur etiam aliqua omiſerint, rationem addit & præfat. 104. in Pentate. & præfati. 117. in translationem Eſaiæ ex Hebraica veritate, quod Ptolomæo regi Alexandriæ myſtica quædam in ſcripturis ſacris prodere noluerint, & maxime ea, quæ Chriſti adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi & alterum Deum colere, quos ille Platonis ſectator magni idcirco faciebat, qui unum Deum colere dicerentur.*

Cap. XLIV.

Quid intelligendum ſit de Ninivitarum excidio, cujus denunciatio in Hebræo quadraginta dierum ſpatio tenditur, in Septuaginta autem tridui brevitate concluditur.

SEd ait aliquis: Quomodo ſciam, quid Jonas propheta dixerit Ninivitis, *a* utrum triduum & Ninive evertetur, *a* an quadraginta dies? Quis enim non videat non potuiſſe utrumque tunc dici à Propheta, qui miſſus fuerat terrere comminatione imminentis exitii civitatem? Cui ſi tertio die fuerat futurus interitus, non utique quadrageſimo die: ſi autem quadrageſimo, non utique tertio. Si ergò à me quæritur, quid horum Jonas dixerit, hoc puto potius, quod legitur in Hebræo, *quadraginta dies & Ninive ſubvertetur.* Septuaginta quippè longè poſterius interpretati aliud dicere potuerunt, quod tamen ad rem pertineret, in eundemque ſenſum, quamvis ſub altera ſignificatione concurreret: admoneretque lectorem, utraque autoritate non ſpreta ab hiſtoria ſeſe attollere, ad ea requirenda, propter quæ ſignificanda hiſtoria ipſa conſcripta eſt. Geſta ſunt quippè *b* illa in Ninive civitate, ſed aliquid etiam ſignificaverunt, quod modum illius civitatis excedat: ſicut geſtum eſt, quòd ipſe propheta in ventre ceti triduo fuit, & tamen alium ſignificavit in profundum inferni triduo futurum, qui Dominus eſt omnium Prophetarum. Quapropter ſi per illam civitatem rectè accipitur Eccleſia Gentium, propheticè figurata, everſa ſcilicet per pœnitentiam, ut qualis fuerat, jam non eſſet: hoc quoniam per Chriſtum factum eſt in Eccleſia Gentium, cujus illa Ninive figuram gerebat, ſive per quadraginta dies

ſive

ſive per triduum, idem ipſe ſignificatus eſt Chriſtus: per quadraginta, ſcilicet quia tot dies peregit cum diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem ſuam, & aſcendit in cœlum: per triduum verò, quia die tertio reſurrexit: tanquam lectorem nihil aliud quàm hiſtoriæ rerum geſtarum inhærere cupientem, de ſomno excitaverint Septuaginta interpretes, iidemque Prophetæ, ad perſcrutandam altitudinem prophetiæ, & quomodo dixerint: in quadraginta diebus ipſum quære, in quo & triduum poteris invenire: illud in Aſcenſione, hoc in ejus Reſurrectione reperies. Propter quod utroque numero ſignificari convenientiſſimè potuit, quorum unum per Jonam Prophetam, alterum per Septuaginta interpretum prophetiam, tamen unus atque idem ſpiritus dixit. Longitudinem fugio, ut non hæc per multa demonſtrem, in quibus ab Hebraica veritate putantur Septuaginta interpretes diſcrepare, & bene intellecti inveniuntur eſſe concordes. Unde etiam ego pro meo modulo veſtigia ſequens Apoſtolorum, quia & ipſi ex utriſque, id eſt, ex Hebræis, & ex Septuaginta teſtimonia prophetica poſuerunt, utraque autoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque divina eſt. Sed jam quæ reſtant, ut poſſumus, exequamur.

a AN quadraginta dies.] *Miratur Hieronymus, LXX. vertiſſe quadraginta, pro tribus, quum in Hebræo nec ſyllabarum, nec accentuum, nec verbi ſit illa ulla communitas: in quibus anguſtiis verſatur nunc excellens Auguſtini ingenium, nec ſe extricare valet.* L. Vives.

b In Ninive civitate.] *Aſſyria quam condidit Ninus: Diximus de hac aliâs.*

a UTrum triduum & Ninive evertetur an quadraginta dies.] *Locum unum ſcripturæ inſtar omnium ex Jona prophetæ proponit, in quo maxima videtur diverſitas inter Hebraicam ſcripturam & translationem 70. Sic enim habet textus Hebraicus* ארבעים יום עוד, adhuc quadraginta dies, *ſeptuaginta vero ita legunt,* ἔτι τρεῖς ἡμέραι καὶ Νινευὴ καταστραφήσεται. Adhuc tres dies, *quam tamen lectionem retinendam cenſet, licet diſcrepare videatur ab Hebræo. Ita vero interpretatur ut utraque vera ſit, & hoc loco & quæſt. 169. in Geneſim ad ſenſum myſticum confugiens, eundem ſcilicet Chriſtum, per quem converſa eſt Eccleſia Gentium, in quadraginta ſignificari & in tribus: in quadraginta, quia totidem diebus fuit poſt reſurrectionem cum diſcipulis, in tribus vero, quia tertio die reſurrexit. D. Hieronymus in eum locum;* Satis miror cur ita translatum ſit, cum in Hebræo nec literarum, nec ſyllabarum, nec accentuum, nec verbi ſit ulla communitas. Tres enim dicuntur שלש, & quadraginta ארבעים Probabile certe non aliter vertiſſe ſeptuaginta, quam erat in Hebræo, ſed incuria primo deſcribentium eorum translationem ex exemplari, quod erat in Bibliotheca Ptolemæi Philadelphi, tres poſitum eſſe pro quadraginta. Unde in omnes codices error emanavit, *quod idem affirmat Auguſtinus ſupra lib. 15. cap 13. contigiſſe in numeratione annorum primorum hominum usque ad diluvium, in qua Septuaginta ab Hebraico textu diſcordant. Ita ſentit etiam Theodoretus,* Ἀκύλας, Σύμμαχος καὶ Θεοδοτίων τεσσαράκοντα συμφωνοῦσι δὲ καὶ τούτοις καὶ ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος, εἰκὸς δὲ καὶ τοῖς ἑβδομήκοντα σύμφωνον καὶ τοῖς ἄλλοις τεθεικέναι τὸν ἀριθμὸν τοὺς δὲ τὴν ἀρχὴν ἐκγραψαμένους ἁμαρτεῖν περὶ F.L. Coq.

τῦτο, εἶτα ὅτι γενέσθαι πᾶσι τῶν ἀντιγράφων, τὴν ἔκδοσιν. Undè etiam Græci, qui ſeptuaginta ſequuntur, in eo loco Jonæ ut plurimum cum eis non legunt τρεῖς ἡμέρας, ſed cum textu Hebraico τεσσαράκοντα, ex verſione Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, ut Chryſoſtomus homil. 4. in Geneſ. & 15. in primam ad Corinthios & homil. 8. ad populum Antiochen. & epiſtol. 5. ad Theodorum lapſum. Alioqui cum Auguſtino confugiendum erit ad altiorem ſcilicet myſticum ſenſum.

CAP. XLV.

Quòd poſt inſtaurationem templi, Prophetas Judæi habere deſtiterunt, & exinde uſque ad Nativitatem Chriſti continuis adverſitatibus ſint afflicti, ut probaretur alterius templi ædificationem Propheticis vocibus fuiſſe promiſſum.

POſteaquam *a* gens Judæa cœpit non habere Prophetas, procul dubiò deterior facta eſt, eo ſcilicet tempore, quo ſe ſperabat inſtaurato templo poſt captivitatem, quæ fuit in Babylonia, futuram eſſe meliorem. Sic quippè intelligebat populus ille carnalis, quod prænunciatum eſt per Aggæum Prophetam, dicentem: *Magna erit gloria domus iſtius noviſſima, plus quàm prima.* Quod de novo Teſtamento dictum eſſe paulò ſuperius demonſtravit, ubi ait, apertè Chriſtum promittens: *Et movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Quo loco Septuaginta interpretes alium ſenſum magis corpori quàm capiti, hoc eſt, magis Eccleſiæ, quàm Chriſto convenientem prophetica autoritate dixerunt. *a β Venient, quæ electa ſunt Domini de cunctis gentibus*, id eſt, homines, de quibus ipſe Jeſus in Evangelio: multi, inquit, vocati, pauci verò electi. Talibus enim electis gentium, domus Dei ædificatur per Teſtamentum novum lapidibus vivis, longè glorioſior, quàm templum illud fuit, quod à rege Salomone conſtructum eſt, & poſt captivitatem inſtauratum. Propter hoc ergo nec Prophetas ex illo tempore habuit illa gens, ſed multis gladiis afflicta eſt ab alienigenis regibus: ipſiſque Romanis, ne hanc Aggæi prophetiam in illa inſtauratione templi opinaretur impletam. *b γ* Non multo enim pòſt adveniente Alexandro, ſubjugata eſt, quando etſi nulla facta eſt vaſtatio, quoniam non ſunt auſi ei reſiſtere, & ideò placatum facillimè ſubditi receperunt, non erat tamen gloria tanta domus illius, quanta fuit in ſuorum regum libera poteſtate. Hoſtias ſanè Alexander immolavit in Dei templo, non ad ejus cultum vera pietate converſus, ſed impia vanitate cum diis cum falſis colendum putans. *c δ* Deinde Ptolemæus Lagi filius, quod ſuprà commemoravi, poſt Alexandri mortem captivos inde in Ægyptum tranſtulit, quos ejus ſucceſſor Ptolemæus Philadelphus benevolentiſſimè inde dimiſit, per quem factum eſt, quod paulò antè narravi, ut Septuaginta interpretum ſcripturas haberemus. Deinde contriti ſunt bellis, quæ in Machabæorum libris explicantur. *d* Poſt hæc *ε* capti à rege Alexandriæ Ptolemæo, qui eſt appellatus Epiphanes, *e ζ* inde ab Antiocho Rege Syriæ multis & graviſſimis malis ad idola colenda compulſi, templumque ipſum repletum ſacrilegis ſuperſtitionibus gentium, quod tamen dux eorum ſtrenuiſſimus Judas,

Agg. 2.

das,qui etiam Machabæus dictus eſt, Antiochi ducibus pulſis ab omni illa idololatriæ contaminatione mundavit. Non autem multò pòſt η Alchimus quidam per ambitionem,cùm à genere ſacerdotali eſſet alienus, quod nefas erat, pontifex factus eſt. Hinc jam poſt annos fermè quinquaginta, in quibus eis tamen pax non fuit,quamvis aliqua & proſperè geſſerint, θ primus apud eos Ariſtobolus aſſumpto diademate,& rex & pontifex factꝰ eſt. Antea quippe,ex quo de Babyloniæ captivitate reverſi ſunt,templumque inſtauratũ eſt,non reges, ſed duces vel principes habuerunt: quamvis & qui rex eſt, poſſit dici princeps à principatu imperandi, & dux, eo quòd ſit ductor exercitus: ſed non continuò quicunque principes vel duces ſunt, *f* etiam reges dici poſſunt, quod iſte Ariſtobolus fuit. *g* ι Cui ſucceſſit Alexander etiam ipſe rex & pontifex,qui crudeliter in ſuos regnaſſe traditur. κ Poſt hunc uxor ejus Alexandra regina Judæorum fuit, ex cujus deinceps tempore mala ſunt eos ſecuta graviora. *h* λ Filii quippe hujus Alexandræ Ariſtobolus & Hircanus inter ſe de imperio dimicantes,vires adverſus Iſraeliticam gentem provocavere Romanas. Hircanus namque ab eis contra fratrem popoſcit auxilium. Tunc jam Roma ſubjugaverat Aphricam,ſubjugaverat Græciam,latèque etiam aliis orbis partibus imperans, *i* μ tanquam ſeipſam ferre non valens,ſe ſua quodammodo magnitudine fregerat. Pervenerat quippe ad ſeditiones domeſticas graves, atque inde ad bella ſocialia,moxque civilia, tantumque ſe comminuerat atque attriverat,ut ei mutandus reipublicæ ſtatus, quo regeretur, regibus immineret. Pompejus ergò populi Romani præclariſſimus princeps, Judæam cum exercitu ingreſſus civitatem capit, templum reſerat non devotione ſupplicis,ſed jure victoris, *k* ν ad ſancta ſanctorum,quò niſi ſummum ſacerdotem non licebat intrare, non ut venerator, ſed ut prophanator accedit. *l* Confirmatoque Hircani pontificatu, & ſubjugatæ genti impoſito cuſtode Antipatro, quos tunc procuratores vocabant, vinctum ſecum Ariſtobolum duxit. Et ex illo Judæi etiam tributarii Romanorum eſſe cœperunt. ξ Poſtea Caſſius etiam templum expoliavit. *m* ο Deinde poſt paucos annos etiam Herodem alienigenam regem habere meruerunt, quo regnante natus eſt Chriſtus. Jam enim venerat plenitudo temporis ſignificata prophetico ſpiritu per os patriarchæ Jacob, π ubi ait: *Non deficiet princeps ex Juda,neque dux de femoribus ejus,* ϱ *donec veniat, cui repoſitum eſt, & ipſe expectatio gentium.* Non ergò defuit Judæorum princeps ex Judæis, uſque ad iſtum Herodem,quem primùm acceperunt alienigenam regem. Tempus ergò jam erat,ut veniret ille,cui repoſitum erat, quod novo promiſſum eſt teſtamento,ut ipſe eſſet expectatio gentium. Fieri autem non poſſet, ut expectarent gentes eum venturum, ſicut eum cernimus expectari, ut veniat ad faciendum judicium in claritate potentiæ,niſi prius in eum crederent, quum venit ad patiendum judicium in humilitate patientiæ. Gen.49.

a VEniente quæ electa ſunt Domini.] *Græcè* ἥξει τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν: *venient electa omnium gentium.* L. Venient

b Non multò poſt enim adveniente Alexandro.] *Temporibus Darii Arſami filii*

filii Olymp. 112. hoc eſt, plus paulò ducentis annis: nam quum Alexander Tyrum obſideret, ſubſidiaq; Judæorum à Jaddo pontifice maximo petiiſſet omniaq; jure victoris ab eo exigeret, quæ Dario ſolerent exhiberi, velut Dario profligato ipſe jam dominus eſſet Aſiæ, Pontifex negavit Dario vivo, ſe cuiquam alteri pariturum, cum illo icta eſſe fœdera: ſapiens reſponſum, & quòd fidem Judæorum declararet, juvenem victorem accendit ardentem jam alioqui ſuapte natura: ita expugnata Tyro, Palæſtinam cum infeſto exercitu ingreſſus Gazam cepit, & Hieroſolymæ phalanges admovebat, quum progreſſi ei obviam Pontifex, ſacerdotes omnes, & Levitæ ſacerdotali ritu ornati regem illum ad ſcopulum ſalutarunt: ita Alexandri animus mitigatus eſt, & Pontificem adoravit, dicens ſacerdotem eum Dei natura: quem ipſe Deum jam tum in Macedonia per quietem eodem cultu viderit imperium Aſiæ pollicentem. Hinc Judæam gentem in fidem & tutelam ſuam recepit: hæc ex Joſepho lib. 11. Antiq.

c Deinde Ptolemæus Lagi filius.] *Hic quum ſabbato quodam diceret, ſe Hieroſolyma velle ad ſacrificandum ingredi, hoc dolo urbem cepit. Joſephus.*

d Capti à rege Alexandriæ Ptolemæo, qui eſt appellatus Epiphanes.] *Hic Philopatori patri ſucceſſit, dictuſq; eſt* ἐπιφανής, *ceu quis dicat illuſtris: is cum Antiocho etiam Epiphane bellum geſſit: quum utrumque belli teneret in præſens ſatietas ut conciliaretur, Cleopatra Antiochi filia Ptolemæo denupſit, data Judæa dotis nomine, cui regioni bellum Ptolemæus fecit propter motus fratrum Hircani.*

e Inde ab Antiocho rege Syriæ.] *Hæc 2. Machab. 6. & 7. cap. in quo lib. & alia narrantur, quæ hic Aug. recenſet, & apud Joſeph. lib. 3.*

f Etiam reges dici poſſunt] *Gravius eſt enim & auguſtius regis imperium, quàm ducis, tam ut in eo licentia major, ita in ſubditis ſervitus deterior.*

g Cui ſucceſſit Alexander.] *Ariſtobolus fratres ſuos vinctos tenebat, quo mortuo uxor ejus Salomoni, quam Græci Alexandram nominant, leviros ſolvit, ac Alexandrum virum ex illis regno præfecit, qui à Ptolemæo & Demetrio & Antiocho, variis pugnis eſt victus: tandem diuturna affectus valetudine ex crapula contracta fato functus eſt, vir ſævus, acer, impiger, ſed parum felix, parumq; ſapiens, regnum Alexandræ conjugi reliquit, quæ illud adminiſtravit annis novem, permiſſa Phariſæis ſumma rerum omnium licentia, ut par erat fœminam facere.*

h Filii quippe hujus Alexandræ Ariſtobolus & Hircanus.] *Bellum inter hos motum eſt pluſquam civile, nempe fraternum, quod Joſephus confert in annum Quinti Hortenſi & Q. Metelli Cretici conſulum, olympiademq; centeſimam octogeſimam tertiam: erat Idumææ ab Alexandro & Alexandra præfectus Antipas Idumæus, qui* Antipater. *poſtea nominatus eſt Antipater, dives factioſus, manu promptus, rerum Hircani quàm Ariſtoboli ſtudioſior, qui Aretem regem Arabum induxit, ut cum exercitu Hircanum* Gn. Pompejus. *adverſus Ariſtobolum in regnum reſtitueret, quod rex etiam occaſionibus imminens libens fecit, Ariſtobolumq; Hieroſolymis obſedit: per id tempus Gn. Pompejus Magnus res in Aſia gerebat, legatuſq; ejus Scaurus Æmilius in Syriam cum parte copiarum venit, ab hoc auxilium afflictis ſuis rebus Ariſtobolus petiit. Scauri opem ſolum eſt obſidio: deinde quum fratres apud Pompejum Damaſci de regno litigaſſent, ab eo in Judæam dimiſſi ſunt. Poſtea ab Ariſtobolo offenſus legiones in Judæam duxit, Ariſto-*

riſtobolum vinxit, & Judæam Romano adjecit imperio, M. Tullio Cicerone, & C. Antonio conſulibus: ex Joſepho libro 14.

i Tanquam ſeipſam ferre non valens.] *Livii ſententia de Roma, quæ ab exiguis profecta initiis eò creverit, ut jam magnitudine laboret ſua.*

k Ad ſancta ſanctorum.] *Magna enim tenebat Romanos cupiditas videndi, quemnam Deum Judæi colerent: credebant illius aliquam eſſe in eorum templo imaginem. Idcirco Pompejus paucis comitatus, uſque ad aditum penetravit, quod Judæi Sancta ſanctorum vocant, quò nefas eſt, alios ingredi quàm ſacerdotes, nihilq; ibi invenit præter menſam auream, & circa eandem candelabra, vel libatoria non pauca, nec non & aromatum multitudinem, in theſauris verò ſacras pecunias duo millia talentorum tantum Joſeph. Tacit. verò lib. 21. Romanorum, inquit, primus Gn. Pomp. Judæos domuit, templumq; jure victoriæ ingreſſus eſt. Inde vulgatum, nullas intus deûm effigies, vacuam ſedem & inania arcana.*

l Confirmatoque Hircani pontificatu.] *Aulus Gabinius deducto Hieroſolymam Hircano, eiq; fani cura mandata, cæteris reip. partibus optimates præfecit, omnemq; Judæorum gentem in conventus quinque diviſit. Joſeph. 1. de bello Judaico, & in Antiq. refert bello Alexandrino, quod C. Cæſar cum puero Ptolemæo geſſit, Hircanum & Antipatrum auxilia miſiſſe Cæſari, ita confecto bello Cæſar Hircanum principem ſacerdotum ordinavit, Antipatro verò poteſtatem dedit, quam ipſe elegerat, tutoremq; eum totius provinciæ conſtituit.*

m Deinde poſt paucos annos etiam Herodem.] *Antipater moriens filium natu majorem inertem & ſegnem Hircanum ducem Hieroſolymis teſtamento reliquit: Herodem verò vix annos quindecim natum Galileæ tutorem, qui prudentia ſupra ætatem præditus, multis præclaris facinoribus patratis, virtutemq; oſtentando, brevi effecit, ut Syris omnibus eſſet chariſſ. itaque pecunia ab illis numerata, dux inferioris Syriæ à Sex. Cæſare, qui provinciæ præerat, conſtitutus eſt: bello deinde civili Brutiano & Caſſiano, quum ſtrenuam operam Antonio & Octavio Cæſari navaſſet, per iſtos effectum eſt, ut à ſenatu rex Iudææ nominaretur: homo ex Idumæa gente: ita expletum eſt vaticinium de venturo Chriſto Iacob morientis, quod unum ſatis haud dubiè eſſet ad oſtendendum ſole clariorem veritatem Iudææ genti, niſi arcanis Dei judicii offuſam haberent præ oculis denſiſſimam nubem.* Herodes.

a POſteaquam gens Judæa cœpit non habere prophetas.] *Ad hoc Prophetæ mittebantur & inſpirabantur à Deo, ut & populum ſui erga Deum officii monerent, & ut de Chriſto futuro omnium ſalvatore vaticinarentur. Cum itaq; proxima eſſent tempora Chriſti venturi, & omnia quæ in eo & per eum complenda erant, jam prædicta, minime videbatur opus fuiſſe Prophetis.* 1. L. Coq.

β Venient quæ electa ſunt Domini.] ἥξει πάντα ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν, venient quæ electa ſunt omnium gentium. *D. Hieronymus etiam hanc lectionem refert in commentariis ex 70. & cum Auguſtino interpretatur de electis ex omnibus gentibus, qui ad gratiam Evangelii vocandi erant & ad Eccleſiam venturi. Hanc ſequitur Vatablus & exponit;* Venient ad Chriſtum gentes deſideratiſſimæ & electæ à Deo, *juxta Hebraicum textum* חמדת הגוים ובאו *ubi propheta verbum plurale*

dedit nomini ſingulari, quod potius Chriſtus eſſet deſideria quam deſiderium, cum in eo explerentur omnia gentium deſideria, unde potius rationem habuit ſenſus quam vocabuli, ut deſiderium ſit inſtar nominis collectivi complectens omnia gentium deſideria. Qui enim nobis filium donavit, quomodo non omnia cum illo nobis donavit? Nonnulli ſuſpicantur locum eſſe corruptum à Judæis maxime cum D. Hieron. verba 70. referens in comment. his dicat melius haberi in Hebræo, Et veniet deſideratus cunctis gentibus. *In editione 70. ſive Chriſtus ipſe dicatur electa ſeu deſiderabilia omnium gentium, quia omnia bona illis attulit, ſive gentes ipſæ venturæ dicantur ad Chriſtum, idem fere ſenſus redditur, ita ut adventus Meſſiæ in ſuo effectu ſcilicet converſione omnium gentium prædictus ſit.*

γ Non multo enim poſt adveniente Alexandro.] *Exſtat hiſtoria apud Joſephum lib. 11. antiq. cap. 8.* cum obſideret Tyrum Alexander ſcriptis ad Judæorum Pontificem literis petebat auxilium, & ut forum rerum vænalium præberet exercitui, & ut quæ prius Dario conferre ſit ſolitus, nunc det Macedonibus prælata eorum amicitia: Et cum Pontifex reſpondiſſet ſacramento ſe Dario obligatum ne arma contra eum ſumeret, idque ratum fore quam diu ille vixerit, iratus Alexander minatus eſt ſe capta Tyro ſtatim exercitum contra Pontificem eductu-rum, quod & fecit expugnata poſt Tyrum Gaza: Jaddus Pontifex ac reliqui ſacerdotes cultu ſacerdotali cum urbana multitudine obviam illi fiunt: mitigatus Regis animus Pontificem, cui adeo prius infenſus erat, & de quo ſumpturus ſupplicium Hieroſolyma properabat, ſalutat, & nomen Dei laminæ Pontificis inſculptum adorat; ac Parmenone eum rogante, quid ita cum ipſe adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Judæorum Pontificem, reſpondit non hunc ſe adoraſſe, ſed Deo, cujus eſſet Pontifex, hunc honorem exhibuiſſe. Hunc enim antea ſe vidiſſe & hoc ipſo habitu, cum adhuc eſſet in Deo Macedoniæ, & deliberantem quomodo poſſet Aſiam ſubigere, hortatum eſſe, ut forti eſſet animo, & ſine mora exercitum trajiceret. Nam ſuo ductu potiturum eum Perſarum imperio. Deinde ex præſcripto Pontificis in templo Hieroſolymitano Deo immolavit victimas, ac Judæos in ſuam fidem & clientelam recepit.

δ Deinde Ptolemæus Lagi filius.] *Soter præter meritum appellatus ait Joſephus. In Ægypto regnavit primus poſt Alexandrum an. 40. Euſeb. quem Arrianus ſcribit res geſtas Alexandri hiſtoriæ mandaſſe. Hic Hieroſolymis & Judæa in ſuam ditionem redactis plurimos Judæorum captivos in Ægyptum tranſtulit. Joſephus lib. 12. antiquit. cap. 1.*

ε Capti à rege Alexandriæ Ptolemæo.] *Quintus ex Ptolemæis regnavit an. 24. & Philopatori patri ſucceſſit, & ægre ferens ab Antiocho magno rege Syriæ Judæam patri ereptam magnum exercitum duce Scopa miſit in Cœleſyriam: qui & multas ejus urbes & Judæa vi Antiocho eripuit, & in poteſtatem Ptolemæi reduxit. Aliquando vero poſt Antiochus ad fontem Jordanis cum Scopa prælio congreſſus, fuit ſuperior cumque recepiſſet occupatas à Scopa urbes Cœleſyriæ & Samariæ, Judæi etiam ipſi ultro deditionem fecerunt. Poſt hæc amicitiam cum Ptolemæo contraxit Antiochus data in matrimonium filia Cleopatra, conceſſaque nomine dotis Cœleſyria,*

ſyria, una cum Phœnice Judæaque & Samaria, hæc Joſephus lib. 12. antiq. cap. 3.

ζ Inde ab Antiocho rege Syriæ] Hæc fuit Antiochi magni filius à Seleuco, qui poſt Alexandrum in Syria regnavit, genus & originem ducens, octavus rex Syriæ. Succeſſit enim Seleuco Philopatori fratri, dictus Epiphanes illuſtris, nobiles inclytus, aut verius, ut ex Polybio ſcribit Athenæus lib. 5 & 10. Ἐπιμανὴς. i. furioſus, inſanus ob res inſane & amenter geſtas. Hic magnis cladibus Judæos afflixit, ut videre eſt in libris Machabæorum, & apud Joſephum lib. 12. cap. 7. & 8. fortunis ac libertate non modo eos ſpoliavit, verum etiam omnium ſacrificiorũ & ceremoniarum legis Moſaicæ uſu eis interdixit; ſimulacrum Jovis Olympii in templo ſtatuit, & ab eo templum illud in poſterum nominari juſſit; ſuper altari holocauſtorum carnes ſuillas mactari præcepit; circumiſionem prohibuit, ſacros libros combuſſit, ac Judæos ad Gentilium ſuperſtitionem amplectiendam compulit. Id verò prædixerat Daniel cap. 8. De uno autem ex iis ſcilicet quatuor cornibus, id eſt ſucceſſoribus Alexandri, nempe Seleuco primo rege Syriæ poſt Alexandrum, Egreſſum eſt cornu unum modicum, Antiochus ille Epiphanes octavus rex Syriæ, & factum eſt grande contra meridiem & contra Orientem, & contra fortitudinem. Et magnificatum eſt, uſque ad fortitudinem cœli & dejecit de fortitudine & de ſtellis & conculcavit eas. Et uſque ad principem fortitudinis magnificatum eſt, & ab eo tulit juge ſacrificium & dejecit locum ſanctificationis ejus.

η Alcimus quidam per ambitionem.] lib. 1. Machabæorum cap. 7. & lib. 2. cap. 14. vocatur à Joſepho lib. 12. cap 15. ἰάκειμος, & lib. 20. penult. ἰάκιμος. Contendit Alcimus iſte magnopere, ut Pontificatum Machabæis extorqueret, ac ſibi vindicaret. Et primo quidem conſtitutus eſt Pontifex ab Antiocho Eupatore filio Epiphanis, ut colligitur ex Joſepho lib. 12. cap. 15. & lib. 20. cap 8. verum cum Demetrius Seleuci Antiochi Epiphanis fratris, quique ante eum regnaverat, filius pro Epiphane patruo Romam à patre obſes miſſus clam inde aufugiſſet & interfecto patruele ſuo Eupatore regnum invaſiſſet, ad eum Alcimus ſe contulit volens fieri ſacerdos, ut habetur lib. 1. Machabæo. cap. 7. volens ut ſibi ſacerdotium confirmaretur ab Antiocho prius illi delatum. Nam 2. Machabæo. 14. cum veniret ad regem Demetrium dicitur prius fuiſſe ſacerdos nimirum ab Antiocho antea nominatus & creatus ut habet textus Græcus προγενόμενος ἀρχιερεὺς Prius factus ſacerdotum Princeps, poſt impii Menelai mortem, ut ſcribit Joſephus lib. 12. cap. 15. Quemadmodum vero Menelaus ab impio & idololatra rege non niſi falſum Pontificatus nomen acceperat, & decem annos geſſerat, ſic iſte Alcimus, cum verus ac legitimus Pontificatus eſſet penes Machabæos, non niſi pſeudoPontifex fuit, quod verò dicit Auguſtinus alienum fuiſſe, à genere ſacerdotali, idem tradit Euſebius in Chronico. & Joſephus ubi ſupra nihil pertinuiſſe ait ad cognationem Pontificum. Sigonius lib. 5. de repub. Hebræorum cap. 2. ſcribit, ex poſteris fuiſſe Levi, ſed non Heleazari aut Ithamari, ad quos ſolos ex Dei præſcripto ſpectabat ſacerdotium; tamen lib. 1. Machabæ. cap. 7. & apud Joſephum lib. 20. antiq. cap. 8. dicitur fuiſſe ex Aaronis ſtirpe, verum, & apoſtaſia à religione & multa alia crimina eum à Sacerdotio excludebant. De divina in eum vindicta & illius miſerrima morte vide lib. 1. Machab. cap. 9. & Joſephum lib. 12. antiq. cap. 17.

θ Primus apud eos Ariſtobulus.] *Quod & ſcripſerat ſupra cap. 38. atque ita tradit Joſephus lib. 13. cap. 19. Non hunc, ſed Alexandrum ſucceſſorem primum apud Judæos pro ſacerdote regem ſe feciſſe Strabo ſcribit 16.* πρῶτος δ' ἀνθ' ἱερέως ἀνέδειξεν ἑαυτὸν βασιλέα Ἀλέξανδρος. *Verum quia parum vixit poſt aſſumptum diadema Ariſtobulus, ſiquidem uno tantum anno in regno exacto deceſſit, eiq; ſucceſſit frater Alexander, ea ratione poteſt excuſari Strabo.*

ι Cui ſucceſſit Alexander.] *frater Ariſtobuli, cui opera Salomes, quæ Alexandra à Græcis dicta, vidua Ariſtobuli, ſucceſſit. Joſephus lib. 13. antiq. c. 22.* Magna crudelitate præfuit, Phariſæos maxime inſectatus eſt quod Saducæus hereticus eſſet, ex eis ſeptingentos egit in crucem, cæteros ad fugam compulit. A Judæis aliquando bello petitus potentiſſimos eorum compulſos in Bethonia oppugnavit, & capto oppido redactos in poteſtatem abduxit Hieroſolyma, ubi facinus longe immaniſſimum commiſit. Epulans enim cum pallacis excelſiore loco, unde proſpectus patebat, ad 800. juſſit ſuffigi crucibus & in conſpectu adhuc viventium jugulavit uxores eorum & liberos, atque propter tantam crudelitatem Tracidæ cognomen apud Judæos invenit. *Joſephus lib. 13. c. 13.* ex temulentia morbo contracto, & triennio integro quartana laborans exhauſtis viribus tandem fato conceſſit anno regni ſui 27. vitæ vero undequinquageſimo.

κ Poſt hunc uxor ejus Alexandra.] *Alexander quidem duos reliquit filios Hircanum & Ariſtobulum, regni tamen adminiſtrationem Alexandræ uxori teſtamento reliquit. Deceſſit exacto anno regni nono, vitæ tertio ſupra ſeptuageſimum, mulier ſupra ſexum ſuum egregia, ut quæ mirum in modum honorum & imperandi cupida operibus declaravit ſuam induſtriam, quaſi exprobrans viris inſcitiam, qui parum fœliciter adminiſtrant reſpublicas. Semper enim præſentibus magis quam futuris intenta, & omnia poſthabenda moderatæ gubernationi neque ab honeſtate, neque à juſtitia deduci voluit. Hæc Joſephus lib. 13. c. ult. Phariſæos, quos inſectatus fuerat maritus, in ſummo honore habuit, & multa ex eorum ſententia gerebat.*

λ Filii quippe hujus Alexandræ Ariſtobulus & Hircanus.] *Hircanus natu erat major, cui jure primogenituræ Pontificatus & regnum debebantur, animo levi, & quietis amator; Ariſtobulus audax & induſtrius, qui favebat Saducæis, ut Hircanus Phariſæis bellum fratri majori intulit, eumque vicit, pax ea conditione firmata, ut Ariſtobulus Pontificatu & regno potiretur, Hircanus otio frueretur, & privatam vitam ageret. Cæterum, Antipater Idumæus Hircani amicus vir pecunioſus, natura factioſus & induſtrius, infenſus Ariſtobulo regnum cupiebat ad Hircanum redire; Non deſtitit itaque quotidie novas Ariſtobulo criminationes fingere, quaſi illius vitæ inſidiaretur; tandem urgendo ægre obtinuit, ut Aretæ regis Arabum opem imploraret, ſe quoque illi non defuturum pollicitus. Rex Antipatri hortatu expeditionem ſuſcepit, & victor commiſſo prælio evaſit, Ariſtobulus victus Hieroſolyma confugit, quem rex obſedit in templo adjuvante etiam populo Hircanum ſolis ſacerdotibus non deferentibus Ariſtobulum. Interim obſidionem ſolvi jubet Scaurus Romanus dux Arethæ denuntians ni pareat, fore declarandum hoſtem populi*

puli Romani. Fratrum cauſſa ad Pompejum delata eſt, qui Judæa in poteſtatem Romanorum redacta C. Antonino & M. Cicerone Coſſ. Olympiad. 179. 61. annis ante Chriſtum natum Hircano pontificatum confirmat, Ariſtobulum captivum cum filiis Romam abducit, atque tum primum Judæi libertatem amiſerunt ſubjecti Romanorum imperio. Joſephus lib. 14. Strabo lib. 16. Dion. lib. 37.

μ Tanquam ſeipſam ferre non valens.] *Ita videmus ſumma imperia, ubi ad ſummum faſtigium creverunt, facile everti & conſidere.*

ν Ad ſancta ſanctorum, quo niſi ſummum ſacerdotem.] *Joſephus lib. 14.* παρενομήθη δ' οὐ μικρὰ περὶ τὸν ναὸν ἄβατον ὄντα ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ καὶ ἀόρατον; παρῆλθε γὰρ εἰς τὸ ἐντὸς ὁ Πομπήιος καὶ τῶν περὶ αὐτὸν οὐκ ὀλίγοι καὶ εἶδον ὅσα μὴ θεμιτὸν ἦν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις, ἢ μόνοις τοῖς ἀρχιερεῦσιν. *Cornelius Tacitus lib. 5. hiſtoriar.* Romanorum primus Cn. Pompejus Judæos domuit, templumque jure victoriæ ingreſſus eſt; inde vulgatum nulla intus Deum effigie, vacuam ſedem, & inania arcana.

ξ Poſtea Caſſius etiam templum expoliavit.] *Commendat maxime Joſephus Pompejum, quod & ſi templum ingreſſus ſit, illud tamen non diripuerit, in quo alioqui erant duo talentorum millia, menſa aurea, candelabrum & pocula, & odoramentorum magna copia. Non ea religione fuit M. Craſſus. Is enim novem poſt annis contra Parthos proficiſcens pecuniam ſacram, quam non attigerat Pompejus, duo millia talentorum abſtulit, totoq́; reliquo auro, cujus ſumma conficiebat octo talentorum millia, templum ſpoliavit, trabem auream verſatilem, trecentas minas pendentem diripuit. Tanti ſceleris pœnas Deo repetente cum filio & univerſo exercitu à Parthis trucidatur. Joſephus lib. 14. c. 12. Non ergo Caſſius, ſed Craſſus legit templum expoliaſſe, legitur quidem Caſſius maxime Judæos afflixiſſe pluſquam 700. talentis argenti imperatis authore Joſepho lib. 14. c. 18. non tamen templum ſpoliaſſe.*

ο Deinde poſt paucos annos etiam Herodem] *Occaſione belli civilis inter Cæſarem & Pompejum Herodes ad regiam dignitatem pervenit. Cum enim Antipater Idumæus ob egregiam Cæſari operam navatam ab eo civitate Romana & immunitate donatus eſſet, ac procurator Judææ conſtitutus, Phaſelum filium natu maximum Hieroſolymis & circumvicinæ regioni ducem creavit, Herodi Galilæam curandam commiſit. Deinde Herodes opera Antonii ſtudente etiam Auguſto rex à Senatu declaratus eſt 184. Olympiade C. Domitio Calvino iterum C. Aſinio Pollione Coſſ. ante Chriſtum natum 38. annis, Joſephus lib. 14. antiq. cap. 26. Dion. lib. 49. Verum Antigono regnum Judæorum invadente Herodes non eſt eo potitus, niſi eo debellato quando M. Antonii ope & voluntate per Soſium Syriæ præſidem reſtitutus liberas regni habenas adminiſtravit. Quando ſit ſumendum initium regni Herodis, & in quantum illius regni annum Chriſti natale inciderit, poſtea dicetur.*

π Ubi ait non deficiet princeps ex Juda.] *Geneſ. 49. Hac prophetia denotatur certum tempus adventus Meſſiæ. Siquidem ex prophetia Jacob Judaicus populus habiturus erat proprios duces & principes per quos regeretur, donec Meſſias veniret. Ita factum igitur uſque ad Herodem, qui alienigena fuit, cujus tempore na-*

ius eſt Chriſtus. Ita cum Auguſtino intellexere Patres. Euſebius lib 3. de demonſt. cap. 2. Juſtinus Dialogo cum Tryphone, Ambroſius lib. de benedict. Patriarch. cap. Chryſoſtomus homil. 67. in Geneſ. & alii.

ε Donec veniat cui repoſitum eſt.] ᾧ ἀπόκειται. *Ita etiam legunt Ignatius, Ireneus, Tertullianus. Ambroſius, Leo Papa, S. Hieron. Juſtinus Martyr, ut eo loci notavit Flaminius Nobilius.*

Cap. XLVI.

De ortu Salvatoris noſtri, ſecundùm quod verbum caro factum eſt, & de diſperſione Judæorum per omnes gentes, ſicut fuerat prophetatum.

Regnante ergò α Herode in Judæa, apud Romanos autem jam mutato Reipublicæ ſtatu, β imperante Cæſare Auguſto, & per eum orbe pacato, natus eſt Chriſtus ſecundùm præcedentem prophetiam, in Bethleem Judæ, homo manifeſtus ex homine virgine, Deus occultus ex Deo Patre. Sic enim Propheta prædixerat: *Eſ.7.* *b γ Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.* Qui, ut δ in ſe commendaret Deum, miracula multa fecit, ex quibus quædam quantum ad eum prædicandum ſatis viſum eſt eſſe, ſcriptura Evangelica continet. Quorum primum ε eſt, quòd tam mirabiliter natus eſt, ultimum autem quòd cum ſuo reſuſcitato à mortuis corpore aſcendit in cœlum. Judæi autem, qui eum occiderunt, & in eum credere noluerunt, quia oportebat eum mori & reſurgere, vaſtati infelicius à Romanis, funditusque à ſuo regno, ubi jam eis alienigenæ dominabantur, eradicati ſunt, diſperſique per terras. Quandoquidem ubique non deſunt & per ſcripturas ſuas ζ teſtimonio nobis ſunt prophetias nos non finxiſſe de Chriſto: quas plurimis eorum conſiderantes, & ante paſſionem, & maximè poſt ejus reſurrectionem crediderunt in eum, de quibus prædictum eſt: *Rom. 11.* *Si fuerit numerus filiorum Iſrael ſicut arena maris, reliquiæ ſalvæ fient.* Cæteri verò *Pſ.68.* excæcati ſunt, de quibus prædictum eſt: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum.* Obſcurentur oculi eorum, ne videant, dorſum eorum ſemper incurva. Proinde quum ſcripturis noſtris non credunt, complentur in eis ſuæ, quas cæci legunt: niſi fortè quis dixerit, *e* illas prophetias Chriſtianos finxiſſe de Chriſto, η quæ Sibyllæ nomine vel aliorum proferuntur, ſi quæ ſunt, quæ non pertinent ad populum Judæorum. Nobis quidem illæ ſufficiunt, quæ de noſtrorum inimicorum codicibus proferuntur, θ quos agnoſcimus propter hoc teſtimonium, quod nobis inviti perhibent eoſdem codices habendo atque ſervando per omnes gentes etiam ipſos eſſe diſperſos, quaquaverſum Chriſti Eccleſia dilatatur. Nam prophetia in Pſalmis, quos etiam *Pſ.58.* legunt, de hac re præmiſſa eſt, ubi ſcriptum eſt: *Deus meus: miſericordia ejus præveniet me.* Deus meus demonſtravit mihi de inimicis meis, ne occideris eos, ne quando obliviſcantur legem tuam. Diſperge illos in virtute tua. Demonſtravit ergò Deus Eccleſiæ in ejus inimicis Judæis gratiam miſericordiæ ſuæ: quoniam *Rom. 11.* ſicut dicit Apoſtolus: delictum illorum ſalus eſt gentibus: & ideò non eos occidit,

cidit, id eſt, non in eis perdidit, quòd ſunt Judæi, quanquam à Romanis fuerint devicti & oppreſſi, ne obliti legem Dei, ad hoc de quo agimus teſtimonium, nihil valerent. Ideò parum fuit, ut diceret: *Ne occideris eos,* ne quando obliviſcantur legem tuam: niſi etiam adderet, diſpergere illos: quoniam ſi cum teſtimonio ſcripturarum in ſua tantummodo terra non ubique eſſent, profectò Eccleſia, quæ ubique eſt, eos prophetiarum, quæ de Chriſto præmiſſæ ſunt, teſtes in omnibus gentibus habere non poſſet.

a IMperante Cæſ. Auguſto.] *Euſeb. natum Dominum ſcribit 42. anno imperii Auguſti, mundi verò 5199. C. Cæſare Auguſto xij. M. Plautio Coſ. Caſſiodorus verò ortum illius confert in priores Coſſ. Cn. Lentulum, M. Meſſalam.* L. Vives.

b Ecce virgo] *Græcè* ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ. *Ecce virgo in utero accipiet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel.*

c Illas prophetias Chriſtianos finxiſſe] *Non eſſe confictas, hinc apparet, quòd Lactan. & Euſeb. eas citant, quorum tempore Sibyllini libri in manibus omnium erant: ne ipſi fuiſſent tam impudentes, qui ea dixiſſent, eſſe in Sibyllinis libris, quæ nuſquam erant, adde, quòd plus ſic obfuiſſent Chriſtianæ cauſæ, quàm aliis omnibus argumentis potuiſſent prodeſſe, quum homines apertè cernerent eos fictis in rem ſuam autoritatibus inniti, quumq; hoc falſum & impudens deprehendiſſent, cætera omnia ſuſpecta haberent, & tanquam ſimilia repudiaſſent rejeciſſentque. Quid quòd Verg. & Ovid. manifeſtò in poëmata ſua de Sibyllinis carminibus verſus mutuantur, quos nemo ita cæcus eſt, quin eſſe de Chriſto dicta perſpiciat: qualis eſt tota quarta egloga Vergilii, & digreſſus de morte Cæſaris in fine primi Georg. apud Ovidium verò illa ſunt.*

Et Deus humana luſtro ſub imagine terras: tum:
Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

primo Transfor. item apud Lucanum de iis, qui præcedent judicium Domini: primo Pharſal.

Si quum compage ſoluta,
Secula tot mundi ſuprema coegerit hora,
Antiquum repetens chaos, &c.

Quòd ſi noſtra, quæ magni autores tradiderunt, dicunt commentitia, oſtendant ipſi, quæ poſſint dici ſine ulla controverſia vera, & afferemus Academicum aliquem, qui ſe dubitare reſpondeat.

a REgnante Herode in Judea.] *Herodes regnavit 37. annis, & anno illius 29 inchoato natus eſt Chriſtus; verum anni illius non ſunt numerandi à Conſulatu Domitii & Pollionis, cum primum Rex à Senatu inſtitutus eſt. Ita enim obiiſſet ante Chriſtum, cum hæc inſtitutio Senatus inciderit 38. annis ante Chriſtum; Herodem verò Joſephus velit inde auſpicando illius regnum regnaſſe tantum 37. annis: ſed primus annus regni illius numerandus eſt ab Olympiade de 187. anno 2. Auguſto* F. L. Coq.

ſto tertium & Meſſala Coſſ. Nam licet rex antea fuiſſet inſtitutus à Senatu, & poſt aliquot annos Antigono debellato Antonii opera reſtitutus in regnum, tamen quia in bello civili contra Auguſtum faverat Antonio, illud demeruiſſe videbatur. Unde ſupplex ad Auguſtum Rhodum ſe contulit, depoſitoque diademate cognito errore ab eodem regnum promeruit, quod & ſanctè fuit eidem confirmatum. Quæ omnia facta ſunt eo ipſo anno, quo idem Auguſtus bello navali Antonium & Cleopatram debellavit, ut jam dictum eſt, eodem Auguſto tertium & Meſſala Coſſ. Oly. 187. an. 2. Inde igitur numerandi ſunt primum anni regis Herodis, quod ea potiſſimum ratione Illuſtriſſimus Baronius in apparatu Annalium confirmat, quod cum Auguſtus ex ſancto reſcidiſſet irritaque reddidiſſet quæ ab Antonio, perduelle, geſta eſſent, non licuit Herodi illos regni annos numerare, quibus regnavit poſt quam ab Antonio ſibi reſtitutum accepit, ſed ab eo tempore, quo ab Auguſto ſibi redditum fuit, & ex ſancto firmatum. *Unde conſtat tot annos fluxiſſe ab Actiaca victoria ad Chriſtum, quot à primo anno regni Herodis.*

β Imperante Cæſare Auguſto.] *Alii quidem anno 42. imperii Auguſti Chriſtum natum volunt, ut Euſeb. in Chronicis, & lib. 1. hiſt. cap. 5. Epiph. lib. 1. hæreſ. 20. & lib. 2. hær. 51. ac fere Græci; Beda de ſex ætatib. Iſidor. in Chronic. Eutrop. lib. 7. cap. 2. Oroſius, Martyrol Rom. D. Hieron. in cap. 2. Iſaiæ & in cap. 9. Daniel. Caſſiodorus, Julianus Epiſc. Toletanus, Marianus Scotus, & alii. Cæteri deniq; anno ejus imperii 28. Ut Clemens Alexandr. l. 1. ςρωμα]. Prodeunt enim hæ diverſæ ſententiæ ex eo, quod alii ab aliis diverſam inierunt rationẽ in annis imperii Auguſti ſupputandis. Alii enim à nece Julii Cæſaris annos Auguſti numerare cœperunt, & quia heres inſtitutus à Cæſare illi ſucceſſit & quia ſuprema ac maxima poteſtas illi collata à Senatu cum armavit in Antonium, & quia ſemper inde fuit cum imperio, ab eo tempore viſum eſt quibusdam auſpicari illius imperium. A nece autem Cæſaris, quæ incidit in Olympiadis 184. annum 2. ad Chriſti natale confluxere anni 42. Alii vero ſupputarunt annos imperii Auguſti à ſequenti anno, quo Hirtio & Panſa Coſſ. in bello deſideratis idem Octavius conſulatum invaſit 14 Calendas Septembris, ut Tacitus & Dio teſtantur; dum ajunt Auguſtum illum diem habuiſſe ſupremum, quo primum inierat Conſulatum: Quo item anno ante 5. Calendas Decembris cum Lepido & Antonio fœdus iniens triumviratum inſtituit. Panvinius lib. 2. Faſtor. Qui ergo ſcripſere Chriſtum natum anno 41. imperii Auguſti, proculdubio annos illius imperii numerant ab arrepto primum Conſulatu & triumvirato cum Octavius annum ætatis ageret 20. inde enim ad conſulatum Lentuli & Meſſalini, quando natus eſt Chriſtus, fluxere anni 41. Qui vero dixere natum anno 28. imperii Auguſti, annos Auguſti numerarunt ab Actiaca pugna, quando debellato Antonio & Cleopatra Monarchiam ſolus obtinuit, & ut ſcribit Tacitus initio lib. 1. Annal.* cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine principis ſub imperium accepit. *Nam Euſebius in Chronico debellatos ab Auguſto Antonium & Cleopatram ſcribit Olympiade 187. anno 3. à quo certe ad annum 2. Olympiadis 194. quo Chriſtus natus eſt, fluxere anni 28. Et certe Monarchiam & annos Auguſti omnes inde pene auſpicari author eſt Cenſorius. Alii cum anno 42. Auguſti volunt concurrere annum 32. Herodis,*

rodis, & Olympiad. 194. annum 3. quo natus ſit Chriſtus; De qua re fuſius videri poteſt Arn. Pontacus vir doctiſſimus notis ad Euſebii Chronicon. Nec enim animus eſt diutius in his immorari.

γ Ecce virgo in utero concipiet.] *Hebraice legitur,* הנה הרה העלמה *Hebræi interpretantur* puellam adoleſcentulam, *ſicut etiam teſte D. Irenæo lib. 3. c. 24. interpretatus eſt Theodotion Epheſius, & Aquila Ponticus utrique Judæi proſelyti. quos ſectati Hebionæi ex Joſeph eum generatum dixere. Verum multis annis ante Chriſtum natum ex virgine ita 70. interpretati erant,* ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται. *Fuere viri doctiſſimi utriuſque linguæ peritiſſimi, nec poſſunt venire in aliquam ſuſpicionem, intellexere ſignificationem vocis,* העלמה *vox græca* παρθένος, *non aliud quam* virginem, *quæ nunquam à viro cognita fuerit, ſignificat. Itaque ex hoc loco ſemper argumentati ſunt Chriſtiani contra Judæos Chriſtum ex virgine naſciturum: Pollicetur deinde dominus ſignum ſe daturum non rei certe alicujus, quæ omnibus in dies ſit obvia, ſed rei quæ miraculi ſit loco, & omnibus magnam ſit admirationem allatura. Irenæus lib. 3. c. 24. & lib. 4. c. 40. Euſebius lib. 7. de demonſtr. Evang. c. 1. Origenes homil. 2. in Iſaiam & lib. 1. contra Celſum, Juſtinus dialogo cum Triphone.*

δ Ut in ſe commendaret Deum, miracula multa fecit.] *Quod faceret miracula & divina virtute & in teſtimonium ſuæ divinitatis & propria authoritate, erant certe ſufficientiſſima teſtimonia, quibus Judæis probaret & confirmaret ſuam divinitatem. D. Thomas 3. p. q. 43. art. 4.*

ε Primum eſt quod tam mirabiliter natus] *Alii quidem etiam in veteri teſtamento miracula fecere, & ea Deus voluit eſſe teſtimonia vel ſanctitatis vel veritatis eorum, qua miſſi à Deo populo loquerentur*, ſed tamen: *ait Auguſtinus epiſt. 3. ad Voluſianum*, & aliquid proprium facere debuit, naſci de virgine, reſurgere à mortuis, cœlum aſcendere.

ζ Teſtimonio nobis ſunt prophetias non finxiſſe de Chriſto.] *Duo certiſſima teſtimonia erant confirmandæ Chriſtianæ religioni, miracula & prophetiæ. Non enim potuerunt niſi divino ſpiritu afflati ea prædicere, quæ poſterioribus longè temporibus futura erant; ideoque maxime authoritate Prophetarum Chriſtiani ipſos Gentiles urgebant. Quemadmodum ergo miracula magicis artibus aſcribebant impudenter, ita non defuere ex Paganis, qui Prophetias à Chriſtianis confictas ad confirmandam eorum religionem mentirentur impudentiſſime: In quos hoc argumento firmiſſimo utitur, quia Judæi per terras diſperſi inimici noſtri prophetias non finxiſſe de Chriſto quod idem adducit lib. 1. conſenſ. Evang. c. 26.* Hoc *inquit*, magnum eſt quod Deus præſtabit Eccleſiæ ſuæ ubique diffuſæ, ut gens Judæa merito debellata & diſperſa per terras ne à nobis hæc compoſita putarentur, codices Prophetarum noſtrorum ubique portaret, & inimica fidei noſtræ teſtis fieret veritatis noſtræ, *ibid.* Nunquid illas Prophetias, quæ nunc leguntur in codicibus inimicorum Chriſti poſſunt dici finxiſſe diſcipuli Chriſti; *& epiſt. 3. ad Voluſianum;* reproba per infidelitatem gens ipſa Judæorum à ſedibus exſtirpata per mundum usquequaque diſpergitur, ut ubique portet codices ſanctos, & ſic pro-

phetiæ teſtimonium, qua Chriſtus & Eccleſia prænunciata eſt. ne ad tempus à nobis fictum exiſtimaretur, ab ipſis adverſariis proferatur, ubi etiam ipſos prædictum eſt non fuiſſe crediturος.

η Quæ Sibyllæ nomine vel aliorum.] *Quia Chriſtiani nitebantur etiam teſtimoniis Sibyllarum, eo confugiebant gentiles, ut dicerent non eſſe illa carmina Sibyllina, ſed à noſtris conficta atque compoſita. Lactantius lib. 4. cap. 15.*

θ Quos agnoſcimus propter hoc teſtimonium, quod nobis inviti perhibent.] *Idem lib. 3. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 4. epiſt. 59. ad Paulinum, lib. 13. contra Fauſtum cap. 10. & lib. 16. cap. 21. & in Pſal. 58. ad ea verba,* diſperge eos in virtute tua, *D. Hieronymus in cap. 16. Iſaiæ, & Theodoretus oratio. 10. de providentia.*

Cap. XLVII.

An ante tempora Chriſti aliqui fuerint extra Iſraeliticum genus, qui ad cœleſtis civitatis conſortium pertinerent.

QUapropter quiſquis alienigena, id eſt, non ex Iſrael progenitus, nec ab illo populo in canonem ſacrarum literarum receptus, legitur, aliquod prophetaſſe de Chriſto, ſi in noſtram notitiam venit, aut venerit, ad cumulum à nobis commemorari poteſt, non quod neceſſarius ſit etiam, ſi deſit, ſed quia α non incongruè creditur, fuiſſe & in aliis gentibus homines, quibus hoc myſterium revelatum eſt, & qui hoc etiam prædicere impulſi ſunt, ſive participes ejusdem gratiæ fuerint, ſive expertes, ſive per malos angelos docti ſunt, quos præſentem Chriſtum, quem Judæi non agnoſcebant, ſcimus fuiſſe confeſſos. Nec ipſos Judæos exiſtimo audere contendere, *a* neminem pertinuiſſe ad Deum præter Iſraëlitas, ex quo propagatio Iſrael cœpit eſſe, reprobato ejus fratre majore. β Populus enim revera, qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit. Homines autem quoſdam non terrena, ſed cœleſti ſocietate ad veros Iſraelitas ſupernæ cives patriæ pertinentes γ etiam in aliis gentibus fuiſſe negare non poſſunt: quia ſi negant, faciliimè convincuntur *b* de ſancto & mirabili viro Job, qui nec indigena, *c* δ nec proſelytus, id eſt, advena populi Iſrael fuit: ſed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus eſt: *d* ε qui divino ſic laudatur eloquio, ut quod ad juſtitiam pietatemque attinet nullus ei homo ſuorum temporum coæquatur. Quæ tempora ejus, quamvis non inveniamus in chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro ſui merito Iſraelitæ in autoritatem canonicam reperiunt, *e* ζ tertia generatione poſteriorem fuiſſe quàm Iſrael. Divinitus autem proviſum fuiſſe non dubito, ut ex hoc uno ſciremus, etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundùm Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad ſpiritalem Hieruſalem, Quod nemini conceſſum fuiſſe, credendum eſt, η niſi cui divinitus revelatus eſt *unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus,* qui venturus in carne ſic antiquis ſanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis veniſſe nunciatus eſt, ut una eademque fides per ipſum omnes in Dei civitatem, in domum Dei, in Dei templum θ prædeſtinatos perducat ad Deum, Sed quæcunque aliorum prophetiæ de Dei per Chriſtum Jeſum gratia proferuntur,

Ezech. 14.

1. Tim. 2.

pos-

poſſunt putari, à Chriſtianis eſſe confictæ. Ideò nihil eſt firmius ad convincendos quoslibet alienos, ſi de hac re contenderint, noſtrosque fulciendos, ſi rectè ſapuerint, quàm ut divina prædicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Judæorum ſcripta ſunt codicibus. Quibus avulſis de ſedibus propriis: & propter hoc teſtimonium toto orbe diſperſis Chriſti uſquequaque crevit Eccleſia.

a NEminem pertinuiſſe ad Deum præter Iſraelitas.] *Potuerunt enim, qui ex gentibus naturam ſequebantur, ducem, illam, non pravis judiciis opinionibusq; inquinatam & corruptam, tam grati eſſe Deo, quàm qui legem Moſaicam ſervaverunt: quod enim hi conſequuti ſunt per legem, illi conſequuti eſſent ſine lege: & qui tales fuere ſine lege, eodem quò Judæi pervenerunt, quum eodem contenderent, nec inter eos alind diſcrimen fuit quàm eſt, ceu quis viator mandatam gerat chartæ itineris rationem, ac veluti formam, alter memoriæ fidat, aut judicio. Idem etiam noſtro tempore continget ei, qui quum nihil de Chriſto audierit in remotiſſimis Oceani terris natus, duo illa maxima ſervari mandata, in quîs veritas ipſa legem totam, prophetasq; conſtitutos affirmavit, de Deo & proximo diligendis, huic ſua conſcientia eſt lex. Et juxta Pſalmiſtam memor eſt in nocte nominis Domini, & cuſtodit legem ejus. Hæc fit ei, quia juſtificationes Domini exquirit: tanti eſt videlicet voluiſſe, bonum eſſe, etiam ſi non habeas, à quo virtutem edoceare. Et in hoc hominum genere quid deeſt præter aquam? quum Spiritum ſanctum non ſecus quàm Apoſtoli meruerint & acceperint. Teſtante Petro repleti etiam nonnullos divino afflatu, quos myſtica nondum attigit aqua: ita gentes, quæ legem non habent, & naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ipſamet ſibi ſunt lex, & ea lux ita vivendi donum Dei eſt, & à filio proficiſcitur: de quo ſcriptum eſt, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* L. Vives.

b De ſancto & mirabili viro Job.] *Habemus librum inter ſacros, in quo Iob acta continentur, in eo Iob ſe ex terra Huz profitetur fuiſſe. Hieronymus, Huz Tracontidis & Damaſci conditorem tradit, qui inter Palæſtinam & Cœlem Syriam tenuit principatum. A quo LXX. interpretes in lib. Iob, ubi in Hebræo ſcribitur terra Huz, regionem Auſitidem quaſi Huſitidem tranſtulerunt. Fuit hic Huz ex filiis Aram fratris Abraham: fuit & alter Uz ex minoribus Eſau, ſed non in hunc refert Hieron. genus Iob, ſed in Aram: nam quod, inquit, habetur in fine voluminis ejus, & quartus eſt ab Eſau: ſit, quoniam de Syro ſermone tranſlatus eſt, quod in Hebræis voluminibus non habetur. Philippus Presbyter, qui paulò poſt Hieron. ſcripſit in hunc prophetam, ſic ait: Chus & Buz filii fuere Nachor fratris Abrahæ juxta fidem Geneſeos libri, nati de Melcha ſorore Saræ: credibile videri poteſt, ut in terra, quæ ex parentum nomine dicta eſt, vir ille ſanctus habitaverit: & eſſe illum potius de genere Nachor non de Eſau origine procreatum, ſicut quidam opinione dubia ſuſpicantur. Illi autem tres reges de genere fuerunt Eſau: ſic ille: ita erit Iob, & de Nachor & de Aram per Melcham. Origenes vulgarem editionem ac opinionem ſecutus, ſic ait, de Iob loquens: In regione Auſitide morabatur, illic natus ex ipſis fuit, & inter eos vixit. Auſitidæ genus ſunt Eſau, poſteritas Edom. Nam Auſitida, & Minæi, & Eucha, & Themanitæ, & cæteri omnes tribus erant ex cognatione & proſapia Eſau filii Iſaac, qui E-*

dom cognominatus eſt. Et tunc univerſæ tribus Idumæi vocitatæ ſunt ex nomine Eſau: nunc verò omnes uno nomine Arabi appellantur, non ſolùm Idumæi, ſed & Amanitæ & Moabitæ. Hæc ſententia Origenis, cui vulgo ferè ſuffragantur, Et quidam ex gentilibus, ut Ariſtæus in Judaica hiſtoria, qui Iob etiam filium fuiſſe refert Eſau, habitaſſeq. in Idumæa, & Arabiæ finibus juſtitia & divitiis præcipuum, tentatumq. divinitus magnis calamitatibus, ac cætera ordine, in ſacris legimus libris.

c Nec proſelytus.] *Adventitius ex aliis gentibus ad legem à* προσελήϑω.

d Qui divino ſic laudatur eloquio] *In ipſo libro Iob: & in Ezechielis 14.*

e Tertia generatione poſteriorum.] *Sunt, qui Iob putent, nominatum in Geneſi: alii Iaſubdictum, alii Iobab: nulli quicquam ſatis certum afferunt. Hieronymus Eliphaz, quem Ada peperit Eſau, tradit illum eſſe: cujus meminit ipſe Iob: quod ſi ita eſt, cum pronepotibus Abrahæ vixit Iob.*

8 L. Coq. α NOn incongrue creditur, & in aliis gentibus fuiſſe.] *Et ſi antiquitus nullus alius populus Dei diceretur præter Hebræos, quos elegerat dominus, ut eſſent ei peculium de cunctis gentibus, nihilominus extra eum populum, & poſt inſtitutam Synagogam & legem traditam multos fuiſſe, quibus Chriſtus innotuerit per fidem, quique per eam ſalvati ſint, aſſerit hic D. Auguſtinus, quod idem docet, & lib. 2. de pecc. orig. cap. 23. & lib. de prædeſtin. ſanctor. cap. 9. & epiſt. 49. quæſt. 2. & D. Dionyſius lib. de cœleſti Hierarch. c. 9. teſtis eſt multos Gentiles opera & miniſterio angelorum extra populum Hebraicum ad Dei unius ac veri notitiam veniſſe. Neque enim lex illa Moſaica obſtringebat alias nationes, & ſine illius obſervantia poterant ſalutem conſequi, ut etiam docet Euſebius lib. 1. de demonſt. Evang. cap. 5. & 26.*

β Populus enim revera, qui propriè.] *Deuteron. 7.* Elegit te dominus, ut ſis ei in peculium de cunctis gentibus; factus eſt pars domini populus ejus, & Jacob funiculus hereditatis ejus. *Id tamen meritis illius populi minime adſcribendum eſt, ſed Dei electioni. Deuteron. 9.* Scito quod non propter tuas juſtitias dominus Deus dedit tibi terram hanc in poſſeſſionem cum duriſſimæ cervicis ſis populus. *Promiſerat quidem Abrahæ ſe fore Deum illius & ſeminis ſui poſt eum, & magna erant merita Abrahæ apud Deum: verùm prima electio & vocatio Abrahæ, nec erat ex meritis illius, ſed ex mera Dei gratia, qui ſuſcitavit ab Oriente juſtum, & vocavit eum, ut ſequeretur ſe: quemadmodum quod reprobatis Judæis, & ob innumera in Deum peccata tandem meritò à Deo excæcatis Gentes ad ſe vocavit, id certè ſoli Dei gratiæ accepto ferendum, ut ſcribit D. Paulus ad Roman. 9. & 11.*

γ Etiam in aliis gentibus fuiſſe] *Idem ſcribit lib. de pecca. originali cap. 24. fuiſſe etiam ipſius legis tempore non ſolùm in filiis Iſrael ſicut fuerunt prophetæ, ſed etiam extra eundem populum ſicut fuit Job, qui fide in Chriſtum à peccato mundati ſunt & juſtificati; quod etiam docet epiſt. 49. qu. 2 & lib. de prædeſtinat. ſanctor. cap. 9.*

δ Nec proſelytus.] *Proſelyti dicebantur ii propriè, qui ex Ethnicis legibus Moſis & ceremoniis initiati Judaiſmum profitebantur, non illi quidem gente, ſed adoptione Judæi.*

ε Qui divino ſic laudatur eloquio.] *Job. 1. cujus alibi paſſim meminit ſcriptura. Tobiæ 2. Ezechielis 14. Jacobi 5.* —

ζ Ter-

ζ Tertia generatione poſteriorem fuiſſe quam Iſrael.] *Iſrael enim ſeu Jacob ſecundus eſt ab Abraham, Job verò quintus dicitur ab Abraham. unde conſtat Job & ante legem datam & ante Moſem ipſum vixiſſe. Ita tradunt Euſebius lib. 1. de demonſtratione c. 5. & 6. Etenim Moſes per Jacob ſeptimus numeratur ab Abraham, hic verò per Eſau quintus: Origenes homil. 4. ſuper Ezechiel. Chryſoſtomus homil. 2. de patientia Job, & homilia in Job & Abraham, & homil. 8. ad populum. Vide Salmeron. tom. 1. prolegom. 10. can. 25. ubi colligit vixiſſe Job eo tempore quo Iſraelitæ erant in captivitate detenti vel paulò ante: potuit certe eſſe coætaneus, vel Phares, vel Eſron.*

η Niſi cui divinitus revelatus eſt.] *Antiquos juſtos nonniſi per fidem in Chriſtum juſtificari potuiſſe paſſim docet D. Auguſtinus, & per hanc fidem juſtificatum fuiſſe Job ſcribit lib. de peccat. origin. cap 24. & 26. ut hoc loco, & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 21. lib. de nat. & grat. cap. 44. epiſt. 89 ad Hilarium quæſt. 3. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſio. cap. 11. lib. 2 cap. 29. & paſſim reprehendit Pelagianos quod dicerent homines in lege naturæ per ſolam naturalem cognitionem potuiſſe ſalvari, in lege ſcripta per ſolam cognitionem legis, & in lege tantùm Evangelica fidem Chriſti neceſſariam eſſe, contendit verò nullo unquam tempore ſine fide, & ſupernaturali cognitione Chriſti homines potuiſſe ſalvari; Et D. Paulus in epiſt ad Romanos, id ex inſtituto demonſtrat, neminem, vel per naturam, vel per legem ſalvari potuiſſe, ſed tantùm per fidem Chriſti,* Quem *(inquit)* propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. *Cum igitur Chriſtus à Deo propoſitus ſit in propitiationem pro peccatis omnium hominum, omnibus certè volentibus ſalvari neceſſaria eſt illius fides; ac ne videretur loqui tantùm de ſtatu legis Evangelicæ, ſubjungit,* Ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ in remiſſionem præcedentium delictorum, *ut intelligamus omnia peccata etiam præterita per Chriſtum condonata fuiſſe, & cap. 5. comparat Chriſtum cum Adamo, ut quemadmodum nemo niſi qui ex Adamo natus peccatum originale contrahit, ita nemo juſtificari poteſt, niſi per Chriſtum, quod 1. Corinth. 15. dixit Apoſtolus:* Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificantur. Poſſunt eſſe *(ait Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ.)* & ſunt & fuerunt multi homines juſti & imitandi, juſtus autem & juſtificans nemo niſi Chriſtus. Unde dicitur, credenti in eum, qui juſtificat impium, deputatur fides ejus ad juſtitiam. *1. Joann. 2.* Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed & pro peccatis totius mundi *Act. 4.* Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri; non eſt in aliquo alio ſalus, niſi in nomine Jeſu Chriſti Nazareni. *Hebræor. 13.* Jeſus Chriſtus heri & hodie ipſe & in ſæcula. *i. e. operans ſalutem hominum per omnes ætates, leges & ſæcula.*

θ Prædeſtinatos perducat ad Deum.] *Hic certè ultimus eſt effectus prædeſtinationis Roman. 8.* Quos prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui, hos vocavit, quos vocavit, hos juſtificavit, quos juſtificavit, hos glorificavit; *Atque per fidem in Chriſtum, & *(per merita)* eo tandem perducimur,* Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem ut eſſemus ſancti; prædeſtinatio *(ait Auguſtinus)* præparatio eſt gratiæ in præſenti & gloriæ in futuro.

CAP.

Cap. XLVIII.

Prophetiam Aggæi, qua dixit, majorem futuram gloriam domus Dei quàm primum fuiſſet, non in reædificatione templi, ſed in Eccleſia Chriſti eſſe completam.

Hæc domus Dei majoris eſt gloriæ, quàm fuerat illa prima lignis & lapidibus, cæteriſque præcioſis rebus metallique conſtructa. α Non itaque Aggæi prophetia in templi illius inſtauratione completa eſt. Ex quo enim inſtauratum eſt, nunquam oſtenditur, habuiſſe tantam gloriam, quantam habuit tempore Salomonis: imo potius oſtenditur primùm ceſſatione prophetiæ fuiſſe domus illius gloriam diminutam, deinde ipſius gentis cladibus tantis uſque ad ultimum excidium, quod factum eſt à Romanis: ſicut ea, quæ ſupra ſunt commemorata, teſtantur. Hæc autem domus ad novum pertinens teſtamentum, tanto utique majoris eſt gloriæ, β quanto meliores ſunt lapides vivi, quibus credentibus renovatiſque conſtruitur. Sed ideò per inſtaurationem templi illius ſignificata eſt, quia ipſa renovatio illius ædificii ſignificat eloquio prophetico alterum teſtamentum, quod appellatur Novum. Quod ergò Deus dixit per memoratum
Agg. 2. Prophetam: *Et dabo pacem in loco iſto*: per ſignificantem locum ille, qui eo ſignificatur, intelligendus eſt: ut quia illo loco inſtaurato ſignificata eſt Eccleſia, quæ fuerat ædificanda per Chriſtum, nihil aliud accipiatur, quod dictum eſt: dabo pacem in loco iſto: niſi dabo pacem in loco, quem ſignificat locus iſte:
1. Cor. 10. quia quodammodo omnia ſignificantia videntur earum rerum, quas ſignificant ſuſtinere perſonas, ſicut dictum eſt ab Apoſtolo, γ *Petra erat Chriſtus*: quoniam petra illa, de qua hoc dictum eſt: ſignificabat utique Chriſtum. Major eſt itaque gloria domus hujus Novi teſtamenti, quàm domus prioris Veteris teſtamenti: & δ tunc apparebit major, cum dedicabitur. Tunc enim veniet deſideratus cunctis gentibus, ſicut legitur in Hebræo. ε Nam prior ejus adventus nondum erat deſideratus omnibus gentibus. Non enim quem deberent deſiderare, ſciebant, in quem non crediderant. Tunc etiam ſecundùm ſeptuaginta interpretes, quia & ipſe propheticus ſenſus eſt, venient, quæ electa ſunt Domini de cunctis gentibus. Tunc enim verè non venient, niſi electa, de quibus dicit Apoſtolus:
Eph. 1. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Ipſe quippe architectus, qui
Matth. 22. dixit: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, non de his dixit, qui vocati ſic venerunt, ut de convivio projicerentur: ſed de electis demonſtraturus eſt ædificatam domum, quæ nullam deinceps formidabit ruinam. Nunc autem & hi, quando replent Eccleſias, quos tanquam in area ventilatio ſeparabit, non apparet tanta gloria domus hujus, quanta tunc apparebit, quando quiſquis ibi erit, ſemper erit.

I.L.Coq. α Non itaque Aggæi Prophetia.] *Contendit prophetiam Aggæi, qua vaticinatur majorem fore gloriam domus noviſſimæ quam primæ, non poſſe de ſecundo templo intelligi poſt captivitatem reſuſcitato ſeu potius reſtaurato, cum illud prius à Salomone fabricatum longè fuerit iſto magnificentius & auguſtius, nullaque inter utrumque*

trumque ſit prorſus comparatio, ut etiam oſtendit Galat. lib. 4. cap. 9. De magnificentia & amplitudine primi templi, vide lib. 2 paralipo. cap. 3. & 3. Reg. cap. 6. & apud Joſephum lib. 1. antiquit. cap. 4. Legimus apud Eſdram lib. 1. cap. 3. reverſos ex captivitate Judæos cum animadverterent hoc recens templum pro præſentium fortunarum tenuitate deterius & ornatu magnificentiaque longè inferius fieri, tum memores prioris templi magnitudinis & opulentiæ, obortis inde mæſtitia à lacrymis temperare non potuiſſe. Ideò D. Auguſtinus exponit hanc prophetiam de eccleſia, quam ſecundam domum eſſe vult, cujus longè major eſt gloria, & amplitudo, & ornatus quam ipſius Synagogæ; quomodo etiam exponit Cyrillus lib. 5. in Eſaiam ad cap. 54. Alii nihilominus de ipſo ſecundo templo expoſuerunt, de quo manifeſtè videtur loqui Propheta, cujus hanc majorem eſſe gloriam interpretantur, quod in illud ſanctus ſanctorum Chriſtus infans adductus ſit, & præterea docuerit ac miracula ediderit, quod univerſam primi templi gloriam facilè ſuperat. Si enim priorem domum illuſtravit inprimis quod ſcriptum eſt 3. Reg. 8. Factum eſt autem cum exiiſſent ſacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini, & non potuerunt ſtare & miniſtrare propter nebulam. Impleverat enim gloria domini domum domini. *quanto illuſtrior & glorioſior fuit domus poſterior, quam non nebula obtexit, quæ Dei præſentiam indicaret, ſed Deus ipſe nube carnis obductus adiit, quæ divinam ejus docentis vocem audivit & magna miracula vidit. Ita exponunt Rupertus, Lyranus, Burgenſis, Vatablus, Galatinus lib. 4. cap. 10. apud quem etiam Rabi Aniba exponit de Meſſia, cujus præſentia illuſtrandum erat ſecundum templum. Beda in lib. 1. Eſdræ cap. 4. ita exponit majorem fore gloriam domus noviſſimæ, primo* quia majoris miraculi & evidentioris erat divinæ virtutis quod paucæ captivorum reliquiæ inimicis etiam reſiſtentibus tantum opus perficere valuerunt, quam quod Rex opulentiſſimus nullum omnino habens adverſarium, imo potentiſſimum ac ditiſſimum Tyri regem habens adjutorem, hoc cum doctiſſimis artificibus prout voluit, fecerit. Item quia in priore domo cultores veteris teſtamenti, legis & prophetarum ſcripta populis prædicabant; in ſecunda autem Chriſtus & Apoſtoli gratiam novi teſtamenti ac regni cœleſtis evangelizabant introitum. *Ribera interpretatur quidem de illo ſecundo templo, non tamen quale ædificatum eſt à filiis captivitatis, ſed quale poſt multos annos reædificatum eſt ab Herode. cujus gloria major fuit & ex ipſa Chriſti domini præſentia potiſſimum, & præterea ex ipſo ædificio, etſi nunquam in illud Chriſtus fuiſſet ingreſſus. Hujus templi novis jactis fundamentis extructi ab Herode ea magnificentia, qua primum, aut forte major, meminere Joſephus lib. 15. Antiquit. cap. 14. Joſephus alter ben Gorion lib. 5. hiſtoriæ Judaic. cap. 24. Hegeſippus lib. 1. de excidio Hierolymit. cap. 35. Hieronymus in cap. 8. Zachariæ, & Rupertus in cap. 2. Aggæi; tam magnificum opus aggreſſus eſt Herodes anno 18. ſui regni, ut uterque Joſephus ſcribunt, & Euſebius in Chronicis. Quare erravit Hegeſippus, qui 15. anno regni ſui vult id eſſe aggreſſum. Equidem hi omnes ſenſus veri ſunt & quoquomodo intelligas, recte dicitur* major gloria domus noviſſimæ quam primæ, *ſenſum tamen altiorem, quem intenderit Spiritus ſanctus, certum eſt eſſe de Eccleſia Chriſti, ut interpretatus eſt D. Auguſtinus hoc loco.*

β Quan-

tus eſt Chriſtus. Ita cum Auguſtino intellexere Patres. Euſebius lib 3. de demonſ. cap. 2. Juſtinus Dialogo cum Tryphone, Ambroſius lib. de benedict. Patriarch. cap. Chryſoſtomus homil. 67. in Geneſ. & alii.

ς Donec veniat cui repoſitum eſt.] ᾧ ἀπόκειται. *Ita etiam legunt Ignatius, Ireneus, Tertullianus, Ambroſius, Leo Papa, S. Hieron. Juſtinus Martyr, ut eo loci notavit Flaminius Nobilius.*

CAP. XLVI.

De ortu Salvatoris noſtri, ſecundùm quod verbum caro factum eſt, & de diſperſione Judæorum per omnes gentes, ſicut fuerat prophetatum.

REgnante ergò α Herode in Judæa, apud Romanos autem jam mutato Reipublicæ ſtatu, β imperante Cæſare Auguſto, & per eum orbe pacato, natus eſt Chriſtus ſecundùm præcedentem prophetiam, in Bethleem Judæ, homo manifeſtus ex homine virgine, Deus occultus ex Deo Patre. Sic enim Propheta

Eſ. 7. prædixerat: *b γ Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus.* Qui, ut δ in ſe commendaret Deum, miracula multa fecit, ex quibus quædam quantum ad eum prædicandum ſatis viſum eſt eſſe, ſcriptura Evangelica continet. Quorum primum ε eſt, quòd tam mirabiliter natus eſt, ultimum autem quòd cum ſuo reſuſcitato à mortuis corpore aſcendit in cœlum. Judæi autem, qui eum occiderunt, & in eum credere noluerunt, quia oportebat eum mori & reſurgere, vaſtati infelicius à Romanis, funditusque à ſuo regno, ubi jam eis alienigenæ dominabantur, eradicati ſunt, diſperſique per terras. Quandoquidem ubique non deſunt & per ſcripturas ſuas ζ teſtimonio nobis ſunt prophetias nos non finxiſſe de Chriſto: quas plurimi eorum conſiderantes, & ante paſſionem, & maximè poſt ejus reſurrectionem crediderunt in eum, de quibus prædictum eſt: *Si*

Rom. 11. *fuerit numerus filiorum Iſrael ſicut arena maris, reliquiæ ſalvæ fient.* Cæteri verò

Pſ. 68. excæcati ſunt, de quibus prædictum eſt: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum.* Obſcurentur oculi eorum, ne videant, dorſum eorum ſemper incurva. Proinde quum ſcripturis noſtris non credunt, complentur in eis ſuæ, quas cæci legunt: niſi fortè quis dixerit, *e* illas prophetias Chriſtianos finxiſſe de Chriſto, η quæ Sibyllæ nomine vel aliorum proferuntur, ſi quæ ſunt, quæ non pertinent ad populum Judæorum. Nobis quidem illæ ſufficiunt, quæ de noſtrorum inimicorum codicibus proferuntur, θ quos agnoſcimus propter hoc teſtimonium, quod nobis inviti perhibent eoſdem codices habendo atque ſervando per omnes gentes etiam ipſos eſſe diſperſos, quaquaverſum Chriſti Eccleſia dilatatur. Nam prophetia in Pſalmis, quos etiam

Pſ. 58. legunt, de hac re præmiſſa eſt, ubi ſcriptum eſt: *Deus meus: miſericordia ejus præveniet me.* Deus meus demonſtravit mihi de inimicis meis, ne occideris eos, ne quando obliviſcantur legem tuam. Diſperge illos in virtute tua. Demonſtravit ergò Deus Eccleſiæ in ejus inimicis Judæis gratiam miſericordiæ ſuæ: quoniam

Rom. 11. ſicut dicit Apoſtolus: delictum illorum ſalus eſt gentibus: & ideò non eos occi-

cidit,

cidit, id eſt, non in eis perdidit, quòd ſunt Judæi, quanquam à Romanis fuerint devicti & oppreſſi, ne obliti legem Dei, ad hoc de quo agimus teſtimonium, nihil valerent. Ideò parum fuit, ut diceret: *Ne occideris eos*, ne quando obliviſcantur legem tuam: niſi etiam adderet, diſpergere illos: quoniam ſi cum teſtimonio ſcripturarum in ſua tantummodo terra non ubique eſſent, profectò Eccleſia, quæ ubique eſt, eos prophetiarum, quæ de Chriſto præmiſſæ ſunt, teſtes in omnibus gentibus habere non poſſet.

a IMperante Cæſ. Auguſto.] *Euſeb. natum Dominum ſcribit 42. anno imperii Auguſti, mundi verò 5199. C. Cæſare Auguſto xij. M. Plautio Coſ. Caſſiodorus verò ortum illius confert in priores Coſſ. Cn. Lentulum, M. Meſſalam.* L. Vives.

b Ecce virgo] *Græcè* ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ. *Ecce virgo in utero accipiet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel.*

c Illas prophetias Chriſtianos finxiſſe] *Non eſſe confictas, hinc apparet, quòd Lactan. & Euſeb. eas citant, quorum tempore Sibyllini libri in manibus omnium erant: ne ipſi fuiſſent tam impudentes, qui ea dixiſſent, eſſe in Sibyllinis libris, quæ nuſquam erant, adde, quòd plus ſic obfuiſſent Chriſtianæ cauſæ, quàm aliis omnibus argumentis potuiſſent prodeſſe, quum homines apertè cernerent eos fictis in rem ſuam autoritatibus inniti, quumq; hoc falſum & impudens deprehendiſſent, cætera omnia ſuſpecta haberent, & tanquam ſimilia repudiaſſent rejeciſſentque. Quid quòd Verg. & Ovid. manifeſtò in poëmata ſua de Sibyllinis carminibus verſus mutuantur, quos nemo ita cæcus eſt, quin eſſe de Chriſto dicta perſpiciat: qualis eſt tota quarta egloga Vergilii, & digreſſus de morte Cæſaris in fine primi Georg. apud Ovidium verò illa ſunt.*

Et Deus humana luſtro ſub imagine terras: *tum:*
Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

primo Transfor. item apud Lucanum de iis, qui præcedent judicium Domini: primo Pharſal.

Si quum compage ſoluta,
Secula tot mundi ſuprema coegerit hora,
Antiquum repetens chaos, &c.

Quòd ſi noſtra, quæ magni autores tradiderunt, dicunt commentitia, oſtendant ipſi, quæ poſſint dici ſine ulla controverſia vera, & afferemus Academicum aliquem, qui ſe dubitare reſpondeat.

a REgnante Herode in Judea.] *Herodes regnavit 37. annis, & anno illius 29 inchoato natus eſt Chriſtus; verum anni illius non ſunt numerandi à Conſulatu Domitii & Pollionis, cum primum Rex à Senatu inſtitutus eſt. Ita enim obiiſſet ante Chriſtum. cum hæc inſtitutio Senatus inciderit 38. annis ante Chriſtum; Herodem vero Joſephus velit inde auſpicando illius regnum regnaſſe tantum 37. annis: ſed primus annus regni illius numerandus eſt ab Olympiade de 187. anno 2. Auguſto* F.L.Coq.

ſto tertium & Meſſala Coſſ. Nam licet rex antea fuiſſet inſtitutus à Senatu, & poſt aliquot annos Antigono debellato Antonii opera reſtitutus in regnum, tamen quia in bello civili contra Auguſtum faverat Antonio, illud demeruiſſe videbatur. Unde ſupplex ad Auguſtum Rhodum ſe contulit, depoſitoque diademate cognito errore ab eodem regnum promeruit, quod & ſanctè fuit eidem confirmatum. Quæ omnia facta ſunt eo ipſo anno, quo idem Auguſtus bello navali Antonium & Cleopatram debellavit, ut jam dictum eſt, eodem Auguſto tertium & Meſſala Coſſ. Oly. 187. an. 2. Inde igitur numerandi ſunt primum anni regis Herodis, quod ea potiſſimum ratione Illuſtriſſimus Baronius in apparatu Annalium confirmat, quod cum Auguſtus ex ſancto reſcidiſſet irritaque reddidiſſet quæ ab Antonio, perduelle, geſta eſſent, non licuit Herodi illos regni annos numerare, quibus regnavit poſt quam ab Antonio ſibi reſtitutum accepit, ſed ab eo tempore, quo ab Auguſto ſibi redditum fuit, & ex ſancto firmatum. *Unde conſtat tot annos fluxiſſe ab Actiaca victoria ad Chriſtum, quot à primo anno regni Herodis.*

β Imperante Cæſare Auguſto.] *Alii quidem anno 42. imperii Auguſti Chriſtum natum volunt, ut Euſeb. in Chronicô, & lib. 1. hiſt. cap. 5. Epiph. lib. 1. hæreſ. 20. & lib. 2. hær. 51. ac fere Græci; Beda de ſex ætatib. Iſidor. in Chronic. Eutrop. lib. 7. cap. 2. Oroſius, Martyrol Rom. D. Hieron. in cap. 2. Iſaiæ & in cap. 9. Daniel. Caſſiodorus, Julianus Epiſc. Toletanus, Marianus Scotus, & alii. Cæteri deniq; anno ejus imperii 28. Ut Clemens Alexandr. l. 1. ςρωμα]. Prodeunt enim hæ diverſæ ſententiæ ex eo, quod alii ab aliis diverſam inierunt rationē in annis imperii Auguſti ſupputandis. Alii enim à nece Julii Cæſaris annos Auguſti numerare cœperunt, & quia heres inſtitutus à Cæſare illi ſucceſſit & quia ſuprema ac maxima poteſtas illi collata à Senatu cum armavit in Antonium, & quia ſemper inde fuit cum imperio, ab eo tempore viſum eſt quibusdam auſpicari illius imperium. A nece autem Cæſaris, quæ incidit in Olympiadis 184. annum 2. ad Chriſti natale confluxere anni 42. Alii vero ſupputarunt annos imperii Auguſti à ſequenti anno, quo Hirtio & Panſa Coſſ. in bello deſideratis idem Octavius conſulatum invaſit 14 Calendas Septembris, ut Tacitus & Dio teſtantur; dum ajunt Auguſtum illum diem habuiſſe ſupremum, quo primum inierat Conſulatum: Quo item anno ante 5. Calendas Decembris cum Lepido & Antonio fœdus iniens triumviratum inſtituit. Panvinius lib. 2. Faſtor. Qui ergo ſcripſere Chriſtum natum anno 41. imperii Auguſti, proculdubio annos illius imperii numerant ab arrepto primum Conſulatu & triumvirato cum Octavius annum ætatis ageret 20. inde enim ad conſulatum Lentuli & Meſſalini, quando natus eſt Chriſtus, fluxere anni 41. Qui vero dixere natum anno 28. imperii Auguſti, annos Auguſti numerarunt ab Actiaca pugna, quando debellato Antonio & Cleopatra Monarchiam ſolus obtinuit, & ut ſcribit Tacitus initio lib. 1. Annal.* cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine principis ſub imperium accepit. *Nam Euſebius in Chronico debellatos ab Auguſto Antonium & Cleopatram ſcribit Olympiade 187. anno 3. à quo certe ad annum 2. Olympiadis 194. quo Chriſtus natus eſt, fluxere anni 28. Et certe Monarchiam & annos Auguſti omnes inde pene auſpicari author eſt Cenſorius. Alii cum anno 42. Auguſti volunt concurrere annum 32. Herodis,*

rodis, & Olympiad. 194. annum 3. quo natus ſit Chriſtus; De qua ut fuſius videri poteſt Arn. Pontacus vir doctiſſimus notis ad Euſebii Chronicon. Nec enim animus eſt diutius in his immorari.

γ Ecce virgo in utero concipiet.] *Hebraice legitur,* הנה הרה העלמה *Hebræi interpretantur* puellam adoleſcentulam, *ſicut etiam teſte D. Irenæo lib. 3. c. 24. interpretatus eſt Theodotion Epheſius, & Aquila Ponticus utrique Judæi proſelyti. quos ſectati Hebionæi ex Joſeph eum generatum dixere. Verum multis annis ante Chriſtum natum ex virgine ita 70. interpretati erant,* ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται. *Fuere viri doctiſſimi utriuſque linguæ peritiſſimi, nec poſſunt venire in aliquam ſuſpicionem, intellexere ſignificationem vocis,* העלמה *vox græca* παρθένος, *non aliud quam* virginem, *quæ nunquam à viro cognita fuerit, ſignificat. Itaque ex hoc loco ſemper argumentati ſunt Chriſtiani contra Judæos Chriſtum ex virgine naſciturum: Pollicetur deinde dominus ſignum ſe daturum non rei certe alicujus, quæ omnibus in dies ſit obvia, ſed rei quæ miraculi ſit loco, & omnibus magnam ſit admirationem allatura. Irenæus lib. 3. c. 24 & lib. 4. c. 40. Euſebius lib. 7. de demonſtr. Evang. c. 1. Origenes homil. 2. in Iſaiam & lib. 1. contra Celſum, Juſtinus dialogo cum Triphone.*

δ Ut in ſe commendaret Deum, miracula multa fecit.] *Quod faceret miracula & divina virtute & in teſtimonium ſuæ divinitatis & propria authoritate, erant certe ſufficientiſſima teſtimonia, quibus Judæis probaret & confirmaret ſuam divinitatem. D. Thomas 3. p. q. 43. art. 4.*

ε Primum eſt quod tam mirabiliter natus] *Alii quidem etiam in veteri teſtamento miracula fecere, & ea Deus voluit eſſe teſtimonia vel ſanctitatis vel veritatis eorum, quæ miſſi à Deo populo loquerentur;* ſed tamen, *ait Auguſtinus epiſt. 3. ad Voluſianum,* & aliquid proprium facere debuit, naſci de virgine, reſurgere à mortuis, cœlum aſcendere.

ζ Teſtimonio nobis ſunt prophetias non finxiſſe de Chriſto.] *Duo certiſſima teſtimonia erant confirmandæ Chriſtianæ religioni, miracula & prophetiæ. Non enim potuerunt niſi divino ſpiritu afflati ea prædicere, quæ poſterioribus longè temporibus futura erant, ideoque maxime authoritate Prophetarum Chriſtiani ipſos Gentiles urgebant. Quemadmodum ergo miracula magicis artibus aſcribebant impudenter, ita non defuere ex Paganis, qui Prophetias à Chriſtianis confictas ad confirmandam eorum religionem mentirentur impudentiſſime: In quos hoc argumento firmiſſimo utitur, quia Judæi per terras diſperſi inimici noſtri prophetias non finxiſſe de Chriſto quod idem adducit lib. 1. conſenſ. Evang. c. 26.* Hoc inquit, magnum eſt quod Deus præſtabit Eccleſiæ ſuæ ubique diffuſæ, ut gens Judæa merito debellata & diſperſa per terras ne à nobis hæc compoſita putarentur, codices Prophetarum noſtrorum ubique portaret, & inimica fidei noſtræ teſtis fieret veritatis noſtræ, *ibid.* Nunquid illas Prophetias, quæ nunc leguntur in codicibus inimicorum Chriſti poſſunt dici finxiſſe diſcipuli Chriſti; *& epiſt. 3. ad Voluſianum;* reproba per infidelitatem gens ipſa Judæorum à ſedibus exſtirpata per mundum usquequaque diſpergitur, ut ubique portet codices ſanctos, & ſic pro-

 phe-

phetiæ teſtimonium, qua Chriſtus & Eccleſia prænunciata eſt. ne ad tempus à nobis fictum exiſtimaretur, ab ipſis adverſariis proferatur, ubi etiam ipſos prædictum eſt non fuiſſe credituros.

η Quæ Sibyllæ nomine vel aliorum.] *Quia Chriſtiani nitebantur etiam teſtimoniis Sibyllarum, eo confugiebant gentiles, ut dicerent non eſſe illa carmina Sibyllina, ſed à noſtris conficta atque compoſita. Lactantius lib. 4. cap. 15.*

θ Quos agnoſcimus propter hoc teſtimonium, quod nobis inviti perhibent.] *Idem lib. 3. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 4. epiſt. 59. ad Paulinum, lib. 13. contra Fauſtum cap. 10. & lib. 16. cap. 21. & in Pſal. 58. ad ea verba,* diſperge eos in virtute tua, *D. Hieronymus in cap. 16. Iſaiæ, & Theodoretus oratio. 10. de providentia.*

CAP. XLVII.

An ante tempora Chriſti aliqui fuerint extra Iſraeliticum genus, qui ad cœleſtis civitatis conſortium pertinerent.

QUapropter quiſquis alienigena, id eſt, non ex Iſrael progenitus, nec ab illo populo in canonem ſacrarum literarum receptus, legitur, aliquod propheta ſſe de Chriſto, ſi in noſtram notitiam venit, aut venerit, ad cumulum à nobis commemorari poteſt, non quod neceſſarius ſit etiam, ſi deſit, ſed quia α non incongruè creditur, fuiſſe & in aliis gentibus homines, quibus hoc myſterium revelatum eſt, & qui hoc etiam prædicere impulſi ſunt, ſive participes ejuſdem gratiæ fuerint, ſive expertes, ſive per malos angelos docti ſunt, quos præſentem Chriſtum, quem Judæi non agnoſcebant, ſcimus fuiſſe confeſſos. Nec ipſos Judæos exiſtimo audere contendere, *a* neminem pertinuiſſe ad Deum præter Iſraëlitas, ex quo propagatio Iſrael cœpit eſſe, reprobato ejus fratre majore. β Populus enim revera, qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit. Homines autem quoſdam non terrena, ſed cœleſti ſocietate ad veros Iſraelitas ſupernæ cives patriæ pertinentes γ etiam in aliis gentibus fuiſſe negare non poſſunt: quia ſi negant, facillimè convincuntur *b* de ſancto & mirabili viro Job, qui nec indi-
Ezech. 14. gena, *c* δ nec proſelytus, id eſt, advena populi Iſrael fuit: ſed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus eſt: *d* ε qui divino ſic laudatur eloquio, ut quod ad juſtitiam pietatemque attinet nullus ei homo ſuorum temporum coæquatur. Quæ tempora ejus, quamvis non inveniamus in chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro ſui merito Iſraelitæ in autoritatem canonicam reperiunt, *e* ζ tertia generatione poſteriorem fuiſſe quàm Iſrael. Divinitus autem proviſum fuiſſe non dubito, ut ex hoc uno ſciremus, etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundùm Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad ſpiritalem Hieruſalem, Quod nemini conceſſum fuiſſe, credendum eſt, η niſi
1. Tim. 2. cui divinitus revelatus eſt *unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus,* qui venturus in carne ſic antiquis ſanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis veniſſe nunciatus eſt, ut una eademque fides per ipſum omnes in Dei civitatem, in domum Dei, in Dei templum θ prædeſtinatos perducat ad Deum. Sed quæcunque aliorum prophetiæ de Dei per Chriſtum Jeſum gratia proferuntur, pos-

poſſunt putari, à Chriſtianis eſſe confictæ. Ideò nihil eſt firmius ad convincendos quoslibet alienos, ſi de hac re contenderint, noſtrosque fulciendos, ſi rectè ſapuerint, quàm ut divina prædicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Judæorum ſcripta ſunt codicibus. Quibus avulſis de ſedibus propriis: & propter hoc teſtimonium toto orbe diſperſis Chriſti uſquequaque crevit Eccleſia.

a NEminem pertinuiſſe ad Deum præter Iſraelitas.] *Potuerunt enim, qui ex gentibus naturam ſequebantur, ducem, illam, non pravis judiciis opinionibusq́; inquinatam & corruptam, tam grati eſſe Deo, quàm qui legem Moſaicam ſervaverunt: quod enim hi conſequuti ſunt per legem, illi conſequuti eſſent ſine lege: & qui tales fuere ſine lege, eodem quò Judæi pervenerunt, quum eodem contenderent, nec inter eos aliud diſcrimen fuit quàm eſt, ceu quis viator mandatam gerat chartæ itineris rationem, ac veluti formam, alter memoriæ fidat, aut judicio. Idem etiam noſtro tempore continget ei, qui quum nihil de Chriſto audierit in remotiſſimis Oceani terris natus, duo illa maxima ſervari mandata, in quîs veritas ipſa legem totam, prophetasq́; conſtitutos affirmavit, de Deo & proximo diligendis, huic ſua conſcientia eſt lex. Et juxta Pſalmiſtam memor eſt in nocte nominis Domini, & cuſtodit legem ejus. Hæc fit ei, quia juſtificationes Domini exquirit: tanti eſt videlicet voluiſſe bonum eſſe, etiam ſi non habeas, à quo virtutem edoceare. Et in hoc hominum genere quid deeſt præter aquam? quum Spiritum ſanctum non ſecus quàm Apoſtoli meruerint & acceperint. Teſtante Petro repleti etiam nonnullos divino afflatu, quos myſtica nondum attigit aqua: ita gentes, quæ legem non habent, & naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ipſamet ſibi ſunt lex, & ea lux ita vivendi donum Dei eſt, & à filio proficiſcitur: de quo ſcriptum eſt, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* L. Vives.

b De ſancto & mirabili viro Job.] *Habemus librum inter ſacros, in quo Iob acta continentur, in eo Iob ſe ex terra Huz profitetur fuiſſe. Hieronymus, Huz Traconitidis & Damaſci conditorem tradit, qui inter Palæſtinam & Cœlem Syriam tenuit principatum. A quo LXX. interpretes in lib. Iob, ubi in Hebræo ſcribitur terra Huz, regionem Auſitidem quaſi Huſitidem tranſtulerunt. Fuit hic Huz ex filiis Aram fratris Abraham: fuit & alter Uz ex minoribus Eſau, ſed non in hunc refert Hieron. genus Iob, ſed in Aram: nam quod, inquit, habetur in fine voluminis ejus, & quartus eſt ab Eſau: ſit, quoniam de Syro ſermone translatus eſt, quod in Hebræis voluminibus non habetur. Philippus Presbyter, qui paulò poſt Hieron. ſcripſit in hunc prophetam, ſic ait: Chus & Buz filii fuere Nachor fratris Abrahæ juxta fidem Geneſeos libri, nati de Melcha ſorore Saræ: credibile videri poteſt, ut in terra, quæ ex parentum nomine dicta eſt, vir ille ſanctus habitaverit: & eſſe illum potius de genere Nachor non de Eſau origine procreatum, ſicut quidam opinione dubia ſuſpicantur. Illi autem tres reges de genere fuerunt Eſau: ſic ille: ita erit Iob, & de Nachor & de Aram per Melcham. Origenes vulgarem editionem ac opinionem ſecutus, ſic ait, de Iob loquens: In regione Auſitide morabatur, illic natus ex ipſis fuit, & inter eos vixit. Auſitidæ genus ſunt Eſau, poſteritas Edom. Nam Auſitidæ, & Minæi, & Eucbæ, & Themanitæ, & cæteri omnes tribus erant ex cognatione & proſapia Eſau filii Iſaac, qui E-*

 dom

dom cognominatus eſt. Et tunc univerſæ tribus Idumæi vocitatæ ſunt ex nomine Eſau: nunc verò omnes uno nomine Arabi appellantur, non ſolùm Idumæi, ſed & Amanitæ & Moabitæ. Hæc ſententia Origenis, cui vulgo ferè ſuffragantur, Et quidam ex gentilibus, ut Ariſteas in Judaica hiſtoria, qui Iob etiam filium fuiſſe refert Eſau, habitaſſeq. in Idumæa, & Arabiæ finibus juſtitia & divitiis præcipuum, tentatumq. divinitus magnis calamitatibus, ac cætera ordine, in ſacris legimus libris.

c Nec proſelytus.] *Adventitius ex aliis gentibus ad legem à* προσελθεῖν.

d Qui divino ſic laudatur eloquio] *In ipſo libro Iob: & in Ezechielis 14.*

e Tertia generatione poſteriorum.] *Sunt, qui Iob putent, nominatum in Geneſi: alii Iaſubdictum, alii Iobab: nulli quicquam ſatis certum afferunt. Hieronymus Eliphaz, quem Ada peperit Eſau, tradit illum eſſe: cujus meminit ipſe Iob: quod ſi ita eſt, cum pronepotibus Abrahæ vixit Iob.*

F L. Coq. α NON incongrue creditur, & in aliis gentibus fuiſſe.] *Et ſi antiquitus nullus alius populus Dei diceretur præter Hebræos, quos elegerat dominus, ut eſſent ei peculium de cunctis gentibus, nihilominus extra eum populum, & poſt inſtitutam Synagogam & legem traditam multos fuiſſe, quibus Chriſtus innotuerit per fidem, quique per eam ſalvati ſint, aſſerit hic D. Auguſtinus, quod idem docet, & lib. 2. de pecc. orig. cap 23. & lib de prædeſtin. ſanctor. cap. 9. & epiſt. 49. quæſt. 2. & D. Dionyſius lib de cœleſti Hierarch. c. 9. teſtis eſt multos Gentiles opera & miniſterio angelorum extra populum Hebraicum ad Dei unius ac veri notitiam veniſſe. Neque enim lex illa Moſaica obſtringebat alias nationes, & ſine illius obſervantia poterant ſalutem conſequi, ut etiam docet Euſebius lib 1. de demonſt. Evang. cap. 5. & 26.*

β Populus enim revera, qui propriè] *Deuteron. 7.* Elegit te dominus, ut ſis ei in peculium de cunctis gentibus; factus eſt pars domini populus ejus, & Jacob funiculus hereditatis ejus. *Id tamen meritis illius populi minime adſcribendum eſt, ſed Dei electioni. Deuteron. 9.* Scito quod non propter tuas juſtitias dominus Deus dedit tibi terram hanc in poſſeſſionem cum duriſſimæ cervicis ſis populus. *Promiſerat quidem Abrahæ ſe fore Deum illius & ſeminis ſui poſt eum, & magna erant merita Abrahæ apud Deum: verùm prima electio & vocatio Abrahæ, nec erat ex meritis illius, ſed ex mera Dei gratia, qui ſuſcitavit ab Oriente juſtum, & vocavit eum, ut ſequeretur ſe: quemadmodum quod reprobatis Judæis, & ob innumera in Deum peccata tandem meritò à Deo excæcatis Gentes ad ſe vocavit, id certè ſoli Dei gratiæ accepto ferendum, ut ſcribit D. Paulus ad Roman. 9. & 11.*

γ Etiam in aliis gentibus fuiſſe] *Idem ſcribit lib. de pecca. originali cap. 24. fuiſſe etiam ipſius legis tempore non ſolùm in filiis Iſrael ſicut fuerunt prophetæ, ſed etiam extra eundem populum ſicut fuit Job, qui fide in Chriſtum à peccato mundati ſunt & juſtificati; quod etiam docet epiſt. 49. qu. 2 & lib. de prædeſtinat. ſanctor. cap. 9.*

δ Nec proſelytus.] *Proſelyti dicebantur ii propriè, qui ex Ethnicis legibus Moſis & ceremoniis initiati Judaiſmum profitebantur, non illi quidem gente, ſed adoptione Judæi.*

ε Qui divino ſic laudatur eloquio.] *Job. 1. cujus alibi paſſim meminit ſcriptura. Tobiæ 2. Ezechielis 14. Jacobi. 5.* —

ζ Ter-

ζ Tertia generatione poſteriorem fuiſſe quam Iſrael.] *Iſrael enim ſeu Jacob ſecundus eſt ab Abraham, Job verò quintus dicitur ab Abraham. unde conſtat Job & ante legem datam & ante Moſem ipſum vixiſſe. Ita tradunt Euſebius lib. 1. de demonſtratione c. 5. & 6. Etenim Moſes per Jacob ſeptimus numeratur ab Abraham, hic verò per Eſau quintus: Origenes homil. 4. ſuper Ezechiel. Chryſoſtomus homil. 2. de patientia Job, & homilia in Job & Abraham, & homil. 8. ad populum. Vide Salmeron. tom. 1. prolegom. 10. can. 25. ubi colligit vixiſſe Job eo tempore quo Iſraelitæ erant in captivitate detenti vel paulò ante: potuit certe eſſe coætaneus, vel Phares, vel Eſron.*

η Niſi cui divinitus revelatus eſt.] *Antiquos juſtos nonniſi per fidem in Chriſtum juſtificari potuiſſe paſſim docet D. Auguſtinus, & per hanc fidem juſtificatum fuiſſe Job ſcribit lib. de peccat. origin. cap 24. & 26. ut hoc loco, & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 21. lib. de nat. & grat. cap. 44. epiſt. 89 ad Hilarium quæſt. 3. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſio. cap. 11. lib 2 cap. 29. & paſſim reprehendit Pelagianos quod dicerent homines in lege naturæ per ſolam naturalem cognitionem potuiſſe ſalvari, in lege ſcripta per ſolam cognitionem legis, & in lege tantùm Evangelica fidem Chriſti neceſſariam eſſe, contendit vero nullo unquam tempore ſine fide, & ſupernaturali cognitione Chriſti homines potuiſſe ſalvari; Et D. Paulus in epiſt ad Romanos, id ex inſtituto demonſtrat, neminem, vel per naturam, vel per legem ſalvari potuiſſe, ſed tantùm per fidem Chriſti,* Quem *(inquit)* propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. *Cum igitur Chriſtus à Deo propoſitus ſit in propitiationem pro peccatis omnium hominum, omnibus certè volentibus ſalvari neceſſaria eſt illius fides; ac ne videretur loqui tantùm de ſtatu legis Evangelicæ, ſubjungit,* Ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ in remiſſionem præcedentium delictorum, *ut intelligamus omnia peccata etiam præterita per Chriſtum condonata fuiſſe, & cap. 5. comparat Chriſtum cum Adamo, ut quemadmodum nemo niſi qui ex Adamo natus peccatum originale contrahit, ita nemo juſtificari poteſt, niſi per Chriſtum, quod 1. Corinth. 15. dixit Apoſtolus:* Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificantur. Poſſunt eſſe *(ait Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ.)* & ſunt & fuerunt multi homines juſti & imitandi, juſtus autem & juſtificans nemo niſi Chriſtus. Unde dicitur, credenti in eum, qui juſtificat impium, deputatur fides ejus ad juſtitiam. *1. Joann. 2.* Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed & pro peccatis totius mundi. *Act. 4.* Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri; non eſt in aliquo alio ſalus, niſi in nomine Jeſu Chriſti Nazareni. *Hebræor. 13.* Jeſus Chriſtus heri & hodie ipſe & in ſæcula. *i. e. operans ſalutem hominum per omnes ætates, leges & ſæcula.*

θ Prædeſtinatos perducat ad Deum.] *Hic certè ultimus eſt effectus prædeſtinationis Roman. 8.* Quos prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui, hos vocavit, quos vocavit, hos juſtificavit, quos juſtificavit, hos glorificavit; *Atque per fidem in Chriſtum, & *(per merita)* eo tandem perducimur,* Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem ut eſſemus ſancti; prædeſtinatio *(ait Auguſtinus)* præparatio eſt gratiæ in præſenti & gloriæ in futuro.

CAP.

CAP. XLVIII.

Prophetiam Aggæi, qua dixit, majorem futuram gloriam domus Dei quàm primum fuiſſet, non in reædificatione templi, ſed in Eccleſia Chriſti eſſe completam.

HÆc domus Dei majoris eſt gloriæ, quàm fuerat illa prima lignis & lapidibus, cæteriſque præcioſis rebus metalliſque conſtructa. α Non itaque Aggæi prophetia in templi illius inſtauratione completa eſt. Ex quo enim inſtauratum eſt, nunquam oſtenditur, habuiſſe tantam gloriam, quantam habuit tempore Salomonis: imo potius oſtenditur primùm ceſſatione prophetiæ fuiſſe domus illius gloriam diminutam, deinde ipſius gentis cladibus tantis uſque ad ultimum excidium, quod factum eſt à Romanis: ſicut ea, quæ ſupra ſunt commemorata, teſtantur. Hæc autem domus ad novum pertinens teſtamentum, tanto utique majoris eſt gloriæ, β quanto meliores ſunt lapides vivi, quibus credentibus renovatiſque conſtruitur. Sed ideò per inſtaurationem templi illius ſignificata eſt, quia ipſa renovatio illius ædificii ſignificat eloquio prophetico alterum teſtamentum, quod appellatur Novum. Quod ergò Deus dixit per memoratum
Agg. 2. Prophetam: *Et dabo pacem in loco iſto*: per ſignificantem locum ille, qui eo ſignificatur, intelligendus eſt: ut quia illo loco inſtaurato ſignificata eſt Eccleſia, quæ fuerat ædificanda per Chriſtum, nihil aliud accipiatur, quod dictum eſt: dabo pacem in loco iſto: niſi dabo pacem in loco, quem ſignificat locus iſte:
1. Cor. 10. quia quodammodo omnia ſignificantia videntur earum rerum, quas ſignificant ſuſtinere perſonas, ſicut dictum eſt ab Apoſtolo, γ *Petra erat Chriſtus*: quoniam petra illa, de qua hoc dictum eſt: ſignificabat utique Chriſtum. Major eſt itaque gloria domus hujus Novi teſtamenti, quàm domus prioris Veteris teſtamenti: & δ tunc apparebit major, cum dedicabitur. Tunc enim veniet deſideratus cunctis gentibus, ſicut legitur in Hebræo. ε Nam prior ejus adventus nondum erat deſideratus omnibus gentibus. Non enim quem deberent deſiderare, ſciebant, in quem non crediderant. Tunc etiam ſecundùm ſeptuaginta interpretes, quia & ipſe propheticus ſenſus eſt, venient, quæ electa ſunt Domini de cunctis gentibus. Tunc enim verè non venient, niſi electa, de quibus dicit Apoſtolus:
Eph. 1. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Ipſe quippe architectus, qui
Matth. 22. dixit: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, non de his dixit, qui vocati ſic venerunt, ut de convivio projicerentur: ſed de electis demonſtraturus eſt ædificatam domum, quæ nullam deinceps formidabit ruinam. Nunc autem & hi, quando replent Eccleſias, quos tanquam in area ventilatio ſeparabit, non apparet tanta gloria domus hujus, quanta tunc apparebit, quando quiſquis ibi erit, ſemper erit.

L. L. Coq. α NOn itaque Aggæi Prophetia.] *Contendit prophetiam Aggæi, qua vaticinatur majorem fore gloriam domus noviſſimæ quam primæ, non poſſe de ſecundo templo intelligi poſt captivitatem reſuſcitato ſeu potius reſtaurato, cum illud prius à Salomone fabricatum longè fuerit iſto magnificentius & auguſtius, nullaque inter utrumq;*

trumque ſit prorſus comparatio, ut etiam oſtendit Galat. lib. 4. cap. 9. De magnificentia & amplitudine primi templi, vide lib. 2 paralipo. cap. 3. & 3. Reg. cap. 6. & apud Joſephum lib. 1. antiquit. cap. 4. Legimus apud Eſdram lib. 1. cap. 3. reverſos ex captivitate Judæos cum animadverterent hoc recens templum pro præſentium fortunarum tenuitate deterius & ornatu magnificentiaque longè inferius fieri, tum memores prioris templi magnitudinis & opulentiæ, oborta inde mæſtitia à lacrymis temperare non potuiſſe. Ideò D. Auguſtinus exponit hanc prophetiam de eccleſia, quam ſecundam domum eſſe vult, cujus longè major eſt gloria, & amplitudo, & ornatus quam ipſius Synagogæ; quomodo etiam exponit Cyrillus lib. 5. in Eſaiam ad cap. 54. Alii nihilominus de ipſo ſecundo templo expoſuerunt, de quo manifeſtè videtur loqui Propheta, cujus hanc majorem eſſe gloriam interpretantur, quod in illud ſanctus ſanctorum Chriſtus infans adductus ſit, & præterea docuerit ac miracula ediderit, quod univerſam primi templi gloriam facilè ſuperat. Si enim priorem domum illuſtravit inprimis quod ſcriptum eſt 3. Reg. 8. Factum eſt autem cum exiiſſent ſacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini, & non potuerunt ſtare & miniſtrare propter nebulam. Impleverat enim gloria domini domum domini. *quanto illuſtrior & glorioſior fuit domus poſterior, quam non nebula obtexit, quæ Dei præſentiam indicaret, ſed Deus ipſe nube carnis obductus adiit, quæ divinam ejus dicentis vocem audivit & magna miracula vidit. Ita exponunt Rupertus, Lyranus, Burgenſis, Vatablus, Galatinus lib. 4. cap. 10. apud quem etiam Rabi Aniba exponit de Meſſia, cujus præſentia illuſtrandum erat ſecundum templum. Beda in lib. 1. Eſdræ cap. 4. ita exponit majorem fore gloriam domus noviſſimæ, primo* quia majoris miraculi & evidentioris erat divinæ virtutis quod paucæ captivorum reliquiæ inimicis etiam reſiſtentibus tantum opus perficere valuerunt, quam quod Rex opulentiſſimus nullum omnino habens adverſarium, imo potentiſſimum ac ditiſſimum Tyri regem habens adjutorem, hoc cum doctiſſimis artificibus prout voluit, fecerit. Item quia in priore domo cultores veteris teſtamenti, legis & prophetarum ſcripta populis prædicabant; in ſecunda autem Chriſtus & Apoſtoli gratiam novi teſtamenti ac regni cœleſtis evangelizabant introitum. *Ribera interpretatur quidem de illo ſecundo templo, non tamen quale ædificatum eſt à filiis captivitatis, ſed quale poſt multos annos reædificatum eſt ab Herode. cujus gloria major fuit & ex ipſa Chriſti domini præſentia potiſſimum, & præterea ex ipſo ædificio, etſi nunquam in illud Chriſtus fuiſſet ingreſſus. Hujus templi novis jactis fundamentis extructi ab Herode ea magnificentia, qua primum, aut forte major, meminere Joſephus lib. 15. Antiquit. cap. 14. Joſephus alter pen Gorion lib. 5. hiſtoriæ Judaic. cap. 24. Hegeſippus lib. 1. de excidio Hieroſolymit. cap. 35. Hieronymus in cap. 8. Zachariæ, & Rupertus in cap. 2. Aggæi; tam magnificum opus aggreſſus eſt Herodes anno 18. ſui regni, ut uterque Joſephus ſcribunt, & Euſebius in Chronicis. Quare erravit Hegeſippus, qui 15. anno regni ſui vult id eſſe aggreſſum. Equidem hi omnes ſenſus veri ſunt & quoquomodo intelligas, recte dicitur* major gloria domus noviſſimæ quam primæ, *ſenſum tamen altiorem, quem intenderit Spiritus ſanctus, certum eſt eſſe de Eccleſia Chriſti, ut interpretatus eſt D. Auguſtinus hoc loco.*

β Quan-

β Quanto meliores ſunt lapides vini.] *Eccleſia interris à Chriſto non ex calce & lapidibus, ſed ex hominibus divino lavacro ablutis exſtructa. 1. Petri 2.* Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini; *& quemadmodum Ariſtoteles 2. phyſic. text. 59. fortunatos lapides ex Protharcho vocat, ex quibus fiunt aræ, quod honorentur, copulati autem cum his conculcentur, ita terque quaterque beatos, quibus ex vi electionis ac prædeſtinationis æternæ ex tanta hominum fæce contigit ſeligi ac in ædificium Eccleſiæ cooptari.*

γ Sicut dictum eſt ab Apoſtolo, Petra erat Chriſtus.] *1. Cor. 10. recte id appellatur quod ad eum ſignificandum præceſſit, atque id frequens in ſcripturis, ut res ſignificata vocetur nomine figuræ, per quam ſignificatur.*

δ Tunc apparebit major cum dedicabitur.] *Id certe fiet*, cum exhibebit ſibi Chriſtus glorioſam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam, cum tradet regnum Dei patri, & erit Deus omnia in omnibus, *tunc certe dies agetur feſtus cum lætitia finita conſecratione, quia poſt finẽ hujus vitæ fideles intrabunt in gaudium domini, ubi perpetuo læbuntur.*

ε Nam prior ejus adventus nondum erat deſideratus.] *Id movit Auguſtinum, ut verba Prophetæ*, Veniet deſideratus cunctis gentibus, *ad ſecundum adventum potius referret quam primum, quod ante primum adventum, cum non innoteſceret gentibus, non poterant deſiderio aliquo in eum ferri, & fides in Chriſtum debuiſſet in eis hujusmodi deſiderium præcedere, de quo ſupradictum eſt cap. 35.*

ζ Non de his dixit, qui vocati ſic venerunt.] *Duplicem vocationem ſolet diſtinguere D. Auguſtinus, ut in expoſitione quarundam propoſitionum epiſtolæ ad Romanos cap. 55. lib. 2 contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 18 lib. de bono perſeverant. cap. 9. lib. de prædeſtinat. ſanctor. cap. 16.* Vocat Deus, *inquit*, prædeſtinatos multos filios ſuos, ut eos faciat membra prædeſtinati unici filii ſui, non ea vocatione, quâ vocati ſunt qui noluerunt venire ad nuptias, illa quippe vocatione & Judæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt, & gentes, quibus crucifixus ſtultitia eſt; ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus dicens; ipſis vocatis Judæis & Græcis prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Sic enim ait ipſis vocatis, ut illos oſtenderet non vocatos, ſciens eſſe quandam certam vocationem eorum, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui: quam vocationem ſignificans ait, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt quia major ſerviet minori. *Ita etiam lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. una quidem eſt vocatio efficax, quam vocat vocationem congruam & ſecũdum propoſitum, quæ eſt effectus prædeſtinationis, & eſt propria prædeſtinatorum, quam & ipſe Paulus Rom. 8. inter effectus prædeſtinationis numerat, alia vocatio ſufficiens, qua multi ſunt vocati, pauci vero electi. Neque enim electus eſt vel prædeſtinatus, qui non fit vocatus, ac multi vocati, qui tamen vocationi divinæ reſiſtunt, nec juſtificantur, aut gloriam conſequuntur.*

Cap.

CAP. XLIX.

De incerta multiplicatione Eccleſiæ, qua in hoc ſeculo multi reprobi miſcentur electis.

IN hoc ergo maligno ſeculo, in diebus malis, ubi per humilitatem præſentem futuram comparat Eccleſia celſitudinem, & timorum ſtimulis, dolorum tormentis, laborum moleſtiis, tentationum periculis eruditur, ſola ſpe gaudens, quando ſanum gaudet, multi reprobi miſcentur bonis: & utrique tanquam in ſagenam Evangelicam colliguntur: & in hoc mundo tanquam in mari utrique incluſi retibus, indiſcretè natant, donec perveniatur ad littus, ubi mali ſegregentur à bonis, & in bonis tanquam in templo ſuo ſit α Deus omnia in omnibus. Proinde vocem nunc agnoſcimus ejus impleri, qui loquebatur in Pſalmo, atque dicebat: *Annunciavi & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.* Hoc fit nunc, ex quo primum per os præcurſoris ſui Joannis, deinde per os proprium annunciavit & locutus eſt, dicens: Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum. Elegit diſcipulos, quos & Apoſtolos nominavit, β humiliter natos, inhonoratos, illiteratos: ut quicquid magnum eſſent & facerent, ipſe in eis eſſet & faceret. Habuit inter eos unum, quo malo utens bene, & ſuæ paſſionis diſpoſitum impleret, & Eccleſiæ ſuæ tolerandorum malorum præberet exemplum. Seminato quantum per ejus oportebat præſentiam corporalem ſancto Evangelio paſſus eſt, mortuus eſt, reſurrexit: paſſione oſtendens, quid ſuſtinere pro veritate, reſurrectione, quid ſperare in æternitate debeamus, a γ excepta altitudine ſacramenti, qua ſanguis in ejus remiſſionem peccatorum fuſus eſt. Converſatus eſt in terra quadraginta dies cum diſcipulis ſuis, atque ipſis videntibus aſcendit in cœlum, & poſt dies decem promiſſum Spiritum ſanctum miſit patris ſui: cujus advenientis in eos, qui crediderant, tunc ſignum erat maximum, & maximè neceſſarium, ut unuſquiſque eorum linguis omnium gentium loqueretur: ita ſignificans unitatem catholicæ Eccleſiæ per omnes gentes futuram, ac δ ſic linguis omnibus locuturam.

Matth. 13. — 1. Cor. 15. — Pſ. 39. — Matth. 3. 10. — Act. 1. 2.

a EXcepta altitudine ſacramenti.] *In vita enim & paſſione Chriſti non ſolùm eſt maximum illud bonum virtutibus ſacramentorum paratum: ſed etiam exemplum, quomodo cuique mores totaq; vita inſtituenda ſit.* L. Vives.

α SIt Deus omnia in omnibus.] *1. Corinth. 15. Cum ceſſante corruptione & interitu, ſuppeditata vero immortalitate animi perturbationes omnino locum non habebunt, ut nullum deinceps peccatum exerceatur. Ita* erit Deus omnia in omnibus, *cum omnes à peccato liberati fuerint, & ad ipſum converſi ad deteriora inclinationem non admiſerint; quemadmodum Coloſſ. 3.* Omnia in omnibus Chriſtus: *quando veteri homine depoſito in novitate vitæ ambulamus, & omnino religioſam ac Chriſtiano homine dignam vitam inſtituimus, ita* Deus erit *in futura vita* omnia in omnibus, *cum nihil niſi quod à Deo ſit, in nobis reperietur amplius, nulla ſordes ex carne vel mundo contracta.* P. L. Cap.

β Humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, ut quicquid magnum eſſent.]

Ita Apoſtolus 1. Corinth. 1. Non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt deſtrueret. *Magis certa divina virtus elucebat in promulgatione Evangelii & converſione gentium ad fidem, cum ad id opus homines tantum ignobiles, ac literarum rudes electos viderent. D. Ambroſius commentar. in Lucam cap. 6.* Adverte *(inquit)* cœleſte conſilium, non ſapientes aliquos, non divites, non nobiles, ſed piſcatores & publicanos, quos dirigeret elegit, ne prudentia traduxiſſe, ne redemiſſe divitiis, ne potentiæ nobilitatiſque authoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur, ut veritatis ratio, non diſputationis gratia prævaleret. *D. Hieronymus in cap. 4. Matthæi,* Piſcatores *(ait)* & illiterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium non virtute Dei, ſed eloquentia atque doctrina fieri putaretur, *& Auguſtinus infra lib. 22. cap. 5. & in Pſalm. 65. ad ea verba,* Date gloriam laudi ejus.

γ Excepta altitudine ſacramenti.] *In ſcripturam ſacra, vox ſacramentum, ſignificare ſolet rem divinam, hominibus occultã, & ab eorum cognitione longe remotam, ut ſit velut ſacrum ſecretum, quod & Græcis* myſterium *dicitur, Epheſ. 1.* Ut notum faceret ſacramentum voluntatis ejus. *1. Timoth. 3.* Magnum eſt pietatis ſacramentum. *Paſſio igitur Chriſti & mors illius præterquam quod fuit actus virtutis, altius etiam quoddam in ſe reconditum myſterium habebat.*

δ Ac ſic linguis omnibus locuturam.] *Idem ſerm. 186. de tempore;* Eccleſia in uno domo erat, accepit Spiritum ſanctum; in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat, & quod illa eccleſia parva linguis omnium gentium utebatur, quid eſt, quod iſta eccleſia magna à Solis ortu uſque ad occaſum linguis omnium utitur? modo impletur, quod promittebatur. *& ſerm. 187* Linguæ illæ, quibus loquebantur à Spiritu S. impleti, per omnium gentium linguas futuram eccleſiam præſignabant. Sicut enim poſt diluvium impietas ſuperba hominum turrim contra dominum ædificavit excelſam, quando per linguas diverſas dividi meruit genus humanum, ut unaquæque gens propria lingua uteretur, ſic humilis fidelis impietas earum linguarum diverſitate eccleſiæ contulit unitatem, ut quod diſcordia diſputaverat, colligeret charitas, & generis humani tanquam unius corporis membra diſperſa ad unum caput Chriſtum, compaginata redigeret, & in ſancti corporis unitatem dilectione conflaret. *ibid.* Sicut tunc qui Spiritum S. percipiebat etiam unus homo linguis omnibus utebatur, ſic & nunc per omnes gentes omnibus linguis ipſa unitas loquitur, in qua conſtituti Spiritum S. habetis, qui à Chriſti eccleſia loquente omnibus linguis nullo ſchiſmate diſſidetis.

Cap. L.

De prædicatione Evangelii, quæ per paſſiones prædicantium clarior & potentior facta eſt.

Eſaiæ 2. DEinde ſecundum illam prophetiam: α Ex Sion lex prodiet, & verbum Domi-

mini ex Hieruſalem: & ſecundùm ipſius Domini Chriſti prædicta, ubi poſt reſurrectionem ſtupentibus eum diſcipulis ſuis aperuit ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, & dixit eis, quoniam ſic ſcriptum eſt: Et ſic oportebat Chriſtũ pati, & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Et ubi rurſus eis de adventu ejus noviſſimo requirentibus reſpondit, atque ait: Non eſt veſtrum ſcire tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate: ſed accipietis virtutem Spiritus ſancti ſupervenientem in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in toto Judæa, & Samaria, & uſque in fines terræ. Primum ſe ab Hieruſalem diffudit Eccleſia, & cùm in Judæa atque Samaria plurimi crediderint, & in alias gentes itum eſt, eis annunciantibus Evangelium, quos ipſe ſicut luminaria, & aptaverat verbo, & accenderat Spiritu ſancto. Dixerat enim eis: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Qui ut frigidi timore non eſſent, igne charitatis ardebant. Denique per ipſos, non ſolùm qui eum & ante paſſionem & poſt reſurrectionem viderant & audierant: verùm etiam & poſt obitum eorum per poſteros eorum β inter horrendas perſecutiones, & varios cruciatus, ac funera martyrum prædicatum eſt toto orbe Evangelium, conſtante Domino ſignis, & oſtentis, & variis virtutibus, & Spiritus ſancti muneribus: ut populi gentium credentes in eum, qui pro eorum redemptione crucifixus eſt, Chriſtiano amore venerantur ſanguinem martyrum, quem diabolico furore fuderunt: ipſique reges, quorum legibus vaſtabatur Eccleſia, ei nomini ſalubriter ſubderentur, quod de terra crudeliter auferre conati ſunt, & γ falſos deos inciperent perſequi, quorum cauſa cultores Dei veri fuerant antea perſecuti. Luc. 24.

α EX Sion lex prodiet.] *Ita vaticinatus Iſaias cap. 2. Cyprianus lib. 1 contra Judæos,* Primum in Hieruſalem debebat promulgari evangelium, inde diffundi per totum orbem; *Juſtinus Apolog. 2. pro Chriſtianis*, Verbum Domini, ait Propheta, exiiſſe ex Hieruſalem, quod ſic factum eſſe videmus. Ab Hieruſalem enim viri duodecim numero profecti, idiotæ, dicendi imperiti & rudes, ſed nixi ope divina convertere totum orbem: *Auguſtinus ipſe orat. contra Judæos, & Euſebius lib. 1. de demonſtr. Evang. cap. 2. Hinc etiam argumentatur præter legem datam in monte Sinai debuiſſe aliam dari. quæ primo in Hieruſalem ſeu in monte Sion, deinde toti orbi promulgaretur; Et Judæos quidem primum oportebat edoceri legem Evangelicam, ut quibus promiſſus Chriſtus, & credita eloquia Dei, inde verò ad Gentes repellentibus illis verbum Dei, Apoſtolus proficiſci.* E. 2. Cor.

β Inter horrentas perſecutiones & varios cruciatus.] *Ut certe nonniſi divinum illud opus eſſe conſtaret, tot reſiſtentibus inimicis adeo potentibus toto orbe terrarum prædicatum Evangelium, & fidem Chriſti per omnes nationes rugiente Diabolo, frementibus ſuis longè lateque ſparſam. Egregie Gamaliel Act. 5.* Si eſt (*inquit*) ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſolvetur, ſi vero ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere. *Atqui tot tyrannorum cruciatibus, tot hominum conatibus, tot Chriſtianorum ſtragib. non potuit Chriſtiana religio diſſolvi, ex Deo igitur eſt. Oppugnare cæ-*

perunt hoſtes eccleſiam etiam à fundamentis, ubi primum cœpit ædificari Hieroſolymis; at irritos fecit Deus eorum conatus, quod obſervat D. Chryſoſtomus orat. contra Gentiles: Evangelica prædicatio (*ait*) non cum jam ubique tradita ac ſolide ſtabilita eſſet, adverſas bellatorum manus ſubſternit, ſed vixdum in auditorum animis infixa atque inſita, jam inde ab initio coacta eſt depugnare contra univerſum terrarum orbem, contra principatus, contra poteſtates, contra mundi dominos atque rectores tenebrarum hujus ſæculi, contra ſpirituales verſutias. Fidei enim ſcintilla nondum bene accenſa fluvii atque abyſſi undequaque influebant; vos autem nequaquam latet, non perinde eſſe plantam eam revellere, quæ multis jam annis altè radices egerit, ut eam, quam nuper ſeveris; *& orat. 2. contra Judæos;* Si irruiſſet (*inquit*) hæc acerba. poſtcaquam jam radices egerat, & per omnes mundi partes plantatum erat Evangelium, non perinde fuiſſet admirandum non fuiſſe ſubverſam eccleſiam. Cæterum cum in ipſo doctrinæ exordio nuper jacto fidei ſemine teneris etiamnum auditorum mentibus tot procellæ bellorum eruperint, res noſtras non ſolum fuiſſe nulla ex parte diminutas, verum etiam multam acceſſionem adjunctam fuiſſe, hoc nimirum ſuperat omne miraculum. *Proſper. lib. 2. de Vocat. gent. cap. 5.* fremebant gentes, iraſcebantur populi, ſæviebant reges, & poteſtates contradicebant, ſuperſtitiones & totius mundi reluctabantur errores. Sed de reſiſtentibus, furentibus, perſequentibus populum ſuum Chriſtus augebat, & per vincula ac ſupplicia morteſque Sanctorum roborabatur fides, vincebat veritas, perque univerſum mundum dominici agri ſegetis multiplicabatur ubertas. Tanta enim deſuper præbebatur conſtantia fidei, fiducia ſpei; fortitudo tolerantiæ, ut ille ignis dilectionis quem in cordibus fidelium Spiritus ſanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus poſſet extingui, cum & qui cruciabantur, vehementius inardeſcerent, & qui ſæviebant, eandem, quam perſequebantur, flammam concipiebant.

γ Falſos deos inciperent perſequi, quorum cauſa.] *Primis quidem temporibus, quibus Evangelium promulgari cœperat, reges ac principes terreni infenſiſſimi fuere hoſtes Chriſtiani nominis & propter falſos deos, ut nempe avitos errores propugnarent, fidem Chriſti radicitus è terra conati ſunt evellere. Verum poſterioribus temporibus colla ſubmiſere Chriſto, & ut pietatem in Chriſtum ac religionem ex animo colere ſe profiterentur contra idololatriam & vanorum Deorum cultum leges ſæviſſimas tulerunt. Hoc eſt quod Auguſtinus ipſe ſcribit, lib. 50. homil. homil. 35.* In omnibus ſcripturis Chriſtianorum tempora prædicta ſunt. Hoc ideo quia futurum erat, ut reges terræ, qui propter idola perſequebantur Chriſtianos, propter Chriſtum idola delerent, & ſubjugaretur omnis poteſtas jugo Chriſti, ut impleretur quod dictum eſt. Ultus ſum in eos; Corpus Chriſti loquitur; vindicavi me de inimicis meis, occidendo in eis errorem, ſuſcitando finem. *Utrumque tempus, & quo primo reges perſequerentur Chriſtum, & quo deinde ad Chriſtum converſi perſequerentur idola, longe antea prædictum Pſal. 2. ſcribit epiſt. 48. ad Vincentium;* Primis temporibus impleta eſt illa prophetia. Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in

unum adverſus dominum & adverſus Chriſtum ejus. Poſterioribus temporibus illa impleta eſt: Et nunc reges intelligite, & erudimini qui judicatis terram, Servite domino in timore: *& utrumque tempus in rege illo Nabuchodonozor figuratum fuiſſe obſervat.* Temporibus enim Apoſtolorum & martyrum illud implebatur quod figuratum eſt quando rex memoratus pios & juſtos cogebat adorare ſimulacra &recuſantes in flammas mittebat. Nunc autem impletur,quod paulo poſt in eodem rege figuratum eſt, cum converſus ad honorandum verum Deum decrevit in regno ſuo, ut quicumque blaſphemaret Deum Sidrac, Miſac, & Abdenago, pœnis debitis ſubjaceret. Prius ergo tempus illius regis ſignificabat priora tempora Regum infidelium, quos paſſi ſunt Chriſtiani pro impiis; poſterius vero tempus illius regis ſignificavit tempora poſteriorum regum jam fidelium, quos patiuntur impii pro Chriſtianis.

CAP. LI.

Quòd etiam per hæreticorum diſſenſiones fides catholica roboretur.

VIdens α autem diabolus templa dæmonum deſeri, & in nomen liberantis mediatoris currere genus humanum: hæreticos movit, qui ſub vocabulo Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ, β quaſi poſſent indifferenter ſine ulla correptione haberi in civitate Dei, ſicut civitas confuſionis indifferenter habuit Philoſophos inter ſe diverſa & adverſa ſentientes. Qui ergò in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid, pravumque ſapiunt, γ ſi correpti, ut ſanum rectumque ſapiant,reſiſtunt contumaciter: ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt: hæretici fiunt,& foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis: etiam ſic quippè veris illis δ catholicis
membris Chriſti malo ſuo proſunt, dum Deus utitur & malis bene, & diligenti- Rom. 8.
bus eum omnia cooperantur in bonum. Inimici enim omnes Eccleſiæ quolibet errore cæcentur,vel malitia depraventur: ſi accipiunt poteſtatem corporaliter affligendi,exercent ejus patientiam: ſi tantum modò malè ſentiendo adverſantur, exercent ejus ſapientiam: ut autem etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam,aut etiam beneficentiam, ſive ſuaſibili doctrina cum eis agatur,ſive terribili diſciplina. Ac per hoc diabolus princeps impiæ civitatis, adverſus peregrinantem in hoc mundo civitatem Dei vaſa propria commovendo, nihil ei nocere permittitur. Cui procul dubio & rebus proſperis conſolatio: ut non frangatur adverſis: & rebus adverſis exercitatio, ut non corrumpatur proſperis: per divinam providentiam procuratur: atque ita tempe-
ratur utrumque ab alterutro, ut in Pſalmo illam vocem non aliunde agnoſca- Pſal. 93.
mus exortam: Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo con-
ſolationes tuæ jucundaverunt animam meam. Hinc eſt & illud Apoſtoli: Spe Rom. 12.
gaudentes,in tribulatione patientes. Nam & id,quod ait idem doctor: Qui- 2. Tim. 3.
cunque volunt in Chriſto piè vivere, perſecutionem patientur: nullis putandum eſt, deeſſe poſſe temporibus: quia & cùm ab eis, qui foris ſunt, non ſævientibus videtur eſſe tranquillitas.& revera eſt,plurimùmque conſolationis affert maximè infirmis: non tamen deſunt,imò multi ſunt intus,qui corda piè viventium

tium ſuis perditis moribus cruciant: quoniam per eos blaſphematur Chriſtianum & catholicum nomen. Quod quanto charius eſt eis, qui volunt piè vivere in Chriſto, tanto magis dolent, quod per malos intus poſitos fit, ut minus quàm piorum mentes deſiderat, diligatur. Ipſi quoque ε hæretici, cum Chriſtianum cogitantur habere nomen, & ζ ſacramenta Chriſtiana, & ſcripturas, & profeſſionem, magnum dolorem faciunt in cordibus piorum: quia & multi volentes eſſe Chriſtiani, η propter eorum diſſenſionem hæſitare coguntur, & multi maledici etiam θ in his inveniunt materiam blaſphemandi Chriſtianum nomen: quia & ipſi quoquo modo Chriſtiani appellantur. His atque hujuſmodi pravis moribus & erroribus hominum perſecutionem patiuntur, qui volunt in Chriſto piè vivere, etiam nullo infeſtante: neque vexante corpus illorum. Patiuntur quippè hanc perſecutionem non in corporibus, ſed in cordibus. Unde illa vox eſt: Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo. Non enim ait, in corpore meo. Sed rurſus, quoniam cogitantur immu-
2 Tim. 2. tabilia divina promiſſa, & quod ait Apoſtolus: Novit Dominus, qui ſunt ejus: quos enim præſcivit & prædeſtinavit, *b* conformes fieri imaginis filii ſui, ex eis perire nullus poteſt: ideò ſequitur in illo Pſalmo: Conſolationes tuæ jucundaverunt animam meam. Dolor autem ipſe, qui fit in cordibus piorum, quos perſequuntur mores Chriſtianorum malorum ſive falſorum, prodeſt dolentibus, quoniam de charitate deſcendit, qua eos perire nolunt, nec impedire ſalutem aliorum. Denique magnæ conſolationes fiunt etiam de correctionibus eorum, quæ piorum animas tanta jucunditate perfundunt, quantis doloribus de ſua perditione cruciaverant. Sic in hoc ſeculo *c* in his diebus malis, non ſolùm à
Gen. 4. tempore corporalis præſentiæ Chriſti & Apoſtolorum ejus, ſed ab ipſo Abel, quem primum juſtum impius frater occidit, & deinceps uſque ad hujus ſeculi finem, inter perſecutiones mundi & conſolationes Dei peregrinando procurrit Eccleſia.

L. Vives. *a* SI correpti ut ſanum.] *Admonendi ſunt hæretici, ut melius ſapiant: & ab Eccleſia ex doctrina ſana docendi, parum eſſe Chriſtiana, quæ affirment: quod ſi audire nolint Eccleſiam, non minus ipſi contumacia ſua ſibi oberunt, quàm ſceleſtis opinionibus.*

b Conformes fieri imaginis filii ſui.] *Fieri non habetur in aliis exemplaribus, nec eſt apud Paulum, Græcè* ὅτι οὓς προέγνω καὶ προώρισε, συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.

c De numero perſecutionum.] *Hoc in aliis libris non habetur: & planè apparet ex annotatione marginis inductum fuiſſe in contextum.*

F. L. Coq. *a* VIdens autem Diabolus templa dæmonum deſeri.] *Ita epiſt. 3. ad Voluſianum*, Templa & ſimulacra dæmonum ritusque ſacrilegi paulatim atque alternatim ſecundùm prædicta prophetia ſubvertuntur; hæreſes adverſus nomen Chriſti ſub velamento tamen nominis Chriſti ad exercendam doctrinam ſanctæ religionis, ſicut prænuntiatæ ſunt, pullulant; *& D. Cyprianus lib. de unita. eccleſ. cap. 2.* Quid aſtutius quidve ſubtilius quam ut Chriſti adventu detectus ac pro-

ſtratus inimicus videns ille idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitaverit novam fraudem, ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? hæreſes invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unitatem; quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate circumſcribit & decipit novi itineris errore; *Lucifer Calaritanus lib. de regibus apoſtaticis ad Conſtantium;* Videt ab omnibus idolorum culturam deſpectam, quod fana fuerit inventio, nunc eſt cupiens per vos ſuos famulos hæreticos, decipere nos Dei ſervos. *Idem obſervat Theodoretus lib. 1. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 1. & lib. 1. hæretic. fabularum cap. 1. hæreſes ab idololatria non diſtare; quin & authoris & operis ejuſdē eſſe, cujus eſt idololatria ſcribit Tertullianus lib. de præſcript. cap. 40. & lib. contra Praxeam cap. 18. Sicut nationes manibus, ita hæreticos idola verbis fabricare ſcribit D. Hieronymus in cap. 44. Iſaiæ, & D. Auguſtinus quæſt. 29 ſuper Joſue, & lib. de vera religio. cap. 38. hæreſim idololatriæ ſpeciem haberi voluit.*

β Quaſi poſſent indifferenter.] *Idem epiſt. 48. ad Vincentium,* Multi nihil intereſſe credentes in qua quiſque parte Chriſtianus ſit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, verum poſtea errore cognito, putabamus, (ajebant) nihil intereſſe ubi fidem Chriſti teneremus, ſed gratias Deo, qui nos ab hoc errore collegit, *& hoc uni Deo congruere ut in unitate colatur oſtendit. Non in qualibet ſecta quod aſſeruit Turcicum Alcoranum, poteſt homo ſalvari, ſed in ſola Chriſti eccleſia, ſi fidem Chriſti integre ac perfecte teneat.*

γ Si correpti ut ſanum rectumque ſapiant.] *Corripiendi ergo ac monendi ſui erroris*, Hæreticum hominem (*ait Apoſtolus*) poſt primam & ſecundam correptionem devita: *maxime cum pertinacia requiratur, ut quis ſit hæreticus, de qua non ita certo conſtabit, niſi prius ſui erroris ſit monitus, quatenus ſciat id quod approbat, veritati catholicæ eſſe contrarium. Propterea dicit tum fieri hæreticos, i. e. judicio eccleſiæ tales haberi, cum ſua dogmata emendare nolunt, immo ea defenſare perſiſtunt. Alioqui enim ſi quid ex ignorantia, vel imprudenter contra fidem, quis aſſerat, dogma quidem erit perverſum, crimen tamen hæreſis non dicetur committere, nec obnoxius erit pœnis jure canonico vel civili latis juſtiſſime in hæreticos, vide eundem lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 6.*

δ. Catholicis membris Chriſti malo ſuo proſunt.] *Nullum certe malum Deus permittit, quin ex eo aliquod bonum eliciat. Hæreſes igitur emergunt quidem, non tamen ſine utilitate aliqua Eccleſiæ. Ita ſcribit, lib. 7. confeſſio. cap. 19.* Improbatio hæreticorū facit eminere quid eccleſia tua ſentiat, & quid habeat doctrina ſana: *Exercent ſapientiam Eccleſiæ, quemadmodum tyranni illius patientiam. Ita lib. de vera religio. cap. 6.* Eccleſia (*inquit*) omnibus errantibus utitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem cum evigilare voluerint. Utitur enim gentibus ad materiam operationis, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ. *& cap. 8.* Utimur hæreticis, non ut eorum approbemus errores, ſed ut catholicam diſciplinam adverſus eorum, inſidias aſſerentes vigilantiores & cautiores ſimus, etſi eos ad ſalutem revocare non poſſimus; *& l.*

u de

1. de Geneſi contra Manich. cap. 1. Ideo divina providentia multos diverſi erroris hæreticos eſſe permittit, ut cum inſultant nobis & interrogant nos ea, quæ neſcimus, vel ſic excutiamus pigritiam, & divinas ſcripturas noſſe cupiamus; *epiſt. 3. ad Voluſianum*, Hæreſes adverſus nomen Chriſti ſub velamento tamen ominis Chriſti ad exercendam doctrinam ſanctæ religionis Chriſtianæ ſicut prænuntiatæ ſunt, pullulant. *& epiſt. 105.* Hæreticorum inquietudine, ut ſcripturas vigilantius perſcrutemur, unde ne ovili Chriſti noceant, eis poſſit occurri, tanquã de ſomno ignaviæ excitatur noſtra induſtria, ita per multiplicem gratiam ſalvatoris etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus convertit in adjutorium, quoniam dilgentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

ε Hæretici cum Chriſtianum cogitantur habere nomen.] *Ita ſcribit quod Chriſtiani quoquomodo appellantur, quia revera hæretici Chriſtiani non ſunt. In Enchiridio ad Laurentium cap. 5.* Nomine tenus invenitur Chriſtus apud quoslibet hæreticos, qui ſe Chriſtianos dici volunt, reipſa non eſt apud eos. *& lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, & lib. 4. cap. 3. Pſeudo-Chriſtianos vocat, & Antichriſtos, & lib. 1 contra epiſtolam Parmeniam cap. 9. vocat hæreticos Chriſtiano nomine quoquomodo dealbatos. Lucifer Calaritanus lib. de regibus apoſtaticis ad Conſtantium Arrianos non vult eſſe nec dici Chriſtianos ; & lib. de non conveniendo cum hæret.* Quomodo *(inquit)* ſimul eſſe Arriani & Chriſtiani potueramus, *& Conſtantium ipſum alloquens*, Cum non ſis *(inquit)* Chriſtianus, ſed Arrianus. *Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 4. ſectam eos mentiri Chriſtianam dicit*, Quos & nos *(inquit)* recuſamus. *& lib. de præſcript. cap. 7.* Quid hæreticis & Chriſtianis, *& cap. 37.* Si hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non à Chriſto habendo quod de ſua electione ſectati hæreticorum nomina admittunt. *Ita Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ. cap. 8. Lactantius lib. 4. cap. 30.* Illi dæmoniacis fraudibus irretiti divinum nomen & cultum per imprudentiam perdiderunt. Cum enim Phryges aut Novatiani, cur Valentiani, aut Anthropiani ſeu quilibet alii nominantur, Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine amiſſo humana & externa vocabula induerunt. *Idem confirmat D. Hieronymus initio lib. contra Luciferianos , Athanaſius ſerm. 2. contra Arrianos, Chryſoſtomus homil. 33. in acta & alii Patres. Imo lege 6. C. de hæret. & Manich. Impp. Theodoſius & Valentinianus legem tulere, ne liceat hæreticis nomen Chriſtianum uſurpare.*

ζ Et ſacramenta Chriſtiana & ſcripturas.] *Tertullianus lib. de præſcript. cap. 15. Etſi hæretici agant de ſcripturis, de ſcripturis ſuadeant, cum non poſſint aliunde loqui de rebus fidei, niſi ex literis fidei, non competere tamen eis poſſeſſionem ſcripturarum, & cap. 37.* Hæretici cum non ſint Chriſtiani nullum jus cupiunt Chriſtianarum literarum. *D. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 19. dicit hæreticos tenere ſacramenta & ſcripturas ad ſpecies, non ad ſalutem.*

η Propter eorum diſſenſiones hæſitare coguntur.] *Sectarum varietatem olim objectam fuiſſe Chriſtianis a Gentilibus teſtantur Clemens Alexandrinus lib. 7. ςρωμ. Origenes lib. 3. contra Celſum, quibus ibidem egregie reſpondent.*

θ In his inveniunt materiam blaſphemandi Chriſtianum nomen.] *Ita impu-*

riſſimi

viſſimi Gnoſtici, de quibus Epiphanius hæreſ. 26. cum non ſe Gnoſticos modo, verum etiam Chriſtianos nominarent, nefandiſſimus ſuis flagitiis diabolo id agente Chriſtianam profeſſionem infamabant, & exoſam gentibus reddebant, quaſi omnes, qui Chriſtianum nomen profitebantur, illis eſſent ſimiles. Ita Epiphanius hæreſ.27. Sunt à Sathana *(inquit)* ſubornati ac producti in opprobrium ac ſcandalum eccleſiæ Dei; Indiderunt ſibi cognomen Chriſtianorum ad hoc ut gentes per ipſos offendantur, & ſanctæ eccleſiæ Dei utilitatem, & veram prædicationem propter illorum nefaria facta ac incomparabilem improbitatem averſarentur, & ipſorum aſſidue nefaria opera conſiderantes putent etiam ſanctas Dei eccleſias tales eſſe, & avertant aures à Dei & veritatis doctrina. *Eadem vide apud Irenæum lib. 1. cap. 24. Euſebium lib. 4. cap. 7. Juſtinum Martyrem Dialogo cum Tryphone. Beda exponens illud Pet. 2.* Per quos via veritatis blaſphematur, *ſic ait,* via veritatis blaſphematur per hæreticos non ſolum in eis, quos ſuæ hæreſi ſeductos aſſociant, ſed in eis quoque, qui per impuriſſima facta ſua & ſacrificia, vel myſteria exſecranda quæ faciunt in odium Chriſtiani nominis concitant exiſtimantibus imperitis omnes Chriſtianos hujuſmodi flagitiis eſſe mancipatos, qualibus dicit ſcriptura, per vos nomen meum blaſphematur in gentibus.

CAP. LII.

An credendum ſit, quòd quidam putant, impletis decem perſecutionibus, quæ fuerunt, nullam ſupereſſe, præter undecimam, quæ in ipſo Antichriſti tempore ſit futura.

PRoinde ne illud quidem temerè puto eſſe dicendum ſive credendum, quod nonnullis viſum eſt, vel videtur, non amplius Eccleſiam paſſuram perſecutiones uſque ad tempus Antichriſti, quàm quot jam paſſa eſt, id eſt, decem: ut undecima eademque noviſſima ſit ab Antichriſto. *a* α Primam quippè computant à Nerone, quæ facta eſt, *b* β ſecundam à Domitiano, γ tertiam à Trajano, *c* δ quartam ab Antonino, *d* ε quintam à Severo, *e* ζ ſextam à Maximino, *f* η ſeptimam à Decio, *g* θ octavam à Valeriano, *h* ι nonam ab Aureliano, *i* κ decimam à Diocletiano & Maximiano. *k* λ Plagas enim Ægyptiorum, quoniam decem fuerunt, antequam inde exire inciperet populus Dei, putant, ad hunc intellectum eſſe referendas, ut noviſſima Antichriſti perſecutio ſimilis videatur undecimæ plagæ, qua Ægyptii, dum hoſtiliter perſequerentur Hebræos, in mari rubro populo Dei per ſiccum tranſeunte, perierunt. *Exod. 14.* Sed ego illa re geſta in Ægypto, iſtas perſecutiones prophetice ſignificatas eſſe, non arbitror: quamvis ab eis, qui hoc putant, exquiſitè & ingenioſè illa ſingula his ſingulis comparata videantur: non prophetico ſpiritu, ſed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur. Quid enim, qui hoc ſentiunt, dicturi ſunt de perſecutione, qua ipſe Dominus crucifixus eſt? In quo eam ſunt numero poſituri? Si autem hac excepta exiſtimant computandum, tanquam illæ numerandæ ſint, quæ ad corpus pertinent, non qua ipſum caput eſt appetitum & occiſum: quid agent de illa, quæ poſteaquàm Chriſtus aſcendit in cœlum, Hieroſo-

roſolymis facta eſt, μ ubi beatus Stephanus lapidatus eſt, ν ubi Jacobus frater Joannis gladio trucidatus eſt, ubi Apoſtolus Petrus, ut occideretur, incluſus eſt, & per Angelum liberatus: ξ ubi fugati atque diſperſi de Hieroſolymis fratres: ο ubi Saulus, qui poſtea Paulus Apoſtolus factus eſt, vaſtabat Eccleſiam: ubi ipſe quoque jam fidem, quam perſequebatur evangelizans, qualia faciebat, eſt paſſus, ſive per Judæam, ſive per alias gentes quacunque Chriſtum ferventiſſimè prædicabat? Cur ergo eis à Nerone videtur ordiendum, quum ad Neronis tempora inter atrociſſimas perſecutiones, de quibus nimis longum eſt cuncta dicere, Eccleſia creſcendo pervenerit? Quod ſi à regibus factas perſecutiones in numero exiſtimant eſſe debere, *l* π rex fuit Herodes, qui etiam poſt aſcenſum Domini graviſſimam fecit. *m* Deinde ϱ quid reſpondent etiam de Juliano, quem non numerant in decem? σ An ipſe non eſt Eccleſiam perſecutus, *n* τ qui Chriſtianos liberales literas docere ac diſcere vetuit: *o* υ Sub quo Valentinianus major, qui poſt eum tertius Imperator fuit, fidei Chriſtianæ confeſſor extitit, militiaque privatus eſt. *p* Ut omittam, quæ apud Antiochiam facere cœperat, niſi unius fideliſſimi & conſtantiſſimi juvenis, qui cum multis, ut torquerentur, apprehenſis, per totum diem primus eſt tortus, inter ungulas cruciatusque pſalentis libertatem atque hilaritatem miratus exhorruiſſet, & in cæteris deformius erubeſcere timuiſſet. *q* φ Poſtremò noſtra memoria Valens ſupradicti Valentiniani frater Arrianus, nónne magna perſecutione per Orientis partes catholicam vaſtavit Eccleſiam? Quale eſt autem non conſiderare Eccleſiam per totum mundum fructificantem atque creſcentem, poſſe in aliquibus gentibus perſecutionem pati à regibus, & quando in aliis non patitur? Niſi fortè non eſt perſecutio computanda: *r* χ quando rex Gothorum in ipſa Gothia perſecutus eſt Chriſtianos crudelitate mirabili, cùm ibi non eſſent niſi catholici, quorum plurimi martyrio coronati ſunt: ſicut à quibuſdam fratribus, qui tunc illic pueri fuerant, & ſe iſta vidiſſe incunctanter recordabantur, audivimus? *ſ* ψ Quid modò in Perſide? Nónne ita in Chriſtianos ferbuit perſecutio, ſi tamen jam quievit, ut fugientes inde nonnulli uſque ad Romana oppida pervenerint? Hæc atque hujuſmodi mihi cogitanti, non videtur eſſe definiendus numerus perſecutionum, quibus exerceri oportet Eccleſiam. Sed rurſus affirmare aliquas futuras a regibus, præter illam noviſſimam, de qua nullus ambigit Chriſtianus, non minoris eſt temeritatis. Itaque hoc in medio relinquimus, neutram partem quæſtionis hujus aſtruentes, ſive deſtruentes, ſed tantummodo ab affirmandi quodlibet horum audaci præſumptione revocantes.

L. Vives. Trãquilli & Taciti de Chriſtianis verba.

a PRimam quippè computant à Nerone, quæ facta eſt.] *De his perſecutionibus Eccleſiæ Euſeb. in Eccl. hiſt. Hujus ſub Nerone meminerunt Suet. Tranquillus & Tacitus. Ille ſic inquit in Nerone: Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ. Tacitus ſic lib. 15. Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos vulgus Chriſtianos appellabat. Autor nominis ejus Chriſtus Tyberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat, repreſſaq́ in præſens exitiabilis ſuperſtitio rur-*

ſus

ſus erumpebat, non modò per Judeam originem ejus mali, ſed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebrantúrque. Igitur primo correpti, qui fatebantur: deinde judicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii, quàm odio humani generis convicti ſunt: & pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, aut ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat. Et Circenſe ludicrum edebat habitu auriga permiſtus plebi, vel circulo inſiſtens. Unde, quanquam adverſus ſontes, & noviſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, ſed in ſævitiam unius abſumerentur. Hæc Tacitus. O Veſanos Tacite & Tranquille: an verò vobis parricida Jupiter, & flagitiis omnibus impuratus Deus videtur, non videtur ſanctiſſimus Chriſtus? & ad innocentiam conſpirare maleficium vocatis dignosq; odio ducitis, & quibus noceatur, qui in leges jurarunt, quarum caput eſt nemini nocere, bene & velle & facere univerſis. Si noſtras leges non legiſtis, cur damnatis inauditos? ſin legiſtis, cur improbatis virtutes, quas ſcriptis veſtris in cœlum admirabundi vehitis?

b Secundam à Domitiano.] *Perſecutio cœpta à Nerone ceſſavit Veſpaſiano principe, qui Chriſtianos quietos permiſit agere. Patris exemplum ſecutus eſt Titus. At Domitianus ille Calvus Nero, ut per omnia eſſet Neronis ſimilis, ne hoc quidem ejus voluit prætermittere. Ita Joannem in Pathmos inſulam ex Sporadibus relegavit. Hæc Domitiani, & tertia Trajani eadem ſunt: nam cœpta ſub Domitiano uſque ad Trajanum pervenerat, qui Nervæ ſucceſſit, quum hic Domitiano, fuiſſetq; in imperio plus paulò quàm annum. Extat Plinii Junioris Aſiam regentis ad Trajanum epiſtola, qua illum conſulit, quid cenſeat Chriſtianis faciendum, in queis nullum videret crimen tantis ſuppliciis dignum: operæ pretium verba ipſius Plinii audire. Affirmabant, hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtatuto die ante lucem convenire, carmenq; Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem: ſeq; ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent. Quibus peractis morem ſibi diſcendi fuiſſe, rurſus coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium. Quod ipſum facere deſiiſſe poſt edictum meum: quo ſecundùm mandata tua hetarias eſſe vetueram. Tum commemorat, quam latè ſerpat ſenſim, pervageturq; ad victimarios nomen, & quàm incipiat deſeri ac frigere templa parumq; ad victimarios redire lucri. Huic Trajanus ſic reſpondet: Trajanus Plinio S. Actum, quem debuiſti mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum, qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſecutus es: neque enim in univerſum aliquid, quod quaſi certam formam habeat, conſtitui poteſt: conquirendi non ſunt: ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt ita tamen, ut qui negaverit, ſe Chriſtianum eſſe, idq; reipſa manifeſtum fecerit, i. e. ſupplicando diis noſtris, quamvis ſuſpectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetrat. Sine autore verò propoſiti libelli nullo crimine habere debent: nam, & peſſimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt. Vale. *(Utinam moderationem hanc ſequeremur hodie Chriſtiani.)* Hac perſecutione martyr effectus eſt Simeon Cleophæ filius ſecundus Hieroſolymitanus Epiſcopus.*

c Quartam ab Antonino.] *Hadrianus enim ex animo Chriſtianis favit, ſed occultè. Quin & molitum ferunt, ut Chriſtus pro Deo reciperetur, templaq; in eum uſum erexiſſe: deterritum tamen conſilio quorundam, qui affirmabant fore ut cultus omnis deorum periret, ſi id fieret, quod de Chriſto cogitabat. Tum & Antoninus Pius Epiſtola & decreto ſuo Chriſtianos ſublevavit. Itaque Antoninus hic, qui Eccleſiam vexari ſivit, fuit Philoſophus is, qui cum Antonino Vero imperavit. De hoc tempore ſic Euſeb. in temporibus: Perſecutione orta in Aſia Polycarpus & Pionius fecere martyrium: quorum ſcriptæ quoque paſſiones feruntur. Plurimum Galliæ glorioſè ob Chriſti nomen interfecti: quorum uſque in præſentem diem condita libris certamina perſeverant. Admotus eſt per idem tempus extremo ſupplicio Juſtinus Philoſophus, ut idem Euſebius lib. 4. Eccleſ. hiſt. narrat.*

d Quintam à Severo.] *Septimus Severus Aphrica oriundus, ad imperium ſola felicitate pervenit, homo aſper & ſævus: Chriſtianos fieri ſub gravi pœna vetuit, ut Ælius Spartianus ſcribit. Afflixit Chriſtianos per Ægyptum totam, & præcipuè in Thebaide: ut inquit Euſeb. lib. 5. Eccleſ. hiſt. Occiſus eſt hac tempeſtate Alexander Hieroſolymitanus Epiſcopus.*

e Sextam à Maximino.] *Maximinus Thrax patre Gotho & matre Alana, barbarus fuit natione, barbarus & corpore, moribus & animo. Ex gregario milite ob corporis robur nactus honores caſtrenſes. Dehinc favore militari occiſo Alexandro Mammeæ filio ad imperium evectus eſt, homo ſuperbia & crudelitate maxima: De hoc Euſeb. Maximinus adverſus eccleſiarum ſacerdotes perſecutionem facit, veluti ipſi cauſæ eſſent Chriſtianæ religionis.*

f Septimam à Decio.] *Decius à Bubalia inferioris Pannoniæ, bello civili, quod cum Philippo Imperatore geſſit, eo victo princeps factus, odium in Chriſtianos auxit, quod eis favere videbatur Philippus. Ideò illos exquiſitis ſuppliciis affecit: in qua perſecutione divus Laurentius igni excoctus eſt, ut ait Eutropius: & tamen uno tantum imperavit anno, quid facturus ſit diutius? Martyr etiam tunc fuit Fabian. Pont. Rom.*

g Octavam à Valeriano.] *Tribus annis poſt Decium principatum obtinuit Valerianus infeliciſſimus Imperator, quem Sapor rex Perſarum in Meſopotia cepit, & eo uſus eſt velut ſcamno ad conſcendendum equum. Cæſar cum Valeriano fuit Gallienus, ſub quibus ut fuerunt inertes & ſegnes, mirum non eſt, concidiſſe Rom. imperium. In hac perſecutione martyrio ornatus eſt divus Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus.*

h Nonam ab Aureliano.] *Gallieno Claudius, huic Quintilius, Quintilio Aurelianus ſucceſſit Dacus, magna in bellis felicitate, ſed immani animo, & cruoris humani ſitientiſſimo, neceſſarius imperio, cætera inamabilis, ne ſuis quidem charus, à quibus occiſus eſt, iter faciens inter Byzantium & Heracleam.*

i Decimam à Diocletiano & Maximiano.] *Diocletianus Dalmata Salonis natus, bellis principum ad imperium aſcendit. Maximianum Herculeum Auguſtum fecit, ut bella commodius adminiſtrarentur, quæ undique erumpebant varia & gravia. Aſtutus vir Diocletianus, & quum natura eſſet in ſævitiem propenſa, animum ſuum expel-*

explebat, rejecta in alium invidia. Maximianus barbarus, & ingenio incivili aſperitatem animi etiam vultu oſtendebat, miniſter ſævitiæ Diocle. Diocletianus eò impudentiæ venit, ut adorari ſe, ut Deum juſſerit, pedemq́ſuum oſculari, quum antea manum mos eſſet: Eccleſiam perſecutus eſt, & 19. anno imperii ſui in diebus Paſchæ templa omnia ſubverti juſſit, & Chriſtianos occidi. Perſecutio Decii fuit maxima, ſed hæc ſæviſſima.

k Plagas enim Ægyptiorum, quoniam decem fuerunt.] *Sic Oroſius putat libro ſeptimo.*

l Rex fuit Herodes.] *Non hic eſt, ſub quo natus eſt Dominus, ſed ejus filius, ſub quo mortem obiit.*

m Quid reſpondent etiam de Juliano.] *Hunc vulgò apoſtatam vocant, quaſi deſertorem: nam prima ætate, quum Chriſti ſacris eſſet imbutus, mox princeps ad idola ſe vertit, & Chriſtianos aſtutiſſimè inſectatus eſt, nam à cruore abſtinuit, & non Chriſtianorum corpora occidere, ſed ex eorum animis Chriſtum revellere miris artibus technisq́ attentabat, quod eſt genus perſequendi omnium efficaciſſimum & perniciosiſſimum. Ita effectum eſt, ut plures hac calamitate abſceſſerint ab Eccleſia, quàm ulla alia ſuperiore.*

n Qui Chriſtianos liberales literas docere.] *Libellus eſt Senecæ de ſtudiis liberalibus, in quo ſic eſſe illa dicta ait, quòd hominem liberum faciant, hoc eſt, fortem & magnanimum, quod proprium eſt ſapientiæ, quæ tamen inter liberalia ſtudia numerari non ſolet: itaque ſtudia liberalia virtutem dare non poſſunt: ſed animum ad eam accipiendam præparare. Poſidonius quatuor artium genera ponebat: ſunt vulgares & ſordidæ, ſunt ludicræ, ſunt pueriles, ſunt liberales: genera omnium rationes ac ſpecies enumerat doctè Politianus in Panemiſtemonte. Seneca grammaticam & mathematicas artes inter liberales ponit Cic. & Veteres dicendi artem, in qua ſunt dialectica & rhetorica, inter præcipuas ſtatuerunt. Vera eſt ars ſcientia bonorum & malorum, cui quæ artes ſerviunt, liberales dicuntur: idcirco nec pictura liberalis eſt ars, non magis quàm ſtatuaria vel marmoraria, ac cæteræ luxuriæ adminiſtræ: æquè luctatrix & tota oleo lutoq́ conſtans ſcientia, ab hac ſede liberalitatis expellitur. Salluſtius agriculturam & venationem, quam nunc non modò inter liberas, ſed inter nobiles & patrias prima in ſede nobiles noſtri locant, ſerviles vocat. Sed de his hactenus. Porrò Proæreſius Cæſarienſis ſophiſta, quum maxima gloria veniſſet Athenas, exceptus ingenti multitudinis plauſu, frequentiſſimo theatro orationem habuit extemporalem: cui Julianus conceſſit, ut ipſe ſolus Chriſtianos docere poſſet: ſed eruditus homo indignatus tam atrox & iniquum principis edictum, ſcholam rejecit, non ſine ſtudioſorum permagno dolore.* Liberales artes.

o Sub quo Valentinianus major.] *Juliano Jovianus, huic Valentinianus ſucceſſit, Pannonius ex Tribuno Scutariorum Auguſtus à militibus ſalutatus: qui quum ſub Juliano, inquit Eutropius, Chriſtianitatis integram fidem gereret, juſſus ab Imperatore ſacrilego, aut immolare idolis, aut militia excedere, ſponte diſceſſit: nec more Juliano interfectò Jovinianoq́ mortuo Valentinianus, qui pro nomine Chriſti amiſerat tribunatum in locum perſecutoris ſui accepit imperium. Eutropius hæc Major*

Valentinianus dicitur, quòd alter fuit minor ejus filius, qui cum Gratiano fratre imperavit, poſteà cum Theodoſio magno.

p Ut omittam quæ apud Antiochiam.] *Quum juſſi à Juliano Chriſtiani ſepulchrum Babylæ martyris aliò transferre, pſalmum audiente principe canerent, cujus eſt initium, In exitu Iſrael de Ægypto, accenſus Julianus duci eos frequentes poſtridie ac torqueri juſſit. Salluſtius erat præfectus, cui negotium mandaverat: primumq; Theodorum quendam juvenem arripuit: cui variis tormentorum generibus admotis, juvenis fronte alacri atque hilari ab initio lucis ad horam undecimam perſtitit, hymnum pſalmumq; ſuaviſſimè cantillans, quem pridie cecinerat Eccleſia: quod ubi Saluſtius vidit, reddi cuſtodiæ imperavit, & ipſe ad principem admirabundus pervenit, dehortans ne torquere Chriſtianos pergeret, illis gloriæ, ipſi principi ignominiæ ac dedecoris plenum futurum: & ordine re audita Julianus ab incœpto deſtitit. Eum Theodorum Euſebius teſtificatur ſe Antiochiæ conveniſſe, quæſiſſeq; an in eculeo doleret? minimè verò inquit ille: nam ponè me aſſiſtebat juvenis in alba veſte, qui ſubinde frigidam mihi ſuffundebat, & ſudorem ſudario candidiſſimo detergebat, ita ut grave potius fuerit, quum illinc detraheret. Macte eſto tam admiranda virtute juvenis, memoria ſeculorum omnium digniſſime, nobisq; propitius & benignus effice, ut æmulari te & juvenes & ſenes exoptemus.*

q Noſtra memoria Valens.] *Auguſtino juvene Valens Arianæ hæreſis fautor, lege lata, ut monachi militarent, nolentes per tribunos & milites fuſtibus juſſit interfici, quorum tum erat ingens numerus in ſolitudinibus Ægyptii: Euſebius, Eutropius & Oroſius.*

r Quando rex Gothorum in ipſa Gothia.] *Hæc poſt Valentis necem ardente illic Arriana factione.*

ſ Quo modo in Perſide.] *Auguſtini temporibus ſævitum eſt in Chriſtianos atrociter à rege Perſarum Gororane: cujus initium dedit Abdas Epiſcopus ſanctiſſimus, dirutis ignis, maximi apud Perſas dei templis: ut Caſſiodorus lib. 10. hiſt. tripart. narrat. Fuit & antè non parva Sapore rege Perſarum. Conſtantino verò principe Romano.*

F.L.Co. *a* PRimam quippe computant à Nerone.] *Hic primus Imperatorum perſecutionem movit in Chriſtianos anno imperii ſui 4. Chriſti 60. idque incendio urbis falſo Chriſtianis adſcripto. Tertullianus in ſcorpiaco cap. 15.* Vitas Cæſarum legimus, orientem fidem primus Nero Romæ cruentavit, *& in Apologet. cap. 5.* conſulite commentarios veſtros, illic primum reperietis Neronem in hanc ſectam tum maxime Romæ orientem Cæſariano gladio ferociiſſe, ſed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur. Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum. *Meminit illius perſecutionis & Suetonius in vita Neronis:* Afflicti, *inquit,* ſuppliciis Chriſtiani genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ: *& Tacitus lib. 14. annal. Meminit & Euſebius lib. 2. eccleſiaſt. hiſtor. cap. 24. Nicephor. lib. 2 cap. 37. qui repetivit verba Tertulliani ex Apologet. Oroſius lib. 7. cap. 7. & Martyrologium Rom. 8. calendas Julii. Chriſtiani, qui paſſi ſunt ſub Nerone de incendio urbis per calumniam accuſati, dicuntur*

cuntur primitiæ martyrum, quas Romana eccleſia fertilis ager martyrum ante Apoſtolorum necem tranſmiſit ad Dominum.

β Secundam à Domitiano.] *Anno Chriſti 95. De ea perſecutione ita Euſebius. lib. 3. hiſtor. cap. 23.* Domitianus tandem in ſceleratam Neroniani in Deum odii & impietatis hæreditatem ſucceſſit. Secundus namque erat, qui contra nos Chriſtianos, licet pater ejus Veſpaſianus nihil injuriæ aut mali in nos animo aliquando excogitaſſet, perſecutionis incendium excitavit. *Nicephorus lib. 3. c. 9.* Is poſt Neronem ſecundus Deo bellum movit, perſecutionemque gravem adverſus fideles Chriſti, cum Veſpaſianus pater nihil acerbius in nos ſtatuiſſet, excitavit. *Oroſius lib. 7. cap. 10. Tertullianus in Apologetico cap. 5.* Tentaverat & Domitianus portio Neronis de crudelitate, ſed quia & homo facile cæptum repreſſit, reſtitutis etiam, quos relegaverat. *Sed plane errore lapſus cognoſcitur Tertullianus, dum vult eum quaſi facti pœnitentem exules revocaſſe, cum non ab eo, ſed ab ejus ſucceſſore Nerva factum id omnes affirment. Dio in Nerva id ſcribit expreſſe,* Καὶ ὁ Νερούας τοὺς τε κρινομένους ἐπ' ἀσεβείᾳ ἀφῆκε, καὶ τοὺς φεύγοντας κατήγαγε. *Tantum abeſt ut in Chriſtianos excitatam perſecutionem Domitianus repreſſerit, ut potius ultimo ſui imperii anno in propinquos ſibi chariſſimos, utpote Clementem conſulem patruelem, inque ejus uxorem & neptem Flavias Domitillas perſecutionis furorem converterit, illum occidendo, has in inſulas relegando.*

γ Tertiam à Trajano.] *Tertiam in Chriſtianos perſecutionem moverat, ſed poſt acceptas Plinii litteras Chriſtianos inquiri vetuit. Tertulianus in Apologet. cap. 5.* Leges adverſus nos Trajanus ex parte fruſtratus eſt vetando inquiri Chriſtianos. *& cap. 2. meminit earum literarum, & decreti Trajani; & poſt eum Euſebius lib. 3. cap. 28. & Nicephor. lib. 3. cap. 17. epiſtola exſtat apud Plinium lib. 10. epiſt. 98. non propterea tamen ceſſavit perſecutio, etſi aliquantulum repreſſa ſit, ut conſtat ex Euſebio.* Is, *ut teſtatur in ſancto Ignatio Metaphraſtes,* Edictum propoſuit, ut Chriſtiani ubique conquirerentur, & per tormenta ſi aliter non poſſet, uſque ad mortem ritu majorum ſacrificare adigerentur.

δ Quartam ab Antonino.] *ponitur etiam quarta ab Oroſio lib. 7. cap. 15. à Severo lib. 2. quinta nominatur, ubi quartam dicit fuiſſe ſub Adriano, & merito quidem, quia certum eſt Adrianum ſæviiſſe in Chriſtianos, & quidem crudeliſſime, quod ſatis nos docent graviſſimæ illæ tunc à ſanctis Patribus ſcriptæ Apologiæ, quibus perſecutionis gladium à cervicibus Chriſtianorum avertere conati ſunt, ut Quadratus & Ariſtides Philoſophus, quorum D Hieron. l. de ſcriptor. Eccleſ. ſumma cum laude meminit. Imo in odium Chriſtiani nominis ſacroſancta Hieroſolymorum loca abominationibus idolorum prophanavit atque fœdavit. Severus lib. 2. Paulinus ad Severum epiſt. 11. Hieronymus epiſt. 13. verum quia nullum edictum adverſus Chriſtianos promulgatum eſt, ut teſtatur ipſe Tertullianus in Apologet. cap. 5. & quia in melius tandem mutatus eſt, ut Chriſto templum erigere, eumq; inter Deos recipere, templa denique in omnibus civitatibus abſque ſimulacris erigere in animo conciperet, ut author eſt Lampridius in Alexandro, ea de cauſſa forte non numeratur inter perſecutores ab Auguſtino; quin & honore proſecutum Chriſtianos ſcribit Xyphilinus in Antonino Pio. Eis ſaviſſe*

viſſe author Euſebius lib. 4. hiſtor. cap. 8. & 9. Perſecutionem vero quam dicit ab Antonino excitatam, non quidem id ab Antonino Pio factum eſſe intelligendum eſt, ſub quo pacem in Eccleſia fuiſſe ſcribit Tertullianus in Apolog. Severus lib. 2. Oroſius lib. 7. cap. 14. Xiphilinus ex Dione virum probum ac bonum fuiſſe, nec cæteris ſubditis gravem, nec Chriſtianis infenſum, quos etiam vehementer obſervavit & coluit, ſcribit. Ad hunc apologiam pro Chriſtianis ſcripſit Juſtinus Martyr, & conſtat Antoninum pro Chriſtianis edictum ampliſſimum propoſuiſſe, ut ſcribit Euſebius in Chronico, & lib. 4. hiſt. cap. 12. quod etiam apud Juſtinum exſtat in appendice Apologiæ. Non quidem à cæde Chriſtianorum temperatum ſub imperio Antonini Pii, cum in martyrolog. Romano ſub eo notetur. 5. Januarii martyrium Teleſphori Papæ: verum id non Imperatoris mandato, ſed ex ſententia Præſidum & furore Gentilium conclamantibus illis contra fideles factum fuiſſe conſtat, quo fit ut ſub æquiſſimis Principibus, qui tamen in Chriſtianos non ſævierint, multi reperiantur martyrium paſſi ſævientibus nimirum vel præfectis provinciarum, vel etiam populis in eos. Verum à M. Aurelio Antonino Vero, qui cognominatus eſt Philoſophus, & qui ab Antonino Pio adoptatus in imperium illi ſucceſſit, perſecutionem gravem in Chriſtianos excitatam eſſe ſcribit Euſebius lib. 5. cap. 1. non quidem ullo edicto publico contra Chriſtianos propoſito, ut affirmat Tertullianus in Apologet. cap. 5. ſed ex veteri jure Romanorum, quo peregrina religio vetabatur, & impia M. Antonini pietate in deos, quorum cultus erat addictiſſimus. Unde factum eſt, ut paſſim per provincias Chriſtiani ad necem accerſerentur, & diriſſima ſubirent tormenta. Nicephorus lib. 3. cap. 32. 33. & 34. & Euſebius loco citato, Ad decimum ſeptimum (*inquit*) annum imperii Antonini Veri gravis & acerba in nonnullis terræ partibus perſecutionis procella ex temerario populi impetu per ſingulas urbes excitata contra nos ingraveſcere cœpit, in qua (ſicut ex illis martyriis, quæ in una forte natione confecta erant, conjectura plane licet augurari) infiniti prope martyres in reliquis etiam orbis terrarum regionibus generoſa cæde pro Chriſto tolerata nobilitati ſunt. *Baronius tom. 2. annal. ad annum Chriſti 164. exactis plurimorum martyrum docet M. Aurelium Antoninum pluries privata ſaltem mandata dediſſe ad præfectos Provinciarum contra ipſos Chriſtianos; conſultus à Præſide Galliarum, quid de Attalo & aliis Chriſtianis ageret, quos in carcere haberet, reſpondit, ut qui Chriſtum confiterentur, duriſſime torquerentur; qui vero negarent, liberrime dimitterentur. Apud Metaphraſtem & Surium in actis Sanctorum Martyrum Victoris atque Coronæ datum ab eo edictum dicitur, quo jubebantur omnes diis ſacrificare, qui recuſarent, ſupplicio afficerentur: ſub eo martyrium meruit Juſtinus, qui pro Chriſtianis duas apologias ediderat, non autem ſub Hadriano, ut apud Epiphanium legitur fortaſſe errore librariorum. Non potuit enim ignorare Epiphanius ab eodem Juſtino ſcriptam fuiſſe Apologiam ad Antoninum Pium, qui poſt Hadrianum imperavit. Hujus perſecutionis meminit martyrolog. Roman. 13. Aprilis.*

e Quintam à Severo.] *Severus ſextam nominat. lib. 2. Oroſius lib. 7. cap. 17. cum Auguſtino quintam;* Severus (*inquit*) quinta poſt Neronem perſecutione Chriſtianos excruciavit, plurimique ſanctorum per diverſas provincias cruciati ſunt.

Anno

Anno Chriſti 204. imperii ſui 10. de perſecutione Chriſtianorum promulgavit edictum, cujus etiam meminit Spartianus, quo Chriſtianos fieri ſub gravi pœna vetuerit. Euſebius in Chronico, & lib. 6. hiſtor. eccleſ. cap. 1. & 2. Hieronymus lib. de ſcriptor. eccleſiaſt. in Origene, Et generali quidem edicto generalis perſecutio contra Chriſtianos indicta à Severo, ac præterea ſpeciale reſcriptum Romam miſit, ut præfectus urbis cognoſceret de illicitis collegiis nempe de Chriſtianis conventibus, ne cogi eos ſineret.

ζ Sextam à Maximino.] *Hic ſucceſſit Alexandro Severo, anno Chriſti 237 hujus perſecutionis meminit Euſebius lib. 6. cap. 21.* Alexandro *(inquit)* Romanorum imperatori cum 13. annis gubernaculis reipublicæ præfuiſſet, Maximinus Cæſar ſucceſſit. Is propter gravem invidiam, qua contra Alexandri familiam, in qua complures fideles & Chriſtiani verſabantur, flagrabat, acerbam perſecutionis tempeſtatem concitavit juſſitque, ſolos Eccleſiarum Præſides tanquam authores doctrinæ Evangelicæ neci dari. *De ea perſecutione ita Gregorius Nazianzenus in laudem Baſilii;* Perſecutio erat & quidem atrociſſima & formidoloſiſſima, iis loquor, quibus ea perſecutio nota eſt, quam Maximinus excitavit, qui complures haud ita pridem obortas excipiens crudelitate ſua perfecit, ut omnes, quæ præceſſerant, leves & humanitatis plenæ fuiſſe viderentur, incredibili quadam audacia furens modiſque omnibus impietatis palmam ferre contendens.

η Septimam à Decio.] *Ejus perſecutionis meminit Euſebius lib. 6. cap. 22. & Oroſius lib. 7. cap. 21. his verbis:* Decius ad perſequendos interficiendoſque Chriſtianos ſeptimus poſt Neronem feralia ſparſit edicta, plurimoſque ſanctorum ad coronas Chriſti de ſuis cruciatibus miſit. *& Severus.* Decio imperante jam tunc ſeptima perſecutione ſævitum in Chriſtianos: *Fuit hac crudelitate inſignis. Hieronymus de ſcriptor. eccleſiaſt. in Alexandro ponit etiam ſeptimam in ordine, ſeveriſſimo enim edicto promulgato ubiq; locorum imperii Romani ſæviri voluit in Chriſtianos. De illius acerbitate Hieronymus in vita Pauli primi heremitæ. & in Origene, & Gregorius Nyſſenus in vita Gregorii θαυματέργȣ, Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Cypriani.* Crudeliſſimus ille tyrannus tandem ſuæ impietatis pœnas dedit cum prælians adverſus barbaros in paludem incidens cœno abſorptus ultra viſus non fuit, ut nec ejus cadaver reperiri potuerit. *Teſtis Aurelius Victor.*

θ Octavam à Valeriano.] *Oroſius lib. 7. cap. 22.* Valerianus mox ut arripuit imperium octavus à Nerone adigi per tormenta Chriſtianos ad idololatriam abnegãteſque interfici juſſit fuſo per omnẽ regni Romanorũ latitudinẽ ſanctorũ ſanguine. *Reſcripti illius ad Senatum de perſequendis Chriſtianis meminit D. Cyprianus qui & ſub hac perſecutione coronatus eſt martyrio, epiſt. 82. ad Succeſſum. Euſebius lib. 7. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 10. Nicephorus lib. 6. cap. 10. Excitavit eam 4. anno imperii ſui. Primum quidem eum fuiſſe propenſum & humanum in Chriſtianos, ut domus ejus divini numinis cultoribus plena eſſet, referunt hiſtoriæ; poſtea verò per magnum quendam Ægyptium ſeductum, & ei perſuaſum, ut eos domo exigeret & quàm longiſſime repelleret, ac ferro quoque tolleret, hic tandem impietatis ab eo pœnas repetente divino numine infœliciſſimus fuit proditione Macriani ducis Perſarum Regi*

Sapori deditus, qui, quoad vixit, eo incurvato quaſi ſuppedaneo uſus eſt ſubſellio, cum equum conſcenſurus eſſet. *Conſtantinus Imp. apud Euſebium in orat. ad ſanctorum cœtum ita de Valeriano:* Quin te Valeriane eandem crudelitatem quam Decius in Dei famulos oſtendens juſtum ſanctumque Dei judicium quaſi ante oculos omnium ſtatuiſti, dum captivus prehenſus eras & vinctus ducebaris purpura & reliquo apparatu regio inductus, tandem à Sapore Rege Perſarum juſſus excoriari, ſaleque conditus ſempiternum tui infortunii trophæum ante oculos omnium ſtatuiſti.

i Nonam ab Aureliano.] *Aurelianus cum aliquandiu eccleſiam in pace agere permiſiſſet, imo de eadem optime meritus eſſet, ſiquidem adverſus Paulum Samoſatenum hæreſiarcham Antiochiæ damnatum juxta ſanctum patrum reſcripſit, ut author eſt Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 24. & Nicephorus lib. 6 cap. 29. Eandem velut inſano quodam furore correptus ultimo ſui imperii anno ſæviſſimam in Chriſtianos perſecutionem inſtituit.* *Legitur ejus edictum in Chriſtianos promulgatum in actis Symphoriani martyris apud Surium 22. Auguſti. Inter perſecutiones eccleſiæ illius Severus non meminit, & Euſebius ac Nicephorus locis citatis ſcribunt quorundam conſiliis impulſum, ut perſecutionem contra Chriſtianos moliretur? verùm divina ultione ſubito deterritum à ſubſcribendo in eos edicto cum derepente brachium obriguiſſe & debilitatum eſſe ſenſiſſet. Verùm ipſum perſecutum eſſe fideles, ob eamque cauſam cæleſti vindicta eſſe ſublatum idem in Chronico affirmat, & in martyrologio plurimi in perſecutione Aureliani paſſi martyres reperiuntur.*

k Decimam à Diocletiano & Maximiano.] *De ea Oroſius lib. 7. cap. 25. Severus lib. 2. Euſebius li. 8. Nicephorus lib. Fuit omnium acerbiſſima, quæ decem continuis annis plebem Dei depopulata eſt, qua tempeſtate omnis fere ſacro martyrum cruore orbis infectus eſt. Scribit Damaſus in vita Marcellini 17. millia Chriſtianorum intra unum menſem à Diocletiano interfecta, & Euſebius lib. 8. cap. 6. ſcribit, adeo fuiſſe omnes carceres plenos Martyribus, ut nullus relinqueretur locus facinoroſis, ubi paſſim tot martyrio coronatos refert infra biennium, ut impoſſibile ſit eorum numerum inire. Anno decimo nono Imperii ſub paſſionis dominicæ celebritate ab Imperatore indicitur, ut ubiq; terrarum eccleſiæ deturbarentur, ſoloq; æquarentur, ſcripturæ Chriſtianorum igne abſumerentur, honores adepti turpiter de gradu deponerentur, privati, ſi modo in profeſſione Chriſtiana perſiſterent, libertate omnino privarentur. Non longo poſt tempore alio edicto mandatum eſt, ut præſides eccleſiarum ubique gentium primũ conjicerentur in vincula, deinde omnibus machinis adhibitis idolis ſacrificare cogerentur. Euſebius lib. 8. cap. 3.* Ex quo conſtat, præcedentibus annis fuiſſe præludia quædam perſecutionis, quæ ſæviſſima illo anno 19. eſſe cœpit cum impii illi propoſitis palam edictis & omni adhibito conatu Chriſtianum nomen penitus è mundo tollere ſperarent. *Certe Zonaras author eſt, Diocletianum propterea ſe abdicaſſe imperio, quod videret ſuos impios conatus irritos, nec poſſe ſe ulla arte Chriſtianam religionem extinguere. Nec ſine magna providentia id factum videtur, ut nempe tamdiu perſequerentur fidem Impp. donec cogerentur ipſi fateri, ſe nihil ſuis perſecutionibus contra eam efficere poſſe, ut monerentur μὴ θεομαχεῖν.* Quid profuit

fuit

fuit Diocletiano (*ait Conſtantinus apud Euſebium oratio ad ſanct. cœtum capite 25.*) bellum contra Deum noſtrum concitaſſe? ut certe mea quidem ſententia reliquam vitæ partem tranſigeret, dum ſemper ſibi metuere male, ne ictu fulminis concideret. Nicodemiæ palatium ejus & domus ſua fulmine eam depaſcente, faceque cœleſti exedente vaſtata fuit. *ibidem.* Quis talis furor, quæ plane principatus inſolentia, ut homines cum ſint, audeant tamen bello Deum laceſſere, inque religionem ſanctiſſimam juſtiſſimamque veſano animo inſultare, & tam infinitæ populi hominumque juſtorum multitudini nulla cauſa antecedente exitium moliri? *Edicti Impp. de ſacris codicibus comburendis meminit Divus Auguſtinus lib. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 2 & Arnocius libro 4. ſub finem, & Optatus lib. 3.*

λ Plagas enim Ægyptiorum.] *His qui decem tantum numerant perſecutiones Eccleſiæ ſub typico numero decem plagarum Ægypti, minus aſſentitur Auguſtinus. Oroſium notat qui lib. 7. cap. 27. confert Hebræos cum Chriſtianis, Ægyptios cum Romanis, & decem illas plagas cum decem illis perſecutionibus concitatis ab Imperatoribus Romanis contra Chriſtianos, quæ etiam fuit opinio Severi lib. 2. Non putat Auguſtinus perſecutiones Eccleſiæ futuras certo numero definiri poſſe.*

μ Ubi B. Stephanus lapidatus eſt.] *Septimo menſe ab aſcenſione Domini primus omnium Chriſtianorum martyrio coronatur. Actor 8.*

ν Ubi Jacobus frater Joannis.] *Actor. 12 Euſeb. lib. 2. cap. 8. Nicephorus lib. 2. cap. 12. Chriſti anno 44.*

ξ Ubi fugati atque diſperſi de Hieroſolymis fratres.] *Primum per regiones Judææ atque Samariæ Actor. 8 poſt verò etiam usque in Phœniciam, Cyprum & Antiochiam, & in alias etiam provincias, ad quos etiam Petrus ſcribens eos hujusmodi titulo prænotavit.* Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ & Aſiæ & Bithyniæ, *& D. Jacobus;* Jacobus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione ſalutem.

ο Ubi Saulus, qui poſtea Paulus.] *Id eſt ut exponit in Pſalm. 72. & ſerm. 74. de temp. & 36. de diverſis,* primo ſuperbus, deinde humilis.

π Rex fuit Herodes.] *Ita eum Lucas vocat Actor. 12. Joſephus Agrippam, quod forte binominis fuerit (ait Nicephorus lib. 12) de vindicta divina in eum illata, & horrenda miſerandaq; illius morte vide Act. 12. & ſacræ hiſtoriæ de illius morte omnino conſona ſcribit Joſephus, lib. 19. antiq. cap. 7 libr. 2. de bello Judaico cap. 4.*

ρ Quid reſpondent de Juliano.] *Julianus viginti annis religionem Chriſtianam profeſſus; decem ob metum Coſtantii eam ſimulat, quo mortuo adeptus imperium metu ſolutus Chriſtianam religionem ſolenniter abjurat, unde & Apoſtata dictus, & ſummus Pontifex impuris ritibus initiatur. Teſtatur ipſemet epiſtola ad Alexandrinos, & Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum.* Vix enim imperii hæreditatem adire cœperat, cum impietatem palam libereque profitetur perinde atque hoc quoque nomine erubeſcens, quod Chriſtianus aliquando, aut ea de cauſa Chriſtianis ſuccenſus, quibus nominis ſocietate junctus fuerat; Templa deorum

aperiri & hoſtias immolari edicit: *Amianus Marcellinus lib. 12. Socrates lib. 3. cap. 1. Sozomenus lib. 5. cap. 3. Nicephorus lib. 10. cap. 2. Pontificem ſe etiam Eleuſiniorum creari voluit: Eunapius in maximo.*

σ An non ipſe eſt Eccleſiam perſecutus.] *Non quidem tam ferro & armis, quam blanditiis & dolis, ſedulo etiam cavens ne aliqui pietatis cauſſa, ſed criminis alicujus nomine tantum ut facinoroſi punirentur, invidens nimirum Chriſtianis gloriam martyrii. Nicephorus lib. 10. cap. 4. Nec ita tamen lenitatis & clementiæ ſimulationem retinuit, quin ſæpius in furorem & crudelitatem erumperet, ut de eo ſcribit S. Gregorius Nazianz. orat. 1. in eundem & licet nullo promulgato adverſus Chriſtianos edicto, tamen tum populo, tum etiam Magiſtratibus, ipſisque provinciarum rectoribus non obſcure ſignificavit, ſibi fore gratiſſimum, ſi omnes ubiq; Chriſtianæ religionis cultores delerentur. Quo factum eſt, ut paſſim Chriſtiani duriſſimas & acerbiſſimas à Gentibus perſecutiones ſuſtinerent, ut author eſt Theodoretus lib. 3. cap. 6. Nicephorus lib. 10. cap. 9. Nazianzenus orat. 1. in eundem. verùm ea fuère tantum præludia quædam atrocioris certaminis ſi licuiſſet. Profecturus in expeditionem contra Perſas vovit, ſe cum rediret victor, Diis ſuis Chriſtianorum ſanguine litaturum; inſuper etiam in cunctis Chriſtianorum eccleſiis Veneris ſimulacrum collocaturum. Gregorius Nazianz. orat. 2. eundem, Chryſoſt. orat. adverſus Gentiles, Theodoretus lib. 3. cap 18. Oroſius lib. 7. cap. 30.*

τ Qui Chriſtianos liberales artes docere.] Nam noſtris ipſorum *(inquit)* pennis (ut eſt in proverbio) percellimur, ſi quidem noſtrorum ſcriptorum præſidiis muniti contra nos bellum ſuſcipiunt. *Theodoretus lib. 3. cap. 7. Nicephorus lib. 10. cap. 25. Socrates lib. 14. De quo edicto Julianum acerrime exagitat Gregorius oratio. 1. in ipſum. Quin & ipſe Ammia. Marcellinus lib. 22.* illud inclemens *(inquit)* obruendum perenni ſilentio, quod arcebat docere Rhetoricos magiſtros & Grammaticos, ritus Chriſtiani cultores.

υ Sub quo Valentinianus major.] Hic ſub Juliano, ne ſacrificaret, militiæ renũtians in Armeniam relegatus fuerat, à Joviniano poſtea revocatus eo mortuo nulla diſcordante ſententia numinis aſpiratione cœleſtis *(ait Ammianus lib. 26.)* electus eſt Imperator, imperium tanquam mercedem ſuæ confeſſionis adeptus, *ait Theodorethus lib. 3. cap. 15.*

φ Poſtremo noſtra memoria Valens.] *Juvenis erat Auguſtinus cum Valens perſequeretur Eccleſiam, de quo ita Gregorius Nazianzenus. ad 150. Epiſcopos,* Valens nihilo humanior Juliano fuit, imo & etiam acerbior, quod Chriſti nomen ferens Chriſti fidem falſo profitebatur, Chriſtianisque oneri ſimul ac probro erat, oneri quidem ob perſecutionem, probro vero, quia Chriſti nomini contumeliam inurebat ac contumeliæ & dedecori Chriſtianis erat, indignã Chriſtiani nomine vitam agens. *Hic in ſociũ Imperii à Valentiniano fratre aſcitus eſt, primo quidẽ Catholicus, ſed poſtea uxoris Arrianæ blanditiis delinitus peſſimo conſilio ad Arrianos tranſiit & ab Eudoxio Arrianorum nequiſſimo baptizatus ab eo juramento obſtringitur, ut in impio ſuſcepto dogmate perſeveret, & diverſa ſentientes ubique eccleſiis exigat. Hieronymus in Chronico, Theodoretus lib. 4. cap. 11. & 12. crudeliſſimus fuit in*

Catho-

Catholicos, Nicephorus lib. 11. cap. 16. Nazianz. orat. in Baſilium de perſecutione Valentis, Cum illuſtria (*inquit*) fuerint prima illius certamina, an vero illuſtriora ea certamina extiterint, quæ poſtea adverſum nos habuit. Quænam autem prima dico; exilia, fugæ, bonorum proſcriptiones, inſidiæ tam apertæ quam obſcuræ, verborum illecebræ, ubi offerebatur occaſio, vis ubi verborum blanditiis efficere nihil poterat. Alii ab Eccleſiis exturbabantur, quicumque ſcilicet fidem orthodoxam ac noſtratem profitebantur, alii introducebantur, nempe qui peſtiferam perditamque Imperatoris religionem tenebant, qui impietatis chirographa exigebant, qui his etiam atrociora ſcribebant. Adde presbyteros in mari deflagrantes, adde impios & nefarios belli duces non Perſas ſuperantes, non Scythas in ditionem redigentes, non aliam quandam gentem barbaram repurgantes; ſed Eccleſiis bellum inferentes, in altaribus ſaltitantes, & incruenta ſacrificia hominum & victimarum cruore fœdantes, ac virginum pudorem per ſummam contumeliam violantes, idque quam tandem ob cauſam; ut Jacob patria expelleretur, ipſique Eſau ille ante etiam quam in lucem prodiiſſe, odio habitus ſubrogaretur. *Ejusdem perſecutionis meminit Auguſtinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 92.*

χ Quando rex Gothorum in ipſa Gothia.] *De perſecutione intelligitur, quæ ab ipſo Athanarico rege Gothorum mota eſt in Chriſtianos anno Domini 370. Imperii Valentis 7. de qua Hieronymus in Chronico;* Athanaricus in Chriſtianos perſecutione commota plurimos interficit, & de propriis ſedibus in Romanū ſolium expellit. *De eadem Oroſius lib. 7. cap. 32.* Athanaricos rex Gothorum Chriſtianos in gente ſua crudeliſſime perſecutus plurimos barbarorum ob fidem interfectos ad martyrii coronam ſublimavit, quorum tamen plurimi in Romanum ſolum non trepidi velut ad hoſtes, ſed certi quod ad fratres, pro Chriſti confeſſione fugerunt. *De eadem loquitur Epiphanius hæreſi 70. cum agit de Audianis hæreticis, tradit Monachos Gothos perſecutionem paſſos à rege Gothorum jam quatuor ante annos, ex quo illa ſcribebat. Scribebat autem opus illud adverſus hæreſes anno 11. Valentiniani & Valentis Impp. ut teſtatur in exordio libri primi, contigiſſe hanc perſecutionem, antequam iidem Gothi Arrianæ hæreſis labe conſpergerentur, adeo ut qui paſſi ſunt apud eos Catholici omnes fuerint, colligitur facile ex hoc loco D. Auguſtini, cum non fuiſſe ibi niſi Catholicos affirmet, cui magis aſſentiendum quam Sozomeno eos hæreſi Arriana labefactatos affirmanti lib. 6. cap. 37. Cauſa hujus perſecutionis fuit quod Gothis in duas factiones diviſis, alterius duce Athanarico, alterius duce Phritigerne, hic re male geſta, exercitu à Valente impetrato, crucis vexillis in hoſtes illatis victoriam reportat. Athanaricus indignè ferens ſe à gente Chriſtiana & ſignis Chriſtianis ſuperatum, in eos, quos multos ſub ſe habebat, gentis ſuæ Chriſtianos, odium convertit, perſecutionem inſtituit eorum plurimos martyrio afficit. Non ergo poſt Valentis necem ardente illic jam Arriana factione, ut ſcripſit Vives.*

ψ Quid modo in Perſide.] *Hæc perſecutio commota eſt circa annum Chriſti 420. ſub Iſdigerte Perſarum rege, ut vult Theodoretus lib. 5. cap. 38. vel potius ſub Varanne ejus filio poſt mortem patris, qui erga Chriſtianos bene affectus fuerat, ut ſcribit*

Socrates lib. 7. cap. 18. & Nicephorus lib 14. cap. 19. Quam verò acerba fuerit illa perſecutio, qua tormentorum genera, quos cruciatus inflixerit tum piis hominibus, ut vix ſcribendo explicari poſſint, referunt ſupradicti authores. Socrates inita pace inter Romanos & Perſas ſcribit hanc perſecutionem penitus repreſſam fuiſſe; verùm Theodoretus etiam ceſſante bello triginta annos continuos à magis velut quibusdam turbinibus agitatam duraſſe ſcribit, cujus ſententia corroborari videtur verbis D. Auguſtini hoc loco ſcribentis ſe ignorante an perſecutio in Chriſtianos Perſia adhuc quieverit, quod quidem ſcribebat D. Auguſtinus anno Domini 429. ut notat illuſtriſſimus Baronius, cum perſecutio illa incboata eſſet, ut jam dictum eſt, anno Domini 420. Cauſſa iſtius perſecutionis ab initio fuit factum Abda Epiſcopi, qui aliquando πυρεῖον i. e. ſacrum focum Perſarum demolitus eſt. πυρεῖον enim apud illos ignis templum, & ignis eiſdem Deus habebatur. Id ubi Rex Perſarum intellexit à magis Abda accito mediocriter primum id factum reprehendens perſtrinxit, poſtea vero ſacrum ignis ædem reſtaurari jubet: Cum ille reſiſteret, idq́; ſe facturum pernegaret, Rex omnibus Chriſtianorum Eccleſiis incendium minatus eſt, quod re ipſa etiam perfecit. Ita Eccleſiæ in Perſide dirutæ cum divinus ille vir prius necatus martyrii coronam portaſſet; Indeq́; ſæviſſima tempeſtas contra graves admodum adverſus Chriſtianos fluctus excitavit. Hæc Theodoretus lib. c. 8. Nicephorus lib. 14. c 19. Caſſiodorus lib. 19. tripartit. cap. 30. Theodoretus & Nicephorus non probant, quod Abdas Epiſcopus zelo non opportuno incenſus πυρεῖον i. e. templum in quo ignis colebatur, demolitus ſit, celebrat tamen quod praelegerit mori, quam templum exſtruere ſimulacri prius deſtructum. Nam par impietas *(inquit)* mea ſententia ignem adorare, atque ei ædificare delubrum.

Cap. LIII.

De tempore noviſſimæ perſecutionis occulto.

ILlam ſanè α noviſſimam perſecutionem, quæ ab Antichriſto futura eſt, præſentia ſua ipſe extinguet Jeſus. Sic enim ſcriptum eſt: quòd β eum interficiet ſpiritu oris ſui, & evacuabit illuminatione præſentiæ ſuæ, hic quæri ſolet, quando iſtud erit? importunè omninò. γ Si enim hoc nobis noſſe prodeſſet, à quo melius quàm ab ipſo Deo magiſtro interrogantibus diſcipulis diceretur? Non enim ſiluerunt inde apud eum, ſed à præſente quæſierunt dicentes: *a* δ Domine, ſi hoc in tempore repræſentabis regnum Iſrael? ε At ille: Non eſt, inquit, veſtrum noſſe *b* tempora, quæ pater in ſua poſuit poteſtate. Non utique illi de hora vel die vel anno, ſed de tempore interrogaverunt, quando illud accepêre reſponſum. ζ Fruſtrà igitur annos, qui huic ſeculo remanent computare ac definire conamur, η quum hoc ſcire non eſſe noſtrum, ex ore veritatis audiamus. Quos tamen alii cccc. alii ccccc. alii etiam mille ab aſcenſione Domini uſque ad ejus ultimum adventum compleri poſſe dixerunt. Quemadmodum autem quiſque eorum aſtruat opinionem ſuam, longum eſt demonſtrare & non neceſſarium. Conjecturis quippe utuntur humanis, non ab eis certum aliquid de ſcripturæ canonicæ autoritate profertur. Omnium verò de hac re calculantium digitos reſolvit, & quieſcere jubet ille, qui dicit: Non eſt veſtrum ſcire tempora,

[Margin: 2. Theſ. 2.] [Margin: Act. 1.]

quæ

quæ pater in ſua poſuit poteſtate. *c* Sed hæc, quia evangelica ſententia eſt, mirum non eſt, non ea repreſſos fuiſſe deorum multorum falſorumque cultores, quo minus fingerent dæmonum reſponſis, quos tanquam deos colunt, *d* definitum eſſe, quanto tempore manſura eſſet religio Chriſtiana. Quum enim viderent, nec tot tantiſque perſecutionibus eam potuiſſe conſumi, ſed his potius mira incrementa ſumpſiſſe excogitaverunt, neſcio, quos verſus Græcos tanquam conſulenti cuidam divino oraculo effuſos, ubi Chriſtum quidem ab hujus tanquam ſacrilegii crimine faciunt innocentem: *x* Petrum autem maleficia feciſſe ſubjungunt, ut coleretur Chriſti nomen per 365. annos: deinde completo memorato numero annorum, ſine mora ſumeret finem. O hominum corda doctorum, ô ingenia literata, digna credere iſta de Chriſto, qui credere non vultis in Chriſtum, quòd diſcipulus Petrus ab eo magicas artes non didicerit: ſed ipſo innocente, tamen ejus diſcipulus maleficus fuerit, nomenque illius quàm ſuum coli maluerit magicis artibus ſuis, magnis laboribus & periculis ſuis, poſtremò etiam effuſione ſanguinis ſui. Si Petrus maleficus fecit, ut Chriſtum ſic diligeret mundus, quid fecit innocens Chriſtus, ut eum ſic diligeret Petrus? Reſpondeant igitur ſibipſi, & ſi poſſunt, intelligant illa ſuperna gratia factum eſſe, ut propter æternam vitam Chriſtum diligeret mundus: qua gratia factum eſt, ut propter æternam vitam ab illo accipiendam, & uſque ad temporalem mortem pro illo patiendam Chriſtum diligeret Petrus. Deinde iſti dii, qui ſunt, qui poſſunt iſta prædicere, nec poſſunt avertere, ita ſuccumbentes uni malefico, & uni ſceleri magico, quo puer, ut dicunt, *d* anniculus occiſus & dilaniatus, & ritu nefario ſepultus eſt, ut ſectam ſibi adverſariam tam prolixo tempore convaleſcere, tot tantarumque perſecutionum horrendas crudelitates non reſiſtendo, ſed patiendo ſuperare, & ad ſuorum ſimulacrorum, templorum, ſacrorum, oraculorum everſionem pervenire permitterent? Quis poſtremò eſt deus, non noſter utique, ſed ipſorum, qui vel illectus tanto ſcelere, vel impulſus eſt iſta præſtare? Non enim alicui dæmoni hoc aſcribitur, ſed Deo dicunt illi verſus, hæc Petrum arte magica definiſſe. Talem Deum habent, qui Chriſtum non habent.

a DOmine, ſi hoc in tempore repræſentabis.] *Vulgò reſtitues, & ſic ipſe alibi citat: Græcè ἀποκαθιστάνεις.* I. Viven.

b Non eſt, inquit, veſtrum noſſe.] *Curioſitates ſupervacaneas & nihil profuturas hominibus refellit, ſibiq; ſoli futurorum cognitionem reſervat. Eant nunc ſive mathematici, ſive divinaculi, quilibet, & pavidæ plebeculæ, craſſiſq; purpuratis admirabundis definiant tempora, & articulos. quibus hic curſus rerum ordoq; ceſſaturus eſt: atque etiam ſi diis placet, Chriſto ipſo docente, ſed id profiteantur facere, qui chariſſimis diſcipulis ſeverè reſponderit, nihil hominibus cum ſcientia negotii tam reconditi & arcani. Et tamen nulla res eſt, de qua liberius homines mentiantur, quàm de venturis, quoniam nihil nos audimus libentius, etiam ſi mentiri ſciamus, ita ſavor in eos noſter, qui futura jactant prædicere, licentiam eorum irritat & alit. Uſque adeò in mirabili vel voluiſſe dicere, mirandum ducimus.*

c Quia Evangelica ſententia eſt.] *Nam & Chriſti, & ab Evangeliſta conſcripta:*

ideò

ideò ad Evangelium videtur pertinere. Et profectò aſcenſio Domini ad Evang. pertinet, & fuiſſet illud cap. actuum Apoſt. reliquo Lucæ Evang. additum, niſi ipſe idem præfatione ſua ſejunxiſſet.

Infandicidia olim Chriſtianis objecta. *d* Quo puer, ut dicunt, anniculus occiſus.] *Infanticidia ſolita objici Chriſtianis, oſtendit Tert. in apol. qui id crimen falſiſſimum atque impudentiſſimum purgat: quanquam Cataphryges & Pepuziani duo hominum genera hæreſis cum primis perdita ac deſperatæ, infantis tenellum corpus ſoliti erant per omnia membra, compungere, ut ſic expreſſo ſanguine farina maceraretur, qua conficerent panem in Euchariſtiæ uſum, ut Aug. ad quodvult Deum narrat. Simile quiddam Euchetæ & Gnoſtici faciebant ad dæmones pellendos, ut legitur apud Michaelem Pſellum. Sed hæc tam ſunt ſemper habita Chriſtiana, quàm magicæ artes, & dæmonum colendorum ritus.*

F.L. Coq. α NOviſſimam perſecutionem, quæ ab Antichriſto futura eſt.] *Perſecutionem illam ultimam ab Antichriſto futuram ſupra cæteros tyrannos, qui præceſſere, Chriſti hoſte infenſiſſimo excitandam, graviſſimam etiam omnium fore non obſcurè ſignificârunt ſacræ literæ. Matth. 24.* Et tunc tribulatio magna, qualis non fu.., ex quo gentes eſſe cœperunt. *Apocalypſ. 20. dicitur Satanas ſolvendus, qui ad illud uſque tempus fuerat ligatus. Apocalypſ. Pſ. item 13. Scribit Joannes, datum eſſe Antichriſto,* Bellum cum ſanctis facere & vincere eos. *& Danielis 7. ſignificatur per illud cornu, quod faciebat bellum adverſus ſanctos, & prævalebat eis. ibidem.* Sermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret: *Dicitur ablaturus juge ſacrificium; Danielis 11. De hac perſecutione agunt patres Hippolytus lib. de conſummat. ſecu. Irenæus lib. 5. cap. 25. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 15. Damaſcenus lib. 4. Orthodox. Fidei, cap. 27. & Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus in 2. ad Theſſalonicenſes cap. 2. Hieronymus quæſt. 2. ad Algaſiam, & in cap. 7. Danielis, Auguſtinus infra lib. 20. cap. 18. Lactantius lib. 7. cap. 7.*

β Eum interficiet ſpiritu oris.] *2. Theſſaloni. 2, ex Iſaia 11.* Et ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.

γ Si enim hoc nobis noſſe prodeſſet.] *Omnia quidem, quæ noſtræ ſalutis intereat ſcire, quorum cognitio erat Eccleſiæ neceſſaria, ſufficienter tum per ſe, tum per Apoſtolos docuit Chriſtus,* Unctio docebit vos de omnibus: Omnia, quæ audivi à patre, nota feci vobis; Cum venerit paracletus, docebit vos omnem veritatem. *Verùm extrema tempora, & quandiu mundus duraturus & quando finiturus, ſcire nihil intererat ad hominum ſalutem,* Quando dicit, non eſt veſtrum ſcire, *ait Hieronymus in cap. 24. Matthæi,* oſtendit, quod ipſe ſciat, ſed non expediat noſſe Apoſtolis, ut ſemper incerti de adventu judicis ſic quotidie vivant, quaſi die alia judicandi ſint.

δ Domine ſi in tempore hoc repræſentabis.] *Ita etiam legit lib. 1. de actis cum Felice Manichæo cap. 4. regnum Iſrael, dativi caſus.*

ε At ille, non eſt, inquit, veſtrum noſſe.] *Oecumenius,* Cum illi non de conſummatione interrogarent, ipſe id quod non inquirebant, docet more optimi magiſtri, qui non ea, quæ volunt diſcipuli, ſed quæ conferunt docere conſuevit. Idcirco non ad interrogationem, quippe quæ nihil utilitatis in ſe habebat, reſpondit.

ſpondit,ſed quod urgebat,maximè docet. Tunc enim ipſis maximè ſpiritus neceſſitas erat.

ζ Fruſtra igitur annos,qui huic ſæculo.] *De his, quæ in mera Dei voluntate ſunt poſita,nihil ſcimus,niſi quatenus ex ſcripturis ſacris revelatum eſt; at de origine mundi neque aliquid haberemus compertum, niſi divinitus inſpiratus Moſes mandaſſet poſteritati, & cum futura magis ſint abſtruſa & remota à cognitione hominum quàm præterita, certe de numero annorum, quibus duraturus eſt mundus, vel quando ſecundo venturus ſit Chriſtus, nihil ex ſcripturis colligitur, vanæ igitur erunt eorum conjecturæ, qui volent certum aliquem numerum definire. Auguſtinus epiſtol. 80. ad Heſychium*, Si Apoſtolis dictum eſt, non eſt veſtrum ſcire, quantomagis quilibet homo qualis ego ſum, modum ſuum debet agnoſcere, ne plus ſapiat quam oportet ſapere?

η Quos tamen alii 400. alii 500.] *Idem videtur ejusdem ſententiæ meminiſſe epiſt. 80. ad Heſychium, ubi nonnullos ea verba ex 1. Joannis 2.* Noviſſima hora eſt, *ita accepiſſe ſcribit*, Ut cum exiſtmarent ſex mille annis duraturum mundum. *Quæ etiam fuit opinio cujusdam Heliæ Rabbini Judæorum, cujus argumenta vel potius leves conjecturas refert Genebrardus in initio Chronolog.* Sex annorum millia conſtituerent veluti unum diem, eumque in partes velut horas duodecim partirentur, ut ſic quingentos illos poſtremos annos haberet illa hora poſtrema, de qua Joannes, *ut intra quingentos illos annos finiturus eſſet mundus, & Chriſtus venturus.* Sed aliud eſt *(inquit)* noſſe aliquid, aliud ſuſpicari. Cur enim non potius ſi ſex annorum millia deputandus eſt unus dies non 12. ſed 24. pars eis una hora eſt.i.e. non quingenti, ſed ducenti quinquaginta anni? Totus enim dies, totus circuitus Solis verus nuncupatur non ab Oriente uſque in Occidentem, ſed ab Oriente uſque inOrientem,unde toto die peracto.i.e.viginti quatuor horis rurſus exoritur; ac per hoc iſta hora noviſſima, ex quo tempore, id locutus eſt Joannes ante ferme 70. annos, ut minimum dicam, jam reperitur eſſe transacta, & nondum venit terminus ſæculi. Huc accedit, quia inſpecta diligenter hiſtoria eccleſiaſtica reperitur Joannes Apoſtolus longe ante fuiſſe defunctus, quam quinque millia quingenti anni à generis humani exordio complerentur. Nondum erat itaque hora noviſſima ſi ſex millium annorum pars duodecima i. e. quingenti anni veluti unius horæ ſpatium deputatur. Unde convenientius (*inquit ille*) Apoſtolus creditur horam poſuiſſe pro tempore, quæ hora quàm longa ſit ignoramus, quia non eſt noſtrum ſcire tempora, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. *Non igitur ab aſcenſione Domini 400. vel 500. vel etiam mille anni definiendi ſunt ad finem usque ſæculi, cum neque ex ſcripturis aliquid certum habeatur, neque id tanquam minus utile & neceſſarium voluerit Chriſtus ſuis revelare.*

θ Sed hæc quia Evangelica ſententia eſt.] *Quia ore Chriſti prolata licet non in Evangelio, ſed in actis Apoſtol. cap. 1. conſcripta. Et licet codex quatuor Evangeliorum principaliter Evangelium nominetur, ut quo contineretur Chriſti vita, doctrina, mors & reſurrectio, nihilominus etiam ſcriptura tota novi teſtamenti, vel ea quæ epiſtolas D. Pauli complectitur & aliorum, dici poteſt Evangelium, cum tota perti-*

neat ad myſteria gratiæ & Chriſti hominibus ſanguine ejus juſtificatis & redemptis manifeſtanda. Scripta ſua vocat Apoſtolus Evangelium Roman. 1. & 2. & 1. ad Corinth. 15. ita evangelicam ſententiam rectè vocat Auguſtinus, quæ Actor. 1. habetur.

ι Definitum eſſe quanto tempore manſura eſſet religio Chriſtiana.] *Ex Auguſtino refert Baronius ad annum Domini 313. quod* Gentiles, qui viderent eccleſiam Chriſtiani tanta gloria actam, adeoque immenſa claritudine illuſtratam, invidia tabeſcentes, quo ſolatio aliquo lenirent de Chriſtianorum gaudio & incrementis conceptum mœrorem & amicorum acerbitatem, novum oraculum confinxerunt, atque ore omnium diffamarunt Græcis quibusdam verſibus præcinentes Chriſtianam religionem 365. annis duraturam quorum 313 jam prope elapſi eſſent. *Simile habes oraculum à quodam pagano fictum apud Proſperum p. 3. de prædict. cap. 38.*

κ Petrum maleficia feciſſe] *Ita fere Chriſtianis magicas artes objiciebant Gentiles, & quod cernerent potiſſimum Romæ Petri Apoſtoli, qui ſedem ibi locaverat, gloriam mirificè prædicari, in eum blaſphemias converterunt dicentes ipſum fuiſſe Magum atque magicis artibus ſibi exiſtimationem magnam comparaſſe. Etſi qui hanc calumniam Petro ſtruebant, hujus criminis facerent Chriſtum innocentem, nihilominus non defuere, qui Chriſto etiam magicas artes impoſuerint, ut teſtatur D. Auguſtinus lib. 1. de conſenſ. Evang. Euſebius lib. 3. de demonſtr. Evang. cap. 8.*

λ Anniculus occiſus eſt & dilaniatus] *Gentiles Chriſtianos inſimulabant, quod in ſuis ſacris illis arcanis infantes mactarent, & inceſta luminibus exſtinctis frequentarent, aliaque hujusmodi crimina objiciebant. Hujus calumniæ meminerunt Tertullianus Apolog. cap. 2. & 7. Euſebius lib. 4. hiſtor. cap. 8. Minutius Felix in Octavio, Juſtinus, Athenagoras, Tatianus, in Apologiis adverſus Gentes, Origenes lib. 6. contra Celſum. Tertullianus lib. ad Scapulam,* Quod aliud negotium patitur Chriſtianus niſi ſuæ ſectæ quam inceſtam, quam crudelem tanto tempore nemo probavit; *crudelis certe propter infanticidium, de quo Chriſtianos calumniabantur.*

Cap. LIV.

De ſtultiſſimo mendacio Paganorum, quo Chriſtianam religionem non ultra trecentorum ſexaginta quinque annorum menſuram ſpatium eſſe finxerunt.

HÆc atque hujusmodi multa colligerem, α ſi nondum annus iſte tranſiſſet, quem divinatio ficta promiſit, & decepta vanitas credidit. Quum verò ex quo nominis Chriſti cultus per ejus in carne præſentiam, & per Apoſtolos inſtitutus eſt, ante aliquot annos anni trecenti ſexaginta quinque completi ſint, quid aliud quærimus, unde iſta falſitas refellatur? Ut enim in Chriſti nativitate hujus rei non ponamus initium: quia β infans & puer diſcipulos non habebat, tamen quando habere cœpit, procul dubio tunc innotuit per ejus corporalem præſentiam doctrina & religio Chriſtiana, id eſt, poſteaquam in fluvio Jordane miniſterio Joannis eſt baptizatus. Propter hoc enim de illo prophetia illa præ-

Pſ. 71. ceſſerat: *Dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis*

bis

bis terræ. Sed quoniam priusquam paſſus eſſet, & reſurrexiſſet à mortuis, nondum fides fuerat definita: in reſurrectione quippe Chriſti definita eſt: nam ſic Apoſtolus Paulus Athenienſibus loquitur, dicens: Jam nunc annunciat hominibus, omnes ubique agere pœnitentiam: eo quod ſtatuit diem judicare orbem in æquitate, in viro, in quo definivit fidem omnibus, reſuſcitans illum à mortuis: melius in hac quæſtione ſolvenda inde initium ſumimus: præſertim quia tunc datus eſt etiam Spiritus ſanctus, ſicut eum dari poſt reſurrectionem Chriſti oportebat in ea civitate, ex qua debuit incipere lex ſecunda, hoc eſt, teſtamentum novum. Prima enim data fuit lex in monte Sina per Moyſen, quod teſtamentum vocatur vetus. De hac autem, quæ per Chriſtum data eſt, prædictum eſt: *Ex Sion lex prodiet, & verbum Domini ex Hieruſalem.* Unde & ipſe per omnes gentes dixit prædicari oportere in nomine ſuo pœnitentiam, ſed tamen incipientibus ab Hieruſalem. Ibi ergò exorſus eſt hujus nominis cultus, ut in Chriſtum Jeſum, qui crucifixus fuerat & reſurrexerat, crederetur. Ibi hæc fides tam inſignibus initiis incanduit, ut aliquot hominum millia in Chriſti nomen mirabili alacritate converſa, venditis ſuis rebus, ut egenis diſtribuerentur, propoſito ſancto & ardentiſſima charitate ad paupertatem voluntariam pervenirent, atque inter frementes & ſanguinem ſitientes Judæos ſe uſque ad mortem pro veritate certare, non armata potentia, ſed potentiore patientia præpararent. Hoc ſi nullis magicis artibus factum eſt, cur credere dubitant eadem virtute divina per totum mundum idem fieri potuiſſe, qua hoc factum eſt? Si autem, ut Hieroſolymis ſic ad cultum nominis Chriſti accenderetur tanta hominum multitudo, quæ illum in cruce, vel fixerat prenſum, vel riſerat fixum, jam maleficium illud fixerat Petrus, ex ipſo anno quærendum eſt, quando trecenti ſexaginta quinque completi ſint. *a* γ Mortuus eſt ergo Chriſtus duobus Geminis conſulibus, δ octavo Cal. Aprilis. Reſurrexit tertia die, ſicut Apoſtoli ſuis etiam ſenſibus probaverunt. Deinde poſt quadraginta dies aſcendit in cœlum: poſt decem dies, id eſt, quinquageſimo poſt ſuam reſurrectionem die miſit Spiritum ſanctum. Tunc tria millia hominum Apoſtolis eum prædicantibus crediderunt. Tunc itaque nominis illius cultus exortus eſt, ſicut nos credimus & veritas habet, efficacia Spiritus ſancti: ſicut autem finxit vanitas impia, vel putavit, magicis artibus Petri: paulò poſt etiam ſigno mirabili facto, quando ad verbum ipſius Petri quidam mendicus ab utero matris ita claudus, ut ab aliis portaretur, ad portam templi, ubi ſtipem peteret, poneretur, in nomine Jeſu Chriſti ſalvus exilivit, quinque millia hominum crediderunt. Ac deinde ε aliis atque aliis acceſſibus credentium crevit Eccleſia. Ac per hoc colligitur etiam dies, ex quo annus ipſe ſumpſit initium, ſcilicet ζ quando miſſus eſt Spiritus ſanctus, id eſt, per idus Majas. Numeratis proinde conſulibus trecenti ſexaginta quinque anni reperiuntur impleti, per eaſdem idus Majas, *b* η conſulatu Honorii & Eutychiani. Porrò ſequenti anno, *c* θ conſule Manlio Theodoro, quando jam ſecundùm illud oraculum dæmonum aut figmentum hominum, nulla eſſe debuit religio Chriſtiana, quid per alias terrarum partes forſitan factum ſit, non fuit

Act. 17.

Eſ. 2.

Luc. 24.

neceſſe perquirere. Interim quod ſcimus, in civitate notiſſima & eminentiſſima Carthagine Aphricæ *i* Gaudentius & Jovius comites Imperatoris Honorii, quarto decimo calendas Aprilis falſorum deorum templa everterunt, & ſimulachra fregerunt. Ex quo *x* uſque ad hoc tempus *d* per triginta fermè annos quis non videat quantum creverit cultus nominis Chriſti, præſertim poſteaquam multi eorum Chriſtiani facti ſunt, qui tanquam vera illa divinatione revocabantur à fide, eamque completo eodem annorum numero inanem irridendamque viderunt? Nos ergò, qui ſumus vocamurque Chriſtiani, *λ* non in Petrum credimus, *e* ſed in quem credidit Petrus: Petri de Chriſto ædificati ſermonibus, non carminibus venenati: nec decepti maleficiis, ſed beneficiis ejus adjuti. Ille Petri magiſter Chriſtus in doctrina, quæ ad vitam ducit æternam, ipſe eſt & magiſter noſter. Sed aliquando jam claudamus hunc librum, huculque diſſerentes & quantum ſatis viſum eſt demonſtrantes, quiſnam ſit duarum civitatum cœleſtis atque terrenæ ab initio uſque in finem permixtarum mortalis excurſus. Quarum illa, quæ terrena eſt, fecit ſibi quos voluit, vel undecunque, vel etiam ex hominibus falſos deos, quibus ſacrificando ſerviret. Illa autem, quæ cœleſtis peregrinatur in terra, falſos deos non facit, ſed à vero Deo ipſa fit, cujus verum ſacrificium ipſa ſit. Ambæ tamen temporalibus, vel bonis pariter utuntur, vel malis pariter affliguntur, diverſa fide, diverſa ſpe: diverſo amore, donec ultimo judicio ſeparentur, & percipiat una quæque ſuum finem, cujus nullus eſt finis. De quibus ambarum finibus deinde diſſerendum eſt.

L.Vive. *a* MOrtuus eſt ergò Chriſtus duobus Geminis conſulibus.] *Principio conſtat Chriſtum mortuum imperio Tyberii Cæſaris. Lucas Evangeliſta baptiſma Johannis, & initium prædicationis Domini in xv. Tyberii Cæſaris annum refert. Erit ergò ejus mors anno xviij. aut etiam xix. nam tribus annis Dominus Jeſus ad populos de regno Dei diſſeruit. Idem Hieronymus & Euſebius in Chrônicis, qui etiam teſtimonia affert Ethnicorum de terræ motu, & defectu ſolis eodem ipſo anno: nam Phlegon Olympiadum ſcriptor ſic ait: Quarto autem anno ccij Olympiadis, qui fuit principatus Tyberii xviij. magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderat, defectio ſolis eſt facta. Dies hora ſexta in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia. Nicenæ urbis multas ædes ſubvertit. At duo Gemini, ſcilicet Rubellius Geminus & Fuſius Geminus, quibus conſulibus Auguſtinus ex Lactantii ſententia dicit, Dominum eſſe crucifixum, non xviij. ſed xv. principatus Tyberii conſules fuerunt: idq; præter quam quod ex v. Taciti volumine facilè colligi poteſt, ipſe etiam Lactantius fatetur lib. iiij c. x. cui ſuffragantur Oroſius, Eutropius & Tertullianus eo quinto decimo anno Chriſtum affixum eſſe cruci narrantes: quod ſi xviij. annus magis placet, obierit mortem Chriſtus Serg. Galba, qui poſt imperavit & Lucio Sylla coſſ. nam ſexto decimo anno conſules fuerunt Trio & Regulus, xvij. G ne Domitius & Camillus Scribonianus.*

b Conſulatu Honorii & Euticinii.] *His conſulibus Gothi & Alani, & cæteræ feræ gentes in Italiam Stilicone impulſore ſunt ingreſſæ. Fuit enim quartus conſulatus Honorii Auguſt. Hoc factum in ſequentem annum Proſper rejicit Stilicone & Aureliano Coſſ.*

c So-

c Socium accepiſſet Honorius conſulem Manlium Theodorum] *Alibi ſic: porrò ſequenti anno conſule Manlio Theodoro: apud Aurelium Caſſiodorum in digeſtione conſulum, quamvis mendoſa, poſt annum Honorii iiij. & Eutichiani coſſ. ſequitur annus Manlii & Theodori coſſ. Claudianus unum hominem facit, ut hic Auguſtinus Manlium Theodorum, in cujus conſulatum elegantiſſimum cecinit panegyricum, & ſignificat illum non tum primum factum conſulem. Proſper hujus conſulatum ante Honorium iiij. conſulem ponit, puto, in tempore eſſe mendum, quemadmodum in ſcriptura, ſic enim legendus is locus: Manlio Theodoro ſecundum conſule: cùm hoc conſulatum interit Eutropius Eunuchus, qui mox honore & vita exutus eſt. Sic ille. Itaque fieri poteſt, ut & Eutropii nomen ſit ex faſtis expunctum, & collega non ſit Manlio ſuffectus: quanquam per illa tempora cœpit creari unus conſul.*

d Per triginta fermè annos.] *Uſque tertium annum imperii Theodoſii junioris.*

e Sed in quem credidit Petrus.] *Paulus prima ad Corinthios 3. Quis eſt enim Paulus? quis Apollos? miniſtri per quos crediſtis.*

a SI nondum annus iſte tranſiiſſet.] *Hæc ſcribebat Auguſtinus anno domini 429. imperii Theodoſii junioris 22.* P.L. Cap.

α Infans & puer non ante diſcipulos habebat.] *Non ante trigeſimum ætatis annum Apoſtolos elegit, quando mundo cœpit manifeſtari & miracula edere.*

γ Mortuus eſt Chriſtus duobus geminis Coſſ.] *Atqui hic conſulatus incidit in annum Tiberii 15. Chriſtus vero non eſt mortuus anno 15. Imperii Tiberii, imo tum baptizatus anno ætatis 30. inchoato. In quo erravit abſurdiſſime Tertullianus lib. contra Judæos ſcribens Chriſtum 15. anno Imperii Tiberii paſſum fuiſſe annos habentem quaſi 30. cum pateretur Coſſ. Rubelio Gemino & Rufo Gemino menſe Martio temporibus Paſchæ die 8 calend. Aprilis; quod idem aſſerit lib. 1. contra Marcionem cap. 15. Unde Euſebius in Chronico.* Tertullianus, *inquit*, in eo libro, quem contra Judæos ſcripſit, affirmat Chriſtum 41. anno Imperii Auguſti natum. 15. imperii Tiberii paſſum fuiſſe: quam ſententiam meritò Pamelius inter errores Tertulliani retulit. n.14. *Tertullianum ſecuti ſunt Clemens Alexandrinus lib. 1. ςρωμ. Jul. Africanus lib. de temp. apud S. Hieronymum Comment. in Danielem cap. 9. Lactantius lib. 4. cap. 10. Oroſius lib. 7. cap. 10. Rectius ergo Euſebius in Chronicis, Eutropius lib 7. cap. 3. Honorius Auguſtodunenſis in ſuis annalibus anno Tiberii 18. paſſum Chriſtum ſcribunt. Certe non id ignoravit Auguſtinus neque ſecutum eum putem ſententiam Tertulliani, imo lib. 2. de doct. Chriſti. cap. 25. non obſcure docet Chriſtum vixiſſe plus 30. annis: verùm fortaſſe authoritate ductus aliorum non examinatis faſtis conſularibus & qui fuerint Coſſ. vel anno 15. vel 18. Tiberii ſub duobus Geminis Coſſ. illius paſſionem collocavit. Nam & Severus ipſe Sulpitius anno imperii Tiberii 18. paſſum Chriſtum ſcribit duobus Geminis Coſſ. quorum tamen conſulatus incidit in annum 15. non 18 Tiberii. Verùm quia Faſti emendatiores anno 18. Tiberii collocant Coſſ. Furium Camillum Arruntium Scribonianum, & Cn. Domitium Ænobarbum Olympiadis 202. anno 4. Evangelio magis eſt conformis eorum ſententia, qui dominum his Coſſ. paſſum eſſe volunt.*

δ Octavo Calendas Aprilis.] *De die Hebdomadæ quo paſſus eſt Chriſtus, nulla eſt dubi-*

dubitatio. Eſt enim communis omnium ſententia, imo & traditio eccleſia eum feria ſexta paſſum fuiſſe, & Beda lib. de ratione temporum cap. 45. Nulli catholico, *inquit,* dubitare licet Chriſtum feria ſexta fuiſſe occiſum. *Verùm de menſe ſolari, & die menſis ſolaris variæ ſunt ſententiæ. Nam nonnulli illius paſſionem in menſem Martium, alii in menſem Aprilem referunt, quia primus menſis lunaris, quo certum eſt eum paſſum fuiſſe partim in Martium, partim incidit in Aprilem, & interdum plures alterius complectitur. Non eſt noſtri inſtituti diutius hoc loco immorari vel in referendis vel etiam refellendis variis authorum ſententiis, de quibus inter recentiores legi poſſunt Pererius lib. 11. comment. in Danielem qu. 7. Suares tom. 2. in 3. p. D. Thomæ diſputat. 40 ſect. 5. Azor inſtitutionum moral. par. 2. lib. 1. cap. 6. Frequentius recepta eſt ſententia, quam hic aſſerit D. Auguſtinus, & lib. 4. de Trinit. cap. 5. & lib. 83. quaſt. 56. Chriſtum eſſe mortuum 25. Martii.* Hanc ſententiam *(inquit Beda lib. de ratio. temp. cap. 28. & 45.)* plures eccleſiæ magiſtri tradiderunt: *Quod verò contendunt aliqui ex tabulis Aſtronomicis eo anno Lunam decimam quartam primi menſis poſt æquinoctium, quando paſſus eſt Chriſtus, quæ incidit in feriam ſextam, potuiſſe incidere in 25. Martii, ſed potius incidiſſe in 3. Aprilis, non adeo movere nos poteſt. Nec enim ita certa eſt hujusmodi ſupputatio tabularum Aſtronomicarum cum Ptolomæus correxerit ſuperiores aliorum tabulas, Alphraganus illas Ptolemai, Alphonſus Rex Caſtellæ eas, quas Alphraganus ediderat. Unde conſtat de anno, menſe & die paſſionis Chriſti, ſiquidem anno 4 Olympiad. 202. 18. imperii Tiberii, octavo Kalend. Aprilis, luna 15. quæ incidit in diem Veneris, paſſus eſt Chriſtus*

ε Aliis atque aliis acceſſibus credentium crevit Eccleſia.] *Eccleſia recte comparatur Auroræ Cantic. 6. aurora à parvis initiis principium ducens brevi tempore totum orbem luce replet, nec retrovertitur aut remittit lucem ſuam, ſed quo magis procedit, eo illuſtrior evadit. Ita Eccleſia à parvis initiis principium ducens brevi totum terrarum orbem lumine ſuo replevit, & cum in Hieruſalem primo in paucis conſpiceretur, tum magnis acceſſibus totum fere orbem occupavit.*

ζ Quando miſſus eſt Spiritus ſanctus. i. e. per Idus Majas.] *Siquidem à reſurrectione Chriſti ad aſcenſionem fluxere dies 40. & ad miſſionem Spiritus ſancti 50. Cum ergo 6. Calen. Aprilis Chriſtus reſurrexerit, aſcenſio illius incidit tertio Nonas Maji, & Idibus Maji è cœlis in Apoſtolos miſit Spiritum ſanctum.*

η Conſulatu Honorii & Eutychiani.] *Hic fuit 4. conſulatus Honorii, quem præpoſtero ordine Proſper in Chronico collocavit poſt conſulatum Manlii, ut obſervat Baronius tom. 5. Annal. ad annum domini 399. & Arnal Pontacus Marcellinum & Caſſiodorum ſecutus eum ſuo loco reſtituit. Hunc conſulatum confert Caſſiodorus in annum Chriſti 398. alii, ut Holoander in annum Chriſti 401 Argumentatur hoc loco D. Auguſtinus ab experientia contra vanā illam prædictionē inter Gentiles vulgatam de religione Chriſtiana duratura tantum per 365. annos, quorum primum auſpicatur à miſſione Spiritus ſancti, cum ipſa lex Chriſti promulgata eſt, implendos per Idus Majas; quibus ſi addantur 33 reperientur à naſcente domino ad hunc conſulatum anni 398. Hinc conſtat manifeſtè quod ſuperius dictum eſt, non fuiſſe Auguſtinum in eo errore Chriſtum paſſum 30. anno ætatis vel anno 15. Tiberii, licet aliquam paſſio-*

nem illius referat in conſulatum duorum Geminorum Nam à miſſione Spiritus ſancti ad conſulatum Honorii & Eutychiani docet impletos 365. annos, at hic fuit annus Chriſti 398. addendi ergo erunt 33. à naſcente domino uſq; ad illius mortem.

θ Conſule Manlio Theodoro.] *Corrupte legitur apud Caſſiodorum & apud Proſperum* Manlius & Theodorus. *Unus enim fuit Conſul Manlius Theodorus. Hic collega fuit Eutropii Eunuchi Coſ. qui fuit paganus, ſervilis generis, perditis moribus, monſtri aliquid ſimile, ut de eo cecinerit Claudianus lib. 2. in eundem.*

Omnia ceſſerunt eunucho conſule monſtra.

Illius non meminit Auguſtinus, ſi quidem ut exſtat in Cod. Theodoſ. lib. 17. de pœnis, Bonis ejus omnibus fiſco addictis ipſe conſulatu & patriciatu atque omnibus inferioribus dignitatibus ſpoliatus eſt, nomen præterea ejus ex Faſtis deletum eſt, & omnia ejus inſignia ex omnibus locis publicis & privatis abolita. *itaque Theodori collegæ ſolummodo nomen in Faſtis remanſit. Cujus meminit etiam Auguſtinus lib. 1. de ordine c. 11.* His temporibus, *inquit,* vir & ingenio & eloquentia & ipſis inſignibus muneribus fortunæ, & quod ante omnia eſt, mente præſtantiſſimus Theodorus, quem bene ipſa noſti *(matrem alloquitur)* id agit, ut & nunc & apud poſteros nullum genus hominum de literis noſtrorum temporum jure conqueratur, *ad eundem librum ſcripſit de vita beata, de quo lib. 1. retract. c. 2.* Diſplicet autem illic, *inquit,* quod Manlio Theodoro, ad quem librum ipſum ſcripſi, quamvis docto & Chriſtiano viro plus tribui quam deberem. *Claudianus in Panegyrico in ejus conſulatum mirifice eum laudat & celebrat ut virum magna eruditione & eloquentia ornatum ac virtutibus omnibus longe præſtantiſſimum, cujus etiam aliquot lucubrationes commemorat, quæ tamen nunc non exſtant.*

ι Gaudentius & Jovius Comites Imperatores Honorii.] *De his ita Proſper. p. 3. de præd. c 38.* Theodoſii vero religioſi principis Imperio per Joviũ & Gaudentium comites omnia templa exſpoliata, quæ vana figmenta quis noſtrum permittitur ignorare: *Verum eo loco Proſper loquitur de imperio Theodoſii ſenioris, cujus comites vocat Gaudentium & Jovium. Hic vero Aug. dicit ab eiſdem demolita eſſe Chartagine templa falſorum deorum Honorio imperante, & quod Proſper cõmemorat contigit an. 11. Theodoſii Senioris, Chriſti 389. Quod vero refert hic D. Auguſt. contigit Imperante Honorio an. 399. Dicendum itaque prius quidem edicto Imper. Theodoſii Senioris Gaudentium & Jovium Idolorum templa ſpoliaſſe, & poſterioribus aliquot annis ita edicente Honorio, ut imperii, ita pietatis ac religionis paternæ herede, Chartagine templa evertiſſe ac ſimulacra fregiſſe. Meminit & ibidem Honorii Proſper his verbis;* Honorius etiam Theodoſii minor filius Chriſtianæ religione ac devotione templa omnia cum ſuis adjacentibus ſpatiis, eccleſiis contulit, ſimulque eorum ſimulacra confringenda in poteſtatem dedit. *Quod vero dicit hic Auguſtinus falſorum Deorum templa everſa & ſimulacra confracta, equidem prius reſcripta emanarant ab Imperatore Honorio de templis diruendis, cum vero Chriſtiani confecto agmine impetum facerent & in celſa & auguſta quæq; templorum ædificia non ſine urbis, ut videbatur, notabili deformitate, idem Honorius poſterioribus reſcriptis juſſit, ut ubique populus à diruendis publicis ædificiis abſtineret, tem-*

templa tamen idolorum purgarentur & expiarentur, & illato crucis ſalutiferæ ſigno Deo vero dicarentur; quod de cæleſti templo Carthagine ampliſſimo & ornatiſſimo factum, cum ibi eſſet, narrat Proſper loco citato, & id quidem de templis, quæ exſtabant, in urbibus, ſed ex reſcripto Arcadii in oriente ſi quæ in agris templa eſſent, jubebantur dirui. C. Theodoſ. de ſacrific. & temp. lib. 56. Mirum quod refert ibidem Proſper, cum Aurelius Epiſcopus Carthaginis illud templum Cœleſtis omnium Deorum ſuorum ædib. vallatum ritu Chriſtiano vero Deo dedicaret, titulus æneis grandioribusque literis in frontiſpicio templi conſcriptis viſus eſt, Aurelius pontifex dedicavit.

κ Usque ad hoc tempus per 30. ferme annos.] *Ad annum usq; Chriſti 429. Theodoſii junioris 22. quo hæc ſcribebat Auguſt.*

λ Non in Petrum credimus, ſed in quem credidit Petrus.] *Idem lib. 3. cont. literas Petiliani cap. 8.* non vos interrogavi utrum ad me converteremini, ſed ad Deum vivum: nec utrum in me credideritis, ſed in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum.

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI
AD MARCELLINUM
DE CIVITATE DEI
LIBER XIX.

Cap. I.

Quòd in quæſtione, quam de finibus bonorum & malorum philoſophica diſputatio ventilavit, ducentas octoginta & octo ſectas eſſe Marcus Varro perſpexit.

Quoniam de civitatis utriusque terrenæ ſcilicet & cœleſtis debitis finibus deinceps mihi video diſputandum, prius exponenda ſunt, quantum operis hujus terminandi ratio patitur, argumenta mortalium, quibus ſibiipſi beatitudinem facere in hujus vitæ infelicitate moliti ſunt, ut ab eorum rebus vanis ſpes noſtra quid differat, quam Deus nobis dedit, & res ipſa, hoc eſt vera beatitudo, quam dabit, non tantum autoritate divina, ſed adhibita etiam ratione, α qualem propter infideles poſſumus adhibere, clareſcat. β De finibus enim bonorum & malorum multa, & multipliciter inter ſe philoſophi diſputarunt. Quam quæſtionem maxima intentione verſantes, invenire conati ſunt, quid efficiat hominem beatum. Illud enim eſt finis boni noſtri, propter quod appetenda ſunt cætera, ipſum autem propter ſeipſum: & illud finis mali, propter quod vitanda ſunt cætera, ipſum autem propter ſeipſum. Finem ergo boni nunc dicimus, non quo conſumatur, ut non ſit, ſed quo perficiatur, ut plenum ſit: & finem mali non

quo

quo eſſe deſinat, ſed quouſque nocendo perducat. Fines itaque iſti ſunt, ſummum bonum, & ſummum malum. De quibus inveniendis atque in hac vita, ſummo bono adipiſcendo, vitando autem ſummo malo, multum, ſicut dixi, laboraverunt, qui ſtudium ſapientiæ in hujus ſeculi vanitate profeſſi ſunt: nec tamen eos quamvis diverſis errantes modis, naturæ limes in tantum ab itinere veritatis deviare permiſit, ut non alii in animo, alii in corpore, alii in utroque fines bonorum ponerent & malorum. Ex qua tripertita velut generalium diſtributione ſectarum, M. Varro in libro de Philoſophia tam multam dogmatum varietatem diligenter & ſubtiliter ſcrutatus advertit, ut ad cclxxxviij. ſectas non quæ jam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent, adhibens quaſdam differentias facillimè perveniret. Quod ut breviter oſtendam, inde oportet incipiam, quod ipſe advertit & poſuit in libro memorato: Quatuor eſſe quædam, quæ homines ſine magiſtro, ſine ullo doctrinæ adminiculo, ſine induſtria vel arte vivendi, *a* γ quæ virtus dicitur, procul dubio diſcitur, velut naturaliter appetunt: δ aut voluptatem: qua delectabiliter movetur corporis ſenſus: aut quietem, qua fit, ut nullam moleſtiam quiſque corporis patiatur, aut utramque, *b* ε quam tamen uno nomine voluptatis Epicurus appellat: *c* ζ aut univerſaliter prima naturæ, in quibus & hæc ſunt, & alia: vel in corpore, ut membrorum integritas, & ſalus atque incolumitas ejus: vel in animo, ut ſunt ea, quæ vel parva, vel magna in hominum reperiuntur ingeniis. Hæc igitur quatuor, id eſt, voluptas, quies, utrumque, prima naturæ, ita ſunt in nobis, ut vel virtus, quam poſteà doctrina inſerit, propter hæc appetenda ſit: aut iſta propter virtutem: aut utraque propter ſeipſa: ac per hoc fiunt hinc duodecim ſectæ. Per hanc enim rationem ſingulæ triplicantur, quod cùm in uno demonſtravero, difficile non erit id in cæteris invenire. Cùm ergò voluptas corporis, animi virtuti aut ſubditur, aut præfertur, aut jungitur, tripertita variatur diverſitate ſectarum. Subditur autem virtuti, quando in uſum virtutis aſſumitur. Pertinet quippè ad virtutis officium, & vivere patriæ, η & propter patriam filios procreare, quorum neutrum fieri poteſt ſine corporis voluptate. θ Nam ſine illa nec cibus potuſque ſumitur, ut vivatur, nec concumbitur, ut generatio propagetur. Cùm verò præfertur virtuti, ipſa appetitur propter ſeipſam. Virtus autem aſſumenda creditur propter illam: id eſt, ut nihil virtus agat, niſi ad conſequendam vel conſervandam corporis voluptatem, quæ vita deformis eſt quidem, quippè ubi virtus ſervit dominæ voluptati, ι quamvis nullo modo hæc dicenda ſit virtus. Sed tamen etiam iſta horribilis turpitudo quoſdam Philoſophos patronos & defenſores habuit. Virtuti porrò voluptas jungitur, quando neutra earum propter alteram, ſed propter ſeipſam ambæ appetuntur. Quapropter ſicut voluptas vel ſubdita, vel prælata, vel juncta virtuti tres ſectas facit, ita quies, ita utraque, ita prima naturæ alias ternas inveniuntur efficere. Pro varietate quippe humanarum opinionum virtuti aliquando ſubduntur, aliquando præferuntur, aliquando junguntur, *d* ac ſic ad duodenarium ſectarum numerum pervenitur. Sed iſte quoque numerus duplicatur adhibita una differentia, ſocialis videlicet vitæ: quoniam quiſquis ſectatur ali-

quam iſtarum duodecim ſectarum, profectò aut propter ſe tantùm id agit, *x* aut etiam propter ſocium, cui debet hoc velle quod ſibi. Quocirca duodecim ſunt eorum, qui propter ſe tantummodo unamquamque tenendam putant: & aliæ duodecim eorum, qui non ſolùm propter ſe ſic vel ſic philoſophandum eſſe decernunt, ſed etiam propter alios, quorum bonum appetunt ſicut ſuum. Hæ autem ſectæ viginti quatuor iterum geminantur, addita differentia ex *e* Academicis novis, & fiunt quadraginta octo. Illarum quippè viginti quatuor, unamquamque ſectarum poteſt quiſque ſic tenere ac defendere ut certam, quemadmodum defenderunt Stoici, quòd hominis bonum, quo beatus eſſet, in animi tantummodo virtute conſiſteret. Poteſt alius ut incertam, ſicut defenderunt Academici novi: quod eis etſi non certum, tamen veriſimile videbatur. Viginti quatuor ergò fiunt per eos, qui eas velut certas propter veritatem & aliæ viginti quatuor per eos, qui eaſdem velut incertas propter veriſimilitudinem ſequendas putant. Rurſus, quia unamquamque iſtarum quadraginta octo ſectarum poteſt quiſque ſequi habitu cæterorum Philoſophorum, *f* itemque poteſt alius habitu Cynicorum, ex hac differentia duplicantur, & nonaginta ſex fiunt. Deinde quia earum ſingulas quaſque ita tueri homines poſſunt atque ſectari, ut aut otioſam diligant vitam, ſicut hi, qui tantummodo ſtudiis doctrinæ vacare voluerunt atque valuerunt: aut negotioſam, ſicut hi, qui cùm philoſopharentur, tamen adminiſtratione reipublicæ, regendiſque rebus humanis occupatiſſimi fuerunt: aut ex utroque genere temperatam, ſicut hi, qui partim erudito otio, partim neceſſario negotio, alternantia vitæ ſuæ tempora tribuerunt: propter has differentias poteſt etiam triplicari numerus iſte ſectarum, & ad ducentas octoginta octo perduci. Hæc de Varronis libro, quantum potui breviter ac dilucidè poſui, ſententias ejus meis explicans verbis. *g* Quomodo autem refutatis cæteris unam eligat, quam vult eſſe λ Academicorum veterum, quos à Platone inſtitutos *h* μ uſque ad Polemonem, qui ab illo quartus ejus ſcholam tenuit, quæ Academia dicta eſt, habuiſſe certa dogmata, vult videri: & ob hoc diſtinguit ab ν Academicis novis, quibus incerta ſunt omnia, ξ quod Philoſophiæ genus *i* ab Archeſila cœpit ſucceſſore Polemonis: eamque ſectam, id eſt, veterum Academicorum ſicut dubitatione, ita omni errore carere arbitretur: longum eſt per omnia demonſtare, nec tamen omni ex parte res omittenda eſt. Removet ergò prius illas omnes differentias, quæ numerum multiplicavere ſectarum: quas ideò removendas putat, quia non in eis eſt finis boni. Neque enim exiſtimat, ullam Philoſophiæ ſectam eſſe dicendam, *k* ο quæ non eo diſtet à cæteris, quòd diverſos habeat fines bonorum & malorum: quandoquidem nulla eſt homini cauſa philoſophandi, niſi ut beatus ſit. Quod autem beatum facit, ipſe eſt finis boni. Nulla eſt igitur cauſa philoſophandi, niſi finis boni. Quamobrem quæ nullum boni finem ſectatur, nulla Philoſophiæ ſecta dicenda eſt. Cùm ergò quæritur de ſociali vita, utrum ſit tenenda ſapienti ut ſummum bonum, quo fit homo beatus, ita velit, & curet amici ſui, quemadmodum ſuum, an ſuæ tantummodo beatitudinis cauſa faciat, quicquid facit: non de ipſo ſummo

mo bono quæſtio eſt,ſed de aſſumendo vel non aſſumendo ſocio ad hujus participationem boni,non propter ſeipſum,ſed propter eundem ſocium, ut ejus bono ita gaudeat,ſicut gaudet ſuo. Item cùm quæritur de Academicis novis, quibus incerta ſunt omnia,utrum ita ſint res habendæ, in quibus philoſophandum eſt,an ſicut aliis Philoſophis placuit,certas eas habere debeamus : non quæritur, quid in boni fine ſectandum ſit, ſed de ipſius boni veritate, quod videtur ſectandum utrum ſit nec ne, dubitandum : hoc eſt, ut id planius eloquar,utrum ita ſectandum ſit,ut qui ſectatur, dicat eſſe verum : an ita, ut qui ſectatur, dicat verum ſibi videri,etiam ſi fortè ſit falſum, tamen uterque ſectetur unum atque idem bonum. In illa etiam differentia, quæ adhibetur π ex habitu & conſuetudine Cynicorum , non quæritur, quiſnam ſit finis boni , ſed utrum in illo habitu & conſuetudine ſit vivendum ei,qui verum ſectatur bonum,quodlibet ei verum videatur eſſe atque ſectandum. Denique fuerunt, qui cùm diverſa ſequerentur bona finalia,alii virtutem,alii voluptatem , eundem tamen habitum & conſuetudinem tenebant, ex quo Cynici appellabantur. Ita illud quicquid eſt, ę unde Philoſophi Cynici diſcernuntur à cæteris , ad eligendum ac tenendum bonum,quo beati fierent,utique nil valebat. Nam ſi aliquid ad hoc intereſſet profectò idem habitus eundem finem ſequi cogeret, & diverſus habitus eundem ſequi finem non ſineret.

a Quæ virtus dicitur,& procul dubiò diſcitur.] *Magna eſt inter veteres diſceptatio,diſcaturne virtus,aliis natura dari bonis,negari malis affirmantibus: aliis eam uſu doctrinaq; percipi. Plato interdum his accedere , interdum illis videtur : ſed haud dubium,quin virtutem & natura ex ſe non prava,& præcepta,& exercitatio & inſtituant & perficiant : quæ veteres dixerunt φύσιν, λόγον, καὶ ἄσκησιν, quæ ſic ſunt in virtute neceſſaria,ut in artibus,ut etiam in frugibus, in quibus opus eſt pingui ſolo,bonis ſeminibus,& agricolæ diligentia. Plutarchi libellus eſt, vel potius ſchedula ὅτι διδακτὴν ἀρετή.* L. Vives.

b Quam tamen uno nomine voluptatis.] *Non ſolùm jucundum illum, ut delectabilem ſenſum nominant Epicurus voluptatem,ſed etiam adverſi illius aſperi & moleſti vacuitatem Cicero 1. de Finibus,verbis Torquati Epicurei : Nam quoniam quum privamur dolore, ipſa liberatione & vacuitate omnis moleſtiæ gaudemus. Omne autem id,quo gaudemus,voluptas eſt: ut omne,quo offendimur dolor: doloris omnis privatio rectè eſt nominata voluptas.*

c Univerſaliter prima naturæ.] *Iſta ſunt Stoicis frequentia,& penè propria,de quîs multa variis locis apud Cic. mentio.*

d Ac ſic ad duodenarium ſectarum numerum.] *Multò plures conficerentur ſectæ, ſi omitteretur in aliqua ratione ſummi boni virtus : tum voluptas conferretur quieti,& primis naturæ, deinde quies primis naturæ : ſed nullus fuit tam perditæ Philoſophus frontis,ut tametſi voluptatem in faſtigio locaret bonorum, virtutem tamen ab illa velut ſede felicitatis excluderet.*

e Ex Academicis novis.] *Sequitur vulgatam hac de re opinionem : nam ipſe Varro apud Ciceronem dicit. Hanc Archeſilæ Academiam videri ſibi veterem à So-*

erat instiutum, à Platone confirmatam, & literis mandatam. Euſeb. lib. 14. Præpar. Evang. tertiam Carneadis Academiam addit, quæ media vocatur: aliter Laërtius, qui veterem Academiam Platoni, mediam Archeſilæ, novam Lacydæ hujus diſcipulo attribuit.

f Itemque poteſt alius habitu Cynicorum.] *Hujus ſectæ fundator Antiſthenes diſcipulus fuit Socratis, homo in primis à voluptate averſus, quales ferè fuerunt, qui dicti ſunt Cynici: & ſi nonnulli cultu ſimili voluptatibus dediti fuere, de quibus Origenes ſentit, quum in Exodum ſcribens, Cynomitam Cynicorum ſectæ comparat, quæ ad reliquas deceptiones ſuæ improbitatis etiam voluptatem & libidinem ſummum prædicant bonum. Quod miror, ſi de tota Cynicorum ſecta in univerſum dicat: illa præſertim antiqua, cui erat illud proverbium in ore frequens: Malim inſanire, quàm voluptate perfrui. Et fieri poteſt ut Hieronymus Origenem ſecutus, Ariſtippum & Cynicos faciat aſſertores voluptatis in Eccleſiaſt: quo loco nos pro Cynicis Cyrenaicos emendavimus, certè veriore ſenſu, quàm ſi Cynicos legas. Illud annotandum, quòd Cynicam vitæ rationem Diogenes Laërtius non ſectæ modum quendam eſſe ait, ut quidam putârunt, ſed veram & juſtam ſectam.*

g Quomodo autem refutatis cæteris] *Hos autem ſolos Cicero 5. de Finibus probavit, aliis rejectis, quorum ſententia non multum ab Ariſtotelica abeſt, imò ferè eſt eadem: quippè Ariſtoteles in libris Moralibus optima, quæq; ex Platone magiſtro ſumpſit.*

h Uſque ad Polemonem, qui ab illo quartus.] *Platoni ſucceſſit Speuſippus ſororis ejus filius: huic viventi adhuc, ſed morbis contuſo & fracto, Xenocrates Xenocrati Polemo, qui Athenienſis fuit prima adoleſcentia luxui & libidini deditus unica oratione à Xenocrate ad meliorem frugem adductus, magnusq; ſapientiæ affectator factus. Valerius Maximus hunc in exemplum affert mutationis morum. Fuit & Polemo Hellanicus Iliaus, cujus hiſtoriam interdum citavimus. Fuit etiam Polemo Laodicæus Sophiſta.*

i Ab Archeſilao cœpit.] *Hic fuit ex Pitane civitate Æoliæ, quem more Socratis diſputaſſe ſemper in utramque partem ferunt, nullumq; reliquiſſe ſuorum ſtudiorum monumentum, & in hoc quoque Socratem imitatum, Cicero Archeſilam nominat, & ſic eſt in antiquis Auguſtini codicibus.*

k Quæ non eo diſtet à cæteris, quod diverſos habeat fines.] *Inter veteres Philoſophos ſic conſtabat, ut de tota Philoſophiæ ratione diſſentiret, qui de ſummo bono non aſſentiretur.*

P.L. Cog. *a* QUalem propter infideles poſſumus adhibere.) *Licet enim nullum majus ſit teſtimonium divino, quod ſacris literis continetur, ac inde ad rei veritatem aliquam vel eruendam vel confirmandam firmius ac validius argumentum petatur, & Sacra ſcriptura ſeu divina ſit potiſſimus ac præcipuus locus, unde Theologus argumentetur, nihilominus quia omnibus omnia fieri debet, ut omnes lucrifaciat, & omnium captui ſeſe accommodare, ſi cum infidelibus ſit illi agendum, quibus ſacra ſcriptura non probatur, rationes prout poterit, probabiles adferre debebit. Exhibenda enim cuiq; ſunt, quæ ei conveniunt, & ſunt magis familiaria, ut inde facilius*

Hi pedetentim ad veritatis notitiam deducantur. Ita Patres illi antiqui in ſacris literis inſtructiſſimi, cum negotium illis eſſet cum infidelibus, ad ea etiam ſuadenda, quæ fidei noſtræ ac religionis ſunt propria, ex naturali ratione petita argumenta inſeruerunt. Ita D. Auguſtinus ad docendum quantum differant vanæ Gentilium ſententiæ de ſummo bono à ſpe Chriſtianorum & vera illa beatitudine, quam à Deo promiſſam ſperant, dicit ſe non tam adhibiturum divinam authoritatem quam humanam rationem. Nam ſicut infans ſolidi ac fortis cibi capere vim non habet ob ſtomachi teneritudinem, ſed liquore lactis ac mollitudine alitur, donec firmatis viribus veſci fortioribus poſſit, ita & infidelibus, qui nondum poſſent capere divina, prius humana teſtimonia adferenda & ex natura petitæ rationes proponendæ ſunt, quam divinis teſtimoniis, quæ non admitterent, redarguendi.

β De finibus bonorum & malorum multa & multipliciter diſputarunt.] *Quinque libros de finibus bonorum & malorum Cicero poſteritati reliquit, in quibus ſingula de finibus dogmata excutit. Cum vero ignorarint Philoſophi illud ſummum bonum, quo ultimo referendæ ſint omnes actiones noſtræ, hinc in varias ſententias neceſſario ſunt diſtracti. Ut enim ſcribit Philoſophus 2. Ethicorum*, multis modis peccare licere, uno modo bene agere, ita etiam error multiplex eſt, veritas una & ſimplex. *Non mirum itaq; ſi ex diſputatione de ſummo bono tot ſententiæ natæ ſint, cum illud ignorarint. Proſper Aquitanicus lib. contra collati.* Neque enim ignotum eſt, (*inquit*) quantum Græcæ ſcholæ, quantum Romana eloquentia & totius mundi inquiſitio circa ſummum bonum acerrimis ſtudiis, excellentiſſimis ingeniis laborando nihil egerunt.

γ Quæ virtus dicitur & procul dubio diſcitur.) *Plutarchus libello.* ὅτι ἀρετὴ διδακτὸν. *Virtutem enim moralem non innatam eſſe nobis à natura, docet Ariſtoteles 2. Ethic. c. 1.*

δ Aut voluptatem, qua delectabiliter movetur.] *Ita definitur apud Cicero. 2. de finibus voluptas,* Jucundus ſenſus in motu.

ε Quam tamen uno nomine voluptatis Epicurus appellat.] *Vacuitatem moleſtiæ & doloris Epicurus voluptatem appellat apud Laertium. quin & voluptatem ita definiebat,* μήτ' ἀλγεῖν κατὰ σῶμα ταράττεσθαι κατὰ τὴν ψυχήν. *Quod idẽ affirmat Torquatus apud Ciceronem lib. 2. de finibus, & Seneca lib Vit. beat qui tamen epiſt. 8. neq; indolentiam nec quietem ipſam moleſtia vacare contendit eſſe bonum.*

ζ Aut univerſaliter prima naturæ.] *De his primis naturæ ita apud Ciceronem lib. 2. de finibus;* omne animal ſimul ut ortum eſt, & ſeipſum & omnes partes ſuas diligit. duasque res, quæ maximæ ſunt, inprimis amplectitur, animum & corpus, deinde utriusque partes. Nam ſunt & in animo præcipua quædam, & in corpore. quæ cum leviter agnovit, tunc diſcernere incipit, ut ea quæ prima data ſunt natura appetat, aſpernetur quæ contraria. In his primis naturalibus voluptas inſit nec ne, magna quæſtio eſt: nihil vero putare eſſe præter voluptatem, non membra, non ſenſus, non ingenii motum, non integritatem corporis, non valetudinem, ſummæ mihi videtur inſcitiæ. Hæc ergo ſunt, quæ prima dicuntur naturæ, & *lib. 3. de finibus,* Satis eſſe ar-

gumenti videtur quamobrem illa, quæ natura prima ſunt aſcita, natura diligamus, quod eſt nemo, quin cum utrumvis liceat, aptas malit & integras omnes partes corporis, quam eodem uſu imminutas & detortas habere.

η Et propter patriam filios procreare.] *Apud Dionem lib 56.* Laudavit Auguſtus publice nuptias quod multitudinem augerent, quod conveniat naturæ mortalitatem perpetua ſtirpis ſucceſſione quaſi facem aliis ſubinde porrigentibus compenſare, ut qua ſola re à divina fœlicitate abſumus, eam perennitatem mutuo invicem nobis tradamus; graviorem mulctam innuptiis utriusque ſexus ſtatuit, nuptiarum & multitudinis liberorum præmia conſtituit.

θ Nam ſine illa nec cibus potusque ſumitur.] *Seneca epiſt. 16.* voluptatem natura rebus neceſſariis admiſcuit, non ut illa peteremus, ſed ut ea, ſine quibus non poſſumus vivere, gratiora nobis faceret illius acceſſio. *Ita natura in his actionibus, quæ neceſſariæ ſunt tum ad conſervationem individui, tum ad conſervationem ſpeciei quandam voluptatem indidit.*

ι Quamvis nullo modo hæc dicenda ſit virtus.] *Ita Seneca lib. 1. de Benef. c. 2.* Apud Epicureos, *inquit,* virtus voluptatum miniſtra eſt, illis paret, illis deſervit, illas ſupra ſe videt. *poſt.* non eſt virtus ſi ſequi poteſt, primæ partes eius ſunt, ducere debet, imperare, ſummo loco ſtare, *lib. de Beata Vita c. 17. ita deſcribit virtutem & voluptatem, ut alium quoddam ſit virtus, excelſum, regale, invictum, infatigabile, voluptas, humile, ſervile, imbecillum, caducum, & c. 11.* Virtus autem quomodo voluptatem reget quam ſequitur, cum ſequi parentis ſit, regere imperantis? A tergo ponitis quod imperat, egregium autem apud vos virtutis officium voluptates prægustare, ſed videbimus an apud quos tam contumelioſe tractata virtus eſt, adhuc virtus ſit; quæ habere ſuum nomen non poteſt, ſi loco ceſſit, & *c. 14.* virtus antecedat, comitetur voluptas, & circa corpus ut umbra verſetur. Virtutem quidem excelſiſſimam omnium voluptati tradere ancillam, nihil magnum animo capientis eſt, prima virtus ſit, hæc ferat ſigna.

κ Aut etiam propter ſocium.] *Ita Seneca Epiſt. 6.* nullius boni ſine ſocio jucunda poſſeſſio eſt, & *Ariſtoteles lib. 10. Ethic. ad beatitudinem oſtendit etiam requiri amicos.*

λ Academicorum veterum, quos à Platone inſtitutos.] *Ita Cicero in Academ. Veterem Academiam Platonicam vocat, novam, quæ uſque ad Carneadem perducta eſt. qui quartus ab Arceſila fuit, in eademq́; Arceſilæ ratione permanſit.*

μ Usque ad Polemonem, qui ab illo quartus.] *Ut author eſt Cicero lib. 1. Academ. quæſt. Speuſippus & Xenocrates primi Platonis rationem authoritatemq́; ſuſceperant, & poſt eos Polemo.*

ν Academicis novis, quibus incerta ſunt omnia.] *Ita Cicero lib. 3. de Oratore.* Arceſilas primum qui Platonem audierat ex variis Platonis libris, ſermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil eſſe certi, quod aut ſenſibus aut animo percipi poſſit. Nova Academia nihil affirmabat, verum rem propoſi-

poſitam in utramque partem verſabat ſemper dubitabunda & incerta, veriſimilium conſectatrix, aliorum rationes adverſa ſubvertens argumentatione. *Idem Cicero libr. 2. Academic. queſt. author eſt, eos habuiſſe hoc decretum, nihil poſſe percipi, & lib. 2. de finibus*: Academici nihil affirmant & quaſi deſperata cognitione certi id ſequi volunt quodcumque veriſimile videtur. *& lib. 2. Acade. queſt. citato*; cum jam (*inquit*) graviſſimæ Philoſophorum diſciplinæ conſtitiſſent, tum exortus ut in optima Republica Tiberius Gracchus, qui otium perturbaret, ſic Arceſilas, qui conſtitutam Philoſophiam everteret & in eorum authoritate deliteſceret, qui negaſſent quicquam ſciri aut percipi poſſe. *De ea re Lactantius lib. 3. c. 6. Eorum ſententiam etiam exagitat Tertullianus lib. de anima c. 17.*

ξ Quod Philoſophiæ genus ab Arceſila cœpit.] *Ita etiam Cicero lib. 1. de leg. & in Academ. Academiam novam ab Arceſila & Carneade ſcribit inſtitutam, uti quoq; Galenus & Lucianus ſentiunt. Laertius autem in proœmio à Lacyde vult inſtitutam.* Λακύδης ὁ τὴν νέαν Ἀκαδημίαν φιλοσοφήσας, *& Platonem veteris Academiæ vult fuiſſe principem, mediæ Archeſilaum, novæ Lacydena;* Ἀκαδημιακῆς μὲν τῆς ἀρχαίας προέστη Πλάτων, τῆς μέσης Ἀρχεσίλαος, τῆς νέας Λακύδης.

ο Quæ non eo diſtet à cæteris.] *Primum ac potiſſimum, in quo verſabantur Philoſophi, erat inveſtigatio ſummi boni: unde illi inter ſe conſentire videbantur & ejuſdem eſſe ſectæ, qui in diſputatione de ſummo bono conveniebant; qui vero novam opinionem de ſummo bono invexiſſent, videbantur & conſequenter novam ſectam introducere.*

π Ex habitu & conſuetudine Cynicorum.] *Antiſthenes diſcipulus Socratis Cynicam ſectam primus inſtituit, ac princeps in ea fuit. Auſonius de eodem*, Inventor primus Cynices ego. *Hic primus pallium duplicavit, ipſoq; ſolo utebatur, baculumq; ſumpſit ac peram, ut refert Laertius in ejus vita, quo habitu cæteri deinceps uſi ſunt. Unde eleganter Apuleius*: Diogeni & Antiſtheni pera & baculus quod regibus diadema, quod Impp. paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituus auguribus. *Porro Cynici ideo appellati ſunt, ſeu quod Antiſthenes in gymnaſio, quod* κυνόσαργες *appellabatur, diſſereret, ſeu* à canina mordacitate, *qua in hominum vitas nullo diſcrimine invehebantur.*

ϱ Unde Philoſophi Cynici diſcernuntur à cæteris.] *Laertius quidem in vita Menedemi (quod & hic Vives obſervavit) tradidit Cynicam fuiſſe juſtam ſectam & veram, non ſectæ modum quendam: verum ſi diverſitas ſectarum pendet à diverſitate finis & ſummi boni, ut hic vult D. Auguſtinus, illi haud dubie cum Stoicis conveniebant, idemq; Philoſophandi genus conſectabantur, ſi excipias Cynicos paulo ſeverius vixiſſe: quod & in Laertio loco ſupra citato videre eſt. Huic etiam ſententiæ favet Epictetus Stoicus apud Arrianum lib. 3. cap. 22. ubi Cynicum Stoico ſuperiorem fatetur propter eximiam ſeveritatem, atq; etiam ab ipſo Jove ſecundum*; Scire debet Cynicus (*inquit*) ſe à Jove legatum eſſe, ut hominibus quæ mala ſunt, quæ bona, nuntiet.

CAP.

CAP. II.

Quomodo remotis omnibus differentiis, quæ non ſectæ, ſed quæſtiones ſunt ad tripertitam ſummi boni definitionem Varro perveniat, quarum tamen una ſit eligenda.

IN *a* tribus quoque illis vitæ generibus, uno ſcilicet non ſegniter, ſed in contemplatione vel inquiſitione veritatis otioſo, altero in gerendis rebus humanis negotioſo, tertio ex utroque genere temperato, cum quæritur quid horum ſit potius eligendum, non finis boni habet controverſiam, ſed quid horum trium difficultatem, vel facilitatem afferat ad conſequendum, vel retinendum finem boni, id in iſta quæſtione verſatur. Finis enim boni, cum ad eum quisque pervenerit, protinus beatum facit. *β* In otio autem literato, vel in negotio publico, vel quando utrumque vicibus agitur, non continuo quisq; beatus eſt. Multi quippe in quolibet horum trium poſſunt vivere, & in appetendo boni fine, quo fit homo beatus, errare. Alia eſt igitur quæſtio de finibus bonorum & malorum, quæ unamquamque philoſophorum ſectam facit: & aliæ quæſtiones de ſociali vita, *γ* de cunctatione Academicorum, de veſtitu & victu Cynicorum, de tribus vitæ generibus, otioſo, actuoſo, & ex utroque modificato, quarum nulla eſt in qua de bonorum & malorũ generibus diſputatur. Proinde quoniam Marcus Varro has quatuor adhibens differentias, id eſt, ex vita ſociali, ex Academicis novis, ex Cynicis, ex iſto vitæ genere tripertito ad ſectas ducentas octoginta pervenit, & ſi quæ aliæ poſſunt ſimiliter adjici, remotis eis omnibus, quoniam de ſectando ſummo bono *a* nullam inferunt quæſtionem, & ideo ſectæ nec ſunt, nec vocandæ ſunt: ad illas duodecim, in quibus quæritur, quid ſit bonum hominis, quo aſſecuto fit beatus, ut ex eis unam veram, cæteras falſas oſtendat eſſe, revertitur. Nam remoto illo tripertito genere vitæ, duæ partes huius numeri detrahuntur, & ſectæ nonaginta ſex remanent. Remota vero differentia ex Cynicis addita, ad dimidium rediguntur, & quadraginta octo fiunt. Auferamus etiam quod ex Academicis novis adhibitum eſt, rurſus dimidia pars remanet, id eſt, viginti quatuor. De ſociali quoque vita quod acceſſerat, ſimiliter auferant, & duodecim ſunt reliquæ, quas iſta differentia, ut viginti quatuor fierent, duplicaverat. De his ergo duodecim nihil dici poteſt, cur ſectæ non ſint habendæ. Nihil quippe aliud in eis quæritur, quam finis bonorum & malorum. Inventis autem bonorum finibus, profecto econtrario ſunt malorum. Hæ autem ut fiant duodecim ſectæ, illa quatuor triplicantur, voluptas, quies, utrumque, *b* & *δ* prima naturæ, quæ primigenia Varro vocat. Hæc quippe quatuor dum ſigillatim virtuti aliquando ſubduntur, ut non propter ſeipſa, ſed propter officium virtutis appetenda videantur: aliquando præferuntur, ut non propter ſeipſa, ſed propter hæc adipiſcenda vel conſervanda neceſſaria virtus putetur: aliquando junguntur, ut propter ſeipſa & virtus, & iſta appetenda credantur; quaternarium nume-

rum triplum reddunt, & ad duodecim ſectas perveniunt. Ex illis autem quatuor rebus Varro tres tollit, voluptatem ſcilicet, & quietem, & utrumque: non quod eas improbet, ſed quod ε primigenia illa naturæ, & voluptatem in ſe habeant, & quietem. Quid ergo opus eſt ex his duabus tria quædam facere, duo ſcilicet cum ſigillatim appetuntur voluptas aut quies: & tertium cum ambæ ſimul: quandoquidem prima naturæ, & ipſas, & præter ipſas, alia multa contineant? De tribus ergo ſectis ei placet diligenter eſſe tractandum, quæ nam ſit potius eligenda. Non enim veram plusquam unam vera ratio eſſe permittit, ſive in his tribus ſit, ſive alicubi alibi, quod poſt videbimus. Interim de his trib⁹, quomodo unam Varro eligat, quantum breviter aperteque poſſumus, diſſeramus. Iſtæ nempe tres ſectæ ita fiunt, cum vel prima naturæ propter virtutem, vel virtus propter prima naturæ, vel utraque, id eſt & virtus, & prima naturæ propter ſeipſa ſunt expetenda.

a NUllam inferunt quæſtionem.] *Nam & ſi adminiculari videntur ſummo bono uſu ſuo recto, vel ſecus, de ratione tamen illius neutiquam ſunt.* L. Vives.

b Et prima naturæ, quæ primigenia Varro vocat.] *Hæc Cicero dicit eſſe incolumitatem conſervationemque omnium partium, valetudinem, ſenſus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, cæteraq; generis ejusdem, quorum ſimilia ſunt prima in animis, quaſi virtutum igniculi & ſemina: quæ adoleſcere ſi liceret, nec à pravis opinionibus ceu ſpinis ſuccreſcentibus præfocarentur, ipſa nos ad beatam vitam perducerent.*

α TRibus illis vitæ generibus.] *Ita Ariſtoteles 1. Ethico. cap. 5. triplicem vitam diſtinguit, Voluptariam, civilem, & in contemplatione poſitam, & 7. politic. vitam humanam diſtinguit, in otium eorum, qui contemplationem ſequuntur, & negotium eorum, qui in actionibus verſantur. De his Cicero lib. 1. Officio. ubi alioquin otioſæ vitæ, quæ etiam verſetur in contemplatione, præfert eorum vitam, qui ſe ad Rempublicam & ad magnas res gerendas accomodant, ut fructuoſiorem hominum generi & ad claritatem amplitudinemq; aptiorem. Ariſtoteles autem lib. 10. contemplationem præfert, atq; in ea beatitudinem potiſſimum ſitam eſſe contendit.* F. L. Cog.

β In otio autem literato.] *Ita vocat Cicero libr. 5. Tuſculanarum quæſtio.* quid enim eſt dulcius, *ait*, otio literato. *Et recte quidem. Nam ut eleganter Seneca epiſtola 92.* Otium ſine literis mors eſt, & hominis vivi ſepultura.

γ De cunctatione Academicorum.] *Quod cohibeant aſſenſum, & nihil certo poſſe ſciri affirment.*

δ Prima naturæ quæ primigenia Varro vocat.] Primigenia ſemina, *dicuntur*, quæ à natura nobis inſita ſunt. *Cicer.* prima naturalia, *Græci*, τὰ πρῶτα τῆς φύσεως *appellant. In his numerant incolumitatem, conſervationemq; omnium partium, valetudinem, ſenſus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem cæteraq; huiusmodi.*

ε Primigenia illa naturæ voluptatem in ſe habeant.] *Cicero lib. 2. de finibus,* In his primis naturalibus voluptas inſit nec ne, magna quæſtio eſt.

CAP. III.

De tribus ſectis ſummum hominis bonum quærentibus, quam eligendam Varro definiat, ſequens veteris Academiæ, Antiocho autore, ſententiam.

QVid ergo iſtorum trium ſit verum atque ſectandum iſto modo perſuadere conatur. Primum quia ſummum bonum in philoſophia non arboris, non pecoris, non Dei, ſed hominis quæritur, quid ſit ipſe homo, quærendum putat. Sentit quippe in ejus natura duo eſſe quædam corpus & animam, & horum quidem duorum melius eſſe animam, longeque præſtabilius omnino non dubitat. Sed utrum anima ſola ſit homo, ut ita ſit ei corpus tanquam equus equiti, quærendum putat. *a α* Eques enim non homo & equus, ſed ſolus homo eſt: ideo tamen eques dicitur, quod aliquo modo ſe habeat ad equum. An corpus ſolum ſit homo, aliquo modo ſe habens ad animam, ſicut poculum ad potionem: non enim calix & potio, quam continet calix *b β* ſimul dicitur poculum, ſed calix ſolus: ideo tamen quod potioni continendæ ſit accommodatus. An vero nec anima ſola, nec ſolum corpus, ſed ſimul utrumque ſit homo, cujus pars ſit una ſive anima, ſive corpus, ille autem totus ex utroque conſtet, ut homo ſit: ſicut duos equos junctos bigas vocamus, quorum ſive dexter, ſive ſiniſter pars eſt bigarum, unum vero eorum quoquo modo ſe habeat ad alterum, bigas non dicimus, ſed ambos ſimul. Horum autem trium hoc eligit tertium, hominem neque animam ſolam, nec ſolum corpus, ſed animam ſimul & corpus eſſe arbitratur. Proinde ſummum bonum hominis, quo fit beatus, ex utriusque rei bonis conſtare dicit, & animæ ſcilicet & corporis. Ac per hoc prima illa naturæ propter ſeipſa exiſtimat eſſe expetenda ipſamque virtutem, quam doctrina inſerit velut artem vivendi, quæ in animæ bonis eſt, excellentiſſimum bonum. *c* Quapropter eadem virtus, id eſt, ars agendæ vitæ, cum acceperit prima naturæ, quæ ſine illa erant, ſed tamen erant etiam, quando eis doctrina adhuc deerat, omnia propter ſeipſam appetit, ſimulque etiam ſeipſam: omnibusque ſimul & ſeipſa utitur, eo fine ut omnibus delectetur atque perfruatur, *d* magis minusque, ut quæque inter ſe majora atque minora ſunt, tamen omnibus gaudens, & quædam minora, ſi neceſſitas poſtulat, propter majora vel adipiſcenda vel tenenda, contemnens. *e γ* Omnium autem bonorum vel animi vel corporis, nihil ſibi virtus omnino præponit. Hæc enim bene utitur & ſeipſa, & cæteris quæ hominem faciunt beatum, bonis. Ubi vero ipſa non eſt, quamlibet multa ſint bona, non bona ejus ſunt, cujus ſunt: ac per hoc nec ejus bona dicenda ſunt, cui male utenti utilia eſſe non poſſunt. Hæc ergo vita hominis, quæ virtute & aliis animi & corporis bonis, ſine quibus virtus eſſe non poteſt, fruitur, beata eſſe dicitur. Si vero & aliis, ſine quibus eſſe virtus poteſt, vel ullis vel pluribus, beatior. Si autem prorſus omnibus, ut nullum omnino bonum deſit, vel animi vel corporis, beatiſſima. Non enim hoc eſt vita quod virtus: quoniam non

Homo quid.

non omnis vita, ſed ſapiens vita virtus eſt: & tamen qualiscunque vita ſine ulla virtute poteſt eſſe: virtus vero ſine ulla vita non poteſt eſſe. Hoc & de memoria dixerim atque ratione, & ſi quid aliud tale eſt in homine. Sunt enim hæc & ante doctrinam, ſine his autem non poteſt eſſe ulla doctrina: ac per hoc nec virtus, quæ utique diſcitur. Bene autem currere, pulchrum eſſe corpore, viribus ingentibus prævalere, & cætera huiusmodi talia ſunt, ut & virtus ſine his eſſe poſſit, & ipſa ſine virtute bona ſint: tamen & ſecundum iſtos etiam ipſa propter ſeipſam diligitur virtus, utiturq; illis & fruitur, ſicut virtutem decet. *f* Hanc vitam beatam etiam ſocialem perhibent eſſe, *g* quæ amicorum bona propter ſeipſa diligat ſicut ſua, eisq; propter ſeipſos hoc velit quod ſibi: ſive in domo ſint, ſicut conjunx, & liberi & quicunque domeſtici: ſive in loco, ubi domus eius eſt, ſicuti eſt urbs, ubi ſunt hi qui cives vocantur: ſive in toto orbe, ut ſunt gentes, quas ei ſocietas humana conjungit: ſive in ipſo mundo, qui cenſetur nomine cœli & terræ, ſicut eſſe dicunt deos, quos volunt amicos eſſe homini ſapienti, quos nos familiarius angelos dicimus. De bonorum autem, & econtrario malorum finibus negant ullo modo eſſe dubitandum, & hanc inter ſe & novos Academicos affirmant eſſe diſtantiam, nec eorum intereſt quicquam, ſive Cynico, ſive alio quolibet habitu & victu in his finibus quos veros putant, quiſque philoſophetur. Ex tribus porro illis vitæ generibus, otioſo, actuoſo, & quod ex utroque compoſitum eſt, hoc tertium ſibi placere aſſeverant. Hæc ſenſiſſe atque docuiſſe Academicos veteres, Varro aſſerit, autore *g* Antiocho magiſtro Ciceronis & ſuo, quem ſane Cicero in pluribus fuiſſe Stoicum, quam veterem Academicum vult videri. Sed quid ad nos. qui potius de rebus ipſis judicare debemus, quam pro magno de hominibus quid quisque ſenſerit ſcire?

a EQues enim.] *At Gellius, Marcellus, Macrobius & Servius docent, equitem pro equo accipi, afferuntque Ennium,* An non quadrupedes equites equitare, *vij. Annalium. & ibidem:* Denique vi magna quadrupes eques atque elephanti projiciunt ſeſe: *& Virg. lib. 3.* Atque equitem docuere ſub armis inſultare ſolo. *Omnes enim antiqui ſcriptores, ait Macrobius lib. 6. Sat. ut hominem equo inſidentem, ita & equum cum portaret hominem, equitem vocarunt: & equitare non hominem tantùm, ſed & equum quoque dixerunt.* L. Vives. Eques.

b Simul dicitur poculum.] *Eſt etiam poculum id, quod potatur, præſertim apud poetas: ut apud Verg 1. Georg.* Poculum.

Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis.

c Quapropter eadem virtus, id eſt, ars agendæ vitæ.] *Hæc ex igniculis illis, & vulz ſeminibus naſcitur & adoleſcit, quæ indita nobis eſſe dicuntur à natura, quæ virtus cum vel perfecta eſt, vel adulta, adjungit ſecum illa prima natura corporis animique, & iis velut comitibus inſtructa efficit beatitudinem, per ſe expetendam, ut eſt ſententia Academicorum, rationemq; vitæ bonorum omnium cumulatione abſolutam: quæ omnia, ſi quis fusè cupit videre explicata, Ariſtotelem adeas in libris Mo-*

ralibus: aut ſi apertius atque elegantius, Cic 5. de finibus: niſi ex Platone iſtorum omnium fonte malit petere, majore quidem labore, ſed certè purius & uberiore fructu.

d Magis minusque.] *Magis enim expetenda ſunt animi bona quàm corporis, & inter bona corporis magis valetudo quàm robur, magis integritas ſenſuum quàm pernicitas pedum.*

e Omnium autem bonorum.] *Probè enim ſe novit ipſa virtus, nec arrogantia hac eſt ejus, ſed ſapientia, qua videt id, quod eſt, nihil ſe præſtantius inveniri.*

Stoici. f Hanc vitam beatam.] *Stoici beatam vitam verſaturum in republica dicunt, ſed quemadmodum hoc intelligendum ſit, explicat Seneca in libello de vita beata. Nam cum reſpublicas duas Stoici faciant: alteram magnam & verè publicam, qua dii atque homines continentur, qui eſt mundus univerſus: alteram, cui nos adſcripſit conditio naſcendi, ut Athenienſes aut Carthaginenſes: ſunt qui reip. majori dent operam, ut qui in contemplatione rerum pulcherrimarum ſunt toti, alii minori, ut qui in actione vitæ, quæ ad illam civitatem pertinet, in qua nati ſumus, alii utrique. Adde, quod vir ſapiens beatusq; ad remp. non accedit, ſi vel ipſa eum non admittat, ſeu propter fortunam, ſeu propter dignitatem, vel corruptiores ſint ejus mores, quam ut Zenoni & emendari poſſint, qua cauſa Platoni homini nobili, ne remp. attingeret, prior illa fuit Chryſippo, aliisq; compluribus.*

Antiochus. g Antiocho.] *Hic Aſcalonita fuit, docuitq; Ciceronem, Varronem, Lucullum, & alios plerosque nobiles Romanos, ſequebaturq; veterem Academiam, ſed ita, ut ad Zenonicam ſectam inclinaret: eamq; non tam Stoicam diſciplinam novam vocandam autumabat, quam antiquæ Academiæ correctionem: idcirco ejus Antiochi, & de aliis rebus permultis, & in primis de ſummo bono ſententia Bruto, qui ejus fratrem Ariſtum audiebat, cæterisque Stoicis vehementer probabatur: ac profectò eandem prope eſſe Stoicorum & Academicorum hæreſim, diximus aliis libris, verbis tantum inter ſe diſtare, mutatis perpaucis quibusdam, quam Antiochus correctionem veteris diſciplinæ nominabat.*

F.L. coq. α EQues enim, non homo & equus.] *Dicitur homo inſidens equo; nihilominus ſumitur quandoq; pro equo. Virgilius 3. Georgi.*

Impoſiti dorſo atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo & greſſus glomerare ſuperbos.

In fragmentis Ennii.

Quadrupedes equites equitare.

Id obſervavit Agellius lib. 18. cap. 5. id etiam ſubjiciens: pleraque veterum ætas & hominem equo inſidentem, & equum qui inſideretur, equitem dixerunt; equitare etiam & homo equo utens & equus ſub homine gradiens dicebatur; *Et Macrobius lib. 6. Saturnal. cap. 9.*

β Simul dicitur poculum, ſed calix ſolus.] *Sumitur tamen etiam aliquando pro ipſo potu ſive potione. Virgilius 2. Georg.*

Pocula ſi quando ſævæ infecère novercæ.

γ Omnium bonorum animi vel corporis nihil virtus ſibi proponit.] *Plutarchus*

tarchus lib. de utilitate ex inimicis capienda; ἅπας ὁ ὑπὲρ γῆς καὶ ὁ ὑπὸ γῆν χρυσὸς οὐκ ἀντάξιος ἀρετῆς κατὰ Πλάτωνα, καὶ τὸ τοῦ Σόλωνος ἔχει αἰεὶ δεῖ πρόχειρον, ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον.

ð Quæ amicorum bona propter ſe diligit ut ſua.] Illud enim eſt vere amare (*ait Cicero in Lælio*) eum ipſum diligere quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quæſitum, *& lib. 1. de Nat. deor.* amicitiam ſi ad fructum noſtrum referamus, non ad illius commoda quem diligimus, non erit iſta amicitia, ſed mercatura quædam utilitatum ſuarum; prata & arva & pecudum greges diliguntur iſto modo, quod fructus ex eis capiuntur, hominum charitas & amicitia gratuita eſt. *& lib. 2. de finibus*; amicitiæ locus ubi eſſe poteſt, aut quis amicus eſſe cuipiam, quem non ipſum amet propter ſeipſum, Quid autem eſt amare, ex quo nomen amicitiæ ductum eſt, niſi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamſi ad ſe ex iis nihil redeat? *& Seneca epiſtola 9. reprehendit id maxime, quod Epicurus dicebat ſapientem debere exercere amicitiam, ut habeat, qui ſibi ægro aſſideat, ſuccurrat in vincula conjecto, vel inopi*, immo (*inquit*) ut habeat aliquem, cui ipſe ægro aſſideat, quem ipſum circumventum hoſtili cuſtodia liberet. *Ibidem*, in quid igitur amicum paro? ut habeam pro quo mori poſſim, ut habeam quem in exſilium ſequar, cuius me morti opponam & impendam. Iſta quam tu deſcribis negotiatio eſt, non amicitia, quæ ad commodum accedit, quæ quid conſecutura ſit, ſpectat.

Cap. IV.

De ſummo bono & ſummo malo quid Chriſtiani ſentiant contra philoſophos, qui ſummum bonum in ſe ſibi eſſe dixerunt.

SI ergo quæratur à nobis, quid civitas Dei de his ſingulis interrogata reſpondeat, ac primum de finibus bonorum malorumque quid ſentiat, reſpondebit æternam vitam eſſe ſummum bonum, æternam vero mortem ſummum malum: proinde ad illam adipiſcendam, iſtamque vitandam, recte nobis eſſe vivendum. Propter quod ſcriptum eſt: *Juſtus ex fide vivit.* Gal. 3.
Quoniam neque bonum noſtrum jam videmus, α unde oportet ut creden- Abac. 2.
do quæramus: β neque ipſum recte vivere nobis ex nobis eſt, niſi credentes adjuvet & orantes, γ qui & ipſam fidem dedit, qua nos ab illo adjuvandos eſſe credamus. Illi autem qui in iſta vita fines bonorum & malorum eſſe putaverunt, ſive in corpore, ſive in animo, ſive in utroque ponentes ſummum bonum; atque ut id explicatius eloquar, ſive in voluptate, ſive in virtute, ſive in utraque; ſive in quiete, ſive in virtute, ſive in utraque; ſive in voluptate ſimul & quiete, ſive in virtute, ſive in utriſque; ſive in primis naturæ, ſive in virtute, ſive in utriſque: hinc beati eſſe, & à ſeipſis beati fieri mira vanitate voluerunt. Irriſit hos veritas per Prophetam dicentem: *Novit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Vel ſicut hoc teſtimoni- Pſal. 93.
um poſuit apoſtolus Paulus: *Dominus novit cogitationes ſapientium, quoniam* 1. Cor. 3.
vanæ ſunt. Quis enim ſufficit quantovis eloquentiæ flumine ð vitæ huius mi-

ſerias explicare, a quam lamentatus eſt ſ Cicero in conſolatione de morte filiæ, ſicut potuit? Sed quantum eſt quod potuit? Ea quippe quæ dicuntur prima naturæ, quando, ubi, quomodo tam benè ſe habere in hac vita poſſunt, ut non ſub incertis caſibus fluctuent? Quis enim dolor contrarius voluptati, quæ inquietudo contraria quieti, in corpus cadere ſapientis non poteſt? Membrorum certè amputatio vel debilitas hominis expugnat incolumitatem, deformitas pulchritudinem, imbecillitas ſanitatem, vires laſſitudo, mobilitatem torpor aut tarditas. Ecquid horum eſt, quod nequeat in carnem ſapientis irruere? Status quoque corporis atque motus, cum decentes atque congruentes ſunt: inter naturæ prima numerantur. Sed quid ſi aliqua mala valetudo membra tremore concutiat? Quid ſi uſque ad ponendas in terram manus, dorſi ſpina curvetur, & hominem quodammodo quadrupedem faciat? Nonne omnem ſtatuendi corporis, & movendi ſpeciem decuſque pervertet? Quid ipſius animi primigenia, quæ appellantur bona, ubi duo prima ponunt propter comprehenſionem, perceptionemq́ue veritatis, ſenſum & intellectum? Sed qualis quantuſque remanet ſenſus, ſi, ut alia taceam, fiat homo ſurdus & cæcus? Ratio vero & intelligentia quo recedet, ubi ſopietur, ſi aliquo morbo efficiatur inſanus? ς Phrenetici multa abſurda cum dicunt, vel faciunt, plerunque à bono ſuo propoſito, & moribus aliena, imo ſuo bono propoſito moribuſque contraria, ſive illa cogitemus, ſive videamus, ſi digne conſideremus, lachrymas tenere vix poſſumus aut forte nec poſſumus. Quid dicam de his, qui dæmonum patiuntur incurſus? Ubi habent abſconditam vel obrutam intelligentiam ſuam, quando ſecundum ſuam voluntatem, & anima eorum & corpore malignus utitur ſpiritus? Et quis confidit hoc malum in hac vita evenire non poſſe ſapienti? Deinde perceptio veritatis in hac carne qualis aut quanta eſt, quando ſicut legimus in veraci libro Sapientiæ, corpus corruptibile aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem? Impetus porro vel actionis appetitus, ſi hoc modo recte Latine appellatur, b η ea quam Græci vocant ὁρμήν, c quia & ipſam primis naturæ deputant bonis: nonne ipſe eſt, quo geruntur etiam inſanorum illi miſerabiles motus, & facta quæ horremus, 9 quando pervertitur ſenſus, ratioque ſopitur? Porro ipſa i virtus, quæ non eſt inter prima naturæ, quoniam eis poſtea doctrina introducente ſupervenit, cum ſibi bonorum culmen vendicet humanorum, quid hic agit niſi perpetua bella cum vitiis, nec exterioribus, ſed interioribus: nec alienis, ſed plane noſtris, & propriis & maxime κ illa, d quæ Græce σωφροσύνη, Latine temperantia nominatur, qua carnales frenantur libidines, ne in quæque flagitia mentem conſentientem trahant? Neque enim nullum eſt vitium, cum ſicut dicit Apoſtolus: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*: cui vitio contraria virtus eſt, cum ſicut idem dicit: *Spiritus concupiſcit adverſus carnem*. *Hæc enim*, inquit, *ſibi invicem adverſantur, ut non ea quæ vultis*

Gal 5.

faciatis

faciatis. Quid autem facere volumus, cum perfici volumus finem ſummi boni, niſi ut caro adverſus ſpiritum non concupiſcat, nec ſit in nobis hoc vitium, contra quod ſpiritus concupiſcat? Quod in hac vita quamvis velimus, quoniam facere non valemus, λ id ſaltem in adjutorio Dei faciamus, ne carni concupiſcenti adverſus ſpiritum, ſpiritu ſuccumbente cedamus, μ & ad perpetrandum peccatum noſtra conſenſione pertrahamur. Abſit ergò ut quamdiu in hoc bello inteſtino ſumus, jam nos beatitudinem, ad quam vincendo volumus pervenire, adeptos eſſe credamus. Et quis eſt uſque adeo ſapiens, ut contra libidines nullum habeat omnino conflictum? Quid illa virtus, quæ prudentia dicitur? Nonne tota vigilantia ſua bona diſcernit à malis, ut in illis appetendis, iſtisque vitandis nullus error obrepat? Ac per hoc & ipſa nos in malis, vel mala in nobis eſſe teſtatur. Ipſa enim docet nos, malum eſſe ad peccandum conſentire: bonumque eſſe, ad peccandum non conſentire libidini. Illud tamen malum, cui nos non conſentire docet prudentia, facit temperantia, nec prudentia, nec temperantia tollit huic vitæ. *e* Quid juſtitia, cujus munus eſt ſua cuique tribuere? Unde fit in ipſo homine quidam juſtus ordo naturæ, ut anima ſubdatur Deo, & animæ caro, ac per hoc Deo, & anima & caro. Nonne demonſtrat in eo ſe adhuc opere laborare potius quam in hujus operis jam fine requieſcere? Tanto quippe minus anima ſubditur Deo, quanto minus Deum in ipſis ſuis cogitationibus concipit: & tanto minus animæ ſubditur caro, quanto magis adverſus ſpiritum concupiſcit. Quamdiu ergo nobis ineſt hæc infirmitas, hæc peſtis, hic languor, quomodo nos jam ſalvos, & ſi nondum ſalvos, qnomodo jam beatos illa finali beatitudine dicere audebimus? Jam vero illa virtus, cujus eſt nomen fortitudo, in quantacunque ſapientia evidentiſſima teſtis eſt humanorum malorum, quæ compellitur patientia tolerare. Quæ mala Stoici philoſophi miror qua fronte mala non eſſe contendant: quibus fatentur, *f* ξ ſi tanta fuerint, ut ea ſapiens vel non poſſit, vel non debeat ſuſtinere, cogi eum mortem ſibimet inferre, atque ex hac vita emigrare. Tantus autem ſuperbiæ ſtupor eſt in his hominibus, hic ſe habere finem boni, & à ſeipſis fieri beatos putantibus, *o* ut ſapiens eorum, hoc eſt, qualem mirabili vanitate deſcribunt, *g* etiam ſi excœcetur, obſurdeſcat, obmuteſcat, membris debilitetur, doloribus crucietur: & ſi quid aliud talium malorum dici aut cogitari poteſt, incidat in eum, quo ſibi mortem cogatur inferre: hanc in his malis vitam conſtitutam, eos non pudeat beatam vocare. O vitam beatam, quæ ut finiatur, mortis quærit auxilium! Si beata eſt, maneatur in ea: ſi verò propter iſta mala fugitur ab ea, quomodo eſt beata? aut quomodo iſta non ſunt mala, π quæ vincunt fortitudinis bonum? eandemque fortitudinem non ſolum ſibi cedere, verùm etiam delirare compellunt, ut & eandem vitam dicant beatam, & perſuadeant eſſe fugiendam. Quis uſque adeò cœcus eſt, ut non videat, quod ſi beata eſſet, fugienda non eſſet? *h* Sed † ſi propter infirmitatis pondus, qua premitur hanc fugiendam fatentur: quid igitur cauſæ eſt, cur non etiam miſeram fracta ſuperbiæ cervice, fateantur? ϱ Utrum, obſecro, Cato ille patientia, an potius impatientia ſe peremit? Non enim hoc feciſſet, niſi victori-

al. aſtruta infirmitatis vere fugiſſet Cato.

ctoriam Cæſaris impatienter tuliſſet. Ubi eſt fortitudo? Nempe ceſſit, nempe ſuccubuit, nempe uſque adeò ſuperata eſt, ut vitam beatam derelinqueret, deſereret, fugeret. An non erat jam beata? Miſera ergò erat? Quomodo igitur mala non erant, quæ vitam miſeram, fugiendamque faciebant? Quapropter etiam ipſi, qui mala iſta eſſe confeſſi ſunt, ſicut Peripatetici, ſicut veteres Academici, quorum ſectam Varro defendit, tolerabilius quidem loquuntur: ſed eorum quoque mirus eſt error, quod in his malis, & ſi tam gravia ſint, ut morte fugienda ſint, ab ipſo ſibimet illata, qui hæc patitur, vitam beatam tamen eſſe contendunt. Mala ſunt, inquit, tormenta atque cruciatus corporis: & tanto ſunt pejora, quanto potuerint eſſe majora: quibus ut careas, ex hac vita fugiendum eſt. Qua vita, obſecro? Hac, inquit, quæ tantis aggravatur malis. Certè ergò beata eſt in eiſdem ipſis malis, propter quæ dicis eſſe fugiendam: an ideò beatam dicis, quia licet tibi ab his malis morte diſcedere? Quid ſi ergò in eis aliquo judicio divino tenereris, nec permittereris mori, nec unquam ſine illis eſſe morte ſinereris? Nempe tunc ſaltem miſeram talem diceres vitam. Non igitur propterea miſera non eſt, quia citò relinquitur: quandoquidem ſi ſempiterna ſit, etiam abs teipſo miſera judicatur. Non itaque propterea, quoniam brevis eſt, nulla miſeria debet videri: aut quod eſt abſurdius, quia brevis miſeria eſt, ideò etiam beatitudo appellari. Magna vis eſt in eis malis, quæ cogunt hominem, ſecundùm ipſos etiam ſapientem, ſibimet auferre, quod homo eſt: cum dicant, & verum dicant, hanc eſſe naturæ primam quodammodo *i* & maximam vocem, ut homo concilietur ſibi, & propterea mortem naturaliter fugiat: ita ſibi amicus, ut eſſe ſe animal, & in hac conjunctione corporis atque animæ vivere velit, vehementerque appetat. Magna vis eſt in eis malis, quibus iſte naturæ vincitur ſenſus, quo mors omnimodo omnibus viribus conatibuſque vitatur: & ita vincitur, ut quæ vitabatur, optetur, appetatur: & ſi non potuerit aliunde contingere, ab ipſo homine ſibimet inferatur. Magna vis eſt in eis malis, quæ fortitudinem faciunt homicidam, ſi tamen adhuc dicenda eſt fortitudo: quæ ita his malis vincitur, ut hominem, quem ſicut virtus regendum tuendumque ſuſcepit, non modo non poſſit per patientiam cuſtodire, ſed inſuper cogatur occidere. Debet quidem etiam mortem ſapiens ferre patienter, ſed quæ accidit aliunde. Secundùm iſtos autem, ſi eam ſibiipſe inferre compellitur, profectò fatendum eſt eis, non ſolum mala, ſed intolerabilia etiam mala eſſe, quæ hoc eum perpetrare compellunt. Vita igitur, quæ iſtorum tam magnorum tamque gravium malorum aut premitur oneribus, aut ſubjacet caſibus, nullo modo beata diceretur, ſi homines, qui hoc dicunt, ſicut victi malis ingraveſcentibus, cùm ſibi ingerunt mortem, cedunt infelicitati: ita victi certis rationibus, cum quærunt beatam vitam, dignarentur cedere veritati, & non ſibi putarent in iſta mortalitate fine ſummi eſſe boni gaudendum: ubi virtutes ipſæ, quibus hic certe nihil melius atque utilius in homine reperitur, quanto majora ſunt adjutoria contra vim periculorum, laborum, dolorum; tanto fideliora teſtimonia miſeriarum. Si enim *o* veræ virtutes ſunt, quæ niſi in eis, quib. vera ineſt pietas, eſſe non poſſunt,

ſunt, non ſe profitentur hoc poſſe, ut nullas miſerias patiantur homines, in quibus ſunt. Neque enim mendaces ſunt veræ virtutes, ut hoc profiteantur: ſed ut vita humana, quæ tot & tantis hujus ſeculi malis eſſe cogitur miſera, ſpe futuri ſeculi ſit beata, ſicut & ſalva. Quomodo enim beata eſt, quæ nondum ſalva eſt? Unde & Apoſtolus Paulus non de hominibus imprudentibus, impatientibus, intéperantibus & iniquis, ſed de his, qui ſecundùm veram pietatem viverent, & ideò virtutes, quas haberent, veras haberent, ait: Spe ſalvi facti ſumus. Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim quis videt, quid ſperat? Si autem, quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus. Sicut ergò ſpe ſalvi, ita ſpe beati facti ſumus: & ſicut ſalutem, ita beatitudinem, non jam tenemus præſentem, ſed expectamus futuram, & hoc per patientiam: quia in malis ſumus, quæ patienter tolerare debemus, donec ad illa veniamus bona, ubi omnia erunt, quibus ineffabiliter delectemur: nihil erit autem, quod jam tolerare debeamus. Talis ſalus, quæ in futuro erit ſeculo, ipſa erit etiam finalis beatitudo. Quam beatitudinem iſti philoſophi, quoniam non videntes nolunt credere, hic ſibi conantur falſiſſimam fabricare, quanto ſuperbiore, tanto mendaciore virtute. Rom. 8.

a QUam lamentatus eſt Cicero.] *M. Cic. liberos habuit duos, M. filium, & Tulliam filiam: quæ primum Piſoni Frugi Craſſipedi denupſit, poſt Cornelio Dolabella, apud quem è partu interiit: cujus mortem impotentiſſimè Tullius accepit. Conſolati ſunt eum per epiſtolas Cn. Pompejus, C. Cæſar, Servius Sulpitius, & præſentes alii magni viri quamplurimi: ſed cum illi nihil Ciceroni viderentur prodeſſe, ipſe ſe decrevit conſolari. Scripſitq; librum, quem Conſolationem dixit de filiæ morte: hic inter ejus multos deſideratos deſideratur: meminit tamen ipſe illius ſæpe, & alii citant non pauci. Porro in 1. Tuſcul. quæſt. dicit ſe luxiſſe vitam hominum in eo libro, in quo ſeipſum quantum potuit conſolatus eſt.* L. Vives. Conſolatio de filiæ morte, Ciceronis liber.

b Quam Græci vocant ὁρμήν.] *ὁρμάω eſt, impetu aliquid aggredior, & ὁρμὴ impetus, aggreſſio: quod transfertur ad animales appetitus. Suntq; ὁρμαὶ in animis appetitiones, in quas naturæ impulſu ferimur, ut aliquid vel perſequamur, vel vitemus: qualis eſt illa maxima & prima, ut unumquodq; animal ſe ipſum diligat, cupiatque ſe conſervare. Idcirco inquirat ea quæ ſunt ad vivendum neceſſaria, & ea quæ nocitum videntur declinet. Stoici has ὁρμὰς non ad quidvis appetendum eſſe à natura inditas exiſtimabant, ſed ad ea quæ naturæ conformia ſunt, nempe bona & expetenda. Sic Cato Stoicus apud Cic. Atq; ut membra, inquit, nobis ita data ſunt, ut ad quandam rationem vivendi data eſſe appareat: ſic appetitio animi, quæ ὁρμὴ Græce vocatur, non ad quodvis genus vitæ: ſed ad quandam formam vivendi videtur data.* ὁρμή.

c Quia & ipſam primis naturæ deputant bonis.] *Non enim minoris æſtimanda eſt appetitio illa, qua conſervationem noſtri omni ratione quærimus, quam ingenium ac memoria. Quippe ſi illa abeſſet, difficile foret animalia diutius vivere.*

d Σωφροσύνη.] *Dixi de hac alibi.*

e Quid juſtitia.] *Illa juſtitia quæ reddit unicuique quod ſuum eſt. Nec ſolum capit diſtributionem illam & commutationem fortunarum, latiſſimeq; patet, ac o-* Iuſtitia.

mnes complectitur virtutes, quippe quæ ſuis quæque locis reddit, & appetitus nimium efferentes ſe imperio rationis ſubdit, & religionem omnem, pietatemq́; docet.

f Quibus fatentur, ſi tanta fuerint.] *Sic Cicero ex ſententia Stoicorum 3. De fin. & 1. Tuſc. quæſt.*

g Etiam ſi exeæcetur obſurd.] *Cato Stoicus apud Ciceronem: Sæpe, inquit, officium eſt ſapientis deficere à vita, cum ſit beatiſſima. Idem multis verbis variis in locis Seneca.*

h Sed ſi propter infirmitatis.] *In codice Brugenſi ſic: Sed ſi aperta infirmitatis voce fugiendam fatentur.*

i Hanc eſſe naturæ primam quodammodo & maximam vocem.] *Cicero primo Off. & 3. & 5. De finibus.*

B.L.Coq. α Unde oportet ut credendo quæramus.] *Animos quidem immortales eſſe, & æternum vivere, qui propius ad veritatem acceſſere affirmarunt, quis tamen ſit ſtatus animæ poſt mortem, quis ſit propoſitus finis homini, utpote ſupernaturalis fœlicitas, & vita beata in videndo Deum minime agnoverunt: verum id habetur ex ſcripturis, & per revelationem, nec naturæ viribus, ſed per media ſupernaturalia ad eum finem nobis contendendum.*

β Neque ipſum recte vivere nobis ex nobis eſt.] *Quemadmodum ſolet vocare actiones bonas, non quæ ut vocant, bonæ ſunt moraliter tantum ex libero noſtro arbitrio profecta, ſed quæ ex motione Spiritus ſancti proficiſcuntur, & eo referũtur, ut tandem beatitudinem conſequamur, ita recte vivere illud vocat, quod ex fide ipſa & motione Spiritus ſancti proficiſcitur; itaq́; non eſſe* nobis ex nobis *i. e. ex Solis noſtris viribus, ex ſola facultate liberi arbitrii; ut vitam Chriſtianam intelligamus longe excedere vitam philoſophicam, etſi Philoſophi conſentanee rectæ rationi vixiſſe intelligantur, ac virtutibus ornati fuerint.*

γ Qui & ipſam fidem dedit, qua nos ab illo.] *Non fidem quandam acquiſitam aut naturalem, ſed ſupernaturale Dei adjutorium, quo credimus, vel etiam fidem infuſam intelligit, quæ (ut Apoſtolus docet Epheſ. 2.)* Dei donum eſt, *& Philipp. 1.* Vobis datum eſt non ſolum, ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini, *ubi oſtendit utrumq́; Dei donum eſſe, quia utrumque dixit eſſe donatum. Ea eſt doctrina D. Auguſtini paſſim contra Pelagianos præſertim lib. de gratia, & liber. arbitr. cap. 7. & lib. de præſtin. ſanctor. cap. 2. 5. 17. & 22.*

δ Vitæ hujus miſerias explicare.] *Seneca epiſtol. 91. & 99. de miſeriis, quibus obnoxia eſt hæc vita, ſatis multa, & de conſolatione ad Marciam, cap. 11. Plinius in proœmio lib 7. & cap. 7. & 50. ejuſdem libri.*

ε Cicero in conſolatione de morte filiæ.] *Librum conſcripſit de conſolatione cum mirificis doloribus angeretur ob mortem filiæ ſuæ, cujus meminit & lib. 1. & lib. 4. Tuſculan. quæſtio. Hic liber non ita pridem in lucem editus eſt.*

ζ Phrenetici multa abſurda cum dicant.] *Ita dicuntur, qui phreneſim patiuntur. Eſt vero morbus lædens mentem, & ad inſaniam furoremq́; perducens, & fit ex inflammatione membranularum, quas meningas vocant, idq́; vel à pallida bile; & ea levior eſt. vel à flava, eaq́; vehementior eſt: vel ab eadem valde aduſta,*

quæ eſt omnium deterrima. Galenus lib. 3. de locis affectis. Omnes (*inquit*) quibus mens non conſtat, phreneticos appellat Hippocrates, etiamſi perpetua cataphora laborent.

η Quā Græci vocāt ὁρμὴν.] *A Cicerone redditur* appetitus *vel* appetitio *addito nonnunquam genitivo animi, appetitus animi & appetitio animi. Ita ſcribit lib. 4. de Finib.* Naturalem enim appetitionem quam vocant ὁρμὴν *& lib 3.* Atque ut membra nobis ita data ſunt, ut ad quandam rationem vivendi data eſſe appareat, ſic appetitio animi quæ ὁρμὴ Græce vocatur, non ad quodvis genus vitæ, ſed ad quandam formam vivendi videtur data. *& lib. 2. offic.* alterum eorum, in quibus virtus vertitur eſt cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant, appetitiones quas illi ὁρμὰς obedientes efficere rationi. *Eſt primus ille naturæ impetus ſeu naturalis appetitus, quo unicuique animantium à natura datum eſt, ut ſe corpus ac vitam tueatur, & ut neceſſaria ac utilia proſequatur, vel fugiat quæ nociva.*

θ Quando pervertitur ſenſus.] *Atqui natura tum non eſt integra, nec ad hoc inditus eſt naturæ illi impetus, ut ad illicita feratur, verum ad ea, quæ licita ſunt, & naturæ conſentanea; quemadmodum & ſi prona fere ſit natura ad malum, ſi tamen ipſa per ſe ſpectetur, & non ut corrupta, propenſio illa non erit alioquin ei naturalis.*

ι Virtus, quæ non eſt inter prima naturæ] *Ariſtoteles lib. 2. Ethic. cap. 3. id docet,* οὐδεμία τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν φύσει ἡμῖν ἐγγίνεται, *quod nullum eorum, quæ natura ſunt aliter aſſueſcit, ut lapis, qui natura deorſum fertur, nunquam aſueſcet ſurſum ferri, ne ſi milles quidem ipſum aſſuefaciat aliquis ſurſum jaciens, neque natura, neque præter naturam virtutes vult effici, ſed ita quidem, ut nos natura idonei ſimus ad ipſas ſuſcipiendas, at ex more perficiamur.*

κ Illa, quæ Græce σωφροσύνη.] *Ita ab Ariſtot. definitur lib. 1. Rhet.* Σωφροσύνη δ' ἀρετὴ, δι' ἣν πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῦ σώματος οὕτως ἔχουσιν, ὡς ὁ νόμος κελεύει. *& lib. 6. Ethic. cap. 5. dictam vult eſſe* σωφροσύνην *quaſi* σώζουσαν τὴν φρόνησιν. *i. e.* conſervantem prudentiam. *& Socrates apud Platonem quaſi* σωτηρίαν τῆς φρονήσεως. *Cicer. libr. 3. Tuſc.* Eam virtutem Græci σωφροσύνην vocant, quam ſoleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modeſtiam.

λ Id ſaltem in adjutorio Dei faciamus.] *Nemo enim viribus propriis poteſt ſuperare omnes inſurgentes paſſiones, & reſiſtere tentationibus, quæ ſubinde occurrunt, verum ad id requiritur vis quædam ſuperior, Dei adiutorium.*

μ Et ad perpetrandum peccatum noſtra conſenſione.] *Hinc conſtat concupiſcentiam ipſam non eſſe peccatum, niſi alioquin ei conſentiamus, ut in conſenſu ipſo perficiatur peccatum.*

ν Quid juſtitia, cujus munus eſt.] *Ita definitur* perpetua & conſtans voluntas ſua cuique tribuendi *Inſt. de juſtit. & jure.*

ξ Si tanta fuerint ut ea ſapiens vel non poſſit.] *Ita Cicero ex ſententia Stoicorum 3. de Finibus, & 1. Tuſcul. & Seneca epiſtol. 58. A Plinio lib. 2. cap. 7. impie dictum*

dictum in tantis vitæ pœnis nihil melius homini datum, quam quod ſibi mortem (ſi velit) conſciſcere poſſet.

ο Ut ſapiens eorum, hoc eſt qualem mirabili vanitate deſcribunt.] *Ita ſapientem Stoicum deſcribit variis in locis Seneca. Stoicum γαυρίαμα vocat eleganter Lipſius, quod Auguſtinus mirabilem vanitatem in deſcribendo ſuo ſapiente: qui an usquam reperiatur, diſputat idem Seneca lib. de Conſtant. Sapientis cap. 7.*

π Qui vincunt fortitudinis bonum.] *Nam fortis animi eſt perferre hujus mundi adverſa, puſilli vero & abjecti, ut ea fugias, tibi mortem conſciſcere.*

ρ Utrum obſecro Cato ille patientia.] Fuit in omni vita ſua (*ait Lactantius lib 3. cap. 18.*) Stoicæ virtutis imitator. *ibidem.* Cato mihi videtur cauſam quæſiſſe moriendi non tam, ut Cæſarem fugeret, quam ut Stoicorum decretis obtemperaret; quos ſectabatur nomenque ſuum grandi aliquo facinore declararet. *Cicero 1. offic. dicit hoc Catonis gravitatem decuiſſe maxime, cæteros, qui in eadem cauſſa fuerunt, minimè. Melius Auguſtinus & Catonem ſibi attuliſſe mortem impatientia victoriæ Cæſaris, nec id opus fuiſſe fortitudinis. Eſt quidem fortis animi mortem pati potius quam indignum aliquid committere, non tamen voluntariam ſibi mortem adferre.*

σ Veræ virtutes ſunt, quæ niſi in eis] *lib. 1. retract. c. 3. ſcribit ſibi diſplicere, quod Philoſophos non vera pietate præditos dixerit virtutis luce fuiſſe.*

Cap. V.

De ſociali vita, quæ cum maximè expetenda ſit, multis offenſionibus ſæpè ſubvertitur.

Quod autem ſocialem vitam volunt eſſe ſapientis, nos multo amplius approbamus, nam unde iſta Dei civitas, de qua hujus Operis ecce jam undevicesimum Librum verſamus in manibus, vel inchoaretur exortu, vel progrederetur excurſu, vel apprehenderet debitos fines, ſi non eſſet ſocialis vita ſanctorum? Sed in hujus mortalitatis ærumna, quot & quantis abundet malis ſocietas humana, quis enumerare valeat? quis æſtimare ſufficiat? Audiant apud Comicos ſuos hominem cum ſenſu atque conſenſu omnium hominum dicere: *a* α Duxi uxorem, *b* β *quam ibi miſeriam vidi? nati filii, alia cura.* Quid itidem illa, quæ in amore vitia commemorat idem Terentius: *c Injuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, bellum, pax rurſus:* nonne res humanas ubique impleverunt? Nonne hæc & in amicorum honeſtis amoribus plerumque contingunt? Nonne his uſquequaque plenæ ſunt res humanæ, ubi injurias, ſuſpiciones, inimicitias, bellum, mala certa ſentimus? Pacem verò incertum bonum, quoniam corda eorum, cum quibus eam tenere volumus, ignoramus: etſi noſſe hodie poſſemus, qualia cras futura eſſent, utique neſciremus. Qui porrò inter ſe amiciores ſolent eſſe, vel debent, γ quam qui una etiam continentur domo? Et tamen quis inde ſecurus eſt, cum tanta ſæpè mala ex eorum occultis inſidiis extiterint: tanto amariora, quanto pax dulcior fuit: quæ vera putata eſt, cum aſtutiſſimè fingeretur. Propter quod omnium pectora ſic attingit, ut cogat in gemitum, quod ait Tullius? Nullæ ſunt occul-

In Adelpho act. 5. ſc. 4. *In Eunucho act. 1. ſc. 1.*

occultiores inſidiæ, quam hæ, quæ latent in ſimulatione officii, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nam eum, qui palam eſt adverſarius, facile cavendo vitare poſſis. Hoc verò occultum, inteſtinum ac domeſticum malum non ſolum exiſtit, verùm etiam opprimit, antequam proſpicere atque explorare potueris. Propter quod etiam divina vox illa. d δ *Et inimici hominis, domeſtici ejus*, cum magno dolore cordis auditur: quia & ſi quisque tam fortis ſit, ut æquo animo perferat; vel tam vigilans, ut provido conſilio caveat, quæ adverſus eum ε molitur amicitia ſimulata: eorum tamen hominum perfidorum malo, cum eos eſſe peſſimos experitur, ſi ipſe bonus eſt, graviter excrucietur, neceſſe eſt: ſive ſemper mali fuerint, & ſe bonos finxerint, ſive in iſtam malitiam ex bonitate mutati ſint. Si ergò domus commune perfugium in his malis humani generis tuta non eſt, quid civitas, quæ quanto major eſt, tanto forum ejus litibus & civilibus, & criminalibus plenius, etiam ſi quieſcant non ſolum turbulentæ, verùm etiam ſæpius & cruentæ ſeditiones, ac bella civilia: à quorum eventibus ſunt aliquando liberæ civitates, à periculis nunquam.

Simulata amicitia.

Mich. 7. Matth. 10.

L. Vives.

a DUxi uxorem.] *Hæc loquitur ſecum Demea in Adelph. Terentii.*

b Quam ibi miſeriam vidi.] *Dicendum, Quam ibi miſeriam non vidi? Hæc enim interrogatio per negationem melius ſenſum Demeæ exprimit: & ſic legitur apud Terent.*

c Injuriæ, ſuſpiciones.] *Verba ſunt ſervi Parmenonis ad Phædriam. Sic enim ait: In amore hæc omnia inſunt vitia, injuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rurſum.*

d Et inimici hominis, domeſtici ejus.] *Michea 7. & eadem verba Servator noſter dixit Matth. 10.*

F. L. Coq.

α DUxi uxorem] *Hæc Demea ille Terentianus in Adelphis. Prima hæc eſt ſocietas generis humani, ut docet Ariſtotel. politic. & quidem maxime naturalis ad procreandum, quia* natura datum eſt appetere, quale ipſum eſt, tale relinquere alterum, *& probat ex illo Heſiodi*

Οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα.

Et Cicero lib. 1. Officio. Cum ſit hoc natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo eſt conjugio, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem eſt principium urbis & quaſi ſeminarium reipublicæ; *& Ariſtoteles lib. 8. Ethico.* Homo natura magis eſt conjugale animal quam civile, quanto prius & neceſſarium magis eſt domus quam civitas, & procreatio communior animalibus.

β Quam ibi miſeriam non vidi.] *Vulgatum illud Pauli Æmylii, quid amicis caſtigantibus, quod pudicæ, diviti formoſæq; uxori nuntium miſiſſet, pede porrecto;* Hic quoque *(inquit)* calceus pulcher aſpectu eſt ac novus, ſed nemo ſcit ubi me premat. *refert D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. Hipponax duos tantum dies dicebat in matrimonio gratos & ſuaves eſſe, unum cum uxor ducitur, alterum cum mortua effertur, & Chercas melius eſſe ſepelire uxorem quam ducere:*

γ Quam qui una etiam continentur domo.] *Ita Cicero 1. offic. recenſet plures*

gradus ſocietatis hominum, ut propior eſt ejusdem gentis, nationis, linguæ, qua maxime homines conjunguntur; interius etiam eſt ejusdem eſſe civitatis, multa ſunt enim civibus inter ſe communia, forum, fana, viæ, porticus, leges, jura, judicia, ſuffragia, conſuetudines præterea & familiaritates, multæque cum multis res rationesque contractæ. Arctior verò eſt colligatio ſocietatis propinquorum, ab illa enim immenſa ſocietate humani generis in exiguum anguſtumque concluditur.

δ Et inimici hominis, domeſtici ejus.] *Ita Michææ 7.* Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui, quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurget adverſus matrem ſuam, & nurus adverſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici ejus. *Repetuntur à Chriſto Matth. 10. Merito Dio Chryſoſtomus orat. 74. quærit à quibus nam plures perierint an à confeſſis inimicis, an è contrario à ſimulatis amicis.*

ε Molitur amicitia ſimulata.] *Nihil certe amicitiæ ipſi magis repugnat, quam ſimulatio. Ita Cicero in Lælio.* Cum omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa, tum amicitiæ repugnat maxime. Delet enim veritatem, in qua niſi apertum amici pectus videas, tuumque oſtendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas, ne amare quidem aut amari poſſis.

Cap. VI.

De errore humanorum judiciorum, cum veritas latet.

Quid ipſa judicia hominum de hominibus, quæ civitatibus in quantalibet pace manentibus deeſſe non poſſunt, qualia putamus eſſe quam miſera, quam dolenda: quandoquidem hi judicant, qui conſcientias eorum, de quibus judicant, cernere nequeunt? Unde ſæpè coguntur, *a* α tormentis innocentium teſtium ad alienam cauſam pertinentem quærere veritatem. Quid cum in ſua cauſa quisque torquetur: & cum quæritur, utrum ſit nocens, cruciatur: *b* β & innocens luit pro incerto ſcelere certiſſimas pœnas: non quia illud commiſiſſe detegitur, γ ſed quia nō commiſiſſe neſcitur? Ac per hoc ignorantia judicis plerumque eſt calamitas innocentis. Et quod eſt intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque ſi fieri poſſet, fontibus lachrymarum: cum propterea judex torqueat accuſatum, ne occidat neſciens innocentem, fit per ignorantiæ miſeriam, & ut tortū, & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torſerat. Si enim ſecundùm iſtorum ſapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa ſuſtinere tormenta: δ quod non commiſit, commiſiſſe ſe dicit. Quo damnato & occiſo, ε utrum nocentem an innocentem judex occiderit, adhuc neſcit: quem ne innocentem neſciens occideret, torſit: ac per hoc innocentem, ut ſciret, torſit, & tum neſciret, occidit. In his tenebris vitæ ſocialis ſedebit judex ille ſapiens, aut non ſedebit? Sedebit planè. Conſtringit enim eum, & ad hoc officium pertrahit humana ſocietas, quam deſerere nefas ducit. Hoc enim nefas eſſe non ducit, quod teſtes innocentes in cauſis torquentur alienis, quod hi, qui arguuntur vi doloris plerumque ſuperati, & de ſe falſa confeſſi etiam puniuntur innocentes, cum jam torti fuerint innocentes: quod & ſi non morte puni-

puniantur, in ipſis vel ex ipſis tormentis plerumque moriuntur. *e* Quid quod aliquando & ipſi, qui arguunt, humanæ ſocietati, fortaſſe ne crimina impunita ſint, prodeſſe cupientes, & mentientibus teſtibus, reoque ipſo contra tormenta durante immaniter, nec fatente, probare quod objiciunt non valentes, quamvis vera objecerint, à judice neſciente damnantur? Hæc tot & tanta mala non deputat eſſe peccata, non enim hæc facit ſapiens judex nocendi voluntate, ſed neceſſitate neſciendi: & tamen quia cogit humana ſocietas, neceſſitate etiam judicandi. Hæc eſt ergò quam dicimus miſeria certè hominis, & ſi non malitia ſapientis. An verò neceſſitate neſciendi atque judicandi torquet inſontes, punit inſontes: & parum eſt illi, quod non eſt reus, ſi non ſit inſuper & beatus? *d* Quanto conſideratius & homine dignius, cognoſcit in iſta neceſſitate miſeriam, eamque in ſe odit: & ſi piè ſapit, clamat ad Deum, de neceſſitatibus meis erue me. *Pſal. 24.*

a TOrmentis innocentium teſtium.] *Servi enim plerumq. in quæſtionem poſcebantur: cum de criminibus dominorum ageretur, ut veritas per tormenta eorum exprimeretur, qui nihil commiſerant. De hoc genere quæſt. crebra apud Cic. mentio, velut pro Milone, & pro Cluentio. Fuit hoc interdum vetitum, ut Cicero ſignificat de more majorum pro Dejotaro & Tacitus lib. 2. Veteres S. C. quæſtio de ſervis in caput domini prohibebatur.* *L. Vives.*

b Et innocens luit pro incerto ſcelere.] *Verè Superbi Tarquinii, aut etiam tyranni hoc immanioris inventum tormentis inquiri veritatem, quam nec qui pati poterit, proferet, nec qui pati non poterit. Nam ut ait prudens Mimus: Etiam innocentes cogit mentiri dolor. Miror Chriſtianos homines tàm multa gentilia, & ea omni modo charitati & manſuetudini Chriſtianæ contraria, ſed omni etiam humanitati mordicus (tanquam religioſiſſima) retinere. Auguſtinus neceſſitate ſocietatis humanæ dicit tormenta adhiberi: Sed cum gentilibus eum & de gentilibus loqui, quis non videt? Quæ enim eſt iſta neceſſitas tam intolerabilis & tam plangenda, etiam fieri ſi poſſet, fontibus lacbrymarum irriganda, ſi nec utilis eſt, & ſine damno rerum publicarum tolli poteſt? Quomodo vivunt tam multæ gentes & quidem barbaræ, ut Græci & Latini putant, quæ ferum & immane arbitrantur torqueri hominem, de cujus facinore dubitatur? Nos homines omni videlicet humanitate præditi, ſic torquemus homines, ne inſontes moriantur, ut magis eorum nos miſereat, quàm ſi morerentur: usq; adeò graviora ſunt ſæpe tormenta, quã mors. An non frequentes quotidiè videmus, qui mortem perpeti malint quàm tormenta? Et fateantur fictum crimen de ſupplicio certi, ne torqueantur. Profectò carnifices animos habemus, qui ſuſtinere poſſumus gemitus, & lacbrymas tanto cum dolore expreſſas hominis, quem neſcimus, ſit ne nocens. Quid quod acerbam & perquam iniquam legem ſinimus in capita noſtra dominari, quum ſuſpiciones tormentis armamus & inimicis delationibq? Si vitas noſtras, quas cupiunt non impendimus ſaltem quod proximum eſt, intolerandis doloribus noſtris non parum gaudii damus ac fructus. Mihi non vacat, ac ne libet quidem de tormentis hic loqui copioſiùs, quum poſſem, ne declamare magis videar, quàm commentaria ſcribere. Locus eſt apud Rhetores communis de tormentis & contra*

tormenta

tormenta. Fortiſſima ſunt, quæcunq; contra tormenta dicunt: quæ verò pro tormentis, futilia & imbecilla.

c Quid quod aliquando & ipſi qui arguunt.] *Per legem illam, accuſator idem patiatur, quod reus eſſet paſſurus, ſi non eum convicerit.*

d Quando conſideratius] *Alibi ſic: Quanto conſideratius & homine dignius agnoſcit in iſta neceſſitate miſeriam, eamq; odit in ſe, & ſi pie ſapit.*

P.L.Coq. α TOrmentis innocentium teſtium.] *Ita ſervi plerumque in quæſtionem poſcebantur, cum de criminibus dominorum ageretur, ut veritas vi ab eis extorqueretur. De hoc genere quæſtionis apud Ciceronem mentio fit in Orat. pro Milone & pro Cluentio, quod ſignificat interdum de more majorum vetitum Orat. pro Dejotaro. Teſtatur & Tacitus lib. 2. Annalium quod* cum Libo Druſus majeſtatis in Tiberium accuſaretur, negante reo, ſervos interrogari placuit per tormenta. Et quia vetere *Sancto* quæſtio in caput domini prohibebatur, callidus & juris novi repertor Tiberius mancipari ſingulos actori publico jubet, ſcilicet ut in Libonem ex ſervis ſalvo *Sancto* quæreretur. *Id tamen inventum refert Dio lib. 55. in ipſum Auguſtum, quod cum non liceret ſeruum in caput domini torqueri, juſſit ut quoties ejus rei uſus eſſet, vendi ſervum vel Actori publico, vel ſibi ipſi principi, ut jam quaſi alienus à reo examinari poſſit, quod nonnulli criminati ſunt, quaſi legem ea domini mutatione diſſolveret lib. 1. C. de quæſt. excipiuntur adulterii crimen, fraudati cenſus accuſationes, & crimen majeſtatis, quod ad ſalutem Principis pertinet, quibus quæſtio de ſervis contra dominos haberi poteſt.*

β Et innocens luit pro incerto ſcelere.] *Ludovicus Vives hoc loco ſentit tormenta, quibus à reis vel teſtibus nituntur judices eruere veritatē non ſolum charitati, verum etiam manſuetudini Chriſtianæ, immo omni humanitati repugnare; & quod ſcribit D. Auguſtinus neceſſitate ſocietatis humanæ tormenta adhiberi, reſpondet eum cum Gentilibus & de Gentilibus loqui. Hanc enim neceſſitatem nec utilem eſſe, & ſine damno reipublicæ tolli poſſe. Ratio potiſſima illius eſt, quod multi metu tormentorum confitentur delicta, quæ nunquam perpetrarunt, alii viribus vegetiores vim tormentorum ſuperante negant quæ commiſerunt & abeunt impune, ut tortura non ſit ad inquirendam veritatem accommodatum remedium. Verum hæc ſententia non modo contraria eſt praxi, quæ ubique gentium etiam apud Chriſtianos judices & timoratæ conſcientiæ obtinuit, verum etiam adverſatur authoritati Patrum, qui hoc genus inquirendi verum per tormenta probant. D. Ambroſius lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. & D. Auguſtinus apertiſſime ſcribit, hoc genus inquirendi eſſe neceſſarium ſocietati humanæ, & eum perperam interpretatur Vives, quod de Gentilibus loquatur cum in univerſum id definiat in republica & humana ſocietate conſervanda eſſe neceſſarium; quod etiam agnoverunt ipſi Philoſophi Ariſtoteles. 1. Rhetor. cap. 15. Cicero dialog. de partit. orat. imo & ſacris canonibus id eſt conſentaneum 5. q. 5. can.* Illi qui aut in fide hanc veritatem diverſis cruciatibus è latebris ſuis religioſus tortor exigere debet, ut dum pœnis corpora ſubjiciuntur, quæ geſta ſunt, fideliter & veraciter exquirantur. *Nec ratio Vivis in oppoſitum convincit. Illa enim per accidens ſiunt & vitio hominum eveniunt, eoq; non improbanda eſt inquiſitio per tormenta.*

Sic enim & tollenda eſſet inquiſitio per teſtes, cum nonnunquam & falſi teſtes reperiantur, quorum culpa ſit, ut & inſontes aliquando damnentur, & rei aliquando abſolvantur. Lex enim non conſiderat ea, quæ ſunt per accidens, & ut in paucioribus eveniunt, ſed quæ univerſaliter & ut plurimum, & licet multi inde innocentes pœnam capitis patiantur, nihilominus id quod utile eſt Reipublicæ & conſervandæ ſocietati humanæ, præfert bono cuivis privato. Vide Covarruviam lib. practic. quæſt. cap. 23. Julium Clarum lib. 5. ſentent. quæſt. 64.

γ Sed quia non commiſiſſe neſcitur.] *Nam Judex, qui plenã probationẽ habet ejus, de quo interrogat reũ torquendũ, peccat mortaliter, ſi eũ torturæ ſubjiciat. Ratio enim potior torturæ inferendæ eſt, quia intereſt reipublicæ delicta manifeſta eſſe & detegi, ut puniantur. Atque ita more majorum inductum eſt, ut delicta, quæ clam committuntur ſemotis teſtibus per tormenta appareant, ſi quidem tortura inventa eſt in defectum probationum. Neq; temere ad eam perveniendum eſt, verum ordine conſtituto, ut prius certum ſit maleficium fuiſſe commiſſum, quia delictum eſt veluti præparatio pœnæ: Deinde ſint aliquæ conjecturæ, eæque non leves, quod qui torquendus eſt illud commiſerit? neq; per torturam ſemper extorquetur veritas. Aliqui enim ita tormenta contemnunt, ut neque per ea ab eis veritas poſſit extorqueri,* & multi in tormentis ſæpe ſunt ementiti, *ait Cicero in partit. orator.* morique maluerunt falſum fatendo, quam vere inficiando dolere. *Neceſſaria itaq; ſunt indicia ante torturam, quæ cum ipſius confeſſione probabunt ſimul, non verò ſeorſum tormenta aut etiam indicia ſola per ſe, quia ex præſumptionibus nemo damnandus eſt capitis, licet ex indiciis indubitabilibus plerumque fiat damnatio ad mulctam pecuniariam.*

δ Quod non commiſit, commiſiſſe ſe dicit.] *Certe ſi reus in tormentis delictum aliquod confiteatur, non eſt ſtandum hujuſmodi confeſſioni ut extortæ, niſi reus in illa perſeveret, & eam ratam habeat poſtea. Falſæ confeſſionis in tormentis exemplum memorabile ſuo tempore Vercellis accidiſſe ſcribit Divus Hieronymus epiſt. 49. ad Innocentium de muliere ſepties icta, cum dicit juvenem in tormentis confeſſum fuiſſe adulterium, quod mulier conſtanter & vere negavit, ejusq; mulieris innocentiam ingens confirmavit miraculum.*

ε Utrum nocentem an innocentem judex occiderit adhuc neſcit.] *Quia non ita certo illi conſtat de innocentia accuſati, & de veritate facti, nihilominus quia agit authoritate publica, ſcientia tum juris tum facti. Quantum ad ſcientiam juris, non poteſt ſequi ſuum privatum ſenſum ſeu opinionem, verum ſcientiam publicam quam illi leges proponunt, ita quantum ad ſcientiam facti, non debet ſequi ſuam privatam cognitionem, ſed illam publicam, quæ juridice habetur per teſtes & inſtrumenta: Et hæc eſt ſententia communis Theologorum quam tradit D. Thomas 2. 2. q. 67. artic. 2. poſt D. Auguſtinum hoc loco & in lib. de Vera religione cap. 31. ſcribit clare judicem debere judicare ſecundum id quod leges præſcribunt, & eas probationes, quas leges admittunt. 3. q. 7. recitantur verba D. Ambroſii:* Bonus judex nihil ex arbitratu ſuo facit, ſed juxta leges & jura pronuntiat, nil paratum aut præmeditatum de domo ſua adfert, ſed ſicut audit ita judicat, *cui ſententiæ ſubſcribit D. Gregorius 11. q. 3. can. ſummopere. Ergo licet in rei veritate non ſatis conſtaret judici*

an ille ſit nocens ſeu innocens, immo licet ſecundum privatam conſcientiam conſtaret illi de ejus innocentia, certo tamen ei conſtat, & certiſſime novit eum juridice probatum eſſe nocentem. i. e. ſecundum allegata & probata. alias enim niſi nocenti probato non poſſet juridice mortis inferre ſupplicium, qui tamen neſciret aliquando an falſa ſint allegationes, an mentiti ſint teſtes, an calumniam paſſus ſit reus, an vero reipſa crimen, de quo delatus eſt, perpetrarit. Quando ergo Auguſt. ſcribit, neſcire judicem an nocentem ſeu innocentem occiderit, de privata ſcientia judicis intelligendus eſt, non de publica, ex qua in judicando procedit.

ζ Quid quod aliquando & ipſi qui arguunt.] *Qui enim accuſat apud aliquem judicem obligat ſe ad probandum, & pœnæ talionis ſe ſubjicit, niſi probaverit; quod tamen intelligendum de eo, qui per calumniam, vel temeritatem aliquem defert falſi alicujus criminis, quod juridice probare nequit, ſi quis verò non ex malitia, aut temeritate, ſed bona fide ac prudenter accuſarit, etſi in probatione deficiet, nulli pœna erit obnoxius. D. Thomas 2.2. q. 68. artic. 4. Si ergo aliquando aliquos detulerint idq; ex zelo boni publici, ubi ex malitia teſtium reo etiam ſuperante omnia tormenta, pœnam talionis ſubeunt, injuſtiſſime quidem, ex ignorantia tamen judicis, cui non conſtat legitime vera crimina objecta, imo contrarium.*

Cap. VII.

De diverſitate linguarum, qua ſocietas hominum dirimitur, & de miſeria bellorum, etiam quæ juſta dicuntur.

POſt α civitatem vel urbem ſequitur orbis terræ, β in quo tertium gradum ponunt ſocietatis humanæ, incipientes à domo, atque inde ad urbem, deinde ad orbem terræ progrediendo venientes. Qui utique ſicut aquarum congeries quanto major eſt, tanto periculis plenior. In quo primum γ linguarum diverſitas hominem alienat ab homine. Nam ſi duo ſibimet invicem fiant obviam, neque præterire, ſed ſimul eſſe aliqua neceſſitate cogantur, quorum neuter norit linguam alterius: facilius ſibi animalia muta, etiam diverſi generis, quam illi, cum ſint homines ambo, ſocientur. Quando enim, quæ ſentiunt, inter ſe communicare non poſſunt, propter ſolam linguarum diverſitatem, nihil prodeſt ad conſociandos homines tanta ſimilitudo naturæ: ita ut libentius homo ſit cum cane ſuo, quam cum homine alieno. At enim opera data eſt, *b* δ ut imperioſa civitas non ſolum jugum, verùm etiam linguam ſuam domitis gentibus per pacem ſocietatis imponeret: per quam non deeſſet, imò & abundaret etiam interpretum copia. Verum eſt. Sed hoc quam multis, & quam grandibus bellis, quanta ſtrage hominum, quanta effuſione humani ſanguinis comparatum eſt: quibus tranſactis non eſt tamen eorum malorum finita miſeria. Quamvis enim non defuerint, neque hoſtes deſint, exteræ nationes, contra quas ſemper bella geſta ſunt & gerunt: tamen etiam ipſa imperii latitudo peperit pejoris generis bella, ſocialia ſcilicet & civilia: quibus miſerabilius quatitur genus humanum, ſive cum belligeratur, ut aliquando conquieſcant: ſive cum timetur, ne rurſus exurgant. Quorum malorum multas & multiplices clades duras & di-

ras

ras neceſſitates, ſi, ut dignum eſt, eloqui velim: quanquam nequaquam ſicut res poſtulat, poſſim: quis erit prolixæ diſputationis modus? *c* Sed ſapiens, inquiunt, juſta bella geſturus eſt. Quaſi non, ſi ſe hominem meminit, *ε* multo magis dolebit juſtorum neceſſitatem ſibi extitiſſe bellorum: quia niſi juſta eſſent, ei gerenda non eſſent, ac per hoc ſapientia nulla bella eſſent. *ζ* Iniquitas enim partis diverſæ juſta bella ingerit gerenda ſapienti. Quæ iniquitas utique homini eſt dolenda, quia hominum eſt, & ſi nulla ex ea bellandi neceſſitas naſceretur. Hæc itaque mala tam magna, tam horrenda, tam ſæva, quisquis cum dolore conſiderat, miſeriam neceſſe eſt fateatur. Quisquis autem vel patiatur ea ſine animi dolore, vel cogitat, multo utique miſerius, ideò ſe putat beatum, quia & humanum perdidit ſenſum.

a LInguarum diverſitas hominem alienat ab homine.] *Plinius lib. 7. Tanta loquendi varietas, ut externus alieno non ſit hominis vice.* L. Vives.

b Ut imperioſa civitas non ſolum jugū, verū etiam linguam.] *Roma vel imperii plena, vel imperii rigidi atq; immodici. Alluſit ad illud de Manlio Torquato, qui ob cæſum filium dictus eſt imperioſus. Curabant ergo Romani; ut & in provinciis plurimi Latine loquerentur, ita ut Hiſpanias & Gallias Latinas prorſus fecerint, veteribus illarum gentium linguis abolitis. Et in ſenatu nullos audierint legatos, niſi Latine verba facientes. Rem profecto conabantur pulcherrimam, & toti humano generi utiliſſimam, quocunq; id fine facerent, ut eſſet una aliqua lingua, qua ſe gentes omnes mutuo intelligerent.* Romani ſtudioſi Latinæ linguæ.

c Sed ſapiens, inquiunt, juſta bella geſturus eſt.] *Cum gentilibus ex eorum moribus diſputat.*

α POſt civitatem vel urbem ſequitur orbis terræ.] Duas reſpublicas animo complectamur *(ait Seneca)* alteram magnam & veram publicam, qua Dii atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum reſpicimus, aut ad illum, ſed terminos civitatis noſtræ cum Sole metimur; alteram, cui nos adſcripſit conditio naſcendi. F. L. Cog.

β In quo tertium gradum ponunt ſocietatis humanæ.] *Quia præter ſocietatem domus & patriæ, eſt quædam ſocietas univerſi generis humani*, cujus vinculum *(ait Cicero l. 1. Offic.)* eſt ratio & oratio, quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando conciliat inter ſe homines conjungitque naturali quadam ſocietate.

γ Linguarum diverſitas hominem alienat ab homine.] *Plinius lib. 7. cap. 1.* Tot gentium ſermones, tot linguæ, tantaque loquendi varietas, ut externus alieno pene non ſit hominis vice. *& lib. 11 cap. 51.* Hinc illa gentium, totque linguarum toto orbe diverſitas. *poſt.* Sed ante omnia explanatio animi, quæ nos diſtrinxit à feris, inter ipſos homines æque grande diſcrimen, quam à belluis fecit, nimirum ob idiomatum & vocum diverſitatem, quibus concepta animi exprimimus. *Eo accedit quod ſcribit D. Paulus 1. Corinth. 14.* Si neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus. *Iratus dominus populo ſuo ita illi comminabatur. Hieremiæ 2.* adducam ſuper vos gentem, cujus ignorabitis

rabitis linguam, nec intellgetis quod loquuntur, & *Deuter. 28.* Adducet ſuper te dominus gentem de longinquo, cujus linguam intelligere non poſſis. *Atque ita etiam confuſione linguarum punivit Deus ſuperbiam ædificantium turrim Babel, ut ſeſe mutuo non intelligerent, cum prius terræ eſſet labii unius & ſermonum eorundem. Hæc ergo linguarum diverſitas, hæc diſtinctio ſocietatis humanæ non aliunde quam ex peccato nata eſt.*

δ Ut imperioſa civitas non ſolum jugum, verum etiam linguam.] Imperioſam civitatem *dixit i. ſeverum in imperando. Ita Cicero in Orat. imperioſos populos dixit, & Livius imperioſam dictaturam. Cicero 2. de Finibus Manlium illum Torquatum: qui filium, quod injuſſu ſuo cum hoſte pugnaſſet ſecuri percuſſit, vocat imperioſum. i. e. nimis ſeverum & crudelem in imperando. Quemadmodum vero Romani imperium ſuum longe lateq; protendere conabantur, ita Latinam linguam in quosq; ſibi ſubditos populos transfundere; Atque inde factum eſt, ut ſicut Græca lingua antiquitus quam plurimis erat in uſu, ita poſtea Latina lingua obtinentibus longe lateq; Romanis imperium, fere omnibus nationibus fuerit in uſu. Nam licet Romani ipſi Græcam linguam ſatis haberent familiarem, tamen etiam Græcis ipſis non niſi Latine reſpondebant etiam in Græcia & Aſia. Qua de re Valerius lib. 2. cap. 2 commendat. magnopere uſum magiſtratuum Romanorum his verbis.* Magiſtratus vero priſci quantopere ſuam, populique Romani majeſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt, quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia illud quoque magna cum perſeverantia cuſtodiebant, ne Græcis unquam niſi Latine reſponſa darent. Quinetiam ipſa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excuſſa per interpretem loqui cogebant non in urbe tantum noſtra, ſed etiam in Græcia & Aſia, quo ſcilicet Latinæ vocis honor per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Neque illis deerant ſtudia doctrinæ, ſed nulla non in re pallium togæ ſubjici debere arbitrabantur, indignum eſſe exiſtimantes illecebris & ſuavitate literarum imperii pondus & authoritatem domari.

ε Multo magis docebit juſtorum neceſſitatem ſibi extitiſſe bellorum.] *Quo ſenſu Cato apud Lucanum lib. 2.*

Summum Brute nefas civilia bella fatemur,
Sed quo fata trahunt virtus ſecura ſequetur.

Piſo à Galba adoptatus apud Tacitum lib. 1. Hiſtor. Patris, & Senatus, & imperii vicem doleo, ſi nobis aut perire hodie neceſſe eſt, aut quod æque apud bonos miſerum eſt, occidere.

ζ Iniquitas enim partis adverſæ juſta bella ingerit.] *Nec enim pro arbitrio Principis vel reipublicæ ſunt ſuſcipienda bella. verum opus eſt vel illatam fuiſſe injuriam, vel damnum aliquod reipublicæ ſeu Principi; quod recte explicavit. D. Auguſtinus qu 10. in Joſue.* Bella juſta definiuntur, quando civitas plectenda eſt, quæ vindicare neglexerit, quod à ſuis improbe factum eſt, vel reddere quod injuſte ablatum eſt: *neq; debet ita facile ſuſcipi, ut non ſit ſatis quæcumq; iniquitas, aut injuria partis adverſæ, ſed injuriam magnam eſſe oportet cum bellum ſit inſtar medicinæ, qua commoventur humores ad corporis conſequendam*

dam ſanitatem; at non eſſet ſapientis viri medicamentum adhibere ad expellendam ægritudinem, quod alioquin magis corpori noceret quam ægritudo, qua antea laborabat. Si ergo majus nocumentum Reipublicæ adferat bellum, quam ſit utile id quod bello repetendum eſt, non erit reipublicæ vel Principi juſta cauſſa belli inferendi. Neq; ſtatim poſt illatam injuriam vel damnum ſuſcipiendum eſt bellum, verum alia omnia tentanda ſunt, ut mittendi legati, & alia facienda, quæ videntur media accommodata ad pacem. Et apud Romanos non licebat bellum inferre, niſi prius feciales juſta cauſſa ſuſceptum declaraviſſent, & prius indixiſſent. Ita apud Varronem: Priuſquam indicerentur bellum iis, à quibus injurias factas ſciebant, feciales quatuor legatos, res repetitum mittebant, quos Oratores vocabant. *Habes apud Livium lib. 1. de ritu indicendi bellum,* Legatus ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato (filium lanæ velamen eſt,) Audito Juppiter (*inquit*) audite fines, cujuscumque gentis ſint nominat, audiat fas; Ego ſum publicus nuncius pop. Romani juſte pieque legatus venio, verbisque meis fides ſit, peragit deinde poſtulata, inde Jovem teſtem facit; Si ego injuſte, impieque illos homines, illasque res dedier populo Romano, mihique expoſco, tum patriæ compotem me nunquam ſinas eſſe. *Non itaq; prius bellum ſuſcipiebant, quam eo ritu indicerent atq; res per legatos repeterent. Cicero lib. 1. officio. ſcribit nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geritur, aut ante indictum ſit & denuntiatum: ubi etiam ſcribit, quod cum duo ſint genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim, cumque illud ſit proprium hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet priore. Et Caſſiodorus lib. 3. variar. epiſt. 1* Tunc utile ſolum eſt ad arma concurrere, cum locum apud adverſarium juſtitia non poteſt invenire. *& epiſt. 3.* Quid quærit ultra, cui offertur abſoluta juſtitia.

CAP. VIII.

Quod amicitia bonorum ſecura eſſe non poſſit, dum à periculis præſentis vitæ trepidari neceſſe ſit.

SI autem non contingat quædam ignorantia ſimilis dementiæ, quæ tamen in hujus vitæ miſera conditione ſæpè contingit, *α* ut credatur vel amicus eſſe, qui inimicus eſt: vel inimicus, qui amicus eſt: quid nos conſolatur in hac humana ſocietate erroribus ærumnisque pleniſſima, niſi fides non ficta, & mutua dilectio verorum bonorumque amicorum: quos *β* quanto plures, *α* & in locis pluribus habemus, tanto longius latiusque metuimus, ne quid eis contingat mali de tantis malorum aggeribus hujus ſeculi. Non enim tantummodo ſoliciti ſumus, ne fame, ne bellis, ne morbis, ne captivitatibus affligantur, ne in eadem ſervitute talia patiantur, qualia nec cogitare ſufficimus: verùm etiam ubi timor eſt multo amarior, *γ* ne in perfidiam, malitiam, nequitiamque mutentur. Et quando iſta contingunt, tanto utique plura, quanto illi ſunt plures, & in pluribus locis. & in noſtram notitiam perferuntur, quibus cor noſtrum flagris uratur, quis poteſt, niſi qui talia ſentit advertere: Mortuos quippe audire mallemus:

mus: quamvis & hoc ſine dolore non poſſemus audire. Quorum enim nos vita propter amicitiæ ſocialis ſolatia delectabat, unde fieri poteſt, *δ* ut eorum mors nullam nobis ingerat mæſtitudinem? quam qui prohibet, prohibeat, ſi poteſt, amica colloquia: interdicat amicalem ſocietatem, vel intercidat affectum omnium humanarum neceſſitudinum, vincula mentis immiti ſtupore dirumpat: aut ſic eis utendum cenſeat, ut nulla ex eis animum dulcedo perfundat. Quod ſi fieri nullo modo poteſt, etiam hoc, quo pacto futurum eſt, ut ejus nobis amara mors non ſit, cujus dulcis eſt vita? *b* Hinc eſt enim & luctus quidem in humano corde, quaſi vulnus aut ulcus, cui ſanando adhibentur officioſæ conſolationes. Non enim propterea non eſt, quod ſanetur: quoniam quanto eſt animus melior, tanto in eo citius faciliusque ſanatur. Dum igitur etiam de chariſſimorum mortibus, maximè quorum ſunt humanæ ſocietati officia neceſſaria, nunc mitius, nunc aſperius affligatur vita mortalium: mortuos tamen eos, quos diligimus, quos vel à fide, vel à bonis moribus lapſos, hoc eſt, in ipſa anima mortuos audire ſeu videre mallemus: quia ingenti materia malorum plena eſt, propter quod ſcriptum eſt: *Nunquid non c tentatio eſt vita humana*
Iob.7. *ſuper terram?* Et propter quod ipſe Dominus ait: *Væ mundo ab ſcandalis.* Et ite-
Matth. 18. rum: *Quoniam abundavit*, inquit, *iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Ex quo
Matth. 24. fit, ut bonis amicis mortuis gratulemur, & cum mors eorum nos contriſtet, ipſa nos certius conſoletur: quoniam malis caruerunt, quibus in hac vita etiam boni homines vel conteruntur, vel depravantur, vel in utroque periclitantur.

L. Vives. *a* QUos quanto plures.] *Hoc eſt Ariſtotelis argumentum, cur multitudinem amicorum non probet.*

b Et luctus quidam.] *Alibi, Luctus quoddam non inhumani cordis quaſi vulnus.*

c Tentatio eſt.] *Vulgo Job ſeptimo legimus: Militia eſt vita hominis ſuper terram. Quaſi ſemper hoſtis cavendus ſit, nec ſecuri ſinimur agere: quippe aſtutum, verſipellem, ſtrenuum, gravem, crudelem ſortiti hoſtem.*

F. L. Coq. *α* UT credatur amicus eſſe, vel quis inimicus eſt.) *Inter Symbola Pythagoræ illud refertur,* Μὴ παντὶ ἐμβάλλειν τὴν δεξιάν. Non cuivis porrigendam dexteram, *verum deligendum quem diligas, quod citat & exponit Plutarchus ἐν τῷ περὶ πολυφιλίας.*

β Quanto plures & in locis pluribus habemus.] *Hoc argumento Ariſtoteles docet lib. 9. moral. cap. 10. non eſſe parandos plures amicos, ſed tam multos quod ad ſimul vivendum ſint ſatis.*

γ Ne in perfidiam, malitiam nequitiamque mutentur.] *Unde nihil amico committendum ſcribebat Seneca epiſt. 3. niſi quod committere etiam inimico poſſis, & illud Sophoclis,*

— εἴς τε τὸν φίλον
Ὡς αἰὲν οὐ μέλλοντα τοῖς πολλοῖσι γὰρ
Βροτῶν ἄπιστός ἐσθ' ἑταιρείας λιμήν.

δ Ut eorum mors nullam nobis ingerat mœſtitudinem.] *Seneca epiſt. 63.* Moleſte fers deceſſiſſe Flaccum amicum tuum: plus tamen æquo dolere te nolo,

nolo, illud ut non doleas vix audeo exigere, & ſi eſſe melius ſcio. Sed cui iſta firmitas animi continget, niſi jam multum ſupra fortunam elato?

CAP. IX.

De amicitia ſanctorum Angelorum, quæ homini in hoc mundo non poteſt eſſe manifeſta, propter fallaciam dæmonum, in quos inciderunt, qui multos ſibi deos colendos putaverunt.

IN ſocietate verò ſanctorum Angelorum, quam Philoſophi illi, qui nobis deos amicos eſſe voluerunt, quarto conſtituerunt loco, velut ad mundum venientes ab orbe terrarum, ut ſic quodammodo complecterentur & cœlum: nullo modo quidem metuimus, ne tales amici vel morte nos ſua, vel depravatione contriſtent. Sed quia nobis non ea, qua homines familiaritate miſcentur (quod etiam ipſum ad ærumnas hujus pertinet vitæ) & aliquando *a ſatanas*, ſicut legimus, *transfigurat ſe in Angelum lucis* ad tentandos eos, quos ita vel erudiri opus eſt, vel decipi juſtũ eſt: magna Dei miſericordia neceſſaria eſt, ne quiſquam cum bonos Angelos amicos ſe habere putat, habeat malos dæmones amicos fictos, eoſque tanto nocentiores, quanto aſtutiores ac fallaciores patiatur inimicos. Et cui ꝧ magna iſta Dei miſericordia neceſſaria eſt, niſi magnæ humanæ miſeriæ, quæ ignorantia tanta premitur, ut facilè iſtorum ſimulatione fallatur? Et illos quidem philoſophos in impia civitate, qui deos ſibi amicos eſſe dixerunt, in dæmones malignos incidiſſe certiſſimum eſt, quibus tota civitas ſubditur, æternum cum eis habitura ſupplicium. Ex eorum quippe ſacris, vel potius ſacrilegiis, quibus eos colendos, & ex ludis immundiſſimis, ubi eorum crimina celebrantur, quibus eos placandos putaverunt, eiſdem ipſis autoribus & exactoribus talium tantorumque dedecorum, ſatis ab eis, qui colantur, apertum eſt. 2. Cor. 11.

a SAthanas ſicut legimus transfigurat ſe in Angelum lucis.] *Certe non adeo facile eſt cognoſcere bonuſne ſit ſpiritus an malus, ater an albus, qui apparet, ſive virium noſtrarum imbecillitatem ſive ſpirituum, qui apparent ſolertiam, ſive ipſum genus apparitionum ſpectemus. Propter noſtram imbecillitatem, alias noſtræ naturæ miſeriam, merito dicit magna DEI miſericordia opus eſſe, ne quis cum bonos Angelos ſua ſaluti conſulturos habere ſibi perſuadet, infeſtiſſimos dæmonas ſuæ perditioni totos intentos amicos excipiat. Tanta enim ignorantia premitur humana miſeria, ut facile iſtorum ſimulatione fallatur; Et ſicut* Angelus ſatanæ transfigurat ſe in Angelum lucis 2. *Corinth. 11. ſic & humanam formam induere, & amici alicuius vel etiam ſanctorum perſonam poteſt ſimulare atq; ſimplicibus & incautis imponere. Cum Vincentius Victor, ad quem ſcripſit Auguſtinus lib. 3. & 4. de anima & eius origine. Vincentium quendam ſucceſſorem Rogati ſancti cuiuſdam & magni viri loco haberet, qui fuerat tamen hæreticus Donatiſta, ad quem exſtat epiſtola 48. Auguſtini, & jactaret eum ſibi apparuiſſe neſcio qua viſione; ut ad conficiendos quoſdam libros ſic adjuverit, ut ea illi ſcribenda quantum ad res rationeſq; attinet, ipſe dictaret, Auguſtinus interpretatur fuiſſe dæmonem;* Ille (*inquit*) qui ſe ſicut eum prodit Apoſtolus P.L.Cop.

transfi-

transfigurat in angelum lucis, in eum tibi eſt transfiguratus, quem tu fuiſſe vel eſſe tanquam lucis Angelum credis; *Et eo quidem modo minus ad decipiendos catholicos valet, quando ſe non in lucis Angelos, ſed hæreticos transfigurat, ut idem ſcribit lib. 3. de anima & eius origine cap. 2. Refert Euſebius lib 5. cap. 15. Theodotum quendam aliosq́ Montaniſtas mirabiles viſiones jactaſſe, ſeq́ ex his accepiſſe mundum brevi collapſurum; inter ea, quæ divinitus nobis conferuntur, Apoſtolus 2. Corinth. 11. enumerat diſcretionem ſpirituum*, Non omni ſpiritui credendum, ſed probandi ſpiritus an ex Deo ſint.

β Magna Dei miſericordia neceſſaria eſt, ne quiſquam.) *Gregorius lib. 33. moral. cap. 22.* Quia Leviathan iſte in eo quod iniquitatis opus molitur ſæpe ſpecie ſanctitatis induitur, & quia niſi per divinam gratiam ſimulationis eius detegi indumenta non poſſunt, bene dicitur; quis revelabit faciem indumenti eius? ſubaudis, niſi ego, qui ſervorum meorum mentibus gratiam ſubtiliſſimæ diſcretionis inſpiro, ut revelata malitia faciem eius nudam videant, quam coopertam ille ſub habitu ſanctitatis occultat *Cyrillus Hieroſolymitanus cath. 4. illuminat.* Imitatur veritatem improbitas, zizania contendit triticum videri, quod quadam ſpecie tritico aſſimilatur, guſtu autem à ſentientibus facile diſcernitur, & diabolus quoque transformatur in Angelum lucis, non quia Angelus eo ubi quondam erat, aſcendat, ſed ut vitam Angelis æqualem ducens homines cæcitatis caligine & incredulitatis peſtilentia irretiat. Multi lupi obambulant in veſtimentis ovium, & veſtes quidem ovium nanciſcuntur, ſed non & ungues & dentes. Ac pelle quidem manſueta induti ſpecie probitatis decipiunt, pernicioſum vero impietatis venenum ex dentibus emittunt. Opus eſt igitur divina gratia & ſobria mente & vigilantibus oculis, ne zizaniis tritico veſcentes imprudenter pereamus, neve lupum exiſtimantes eſſe ovem capiamur, neve perditorem noſtrum diabolum bonum eſſe Angelum putantes deglutiamur.

Cap. X.

Quis fructus ſanctis deſuperata hujus vitæ tentatione paratus ſit.

Sed neque ſancti & fideles unius veri Dei ſummique cultores, ab eorum fallaciis & multiformi tentatione ſecuri ſunt. In hoc enim loco infirmitatis & diebus malignis etiam iſta ſolicitudo non eſt inutilis: ut illa ſecuritas, ubi pax pleniſſima atque certiſſima eſt, deſiderio ferventiore quæratur. Ibi enim erunt naturæ munera, hoc eſt, quæ naturæ noſtræ ab omnium naturarum creatore donantur: non ſolum bona, verùm etiam ſempiterna: non ſolum in animo, qui ſanabitur per ſapientiam, verùm etiam in corpore, quod reſurrectione renovabitur. α Ibi virtutes non contra ulla vitia vel mala quæcunque certantes, ſed habentes victoriæ præmium æternam pacem, quam nullus adverſarius inquietet. Ipſa eſt enim beatitudo finalis, ipſa perfectionis finis, qui conſummentem non habet finem. Hic autem dicimur quidem beati, quando pacem habemus, quantulacunque hic haberi poteſt in vita bona. Sed β hæc beatitudo illi, quam fina-

Pax temporalis.

finalem dicimus,beatitudini comparata,prorſus miſeria reperitur. Hanc ergò pacem, qualis hic poteſt eſſe, mortales homines in rebus mortalibus quando habemus,ſi rectè vivimus, bonis ejus rectè utitur virtus: quando verò eam non habemus,etiam malis,quæ homo patitur,benè utitur virtus. Sed tunc eſt vera virtus,quando & omnia bona, quibus benè utitur, & quicquid in bono uſu bonorum & malorum facit,& ſeipſam ad eum finem refert,ubi nobis talis & tanta pax erit,qua melior & major eſſe non poſſit.

a IBi virtutes non contra ulla vitia.) *An virtutes poſt hanc vitam remaneant in beatis diſputant Theologi 3. ſentent. diſtinct. 33. & D. Thomas in quæſtionibus diſputat. q. 5. de virtutibus cardinalibus artic. 4. & 1. 2. q. 67. artic. 1. D. Auguſtinus 14. de Trinit. cap. 9. citat Ciceronem in contrariam ſententiam in ſuo dialogo Hortenſio.* Nec enim fortitudine egebimus nullo propoſito aut labore aut periculo, nec juſtitia, cum eſſet nihil, quod appeteremus alieni nec temperantia quæ regeret eas, quæ nullæ eſſent, libidines, nec prudentia quidem egeremus nullo delectu propoſito bonorum & malorum,una igitur eſſemus beati cognitione naturæ & ſcientia, qua ſola etiam Deorum vita eſt laudanda. *Ex Scholaſticis Durandus diſt. cit. quæſt. 4. idem videtur docuiſſe. Negat enim actiones virtutum exerceri poſſe poſt ſeparationem animæ à corpore: Deinde habitus prudentiæ & juſtitiæ vult quidem permanere, interire verò planè habitus aliarum virtutum. Nititur his rationibus 1. quod* virtutes morales in futura vita ſupervacaneæ eſſent, cùm non ſint habituræ aliquã actionẽ. *Nulla enim virtus quamvis perfecta poteſt exercere ſuam actionem niſi circa proprium objectum ſive propriam materiam; at in futura vita tolletur omnis materia moralium virtutum. Nec enim erunt emptiones & venditiones, circa quas verſatur ipſa juſtitia,nec erunt voluptates coercendæ, quod ſpectat ad temperantiam. Deinde* virtutes mediæ ſunt, quibus ultimum finem conſequimur, *at poſt finis conſecutionem omnia media tolluntur. Poſtremò* ſaltem hæ virtutes, quæ ſunt in appetitu ſentiente non remanebunt eodem modo, verùm aliæ in earum locum ſuccedent. *Ab omnibus ferè recepta eſt hæc ſententia virtutes mortales in beatis permanſuras,quæ eſt doctrina D. Auguſtini hoc loco & loco citato. Neq; enim cum ſtatu beatitudinis repugnant, cùm in Chriſto fuerint, & ad perfectionem ſpectent, nullam verò imperfectionem contineant repugnantem ſtatui beatitudinis. Deinde etiam habituræ ſunt aliquam actionem, quod ita explicat D. Auguſtinus*, Deo regenti eſſe ſubditum, ſi juſtitiæ eſt,immortalis eſt omninò juſtitia; nec in illa beatitudine eſſe deſinet, ſed talis ac tanta erit, ut major & perfectior eſſe non poſſit; fortaſſis & aliæ tres virtutes, prudentia ſine ullo jam periculo erroris, fortitudo ſine moleſtia tolerandorum malorum, temperantia ſine repugnatione libidinum erunt in illa fœlicitate, ut prudentiæ ſit, nullum bonum Deo præponere, vel æquare, fortitudinis, ei firmiſſimè cohærere, temperantiæ nullo defectu noxio delectari. Nunc autem quod agit juſtitia in ſubveniendo miſeris,quod prudentia in præcavendis inſidiis, quod fortitudo in perferendis moleſtiis, quod temperantia in coercendis delectationibus pravis, non ibi erit,ubi nihil F.L.Cog.

hil omninò mali erit, *quod idem hoc cap. docuit virtutes ibi futuras non contra ulla vitia vel mala certantes. Alij actiones virtutum in futura vita ſic explicant, quod proprium virtutis ſit, non tantum actionem ſuam exercere prout decet circa materiam propriam, verùm etiam de actione honeſta gaudere ubi tranſacta eſt, ita fortis gaudet ſe fortiter egiſſe, & temperans ſe temperanter vixiſſe atq; ita de cæteris: In futura vita quamvis nulla ſit opus virtute ad difficultatem aliquam ſuperandam, ex altera tamen parte gaudium eſt in beatis de actionibus virtutum, quas in hac vita exercuerunt: quod D. Thomas locis citatis aliter expreſſit virtutes remanſuras non quidem quoad id quod eſt materiale, ſed quantum ad id quod eſt formale, in beatis perfectiſſimè poſt hanc vitã, in quantũ ratio uniuscujoq; rectiſſima erit circa ea, quæ ad ipſum pertinent in eo ſtatu & vis appetitiva omninò movebitur ſecundùm rationem in his, quæ ad illum ſtatum pertinent. Ex quo conſtat reſponſio ad primum argumentum Durandi, qua ratione illæ virtutes habeant aliquam actionem in futura vita: Deinde etſi nullam haberent, non eſſent omninò ſupervacaneæ, quia etiam poſt reſurrectionem erunt multa corporis organa, quæ nullam habebunt functionem, quia tamen pertinent ad integritatem & dignitatem humanæ naturæ, non erunt omninò ſupervacanea. Ad ſecundum etſi virtutes ſint media ad beatitudinem, nihilominus non repugnat remanere, ſi quidem charitas ipſa remanebit, quæ tamen eſt potiſſimum medium ad beatitudinem: Deinde ſunt media ad beatitudinem, ſi primum genus actionum ſpectemus, at ſi ſecundùm genus ſpectemus, ſunt veluti quædam diſpoſitiones, quæ etiam remanent poſt formæ inductionem. Ad tertium reſpondet D. Thomas ſtatum poſt hanc vitam duplicem eſſe, unum quidem ante reſurrectionem, quando animæ erunt à corporibus ſeparatæ, alium poſt reſurrectionem, quando animæ iterum corporibus uniuntur; in illo ergo reſurrectionis ſtatu erit appetitus ſentiens, atq; ita poterit eſſe in iraſcibili fortitudo, & in concupiſcibili temperantia, in quantum utraq; vis perfectè erit diſpoſita ad obediendum rationi. Verùm in ſtatu ante reſurrectionem appetitus non erit actu in anima, ſed ſolum radicaliter in eſſentia ipſius, unde nec hujusmodi virtutes erunt in actu niſi in radice ſcilicet in ratione & voluntate, in quibus ſunt ſeminaria quædam harum virtutum; qui tamen doceret cum Scoto has virtutes non eſſe in appetitu ſentiente, ſed in voluntate tanquam in ſubjecto, facilè reſpondebit, etſi appetitus ſentiens non remaneat, virtutes tamen remanſuras. Nam & D. Thomas juſtitiam, quam in voluntate ponit, actu remanſuram docet.*

β Hæc beatitudo illi, quam finalem dicimus comparata.) *Aliqua beatitudinis participatio in hac vita obtineri poteſt, minimè verò perfecta & vera beatitudo, ut conſtat primo quidem ex ipſa communi ratione beatitudinis, quæ cùm ſit* perfectum & ſufficiens bonum, *omne malum excludit, ac omne deſiderium implet. Verùm in hac vita non poteſt omne malum excludi, cùm ſubjaceat tot tantisq; malis, quæ vitari non poſſunt ut ignorantiæ ex parte intellectus, inordinatæ affectioni ex parte appetitus & multiplicibus pænalitatibus ex parte corporis: Nec etiam omne deſiderium hujus vitæ beatitudo explet: Si verò conſideretur id, in quo ſpecialiter conſiſtit ipſa beatitudo, nimirum* viſio divinæ eſſentiæ, *non communicatur homini in hac vita, atq; illa beatitudo eſt futuræ vitæ, cum qua ſi beatitudo præſens conferatur, miſeria certè, ut rectè Auguſtinus docet, erit exiſtimanda.*

CAP.

CAP. XI.

De beatitudine pacis æternæ, in qua ſanctis finis eſt, id eſt, vera perfectio.

QUapropter poſſumus dicere, finem bonorum noſtrorum eſſe pacé, ſicut æternam diximus vitam: præſertim quia ipſi civitati Dei, de qua nobis eſt iſta operoſiſſima diſputatio, in ſancto dicitur Pſalmo: *Lauda Hieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confirmavit ſeras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. Qui poſuit fines tuos pacem.* Quando enim confirmatæ fuerint ſeræ portarum ejus, jam in illam nullus intrabit, nec ab illa ullus exibit. Ac per hoc fines ejus eam debemus hic intelligere pacem, quam volumus demonſtrare finalem. Nam & *a* ipſius civitatis myſticum nomen, id eſt, Hieruſalem: quod, & ante jam diximus, *β* Viſio pacis interpretatur. Sed quoniam pacis nomen etiam in his rebus mortalibus frequentatur, ubi utique non eſt vita æterna: propterea finem civitatis hujus, ubi erit ſummum bonum ejus, æternam vitam maluimus commemorare quam pacem. De quo fine Apoſtolus ait: *Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Sed rurſus quia vita æterna ab his, *γ* qui familiaritatem non habent cum Scripturis ſanctis, poteſt accipi etiam malorum vita: vel ſecundùm quoſdam etiam philoſophos, propter animæ immortalitatem: vel etiam ſecundùm fidem noſtram, propter pœnas interminabiles impiorum, qui utique in æternum cruciari non poterunt, niſi etiam vixerint in æternum: profecto finis civitatis hujus, in quo ſummum habebit bonum, vel pax in vita æterna, vel vita æterna in pace dicendus eſt, ut facilius ab omnibus poſſit intelligi. *a δ* Tantum eſt enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò poſſit melius inveniri. De quo ſi aliquanto diutius loqui voluerimus, non erimus, quantum arbitror, oneroſi legentibus, & propter finem civitatis hujus, de qua nobis ſermo eſt, & propter ipſam dulcedinem pacis, quæ omnibus chara eſt.

Pſal. 47.

Rom. 6.

a TAntum eſt enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis.] *Nihil enim excogitari poteſt neq; jucundius, neque gratius.* εἰρήνη δοκεῖ μέγα ἀγαθὸν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις, πόλεμος μέγα κακόν. *Pax videtur maximum eſſe homini bonum, bellum maximum malum, inquit Xenophon* ἐν τῷ ἱέρωνι. *Et eadem pax animi eſt illa ipſa* εὐθυμία, *hoc eſt, animi tranquillitas, quam Democritus dixit ſummam felicitatem: cæteræq; philoſophorum nationes eam eſſe vitam beatam conſenſerunt. Stoci inter bona illa beatitudinis concordiam ſtatuunt de primis.* L. Vives. Pax.

a IPſius civitatis myſticum nomen, *id eſt,* Hieruſalem.) *Quemadmodum enim Hieruſalem ſignificat civitatem illam Palæſtinæ, ita moraliter animam fidelem, allegoricè Eccleſiam militantem, anagogicè civitatem Dei viventis* Hieruſalem cœleſtem, & Hieruſalem, quæ ſurium eſt mater noſtra. *Quò alluſit Sidonius lib. 8. Epiſt. 13. de quodam Judæo ad fidem converſo loquens.* patriam ſibi maluit Hieruſalem potius quàm Hieroſolymam computari. R.L. Coq.

β Viſio pacis interpretatur.) *Apud Hieronymum Epiſt. 17. quæ eſt Paulæ & Euſtochii ad Marcellam, ut commigret Bethlehem, de Hieruſalem loquens;* In tribus nominibus (*inquit*) Trinitatis demonſtrat fidem Jebus, Salem, & Hieruſalem appellatur, primum nomen calcata, ſecundum pax, tertium viſio pacis: paulatim quippe pervenimus ad finem, & poſt conciliationem ad pacis viſionem erigimur.

γ Qui familiaritatem non habent cum ſcripturis ſacris.) *Nam in ſcripturis vita æterna propriè dicitur, quæ eſt prædeſtinatorum fruentium jam ipſa beatitudine. Reprobi enim potius dicuntur mortui quam vivere, & quidem morte æterna.*

δ Tantùm eſt enim pacis bonum.) *Philo apud Stobæum ſerm. 75.* τὸ μέγιστον ἀγαθὸν εἰρήνη, ὃ μηδεὶς ἄνθρωπος ἱκανὸς παρασχεῖν, ἐπεὶ θεῖον τοῦτο δῶρον. *Cicero lib. 7. Epiſt. ad Atticum;* ad pacem hortari non deſine, quæ vel injuſta utilior eſt quàm juſtiſſimum bellum. *Xenophon in Hieron.* εἰρήνη δοκεῖ μέγα ἀγαθὸν τοῖς ἀνθρώποις εἶναι, πόλεμος δὲ μέγα κακόν. *Plato lib. 1. de legi. pacem ſcribit eſſe finem legum condendarum, & bellum eſſe rerum neceſſariarum, ſed non optimarum genere. Exſtant [illegible]s elegantiſſimæ orationes apud Gregor. Nazianzenum de pace, ubi multa in illius laudem.*

CAP. XII.

Quod etiam bellantium ſævitia omneſq́; hominum inquietudines ad pacis finem cupiant pervenire, ſine cujus appetitu nulla natura ſit.

QUod enim mecum quiſquis res humanas naturamque communem utcunque intuetur agnoſcit, ſicut nemo eſt qui gaudere nolit, ita α nemo eſt qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipſi qui bella volunt, nihil aliud quam vincere volunt: ad glorioſam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. Nam quid eſt aliud victoria, niſi ſubjectio repugnantium? Quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella: ab his etiam qui virtutem bellicam ſtudent exercere imperando atque pugnando. Unde β pacem conſtat belli eſſe optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando. Nam & illi qui pacem in qua ſunt perturbari volunt, non pacem oderunt, ſed eam pro arbitrio ſuo cupiunt commutari. Non ergo ut ſit pax nolunt, ſed ut ea ſit quam volunt. Denique etſi per ſeditionem ſe ab aliis ſeparaverint, cum eis ipſis conſpiratis vel conjuratis ſuis, niſi qualemcunque pacis ſpeciem teneant, non efficiunt quod intendunt.

Pax impiorum.

Proinde latrones ipſi ut vehementius & tutius infeſti ſint paci cæterorum, pacem volunt habere ſociorum. Sed etſi unus ſit tam præpollens viribus, & conſocios ita cavens, ut nulli ſocio ſe committat, ſolusque inſidians & prævalens, quibus potuerit oppreſſis & extinctis prædas agat, cum eis certe quos occidere non poteſt, & quos vult latere quod facit, qualemcunque umbram pacis tenet. In domo autem ſua cum uxore & cum filiis, & ſi quos alios illic habet, ſtudet profecto eſſe pacatus: eis quippe ad nutum obtemperantibus ſine dubio delectatur: Nam ſi non fiat, indignatur, corripit, vindicat: & domus ſuæ pacem, ſi ita neceſſe ſit, etiam

iam ſæviendo componit: quam ſentit eſſe non poſſe, niſi cuidam principio, quod ipſe in domo ſua eſt, cætera in eadem domeſtica ſocietate ſubjecta ſint. Ideoque ſi offerretur ei ſervitus plurium vel civitatis vel gentis: ita ut ſic ei ſervirent, quemadmodum ſibi domi ſuæ ſervire volebat: non ſe jam latronem latebris conderet, ſed regem conſpicuum ſublimaret, cum eadem in illo cupiditas & malitia permaneret. Pacem itaque cum ſuis omnes habere cupiunt, quos ad ſuum arbitrium volunt vivere. Nam & cum quibus bellum gerunt, ſuos facere, ſi poſſunt, volunt, eisque ſubjectis leges ſuæ pacis imponere. *a γ* Sed faciamus aliquem, qualem canit poëtica & fabuloſa narratio: quem fortaſſe propter ipſam inſociabilem feritatem *b δ* ſemihominem quam hominem dicere maluerunt. Quamvis ergo hujus regnum diræ ſpeluncæ fuerit ſolitudo, tamque malitia ſingularis, *c* ut ex hac ei nomen inventum ſit: nam malus Græce κακὸς dicitur, quod ille vocabatur: ut nulla conjunx ei blandũ ferret referretque ſermonẽ, nullis filiis vel alluderet parvulis, vel grandiuſculis imperaret, nullo amici colloquio frueretur, nec *d* Vulcani patris, *e* quo vel hinc tantum non parum felicior fuit, quia tale monſtrum ipſe non genuit: nihil cuiquam daret, ſed à quo poſſet quicquid vellet, & quando poſſet, *f* & quantum vellet, auferret: tamen in ipſa ſua ſpelunca ſolitaria, cujus, ut deſcribitur, ſemper recenti cæde tepebat humus, nihil aliud quam pacem volebat, in qua nemo illi moleſtus eſſet, nec ejus quietem vis ullius terrore turbaret. Cum corpore ſuo denique pacem habere cupiebat: & quantum habebat, tantum illi bene erat. Quandoquidem membris obtemperantibus imperabat: & ut ſuam mortalitatem adverſum ſe ex indigentia rebellantem, ac ſeditionem famis ad diſſociandam atque excludendam de corpore animam concitantem, quanta poſſet feſtinatione pacaret, rapiebat, necabat, vorabat: & quamvis immanis ac ferus, paci tamen ſuæ vitæ ac ſalutis immaniter & ferociter conſulebat: ac per hoc ſi pacem, quam in ſua ſpelunca atque in ſeipſo habere ſatagebat, cum aliis etiam habere vellet, nec malus, nec monſtrum, nec ſemihomo vocaretur. At ſi ejus corporis forma, *g* & *ε* atrorum ignium vomitus ab eo deterrebat hominum ſocietatem: forte non nocendi cupiditate, ſed vivendi neceſſitate ſæviebat. Verùm iſte non fuerit, vel quod magis credendum eſt, talis non fuerit, qualis vanitate poetica deſcribitur. *ζ* Niſi enim nimis accuſaretur Cacus, *h* parum Hercules laudaretur. Talis ergò homo, ſive ſemihomo melius, ut dixi, creditur non fuiſſe: ſicut multa figmenta poetarum. Ipſe enim ſæviſſimæ feræ, unde ille partem habuit feritatis (nam & ſemiferus dictus eſt,) *i η* genus proprium quadam pace cuſtodiunt coëundo, gignendo, pariendo, fœtus fovendo atque enutriendo, cum ſint pleræque *θ* inſociabiles & ſolivagæ: non ſcilicet ut oves, cervi, columæ, ſturni, apes: ſed ut leones, vulpes, aquilæ, noctuæ. *k ι* Quæ enim tigris *l* non filiis ſuis immurmurat, & pacata feritate blanditur? *m* Quis milvus, quantumlibet ſolitarius rapinis circumvolet, non conjugium copulat, nidum congerit, ova confovet, pullos alit, & quaſi cum ſua matrefamilias ſocietatem domeſticam quanta poteſt pace conſervat? Quanto magis homo fertur quodammodo naturæ ſuæ legibus ad in-

Virg. Æneid. 8.

ineundam ſocietatem,pacemque cum hominibus,quantum in ipſo eſt, omnibus obtinendam: cum etiam mali pro pace ſuorum belligerent, omneſque, ſi poſſint,ſuos facere velint, ut uni cuncti & cuncta deſerviant: quo pacto, niſi ut in ejus pacem,vel amando,vel timendo conſentiant: Sic enim ſuperbia perversè imitatur Deum. Odit namque cum ſociis æqualitatem ſub illo: ſed imponere vult ſociis dominationem ſuam pro illo. Odit ergò juſtam pacem Dei, & amat iniqua pacem ſuam. Non amare tamen qualemcunque pacem nullo modo poteſt. Nullum quippe vitium ita contra naturam eſt,ut naturæ deleat etiam extrema veſtigia. Itaque pacem iniquorum in pacis comparatione juſtorum, ille videt nec pacem eſſe dicendam, qui novit præponere recta parvis; & ordinata perverſis. Quod autem perverſum eſt,hoc etiam neceſſe eſt,ut in aliqua,& ex aliqua, & cum aliqua rerum parte pacatum ſit, in quibus eſt, vel ex quibus conſtat,alioquin nihil eſſet omninò. Velut ſi quiſquam capite deorſum pendeat,perverſus eſt utique ſitus corporis, & ordo membrorum: quia id, quod deſuper eſſe natura poſtulat, ſubter eſt: & quod illa ſubter vult eſſe, deſuper factum eſt. Conturbabit carnis pacem iſta perverſitas, & ideò eſt moleſta. Veruntamen anima corpori ſuo pacata eſt, & pro ejus ſalute ſatagit, & ideò eſt, qui doleat,quæ ſi moleſtiis ejus excluſa diſceſſerit, quam diu membrorum manet compago, non eſt ſine quadam partium pace quod remanet: & ideò adhuc eſt,qui pendeat. Et quod terrenum corpus in terram nititur, & vinculo, quo ſuſpenſum eſt,renititur, in ſuæ pacis ordinem tendit: & locum, quo requieſcat, quodammodo ponderis voce poſcit, jamque exanime ac ſine ullo ſenſu, à pace tamen naturali ſui ordinis non recedit: vel cum tenet eam, vel cum fertur ad eam. Si enim adhibeantur medicamenta atque curatio,quæ formam cadaveris diſſolvi dilabique non ſinant, *n* adhuc pax quædam partes partibus jungit, totamque molem applicat terreno & convenienti,ac per hoc loco pacato. *o* Si autem nulla adhibeatur cura condiendi,ſed naturali curſui relinquatur,tamdiu quaſi tumultuatur diſſidentibus exhalationibus,& noſtro inconvenientibus ſenſui: *p* id enim eſt, quod in putore ſentitur, donec mundi conveniat elementis, & in eorum pacem particulatim paulatimque diſcedat. Nullo modo tamen inde aliquid legibus ſummi illius creatoris ordinatoriſque ſubtrahitur, à quo pax univerſitatis adminiſtratur: quia etſi de cadavere majoris animantis animalia minuta naſcantur, eadem lege creatoris quæque corpuſcula in ſalutis pace *q* ſuis animulis ſerviunt. Etſi mortuorum carnes ab illis animalibus devorentur, eaſdem leges per cuncta diffuſas ad ſalutem generis cujusque mortalium, congrua congruis pacificantes & quaquaverſum trahantur, & rebus quibuſcunque jungantur, & in res quaſlibet convertantur & commutentur, inveniunt.

L. Vives. Cacus. *a* SEd faciamus aliquem qualem.] *Hic eſt Cacus, quem Vergilius deſcribit octavo Æneidos, cujus verſus particulas hic Auguſtinus interſerit. De hoc Caco ſic apud Dionyſium ſcribitur: In his igitur qui ab Hercule victi ſunt pugna, fuit etiam Cacus ille apud Romanos fabuloſus, præpotens quidem barbarorum ut dicitur, atque immanium*

manium hominum princeps. Huncq́; ajunt diſcordem hominem in munitis locis habitaſſe: ac per ea fuiſſe gravem ſemper finitimis accolam. Ut Herculem verò in propinquo campo caſtra habentem ſenſit: latronum more præparatus, incurſione uſus eſt ſubita, atq́; prædam abegit, quantam incuſtoditam reperit: deinde autẽ incluſus eſt à Græcis. Apud Solinum vero ſic: Cacus habitavit locum, cui Salinæ nomen eſt: ubi Trigemina nunc porta, hic, ut Gellius tradit, cum à Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat Marſiæ regis ſocio Megale Phryge cuſtodiæ foret datus, fruſtratus vincula, unde venerat, rediit: præſidiis amplioribus occupato circa Vulturnum & Campaniam regno, dum attrectare etiam ea auderet, quæ conceſſerant in Arcadum jura, duce Hercule, qui tum forte aderat, oppreſſus eſt. Sic apud iſtos. Servius ad hunc modum: Cacus ſecundum fabulam, Vulcani filius fuit, ore ignem ac fumum vomens, qui vicina omnia populabatur. Veritas tamen ſecundum philoſophos & hiſtoricos hoc habet, hunc fuiſſe Evandri nequiſſimum ſervum, ac furem, hunc ſoror ſua ejusdem nominis, Caca ſcilicet, prodidit: unde etiam ſacellum meruit, in quo ei per virgines Veſtæ ſacrificabatur. Idem Lactantius. Quæ vero Servius de accentu dicit mutato pro κακὸς κάκος, non perinde ad Arcadiæ linguæ vel vetuſtatem vel proprietatem pertinere, ut Æolica, crediderim: cujus plurima Latinus ſermo retinuit, ſicut Dionyſ. narrat. propter Trojanos puto, qui Æolicè loquebantur. Ac Æoles, ut Joan grammaticus περὶ διαλέκτων docet, multa pronunciabant paroxytona, quæ communiter erant oxytona, ut ipſi πόταμος, ubi communiter ποταμὸς: & κάλος pro καλὸς.

b Semihominem quam hominem.] *Verg.* Semihominis Caci facies. *Servius: Semihominis feritate corrupti.*

c Ut ex hac ei nomen inventum ſit.] *Nam Diodor. l. 5. nomen ejus proprium ponit Lacinium, niſi mendoſus eſt codex, quem fuiſſe furem tradit.*

d Vulcani patris.] *Sic Verg. & Ovid. primo Faſtorum, & cæteri poetæ. Sed Vulcani creditus eſt filius, & ore ignes vomere, quod agros iſte vaſtaret.*

e Quo vel huic tantum non parum felicior fuit.] *Alibi habetur, Quo vel hinc tantum. Ait Cacum fuiſſe patre ſuo Vulcano feliciorem, quod cum Vulcanus genuerit Cacum tale monſtrum, Cacus ipſe nihil genuit.*

f Et quantum vellet, auferret.] *Jam antea dixit, quantum in aliis libris habetur, & quem vellet. Nam homines rapiebat, quorum capita affigebat pro foribus ſpeluncæ: ut Vergil. & Ovid. dicunt.*

g Et atrorum ignium vomitus.] *Verg.* Illius atros Ore vomens ignes. *Hercules.*

h Parum Hercules laudaretur.] *Unus enim ex laboribus Herculis fuit in Caco opprimendo, qui partem boum, quas Hercules agebat ex Hiſpania, in ſuam ſpeluncam per caudam traxit, ne veſtigia Herculem, ubi furtum erat, ducerent. Hercules mugitu admonitus ibi eſſe boves, in ſpeluncam vi irrupit, Cacumq́; ipſum obtruncavit. Sic Livius, Dionyſ. Verg. Ovid. Res eſt vulgaris, & omnibus obvia.*

i Genus proprium quadam pace cuſtodiunt.] *Hoc noſtri Jurisconſulti dicunt eſſe jus naturale, quod natura cuncta edocuit animalia: ſicut eſt apud Ulpianum 1. lib. Pandect.* *Ius naturale.*

k Quæ enim tigris.] *Hoc animal inſigne eſt feritate. Verg.* *Tigris.*

Hyrca-

apud Homerum lib. 9. Iliad. qui ſit ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος, ſine tribubus, ſine legibus, ſine laribus, *& hujuſmodi hominem Ariſtoteles 1 polit. definit hominem verè κακὸν & improbum eſſe.*

d Semihominem quàm hominem.) *Ita Virgilius 8. Æneid.*

Hic ſpelunca fuit vaſto ſubmota receſſu
Semihominis Caci.

Cacus ita dictus ab inſigni malitia, fingitur Vulcano genitus & Latium undiq; latrociniis & incendiis infeſtabat; Herculis quoq; ex Hiſpania redeuntis occiſo Geryone, & apud Evandrum hoſpitantis boves noctu cauda traxit in antrum ſuum, quas cùm manè diminutas cerneret Hercules, nec quorſum erraſſent, ſcire poſſet, fortè fortuna ad hoc antrum pervenit, ſed cùm veſtigia omnia foràs verſa videret, cum reliquis abiit; abeuntibus cæteris occluſæ boves aliarum deſiderio mugierunt. Virgil. 8. Æneid.

Reddidit una boum vocem, vaſtoque ſub antro
Mugiit & Caci ſpem cuſtodita fefellit.

Hercules audito mugitu Caci fraudem cognovit, raptaq; clava iratus recurrit, ac tandem proſtrato ac ſtrangulato Caco boves ſuas recepit. Veritas hiſtoriæ ita habet, fuiſſe eum Evandri nequiſſimum ſervum, quem ob id finxerunt Vulcani filium, qui omnia latrocinio & incendio vaſtaret, ut ignem dictus eſt etiam ore vomere, quod agros igne popularetur. De eo vide Livium lib. 1. & Dionyſium lib. 1. cap. 20. Colitur & Caca, quæ Herculi fecit indicium de furto boum, divinitatem conſecuta, quia prodidit fratrem. Sacellum enim meruit, in quo ei per virgines Veſtales ſacrificabatur.

e Atrorum ignium vomitus.) *Virgil. lib. 8 Æneid.*

Huic monſtro Vulcanus erat pater, illius atros
Ore vomens ignes magna ſe mole ferebat.

ζ Niſi enim nimis accuſaretur Cacus, parum Hercules laudaretur.) *Refertur enim inter 12 labores Herculis ipſa oppreſſio Caci, & maximam inde gloriam ſibi comparavit Hercules, quod tot monſtra adeo pernicioſa generi humano ac inprimis Cacum ipſum ſuſtuliſſet. Virgilius.*

Ex illo celebratus honos, lætique Minores
Servavere diem, primusque Potitius author
Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri
Hanc aram luco ſtatuunt, quæ maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.

η Genus proprium quadam pace cuſtodiunt.) *Id jus naturale vocat Juſtinianus lib. 1. inſtit. tit. 2. quod natura omnia animalia docuit;* Hinc deſcendit (*inquit*) maris atque fœminæ conjunctio, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. *Quod Cicero lib. 1. Officio. in eandem ſcribit ſententiam.* Commune animantium omnium eſt conjunctionis appetitus, procreandi cauſa & cura quædam eorum, quæ procreanda ſunt, *ubi tamen latius Juriſconſulti utuntur nomine* juris. *In brutis enim cum nulla ſit ratio, nec ullum jus eſſe poteſt; ſunt enim*

hæc omnia in animantibus potius affectus quidem & inclinationes naturales, quas Græci στοργὰς φυσικὰς appellant, quàm jus aliquod.

θ Inſociabiles & ſolivagæ.) *Ita docet Ariſtoteles lib. 1. de hiſtoria animal. cap. 1. ex animantibus alias civiles eſſe, alias inciviles, alias gregales, alias ſolitarias, alias cicures, alias feras.*

ι Quæ enim tigris.) *Fera ſæviſſima & velociſſima in Hircania maximè frequens, ita dicta, quod ſagittæ velocitatem, quam tigrim Medi appellant, curſu videatur æquare. De ea Plinius lib. 8. cap. 18. Seneca Epiſt. 85. in exemplum ſæviſſimorum animalium, quorum nihilominus domitores reperiuntur,* Oſculatur (*inquit*) tigrim ſuus cuſtos.

Cap. XIII.

De pace univerſali, quæ inter quaslibet perturbationes privari non poteſt lege naturæ dum ſub juſto judice ad id quisque pervenit ordinatione, quod meruit voluntate.

PAx α a itaque corporis eſt ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisque conſenſio. Pax corporis & animæ, ordinata vita & ſalus animantis. Pax hominis mortalis & Dei immortalis, ordinata in fide ſub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax cœleſtis civitatis, ordinatiſſima & concordiſſima ſocietas fruendi Deo, & invicem in Deo. β Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo eſt parium diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio. Proinde miſeri, quia in quantum miſeri ſunt, utique in pace non ſunt: tranquillitate quidem ordinis carent, ubi perturbatio nulla eſt. Veruntamen, quia merito juſtèque miſeri ſunt, in ea quoque ipſa ſua miſeria præter ordinem eſſe non poſſunt. Non quidem conjuncti beatis, ſed ab eis tamen ordinis lege ſejuncti. Qui cum ſine perturbatione non ſint, rebus in quibus ſunt, quantacunque congruentia coaptantur. Ac per hoc eſt in eis ordinis nonnulla tranquillitas: ineſt ergo nonnulla pax. Verùm ideò miſeri ſunt, quia etſi in aliqua ſecuritate non dolent, non tamen ibi ſunt, ubi ſecuri eſſe ac dolere non debeant. Miſeriores autem, ſi pax eis cum ipſa lege non eſt, qua naturalis ordo adminiſtratur. Cum autem dolent, ex qua parte dolent, pacis perturbatio facta eſt. In illa verò adhuc pax eſt, in qua nec dolor urit, nec compago ipſa diſſolvitur. Sicut ergò eſt quædam vita ſine dolore, dolor autem ſine aliqua vita eſſe non poteſt: ſic eſt pax quædam ſine ullo bello, bellum verò eſſe ſine aliqua pace non poteſt: non ſecundùm id, quod bellum eſt, ſed ſecundùm id, quod ab eis vel in eis geritur, quæ aliquæ naturæ ſunt: quod nullo modo eſſent, ſi non qualicunque pace ſubſiſterent. Quapropter natura eſt, in qua nullum malum eſt, vel etiam in qua nullum poteſt eſſe malum: eſſe autem natura, γ in qua nullum bonum ſit, non poteſt. Proinde nec ipſius diaboli natura,

tura, in quantum natura eſt, malum eſt, ſed perverſitas eam malam facit. Itaque in veritate non ſtetit, ſed veritatis judicium non evaſit: quia in ordinis tranquillitate non manſit, *d* nec ideò tamen à poteſtate ordinatoris effugit. Bonum Dei, quod illi eſt in natura, non eum ſubtrahit juſtitiæ Dei, qua ordinatur in pœna: nec ibi Deus bonum inſequitur, quod creavit, ſed malum, quod ille commiſit. Neque enim totum aufert, quod naturæ dedit: ſed aliquid adimit, aliquid relinquit, ut ſit, qui doleat, quod ademit. Et ipſe dolor teſtimonium eſt boni adempti & boni relicti. Niſi enim bonum relictum eſſet, bonum amiſſum dolere non poſſet. Nam qui peccat pejor eſt, ſi lætatur in damno æquitatis. Qui verò cruciatur, ſi inde nihil acquirat boni, dolet damnum ſalutis. Et quoniam æquitas ac ſalus utrumque bonum eſt, bonique amiſſione dolendum eſt potius quàm lætandum, ſi tamen non ſit compenſatio melioris (melior eſt autem animi æquitas, quàm corporis ſanitas) profectò convenientius injuſtus dolet in ſupplicio, quàm lætatus eſt in delicto. Sicut ergò lætitia deſerti boni in peccato teſtis eſt voluntatis malæ: ita dolor amiſſi boni in ſupplicio teſtis eſt naturæ bonæ. Qui enim dolet amiſſam naturæ ſuæ pacem, ex aliquibus reliquiis pacis id dolet, quibus fit, ut ſibi amica natura ſit. Hoc autem in extremo ſupplicio rectè fit, ut iniqui & impii naturalium bonorum damna in cruciatibus defleant, ſentientes eorum ablatorem juſtiſſimum Deum, quem contempſerunt benigniſſimum largitorem. Deus ergò naturarum omnium ſapientiſſimus conditor, & juſtiſſimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum inſtituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona, huic vitæ congrua, id eſt, pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ, in ipſa ſalute & incolumitate ac ſocietate ſui generis: & † quæque huic paci vel tuendæ vel recuperandæ neceſſaria ſunt, ſicut ea, quæ aptè ac convenienter adjacent ſenſibus, lux iſta viſibilis, auræ ſpirabiles, aquæ potabiles, & quicquid ad alendum, tegendum, curandum, ornandumque corpus congruit: eo pacto æquiſſimo, ut quicunque mortalis talibus bonis *b* paci mortalium accommodatis rectè uſus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam & honorem in vita æterna *s* ad fruendum Deo, & proximo in Deo: *c* qui autem perperam, nec illa accipiat, & hæc amittat.

† al. quæcunque.

a PAx itaque corporis.] *In hoc capite oſtendit Auguſtinus, omnia bona pace conſtare. Quod ſi ita eſt, mala omnia in diſcordia & diſſenſione ſita erunt. Quo magis demiror, eſſe homines tam perverſa natura, ut diſſidia, bellum, pugnas non ſecus ac vitas & animas ſuas diligant: pacis nomen ceu maximum & perniciosiſſimum malum exhorreant: digni profectò, qui extrinſecus & intrinſecus habeant, ſentiant, perpetiantur, quod tantopere expetunt bellum.* L.Vives.

b Paci mortalium accommodatis.] *Atqui iſti hæc omnia in uſus bellicos transferunt: nec in alios parata eſſe putant, quos etiam poſt vitam egregium & æternum manet bellum, ut re optata ſempiternum perfruantur. Cæterum nos jam olim ex tota pace, & in primis illa quam ſolidum hæreditatis ſuæ aſſem Chriſtus reliquit, nomen tantum, & inanem quandam imaginationem retinemus. Cætera omnia noſtra* Pax non curatur amplius.

 culpa

culpa amiſſa ſunt: qui illa videntes, prudentes, libentes, ac læti procul ejecimus, tum demum arbitrati nos rem nactos præclariſſimam, ſi omnia bellis ferverent. Hinc jactatio una eſt, quot viros cæcidimus, quas villas incendimus, quos agros vaſtavimus, quas arces, oppida, urbes evertimus: ac gloriæ prope hoc ſolum datum eſt, plurimum cladis humano generi attuliſſe. Sed ſi hic incipiam querelam hanc, quando finis?

c Qui autem perperam, id eſt, injuſte] *In aliis libris deeſt hæc interpretatio, id eſt injuſte: addita forſan ab aliquo qui parum intellectum iri ſuſpicabatur adverbium illud perperam.*

P.L.Coq. α PAx itaque corporis.) *Omnia pace conſtare, nec aliqua ſine pace poſſe ſubſiſtere docet, atque in quo conſiſtat huiusmodi pax, ſigillatim in omnibus ferè naturis explicat.*

β Pax omnium rerum tranquillitas ordinis.) *Xenophon in Oeconomico,* ἐςι δ' ὐδὲν ὕτως δ' χρηςον, ὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις *quod ſequentibus per omnia fuſiùs oſtendit.*

γ In qua nullum bonum ſit, non poteſt.) *Etſi enim detur ſummum aliquod bonum ſive ſummè natura bona, cui omne malum repugnat, nihilominus non datur natura ſummè mala, cui nullum inſit bonum, vel quæ non ſit particeps alicuius bonitatis, bonum eſt proprietas entis, & ens ipſum concomitatur, ut nulla natura ſit, quæ eò, quod eſt, non ſit bona, quod docet etiam D. Dionyſius libr. de divin. nomin. cap. 4.*

δ Nec ideò tamen à poteſtate ordinatoris effugit.) *Quemadmodum enim impoſſibile eſt effugere præſentiam Dei, ita nec eius poteſtatem, qua recedentes ab ordine illius juſtè per peccatum redigit in ordinem per pœnam. Qui enim recedit ab ordine divinæ providentiæ uno modo, alia via recidit in eundem ordinem. Qui enim recidit ab ordine Dei præcipientis, recidit in ordinem eiusdem caſtigantis; qua ratione etiam peccata dicuntur cadere ſub divinam providentiam, non quidem quod ſint effectus divinæ providentiæ intenti ſeu voliti à Deo, ſed quod inde manifeſtetur illius potentia ac juſtitia, & ut habet Apoſtolus Roman. 9.* Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta ad interitum, ut oſtenderet vaſa gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam: *Pharao quidem rebellis Deo receſſerat ab ordine illius præcipientis, ut dimitteret populum ſuum illæſum & innoxium abire, verùm recidit in ordinem illius juſtiſſimè & potentiſſimè in eum & ſuos ob rebellionem & obſtinationem in peccato animadvertentis.* In hoc ipſum excitavi Pharaonem, ut oſtendam in eo virtutem meam.

ε Ad fruendum Deo & proximo in Deo.) Hæc enim merces ſumma eſt (*ait Auguſtinus lib. 1. de doctr. Chriſt. cap. 33.*) Ut eo perfruamur, & omnes, qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipſo perfruamur. *Quod autem dixit* ad fruendum proximo in Deo, *imitatus eſt Apoſtolum ſcribentem ad Philemonem.* Ita frater, ego te frater in Domino. Quod ſi non addidiſſet in Domino (*ait ibi Auguſtinus*) & te fruar tantùm dixiſſet, in eo conſtituiſſet ſpem beatitudinis ſuæ, frui: (*ut definiverat cap. 4.*) eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam,

pſam, *cap. 3.* res, quibus fruendum eſt, beatos nos faciunt, *cap. 5.* Res quibus fruendum eſt pater & filius & Spiritus ſanctus eademque Trinitas, una quædam ſumma res, communisque omnibus fruentibus.

CAP. XIV.

De ordine ac lege ſive cœleſti ſive terrena, per quam ſocietati humanæ etiam dominando conſulitur, & conſulendo ſervitur.

OMnis igitur uſus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis in civitate terrena: in cœleſti autem civitate refertur ad fructum pacis æternæ. Quapropter ſi irrationalia eſſemus animantia, nihil appeteremus præter ordinatam temperaturam partium corporis, & requiem appetitionum: nihil ergò præter quietem carnis & copiam voluptatum, ut pax corporis prodeſſet paci animæ. *α* Si enim deſit pax corporis, impeditur etiam irrationalis pax animæ: quia requiem appetitionum conſequi non poteſt. Utrumque autem ſimul ei paci prodeſt, quam inter ſe habent anima & corpus, id eſt, ordinatæ vitæ ac ſalutis. Sicut enim pacem corporis amare ſe oſtendunt animantia, cum fugiunt dolorem: & pacem animæ, cum propter explendas indigentias appetitionum voluptatem ſequuntur: ita mortem fugiendo ſatis indicant, quantum diligant pacem, qua ſibi conciliantur anima & corpus. Sed quia homini rationalis anima ineſt, totum hoc quod habet commune cum beſtiis, *β* ſubdit paci animæ rationalis, ut mente aliquid contempletur: & ſecundum hoc aliquid agat, ut ſit ei ordinata cognitionis actionisque conſenſio: quam pacem rationalis animæ dixeramus. Ad hoc enim velle debet nec dolore moleſtari, nec deſiderio perturbari, nec morte diſſolvi, ut aliquid utile cognoſcat: *γ* & ſecundum eam cognitionem, vitam moresque componat. Sed ne ipſo ſtudio cognitionis propter humanæ mentis infirmitatem in peſtem alicujus erroris incurrat; *δ* opus habet magiſterio divino, cui certus obtemperet, *ε* & adjutorio ut liber obtemperet. Et quoniam quamdiu eſt in iſto mortali corpore, *ζ* peregrinatur à Domino, per fidem ambulat, non per ſpeciem, ac per hoc omnem pacem vel corporis, vel animæ, vel ſimul corporis & animæ refert ad illam pacem, quæ homini mortali eſt cum Deo immortali: ut ei ſit ordinata in fide ſub æterna lege obedientia. Jam verò, quia *η* duo præcepta, hoc eſt, dilectionem Dei & dilectionem proximi docet magiſter Deus: in quibus tria invenit homo, quæ diligat Deum, Seipſum & Proximum: atque ille in ſe diligendo non errat, qui diligit Deum: conſequens eſt, ut etiam proximo ad diligendum Deum conſulat, quem jubetur, ſicut ſeipſum diligere. Sic uxori, ſic filiis, ſic domeſticis, ſic cæteris, quibus potuerit hominibus: & ab hoc ſibi à proximo, ſi forte indiget, conſuli velit: ac per hoc erit pacatus, quantum in ipſo eſt, omni homini, pace hominum, id eſt, ordinata concordia. Cujus hic ordo eſt: *α θ* primum ut nulli noceat, deinde ut etiam profit, cui poterit. Primitus ergò ineſt ei ſuorum cura: ad eos quippe habet oportuniorem facilioremque aditum conſulendi, vel naturæ ordine, vel ipſius ſocietatis humanæ. Unde Apoſtolus dicit: *Quiſquis autem ſuis, & maximè domeſticis non providet, fidem dene-*

1. Cor. 5. 1. Tim. 5.

denegat, & eſt infideli deterior. Hinc itaq; pax domeſtico etiã oritur, id eſt, ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium. Imperant enim, qui conſulunt: ſicut ι vir uxori, parentes filiis, domini ſervis. Obediunt autem, quibus conſulitur: ſicut mulieres maritis, filii parentibus, ſervi dominis. Sed in domo juſti viventis ex fide, & adhuc ab illa cœleſti civitate peregrinantis, κ etiam qui imperant, ſerviunt eis, quibus videntur imperare. λ Neque enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi: nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia.

L. Vivu. α PRimum ut nulli noceat, deinde ut etiam proſit.] *Et nocere, & non nocere, proclivius eſt, & facilius, quam prodeſſe. Nemo enim ut nocere non poteſt, ita ſi abſtineat ab injuria, nocebit. At prodeſſe, hoc demum vires oſtendit. Quo circa legibus divinis, quod poteſt quisq; jubetur præſtare, ut innocue vivat. Deinde, ſi adſit facultas benefaciendi, ut eam in juvandis mortalibus exerceat.*

E. L. Coq. α SI enim deſit pax corporis, impeditur etiam.) *Utpote quando corpus ipſum non obtemperat ad nutum ipſi animæ, ut aliquo dolore, vel ægritudine morbi affectum, ut quò velit animal ipſum progredi, & quò eum rapit appetitus, non poſſit; atq; oſtendit, in quo conſiſtat in ipſis irrationabilibus animalibus pax ipſa corporis, pax animæ ac poſtremo pax utriusq;.*

ϐ Subdit paci animæ rationalis.) *Nimirum ipſam partem irrationalem, appetitum ipſum ſenſitivum. Ubi enim ſedatas habuerit paſſiones & compeſcuerit affectus, animum magis aptum habet ad contemplandum.*

γ Et ſecundùm eam cognitionem vitam moreſque componat.) Hoc certè turpiſſimum, quando cum vita pugnat oratio, *ait Cicero 2. Tuſcul.* Ut enim ſi Grammaticum ſe profeſſus quiſpiam barbare loquatur, aut ſi abſurdè canat is, qui ſe haberi velit muſicum, hoc turpior fit, quod in eo ipſo peccet, cuius profitetur ſcientiam, ſic Philoſophus in ratione vitæ peccans hoc turpior eſt, quod in officio, cuius magiſter eſſe vult, labitur, artemque vitæ profeſſus delinquit in vita.

δ Opus habet magiſterio divino.) *Alias enim in his, quæ potiſſimum ad ſalutem ſpectant, homo in errorem labitur, & quidem ferè ab initio ipſius naſcentis mundi operante ita dæmone in multos errores genus humanum lapſum eſt, ut tandem fuerit neceſſe magnum illum magiſtrum Chriſtum è cœlis in terras deſcendere de quo apud Eſaiam,* Dedi eum teſtem populis & doctorem gentibus. *Innata quidem eſt homini cupiditas quædam ardens & deſiderium veritatis cognoſcendæ, ea tamen eſt infirmitas noſtra, ut loco veritatis, ut plurimũ errorem amplectamur, nec defuêre ex illis Philoſophorũ principibus, qui in magnos errores incauti & imprudentes lapſi ſunt. Propterea D. Thomas part. 1. quæſt. 1. artic. 1. præter Phyſicas diſciplinas, quæ humana ratione inveſtigantur, meritò docuit opus fuiſſe quadam doctrina revelata, vel Deo ipſo docente tùm ut ei nota fierent, quæ non niſi per revelationem divinitus poterat accipere, cùm tamen neceſſaria eſſent ad ſalutem, tùm etiam ad ea cognoſcenda de Deo, quæ ratione humana inveſtigari poſſunt, quia veritas de Deo per rationem inveſtigata à paucis, & per longum tempus, &*

cum

cùm admixtione multorum errorum homini proveniret. Ita qui ex Philoſophis habiti ſunt ſapientiſſimi Plato, & Ariſtoteles in multos errores prolaſi ſunt, ut de Dei providentia, de animæ immortalitate veniat in ſuſpicionem Ariſtoteles. Plato verò etſi hæc adſeruerit, cum admixtione tamen multorum errorum id fecit. Et Auguſtinus ipſe lib. 1. retractat. cap. 3. ſibi non placere ait, quod Pythagoræ Philoſopho tantum laudis dederit; lib. 2. de ordin. cap. 20. ut qui hanc legit vel audit, poſſit putare eum credere, nullos errores in Pythagorica eſſe doctrina, cùm ſint plures, iidemq́; capitales. Deus eſt, qui docet hominem ſcientiam, ſumma ipſe veritas, à qua cognitio omnis veritatis. Loqui benè potuerunt Philoſophi, ut homines eruditi (*ait Lactantius lib. 3. cap. 1.*) verè autem loqui nullo modo, quia veritatem non didicerant ab eo, qui eius potens eſſet. *& ibidem*, Neque enim reprehendo eorum ſtudium, qui veritatem ſcire voluerunt, quia naturam hominis Deus veri adipiſcendi cupientiſſimam effecit, ſed id arguo, id revinco, quod honeſtam illorum & optimam voluntatem non ſit ſecutus effectus, quia neque quid eſſet verum ipſum ſciebant, neque quomodo, aut ubi, aut qua mente quærendam.

ε Et adjutorio, ut liber obtemperet.) *Utrunq́; ergo neceſſarium & magiſterium divinum & adjutorium. Tantum ergo abeſt, ut tollat gratia divina ſeu divinum adjutorium ipſum liberum arbitrium, ut id potius confirmet. D. Auguſtinus lib. de grat. & liber. arbitr. cùm initio propoſuiſſet multa loca ſcripturæ pro libertate arbitrij cap. 4. ſubjicit*, Sed metuendum eſt, ne omnia iſta divina teſtimonia in defenſione liberi arbitrii ſic intelligantur, ut ad vitam piam & bonam converſationem, cui merces æterna debetur, adjutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur, & audeat miſer homo, quando benè vivit, & benè operatur, vel potius benè vivere, & benè operari ſibi videtur, in ſeipſo, non in Domino gloriari, & ſpem rectè vivendi in ſeipſo ponere, ut ſequatur eum maledictum Hieremiæ Prophetæ dicentis: Maledictus homo, qui ſpem habet in homine & firmat carnem brachii ſui. *In his enim, quæ ad pietatem & ſalutem ſpectant, non poteſt aliquid voluntas humana ſine auxilio gratiæ Dei. In Epiſtol. Innocentii ad Concil. Milevita. apud Auguſtinum 93.* In omnibus, *inquit*, divinis paginis voluntati liberæ non niſi adjutorium Dei legimus nectendum, eamque nihil poſſe cœleſtibus auxiliis deſtitutam, & id quidem paſſim docet contra Pelagianos.

ζ Peregrinatur à Domino, per fidem ambulat, non per ſpeciem.] *Ad ſpeciem per fidem perducimur, quia jam fides non erit, qua credantur, quæ non videntur, ſed ſpecies, qua videantur, quæ credebantur.* Per fidem obambulare, *interpretatur Theophil.* in terris hic agere, ipſum quidem noſſe, ſed modicè adeoque parùm, non facie ad faciem, quod eſt per ſpeciem.

η Duo præcipua præcepta, hoc eſt, dilectionem Dei & dilectionem proximi.] *Proximi nomine intelliguntur omnes, qui capaces ſunt divini boni ſupernaturalis, id eſt. gratiæ & gloriæ, lib. 1. de doctr. Chriſt. cap. 23. & 26. omnia, quæ ſunt diligenda ex charitate quatuor generibus objectorum comprehendit, Primùm quod eſt ſupra*

pra nos, ſcilicet Deus ipſe, ſecundùm quod nos ipſi ſumus, tertium quod juxta nos eſt, nempe proximi, quartùm quod infra nos eſt, ſcilicet corpus proprium, adeoque etiam proximi, nam erit & particeps beatitudinis ſupernaturalis.

ϑ Primum ut nulli noceat, deinde etiam proſit.] *Juxta illas regulas, ſeu præcepta naturæ,* quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, *&* quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. *Hæc duo Cicero libro primo Officior. docet eſſe fundamenta juſtitiæ, primum* ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati ſerviatur. *Et ex ſententia Stoicorum ſcribit homines hominum cauſa generatos eſſe, ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe poſſint; quod & 3. Officior. latè diſſerit, ubi nocere homini etiam oſtendit eſſe contra naturam. Et Lactantius libro ſexto, capite undecimo.* Verum, *inquit,* eſt illud Ciceronis, quod ait hominem naturæ obedientem homini nocere non poſſe. Ergo ſi nocere homini contra naturam eſt, prodeſſe homini ſecundùm naturam ſit, neceſſe eſt: quod qui non facit, hominis ſe appellatione ſpoliat, quia humanitatis officium eſt neceſſitati hominis ac periculo ſubvenire.

ι Vir uxori, parentes filiis, Domini ſervis.] Hæ enim ſunt primæ & minimæ partes domus, *ait Ariſtoteles lib. 1. politicorum,* δεσπότης καὶ δοῦλος, καὶ πόσις καὶ ἄλοχος, καὶ πατὴρ καὶ τέκνα.

κ Etiam qui imperant, ſerviunt eis.] *Quo ſenſu apud Ælianum lib. 2 de Variar. hiſtor. capite vigeſimo, dicebat Antigonus filio aliquando inſolentius ſe ſe gerenti, regnum eſſe nobilem ſervitutem.*

λ Neque enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi.] *Ita ut hujuſmodi dominium referatur potius in bonum & utilitatem ſubditorum, quam ipſiuſmet Domini, & hujuſmodi dominium fuiſſet etiam in ſtatu innocentiæ non grave, neq; moleſtum ſubditis, ſed utile & proficuum. D. Thomas 1. p. q. 96. art. 4. &* hæc ſervitus videtur etiam inducta à natura, ut qui minus ſapientes ſunt & minus perfecti, regantur à ſuperioribus, perfectioribus, & ſapientioribus, *ut tradit etiam Ariſtoteles 1. politicor. cap. 3. & 4.* Ita enim conditum eſt à Deo genus humanum, ut ſint alii aliis ſuperiores ſcientiis & virtutibus. *Plato lib. 3. de legib. id maximè ſecundum naturam genus imperandi ſtatuit, ut imperitus mandata jubentis atq; imperantis ſequatur, peritus verò præſit atq; imperet. Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 14. docet hanc ſervitutem naturalem ad utilitatem eorum pertinere, qui minus prudentes ſunt, ut à prudentioribus regantur & inſtruantur perfectiori prudentia & ſcientia.*

Cap. XV.

De libertate naturali, & de ſervitute, cujus prima cauſa peccatum eſt, qua homo malæ voluntatis, etiamſi non eſt mancipium alterius hominis, ſervus eſt propriæ libidinis.

Gen. 1. HOc naturalis ordo præſcribit, ita Deus hominem condidit. Nam *dominetur,* inquit, *piſcium maris, & volatilium cœli, & omnium repentium, quæ repunt ſuper terram.* Rationalem factum ad imaginem ſuam, noluit niſi irrationalibus domi-

dominari: *a* non hominem homini, ſed hominem pecori. Inde primi juſti, paſtores pecorum magis quàm reges hominum conſtituti ſunt: ut etiam ſic inſinuaret Deus, quid poſtulet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe ſervitutis jure intelligitur impoſita peccatori. Proinde nuſquam Scripturarum legimus ſervum, *a* β antequam hoc vocabulo Noe juſtus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque iſtud culpa meruit, non natura. *b* γ Origo autem vocabuli ſervorum in Latina lingua inde creditur ducta, quod hi, qui jure belli poſſent occidi, à victoribus cum ſervabantur, ſervi fiebant: à ſervando appellati, quod etiam ipſum ſine peccati merito non eſt. Nam & cum juſtum geritur bellum, pro peccato & à contrario dimicatur: & omnis victoria etiam malis provenit, *c* divino judicio victos humiliat: vel emendans peccata, vel puniens. Teſtis eſt homo Dei Daniel, cum in captivitate poſitus, peccata ſua & peccata populi ſui confitetur Deo: & hanc eſſe cauſam illius captivitatis pio dolore teſtatur. Prima ergò ſervitutis cauſa peccatum eſt; ut homo homini conditionis vinculo ſubderetur: quod non fit niſi Deo judicante, apud quem non eſt iniquitas: & novit diverſas pœnas meritis diſtribuere delinquentium. Sicut autem ſupernus Dominus dicit: *Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati:* ac per hoc multi quidem religioſi dominis iniquis, *d* non tamen liberis ſerviunt: *à quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.* Et utique δ felicius ſervitur homini, quam libidini, cum ſæviſſimo dominatu vaſtet corda mortalium, ut alias omittam, libido ipſa dominandi. Hominibus autem illo pacis ordine, quo alii ſubjecti ſunt: ſicut prodeſt humilitas ſervientibus, ita nocet ſuperbia dominantibus. Nullus autem natura, in qua prius Deus hominem condidit, ſervus eſt hominis aut peccati. Verùm & ε pœnalis ſervitus ea lege ordinatur, quæ naturalem ordinem conſervari jubet; pertubari vetat: quia ſi contra eam legem non eſſet factum, nihil eſſet pœnali ſervitute coercendum. Ideoque ζ Apoſtolus etiam ſervos mones ſubditos eſſe dominis ſuis, & ex animo eis cum bona voluntate ſervire: ut ſcilicet ſi non poſſunt à dominis liberi fieri, ſuam ſervitutem ipſi quodammodo liberam faciant: non timore ſubdolo, ſed fideli dilectione ſerviendo, donec tranſeat iniquitas, & evacuetur omnis principatus & poteſtas humana, & ſit Deus omnis in omnibus.

Dan. 9.
Ioan 8.
2. Pet. 2.
Eph. 6.

a ANtequam hoc vocabulo Noe juſt.] *Gen. 9. De quo ſuperius.*

b Origo autem vocabuli ſervorum.] *Sic Florentinus juriſconſultus lib. 4. Inſtit. Servi, inquit, ex eo appellati ſunt, quod imperatores captivos vendere jubent, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent. Mancipia verò dicta ſunt, quod ab hoſtibus manu capiuntur, quæ verba ſunt in lib. 1. Pandect. Juſtiniani. Hic mos à Lacedæmoniis manavit, teſte Plin. lib. 7.*

L. Vives. Servi unde dicti. Mancipia.

c Divino judicio victos.] *Quo fit ut ſæpe bella gerantur conſiliis providentiæ, utraq; parte in hoc invita prodeunte.*

d Non tamen liberis ſerviunt.] *Affectibus & perturbationibus ſuis, qui pejores ſunt domini quam ipſi homines.*

F.L.Coq. α NOn hominem homini.] *Duplex eſt dominium hominis*, alterum *quidem* in liberos, alterum in ſervos, *quæ Ariſtoteles vocat dominium δεσποτικὸν & πολιτικόν; eo verò differunt, quod imperium in ſervos* coactum ſit & violentum, adeoque involuntarium & acerbum; in liberos autem voluntarium & jucundum, ab illis ob communem utilitatem electum & aſſumptum. *Præterea imperium in ſervos totum refertur ad bonum & utilitatem ipſius domini, ut ſervus ſit cauſa domini, & quidquid agit, cadat non in utilitatem propriam, ſed domini: Imperium vero in liberos refertur non in bonum ſeu utilitatem domini, ſed ſubditorum, ſeu mavis in publicum ipſum bonum & omnium commune. In ſtatu ergo innocentiæ, & ex prima hominum conditione alii quidem aliis præfuiſſent, non tamen dominatione ſervili, ſed civili, quæ nihil violenti, involuntarii aut moleſti admixtum habuiſſet. Ariſtoteles lib. 3. πολιτ. ἔστι δὲ ἀρχὴ, ἡ μὲν τοῦ ἄρχοντος χάριν, ἡ δὲ τοῦ ἀρχομένου, τούτων δὲ τὴν μὲν δεσποτικὴν εἶναι φαμὲν, τὴν δὲ ἐλευθέρων.*

β Antequam hoc vocabulo Noe juſtus.] *Propter peccatum Chanaan ſervus pronuntiatur à Noe patre, ut ſerviat fratribus ſuis, Geneſ. 9 ut ſervitus ita, quæ hominis eſt involuntaria, acerba & odioſa ac poſtremo naturali libertati contraria, videatur primo propter peccatum Cham in mundum introducta, ut præter Divum Auguſtinum hoc loco explicat & Divus Chryſoſtomus homil. 29. in Geneſ. his verbis*; Ecce fratrem eodem natum patre, eodemque egreſſum utero peccatum fecit ſervum, & ablata libertate jugum illi viliſſimæ ſubjectionis impoſuit, unde poſtea ſervitus ſumpſit originem. Neque enim antea ſolebant ita molliter vivere & delitiari, ut aliorum miniſterio & ſervitiis uterentur, ſed quisque ſibi quod opus erat miniſtrabat, eratque par omnium honos. Peccatum autem ubi intravit, libertatem perdidit & corrupit dignitatem naturæ datam, ſervitutemque introduxit, ut ea re perpetuo doceret & admoneret hominem fugere ſervitutis peccatum, & ad virtutis libertatem redire. Ex quo ſervus ac dominus pariter magnam capient utilitatem ſecum reputantes ex peccato tantam natam eſſe inter homines aliorum ſuperbe dominantium, aliorum contra indignè ſervientium differentiam.

γ Origo autem vocabuli ſervorum.] Servi *à* ſerviendo *vel à* ſervando *dicti*, quod Impp. captivos ſervare quam occidere mallent; *qui &* mancipia *appellati*, quod ab hoſtibus manu capiuntur. *Id cum Divo Auguſtino docet Juſtinianus de jure perſ. §. ſervi autem, & D de ſtat. hom. L. 4. & L. 239. §. 1. D. de verbo ſignific. & Divus Chryſoſtomus orat. 15 hinc primo natam ſervitutem docet.* Nam qui primi facti ſunt ſervi, *inquit*, non veriſimile eſt ex ſervis natos à principio, ſed ex latrociniis & bello captos, atque ſic coactos eſſe ſervire capientibus.

δ Fidelibus ſervitur homini quam libidini.] *Cicero lib. 2. de ſenect.* Bene Sophocles cum ex eo quidam jam confecto ætate quæreret, uteretur ne rebus venereis, Dii meliora, *inquit*, libenter vero iſtinc tanquam à domino agreſti & furioſo profugi *Seneca epiſt. 47.* Alius libidini ſervit, alius avaritiæ, alius ambitioni, & nulla ſervitus turpior eſt quam voluntaria.

ε Pœna-

ε Pœnalis ſervitus ea lege ordinatur.] *Ex quo conſtat ſervitutem jure gentium legitimè introductam, & ſervos ipſos ex ſcriptura ſacra etiam eo obſtrictos, ut dominos agnoſcant, eiſque inſerviant; de quo plura Covarruvias in Clem. ſi furioſus p. relect. paragr. 11.*

ζ Apoſtolus etiam ſervos monet.] *Ex quo oſtenditur dominium in ſervos juſtum eſſe Epheſ. 6. & 1. Timoth. 6. & 1. Pet. 2. unde licet jure naturali non ſit introducta ſervitus, quia ab initio ſunt omnes liberi introducta tamen eſt jure gentium parag. 1. inſt. de juſt. perſon. L. 1. D. de his qui ſunt ſui vel alie. ju.*

CAP. XVI.

De æquo jure dominandi.

Quocirca etiam ſi habuerunt ſervos juſti patres noſtri, ſic quidem adminiſtrabant domeſticam pacem, ut ſecundùm hæc temporalia bona, α filiorum ſortem à ſervorum conditione diſtinguerent: ad Deum autem colendum, in quo æterna bona ſperanda ſunt, omnibus domus ſuæ membris pari dilectione conſulerent. Quod naturalis ordo ita præſcribit, ut nomen β patrumfamilias hinc exortum ſit, & tam latè vulgatum, ut iniquè etiam dominantes hoc ſe gaudeant appellari. Qui autem veri patresfamilias ſunt, omnibus in familia ſua tanquam filiis ad colendum & promerendum Deum conſulunt: deſiderantes atque optantes venire ad cœleſtem domum, ubi neceſſarium non ſit officium imperandi mortalibus, quia neceſſarium non erit officium conſulendi jam in illa immortalitate felicibus: quo donec veniatur, a magis debent patres, quod dominantur, quàm ſervi tolerare, quod ſerviunt. Si quis autem in domo per inobedientiam domeſticæ paci adverſatur, corripitur, ſeu verbo, ſeu verbere, ſeu quolibet alio genere pœnæ juſto atque licito, quantum ſocietas humana concedit, pro ejus qui corripitur utilitate, ut paci unde diſſiluerat, coaptetur. Sicut enim non eſt beneficentiæ adjuvando efficere, ut bonum, quod majus eſt, amittatur: ita non eſt innocentiæ parcendo ſinere, ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergò ad innocentis officium, non ſolum nemini malum inferre, verùm etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum: ut aut ipſe, qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. Quia igitur γ hominis domus initium ſive particula debet eſſe civitatis, omne autem initium ad aliquem ſui generis finem, & omnis pars ad univerſi, cujus pars eſt, integritatem refertur: ſatis apparet eſſe conſequens, ut ad pacem civicam pax domeſtica referatur, id eſt, ut ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium, referatur ad ordinatam imperandi obediendique concordiam civium. δ Ita fit, ut ex lege civitatis præcepta ſumere patremfamilias oporteat, quibus domum ſuam ſic regat, ut ſit paci accommodata civitatis. *Patresfamilias.*

a Magis debent patres.] *Nihil enim difficilius, nec perinde laborioſius, quam bene imperare: nihil moleſtius, quam malis imperare.* *L. Vives.*

α Filiorum ſortem à ſervorum conditione diſtinguentes.] *Merito Ariſtoteles lib. 8. Ethic. cap. 12. reprehendit imperium patris in filios apud Perſas tanquam* *L. Cop.*

quam tyrannicum. Utebantur enim filiis tanquam mancipiis, cum longe alia relatio patris ad filium, & domini ad ſervum. Verum Dei cultores in his, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, nihil inter eos diſcernunt, ſed ex æquo utriſq; conſulunt.

β Nomen patrum familias hinc exortum ſit.] *Quæ vox non in eis ſolum locum habet, qui vere patres ſunt & filios habent, ſed etiam in eis, qui ſunt ſine prole, dum jura in domo ſua habeant, quæ cæteri patresfamilias. Non enim ſolam eorum perſonam, ſed & jus demonſtramus, deniq; & pupillum patremfamilias appellamus, & cum paterfamilias moritur, quotquot capita libera ei ſubjecta fuerunt, ſinguli familias incipiunt habere: ſinguli enim patrumfamilias nomen ſubeunt, idemq; eveniet in eo, qui emancipatus eſt, nam & hic ſui juris effectus propriam familiam habet. L. 192. D. de verbor. ſignific. & alibi* patresfamilias *definiuntur*, qui ſunt ſuæ poteſtatis ſive puberes ſive impuberes. *L. 4. D. de his qui ſunt ſui vel alien. jur. Feſtus etiam lib. 6. ducem & principem generis patremfamilias appellatum ſcribit.* In hoc verba, *ut obſervavit Briſſonius*, conſiderandum eſt veteres ad detrahendam invidiam, patris magis quam domini nomen principi familiæ indidiſſe: *Quod & Tertullianus in Apologet. notat:* Gratius, *ait*, nomen pietatis quam poteſtatis, etiam familiæ magis patres quam domini vocantur, & *Seneca epiſt. 47.* ne illud quidem, videris quam omnem invidiam majores noſtri dominis, omnem contumeliam ſervis detraxerunt dominum patremfamilias appellantes, ſervos familiares. *Lactantius libr. 3. cap. 4. in hoc nomine ait ſignificari duplicem poteſtatem quam habet paterfamilias.* Indulgere ſiquidem debet, quoniam pater eſt, & coercere qui dominus. Ergo idem ſervus eſt, qui filius, idem dominus qui & pater. *Nam ut dominus coercere etiam debet filios, & ut pater non modo filiis, ſed & ſervis conſulere debet, ut ſit & pater ſervorum & dominus filiorum. Iſidorus libr. 9. Origin. cap. 7.* paterfamilias, *ait*, dictus, quod omnibus in familia ſua poſitis tanquam pater filiis patria dilectione conſulit, ſervorumque conditionem à filiorum affectu non diſcernit, ſed quaſi unum membrum amplectitur: hinc enim exortum eſt nomen patrisfamilias.

γ Omnis domus initium ſive particula debet eſſe civitatis.] *Ita Ariſtoteles lib. 1. πολιτικῶν.*

δ Ita fit ut ex lege civitatis.] *Quemadmodum non ſola multitudine vel paucitate diſtinguitur domus & civitas, ita etiam nec jus paternum ac regium ſeu reipublicæ; adeo ut pater quidem poſſit ſtatuere præcepta quædam privata in domo ſua & quidem ſub aliquibus pœnis, quas paterna authoritate exigere poterit etiam uſq; ad verbera, non tamen leges condere, nec eas ſtatuere pœnas poteſt, quas poteſt civitas ſeu reſpublica. & quemadmodum domus pars eſt civitatis, quæ eſt perfecta communitas, ita debet regi ac gubernari ex præſcripto legum ipſius civitatis.*

CAP. XVII.

Unde cœleſtis ſocietas cum terrena civitate pacem habeat, & unde diſcordiam.

SEd domus hominum, qui non vivunt ex fide, pacem terrenam ex hujus temporalis vitæ rebus commodiſque ſectatur. Domus autem hominum ex fide viventium, expectat ea, quæ in futurum æterna promiſſa ſunt, terreniſque rebus ac temporalibus tanquam peregrina utitur, non quibus capiatur & avertatur, quo tendit in Deum, ſed quibus ſuſtentetur, ad facilius toleranda, minimeque augenda onera corporis corruptibilis, quod aggravat animam. Idcirco rerum *Sap. 9.* vitæ huic mortali neceſſariarum utriſque hominibus [fidelibus & infidelibus,] & utrique domui communis eſt uſus, ſed finis utendi cuique ſuus proprius, multumque diverſus. Ita etiam terrena civitas, quæ non vivit ex fide, terrenam pacem appetit: in eoque defigit imperandi obediendique concordiam civium, ut ſit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus, humanarum quædam compoſitio voluntatum. Civitas autem cœleſtis, vel potius pars ejus, quæ in hac mortalitate peregrinatur, & vivit ex fide: etiam iſta pace neceſſe eſt utatur, donec ipſa cui talis pax neceſſaria eſt, mortalitas tranſeat. Ac per hoc dum apud terrenam civitatem velut captivam vitam ſuæ peregrinationis agit: jam promiſſione redemptionis, & α dono ſpiritali tanquam pignore accepto, β legibus terrenæ civitatis, quibus hæc adminiſtrantur, quæ ſuſtendandæ mortali vitæ accommodata ſunt, obtemperare non dubitat. Ut quoniam communis eſt ipſa mortalitas, ſervetur in rebus ad eam pertinentibus inter civitatem utramque concordia. Verùm quia terrena civitas habuit quoſdam ſuos ſapientes, quos divina improbat diſciplina: qui vel ſuſpicati vel decepti à dæmonibus, crederent multos deos conciliandos eſſe rebus humanis, γ ad quorum diverſa quodammodo officia diverſa ſubdita pertinerent, ad alium corpus, ad alium animum, inque ipſo corpore ad alium caput ad alium cervicem, & cætera ſingula ad ſingulos. Similiter in animo, ad alium ingenium, ad alium doctrinam, ad alium iram, ad alium concupiſcentiam: inque ipſis rebus vitæ adjacentibus, ad alium pecus, ad alium triticum, ad alium vinum, ad alium oleum, ad alium ſylvas, ad alium nummos, ad alium navigationem, ad alium bella atque victorias, ad alium conjugia, ad alium partum ac fœcunditatem, & ad alios alia cætera. Cœleſtis autem civitas unum Deum ſolum colendum noſſet, eique tantummodo ſerviendum δ ſervitute illa, quæ Græce λατρεία dicitur, & non niſi Deo debetur, fideli pietate cenſeret: factum eſt, ut religionis leges cum terrena civitate non poſſet habere communes, proque his ab ea diſſentire haberet neceſſe: atque oneri eſſe diverſa ſentientibus, eorumque ε iras & odia & perſecutionum impetus ſuſtinere, ζ niſi cum animos adverſantium aliquando terrore ſuæ multitudinis, & ſemper divino adjutorio propulſaret. Hæc ergo cœleſtis civitas dum peregrinatur in terra, η ex *Eccleſiæ collectio.* omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit ſocietatem: non curans quicquid in moribus, legibus, inſtitutiſque diverſum eſt: θ qui-

quam tyrannicum. Utebantur enim filiis tanquam mancipiis, cùm longè alia relatio patris ad filium, & domini ad ſervum. Verùm Dei cultores in his, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, nihil inter eos diſcernunt, ſed ex æquo utriſq; conſulunt.

β Nomen patrum familias hinc exortum ſit.] *Quæ vox non in eis ſolum locum habet, qui verè patres ſunt & filios habent, ſed etiam in eis, qui ſunt ſine prole, dum iura in domo ſua habeant, quæ cæteri patresfamilias. Non enim ſolam eorum perſonam, ſed & jus demonſtramus, deniq; & pupillum patremfamilias appellamus, & cum paterfamilias moritur, quotquot capita libera ei ſubjecta fuerunt, ſingulas familias incipiunt habere: ſinguli enim patrumfamilias nomen ſubeunt, idemq; eveniet in eo, qui emancipatus eſt, nam & hic ſui juris effectus propriam familiam habet. L. 192. D. de verbor. ſignific. & alibi* patresfamilias *definiuntur*, qui ſunt ſuæ poteſtatis ſive puberes ſive impuberes. *L. 4. D. de his qui ſunt ſui vel alien. jur. Feſtus etiam lib. 6. ducem & principem generis patremfamilias appellatum ſcribit.* In hoc verba, *ut obſervavit Briſſonius*, conſiderandum eſt veteres ad detrahendam invidiam, patris magis quam domini nomen principi familiæ indidiſſe: *Quod & Tertullianus in Apologet. notat:* Gratius, *ait*, nomen pietatis quam poteſtatis, etiam familiæ magis patres quam domini vocantur, & *Seneca epiſt. 47.* ne illud quidem, videris quam omnem invidiam majores noſtri dominis, omnem contumeliam ſervis detraxerunt dominum patremfamilias appellantes, ſervos familiares. *Lactantius libr. 3. cap. 4. in hoc nomine ait ſignificari duplicem poteſtatem quam habet paterfamilias.* Indulgere ſiquidem debet, quoniam pater eſt, & coercere qui dominus. Ergo idem ſervus eſt, qui filius, idem dominus qui & pater. *Nam ut dominus coercere etiam debet filios, & ut pater non modo filiis, ſed & ſervis conſulere debet, ut ſit & pater ſervorum & dominus filiorum. Iſidorus libr. 9. Origin. cap. 7:* paterfamilias, *ait*, dictus, quod omnibus in familia ſua poſitis tanquam pater filiis patria dilectione conſulit, ſervorumque conditionem à filiorum affectu non diſcernit, ſed quaſi unum membrum amplectitur: hinc enim exortum eſt nomen patrisfamilias.

γ Omnis domus initium ſive particula debet eſſe civitatis.] *Ita Ariſtoteles lib. 1. πολιτικῶν.*

δ Ita fit ut ex lege civitatis.] *Quemadmodum non ſola multitudine vel paucitate diſtinguitur domus & civitas, ita etiam nec jus paternum ac regium ſeu reipublicæ; adeo ut pater quidem poſſit ſtatuere præcepta quædam privata in domo ſua & quidem ſub aliquibus pœnis, quas paterna authoritate exigere poterit etiam uſq; ad verbera, non tamen leges condere, nec eas ſtatuere pœnas poteſt, quas poteſt civitas ſeu reſpublica. & quemadmodum domus pars eſt civitatis, quæ eſt perfecta communitas, ita debet regi ac gubernari ex præſcripto legum ipſius civitatis.*

CAP.

CAP. XVII.

Unde cœleſtis ſocietas cum terrena civitate pacem habeat, & unde discordiam.

SEd domus hominum, qui non vivunt ex fide, pacem terrenam ex hujus temporalis vitæ rebus commodisque ſectatur. Domus autem hominum ex fide viventium, expectat ea, quæ in futurum æterna promiſſa ſunt, terrenisque rebus ac temporalibus tanquam peregrina utitur, non quibus capiatur & avertatur, quo tendit in Deum, ſed quibus ſuſtentetur, ad facilius toleranda, minimeque augenda onera corporis corruptibilis, quod aggravat animam. Idcirco rerum Sap. 9. vitæ huic mortali neceſſariarum utrisque hominibus [fidelibus & infidelibus,] & utrique domui communis eſt uſus, ſed finis utendi cuique ſuus proprius, multumque diverſus. Ita etiam terrena civitas, quæ non vivit ex fide, terrenam pacem appetit: in eoque defigit imperandi obediendique concordiam civium, ut ſit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus, humanarum quædam compoſitio voluntatum. Civitas autem cœleſtis, vel potius pars ejus, quæ in hac mortalitate peregrinatur, & vivit ex fide: etiam iſta pace neceſſe eſt utatur, donec ipſa cui talis pax neceſſaria eſt, mortalitas tranſeat. Ac per hoc dum apud terrenam civitatem velut captivam vitam ſuæ peregrinationis agit: jam promiſſione redemptionis, & α dono ſpiritali tanquam pignore accepto, β legibus terrenæ civitatis, quibus hæc adminiſtrantur, quæ ſuſtendandæ mortali vitæ accommodata ſunt, obtemperare non dubitat. Ut quoniam communis eſt ipſa mortalitas, ſervetur in rebus ad eam pertinentibus inter civitatem utramque concordia. Verùm quia terrena civitas habuit quoſdam ſuos ſapientes, quos divina improbat diſciplina: qui vel ſuſpicati vel decepti à dæmonibus, crederent multos deos conciliandos eſſe rebus humanis, γ ad quorum diverſa quodammodo officia diverſa ſubdita pertinerent, ad alium corpus, ad alium animum, inque ipſo corpore ad alium caput ad alium cervicem, & cætera ſingula ad ſingulos. Similiter in animo, ad alium ingenium, ad alium doctrinam, ad alium iram, ad alium concupiſcentiam: inque ipſis rebus vitæ adjacentibus, ad alium pecus, ad alium triticum, ad alium vinum, ad alium oleum, ad alium ſylvas, ad alium nummos, ad alium navigationem, ad alium bella atque victorias, ad alium conjugia, ad alium partum ac fœcunditatem, & ad alios alia cætera. Cœleſtis autem civitas unum Deum ſolum colendum noſſet, eique tantummodo ſerviendum δ ſervitute illa, quæ Græce λατρεία dicitur, & non niſi Deo debetur, fideli pietate cenſeret: factum eſt, ut religionis leges cum terrena civitate non poſſet habere communes, proque his ab ea diſſentire haberet neceſſe: atque oneri eſſe diverſa ſentientibus, eorumque ε iras & odia & perſecutionum impetus ſuſtinere, ζ niſi cum animos adverſantium aliquando terrore ſuæ multitudinis, & ſemper divino adjutorio propulſaret. Hæc ergo cœleſtis civitas dum peregrinatur in terra, η ex Eccleſiæ collectio. omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit ſocietatem: non curans quicquid in moribus, legibus, inſtitutisque diverſum eſt: θ

quibus pax terrena vel conquiritur, vel tenetur: nihil eorum reſcindens vel deſtruens, imo etiam ſervans ac ſequens: quod licet diverſum ſit in diverſis nationibus, ad unum tamen eundemque finem terrenæ pacis intenditur, ſi religionem, qua unus ſummus & verus Deus colendus docetur, non impedit. Utitur ergo etiam cœleſtis civitas in hac ſua peregrinatione pace terrena, & de rebus ad mortalem hominum naturam pertinentibus, humanarum voluntatum compoſitionem, quantum ſalva pietate ac religione conceditur, tuetur atque appetit, eamque terrenam pacem refert ad cœleſtem pacem: quæ verè ita pax eſt, ut rationalis duntaxat creaturæ ſola pax habenda atque dicenda ſit, ordinatiſſima ſcilicet & concordiſſima ſocietas fruendi Deo, & invicem in Deo: quo cum ventum fuerit, non erit vita mortalis, *a* ſed plenè certeque vitalis: nec corpus animale, quod dum corrumpitur, aggravat animam: ſed ſpiritale ſine ulla indigentia ex omni parte ſubditum voluntati. Hanc pacem, dum peregrinatur in fide, habet: atque ex hac fide juſtè vivit, cum ad illam pacem adipiſcendam refert, quicquid bonarum actionum gerit erga Deum & proximum, quoniam vita civitatis utique ſocialis eſt.

Sap. 9.

L. Vives. *a* PLanè certeque vitalis.] *Vita Vitalis verbum erat Ennii, ut ait Cicero, Ad id Auguſtinus alluſit.*

RL. Cog. α DOno ſpiritali tanquam pignore accepto.] *Reſpicit ad illud Apoſtoli*, dedit nobis pignus ſpiritus, 2. Cor. 5.

β Legibus terrenæ civitatis.] *Chriſtiani enim principes temporales agnoſcebant ac legibus Imperatorum ſubjiciebant ſeſe. Ita Tertullianus ad Scapulam cap. 2. oſtendit tantum abeſſe, ut Chriſtianus ſit hoſtis Imperatoris, ut etiam eum diligat & revereatur & honoret & ſalvum velit cum toto Imperio Romano ſciens à Deo ſuo eum conſtitui*, & colimus, *inquit*, Imperatorem, ſic quomodo & nobis licet & ipſi expedit, ut hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem. *Ita licet per 300. annos uſq; ad Conſtantini magni tempora Imperatores Romani fuerint infideles, Chriſtiani tamen eorum dominium agnoſcebant, nec detrectabant eorum leges. quæ tamen legi naturali ac divinæ, vel etiam fidei non adverſarentur. Ita docuere ipſi Apoſtoli*; Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. *1. ad Timotheum 6.* Qui ſub jugo ſunt ſervi, omni honore dominos ſuos dignos eſſe exiſtiment, *ubi etſi domini eſſent infideles, vult tamen ſervos etſi fideles illis morem gerere. Quod enim de infidelibus loquatur conſtat ex his, quæ ſequuntur:* Si quis autem ſervus dominum habet infidelem, non contemnat quia frater eſt. *Neq; enim ex hoc, quod ad fidem convertebantur, eximebantur à jugo legum civilium, vel etiam à ſervitute, qua dominis ſuis erant obnoxii. Irenæus lib. 5. cap. 24. Juſtinus, Athenagoras in Apologiis. Theophilus Antiochenus lib. 1. & 2. ad Autolycum, Origenes homil. 4. in lib. Judicum.*

γ Ac quorum diverſa quodammodo Officia.] *Hoc eſt, quod pluribus deridet Arnobius lib. 3. adverſus Gentes*, Quale eſt quod deos vobis inducitis alios

fabros,

fabros, alios medicos, alios Lanarios, nautas, cythariſtas, aulœdos, venatores, paſtores, & quod ſupererat, ruſticos, & deinceps.

δ Servitute illa, quæ Græce λατρεία dicitur.] *Quæ ei debetur ratione ſupremi dominii, & ſupremæ excellentiæ.*

ε Iras & odia & perſecutionum impetus ſuſtinere.] *Regibus enim ita obtemperandum ſibi perſuadebant & eorum leges obſervandas quoad uſque nihil preciperent, quod Chriſtianæ pietati eſſet contrarium, nec religionem perdere cogerentur. Ita Baſilius præfectum Valentis Modeſtum alloquens; Magni quidem Chriſtianos facere dignitatem Imperatoris ac ſuorum*, verum ubi Deus nobis periclitatur, *inquit*, ac proponitur, tum demum omnia alia pro nihilo putantes, ipſum ſolum intuemur. *11. qu. 3. can.* ſi dominus, *referuntur verba D. Hieronymi*: Si bonum eſt, quod præcipit Imperator & Præſes, jubentis obſequere voluntati, ſi vero malum; reſponde illud de actibus Apoſtolorum, obedire oportet Deo magis quam hominibus, *& verba Ambroſii can.* Julianus, Julianus quamvis eſſet Apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites, quibus cum diceba, producite aciem pro defenſione Reipublicæ, obediebant ei, cùm autem diceret eis, producite arma in Chriſtianos, tunc cognoſcebant Imperatorem cœli. Si quando impius ille imperabat, ut abjurantes Chriſtum colerent idola, Deo obtemperabant, non Imperatori, *Auguſtinus epiſtola 50. ad Bonifacium Comitem*: *Quicunque* legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium.

ζ Niſi cùm animos adverſantium aliquando terrore ſuæ multitudinis.] *Ita Tertullianus ſcribens ad Scapulam oſtendit Chriſtianis vel ob nimiam multitudinem parcendum eſſe, ubi ſcribit, quod*, cùm Arrius Antoninus in Aſia perſequeretur, inſtanter omnes illius civitatis Chriſtiani ante tribunalia eius manu facta ſe obtulerunt, cùm ille paucis duci juſſis, reliquis ait, ὦ δειλοὶ εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. hoc & ſi placuerit hic fieri, *inquit*, quid facies de tot millibus hominum, tot viris ac fœminis communis ſexus, omnis ætatis, omnis dignitatis offerentibus ſe tibi, quantis ignibus, quantis gladiis opus erit tibi? Ita multitudo ſervata, cùm omnes etiam mulierculæ alacriter properarent ad martyrium, *Nicephorus lib. 11. cap. 22.*

η Ex omnibus gentibus cives evocant, *Eſai 43.* Ab Oriente adducam ſemen tuum, dicam Aquiloni, da, & Auſtro, noli prohibere. *Hæc Eccleſia Catholica eſt & temporibus & locis & perſonis, prout eam ſancti Patres contra hæreticos definiverunt.*

CAP. XVIII.

Quod diverſa ſit Academiæ novæ ambiguitas à conſtantia fidei Chriſtianæ.

QUod autem attinet ad illam differentiam, quam de Academicis novis Varro adhibuit, quibus incerta ſunt omnia: omninò *a* civitas Dei talem dubitationem tanquam dementiam deteſtatur: habens de rebus, quas mente atque

que ratione comprehendit, etiam ſi parvam propter corpus corruptibile, quod
2. Cor. 13. aggravat animam, quoniam ſicut dicit Apoſtolus: *Ex parte ſcimus*, tamen certiſſimam ſcientiam: creditque ſenſibus in rei cujusque evidentia, quibus per corpus animus utitur: quoniam miſerabilius fallitur, qui nunquam putat, eis
Abac. 2. eſſe credendum. Credit etiam Scripturis ſanctis & veteribus & novis, quas Canonicas appellamus, unde fides ipſa concepta eſt, ex qua juſtus vivit: *a* β per
2. Cor. 5. quam ſine dubitatione ambulamus, quamdiu peregrinamur à Domino: qua ſalva atque certa de quibusdam rebus, quas neque ſenſu, neque ratione percepimus, neque nobis per Scripturam canonicam claruerunt, nec per teſtes, quibus non credere abſurdum eſt, in noſtram notitiam pervenerunt, ſine juſta reprehenſione dubitamus.

L. Vives *a* PEr quam ſine dubitatione.] *Evidenter non ſcitur, ſed non certius creditur, quàm quod ſenſibus uſurpamus.*

F.L. Coq. α CIvitas Dei talem dubitationem tanquam dementiam deteſtatur.] *Nihil aſſerebant Academici novi, quod ſenſuum judicium ſit incertum ac fallax. Hanc Academicorum dubitationem circa omnia meritò dementiam appellat D. Auguſtinus: Eodem etiam accedit, quod & ſcribit in hujusmodi Academicos, qui ſenſuum fidem, ut loquitur duriùs damnabant. Tertullianus libro de anima capite decimo ſeptimo.* Quid agis Academice procaciſſime? totum vitæ ſtatum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipſius Dei providentiam excæcas, qui cunctis operibus ſuis intelligendis, incolendis, diſpenſandis fiendisque fallaces & mendaces Dominos præfecerit ſenſus, *atq; ad eam rem multa, quibus & hæc ſubjicit, ut oſtendat, & hanc dubitationem fidei & ſcripturæ minus conſentaneam.* Non licet nobis in dubium ſenſus iſtos revocare, ne & in Chriſto de fide eorum deliberetur, ne fortè dicatur, quod falsò Sathanam proſpectari de cœlo præcipitatum, aut falsò vocem patris audierit de ipſo teſtificatam; aut deceptus ſit, cùm Petri ſocrum tetigit, aut alium poſtea unguenti ſpiritum ſenſerit, quòd in ſepulturam ſuam acceptavit, alium poſtea vini ſaporem, quòd in ſanguinis ſui memoriam conſecrarit. Sic enim & Marcion phantaſma eum maluit credere, totius in illo corporis dedignatus veritatem. Atqui ne in Apoſtolis quidem ludificata eius natura eſt. Fidelis fuit & viſus & auditus in monte, fidelis & guſtus vini illius, licet aquæ ante in nuptiis Galileæ; fidelis & tactus exinde creduli Thomæ; recita Joannis teſtationem, quod vidimus, *inquit*, quod audivimus, oculis noſtris vidimus, & manus noſtræ contrectaverunt de ſermone vitæ. Falſa utique teſtatio, ſi oculorum & aurium & manuum ſenſus natura mentitur. *Arrianus etiam in Epicteto libro primo, capite quinto, breviter probat, eam dubitationem Academicorum verè fuiſſe dementiam*; Percipis, *inquit*, ad Academicum te vigilare negat, quod ne tum quidem percipiat, cùm in ſomniis ſibi vigilare videatur. Nihil ergo differt viſum hoc ab illo, cùm hoc nihil amplius ego diſputo. Nam quem ei ignem, quod ferrum admovebo, unde ſe eſſe mortuum animadvertat?

β Per

β Per quam ſine dubitatione ambulamus.] *Habet enim maximam certitudinem fides, etſi ſit incvidens, imò firmius adhæremus rebus fidei, quàm quibuslibet propoſitionibus etiam evidentiſſimis. Nititur enim veritate prima revelante, cuius teſtimonium eſt infallibile, adeò, ut falſum ei ſubeſſe non poſſit. D. Paulus ad Hebræos ſexto, omnem certitudinem fidei noſtræ eò refert, quod Deus mentiri nullo modo poteſt. Numerorum decimo tertio,* non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur. *ad Romanos tertio:* Eſt autem Deus verax, omnis homo mendax. *Nec enim de potentia abſoluta Deus mentiri poteſt, qui eſt prima veritas, adeò ut in ſcripturis ſacris, quæ dictata ſunt à Spiritu ſancto, ne minimum quidem mendacium reperiatur. Ex quibus dicit Auguſtinus fidem ipſam conceptam eſſe.* *(non quod quicquid credendum proponitur ab Eccleſia contineatur in ſcripturis. Multa enim ex traditione habemus, verùm omnia ferè quæ credimus, aut inde explicitè, aut implicitè certè deducuntur.)*

Cap. XIX.

De habitu & moribus populi Chriſtiani.

NIhil ſanè ad iſtam pertinet civitatem α quo habitu vel more vivendi, non eſt contra divina præcepta, iſtam fidem, qua pervenitur ad Deum, quisque ſectetur: β unde ipſos quoque philoſophos, quando Chriſtiani fiunt, non habitum vel conſuetudinem victus, quæ nihil impedit religionem, γ ſed falſa dogmata mutare compellit. Unde illam, quam Varro adhibuit ex Cynicis differentiam, ſi nihil turpiter atque intemperanter agant, omninò non curat. Ex tribus verò illis vitæ generibus, otioſo, actuoſo, & ex utroque compoſito: quamvis ſalva fide quisquis poſſit in quolibet eorum vitam ducere, & ad ſempiterna præmia pervenire: intereſt tamen, quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. Nec ſic quisque debet eſſe otioſus, δ ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi: nec ſic actuoſus, ut contemplationem non requirat Dei. In otio non iners vacatio delectare debet, ſed aut inquiſitio, aut inventio veritatis: ut in ea quisque proficiat, & quod invenerit, teneat, & alteri non invideat. In actione verò non amandus eſt honor in hac vita ſive potentia: quoniam omnia vana ſub ſole: ſed opus ipſum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, ſi rectè atque utiliter fit, id eſt, ut valeat ad eam ſalutem ſubditorum, quæ ſecundùm Deum eſt: unde jam ſuperius diſputavimus. Propter quod ait Apoſtolus. ε *Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Exponere voluit, 1.Tim.3.
ζ quid ſit epiſcopatus: quia nomen eſt operis, non honoris. α η Græcum eſt enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, ſuperintendit, curam eorum ſcilicet gerens, ἐπὶ quippe ſuper, σκοπὸς verò intentio eſt: ergò ἐπισκοπεῖν, ſi velimus, Latinè ſuperintendere poſſumus dicere; ut intelligat, non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. Itaque à ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus verò ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt; & ſi ita teneatur atque adminiſtretur, ut decet, θ tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit charitas veritatis: negotium juſtum ſuſcipit neceſ-

ſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati. *ι* Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem. *κ b* Sed nec ſic omnimodo veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimat iſta neceſſitas.

L. Vives. Epiſcopus. *a* GRæcum eſt enim atque inde ductum vocabulum.] *Unde ductum ſit epiſcopi nomen, dixi alibi Eſt enim vel ab* ἐπισκοπέω, *quod eſt conſidero: vel* ἐπισκέπτομαι, *quod idem eſt & viſitare: unde illi* ἐπίσκοποι ἀθηναῖοι εἰς τὰς ἐπηκόους πόλεις ἐπισκεψάμενοι τὰ παρ' ἑκάστοις πεμπόμενοι. οἱ δὲ φύλακες ἐκαλοῦντο, οὓς οἱ λάκωνες ἁρμοστὰς ἔλεγον *ut inquit Suidas, quod in aliis libris explicui. Mittebantur enim ab Athenienſibus ad ſubditas civitates, qui res illorum inſpicerent: hi vocabantur, epiſcopi, quaſi inſpectores, vel viſitatores, & obſervatores. Lacones nominabant harmoſtas. In ſacris literis epiſcopus vulgo ſpeculator dicitur: ut in Ezech. in Oſee.*(quum Dominus queritur, epiſcopos laqueum factos ſpeculationi, & rete, in monte Thabor: ceu de hujus temporis epiſcopis loqueretur, qui ſacerdotiis laqueos tendunt, & pecunia larga retia: Sed non raris maculis, ne nummus effluat.)**

*(*b* Tamen indecēter appetitur.] *Nunc ita curatum eſt diligentia & ingeniis quorundam, ut citra fraudem hujus legis poſſit epiſcopatus non appeti modò licitè, ſed emi quoq; & vendi.)**

Epiſcopi officiū. *c* Sed nec ſic omninò veritatis.] *oſtendit, lectioni & ſtudiis ſanctarum Scripturarum debere deditum eſſe epiſcopum, & à negotiis mundanis ſubinde ad ſeipſum, imo ad Deum ſe vocare: ut ita agat in ſeculo tanquam peregrinus, & Dei animæque ſuæ negotium gerens, non rerum fluxarum & caſurarum: neq; deſit tamen miniſterio cui præfectus eſt, non ambitione ſua, ſed vocatione cœleſti.*

F. L. Coq. *a* QUi habitu vel more vivendi.] *Si tamen inter infideles lex lata eſſet, ut Chriſtiani omnes certo aliquo ſigno ſeu habitu tanquam nota religionis ſuæ uterentur, certè illud omittere non liceret. Perinde enim eſt, ac ſi quis de fide ac religione interrogatus, eam negaret, ita ſi habitus eſſet nota ſeu ſignum religionis falſæ, ad hoc potiſſimum, ut dignoſcerentur huiuſcemodi ſectæ profeſſores, eo uti minimè liceret. Perinde enim eſſet, uti eo ſigno ſeu habitu, ac ſectam illam verbis profiteri. Loquitur verò Auguſtinus de habitibus ſeu moribus, quibus licet utantur infideles, non ſunt tamen prius hæc inſtituta ad profeſſionem religionis. Signa enim infidelium ut veſtis vel alia huiuſmodi, quædam ſunt propria quidem infidelium, non tamen inſtituta ad profeſſionem religionis. Alia verò ſunt ad ipſammet religionis profeſſionem inſtituta, ideò ut jam habeant certam ſignificationem. Primis ergò Chriſtiano uti licebit, non iis, quæ ut nota religionis falſæ, & ad eam ſignificandam ſint inſtituta. Equidem parùm intereſt in religione Chriſtiana quo quis habitu incedat, pallio tamen uſos, qui initiabantur religioni Chriſtianæ poſtpoſito omni alio veſtitu, indicat argumentum libri Tertulliani de Pallio, & is præſertim locus capite quarto eiusdem libri ad finem:* Enimverò cùm hanc primùm ſapientiam veſtit, quæ vaniſſimis ſuperſtitionibus renuit, *& poſt.* Suadeo reverere habitum unius interim erroris tui renunciatorem, *& poſtrema verba libri,* Gaude pallium, & exulta, melior jam te philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianum veſtire cœpiſti. *Si-*

milem

milem habitus mutationem in novis Chriſtianis indicat Origenes apud Euſebium libro ſexto Eccleſiaſticarum hiſtoriarum, capite decimo tertio, cùm de Heracla dicit, exuta illum veſte vulgari & communi habitum aſſumpſiſſe philoſophicum; & quoniam pallium erat Græcorum geſtamen, ut toga Romanorum, & Chriſtiani frugalitatis gratia pallio utebantur tanquam veſte ſimpliciore & philoſophica, factum eſt, ut vulgari convitio, qui noſtris ſacris initiati eſſent, Græci *vocarentur, & ab injectione pallij, quod tunicæ* ſuperimponebant, *etiam* imponentes, *aut quod magis volebant,* impoſtores. *Et quoties Chriſtianus aliquis prodiiſſet, ſtatim illud è trivio audiebat ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, ut ſcribit etiam Divus Hieronymus Epiſtola ad Furiam de viduitate.*

β Vel ipſos quoque Philoſophos, quando Chriſtiani fiunt.] *Non exigebatur ab his, qui à Gentili ſuperſtitione ad Chriſtianiſmum migrabant, ut priſtinum etiam habitum abjicerent. Gregorius Nazianzenus Heronem philoſophum laudat, quod ſub aliena perſona Philoſophiam noſtram profitetur.* Ac ne ſub aliena quidem fortaſſe, *inquit*, quod Hero philoſophorum quidem perſonam, exteramque ſpeciem, noſtrorum autem veritatem & ſublimitatem profitetur.

γ Sed falſa dogmata mutare compellit.] *Poſſet objici quod ſcribit Nicephorus lib. 14. capite 55. de Syneſio magno illo Platonico. Is enim licet reſurrectionis myſterium ſtatim non admiſerit, tamen Theophilo Alexandrino concedente ſacerdotij munus obtinuit, quod cætera, quæ Chriſtiani profiterentur, recepiſſet. Verùm reſponderi poteſt primò, id factum fuiſſe particulare, à quo non eſt argumentandum; deinde ut ſcribit ibidem Nicephorus, tum id fecit eccleſia certa conjectura adducta propter reliquas virtutes eum etiam tandem aliquando flexum, reſurrectionis profeſſionem comprobaturum, neq; ſpe & opinione ſua falſa eſt. Nam paulo poſt reſurrectionem credidit & profeſſus eſt certam hanc eſſe, maximeq; convenire ipſi eccleſiæ ſententiam: Et Chriſtiani maximè cupidi converſionis tanti hominis nonnihil remiſerunt de ſummo jure, ut eum, etſi minime adhuc amplexatum omnia fidei dogmata, ſacris initiarent.*

δ Ut in eodē otio utilitatem non cogitet proximi.] *Ita videmus divinos viros & cœleſtem in terris vitam & ab hominum conſortio longe remotam agentes è monaſteriis aliquando proſiliiſſe, ut ſaluti conſulerent multorum, & ab ovili dominico lupos arcerent, impietatem proſcinderent, ac orthodoxam fidem propugnarent, ut inter cæteros de ſanctis illis monachis Aphraate & Juliano refert Nicephorus lib. 11. cap. 25. qui cum in perſecutione Valentis viderent fidem periclitari, quieto vitæ inſtituto gregis Chriſti ſalutem prætulerunt, & monaſticum relinquentes tuguriolum ovilis Chriſti curam geſſerunt, & multo effluentes ſudore lupos undiq; ab eo repulerunt. Et quidem* cum Aphraati Valens aliquando objiceret, eum, qui leges ſequeretur monachorum, domi manere ibique quietè conſidentem pro Imperio precari oportere, rectè quidem (ô Imperator) dicis, me id facere debere, facturusque id adeo conſtanter fueram, ſi pax Chriſti ovibus eſſet, ſed quum multa quædam inſaniæ caligo loca omnia occuparit, & maximus inſuper

ſubrepat timor, ne plurimo imminente periculo à feris oves dilanientur, neceſſitas mihi quoque incumbit ut vigilem, omnemque funem moveam, ne quod grex Chriſti capiat detrimentum. *Atq; ita licet vita contemplativa ſit per ſe perfectior vita activa, nonnumquam tamen præeligenda vita activa, ut docet D Thomas 2. 2. quæſtio. 182. artic. 1. propter neceſſitatem præſentis vitæ; quæ verò neceſſitas major occurrere poteſt, quàm ubi ſalus animarũ periclitatur, atq; ipſi Angeli, qui circa Deum aſſiduè verſantur, eiusq; viſione ſine intermiſſione ulla fruuntur, nihilominus aliquando operæ quædam vitæ activæ exercent, mittuntur* in miniſterium propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, *& circa ſalutem hominum invigilant; & ſtatus prælatorum debet eſſe ex utroq; miſtus. nimirum ex contemplatione & actione, & ut legimus nonnullos ex Romanis aliquando abſtractos ab otio, ut reipublicæ vacarent, ita ſanctos viros, qui otioſam vitam, ſi tamen ea otioſa vita dicenda eſt, quæ poſita eſt in jugi quadam meditatione & contemplatione rerum cæleſtium, amplexati ſunt. nonnunquam oportet circa ſalutem animarum incumbere. Ex quo Baſilium commendat maxime Gregorius Nazianzenus orat. in eundem.* Quod actionis ſubſidium doctrinæ adjungeret, & omnium ſaluti ſtudioſiſſimè invigilaret, alios adiens, ad alios legationem mittens, alios accerſens, admonens, arguens, objurgans, comminans, probris inceſſens, pro gentibus, pro urbibus, pro ſingulis etiam hominibus certamen ſuſcipiens, omne ſalutis genus excogitans, undecumque medicinam morbo adhibens.

s Qui epiſcopatum deſiderat.] *Ex Gregorio in Paſtorali*, illo tempore hoc dixit Apoſtolus, quo ille, qui populo præerat, primus martyrio afficiebatur, adeoque nihil erat, quod in Epiſcopatu appeti poſſet, niſi bonum opus. *D. Thomas 2. 2. q. 184. art. 1. Tria in Epiſcopatu conſiderat, quorum unum præcipuum eſt & finale Epiſcopatus, ſcilicet* Operatio, per quam ſaluti proximorum intenditur. *Aliud eſt,* altitudo gradus, quia Epiſcopus ſuper alios conſtituitur. *Matth. 25.* fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam. *Tertium eſt quid conſequens ad iſta, ſcilicet* honor & reverentia & ſufficientia bonorum temporalium. *Appetere igitur epiſcopatum ratione hujusmodi circumſtantium bonorum, illicitum eſt & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem. Quantum ad ſecundum, ſcilicet celſitudinem gradus, appetere epiſcopatum præſumptuoſum eſt, ſed appetere proximis prodeſſe, ſecundum ſe laudabile eſt & virtuoſum. Verùm quia prout eſt Epiſcopalis actus, habet annexam gradus celſitudinem, præſumptuoſum videtur, quod aliquis præeſſe appetat ad hoc, quod ſubditis proſit, niſi manifeſta imminente neceſſitate. Certe inde laudantur multi ſancti quod Epiſcopatum refugerent, tametſi digni eſſent, & nihil perverſi appeterent. Quantum Ambroſius electus ad epiſcopatum Mediolanenſem divinitus reluctatus ſit, quamque conſtanter reſtiterit, ut vix eo adduceretur, ut epiſcopatum ſuſciperet, vide Nicephorum lib. undecimo cap. 32. Gregorius Nazianzenus in Apologetico cauſas reddit cur Epiſcopatu repudiato in Pontum fugerit, inprimis quod rei magnitudinem ac difficultatem reformidavit, & neminem ſapientem læto animo creandum unquam epiſcopum diſſerit multis, quamque grave ſit onus Epiſcopatus docet. D. Thomas quæſt. citata articulo 2. ad 3. commendat eos, qui vovent*

nunquam

nunquam, quantum in ſe fuerit, ſe admiſſuros epiſcopatum, niſi aut urgente neceſſitate eccleſia aut præcepto ejus, qui in hac parte imperare illis poſſit. De Ammonio Palladius hiſtoria Lauſiaca cap.12. Socrates lib.4.cap.18. & Petrus Bleſenſis epiſt.23. referunt, quod cum epiſcopus electus eſſet, nullo modo conſentire voluerit electioni, atq; cum invitus traheretur, aurem ſiniſtram ſibi radicitus ſecuit, minatus etiam linguam ſibi abſciſſurum, ſi vim amplius facerent.

ζ Quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis.] *Theodoretus ad eum locum Apoſtoli:* non accuſat, *inquit*, ſimpliciter cupiditatem, ſed ambitionem & magiſtratus gerendi deſiderium, & docet, non honorem; ſed virtutem appetere, non deſiderare dignitatem, ſed dignitatis officium inquirere, *& D. Chryſoſtomus:* Epiſcopatus eſt opus regiminis. Si quis hunc idcirco appetit, non principatus ac dominationis faſtu, verùm cura regiminis & charitatis affectu, non improbè, *inquit*, bonum deſiderat opus, quod tamen intellige quando id manifeſta Eccleſiæ neceſſitas requirit, aut magnus zelus animarum.

η Græcum eſt enim atque inde deductum vocabulum.] *Epiſcopi nomen ſollicitudinis eſt ac curæ. Act. 20.* Attendite vobis & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit vos Epiſcopos, regere eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo. *Atque eo vocabulo utuntur etiam prophani ſcriptores Cicero lib. 7. epiſt. ad Atticum.* Vult Pompejus non eſſe, quem tota hæc Campania & maritima ora habeant epiſcopum, ad quem delectus & negotii ſumma referatur. *Homerus de Diis Iliad. χ*

Θεοὶ μάρτυροι ἔσσονται ϗ ἐπίσκοποι ἁρμονιάων.

Apud Herodianum. Ζεὺς μάρτυς ϗ ἐπίσκοπος τῶν πραττομένων. *Plutarchus in Camillo:* θεοὶ χρηστῶν ἐπίσκοποι ϗ πονηρῶν ἔργων. *& in Pericle,* πάντα διεῖπε ϗ πάντων ἐπίσκοπος ἦν αὐτῷ Φειδίας. *Arrianus lib. 8.* περὶ ἀναβάσεως *tradit, apud Indos* ἐπισκόπων *munus fuiſſe,* Videre quid in quaque regione fieret, ut cognita ad reges vel magiſtratus referrent, quibus fas non erat, falſa pro veris denuntiare, neque Indorum quiſquam mendacii unquam accuſatus eſt. *Tales erant apud Perſas* οἱ βασιλέως ὀφθαλμοί. *Erat & Magiſtratus Atticus* ἐπίσκοπος. *Prætor qui mittebatur ad jus dicendum in ea oppida, quæ ſub imperio & ditione erant Athenienſium, ut teſtatur Scholiaſtes Ariſtophanis in avibus:* οἱ παρ' Ἀθηναίων εἰς τὰς ἐπηκόους πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑκάστοις πεμπόμενοι ἐπίσκοποι καὶ φύλακες ἐκαλοῦντο, οὓς οἱ Λάκωνες ἁρμοστὰς ἔλεγον. *Plutarchus in Numa dicit, ſummum Pontificem apud Romanos fuiſſe etiam* τῶν [illegible] ἐπίσκοπον ἱερῶν. *Apud Chriſtianos ſacri præſules, qui in majoribus civitatibus conſtituuntur & rebus ſacris adminiſtrandis præſunt, potiſſimum verò invigilant circa ſalutem animarum,* epiſcopi *dicuntur, qui ſubrogati ſunt in locum Apoſtolicum.* Superintendentes *hic interpretatur Auguſtinus ab* ἐπισκοπέω, *quod &* viſito, inviſo, inſpicio & obſervo *ſignificat. & Hieron. epiſt. 8. ad Evagrium,* ἐπισκοποῦντες, *i. e.* ſuperintendentes, *unde & nomen epiſcopi tractum eſt.*

ϑ Tamen indecenter appetitur.] *An liceat appetere epiſcopatum, vide D. Thomam 2. 2. q. 185. articul. 1. D. Cyprianus epiſt. 52. Cornelium Papam laudat his ver-*

bis; non ut quidam vim fecit, ut epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, ut Epiſcopatum coactus acciperet. *Iſidorus epiſt 125. de Hierace presbytero refert,* ὃς τοῦν ἔχων ἔφυγε τὸ πρᾶγμα καθάπερ νόσημα ἀργαλεώτατον *L. 3. C. de Epiſcopis & Clericis,* Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus Antiſtes, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi, *poſt,* profecto indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.

i Si autem imponitur ſuſcipienda eſt.] *Divus Thomas quæſtione citata articul. 2.* In aſſumptione, *inquit,* epiſcopatus duo ſunt conſideranda, primò quidem quid deceat hominem appetere ſecundùm propriam voluntatem: ſecundò quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantum ergo ad propriam voluntatem convenit homini principaliter inſiſtere propriæ ſaluti; ſed quod aliorum ſaluti intendat, id convenit homini ex diſpoſitione alterius poteſtatem habentis. Unde ſicut ad inordinationem voluntatis pertinet quod quis primo motu feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur, ita etiam ad inordinationem voluntatis omnino pertinet, quod aliquis contra ſuperioris injunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuſet propter duo, primo quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum utilitati ſe aliquis debet exponere pro loco & tempore, *quod ex hoc loco D. Auguſtini docet,* negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis, ſecundo, quia hoc repugnat humilitati per quam aliquis ſe ſuperiorum mandatis ſubjicit. *Gregorius in paſtorali p. 1 c. 6.* Tunc ante Dei oculos vera eſt humilitas, cùm ad reſpuendum hoc quod facere utiliter præcipitur, pertinax non eſt. *Ipſe D. Auguſtinus epiſt. 81. hortatur Eudoxium Abbatem & monachos qui cum eo ſunt, ut ſicubi Eccleſia eorum requirat operam, ne detrectent;* Si quam operam veſtram mater Eccleſia deſideraverit, nec avida elatione ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis, ſed miti corde obtemperetis Deo, cum manſuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet manſuetos vias ſuas, nec veſtrum otium Eccleſiæ neceſſitatibus præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quando naſceremini non inveniretis.

x Sed nec ſit omnimoda.] *Ita laudatur à Gregorio Nazianz. Athanaſius, quod hæc duo, hoc eſt actionem tranquillam & actuoſam tranquillitatem conſociaverit atque conjunxerit, ut oſtenderet, & epiſcopatum monaſtica philoſphia minime expertem eſſe, & monaſticæ vitæ profeſſionem morum potius gravitate & conſtantia, quàm corporis ſeceſſione notari atque exprimi.*

Cap. XX.

Quod cives ſanctorum in vita hujus tempore ſpe beati ſint.

Quamobrem ſummum bonum civitatis Dei, cum ſit æterna pax atque perfecta, non per quam mortales tranſeant naſcendo atque moriendo, ſed in qua immortales maneant nihil adverſi omnino patiendo; quis eſt, qui illam vitam vel beatiſſimam neget, vel in ejus comparatione iſtam, quæ hic agitur, quantuslibet animi & corporis externarumque rerum bonis plena ſit, non miſerrimam

judicet?

judicet? Quam tamen quicunque ſic habet, ut ejus uſum referat ad illius finem, quam diligit ardentiſſimè, ac fideliſſime ſperat: non abſurdè dici etiam nunc beatus poteſt, ſpe illa potius, quàm re iſta. Res verò iſta ſine ſpe illa, beatitudo, falſa & magna miſeria eſt. Non enim veris animi bonis utitur: quoniam non eſt vera ſapientia, quæ intentionem ſuam in his, quæ prudenter diſcernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, juſteque diſtribuit: non in illum dirigit finem, a ubi *erit Deus omnia in omnibus*, æternitate certa & pace perfecta. 1. Cor. 15.

a Ubi erit Deus omnia in omnibus.] *1. Corinth. 15 quæ phraſis non abſimilis illi, quâ utitur Herod. lib. 3.* πάντα ἦν ἐν τοῖσι Βαβυλωνίοισι Ζώπυρος, omnia Babylonis ipſis erat Zopyrus, *quod omnia ex illius arbitrio & authoritate omninò penderent. Hieronymus epiſt. 147. ad Amandum ita interpretatur*; quod Deus ac Salvator noſter nunc non eſt omnia in omnibus, ſed pars in ſingulis. verbi gratia in Salomone ſapientia, in David bonitas, in Iob patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees & Paulo zelus, in Joanne virginitas, in cæteris cætera: Cum autem finis omnium rerum advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut ſinguli ſanctorum omnes virtutes habeant, ut ſit Chriſtus totus in cunctis: *Alii his verbis omnimodam peccati ſublationem ſignificari ajunt*, cum enim peccatum non fuerit, tunc Deus erit omnia in omnibus, quando non amplius motibus & affectibus ſuccubuerimus, ita ut nihil omninò Dei vel parum in nobis feramus, ſed toti Dei ſimiles, totius & ſolius Dei capaces erimus; omnia tum nobis Deus erit & cibus & potus & cogitatio & indumentum & motus. F. L. Coq.

Cap. XXI.

An ſecundùm definitiones Scipionis, quæ in Dialogo Ciceronis ſunt, unquam fuerit Romana Reſpublica.

QUapropter nunc eſt locus, ut quam potero breviter ac dilucidè expediam, quod in ſecundo hujus Operis libro me demonſtraturum eſſe promiſi: ſecundùm definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de Republica, nunquam rempublicam fuiſſe Romanam. Breviter enim rempublicam definit eſſe rem populi. Quæ definitio, ſi vera eſt, nunquam fuit Romana reſpublica: quia nunquam fuit res populi: quam definitionem voluit eſſe reipublicæ. Populum enim eſſe definivit cœtum multitudinis, juris conſenſu & utilitatis communione ſociatum. Quid autem dicat juris conſenſum, diſputando explicat: per hoc oſtendens geri ſine juſtitia non poſſe rempublicam: ubi ergò juſtitia vera non eſt, nec jus poteſt eſſe. Quod enim jure fit, profectò juſtè fit. Quod autem fit injuſtè, nec jure fieri poteſt. a Non enim jura dicenda ſunt vel putanda iniqua hominum conſtituta: a cum illud etiam ipſi β jus eſſe dicant, quod de juſtitiæ fonte manaverit: falſumque eſſe, quod à quibusdam non rectè ſentientibus dici ſolet: b γ id eſſe jus, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt. Quocirca ubi non eſt vera juſtitia, juris conſenſu ſociatus cœtus hominum non poteſt eſſe, δ & ideò nec populus: juxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionem.

Et ſi non populus, nec res populi: ſed qualiſcunque multitudinis, quæ populi nomine digna non eſt: ac per hoc, ſi respub. res populi eſt, & populus non eſt, qui conſenſu non ſociatus eſt juris, non eſt autem jus, ubi nulla juſtitia eſt: procul *Juſtitia.* dubio colligitur, ubi juſtitia non eſt, non eſſe rempublicam. ε Juſtitia porrò ea virtus, quæ ſua cuique diſtribuit. ζ Quæ igitur juſtitia eſt hominis, quæ ipſum hominem Deo vero tollit, & immundis dæmonibus ſubdit? Hoccine eſt ſua cuique diſtribuere? An qui fundum aufert eius, à quo emptus eſt, & tradit ei, qui nihil in eo habet juris, injuſtus eſt. & qui ſeipſum aufert dominanti Deo, à quo factus eſt, & malignis ſervit ſpiritibus, juſtus eſt? Diſputatur certè acerrimè atque fortiſſimè in eisdem ipſis de Republ. libris adverſus injuſtitiam pro juſtitia. Et quoniam cum prius ageretur pro injuſtitiæ partibus contra juſtitiam, & diceretur, η niſi per injuſtitiam rempublicam ſtare augerique non poſſe: hoc veluti validiſſimum poſitum erat, injuſtum eſſe, ut homines hominibus dominantibus ſerviant: quam tamen injuſtitiam niſi ſequatur imperioſa civitas, cujus eſt magna respublica, non eam poſſe provinciis imperare: reſponſum eſt à parte juſtitiæ, ideò juſtum eſſe, quod talibus hominibus ſit utilis ſervitus, & pro utilitate eorum fieri cum rectè fit, id eſt, cum improbis aufertur injuriarum licentia: θ & domiti ſe melius habebunt, quia indomiti deterius ſe habuerunt. Subditumque eſt, ut iſta ratio firmaretur, veluti à natura ſumptum nobile exemplum, atque dictum eſt: Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, cæterisque vitioſis animi partibus? Planè hoc exemplo ſatis edoctum eſt, quibusdam eſſe utilem ſervitutem: & Deo quidem ut ſerviatur, utile eſſe omnibus. Serviens autem Deo animus, rectè imperat corpori, inque ipſo animo ratio Domino Deo ſubdita, rectè imperat libidini vitiisque cæteris. Quapropter ubi homo Deo non ſervit, quod in eo putandum eſt, eſſe juſtitiæ: quandoquidem Deo non ſerviens, nullo modo poteſt juſtè animus corpori, aut humana ratio vitiis cæteris imperare? Et ſi in homine tali non eſt ulla juſtitia, procul dubio nec in hominum cœtu, qui ex hominibus talibus conſtat. Non eſt hic ergo juris ille conſenſus, qui hominum multitudinem populum facit, cujus res dicitur, eſſe respublica. Nam de utilitate quid dicam, cujus etiam communione ſociatus cœtus hominum, ſicut ſe habet iſta definitio, populus nuncupatur? Quamvis enim, ſi diligenter attendas, nec utilitas ſit ulla viventium, qui vivunt impiè: ſicut vivit omnis, qui non ſervit Deo, ſervitque dæmonibus, tanto magis impiis, quanto magis ſibi, cum ſint immundiſſimi ſpiritus, tanquam diis ſacrificari volunt: tamen quod de juris conſenſu diximus, ſatis eſſe arbitror, unde appareat, per hanc definitionem non eſſe populum, cujus resp. eſſe dicatur, in quo juſtitia non eſt. Si enim dicunt non ſpiritibus immundis, ſed diis bonis atque ſanctis in ſua republica ſerviſſe Romanos, nunquid eadem toties repetenda ſunt, quæ jam ſatis, imò ultra quàm ſatis eſt, diximus? Quis enim ad hunc locum per ſuperiores hujus Operis libros pervenit, qui dubitare adhuc poſſit, malis & impuris dæmonibus ſerviſſe Romanos, niſi vel nimium ſtolidus, vel impudentiſſimè contentioſus? Sed ut taceam, quales ſint, quos ſacrificiis colebant, in lege veri Dei

ſcriptum

ſcriptum eſt: Sacrificans diis eradicabitur, niſi Deo tantum. Nec bonis igitur, nec malis diis ſacrificari voluit, qui hoc cum tanta comminatione præcepit.

a CUm illud etiam ipſi jus eſſe dicant.] *Cic. in 1. De leg. jus & legem non populorum juſſis, nec principum decretis, nec ſententiis conſtitui judicum ait, ſed naturæ norma. Et in ſecundo: Hanc igitur video, inquit, ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neq; hominum ingeniis excogitatam: nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret imperandi prohibendiq; ſapientia. Ita principem legem illam ultimam mentem eſſe dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei. Sic ille ex Platone ſuo. Quam Stoici ſententiam ſecuti ſunt contra Epicurum, qui nihil juſtum dixit eſſe natura, ſed metu. De quo Seneca libro Epiſt. 16. Hanc divinam legem, quæ non libris inſcripta, nec in æs inciſa, ſed pectoribus noſtris eſt à natura indita, æquum ac bonum à jureconſultis dicitur. Idcirco jus ab Ulpiano finitur, ars æqui & boni: ut hi demum ſint jurisperiti, qui hujus æquitatis ac naturæ legis tractandæ ſunt gnari: quique, ut de Sulpitio dicit Cicero, ad æquitatem facilitatemq; omnia referunt, & tollere controverſias malunt, quàm conſtituere: ut pax illa & inter homines, & in uniuscujusq; ſervetur animo: qua nil magis natura ipſa gaudet. Et plane in hunc uſum paratos olim apud innocentius illud ſeculum prius juriſconſultos arbitror, ut lites quam citiſſime prudentia ſua dirimerent, ac finirent. Id quod puer pene audiſſe me de Henrico Marco avunculo meo memini, cum acutiſſimus ille jurisperitus Juſtiniani Cæſaris Inſtitutiones in patria mihi prælegeret. Et his paucis diebus de hac ipſa re multa plerunque diſſeruimus ego & Franciſcus Carneveldius, juris & juſtitiæ conſultiſſimus, cum fraudes, dolos, verſutias hujus ſeculi per profeſſores juris æquitatisq; excitatas & altas eſſe, ſapientiſſime deploraret, homo incredibili ingenii ac judicii vi, miraque integritate vitæ, & ſuavitate morum tam jucunda, tam leni, ut nihil unquam, etiamſi multos cum eo agas annos, invenias vel aſperi, vel acerbi, vel quod ulla te prorſus ex parte offendat, & avertat. Aderantq; interdum M. Laurinus, decanus S. Donatiani Brugenſis, cui ſimiles amicos ſi literæ haberent plerosq;, felicius certe cum illis ageretur: & Joannes Fevinus ex eodem D. Donatiani collegio, juvenis pectore & in primis cordato, & ad Muſas earumque ſtudioſos omnes amandos à natura factus, ſtudio educatus atq; appoſitus.*

L. Vives. Jus. Henricus Marcus. Franciſcus Craneveldius. Marcus Laurinus. Joannes Fevinus.

b Id eſſe jus quod ei qui plus poteſt utile.] *Sic juſtum finivit Thraſymachus apud Platonem in 1. De rep. quam Socrates definitionem refutat, & haud dubie tale eſt maxima ex parte jus, quo nunc in civitatibus utimur.*

a NOn enim jura dicenda ſunt, vel putanda iniqua hominum conſtituta.] F.L.C. *Atque ita lib. 1. de liber. arbitr. cap. 5. legem aſſerit non eſſe, quæ injuſta ſit. Præclarè Cicero lib. 1. de legibus:* Stultiſſimum eſt exiſtimare omnia juſta eſſe, quæ ſcita ſunt in populorum inſtitutis aut legibus. Etiamne ſi quæ ſint Tyrannorum leges, ſi triginta illi Athenis leges imponere voluiſſent, aut ſi omnes Athenienſes delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hæ leges juſtæ haberentur? Nihilo credo magis illa, quam interrex noſter tulit, ut Dictator quem vellet civium indicta cauſa impune poſſet occidere. *ibidem.* Quod ſi populorum juſſis, ſi principum decretis, ſi ſententiis judicum jura

conſtituerentur, jus eſſet latrocinari, jus adulterare, jus teſtamenta falſa ſupponere, ſi hic ſuffragiis aut ſcitis multitudinis probarentur. *Docet ergo, jura non eſſe exiſtimanda ex hominum opinione, vel ſuffragiis, ſed ex natura ipſa, cui conſentanea eſſe debent, ut jura humana, vel leges humanæ tum demum juſtæ cenſeantur, ſi à naturali illa lege deriventur.* Nos *(inquit)* legem bonam à mala nulla alia niſi naturali norma dividere poſſumus; nec ſolum jus & injuria à natura dijudicatur, ſed omnino omnia honeſta ac turpia. *De hoc etiam Plato in Minoe, Epictetus apud Stobæum ſermo 143.* Νόμοι ἀληθέστατοι, οἱ δικαιότατοι.

β Jus eſſe dicant; quod de juſtitiæ fonte manaverit.] *Jus enim dictum eſt quaſi juſtum, & eſt id quod per juſtitiam conſtituitur. 5. Ethic. definit Ariſtoteles juſtitiam per juſtum,* Quod ſit habitus, quo juſtum volumus & juſtum operamur.

γ Id eſſe jus, quod ei, qui plus poteſt utile eſt] *Ita Thraſymachus apud Platonem lib. 1. de repub. juſtum definit.* τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον, quod potentiori utile eſt; *quam definitionem ibi multis, & meritò quidem Socrates refellit. Nec enim Princeps aut magiſtratus in ferendis legibus, quæ ſunt norma juſtitiæ, tam ſuam quàm communem omnium utilitatem ſpectare debet.*

δ Et ideo nec populus.] *Non enim dicitur populus quævis multitudo vaga, aut nullo jure, nullis legibus coercita, verùm multitudo ipſa juris conſenſu & communi concordia ſociata.*

ε Juſtitia eſt ea virtus, quæ cuique ſua diſtribuit.] *Ita Cicero lib. 3. de Finibus;* Cum ita copulatæ connexæque ſint virtutes, ut omnes omnium participes ſint, nec alia ab ab alia ſeparari poſſit, tamen proprium ſuum cujusque munus eſt, ut fortitudo in laboribus periculisque cernatur, temperantia in prætermittendis voluptatibus, prudentia in delectu bonorum & malorum, juſtitia in ſuo cuique tribuendo. *Item etiam docet Ariſtoteles lib. 5. Ethic.*

ζ Quæ igitur juſtitia eſt hominis, quæ ipſum hominem Deo vero tollit.] *Ita Lactantius lib. 3. cap. 9.* Quid juſtitia niſi pietas? pietas autem nihil aliud eſt, quam Dei parentis agnitio. *Recte etiam Plato Juſtitiæ ipſius duas partes ſtatuit,* τὸ εὐσεβὲς *ſive* ὅσιον *&* τὸ περὶ τὴν ἀνθρώπων θεραπείαν, *atq; ex ſententia non modo Auguſtini, ſed & veterum philoſophorum hæc conſequenter ſe habere videntur, religio, juſtitia, reſpublica, ut reſpublica ſine juſtitia nullo modo conſiſtere poſſit, nec juſtitia ſine religione adeoq; ubi vera reſpublica, ibi vera juſtitia, ibi religio, ubi falſa religio ſublata unius Dei notitia, falſa etiam juſtitia & reſpublica. Platonis verba ſunt in Euthyphrone.* Τοῦτο τοίνυν ἔμοιγε δοκεῖ ὦ Σώκρατες τὸ μέρος τοῦ δικαίου εἶναι εὐσεβές τε καὶ ὅσιον τὸ περὶ τὴν τῶν θεῶν θεραπείαν· τὸ δὲ περὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων τὸ λοιπὸν εἶναι τοῦ δικαίου μέρος. *Et Lactantius lib. 5. cap. 15. non fuiſſe cognitam juſtitiam philoſophis diſſerit.* Quia tum nullis in terris fuit, ut quid eſſet aut qualis à Philoſophis cerneretur. *& ibidem apud Romanos contendit nullam veram juſtitiam fuiſſe, apud quos non fuit vera Dei religio: & ibidem.* Si juſtitiæ defenſionem vel Plato ipſe vel quilibet alius implere voluiſſet, inprimis religiones deorum evertere debuit, quia contrariæ ſunt pietati. *Cicero lib. 3. offic.* Sed nos veri juris germanæque juſtitiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus, umbra & imaginibus utimur, easque ipſas utinam ſequeremur.

η Niſi

η Niſi per injuſtitiam rempublicam ſtare augerique non poſſe. *Juxta illud Lucani 8.*

Sceptrorum vis tota perit, ſi pendere juſta
Incipit. ——

Quod falſum & impium, & illud Erophanis in Thucydide lib. 6. Ἀνδρὶ δὲ τυράννῳ ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ οὐδὲν ἄλογον ὅτι συμφέρει. *Et hanc quidem rationem ſequuntur utplurimum homines politici, & qui principibus etiam adulantur, ut ad juſtum minime oculos convertant, verùm omnia juſta putent, quæ ad augendas ditiones ſuas & imperia ſpectare videntur, apud quos nulla juris & æqui ratio, qui illud ſibi cum Cæſare unum proponunt,*

Si violandum eſt jus, regnandi gratia violandum.

De quo Cicero lib 1. Offic. Jura omnia divina & humana pervertit propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat principatum. *Ibidem,* Maxime adducuntur plerique, ut eos juſtitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriæve cupiditaté inciderint. Sapientiſſimè Socrates, *ut ſcribit Theodoretus ſerm. 11. θεραπευ].* Impios & ſceleſtos vocabat, qui utilitatem à juſtitia ipſa ſejungerent, opinatus in ſola juſtitia ac probitate repoſitam eſſe utilitatem.

ϑ Et domiti ſe melius habebunt.] *Sic utile fuiſſe multis gentibus à Romanis debellari, teſtatur Strabo:* Romani multas gentes antea feras ob montes, aut locorum naturam aſperam aut ob frigus aliamve cauſſam ſub imperium aſſumentes eas ipſas ex disjunctis & inſociabilibus commerciis una junxerunt, & pro agreſti vita civilem agere docuerunt. *Ita de Alexandro Plutarchus ſcribit, utile fuiſſe multis gentibus in illius venire poteſtatem.*

CAP. XXII.

An verus ſit Deus, cui Chriſtiani ſerviunt, cui ſoli debeat ſacrificari.

SEd reſponderi poteſt: Quis iſte Deus eſt, aut unde dignus probatur, cui deberent obtemperare Romani, ut nullum deorum præter ipſum colerent ſacrificiis? Magnæ cœcitatis eſt, adhuc quærere, quis iſte ſit Deus. Ipſe eſt Deus, cujus Prophetæ prædixerunt iſta, quæ cernimus. Ipſe eſt Deus, à quo reſponſum accepit Abraham: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Quod in Chriſto fieri, qui ſecundùm carnem de illo ſemine exortus eſt, iidem ipſi, qui remanſerunt hujus nominis inimici velint nolintve, cognoſcunt. Ipſe eſt Deus, cujus divinus Spiritus per eos locutus eſt: quorum prædicta atque completa per Eccleſiam, quam videmus toto orbe diffuſam, in Libris ſuperioribus poſui. Ipſe eſt Deus, α quem Varro doctiſſimus Romanorum Jovem putat, quamvis neſciens quid loquatur. Quod tamen ideò commemorandum putavi, quoniam vir tantæ ſcientiæ nec nullum iſtum Deum potuit exiſtimare, nec vilem. Hunc enim eum eſſe credidit, quem ſummum putavit Deum. Poſtremo ipſe eſt Deus, β quem doctiſſimus Philoſophorum, quamvis Chriſtianorum acerrimus inimicus, etiam γ per eorum oracula, quos Deos putat, Deum magnum Porphyrius confitetur.

Gen. 22.

α QUem Varro doctiſſimus Romanorum Jovem putat.] *Idem ſcribit lib. 1. de conſenſu Evang. cap. 22.* Varro, quo doctiorem apud ſe neminem inveni- *1.L.cap.*

 unt,

unt, Deum Judæorum Jovem eſſe putavit, nihil intereſſe cenſens, quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligatur, credo illius ſummitate deterritus. Nam quia nihil ſuperius ſolent Romani colere quàm Jovem, quod capitolium eorum ſatis, aperteque teſtatur, eumque regem omnium deorum arbitrantur, cum animadverteret, Judæos ſummum Deum colere, nihil aliud potuit ſuſpicari. *De Deo Judæorum varia fuerunt Gentilium opiniones; alii Saturnum eum exiſtimaverunt, ut ibidem teſtatur Auguſtinus, fortaſſe propter Sabbathi ſanctificationem, quia iſti eum diem Saturno tribuerunt, & ut ſcribit cap. 30.* Lucanus incertum Deum dixit, cujus tam magna documenta ſentiebat.

β Quem doctiſſimus philoſophorum quamvis Chriſtianorum acerrimus inimicus.] *Porphyrium intelligit, qui multos libros contra Chriſtianos compoſuit, quos ut author eſt Nicephorus lib. 10. cap. 36. Euſebius Pamphili refutavit, ubi & Chriſtianum eum aliquando fuiſſe & Chriſtianiſmum abjuraſſe ſcribit, quod à quibusdam Chriſtianis Cæſareæ verberibus affectus eam injuriam ferre non potuerit, & odio eorum, qui plagis illum affecerant, ad Chriſtianorum literas impiè conviciis proſcindendas eſt progreſſus. Socrates l. 3. c. 19. De eo ita Theodoretus ſerm. 10. θεραπευ].* ἀποσδος ἡμῶν οὗτος ὁ πολέμιος τὴν περιφανῆ καὶ μετ' δυσσεβείας ἀναδεξάμενος μάχην.

γ Per eorum oracula, quos Deus putat.] *Multa à Porphyrio collecta hujusmodi oracula habes apud Euſebium lib. 5. de præpar. & apud Theodoretum ſerm. 10. θεραπευ]. quibus & ſuam imbecillitatem & Chriſti virtutem etiam nonunquam Dæmones ipſi fatentur vel inviti, quod vel ex ipſius Popbyrii verbis oſtendit Euſebius lib. citato cap. 1.*

Cap. XXIII.

Quæ Porphyrius dicat oraculis deorum reſponſa de Chriſto.

NAm α in libris, quos θεολογίας φιλοσοφίας appellat, in quibus exequitur atque conſcribit rerum ad Philoſophiam pertinentium velut divina reſponſa, ut ipſa verba ejus, quemadmodum ex lingua Græca in Latinam interpretata ſunt, ponam: Interroganti, inquit, quem Deum placando revocare poſſit uxorem ſuam à Chriſtianiſmo, hæc ait verſibus Apollo. Deinde verba velut Apollinis iſta ſunt: *Forte magis poteris in aqua impreſſis literis ſcribere, aut inflans pennas leves per aera ut avis volare, β quam ſemel polluta revoces impiæ uxoris ſenſum.* Pergat quomodo vult inanibus fallaciis perſeverans, & lamentationibus fallaciſſimis mortuum Deum cantans, quem judicibus recta ſentientibus perditum, peſſima in ſpecioſis ferro juncta mors interfecit: Deinde poſt hos verſus Apollinis, qui non ſtante metro Latinè interpretati ſunt, ſubjunxit atque ait: *In his quidem tergiverſationem irremediabilis ſententiæ eorum manifeſtavit, dicens: Quoniam Judæi ſuſcipiunt Deum magis quàm iſti.* Ecce ubi decolorans Chriſtum, Judæos præpoſuit Chriſtianis: confitens, quòd Judæi ſuſcipiant Deum. Sic enim expoſuit verſus Apollinis, ubi à judicibus recta ſentientibus Chriſtum dicit occiſum, tanquam illis juſtè judicantibus, meritò ſit ille punitus. Viderit quid de Chriſto vates mendax Apollinis dixerit, atque iſte crediderit: aut fortaſſe

taſſe vatem, quod non dixit, dixiſſe iſte ipſe confinxerit: quam verò ſibi conſtet, vel ipſa oracula inter ſe faciat convenire, poſtea videbimus. Hic tamen Judæos tanquam Dei ſuſceptores rectè dicit judicaſſe de Chriſto, quod eum morte peſſima excruciandum eſſe cenſuerint. Deus itaque Judæorum, cui perhibet teſtimonium, audiendus fuit, dicens: *Sacrificans diis eradicabitur, niſi Deo tantum.* Sed ad manifeſtiora veniamus, & audiamus, quàm magnum Deum dicat eſſe Judæorum. Item ad ea, quæ interrogavit Apollinem, quid melius *b* verbum ſive ratio, an lex: Reſpondit, inquit verſibus, hæc dicens. Ac deinde ſubjicit Apollinis verſus, in quibus & iſti ſunt, ut quantum ſatis eſt, inde decerpam: *In Deum verò*, inquit, *regem generatorem, & regem ante omnia: quem tremit cœlum & terram atque mare, & infernorum abdita, & ipſa numina perhorreſcunt. γ quorum lex eſt pater, δ quem valdè ſancti honorant Hebræi.* Tali oraculo Dei ſui Apollinis Porphyrius tam magnum Deum dixit eſſe Hebræorum, ut eum & ipſa numina perhorreſcant. Cum ergò Deus iſte dixerit: Sacrificans diis eradicabitur, miror, quod ipſe Porphyrius non perhorruerit, & ſacrificans diis eradicari non formidaverit. Dicit etiam bona Philoſophus iſte de Chriſto, quaſi oblitus illius de qua paulo ante locuti ſumus, contumeliæ ſuæ: aut quaſi in ſomnis dii ejus maledixerint Chriſto, & evigilantes eum bonum eſſe cognoverint, digneque laudaverint. Denique tanquam mirabile aliquid atque incredibile prolaturus, ε *Præter opinionem*, inquit, *profectò quibuſdam videatur eſſe quod dicturi ſumus. Chriſtum enim dii piiſſimum pronunciaverunt, & immortalem factum, & cum bona prædicatione ejus meminerunt.* ζ *Chriſtianos autem pollutos*, inquit, *& contaminatos, & errore implicatos eſſe dicunt: & multis talibus adverſus eos blaſphemiis utuntur.* Deinde ſubjicit, velut deorum oracula blaſphemantium Chriſtianos. Et poſt hæc: *De Chriſto autem*, inquit, *interrogantibus ſi eſt Deus, ait Hecate: Quoniam quidem immortalis anima poſt corpus, ut incedit, noſti: à ſapientia autem abſciſa ſemper errat, viri pietate præſtantiſſimi eſt illa anima, hanc colunt † aliena à ſe veritate.* Deinde poſt verba hujus quaſi oraculi ſua ipſe contexens: *Piiſſimum igitur virum*, inquit, *eum dixit, & ejus animam, ſicut & aliorum piorum, poſt obitum immortalitate donatam, & hanc colere Chriſtianos errantes. Interrogantibus autem*, inquit: *Cur ergò damnatus eſt: oraculo reſpondit dea: Corpus quidem debilitantibus tormentis ſemper oppoſitum eſt: anima autem piorum cœleſti ſedi inſidet. Illa verò anima aliis animabus fataliter dedit, quibus fata non annuerunt deorum obtinere dona, neque habere Jovis immortalis agnitionem errore implicari.* Propterea ergo diis exoſi: quia quibus fato non fuit noſſe Deum, nec dona à diis accipere, his fataliter dedit iſte errore implicari. Ipſe verò pius, & in cœlum ſicut pii conceſſit. Itaque hunc quidem non blaſphemabis, *c* miſeraberis autem hominum dementiam, ex eo in eis facile præcepsque periculum. Quis ita ſtultus eſt, ut non intelligat aut ab homine callido, eoque Chriſtianis inimiciſſimo η hæc oracula fuiſſe conficta, aut conſilio ſimili ab impuris dæmonibus iſta fuiſſe reſponſa, ut ſcilicet quoniam laudant Chriſtum, propterea credantur veraciter vituperare Chriſtianos: atque ita, ſi poſſint, θ intercludant viam ſalu-

[Margin: al. allenis à veritate.]

[Margin: Aſtutiæ diabolicæ mira.]

ciat affectionem ad ipſum operando. Benè quidem prædicavit Deum Patrem, & quibus ſit colendus moribus dixit. Quibus præceptis Prophetici libri pleni ſunt Hebræorum, λ quando ſanctorum vita ſ ſive vituperatur, ſive laudatur. Sed in Chriſtianis tantum errat, aut tantum calumniatur, quantum volunt dæmones, quos opinatur deos, quaſi cuiquam difficile ſit recolere, quæ turpia, quæ dedecora erga deorum obſequium in theatris agebantur & templis: & attendere quæ legantur, dicantur, audiantur in eccleſiis, vel Deo vero quid offeratur: & hinc intelligere, ubi ædificium, & ubi ruina ſit morum. Quis autem huic dixit vel inſpiravit, niſi diabolicus ſpiritus tam vanum apertumque mendacium, quod dæmones ab Hebræis coli prohibitos revereantur potius quàm oderint Chriſtiani? Sed Deus ille, quem coluerunt ſapientes Hebræorum, etiam cœleſtibus ſanctis Angelis & virtutibus Dei, quos beatiſſimos tanquam cives in hac noſtra peregrinatione mortali veneramur & amamus, ſacrificari vetat, intonans in lege ſua, quam dedit populo ſuo Hebræo, & valdè minaciter dicens: *Sacrificans diis eradicabitur.* Et ne quiſquam putaret, dæmonibus peſſimis, terreniſque ſpiritibus, quos iſte dicit minimos vel minores, ne ſacrificetur, eſſe præceptum: g quia & ipſi in Scripturis ſanctis dicti ſunt dii, non Hebræorum, ſed gentium. Quod evidenter in Pſalmo, LXX. interpretes poſuerunt, dicentes: *Quoniam omnes dii gentium dæmonia.* Ne quis ergò putaret, iſtis quidem dæmoniis prohibitum eſſe, cœleſtibus autem vel omnibus, vel aliquibus ſacrificari eſſe permiſſum, mox addidit: Niſi Domino ſoli, id eſt, niſi Domino tantum: ne fortè in eo, quod dicit, niſi Domino ſoli, Dominum ſolem credat eſſe quiſpiam, cui ſacrificandum putet. Quod non ita eſſe intelligendum, h u in ſcripturis Græcis facillimè reperitur. Deus igitur Hebræorum, cui tam magnum tantus etiam iſte Philoſophus perhibet teſtimonium, legem dedit Hebræo populo ſuo, Hebræo ſermone conſcriptam, non obſcuram & incognitam, ſed omnibus jam gentibus diffamatam, in qua lege ſcriptum eſt: *Sacrificans diis eradicabitur, niſi Domino tantum.* Quid opus eſt in hac ejus lege, ejusque prophetis de hac re multa perquirere: imo non perquirere, non enim abſtruſa vel rara ſunt, ſed aperta & crebra colligere, & in hac diſputatione mea ponere: quibus luce clarius appareat, nulli omninò niſi tantùm ſibi, Deum verum & ſummum voluiſſe ſacrificari. Ecce hoc unum breviter, imò granditer, minaciter, ſed veraciter dictum ab illo deo, quem tam excellenter eorum doctiſſimi prædicant, audiatur, timeatur, impleatur, ne inobedientes eradicatio conſequatur. *Sacrificans*, inquit, *diis eradicabitur, niſi Domino tantum:* non quo rei egeat alicujus, i ſed quia nobis expedit, ut res ejus ſimus. Hinc enim canitur in ſacris literis Hebræorum: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Hujus autem o præclariſſimum atque optimum ſacrificium nos ipſi ſumus. Hoc eſt civitas ejus, cujus rei myſterium celebramus & oblationibus noſtris, quæ fidelibus notæ ſunt, ſicut in Libris præcedentibus diſputavimus. Ceſſaturas enim victimas, quas in umbra futuri offerebant Judæi: & unum ſacrificium gentes à ſolis ortu uſque ad occaſum, ſicut jam fieri cernimus oblaturas, per Prophetas Hebræos oracula increPſal. 95.

Pſal. 15.

cre-

crepuêre divina. Ex quibus quantum ſatis viſum eſt, nonnulla protulimus, & huic jam operi aſperſimus. Quapropter ubi non eſt iſta juſtitia, ut ſecundùm ſuam gratiam civitati obedienti Deus imperet unus & ſummus, ne cuiquam ſacrificet, niſi tantum ſibi: & per hoc in omnibus hominibus ad eandem civitatem pertinentibus atque obedientibus Deo, animus etiam corpori atque ratio vitiis ordine legitimo fideliter imperet: ut quemadmodum juſtus unus, ita cœtus populusque juſtorum vivat ex fide, *k* quæ operatur per dilectionem, qua homo diligit Deum, ſicut diligendus eſt Deus, & proximum ſicut ſeipſum. Ubi ergo non eſt iſta juſtitia, profecto non eſt cœtus hominum juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatus. Quod ſi non eſt, utique populus non eſt: ſi vera eſt hæc populi definitio. Ergo nec reſpublica: quia res populi non eſt, ubi ipſe populus non eſt.

L. Vives. *a* NAm in libris quos θεολογίων φιλοσοφίας.] *Hoc eſt, de philoſophia reſponſorum à diis: in quo opere oracula Apollinis ponit, & cæterorum deorum, ex quis citavimus nonnulla.*

b Verbum ſive ratio.] *Utrumq; eſt* λόγος.

c Miraberis autem hominum dementiam.] *In antiquis habetur, Miſeraberis: ut viliores & contemptiores faceret.*

Photinianus. *d* Sed Photinianus hæreticus.] *Hic damnatus eſt in Concilio Syrmico, ut Caſſiodorus in Tripartita narrat hiſtoria, convictusq; à Sabino pontifice Ancyrenſi, Secutus eſt dogma Samoſateni hæretici, ita ut quidam eandem eſſe hæreſim exiſtiment & tradant.*

e Inquiſitio enim purgat.] *Eſt enim inquiſitio, quæ ſpectat ad luſtrationem animi, qua ipſe purgatur tenebris & obſcuritate: & poſtquam invenerit ac cognoverit Deum, ſtudet eum imitari, fierique ſimilis ejus, hoc eſt, planè Deus.*

f Sive vituperatur, ſive.] *In Brugenſi & Colonienſi libris non vituperatur legitur, ſed Imperatur, integriore ſenſu: nec ullus erit, ſi dicas vituperatur. Prophetæ enim ſanctorum vitam non vituperant, ſed aut ſanctè vivere hortantur & jubent, aut ſanctè viventes commendant, & laudibus evehunt.*

Dii. *g* Et ipſi in ſcripturis ſanctis dicti ſunt dii.] *Origenes in Cantica: Deus nomen principaliter in eo eſt, ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia: quod à parte virtutem & naturam trinæ ſingularitatis denunciat. Secundo verò in loco, & ut ita dixerim abuſive, deos dicit Scriptura etiam illos, ad quos ſermo fit, ſicut confirmat Salvator in Evangeliis. Sed & cœleſtes virtutes ſub hoc nomine appellari videtur,*
Pſal. 81. *dum dicitur: Deus ſtetit in ſynagoga deorum: in medio autem deos dijudicat. Tertio vero in loco jam non abuſive, ſed falſo dii gentium dæmones appellantur, cum dicitur: Omnes dii gentium dæmonia. Tantum Origenes. Auguſtinus in hoc pſalmo XCV evidenter Septuaginta interpretes poſuiſſe dicit: Omnes dii gentium dæmonia.* ὅτι πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια. *Nam in Hebræo in Pſ. 96. hoc enim numero apud eos legitur, Hieronymus vertit: Omnes dii populorum ſculptilia.*

h In ſcripturis Græcis facillime.] εἰ μὴ τῷ κυρίῳ μόνῳ. *Neq; id inepte Auguſtinus addit: nam pleriq; populi ſolem tantùm pro Deo colebant, & multi philoſophorum*

rum hunc unicum Deum arbitrati ſunt, ac cæterorum deorum virtutes in hunc retulerunt, ut docet Macrobius.

i Sed quia nobis expedit.] *Nihil nos Deo damus, cum recte vivimus: neq́; ipſe major aut beatior fit, ſed bene nobiſcum agitur: ita non nobis debetur gratia, quod boni ſumus: ſed eam nos potius Deo debemus, cujus beneficio ſumus boni.*

k Quæ operatur per dilectionem.] *Caret actione ac motu ſuo, & velut vita, cum in opera charitas non exit, jacet, languet, mortua eſt.*

α IN libris, quos θεολογίων φιλοσοφίας.] *Recte conjicit Theodorus Canterus variar. lect. lib. 2. cap. 4. pro θεολογίων legendum ἐκλογίων φιλοσοφίας, cum ii libri Porphyrii ſæpe citentur ab Euſebio, Theodoreto, & aliis.* F.L.Cap.

β Quam ſemel pollutæ revocas.] *Nihil enim magicas artes, nihil Dæmones poſſe in eos, qui fide ſolidati ſunt, fatetur vel ipſe Dæmon, quod docet etiam Lactantius lib. 2. cap. 16. quod & conſtat ex hiſtoria Cypriani magi, & Juſtinæ Chriſtianæ virginis, hujus inter cæteros meminit D. Gregorius Nazianzenus orat. in Cyprianum, ubi tamen male confundit Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum cum hoc Cypriano, cum nihil habeant commune præter nomen & martyrium.*

γ In Deum verò inquit regem gubernatorem.] *Citantur hi verſus Græce à Lactantio lib. de ira cap. 23.*

Ἠ δ' θεὸν βασιλῆα καὶ γεννητῆρα πρὸ πάντων
Ὃν τρέμεται καὶ γαῖα καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα
Ταρταρεοί τε μυχοὶ καὶ δαίμονες ἐκφρίσσουσιν.

γ Quorum lex eſt pater.] *Ita Pindarus legem vocat πάντων βασιλέα θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, citatur à Platone in Gorgia.*

δ Quem valde ſancti honorant Hebræi.] *Cui affine eſt aliud oraculum, cujus meminit Juſtinus in ſermo. exhortat. ad Gentes. Sciſcitante enim quodam, qui unquam viri religioſi fuiſſent, ita reſponſum ab oraculo.*

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

ε Præter opinionem, *inquit*, profecto quibusdam.] *Hæc verba Porphyrii recitat etiam Euſebius lib. 3. de demonſtrat. Evang. capite nono, quæ Græcè ſic leguntur,* παράδοξον ἴσως δόξειεν ἄν τισιν εἶναι μέλλων γενέσθαι ὑφ' ὑμῶν· τὸν γὰρ Χριστὸν οἱ θεοὶ εὐσεβέστατον ἀπεφήναντο, καὶ ἀθάνατον γεγονότα, εὐφήμως τε αὐτοῦ μνημονεύουσι. καὶ ὑποβὰς ἐπιλέγει. περὶ γοῦν τοῦ Χριστοῦ ἐρωτησάντων εἰ ἔστιν θεὸς φησίν,

Ὅττι μὲν ἀθανάτη ψυχὴ μετὰ σῶμα προβαίνει.
Γινώσκει σοφίῃ τετιμημένος, ἀλλά γε ψυχὴ
Ἀνέρος εὐσεβίῃ προφερεστάτη ἐστὶν ἐκείνου.

Εὐσεβέστατον ἄρα ἔφη αὐτὸν καὶ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ καθάπερ καὶ τῶν ἄλλων μετὰ θάνατον ἀποθανατισθῆναι, ἣν σέβειν ἀγνοοῦντας τοὺς χριστιανούς· ἐπερωτησάντων δὲ διὰ τί ἐκολάσθη, ἔχρησεν.

Σῶμα μὲν ἀδρανέσιν βασάνοις αἰεὶ προβέβληται.
Ψυχὴ δ' εὐσεβέων εἰς οὐράνιον πέδον ἵζει.

Καὶ ἐπιλέγει μετὰ τὸν χρησμὸν ἑξῆς. αὐτὸς οὖν εὐσεβὴς καὶ εἰς οὐρανοὺς ὥσπερ οἱ εὐσεβεῖς χωρήσας, ὥστε τοῦτον μὲν οὐ βλασφημήσεις, τῶν δ' ἀνθρώπων τὴν ἄνοιαν.

ζ Chriſtianos autem pollutos & contaminatos.] *Ipſi tamen dæmones & Chriſtianis aliquando vel inviti teſtimonium reddidere. Apud Euſebium libro ſecundo de Vit. Conſtant. capite quadrigeſimo nono, Apollinem ex antro quodam & tenebricoſo receſſu, non ex ſacerdotis ore hoc oraculum edidiſſe ferunt; Juſtos, qui in terris verſabantur, ipſi impedimento fuiſſe, quò minus vera loqueretur, & propterea falſa oracula ex tripode edita fuiſſe.*

η Hæc oracula fuiſſe conficta.] *Gentiles enim ſuis nonnunquam ficta oracula obtrudebant, quibus eos in errore faciliùs continerent. Euſebius libro quarto de Præparat. Evangel. capite primo in univerſum de oraculis.* ταῦτα δή τις *(inquit)* καὶ πλείω τούτων ἔτι συνάγων. εἴποι ἂν μὴ θεοὺς εἶναι μηδὲ μὴν δαίμονας τοὺς τῶν κατὰ πόλεις χρηστηρίων αἰτίους, πλάνην δὲ καὶ ἀπάτην ἀνδρῶν γοήτων. *Extat jusjurandum Porphyrii apud Theodoretum ſermo. 10.* θεραπ. λόγ. τοὺς θεοὺς διαμαρτύρομαι ὡς οὐδὲν οὔτε προστέθεικα οὔτ' ἀφεῖλον τῶν χρησθέντων νοημάτων εἰ μή τινα λέξιν ἡμαρτημένην διώρθωσα, ἢ πρὸς τὸ σαφέστερον μεταβέβληκα ἢ τὸ μέτρον ἐλλεῖπον ἀνεπλήρωσα. *ſed eo n. ſit ſuſpectus Porphyrius.*

θ Intercludant viam ſalutis æternæ.] *Quæ non niſi Chriſtianis, id eſt, ex animo Chriſtum laudantibus, illumq́; Deum & hominem palàm ac liberè confitentibus patet.* Omnis enim ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, *id eſt, negat incarnationis Dominicæ ſacramentum,* eſt Antichriſtus,

ι Chriſtianus verus non ſit, ſed Photinianus hæreticus.] *Quo tacitè inſinuat, hæreticos non eſſe veros Chriſtianos, qui abjecta fide Chriſti & Eccleſiæ authoritate falsò ſibi nomen Chriſti uſurpant. Photinianum Auguſtinus vocat Photini ſectatorem, de quo libro hæreſ. 45. qui hæreſim ſecutus eſt Pauli Samoſateni aſſerentis, Chriſtum non ſemper fuiſſe, ſed ejus initium ex quo de Maria natus eſt.* quæ hæreſis, *inquit,* aliquando cujusdam Artemonii fuit, ſed cum defeciſſet, inſtaurata eſt à Paulo, & poſtea ſic à Photino confirmata, ut Photiniani quàm Pauliani celebriùs nominentur. *Cujus & meminit ſerm. 31. de verbis Apoſtoli, eum Photinianum etiam vocat epiſt. 50. de ea etiam hæreſi idem epiſt. 112. capite ſeptimo. In Concilio Sirmiano damnatum teſtatur Socrates libr. 2. capite 24. & Sozomenus libr. 4. cap. 5. & Epiphanius hæreſi 71. & Hilarius lib. 7. de trinit. ubi eum Hebionem vocat, & Nicephorus lib. 9. cap. 31.*

κ Et vituperatores, & laudatores Chriſti.] *Non enim ſpecioſa laus in ore peccatoris Neq́; Chriſtus ipſe paſſus eſt, ſe laudari vel nomen ſuum celebrari à dæmonibus.*

λ Quoniam ſanctorum vita ſive vituperatur, ſive laudatur.] *Notat Vives, in Brugenſi & Colonienſi libro non* vituperatur *legi,* ſed imperatur *integriore, ut vult, ſenſu, nec enim ullum fore ſi legamus* vituperatur. *Immo integer erit ſenſus, nec rejiciendaea lectio. Nec enim adeo eſt quis ſanctus, qui non aliquando à juſtitia & à virtute deflectat, & cujus vita nulli ſit reprehenſioni obnoxia. Nam & David ſanctiſſimus reprehenditur in ſcripturis, & quod adulterium & quod homicidium commiſerit, & ut ſcribit Auguſtinus lib. 1. contra Gaudentium cap. 31.* Non debemus quicquid in ſcripturis etiam Dei teſtimonio laudatos homines feciſſe legimus, conſentiendo approbare, ſed conſiderando diſcernere adhibentes judicium non ſane noſtræ

ſtræ authoritatis, ſed ſcripturarum divinarum atque ſanctarum, quæ nos nec illorum hominum, quibus illic bonum atque præclarum teſtimonium perhibetur, omnia vel imitari vel laudare facta permittit, ſi quæ non rectè ab eis facta ſunt, vel huic jam tempori non conveniunt, *& certa ſcriptura ſacra ſive vituperent ſive laudent, quid nobis faciendum ſit vel cavendum, docent.*

μ In ſcripturis Græcis facile reperitur.] *Ita enim legitur, εἰ μὴ τῷ κυρίῳ μόνῳ.*

ν Præclariſſimum atque optimum ſacrificium ipſi nos ſumus.] *Nimirum ſpirituale, qua ratione Chriſtiani dicuntur myſticè ſacerdotes*, gens ſancta, regale ſacerdotium, reges & ſacerdotes, *Apocalyp. 8. ſeſe offerunt hoſtiam viventem, Deo placentem.*

ξ Oblationibus noſtris, quæ fidelibus notæ ſunt.] *Sacrificium novæ legis intelligit, de quo ita paſſim loquuntur & Patres, ut alibi notavimus.*

CAP. XXIV.

Qua definitione conſtet populi & reipublicæ nuncupatione rectè ſibi non ſolum Romanos, ſed etiam regna alia vendicare.

SI autem populus non iſto, ſed alio definitur modo, velut ſi dicatur: Populus eſt cœtus multitudinis rationalis, rerum quas diligit concordi communione ſociatus: profecto, ut videatur, qualis quisque populus ſit, illa ſunt intuēda, quæ diligit. Quæcunque tamen diligat, ſi cœtus eſt multitudinis, non pecorum, ſed rationalium creaturarum, & eorum, quæ diligit, communione concordi ſociatus eſt, non abſurde populus nuncupatur: tanto utique melior, quanto in melioribus: tantoque deterior, quanto eſt in deterioribus concors. Secundùm iſtam definitionem noſtram Romanus populus, populus eſt: & res ejus ſine dubitatione reſpublica. Quid autem primis temporibus ſuis, quidve ſequentibus populus ille dilexerit, & quibus moribus ad cruentiſſimas ſeditiones, atque inde ad ſocialia, atque civilia bella perveniens α ipſam concordiam, quæ ſalus quodammodo eſt populi, ruperit atque corruperit, teſtatur hiſtoria: de qua in præcedentibus libris multa poſuimus. Nec ideò tamen vel ipſum non eſſe populum, vel ejus rem dixerim non eſſe rempublicam, quamdiu manet qualiscunque multitudinis rationalis cœtus, rerum quas diligit concordi communione ſociatus. Quod autem de iſto populo, & de iſta republica dixi, hoc de Athenienſium, vel quorumcunque Græcorum, β hoc de Ægyptiorum, hoc de illa priore Babylone Aſſyriorum, quando in rebus ſuis publicis imperio vel parva vel magna tenuerunt: & de alia quacunque aliarum gentium intelligar dixiſſe atque ſenſiſſe. Generaliter quippe civitas impiorum, cui non imperat Deus obedienti ſibi, ut ſacrificium non offerat, niſi tantummodo ſibi, & per hoc in illa & animus corpori, ratioque vitiis rectè ac fideliter imperet, caret juſtitiæ veritate. Populus.

α IPſam concordiam, quæ ſalus quodammodo eſt populi.] *Ita Xenophon lib. 4. F. L. Commemor.* Ὁμόνοιά γε μέγιστόν τε ἀγαθὸν δοκεῖ ταῖς πόλεσιν εἶναι· καὶ πλειστάκις ἐν αὐταῖς αἵ τε γερουσίαι καὶ οἱ ἄριστοι ἄνδρες παρα-κελεύονται τοῖς πολίταις ὁμονοεῖν, καὶ πανταχοῦ ἐν τῇ Ἑλλάδι νόμος κεῖται τοὺς πολίτας ὀμνύναι ὁμονοήσειν, καὶ

πανταχοῦ ὀμνύουσιν τὸν ὅρκον τοῦτον. In quo verò illa concordia conſiſtat, ibidem exponit, & Dion Chryſoſtomus orat. 33. & 34.

β Hoc de Athenienſium, vel quorumcumque Græcorum.] *De variis reſpublicis & earum formis ac diverſis legibus Ariſtoteles in libris πολιτ. Xenophon etiam de republica Athenienſium ſcripſit & Lacedæmoniorum. Inter eos vero, etſi aliæ aliis melius adminiſtrarentur ac legibus æquioribus, ab his tamen omnibus affuiſſe longe veram juſtitiam, contendit Auguſtinus, cum apud eas Deo vera religione non obtemperaretur.*

Cap. XXV.

Quod non poſſint ibi veræ eſſe virtutes, ubi non eſt vera religio.

QUamlibet enim videatur animus corpori, & ratio vitiis laudabiliter imperare, ſi tamen Deo animus & ratio ipſa non ſervit, ſicut ſibi ſerviendum eſſe, ipſe Deus præcepit, nullo modo corpori vitiiſque rectè imperat. Nam qualis corporis atque vitiorum poteſt eſſe mens domina, veri Dei neſcia, nec ejus imperio ſubjugata, ſed vitioſiſſimis dæmonibus corrumpentibus proſtituta? Proinde virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiſcendum vel tenendum, *a* niſi ad Deum retulerit, etiam ipſæ vitia ſunt potius quàm virtutes. Nam licet à quibusdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, *a* cum ad ſeipſas referuntur: nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt: & ideò non virtutes, virtutes, ſed vitia judicanda ſunt. Sicut enim non eſt à carne, ſed ſuper carnem, quod carnem facit vivere: ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit beatè vivere: nec ſolum hominem, ſed etiam quamlibet poteſtatem virtutemque cœleſtem.

L. Vives *Virtus propter ſe amanda.*

a CUm ad ſeipſas referuntur.] *Stoici virtutes propter ſe amandas putarunt, ex quorum ſententiis illa ſunt: Virtutem ſeipſa eſſe contentam, ipſamq́; precium eſſe ſibi: & eam unam ſatis eſſe ad benè beateq́; vivendum. Apud Senecam & Ciceronem Stoiciſſantem, quam opinionem videri vult Platonis dogmatis aſtipulari. Cic. 5. De finibus duo genera ponit propter ſe expetendorum. Unum, quod eſt in his, in quibus completur ſummum bonum, quæ ſunt animi aut corporis: alterum eorum, quæ ſunt extrinſecus, id eſt, quæ neque animis inſunt, neque corporibus: ut parentes, liberi, ut propinqui, ut ipſa patria. Sunt illa quidem ſua ſponte chara: ſed eodem in genere, in quo illa unũ ſunt. In ſententiis Theologicis diſputatur, An virtutes propter ſe amandæ ſint. Nam Ambroſius affirmare videtur in Epiſt. ad Galat. Auguſtinus verò 13. de Trinitate negare. Collector ſententiarum & amandas propter ſe ait virtutes, quod poſſeſſores ſui ſancta & ſyncera delectatione delectent, & tamen referendas ad ſempiternam beatitudinem. Verùm ita ſunt virtutes cum præceptis Dei conjunctæ, ut amare illas nemo poſſit, quin ſummo & primo amoris loco Deum habeat. Neque virtutes ſic amabit propter ipſas, quin parentem, auctorem, & magiſtrum earum Deum plus amet. Nam hæ ſemper oculos amantis ſui ad illum attollunt: ita fiet, ut cum ſe virtutes credat habere charas propter ſeipſas, ad illasq́; toto ferri pectore, in finem omnium Deum perveniat. Sed Auguſtinus hoc loco de Gentilibus*

libus loquitur, quibus virtutes, ſi externum pretium peterent, ſordidæ & mercenariæ videbantur: ſin conſcientia acquieſcerent, pulcherrimæ & veræ virtutes. Sed is erat illis primus gradus ad arrogantiam, cum alios præ ſe contemnerent.

a NIſi ad Deum retulerit, etiam ipſæ vitia ſunt.] *Imperpetuo docet Auguſtinus, in infidelibus non fuiſſe veras virtutes, ut quas in Deum ipſum vel æternam etiam vitam non referrent. Ita ſcribit, lib. 14. de Trinit. cap. 1. virtutes ipſas, quibus in hac mortali temporalitate prudenter, fortiter, temperanter & juſte vivitur, niſi ad temporalem fidem, quæ ad æterna perducit, referantur, non eſſe veras virtutes, & lib. 1. de nupt. & concupiſc. aſſerere videtur, veram pudicitiam ſive conjugalem ſive vidualem, ſive virginalem eſſe non poſſe, niſi quæ veræ fidei mancipatur, & quæ in Deum ipſum referatur: & lib. 4. contra Julianum Pelagianum id paſſim tradit. Idem docet D. Thomas 2. 2. q. 23. art. 7. quod ſine charitate, quæ refert omnia in ſummum bonum ſimpliciter quod eſt Deus, non poſſunt eſſe veræ virtutes ſimpliciter ac perfectæ. alibi tamen in Gentilibus has virtutes admiſit D. Thomas: Cajetanus ita diſtinguit, quod ſecundùm Philoſophos quidem morales, qui finem tantum naturalem ſpectant & bonum honeſtum, quo referuntur morales, dici poſſunt ſimpliciter virtutes; verùm ſecundum Theologos, qui finem ſupernaturalem conſiderant, quo non pertingunt, dicendæ ſunt imperfectæ virtutes; & quidem cum eas referat Chriſtianus in finem ſupernaturalem, & in bonum divinum, & earum actionibus apud Deum mereatur, certe in eo perfectiorem longe habebunt virtutis rationem, quàm in infideli. vide Proſperum lib. contra collatorem, cap. 13.* L. Coq.

CAP. XXVI.

De pace populi alienati à Deo, qua utitur ad pietatem populus Dei, dum in hoc peregrinus eſt mundo.

QUocirca ut vita carnis anima eſt, ita beata vita hominis Deus eſt, de quo dicunt ſacræ literæ Hebræorum: a α *Beatus populus, cujus eſt Dominus Deus ipſius.* Miſer igitur populus ab iſto alienatus Deo, diligit tamen ipſe etiam quandam pacem ſuam non improbandam, quam quidem non habebit in fine, quia non ea benè utitur ante finem. Hanc autem ut interim habeat in hac vita, *b* noſtra etiam intereſt: quoniam quamdiu permixtæ ſunt ambæ civitates, utimur & nos pace Babylonis: ex qua ita per fidem Dei populus liberatur, ut apud hanc interim peregrinetur. β Propter quod & Apoſtolus admonuit Eccleſiam, ut oraret pro regibus ejus atque ſublimibus, addens & dicens, *ut quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate c & charitate.* Et Propheta Hierem. cum populo veteri Dei venturam prænunciaret captivitatem, & divinitus imperaret, ut obedienter in Babyloniam irent, Deo ſuo etiam iſta patientia ſervientes, monuit & ipſe ut oraretur pro illa, dicens: *quia in pace ejus erit pax veſtra*, utique interim temporalis, quæ bonis maliſque communis eſt. Pſ. 143. 1. Tim. 2. Hier. 27.

a BEatus populus, cujus eſt Dominus Deus ipſius.] *Pſalm. 143. in quo enumeratis fortunæ bonis, quæ quidam in primo beatitudinis loco ſtatuunt, numeroſa prole, auro, argento, fœcundis pecoribus, prædiis, & poſſeſſionibus ampliſſimis, atque* I. Vives.

uberrimis, tum fructibus iſtarum rerum omnium pacatis, cum quiete ac lætitia, ad extremum concludit: beatum dixerunt populum cui hæc adſunt: imò vero beatus populus, cujus eſt Dominus Deus ejus.

b Noſtra etiam intereſt.] *Alibi, Noſtri, quaſi in rem noſtram eſt.*

c Et charitate.] *Alibi. Caſtitate, mel ùs, σεμνότητι.*

L. Vi. *a* Beatus populus, cujus eſt Dominus.] *Pſalm. 143. ubi vanam impiorum fœlicitatem deſcripſiſſet, quam metiuntur rerum terrenarum affluentia & voluptate, at longiſſime (inquit) falluntur. Nam beatus ille demum populus eſt, cujus Dominus Deus ejus; hæc & vera & unica quæ exiſtimanda eſt beatitudo, ſita eſt in Dei unius ac veri notitia, cultu & veneratione. Ita Moſes populum illum veterem præ omnibus populis beatum prædicabat, quod à Deo eſſet electus, eumq́; unum ſibi ex omnibus terræ populis Deus adſciviſſet, ut cujus curam inprimis gereret, cuique non modo terrena, ſed & cœleſtia bona proponeret.*

β Propter quod & Apoſtolus admonuit Eccleſiam.] *1. Tim. 2.* Orate (*inquit*) pro regibus & pro principibus & poteſtatibus, ut omnia tranquilla ſint, vobiſcum enim concutitur imperium *(ait Tertullianus in Apologet. cap. 31.)* concuſſis etiam cæteris membris ejus, utique & nos licet à turbis extranei æſtimemur, in aliqua parte caſus invenimur. *Et certe ſolitos Chriſtianos orare pro Imperatoribus licet infidelibus docet ibidem Tertullianus:* Nos pro ſalute Imp. Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum unum, quem & ipſi Imperatores propitium ſibi præ cæteris mallent; *& lib. ad Scapulam cap. 2.* Sacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius, *&c.*

Cap. XXVII.

De pace ſervientium Deo, cujus perfecta tranquillitas in hac temporali vita non poteſt apprehendi.

Pax autem noſtra propria, & hic eſt cum Deo per fidem, & in æternum erit cum illo *a* per ſpeciem. Sed hic ſive illa communis, ſive noſtra propria, talis eſt pax, ut ſolatium miſeriæ ſit potius quàm beatitudinis gaudium. Ipſa quoque noſtra juſtitia quamvis vera ſit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac vita, *b α* ut potius peccatorum remiſſione conſtet, quàm perfectione virtutum. Teſtis eſt oratio totius civitatis Dei, quæ peregrinatur in terris. *β* Per omnia quippe membra ſua clamat ad Deum: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* (Matt. 6.) *c γ* Nec pro eis eſt efficax hæc oratio, quorum *fides ſine operibus mortua eſt:* (Iac. 2.) ſed pro eis, quorum *fides per dilectionem operatur.* (Gal. 5.) Quia enim Deo quidem ſubdita, in hac tamen conditione mortali & corpore corruptibili, quod aggravat animam, *δ* non perfectè vitiis ratio imperat, ideò neceſſaria eſt juſtis talis oratio. (Sap. 9.) Nam profectò quanquam imperetur, nequaquam ſine conflictu vitiis imperatur. Et utique aliquid ſubrepit in hoc loco infirmitatis etiam benè confligenti, ſive hoſtibus & talibus victis ſubditiſque dominanti, unde ſi non facili operatione, certè labili locutione aut volatili cogitatione peccetur. Et ideò quamdiu vitiis imperatur, plena pax

non

non eſt: quia & illa, quæ reſiſtunt, periculoſo debellantur prœlio: & illa, quæ victa ſunt, nondum ſecuro triumphantur otio, ſed adhuc ſolicito premuntur imperio. In his ergo tentationibus, de quibus omnibus in divinis eloquiis breviter dictum eſt: *d Nunquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram?* quis ita Iob.7. vivere præſumat, ut dicere Deo, *Dimitte nobis debita noſtra*, non neceſſe habeat, niſi homo elatus? Nec verò magnus, ſed inflatus ac tumidus, cui per juſtitiam reſiſtit, qui gratiam largitur humilibus. Propter quod ſcriptum eſt: *Deus ſuperbis* Iac.4. *reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Hic itaque in unoquoque juſtitia eſt, ut 1.Pet.5. obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiis etiam repugnantibus imperet, vel ſubigendo, vel reſiſtendo: atque ut ab ipſo petatur & meritorum gratia, & venia delictorum, ac de acceptis gratiarum actio perſolvatur. In illa verò pace finali quo referenda, & cujus adipiſcendæ cauſa habenda eſt iſta juſtitia: quoniam ſanata immortalitate atque incorruptione, natura vitia non habebit: nec unicuique noſtrum vel ab alio, vel ab ſeipſo quicquam repugnabit, non opus erit, ut ratio vitiis, quæ nulla erunt, imperet: ſed imperabit Deus homini, animus corpori: tantaque obediendi ibi erit ſuavitas & facilitas, quanta vivendi regnandique felicitas. Et hoc illic in omnibus hominibus atque in ſingulis æternum erit, æternumque eſſe certum erit: & ideò pax beatitudinis hujus, vel beatitudo pacis hujus, ſummum bonum erit.

a PEr ſpeciem.] *Quaſi per ſpectationem & viſionem.* L.Viu.

b Ut potius peccatorum.] *Magna enim ex parte ſumus boni: non quod bene vivimus, ſed quod commiſſorum ſcelerum nobis fit à Deo gratia.*

c Nec pro eis eſt efficax hæc oratio.] *Non aliter quàm quod ſalubre ſumitur à corpore, nihil prodeſt emortuo membro corporis: & hæc orationis particula, dimit. no. deb. no. ſi. & n. di. deb. no. imprecatio eſt ei, qui illam dicit fratri ſuo inimicus & iratus.*

d Nunquid non tentatio eſt vita humana.] *Job.7. Vulgo legimus: Militia eſt vita hominis ſuper terram. Sed LXX. utitur Auguſtinus, ut aſſolet, πειρατήριον, q. tentatorius locus. Seneca lib.16. Epiſt. Atqui vivere, mi Lucili, militare eſt. Itaque hi qui jactantur, & per operoſa atque ardua ſurſum atque deorſum eunt, & expeditiones periculoſiſſimas obeunt, fortes viri ſunt, prioreſque caſtrorum. Iſti quos publica quies aliis laborantibus molliter habet, turturillæ ſunt, tuti contumeliæ cauſa.*

a UT potius peccatorū remiſſione conſtet quam perfectione virtutum.] *[Non eſt ſenſus hujus loci juſtitiam noſtram ſola conſtare remiſſione peccatorum, & non eſſe etiam donum aliquod ſupernaturale gratuito nobis à Deo infuſum, imo verò juſtitia noſtra non eſt formaliter remiſſio peccati, ſed potius perfectio virtutis. Itaque illud* (potius) *ut notat etiam Illuſtriſſimus Bellarminus lib. 2. de Juſtific. cap. 13. non excludit hoc loco perfectionem virtutum, ſed præſupponit remiſſionem peccati, ut ſenſus ſit* juſtitiam noſtram, quæ partim in remiſſione peccati, partim in perfectione virtutum ſita eſt, magis conſtare remiſſione peccati quam perfectione virtutis; *cujus rei duplex eſt ratio: prima, quia in baptiſmo peccata delentur & purgantur, ut nihil remaneat omnino quod habeat rationem culpæ; virtutes autem, quæ infunduntur,* F.L.Coq.

tur, ita quodammodo perfecta ſunt, ut quotidie magis ac magis perfici deberent.] *Altera quoniam remiſſio peccati ſemel facta non eget nova infuſione virtutum; at virtus ſemel infuſa eget quotidie nova remiſſione peccati non lethalis, quod cum juſtitia ſemel infuſa ſimul conſiſtere non poteſt, ſed venialis. Juſti enim etſi perſiſtant ac etiam proficiant in juſtitia, nihilominus in multa peccata levia & venialia labũtur; & hunc ſenſum manifeſtè præ ſe ferunt verba D. Auguſtini ut conſtat ex ſequentibus. Cum enim dixiſſet* juſtitiam noſtram in hac vita conſtare potius remiſſione peccati quam perfectione virtutis, *continuo ad id probandum ſubjungit hæc verba:* Teſtis eſt oratio totius civitatis Dei, *ut oſtendat perfecte quidem remitti peccata, non adeo vero alteram juſtitiæ partem eſſe perfectam, ut juſti ipſi non egeant peccatorum indulgentia, ac pro ea debeant orare. Quo ſenſu etiam Divus Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos contendit in nobis eſſe veram juſtitiam etſi non omnino perfectam, at eſt perfecta remiſſio peccatorum.*

β Per omnia quippe membra ſua clamat ad Deum.] *Neq; enim eſt homo ſuper terram, qui non peccet, 3. Reg. 8. & Eccleſiaſt. 7. 1. Joannis 1.* Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, *Proverb. 20.* quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato? *Sic ex hac petitione Patres probant omnes homines quamvis alioquin juſtos & ſanctos in hoc præſentis vitæ ſtatu peccatis non carere. Præter cæteros Tertullianus lib. de orat. capite 7. Cyprianus lib. de oratione dominica, Gregorius Nyſſenus item lib. de orat. Auguſtinus ipſe epiſt. 89. quæſt 1.* Omnibus eſt neceſſaria oratio dominica, quam etiam ipſis arietibus gregis, id eſt, Apoſtolis ſuis dominus dedit, ut unuſquiſque Deo dicat, dimitte nobis debita noſtra, *Hieronymus lib. ad Cteſiphontem adverſus Pelagianos.*

γ Nec pro eis efficax eſt oratio.] *Non fruſtra tamen aliquando orant etiam qui ſunt in ſtatu peccati mortalis, modo ſibi à Deo cupiant gratiam perfectæ converſionis dari, eamq; seriò poſtulent. At vero ſi quis non cupiat gratiam converſionis vel ex animo illam non petat, ſed vel ſolis labiis oret ex conſuetudine, ut non modo ſit ſibi peccati mortalis conſcius, verum etiam nihil de converſione cogitet, ab ignoſcendo fratri animum omnino alienum habeat; rectè dicit Auguſtinus pro eo hanc orationem non fore efficacem.*

δ Nam perfecte vitiis ratio imperat.] *Vitia vocat affectus ſeu paſſiones, in quas ratio non habet integrum ac merum imperium, ut aliquando ab ea non deflectant, & Ariſtoteles ſcribit dominium rationis in paſſiones ipſas non eſſe δεσποτικὸν, ſed πολιτικὸν ac civile, ut poſſint reſiſtere ipſi rationi. Quod ſcribit ipſe D. Auguſtinus lib. 4. contra Julianum cap. 5.* Nec conſiderat quod cupiditatibus non ſic imperatur, ut membris. Cupiditates enim malæ ſunt, quas ratione frænamus, contra quas mente pugnamus, membra vero bona ſunt, quæ voluntatis movemus arbitrio exceptis genitalibus, quamvis & ipſa ex Dei opere bona ſint.

Cap. XXVIII.

In quem finem venturus ſit exitus impiorum.

EOrum autem, qui non pertinent ad iſtam civitatem Dei, erit, econtrario miſeria ſempiterna, quæ etiam ſecunda mors dicitur; quia nec anima ibi vivere

vere dicenda eſt, quæ à vita Dei alienata erit: nec corpus, quod æternis doloribus ſubjacebit. Ac per hoc ideò β durior iſta ſecunda mors erit: quia finiri morte non poterit. Sed quoniam ſicut miſeria beatitudini & mors vitæ, ita bellum paci vident eſſe contrarium: merito quæritur, ſicut pax in bonorum finibus prædicata eſt atque laudata, quod vel quale bellum in finibus malorum e-contrario poſſit intelligi. Verum qui hoc quærit, attendat quid in bello noxium pernicioſumque ſit, & videbit, nihil aliud eſſe, quàm inter ſe rerum adverſitatem atque conflictum. Quod igitur bellum gravius & amarius cogitari poteſt, quam ubi voluntas ſic adverſa eſt paſſioni, & paſſio voluntati, ut nullius earum victoria tales inimicitiæ finiantur: & ubi ſic confligit cum ipſa natura corporis vis doloris, ut neutrum alteri cedat? Hic enim quando contingit iſte conflictus, aut dolor vincit, & ſenſum mors adimit: aut natura perdurans vincit, & dolorem ſanitas tollit. Ibi autem & dolor permanet, ut affligat: & natura perdurat, ut ſentiat: quia utrumque ideò non deficit, ne pœna deficiat. Ad hos autem fines bonorum & malorum, illos expetendos, iſtos cavendos: quoniam per judicium tranſibunt ad illos boni, ad iſtos mali: de hoc judicio, quantum Deus donaverit, in conſequenti Volumine diſputabo.

α Quæ etiam ſecunda mors dicitur.] *Ubi nimirum anima Deo moritur: Apoc. 2.* Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda. *20.* Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis, hæc eſt mors ſecunda. *& 21.* Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Mors æterna *dici poteſt* mors ſecunda *ipſius animæ, quod primo moriatur Deo in præſenti vita privata gratia. Secundo tum in æternum privata gloria ac viſione beatifica, tum etiam mors ſecunda quod prima ſit mors corporis, ſecunda ſit ea animæ mors, qua æternæ damnationi tradita eſt.*

β Durior iſta ſecunda mors erit, quia finiri morte non poterit.] *D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 45. de anima damnata ita loquitur,* Cogitur ſemper ut & mortem ſine morte, defectum ſine defectu, & finem ſine fine patiatur, quatenus ei & mors immortalis ſit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI
AD MARCELLINUM
DE CIVITATE DEI
LIBER XX.

CAP. I.

Quod quamvis omni tempore Deus judicet, in hoc tamen Libro de noviſſimo ejus judicio eſt propriè diſputandum.

DE die ultimi judicii Dei, α quod ipſe donaverit, locuturi, β eumque aſſerturi adverſus impios & incredulos, tanquam in ædificii fundamento prius ponere teſtimonia divina debemus. Quibus qui nolunt credere, humanis ratiunculis falſis atque fallacibus contravenire conantur: ad hoc γ ut aut aliud ſignificare contendant, quod adhibetur teſtimonium de literis ſacris, aut omninò divinitus eſſe dictum, negent. Nam nullum exiſtimo eſſe mortalium, qui cum ea, ſicut dicta ſunt, intellexerit: & à ſummo ac vero Deo per animas ſanctas dicta eſſe crediderit, δ non eis cedat atque conſentiat: ſive id etiam ore fateatur, ſive aliquo vitio fateri erubeſcat aut metuat: ε vel etiam pervicacia ſimillima inſaniæ, id quod falſum eſſe novit aut credit, contra id, quod verum eſſe novit aut credit, etiam contentioſiſſimè defendere moliatur. Quod ergò ζ in confeſſione ac profeſſione tenet omnis Eccleſia Dei veri, Chriſtum de cœlo eſſe venturum ad vivos ac mortuos judicandos, hunc divini judicii ultimum diem dicimus, id eſt, noviſſimum tempus. Nam η per quot dies hoc judicium tendatur, incertum eſt: ſed Scripturarum more ſanctarum θ diem poni ſolere pro tempore, nemo, qui illas literas, quamlibet negligenter legerit, neſcit. Ideò autem, Gen. 3. cum diem judicii Dei dicimus, addimus ultimum vel noviſſimum: quia & nunc judicat, & ab humani generis initio judicavit, dimittens de paradiſo, & à ligno vitæ ſeparans primos homines peccati magni perpetratores: imò etiam, quando 2. Pet. 2. angelis peccantibus non pepercit, quorum princeps homines à ſeipſo ſubverſus invidendo ſubvertit, procul dubio judicavit. Nec ſine illius alto juſtoque judicio, & in hoc aëreo cœlo, & in terris, & dæmonum & hominum miſerrima vita eſt erroribus ærumniſque pleniſſima. Verùm etſi nemo peccaſſet, non ſine bono rectoque judicio Deus univerſam rationalem creaturam perſeverantiſſimè ſibi Domino ſuo cohærentem in æterna beatitudine retineret. Judicat etiam, non ſolum univerſaliter de genere dæmonum atque hominum, ut miſeri ſint propter primorum meritum peccatorum: ſed etiam de ſingulorum operibus Matt. 8. propriis, quæ gerunt arbitrio voluntatis. Nam & dæmones ne torqueantur, precantur: nec utique injuſtè vel parcitur eis, vel pro ſua quique improbitate torquentur. Et homines plerunque apertè ι ſemper occultè luunt pro ſuis factis

ctis divinitus pœnas: ſive in hac vita, ſive poſt mortem: quamvis nullus hominum agat rectè, niſi divino adjuvetur auxilio: nullus dæmonum aut hominum agat iniquè, niſi divino eodemque juſtiſſimo Dei judicio permittatur. Sicut enim ait Apoſtolus. *Non eſt iniquitas apud Deum.* Et ſicut ipſe alibi dicit: *Inſcrutabilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus.* Non igitur in hoc libro de illis primis, nec de iſtis mediis Dei judiciis, ſed de ipſo noviſſimo judicio, quantum ipſe tribuerit, diſputabo: quando Chriſtus de cœlo venturus eſt, vivos judicaturus & mortuos. Iſte quippe dies judicii propriè jam vocatur, ex eo quod nullus ibi erit *a* imperitæ quærelæ locus, cur injuſtus ille ſit felix, & cur juſtus ille infelix. Omnium namque tunc nonniſi bonorum vera & pleniſſima felicitas, & omnium non niſi malorum digna & ſumma infelicitas apparebit. Rom. 9. Rom. 11.

a IMperitæ querelæ locus.] *Nam in hac vita quærunt homines, cur mali ſunt divites, ſani, læti: contra boni inopes, ægri, mœſti. Hæc mirantur, qui ignorant ea non eſſe bona, quæ ipſi maxime credunt. Neque enim unquam malis vera contingunt bona, nec bonis vera mala: quod etiam ſi bona illa & mala vocanda ſint, quæ ipſi putant, id non ſine maximis cauſis fit: quas ipſi quum neſciant, rerum ordinem inſani judiciis ſuis damnant: in judicio Chriſti ibi demum nec vera nec ficta bona evenient, niſi bonis: nec ulli malis ullis prementur, præter malos idque apertè ut omnes conſpiciant.* L.Vives.

α QUod ipſe donaverit, &c.] *Ita fere Patres loquuntur. Cyrillus catech. 1. myſtago.* de quibus in ſuperioribus catecheſibus *(inquit)* quantum divina conceſſit gratia diſſeruimus. ὡς ἡ τοῦ θεοῦ χάρις ἔδωκεν. *Ipſe D. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 17.* de Spiritu ſancto, quantum Deo donante videre concedetur, diſſerendum eſt. T.L.Coq.

β Eumque aſſerturi adverſus impios & incredulos.] *Qui ut licentius vivant, nullum futurum judicium vel ſibi facile perſuadent, vel etiam a dæmone ipſo decepti. Hunc errorem Philaſter tribuit Barborianis, qui iidem ſunt Auguſtino & Gnoſtici, quem idem impingit Florianis & Manichæis & Proclianiſtis, ut refert & Caſtro lib. 8. contra hæreſes vero Judicium. Atqui nec illud ignoravit Plato, ut Author eſt Euſebius lib. 11. de præparat. Evang. cap. 20.*

γ Ut aut aliud ſignificare contendant.] *Ita qui ſcriptis ſacris adverſantur, ne veritati divinæ infallibili contradicere videantur, aut ſcripturas ſacras eſſe negant & à ſpiritu ſancto dictatas, aut aliter intelligendas quam veritas habeat Catholica, & quam Eccleſia & Patres ipſi interpretentur. Ita enim ex ſcripturis perperam & male intellectis hæretici omnes ſuas inventiones confirmant.*

δ Non eis credat atque conſentiat.] *Quemadmodum ſcribit lib. 12. confeſſ. cap. 33.* certe levius eſt à ſcripturæ ſenſu aberrare, quam ſcripturam dicere falſam, *quia hoc modo apertiſſime Deus mendacii argueretur, qui eſt author ſcripturæ.*

ε Vel etiam pervicacia ſimillima inſaniæ.] *Hujuſmodi ſunt hæretici, qui quamvis apertiſſima veritate ſcripturarum, erroris & mendacii convincantur, perſiſtunt nihilominus obſtinate in ſuis erroribus.*

ζ In confeſſione ac profeſſione tenet omnes eccleſia.] *Computatur enim hæc*

aſſertio inter fidei articulos, quem in ſymbolis Apoſtolico, Nicano & Athanaſii ecclefia profitetur, & nihil fere in ſcriptum & apud Patres ſanctos frequentius.

η Per quot dies hoc judicium tendatur incertum eſt.] *Author eſt venerabilis Beda nonnullos aſſeruiſſe, diem judicii per mille annos duraturum, ut tantiſper quidam electi purgentur. Impuriſſimus ille Mahometes aſſeruit diem judicii per 500. annorum millia extenſum iri: quod ita abſurdum eſt, ut refutatione non egeat: brevi ſpatio abſolvendum docet Chriſtus hac ſimilitudine Matthæi 24.* Sicut fulgor exit ab oriente & patet usque in occidentem, ita erit adventus filii hominis. *& Paulus 1. Corinth. 15.* in momento, in ictu oculi, &c.

θ Diem poni ſolere pro tempore.] *Id etiam obſervat libr. 2. de Geneſ. contra Manichæos cap 3. epiſtol. 78. ad Heſychium & in Pſalmum 87. in illa verba,* Tota die extendi manus meas ad te.

ι Semper occulte.]. *Conſcientiæ indeficientem morſum videtur intelligere, de quo Cicero in Paradoxis.* Te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimat judiciorum atque legum, quocumque aſpexiſti, ut furiæ ſic tuæ tibi occurrunt injuriæ, quæ te reſpirare non ſinunt. *De peccati interna & occulta pœna elegantiſſime omnium Seneca epiſtola 81.* Minimum ex nequitia leviſſimumque ad alios redundat, quod peſſimum ex illa eſt, & ut ita dicam, ſpiſſiſſimum domi remanet, & premit habentem, quemadmodum Attabus noſter dicere ſolebat, malitia ipſa maximam partem ſui veneni bibit, illud venenum quod ſerpentes in alienam perniciem proferunt, ſine ſua continent; non eſt huic ſimile, hoc habentibus peſſimum eſt. *Tacitus lib. 6. Annalium in oratione Tiberii.* Dii me Deæque pejus perdant quam perire quotidie ſentio; *quæ Tiberii verba Tacitus ipſe de ſtimulis perpetuis conſcientiæ malefactorum interpretatur.* Adeo facinora atque flagitia ſua, *inquit,* ipſi quoque in ſupplicium verterant, *quippe Tiberium non fortunæ, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuasq; ipſe pœnas pateretur.*

κ Eoque nullus ibi erit imperitæ querelæ locus.] *Non deſunt multa cauſa, cur Deus ſtatuerit univerſale judicium futurum: hanc vero rationem inter cæteras adfert D. Chryſoſtomus lib. 1. de provid. circa finem & homil. 46. ad popul.* Quod ſæpe in hac vita iniqui fœlicitate quadam temporali fruuntur, & proſpera omnia adeo conſequi videntur, & apud homines in maximo pretio eſſe & exiſtimatione; Juſti vero & contemptui habentur, & in magnas calamitates ſæpius incidunt. Oportet ergo ut occulta hæc ratio divinæ providentiæ & judiciorum ejus in publico atque univerſali judicio pandatur, ut conſtet malos recepiſſe bona in vita ſua, & ſi quid fortaſſe boni operati ſunt, ultra debitum fuiſſe eis ampliſſime remuneratum; è contrario bonos recepiſſe temporalia mala, vel ut ii magis in bona proficerent, aut certe ut pro levioribus culpis vel temporalibus pœnis hic ſatisfacerent. *Conſentaneum etiam fuit divinæ juſtitiæ utrorumq; commutari ſortes, & impios à juſtis conculcari & confundi; Et quidem cum juſti in præſenti vita videantur juſte poſſe conqueri, quod & tot malis torqueantur, & impius proſpere & ex voto omnia ſuccedant, at tum occulta illa ratio divinæ providentiæ patebit omnibus &* unusquisque referet, prout geſſit in corpore ſive bonum ſive malum. *& ut ait*

Eſaias

Eſaias cap 3. Juſto erit bene, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedit, & impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei. *Gregorius Nazianz. orat. in plagam grandinis*; Nos abducet à nobis ipſis condemnatos, atque ita convictos, ut ne dicere quidem poſſimus nos iniquo judicio circumventos pœnas dare; quod quidem in hac vita tantam vim habet, ut ii qui ſuppliciis afficiuntur, eam pœnæ conſolationem habeant.

Cap. II.

De varietate rerum humanarum, cui non poteſt dici deeſſe judicium Dei, quamvis nequeat inveſtigari.

Nunc *α* autem & mala æquo animo ferre diſcimus, quæ patiuntur & boni: & bona non magnipendere, quæ adipiſcuntur & mali. Ac per hoc etiam in his rebus, in quibus non apparet divina juſtitia, ſalutaris eſt divina doctrina. *β* Neſcimus enim, quo judicio Dei bonus ille ſit pauper, malus ille ſit dives: iſte gaudeat, quem pro ſuis perditis moribus cruciari debuiſſe mœroribus arbitramur: contriſtetur ille, quem vita laudabilis gaudere debuiſſe perſuadet: exeat de judicio non ſolum inultus, verùm etiam *γ* damnatus innocens, aut iniquitate judicis preſſus aut falſis obrutus teſtimoniis: econtrario ſcelеſtus adverſarius ejus non ſolum impunitus, verùm etiam vindicatus inſultet: impius optimè valeat, pius languore tabeſcat. Latrocinentur ſaniſſimi juvenes: & qui nec verbo quenquam lædere potuerunt, diverſa morborum atrocitate affligantur: infantes utiles rebus humanis immatura morte rapiantur: & qui videntur nec naſci debuiſſe diutiſſimè inſuper vivant: plenus criminibus ſublimetur honoribus, & *δ* hominem ſine querela tenebræ ignobilitatis abſcondant: & cætera hujuſmodi, quæ quis colligat, quis enumeret? Quæ ſi haberent in ipſa velut abſurditate conſtantiam, ut in hac vita, in qua homo, ſicut ſacer Pſalmus eloquitur, *vanitati ſimilis factus eſt, & dies ejus velut umbra prætereunt*, non niſi mali adipi- Pſ.143.
ſcerentur tranſitoria bona iſta atque terrena; nec niſi boni talia paterentur mala; poſſet hoc referri ad judicium juſtum Dei, vel etiam benignum: ut qui non erant aſſecuturi bona æterna, quæ faciunt beatos, temporalibus vel deciperentur pro malitia ſua, vel pro Dei miſericordia conſolarentur bonis: & qui non erant paſſuri æterna tormenta, temporalibus vel pro ſuis quibuscunque vel vel quantuliscunque peccatis affligerentur, *α ε* vel propter implendas virtutes exercerentur malis. Nunc verò quando non ſolum in malo ſunt boni, & in bono mali, quod videtur injuſtum: verùm etiam plerumque & malis mala eveniunt, & bonis bona proveniunt: magis inſcrutabilia fiunt judicia Dei, *& inveſtigabiles viæ illius.* Quamvis ergò neſciamus, quo judicio Deus juſta vel faciat, Rom.11.
vel fieri ſinat, apud quem ſumma virtus eſt, & ſumma ſapientia, ſummaque juſtitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas: ſalubriter tamen diſcimus non magnipendere ſeu bona ſeu mala, quæ videmus eſſe bonis malisque communia: & illa bona quærere, quæ bonorum, atque illa mala maximè fugere, quæ propria ſunt malorum. Cum verò ad illud Dei judicium venerimus, cu-

jus tempus jam propriè dies judicii, & ζ aliquando dies Domini nuncupatur: non ſolum quæcunque tunc judicabuntur, verùm etiam quæcunque ab initio judicata, & quæcunque uſque ad illud tempus adhuc judicanda ſunt, apparebunt eſſe juſtiſſima. Ubi hoc quoque manifeſtabitur, quam juſto judicio Dei fiat, ut nunc tam multa ac pene omnia juſta judicia Dei ſenſus menteſque mortalium lateant, cum tamen in hac re piorum fidem non lateat, juſtum eſſe, quod latet.

L.Vives. Virtus. a VEl propter implendas virtutes.] *Ut haberent quo virtus exercita vires, nervos, robur ſumeret. Actuoſa enim eſt virtus, quæ ſi ceſſat, langueſcit, & ceu ignis, qui niſi quod agat invenit, extinguitur. Sin exerceatur adverſo fortunæ flatu, habet quo abſolvatur.*

F.L.Coq. α NUnc & mala æquo animo ferre diſcimus, quæ patiuntur & boni.] *Eandem hanc ſententiam fuſius explicat Seneca libello*, Quare bonis viris mala accidant cum ſit providentia, *præſertim initio cap. 5.* Hoc eſt propoſitum Deo, quod ſapienti viro, oſtendere hæc, quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona eſſe, nec mala: apparebunt autem bona eſſe, ſi illa non niſi bonis viris tribuerit, & mala eſſe, ſi malis tanta irrogaverit; deteſtabilis erit cæcitas, ſi nemo oculos perdiderit: niſi cui eruendi ſunt. Itaque careant luce Appius & Metellus, non ſunt divitiæ bonum. Itaque habeat illas & Ellius leno, ut homines pecuniam cum in templis conſecraverint, videant & in fornice.

β Neſcimus quo judicio Dei bonus ille ſit pauper.] *Seneca lib. citato cap. 6.* Democritus divitias projecit, onus illas eſſe bonæ mentis exiſtimans. Quid ergo miraris, ſi id Deus bono accidere patitur; quod vir bonus aliquando ſibi vult accidere. *Simile quid huic loco legitur apud Sidonium lib. 7. epiſt. 6.* Evarix rex Gothorum quod limitem regni ſui rupto diſſolutoque fœdere antiquo vel tutatur armorum jure vel promovet, nec nobis peccatoribus hic accuſare, nec vobis ſanctis hic diſcutere permiſſum eſt, quin potius ordinis res eſt, & ut dives hic purpura byſſoque veletur, & Lazarus hic vulneribus & paupertate feriatur: ordinis res eſt, ut dum in hac allegorica verſamur Ægypto, Pharao incedat cum diademate, Iſraelita cum cophino; ordinis res, ut dum in hac figuratæ Babylonis fornace decoquimur, nos cum Jeremia ſpiritualem Hieruſalem ſuſpirioſis plangamus ululatibus, & Aſſur faſtu regio tonans ſanctorum ſancta proculcet, quibus præſentium ego futurarumque beatitudinum viciſſitudinibus inſpectis, communia patientius incommoda fero.

γ Damnatus innocens aut iniquitate judicis preſſus.] *Agis ultimum Lacedæmoniorum regnum indicta cauſa damnatus ab Ephoris, cum ad ſupplicium duceretur cuidam miniſtrorum, quem plorare videbat,* Deſine, *inquit,* me deflere, qui tam ſcelerate & injuſte morti addictus meliore ſum, quam qui me necant, conditione. *Plutarchus in Apophtheg. Laconi. quod idem de Photione refert in ejus vita.*

δ Hominem ſine querela.] *Qui nihil habeat quod juſte reprehendi poſſit, quod Græci dicunt,* ἄμεμπτος, ἀνέγκλητος. *Horatio dicitur,* Integer vitæ ſceleriſque purus. *Ea locutione utitur ſcriptura Lucæ cap. 1. Paulus Philipp. 2. & 3.*

ε Vel

ε Vel propter implendas virtutes exercentur malis.] *Multa ad hanc rem Seneca libro citato cap. 2. Inter cætera vero*, Marcet (*inquit*) ſine adverſario virtus. Tunc apparet quanta ſit, quantum valeat, polleatque, cum quid valeat, patientia oſtendit. *& c. 3.* Nihil infœlicius eo, cui nihil unquam evenit adverſi. Non licuit enim illi experiri, ut ex voto illi fluxerint omnia, ut ante votum; male tamen de illo Dii judicarunt: Indignus viſus eſt, à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignaviſſimum quemque refugit. *& cap. 4.* Magnus eſt vir, ſed unde ſcio, ſi fortuna non dat tibi facultatem exhibendæ virtutis? deſcendiſti ad Olympia, ſed nemo præter te, coronam habes, victoriam non habes. *ibique multa in hanc rem, & tandem*, Nolite obſecro vos (*inquit*) expaveſcere iſta, quæ Dii immortales veluti ſtimulos admovent animis. Calamitas virtutis occaſio eſt. *Ibidem*, gubernatorem in tempeſtate, in acie militem intelligas, unde poſſum ſcire, quantum adverſus paupertatem tibi animi ſit, ſi divitiis diffluis?

ζ Et aliquando dies domini nuncupatur.] *Ita ſæpe in ſcriptura, Eſaiæ 2. Joelis 2. Amos 5. Abdiæ 1. Sophoni. 1. Zachar. 14. Malach. 4. 1. Corinth. 5. 1. Theſſalon. 1. 2. Petri 5. quod conſtitutus à domino: Statuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate, quod ſoli domino notus, de die illo nemo ſcit, neque Angeli, qui ſunt in cœlo, quia domini gloria, & majeſtas, & omnipotentia, & juſtitia, & miſericordia eo die omnibus palam debeat innoteſcere, ut univerſo mundo palam futurum ſit eum eſſe judicem vivorum & mortuorum, adeoq; Deum univerſorum.*

CAP. III.

† *Quid in libro Eccleſiaſte Salomon de his, quæ in hac vita & bonis & malis ſunt communia, diſputarit.* al. Quod

NEmpe Salomon ſapientiſſimus rex Iſrael, qui regnavit in Hieruſalem, *a* α librum, qui vocatur Eccleſiaſtes, & à Judæis quoque habetur in ſacrarum canone literarum, ſic exorſus eſt: *b* β *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* γ *Quæ homini abundantia in omni labore ſuo, quo laborat ſub ſole?* Et cum ex hac ſententia connecteret cætera commemorans ærumnas, erroreſque vitæ hujus: & evaneſcentes interea temporum lapſus, ubi nihil ſolidum, nihil ſtabile retinetur: in ea rerum vanitate ſub ſole, illud etiam deplorat quodammodo, quod cum ſit abundantia ſapientiæ ſuper inſipientiam, *c* δ ſicut eſt abundantia lucis ſuper tenebras, ſapientiſque oculi ſint in capite ipſius, & ſtultus in tenebris ambulet: unus tamen incurſus incurrat omnibus utique in hac vita, quæ ſub ſole agitur: ſignificans videlicet ea mala, quæ bonis & malis videmus eſſe communia. Dicit etiam illud, quod & boni patiantur mala, tanquam mali ſint, & mali tanquam boni ſint, adipiſcantur bona, ita loquens: *Eſt*, inquit, *vanitas, quæ facta eſt ſuper terram: quia ſunt juſti, ſuper quos venit quaſi factum impiorum: & ſunt impii, ſuper quos venit, ſicut factum juſtorum. Dixi, quoniam hoc quoque vanitas.* Et in hac vanitate, cui quantum ſatis viſum eſt, intimandæ, ε totum iſtum librum vir ſapientiſſimus deputavit: non utique ob aliud; niſi ut eam vitam deſideremus, quæ vanitatem non habet ſub hoc

Eccl. 1. Eccl. 2. Eccl 8.

hoc ſole, veritatem ſub illo, qui fecit hunc ſolem. *d* In hac ergò vanitate, nunquid niſi juſto Dei rectoque judicio ſimilis eidem vanitati factus vaneſceret homo: In diebus tamen vanitatis ſuæ intereſt plurimum, utrum reſiſtat, an obtemperet veritati, & utrum ſit expers veræ pietatis, an particeps: non propter vitæ hujus vel bona acquirenda, vel mala vitanda vaneſcendo tranſeuntia, ſed propter futurum judicium, per quod erunt & bonis bona, & malis mala, ſine fine

Eccl. 12. manſura. Denique iſte ſapiens ζ hunc librum ſic concluſit, ut diceret, ***Deum time, & mandata ejus cuſtodi: quia hoc eſt omnis homo: quia omne hoc opus Deus adducet in judicium in omni deſpecto, ſive bonum ſive malum.*** Quid brevius, verius, ſalubrius dicit potuit? *Deum*, inquit, ***time, & mandata ejus cuſtodi: quia hoc eſt omnis homo.*** Quicunque enim eſt hoc, eſt cuſtos utique mandatorum Dei: quoniam η qui hoc non eſt, nihil eſt. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in ſimilitudine vanitatis. Quia omne hoc opus, id eſt, quod ab homine fit in hac vita, ſive bonum, ſive malum, Deus adducet in judicium, in omni deſpecto, id eſt, in omni etiam, qui contemptibilis hic videtur, & ideò nec videtur: quoniam Deus & ipſum videt, nec eum deſpicit, nec cum judicat, prætérit.

L. Viv. *a* LIbrum qui vocatur Eccleſiaſtes.] *Hoc eſt, concionator, quem multi Hebræorum conſcriptum ab eo ferunt in pœnitentia vitæ flagitioſe actæ ac impiæ. Alii dicunt, quum ſpiritu prophetico prævideret diviſionem regni ſui, ſub Roboam filio ſuo, adductum in contemptum inſtabilis vanitatis.*

b Vanitas vanitatum.] *Sic Septuaginta interpretati ſunt: cæteri vero, ut Hieronymus ait, ἀτμὸς ἀτμῶν, hoc eſt, vapor fumi & aura tenuis, quæ cito reſolvitur.*

c Sicut eſt abundantia lucis ſuper tenebras.] *Tantum ab ſtultitia ſapientia abeſt, quantum à tenebris dies & ſol.*

d In hac ergo vanitate.] *In tanta vanitate mens hominum niſi à Deo edoceretur, vaneſceret, falſaque ſumeret pro veris, aut profecto peccatis abſumeretur, & velut fumus in mortem ſecundam evanida contabeſceret.*

F. L. Coq. α LIbrum, qui vocatur Eccleſiaſtes.] *Hebræis* קהלת congregans ſup. anima. *D. Hieronymus init. Comment. in Eccleſiaſt.* ἐκκλησιαστὴς Græco ſermone appellatur, qui cœtum. i. e. eccleſiam congregat, quem nos nuncupare poſſumus concionatorem? *eo quod loquitur ad populum, & ſermo ejus non ſpecialiter ad unum, ſed univerſos generaliter dirigatur. Hebræi teſte Hieronymo in cap. 1. Eccleſiaſt. ajunt hunc librum eſſe Salomonis pœnitentiam agentis, quod in ſapientia & divitiis confiſus per mulieres offenderit Deum.*

β Vanitas vanitatum dixit Eccleſ.] *In Hebræo* הבלחבלים *Ita etiam 70. tranſtulerunt* ματαιότης ματαιοτήτων, *cæteri teſtes Hieronymo* ἀτμὸς ἀτμῶν, *quod nos poſſumus*, vaporem fumi, & auram tenuem, *quæ cito reſolvitur, interpretari.*

γ Quæ homini abundantia in omni labore ſuo.] *Homines ut plurimum in aggregandis divitiis, in ambiendis honoribus, ſumptuoſis ædificiis conſtruendis omnes ſuas cogitationes, omne ſuum ſtudium collocant, cum tamen ex tot laboribus nihil ſecum omnino ferant, ſed nudi in terram redeant, de qua ſumpti ſunt, ut admirari ſatis liceat cæcitatem ac dementiam hominum.*

δ Sicut

δ Sicut eſt abundantia lucis ſuper tenebras.] *Tantum eſſe differentiam inter ſapientiam & ſtultitiam cognovi quantum diſtare poteſt dies à nocte, lumen à tenebris.*

ε Totum iſtum librum vir ſapientiſſimus deputavit, non utique ob aliud, niſi ut eam vitam.] *Et quidem ſi quis egenus, vel inſipiens, vel nihil expertus delitias mundi ac voluptates vana eſſe omnia perſuadere vellet, non tantam fidem mereretur. At Solomon ditiſſimus regum, cui nihil eorum defuit, quorum ſummo ſtudio homines capiuntur, ut ſunt gloria, triumphi, imperium, fama, ſapientia, cum prædicat hæc vana omnia, teſtimonium debet eſſe apud omnes magnæ authoritatis. Proinde egregie dixit Gregorius Nyſſenus in Eccleſiaſtem:* Conſidera, quemadmodum ſapientia per perſonam Salomonis ſecundum carnem de diis diſſerit, quibus maxime ad contemptum eorum, quæ homines magni faciunt, adduci poſſumus. Non enim diſſerit Salomon, ut plerique ſolent, qui non habent in poteſtate ſua illa quæ delectant, ut vel ex eo habeat authoritatem ſermo ejus, quod illa accuſat, quæ expertus eſt. Nos enim non omnia experientia noſtra didicimus, ſola cogitatione, quorum voluptates experiri prohibet paupertas. Et cum alicui conſilium damus, ut pro nihilo ducat, quæ homines in pretio habent, qui iſta audit in promptu habet illud, idcirco nos iſta parvi pendere, quod ea non ſimus experti. Hanc verò totam objectionem Salomon delevit, cum dixit, vanitas vanitatum &c.

ζ Hunc librum ſic concluſit dicens, Deum time.] *Hebræi, ut refert D. Hieronymus in eum locum, ajunt ex uno capitulo meruiſſe hunc librum authoritatem, ut in divinorum voluminum numero poneretur, quod totam diſputationem ſuam & omnem catalogum ſuum hac quaſi ἀνακεφαλαιώσει coarctaverit, & duxerit finem ſermonum ſuorum auditu eſſe promptiſſimum, nec aliquid in ſe habere difficile, ut ſcilicet Deum timeamus & præcepta ejus faciamus. Ad hoc enim natum eſſe hominem, ut creatorem ſuum intelligens veneretur eum metu, & honore, & opere mandatorum.*

η Qui hoc non eſt, nihil eſt.] Vani enim ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei, nec timor, nec pietas, *quia materialis eſt homo & terrena ſapit, à veritate recedit, & vanitati ſubjectus vanus eſt omnino. Deus enim eſt ſummum ipſum, ac verum eſſe, ut creaturæ ejus comparatione nihil ſint, qui itaque à Deo deficit ad creaturas, à veritate certè in vanitatem deficere videtur.*

Cap. IV.

Quod ad diſſerendum de noviſſimo judicio Dei, novi primum Teſtamenti, ac deinde Veteris teſtimonia prolaturus ſit.

Hujus itaque ultimi judicii Dei teſtimonia de Scripturis ſanctis, quæ ponere inſtitui, prius eligenda ſunt de libris Inſtrumenti novi, poſtea de Veteris. Quamvis enim vetera priora ſint tempore, α nova tamen anteponenda ſunt dignitate, quoniam illa vetera præconia ſunt novorum. Nova igitur ponenda ſunt prius, β quæ, ut firmius probemus, aſſumentur & vetera. In veteribus habentur lex & prophetiæ, in novis Evangelium & Apoſtolicæ literæ. Ait autem

ſtianos aſſeris fuiſſe; quemadmodum & tempore legis Evangelicæ illi pertinent ad vetus teſtamentum, qui magis terrenis quàm ſpiritualibus inhiant bonis, & quos carnalis cupiditas ſervos facit, non Evangelica fides, ſpes & charitas liberos. Et quidem cum ex anteriore tempore dicitur vetus teſtamentum, ex poſteriore novum, revelationes eorum (*ait D. Auguſtinus*) conſiderantur in his nominibus, non inſtitutiones.

ε Teſtimonium habet à veteribus libris, hoc eſt à lege & prophetis.] *Ita explicat D. Auguſtinus lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 4.* Lex quippe eo ipſo, quo in ea nemo juſtificatur, teſtimonium perhibet juſtitiæ Dei. Quod in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia juſtus ex fide vivit. Sic ergo cum lex non juſtificat impium de prævaricatione convictum, mittit ad juſtificantem Deum, atque ita juſtitiæ Dei perhibet teſtimonium: prophetæ verò teſtimonium perhibent juſtitiæ Dei prænuntiando Chriſtum, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, juſtitia & ſanctificatio & redemptio.

CAP. V.

Quibus ſententiis Domini Salvatoris divinum judicium futurum in fine ſeculi declaretur.

ERgo ipſe Salvator cum objurgaret civitates, in quibus virtutes magnas fecerat, neque crediderant, & eis alienigenas anteponeret: *a Veruntamen,* inquit, *dico vobis α Tyro & Sidoni remiſſius erit in die judicii quam vobis.* Et Mat. 11. paulo poſt alteri civitati: *Amen,* inquit, *dico vobis, quia β terræ Sodomorum remiſſius erit in die judicii quam tibi.* Hic evidentiſſime prædicat diem judicii eſſe venturum. Et alio loco: *Viri Ninivitæ,* inquit, *ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ: b γ & ecce plus quam Jona hic. Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon hic.* Mat. 12. Duas hoc loco res diſcimus: & venturum eſſe judicium, & cum mortuorum reſurrectione venturum. De Ninivitis enim & regina Auſtri quando hæc dicebat, de mortuis ſine dubio loquebatur, quos tamen in die judicii reſurrecturos eſſe prædixit. *c δ* Nec ideo dixit, Condemnabunt quia & ipſi judicabunt: ſed quia ex ipſorum comparatione iſti merito damnabuntur. Rurſus alio loco, cum de hominum bonorum & malorum nunc permixtione, poſtea ſeparatione, quæ utique in die judicii futura eſt, loqueretur, adhibuit ſimilitudinem de tritico ſeminato, & ſuperſeminatis zizaniis, eamque ſuis exponens diſcipulis: *Qui ſeminat,* inquit, *bonum ſemen, eſt filius hominis: ager autem eſt hic mundus: bonum vero ſemen hi ſunt filii regni: zizania autem hi filii ſunt nequam. Inimicus autem qui ſeminavit ea, eſt diabolus. Meſſis autem conſummatio ſeculi, meſſores verò angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſeculi: Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala,* Mat. 13.

& eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. Hic quidem judicium vel diem judicii non nominavit, ſed multo eum clarius ipſis rebus expreſſit, & in fine ſeculi futurum eſſe prædixit. Item diſcipulis ſuis: *Amen*, inquit, *dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* ε Hinc diſcimus cum ſuis diſcipulis judicaturum Jeſum. Unde & alibi Judæis dixit: *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt: Ideo ipſi judices veſtri erunt.* Nec quoniam ſuper duodecim ſedes ſeſſuros eſſe ait, ζ duodecim ſolos homines cum ipſo judicaturos putare debemus. η Duodenario quippe numero, univerſa quædam ſignificata eſt judicantium multitudo propter duas partes numeri ſeptenarii, quo ſignificatur plerumque univerſitas: quæ duæ partes, id eſt, tria & quatuor, altera per alteram multiplicatæ duodecim faciunt. Nam & quatuor ter, & tria quater duodecim ſunt: & ſi qua alia hujus duodenarii numeri, quæ ad hoc valeat, ratio reperitur. Alioquin quoniam in locum Judæ traditoris Apoſtolum Matthiam legimus ordinatum, θ Apoſtolus Paulus, qui plus illis omnibus laboravit, ubi ad judicandum ſedeat, non habebit: qui profecto cum aliis ſanctis ad numerum judicum ſe pertinere demonſtrat, cum dicit: ι *Neſcitis quia angelos judicabimus?* De ipſis quoque judicandis in hoc numero duodenario ſimilis cauſa eſt. Non enim quia dictum eſt, *Judicantes duodecim tribus Iſrael:* tribus Levi, quæ tertia decima eſt, ab eis judicanda non erit, aut ſolum illum populum, non etiam cæteras gentes judicabunt. Quod autem ait, *In regeneratione*, procul dubio κ mortuorum reſurrectionem nomine voluit Regenerationis intelligi. Sic enim caro noſtra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum eſt anima noſtra regenerata per fidem. Multa prætereo, quæ de ultimo judicio ita dici videntur, ut diligenter conſiderata reperiantur ambigua, vel magis ad aliud pertinentia: ſive ſcilicet ad eum Salvatoris adventum, quo per totum hoc tempus in eccleſia ſua venit, hoc eſt, in membris ſuis, particulatim atque paulatim, quoniam tota corpus eſt ejus, ſive ad excidium terrenæ Hieruſalem: quia & de illo cum loquitur, plerunque ſic loquitur, tanquam de fine ſeculi, atque de illo die judicii noviſſimo & magno loquatur; ita ut dignoſci non poſſit omnino: niſi ea quæ apud tres Evangeliſtas Matthæum, Marcum, & Lucam de hac re ſimiliter dicta ſunt, inter ſe omnia conferantur. Quædam quippe alter obſcurius, alter explicat planius: ut ea quæ ad unam rem pertinentia dicuntur, appareat unde dicantur. Quod facere utcunque curavi in quadam epiſtola, quam reſcripſi ad beatæ memoriæ virum Heſychium, Salonitanæ urbis epiſcopum, cujus epiſtolæ titulus eſt de fine ſeculi. Proinde jam illud hic dicam, quòd in Evangelio ſecundum Matthæum de ſeparatione bonorum & malorum legitur per judicium præſentiſſimum atque noviſſimum Chriſti. *Cum autem venerit*, inquit, *filius hominis in majeſtate ſua &*

Marginal notes: Mat. 19. — Mat. 12. — Duodenarius numerus. — Act. 1. Vide. to. 8. in Pſ. 49. ante medium & in Pſ. 90. con. 1. 1. Cor. 6. — Mat. 19. — Tom. 2. epiſt. 80. — Mat. 25.

& omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis. Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris. λ *Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me, in carcere eram, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei juſti, dicentes: Domine, quando vidimus te eſurientem, & pavimus: ſitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te? Aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et reſpondens rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu uni feciſtis de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis, Tunc dicet*, inquit, *& his qui à ſiniſtris ejus erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Deinde ſimiliter etiam his enumerat, quod illa non fecerint, quæ dextros feciſſe memoravit. Similiterque interrogantibus, quando eum viderint in horum indigentia conſtitutum: quod minimis ſuis factum non eſt, ſibi factum non fuiſſe, reſpondet, ſermonemque concludens: *Et hi*, inquit, *in ſupplicium æternum ibunt, juſti autem in vitam æternam.* Joannes verò Evangeliſta apertiſſimè narrat, eum in reſurrectione mortuorum futurum prædixiſſe judicium: Cum enim dixiſſet: *Neque enim pater judicat quenquam, ſed judicium omne dedit filio, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui miſit illum.* Protinus addidit: *Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam & in judicium non veniet, ſed tranſiet à morte in vitam:* Ecce hic dixit, fideles ſuos in judicium non venire. Quomodo ergò per judicium ſeparabuntur à malis, & ad ejus dexteram ſtabunt, niſi quia hoc loco judicium pro damnatione poſuit? In tale quippe judicium non venient, qui audiunt verbum ejus, & credunt ei, qui miſit illum. Ioan.5.

a VEruntamen, &c. Tyro & Sidoni.] *Tyrus & Sidon urbes ſunt maritimæ in Phœnicis.* L.Vive.

b Et ecce plus quam Jona hic.] *Hic non eſt pronomen, ſed adverbium, quaſi hoc loco.* ὧδε.

c Nec ideo dixit condemnabunt.] *Et condemnare dicuntur accuſatores reum, cum per eorum accuſationem condemnatur. Imago eſt hæc ſumpta de foro.*

α TYro & Sidon remiſſius erit.] *Tyri & Sidonis ſcriptum ſæpe meminit Hierem.* 47. diſſipabitur Tyrus & Sidon cum omnibus reliquis auxiliis ſuis, *Joelis* 3. Quid mihi & vobis Tyrus & Sidon. *Vaticinatur Ezechiel contra Tyrum & Sidonem cap. 26, 27 28. urbes Phœnicum, de quibus Strabo lib. 10.* ἀμφότεραι δὲ ἔνδοξοι καὶ λαμπραὶ καὶ πάλαι καὶ νῦν, ὁποτέραν δ' ἄν τις εἴποι μητρόπολιν Φοινίκων ἔρις ἐν ἀμφοτέραις ἐστίν. *De Tyro plura apud Arrianum lib. 2.* περὶ ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου, *& Curtium lib. 4. regna Hiram regis amici Salomonis.* F.L.Cop.

β Terræ Sodomorum remiſſius erit.] *Matthæi 10. & 11. quia illis non fuerat Evangelium prædicatum.* Si in Sidonis factæ fuiſſent virtutes, &c. γ Ec-

γ Ecce pluſquam Jonas.] *Hic rectè obſervat Ludovicus Vives* (hic.) *non eſſe pronomen, ſed adverbium. Ita enim Græcus textus habet* ἰδοὺ πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε *ita in ſequentibus* ἰδοὺ πλεῖον Σολομῶντος ὧδε.

δ Nec ideo dixit condemnabunt, quia ipſi judicabunt) *Non iudicando ſed accuſando condemnabunt. Nam & accuſator condemnaviſſe reum dicitur, cùm in judicio ita convicit, ut ob ejus accuſationem condemnetur. Accuſabunt verò non verbis, ſed re & exemplo, quia cum ipſi Jonæ crediderint, Judæi ipſi Chriſti Dei filio prædicanti & tot miracula facienti credere noluerunt. Ita Chryſoſtomus & Abulenſis in cap. 19. Matth. q. 139.*

ε Hinc diſcimus cum ſuis diſcipulis judicaturum Jeſum.] *Non ita tamen ut judicandi munus cum ea proprietate attribuatur Sanctis, qua Chriſto ipſi convenit. Judicare enim propriè dicit actum juriſdictionis & ſuperioris poteſtatis; hæc autem juriſdictio ſoli Chriſto convenit. Judicium ergo ut actum juriſdictionis ſignificat ſoli Chriſto convenit etiam ut homini, neque ulli ſanctorum illa judiciaria poteſtas communicatur.* Dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt: *& Chriſtus meritis ſuis inter cætera obtinuit hanc judiciariam poteſtatem*, & ipſe conſtitutus eſt à Deo Judex mortuorum & vivorum. *Aliquo modo tamen omnes Sancti judicabunt conſentiendo ſcilicet in Chriſti ſententiam & illam approbando. Sapientiæ 3.* Judicabunt juſti nationes; *verùm peculiari ratione Apoſtoli & viri perfecti, qui Apoſtolorum exemplo omnia relinquerunt & ſecuti ſunt Chriſtum, judicabunt tanquam Chriſti adſeſſores in eminentiori ſcilicet & honoratiori loco Chriſto aſſidentes non modo ſententiam Chriſti cum reliquis approbantes, verùm etiam forte illam ſimul pronuntiantes, vel judicatis denuntiantes. D. Thomas in 4 diſtinctione 47. qu. 1. artic. 2.*

ζ Duodecim ſolos homines cum ipſo judicaturos.] *Richardus de ſancto Victore tractat. de poteſt. judiciaria ſpecialem participationem judiciariæ poteſtatis conſecuturos ſolos 12. Apoſtolos affirmat. Hoc expreſſis verbis hic rejicit Auguſtinus, & latius enarrat in pſalmos 49 & 86. & patres duodenarium numerum hoc loco pro indefinito numero poſitum volunt, vel ut ait Abulenſis in cap. 19. Matthæi qu. 197.* Etſi ibi Chriſtus ſpecialiter cum duodecim Apoſtolis locutus, ideoque 12. tantum ſedes expreſſerit, virtute tamen idem omnibus promiſit, qui Apoſtolicam vitam imitantur. *Qui nam verò cum Apoſtolis conſecuturi ſint hanc ſpecialem participationem judiciariæ poteſtatis, hoc privilegium videtur promiſſum à Chriſto omnibus, qui cum Apoſtolis voluntariam paupertatem profitentur: Ita ſentit D. Thomas in 4. diſtinct. 47. & opuſculo 19. capite 6. & 7. Abulenſis in capite 19. Matthæi quæſt. 205. quam ſententiam aſſerit etiam Divus Auguſtinus epiſtola 89. quæſt. 4. Hieronymus epiſtola 28. Anſelmus epiſcopus 10. Gregorius lib. 1 . moral. capite 17. alias 30. & lib. 26. capite 20. alias 25. & D. Thomas aſſerit illam authoritatem judicandi cum Chriſto eſſe peculiariter mercedem Evangelicæ paupertatis ob humilitatis ſcilicet meritum, quod per exaltationem remunerari convenit. Rectè vero obſervat Franciſcus Suares tom. 2. in 3. partem D. Thomæ diſputat 57. ſection. 4. paupertatem non eſſe cauſam propriam hujus privilegii, ſed quaſi principium & diſpoſitionem*

tionem ad perfectionem vitæ ſeu perfectam Chriſti imitationem, quæ eſt propria cauſa hujus privilegii, ut rectè dixit Abulenſis qu.205. citata. Si quidem Chriſtus ea duo conjunxit, vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, *ſcilicet perfecta imitatione, ut perfectis religioſis ea dignitas intelligatur conceſſa, & non promiſcue quibusvis eum ſtatum perfectionis profitentibus. Aliqui non improbabiliter docent omnes eos, qui in hac vita magnam virtutis perfectionem comparant, & in alia ſingularem beatitudinis excellentiam obtinent, ſi præſertim hanc vitam tranſegerint, ut ſpeciali Dei gratia vel nunquam vel certè raro in peccatum mortale inciderint, cum Chriſto in judicio conſeſſuros, licet perfectionis ſtatum non ſint profeſſi. Ita ſentit Hieronymus epiſt. 28. Auguſtinus in pſal. 49. ubi omnibus viris perfectis dicit factam eſſe promiſſionem & epiſt. 89. etiam martyribus hoc promittit.*

η Duodenario quippe numero univerſa quædam.] *De dignitate & perfectione numeri duodenarii Plato lib. 6. de ll. & plura Ficinus in argumento illius libri. Illum celebrat etiam in Phædone duodenario formarum numero deſcribens orbem, & in Phædro, Deorum dæmonumque exercitum ſub duce Jove in ordines 12. diſponit, in libris de legibus cuſtodias, magiſtratus, agros, vicos civitatemque ſecat in partes 12. Duodenarius numerus (ut conſiderat Auguſtinus) primus numerorum eſt impariter par ſurgens ex ductu primi imparis nempe ternarii in quaternarium primum pariter parem.*

θ Apoſtolus Paulus, qui plus omnibus.] *Quare Chriſtus non aſſignaverit ſedem Paulo & Barnabæ, qui electi ſunt Apoſtoli per Spiritum ſanctum, Actor. 11. ſicut aliis, vide rationes apud Abulenſem quæſtione 199. in cap. 19. Matthæi.*

ι Cum dicit, neſcitis quia Angelos judicabimus.] *Theodoretus in eum locum & D. Chryſoſtomus homil. 16. in 1. ad Corinthios de malis Angelis exponunt. Alii vero de bonis etiam Angelis exponunt. Si enim mali judicandi ſunt judicio condemnationis, multo magis judicandi ſancti Angeli judicio approbationis ac retributionis, quod ratione patet. Una enim Eccleſia & una Dei civitas ex Angelis & hominibus conſtituitur, & omnibus pro meritis retribuitur præmium ejusdem rationis. Congruit igitur maxime publicum judicium cum retributione fiat non modo de hominibus, verum etiam de Angelis. Et id quidem pertinet ad gloriam & honorem Chriſti, ut quemadmodum eſt caput Angelorum, ita etiam ſit judex, pertinet etiam ad honorem ſanctorum Angelorum, ut eorum merita & corona publico judicio laudem & honorem accipiant. Itaq; comparatione etiam Angelorum ſanctis Apoſtolis & aliis communicabitur participatio illa poteſtatis judiciariæ.*

κ Mortuorum reſurrectionem nomine voluit regenerationis.] *Ita etiam exponit lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagi. cap. 3. & lib. 4. cap. 11. Theophilact. & Euthymius in Commentariis D. Gregorius lib. 4. moral. cap. 23. his verbis:* Si ipſa carnis noſtræ reſurrectio quaſi quædam nativitas non eſſet, de ea veritas non diceret, In regeneratione cum ſederit filius hominis, mortalitatem enim exuti, induti vero immortalitatem, regenerandi quodammodo homines ſumus, *& illud Pſal. 2.* Ego hodie genui te, *de reſurrectione Chriſti interpretatur D. Paulus Actor. 13.*

λ Tunc dicit ex his.] *Sententia domini definitiva pronuntianda injuſtos & impios*

pios deſcribitur Matthæi 25. ut probabiliſſimum ſit ipſam ſententiam per prædicta verba eſſe pronuntiandam ipſius domini voce & audiendam, & non tantum mentaliter ab unoquoque divina virtute intelligendam. Ita Abulenſis docet quæſt. 333. in cap. 25. Matth. & Richardus in 4. diſtinct. 47. art. 1. q. 2. Sotus eadem diſt. 4. q. 2. art. 4.

Cap. VI.

Quæ ſit prima reſurrectio, quæ ſecunda.

Ioan. 5. DEinde adjungit & dicit: *Amen, amen, dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent. Sicut etiam pater habet vitam in ſemetipſo, α ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo,* β Nondum de ſecunda reſurrectione, id eſt, corporum, loquitur, quæ in fine futura eſt, ſed de prima, quæ nunc eſt. Hanc quippe ut diſtingueret, ait: *Venit hora, & nunc eſt.* Non autem iſta corporum, ſed animarum eſt. γ Habent enim & animæ mortem ſuam in impietate atque peccatis: Secundùm quam mortem mortui ſunt, de quibus idem Dominus ait: *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos:* δ ut ſcilicet in anima mortui, in corpore mortuos ſepelirent. Propter iſtos ergò in impietate & iniquitate in anima mortuos: *Venit*, inquit, *hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent.* Qui audierint, dixit: qui obedierint, qui crediderint, & uſque in finem perſeveraverint. Nec fecit hic ullam differentiam bonorum & malorum. Omnibus enim bonum eſt, audire vocem ejus, & vivere, & ad vitā pietatis ex impietatis morte tranſire. De qua morte ait Apoſtolus: *Ergò omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt unus: ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit:* ε Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto: ſive in originalibus, ſive etiam voluntate additis: vel ignorando, vel ſciendo, nec faciendo, quod juſtum eſt: & ζ pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus: id eſt, nullum habens omninò peccatum: ut qui per remiſſionem peccatorum vivunt, jam nō ſibi vivant, ſed ei, qui pro omnibus *mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram: ut credentes in eum, qui juſtificat impium,* ex impietate juſtificati, tanquam ex morte vivificati ad primam reſurrectionem, ⱥ quæ nunc eſt animarū, pertinere poſſimus. η Ad hanc enim primam non pertinēt, niſi qui beati erunt in æternum: ad ſecundam verò, de qua mox locuturus eſt, & beatos pertinere docebit, & miſeros. Iſta eſt miſericordiæ, illa judicii. Propter quod in Pſalmo ſcriptum eſt: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.* De quo judicio conſequenter adjunxit, atque ait: *Et poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.* Hic oſtendit, quod in ea carne veniet judicaturus, in qua venerat judicandus. Ad hoc enim ait: quoniam filius hominis eſt. Ac deinde ſubjungens, unde agimus: *Nolite*, inquit, *mirari hoc, quia veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei: & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.* Hoc eſt illud judicium, quod paulò ante, ſicut nunc, pro damnatione poſuerat, dicens: *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, &*

Anima mors. — *Matt. 8.* — *2. Cor. 5.* — *Pſ. 100.* — *Ioan. 5.*

in judi-

in judicium non veniet, ſed tranſit à morte in vitam, id eſt, pertinendo ad primam reſurrectionem, qua nunc tranſitur à morte ad vitam, in damnationem non veniet, quam ſignificavit appellatione judicii, ſicut etiam in loco, ubi ait: *Qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii*, id eſt, damnationis: Reſurgat ergò in prima, qui non vult in ſecunda reſurrectione damnari. *Venit enim hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent*, id eſt, in damnationem non venient, quæ ſecunda mors dicitur: in quam mortem poſt ſecundam, quæ corporum futura eſt, reſurrectionem præcipitabuntur, qui in prima, quæ animarum eſt, non reſurgunt. Veniet enim hora, ubi non ait, & nunc eſt: quia in fine ſeculi erit, hoc eſt, in ultimo & maximo judicio Dei, *quando omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus*, & *procedent*. Non dixit, Quemadmodum in prima: & qui audierint, vivent. β Non enim omnes vivent, ea ſcilicet vita, quæ quoniam beata eſt, ſola vita dicenda eſt. Nam utique ſine qualicunque vita non poſſent audire, & de monumentis reſurgente carne procedere. Quare autem non omnes vivent, in eo, quod ſequitur, docet: Qui bona, inquit, fecerunt, in reſurrectionem vitæ, hi ſunt, qui vivent: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii: hi ſunt, qui non vivent: quia ſecunda morte morientur. Mala quippe egerunt, quoniam malè vixerunt: malè autem vixerunt: quia in prima, quæ nunc eſt, animarum reſurrectione non revixerunt: aut in eo, quod revixerant, non in finem uſque manſerunt. Sicut ergò duæ ſunt regenerationes, de quibus jam ſupra locutus ſum, una ſecundùm fidem, quæ nunc fit per baptiſmum: alia ſecundùm carnem, quæ fiet in ejus incorruptione atque immortalitate per judicium magnum atque noviſſimum. Ita ſunt & reſurrectiones duæ, una prima, quæ & nunc eſt, & animarum eſt, quæ venire non permittit in mortem ſecundam: alia ſecunda, quæ nunc non eſt, ſed in ſeculi fine futura eſt: nec animarum, ſed corporum eſt, quæ per ultimum judicium alios mittet in ſecundam mortem, alios in eam vitam, quæ non habet mortem. *L. Viv.*

a AD primam reſurrectionem, quæ nunc eſt animarum.] *In aliis libris non adſcribitur Animarum: & forſan additum eſt, ut intelligeretur, quæ eſt hæc noſtra reſurrectio, nam illa poſtrema eſt corporũ, hæc prima eſt animarũ, cum ex caſu peccatorum ſurgunt. Sic paulo poſt: A morte animarũ ad vitam virtutum: in antiquis libris tantùm legitur, A morte ad vitam. Sed illa videntur addita exponendi gratia.*

α SIc dedit & filio &c.] *Id intelligunt alii de filio ratione divinitatis, cui pater ab æterno ut eſſentiam, ita eſſe divinum & vitam dedit divinam. Hoc enim eſt Deum genuiſſe deum ſibi coæternum & conſubſtantialem; alii etiam rectè interpretantur de Chriſto ratione humanitatis, cum fecit ut humanitas illa in unionem perſonalem à verbo aſſumeretur, adeoque conſtituit eum caput totius Eccleſiæ & omnium electorum, ut de vita ſpirituali gratiæ ſit ſermo, ſecundum quam ſuſcitantur & vivificantur animæ, ut quemadmodum pater omnis fons gratiæ & vitæ eſt in genere cauſæ efficientis, ita filius in genere cauſæ meritoriæ & efficientis, ut nemini à patre conferatur gratia & vita niſi per Chriſti meritum. Utraque expoſitio vera & textui Evangelii poteſt aptari commodè.* F. L. Coq.

β Nondum de ſecunda reſurrectione. i. e. corporum loquuntur.] *Illum textum ſuperiorem ex Joannis 5. de mortuis mortem peccati interpretatur, & reſurrectionem primam vocat. i. e. animarum. Ita etiam exponit ſerm. 64. de verbis domini, & tract. 22. in Joannem dicit veniſſe horam & nunc eſſe, quia Chriſtus jam in hoc mundo juſtificando ſalutem animarum operabatur in his, qui ejus dicto & verbis audientes erant. Alii de particulari quorundam reſurrectione exponunt, quos Chriſtus dum in vita eſſet ſuſcitavit, ut Cyrillus, Chryſoſtomus, Theophilactus, Euthymius. Suſcitavit enim paulo poſt Lazarum, filiam Archiſynagogi & filium viduæ, hanc ſequitur Toletus annot. 23. in cap. 5. Joannis; alii de ultima & generali reſurrectione intelligendum ſentiunt, quam expoſitionem ſequitur Maldonatus in illum locum Joannis.*

γ Habent animæ mortem ſuam in impietate.] *Ita ſapientia 11.* Os quod mentitur, occidit animam. *Epheſ. 2.* Vos convivificavit, cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis. *1. Timoth. 5.* Quæ in deliciis eſt vivens, mortua eſt. *D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 45.*

δ Ut ſcilicet in anima mortui in corpore mortuos.] *Præter hunc locum ita etiam interpretatur lib. 4. de Trinit. cap. 3. & qu. 6. in Matthæum lib. 2. contra literas Petiliani cap. 7.*

ε Omnes mortui ſunt in peccatis nemine prorſus excepto.] Concluſit omnes Deus ſub peccato, ut omnium miſereatur. Ob hanc cauſam *(ait D. Hieronymus epiſt. 151. ad Algaſiam quæſt 8.)* jubetur nobis exprobremus homini revertenti à peccatis ſuis, & ne abominemur Ægyptium, quia & ipſi in Ægypto quondam fuimus, & de luto ac lateribus Pharaoni civitates extruximus.

ζ Pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus.] *Quomodo enim mortuus potuiſſet alios in vitam reducere? quomodo peccator aliis gratiam & juſtitiam conferre,* Duplæ morti noſtræ *(ait Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 3.)* ſalvator impendit ſimplam ſuam, & ad faciendam utramque reſuſcitationem noſtram in ſacramento & exemplo propoſuit, & præpoſuit unam ſuam. Neque enim fuit peccator aut impius, ut ei tanquam ſpiritu mortuo in interiore homine renovari opus eſſet, & tanquam reſipiſcendo ad vitam juſtitiæ revocari; ſed indutus carne mortali ea ſola moriens, ſola reſurgens, ea ſola nobis ad utrumque concinuit, cum in ea fieret interioris hominis ſacramentum, exterioris exemplum. *Hebr. 5.* Talis decebat eſſet nobis Pontifex innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, *&c.*

η Ad hanc primam non pertinent, niſi qui beati erunt in æternum.] *Verum dicet quis; multi à peccato reviviſcunt & reſuſcitantur in anima per juſtificationem, qui tamen deinde excidunt nec æternæ beatitudinis fiunt participes: verum facile reſpondetur D. Auguſtinum de perfecta animæ reſurrectione loqui, quæ non niſi inchoatur per gratiam, perficitur vero in gloria. Reſurrectio enim illa animæ ſpiritualis, oportet ut ex parte termini à quo, mortem ſpiritalem aliquomodo reſpiciat, ſola enim glorificatio per ſe ſumpta non habet rationem reſurrectionis, ſed ut homini confertur, qui per peccatum jus ad illam amiſerat, & qui hoc jus per juſtificationem reparatur,*

tur, ideo dicimus hanc reſurrectionem utrumque aliquo modo includere juſtificationem ſcilicet uſque ad glorificationem, ſeu è contrario glorificationem, ut in ſuâ juſtificatione fundatam. Sola enim juſtificatio non habet rationem propriam reſurrectionis; eo ſenſu dicitur Apocalypſ. 20. ſecundam mortem. i. e. damnationem non habere in his locum, qui primæ reſurrectionis ſunt participes, quod non omnibus, qui à peccato juſtificantur, congruit, verum his tandem, qui aliquando etiam gloriam adipiſcuntur.

ϑ Non enim omnes vivent ea ſcilicet vita.] *Ideo Apocalypſ. 20. cum loquitur Joannes de fælicitate ſanctorum cum Christo regnantium & viventium, de damnatis hæc ſubjungit;* Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni.

CAP. VII.

De duabus reſurrectionibus, & de mille annis, quid in Apocalypſi Joannis ſcriptum ſit, & quid de eis rationabiliter ſentiatur.

DE his duabus reſurrectionibꝰ idem α Joannes Evangeliſta in eo libro, qui dicitur Apocalypſis, eo modo locutus eſt, ut earum prima à quibuſdam noſtris non intellecta, inſuper etiam in quaſdam ridiculas fabulas verteretur. Ait quippe in libro memorato Joannes Apoſtolus: *Et vidi Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam in manu ſua, & tenuit draconem illum ſerpentem antiquum, qui cognominatus eſt Diabolus & Satanas, & alligavit illum mille annis, & miſit illum in abyſſum, & clauſit: & ſignavit ſuper eum, ut non ſeduceret jam gentes, donec finiantur mille anni: poſt hæc oportet eum ſolvi brevi tempore. Et vidi ſedes, & ſedentes ſuper eas, & judicium datum eſt illis: & animas occiſorum propter teſtimonium Jeſu, & propter verbum Dei. Et ſi qui non adoraverunt beſtiam, nec imaginem ejus, nec acceperunt inſcriptionem in fronte aut in manu ſua, & regnaverunt cum Jeſu mille annis: reliqui eorum non vixerunt, donec finiantur mille anni. Hæc reſurrectio prima eſt. Beatus & ſanctus eſt, qui habet in hac prima reſurrectione partem. In iſtis ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum eo mille annis.* Qui propter hæc hujus libri verba primam reſurrectionem futuram ſuſpicati ſunt corporalem, a β inter cætera maximè numero annorum mille permoti ſunt, tanquam oporteret in ſanctis eo modo velut tanti temporis fieri ſabbatiſmum, vacatione ſcilicet ſancta poſt labores annorum ſex millium, ex quo creatus eſt homo, & magni illius peccati merito in hujus mortalitatis ærumnas de paradiſi felicitate dimiſſus eſt, ut quoniam ſcriptum eſt, *Unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus*, ſex annorum millibus tanquam ſex diebus impletis, ſequatur velut ſabbati ſeptimus in annis mille poſtremis, ad hoc ſcilicet ſabbatum celebrandum reſurgentibus ſanctis. Quæ opinio eſſet utcunque tolerabilis, ſi aliquæ deliciæ ſpiritales in illo ſabbato affuturæ ſanctis per Domini præſentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando. Sed cum eos, qui tunc reſurrexerint, dicant immoderatiſſimis carnalibus epulis vacatu-

Apo. 20. (margin)

1. Pet. 3. (margin)

caturos, *b* in quibus cibus ſit tantus ac potus, ut non ſolum nullam modeſtiam teneant, ſed modum quoque ipſius incredulitatis excedant: nullo modo iſta poſſunt niſi à carnalibus credi. Hi autem, qui ſpiritales ſunt, iſto iſta credentes *c* χιλιαστὰς appellant Græco vocabulo: quod verbum è verbo exprimentes nos poſſumus Miliarios nuncupare. Eos autem longum eſt refellere ad ſingula: ſed potius, quemadmodum Scriptura hæc accipienda ſit, jam debemus oſten-

Marc. 3. dere. Ait ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus: *Nemo poteſt introire in domum fortis, & vaſa ejus eripere, niſi prius alligaverit fortem*, diabolum volens intelligi fortem: quia ipſe genus humanum potuit tenere captivum: vaſa verò ejus, quæ fuerat erepturus, fideles ſuos futuros, quos ille in diverſis peccatis atque impietatibus poſſidebat. Ut ergò alligaretur hic fortis, propterea vidit iſte A-

Apo. 20. poſtolus in Apocalypſi Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam in manu ſua. *Et tenuit*, inquit, *draconem illum ſerpentem antiquum, qui cognominatus eſt Diabolus & Satanas: & alligavit eum mille annis*, hoc eſt, ejus poteſtatem ab eis ſeducendis ac poſſidendis, qui fuerant liberandi, cohibuit atque frenavit. *γ* Mille autem anni, duobus modis poſſunt, quantum mihi occurrit, intelligi: aut quia in ultimis annis mille iſta res agitur, *d* id eſt, ſexto annorum miliario tanquam ſexto die, cujus nunc ſpatia poſteriora volvuntur: ſecuturo deinde ſabbato, quod non habet veſperam; requiem ſcilicet ſanctorum, quæ non habet finem: ut hujus miliarii tanquam diei noviſſimam partem, quæ remanebit uſque ad terminum ſeculi mille annos appellaverit: eo loquendi modo, quo pars ſignificatur à toto: aut certè mille annos pro annis omnibus hujus ſeculi poſuit, ut profecto numero notaretur ipſa temporis plenitu-

Millenarius numerus. do. *δ* Millenarius enim numerus denarii numeri quadratum ſolidum reddit. Decem quippe decies ducta, fiunt centum. *ε* quæ jam non figura quadrata, ſed plena eſt. Ut autem in altitudinem ſurgat, & ſolida fiat, rurſus centum decies multiplicantur, & mille fiunt. Porrò ſi centum ipſa pro univerſitate aliquando ponuntur, quale illud eſt, quod Dominus omnia ſua dimittenti, & eum ſequen-

Mat. 19. ti promiſit, dicens: Accipiet in hoc ſeculo centuplum: quod exponens quo-

2. Cor. 6. dammodo Apoſtolus ait: *Quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes:* quia & ante jam dictum erat: Fidelis hominis totus mundus divitiarum eſt: quanto magis mille pro univerſitate ponuntur, ubi eſt ſoliditas ipſius denariæ quadraturæ? Unde nec illud melius intelligitur, quod in Pſalmo legitur: *Memor fuit in ſecu-

Pſ. 104. lum teſtamenti ſui, verbi quod mandavit in mille generationes*, id eſt, in omnes. *Et miſit illum*, inquit, *in abyſſum*, utique diabolum miſit in abyſſum. *ζ* Quo nomine ſignificata eſt multitudo innumerabilis impiorum, quorum in malignitate adverſus Eccleſiam Dei multum profunda ſunt corda: non quia ibi diabolus ante non erat, ſed ideò dicitur illuc miſſus, quia excluſus à credentibus plus cœpit impios poſſidere. Plus namque poſſidetur à diabolo, qui non ſolum alienatus eſt à Deo, verùm etiam gratis odit ſervientes Deo. *Et clauſit*, inquit, *& ſignavit ſuper eum, ut jam non ſeduceret gentes, donec finiantur mille anni.* Clauſit ſuper eum, dictum eſt, interdixit ei, ne poſſit exire, id eſt, vetitum tranſgredi. *η* Signa-

vit

vit autem, quod addidit: ſignificaſſe mihi videtur, quod occultum eſſe voluit, qui pertineant ad partem diaboli, & qui non pertineant. Hoc quippe in ſeculo iſto prorſus latet: quia & qui videtur ſtare, utrum ſit caſurus: & qui videtur jacere, utrum ſit reſurrecturus, incertum eſt. Ab eis autem gentibus ſeducendis hujus interdicti vinculo & clauſtro, diabolus prohibetur atque cohibetur, quas pertinentes ad Chriſtum ſeducebat antea vel tenebat. Has enim Deus elegit *ante mundi conſtitutionem eruere de poteſtate tenebrarum, & transferre in regnum filii claritatis ſuæ*, ſicut Apoſtolus ait. Nam ſeducere illum gentes etiam nunc, & ſecum trahere in æternam pœnam, ſed non prædeſtinatas in æternam vitam, quis fidelis ignorat? Nec moveat, quod ſæpè diabolus ſeducit etiam illos, qui jam regenerati in Chriſto, vias ingrediuntur Dei. *Novit* enim *Dominus, qui ſunt ejus*: θ ex his in æternam damnationem neminem ille ſeducit. ι Sic enim novit eos Dominus ut Deus, quem nihil latet etiam futurorum: non ut homo, qui hominem ad præſens videt, ſi tamen videt, cujus cor non videt: qualis autem poſtea ſit futurus, nec ſeipſum videt. Ad hoc ergò ligatus eſt diabolus, & incluſus in abyſſo: ut jam non ſeducat gentes, ex quibus conſtat Eccleſia, quas antea ſeductas tenebat, antequam eſſet Eccleſia. Nec enim dictum eſt, ut non ſeduceret aliquem, ſed ut non ſeduceret, inquit, jam gentes: in quibus Eccleſiam procul dubio voluit intelligi. *Donec finiantur mille anni*, id eſt, aut quod remanet de ſexto die, qui conſtat ex mille annis: aut omnes anni, quibus deinceps hoc ſeculum peragendum eſt. Nec ſic accipiendum eſt, quod ait, ut non ſeduceret gentes, donec finiantur mille anni: quaſi poſtea ſeducturus ſit eas duntaxat gentes, ex quibus prædeſtinata conſtat Eccleſia: à quibus ſeducendis illo eſt vinculo clauſtroque prohibitus. Sed aut illa locutione dictum eſt: quæ in Scripturis aliquoties invenitur, qualis eſt in Pſalmo: *Sicut oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum*, κ *donec miſereatur noſtri*. Neque enim cum miſertus fuerit, non erunt oculi ſervorum ejus ad Dominum Deum ſuum. Aut certè iſte eſt ordo verborum. Et clauſit, & ſignavit ſuper eum, donec finiantur mille anni. λ Quod verò interpoſuit, *ut non ſeduceret jam gentes*: ita ſe habet, ut ab hujus ordinis connexione ſit liberum: & ſeorſum intelligendum, velut ſi poſt adderetur, ut ſic ſe haberet tota ſententia: *Et clauſit, & ſignavit ſuper eum, donec finiantur mille anni, ut non ſeduceret jam gentes*: id eſt, ideò clauſit, donec finiantur mille anni, ut jam non ſeduceret gentes.

Eph. 1.

2. Tim. 2.

Pſal. 12.

a INter cætera maxime numero annorum mille.] *Quoniam Joannes hoc loco meminit mille annorum, & Chriſtus in Evangelio: Non bibam ammodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, quo bibam illud novum in regno patris mei. Et propheta multa dicunt de regno Chriſti in Hieruſalem, idcirco exiſtimaverunt quidam, Chriſtum exsitatis corporibus ſanctorum ſuorum rediturum in mundum, manſurumque hic annos mille in ſumma pace, affluente undique felicitate incredibili, aureoque ſeculo majore & mirabiliore, quam eſt à poetis deſcriptum, aut etiam ab Eſria & Sibylla prædictum. Cujus opinionis auctor fuit Papias Hieropolitanus præſul, qui vixit temporibus Apoſtolorum. Eum ſecuti ſunt Irenaus & Apollinarius, Ter-*

L. Vives. Mat. 26

Papias Hieropolitanus.

tullian. quoque in lib. De ſpe fidelium, & Victorinus Pictavienſis, & Lactantius lib. 7. Divin. inſtit. Hoc commentum & ſi inane Hieronymus eſſe oſtendit, ac ridet ſæpe numero atque inceſſit, tamen lib. in Hieremiam 4. non audere ſe damnare ait, quod multi eccleſiaſticorum virorum & martyrum id dixerint, tantum eſt in dicto vel fidei vel reverentiæ propter auctorem ſolum: diſſentiendumque eſt à magnis viris modeſte ac prudenter, ita ut multum eorum auctoritati detuliſſe videaris. Haud crediderim illorum ſanctorum eandem fuiſſe de ea re ſententiam, quam Cerinthi hæretici, de quo ſic Euſebius lib. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ 3. Cerinthus poſt reſurrectionem terrenum dicit futurum eſſe regnum Chriſti in Hieruſalem. Et homines in carne iterum concupiſcentiis & vitiis ſubjectam converſationem habituros. Contra fidem quoque Scripturarum quoſdam mille annos deſignat, in quibus multa quidem & alia corruptionum opera, & nuptiarum feſtivitates dicit futuras, ad eos qui libidini ſunt dediti decipiendos. Sed & Dionyſius cum de Joannis revelatione diſſereret, quædam ſecundum ea, quæ antiquitus eccleſiæ tradita fuerant, diſputaret, mentionem facit hujus ipſius viri in his verbis: Cerinthus, inquit, à quo & Cerinthiana hæreſis oborta eſt, figmenti ſui auctoritatem magni nominis acquirere ſecundum ſcripturæ hujus pravam intelligentiam geſtiebat. Quippe cuius hæc erat hæreſis, ut affirmaret terrenum futurum eſſe Chriſti regnum. Et quia erat ventri, gulæ ac libidini deditus, ea futura decernebat, quæ ſibi propria libido dictabat. Ventris, & eorum quæ ſub ventre ſunt incitamenta, cibis, potibus, nuptiis prædicabat explenda. Et ut aliquid ſacratius dicere videretur, legales ajebat feſtivitates rurſum celebrandas, & hoſtias carnales iterum jugulandas. Irenæus vero ſecretiora ipſius hæretici in primo operis ſui libro publicavit. Quæ inde diſcat, ſi quis plenius ſcire vult. Hæc Euſebius. Non eſt ergo hæc Papiæ opinio, cujus originem Hieronym. Cerintho potius attribuiſſet natu majori Papia ipſo: tametſi eodem vixerint tempore: tum nec Irenæus in Cerinthum ſcripſiſſet, qui Papiæ ſententiam ſit ſequutus: tametſi non omnes ſecta eadem de illis mille tradiderunt annis. Unusquiſque, ut ſibi animo confingebat, ita affirmabat: nec mirum in re commentitia & vana. Dionyſius Alexandrinæ eccleſiæ pontifex, ut Hieronymus lib. in Eſaiam xviij. narrat, elegantem ſcripſit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Hieruſalem, inſtaurationem templi, hoſtiarum ſanguinem, otium ſabbati, circumciſionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delitias, & cunctarum gentium ſervitutem, rurſuſque bella, exercitus, ac triumphos, & ſuperatorum neces, mortemque centenarii peccatoris. Hæc Hieronymus.

(Cerinthus hæreticus.)

b In quibus cibus ſit tantus ac potus.] *Sic Lactantius: Terra vero aperiet fœcunditatem ſuam, & uberrimas fruges ſua ſponte generabit. Rupes montium melle ſudabunt, per rivos vina decurrent, & flumina lacte inundabunt. Ut prætercam Cerinthiana, quæ multo ſunt fœdiora.*

c χιλιαςαὶς.] *Quaſi milenarios; χίλιοι enim ſunt mille.*

(Heliæ propheta)

d Id eſt, ſexto annorum milliario.] *Ferunt in libris Heliæ Prophetæ inveniri ſex mille annos mundum duraturum: quorum prima duo millia deputantur vanitati, uſque ad Abraham. Altera duo legi, ad Chriſtum. Tertia duo millia Meſ-*

ſiæ,

ſie, uſque ad finem ſeculi: idque ex computatione Hebræorum. Nam ex Septuaginta plura ſunt quam tria millia ab Adam ad Abraham. Et ætate Auguſtini non aberant ſex millia à fine ſuo quadringentis annis. Itaque nunc plures quam ſex mille & ſeptingentos vulgo computamus. Nempe à nato Domino mille quingentos viginti duos: cujus ortum Euſebius, & qui ſeptuaginta ſequuntur in quinto milleſimum, & plus paulo quam centeſimum conferunt. Idcirco Auguſtin. hujus ſexti annorum milliarii, volui ſua ætate ſpatia poſteriora, dixit. Lactantius, qui ante Auguſtinum vixit, nempe ſub Conſtantino, tantùm ſupereſſe ex illis ſex millibus annorum ducentorum annorum expectationem ſcribit.

a JOannes Evangeliſta in eo libro, qui dicitur Apocalypſis.] *Hieronymus lib. 1. adverſus Jovinianum Apocalypſim infinita futurorum myſteria continere ſcribit, & in epiſtola ad Paulinum;* Apocalypſis Joannis tot habet ſacramenta quot verba. parum dixi, pro merito voluminis, laus omnis inferior eſt, in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ. *De eadem in catal. ſcriptorum Eccleſ.* Quartodecimo, *inquit*, anno ſecundam poſt Neronem perſecutionem movente Domitiano, Joannes in Pathmon relegatus ſcripſit Apocalypſim, quam interpretantur Juſtinus martyr & Irenæus. *Idem teſtatur Euſebius in Chronicis & lib. 3. hiſtor. cap. 14. & 23.* P.L. cap.

b Inter cætera maxime numero mille annorum permoti ſunt.] *Hoc capite Chiliaſtarum ſeu millenariorum ſententiam, qui nitebantur his verbis D. Joannis, confutat Auguſtinus, & qua ratione* mille anni *intelligendi ſint, explicat. Ac primum quidem fuit hæreſis Cherinthi, ut refert Euſebius lib 3. hiſtor. cap. 22 & lib. 70. cap. 20. Et Nicephorus lib. 3. cap. 24 & Auguſtinus ipſe hæreſi 8. Chriſtum mille annis ante judicium in hunc mundum deſcenſurum, & omnes juſtos ſuſcitaturum ad vitam corporalem & animalem, ut una cum eis mille annis regnet in terra in ſumma pace, voluptate & rerum omnium ac deliciarum affluentia, etiam illarum, quæ ventri & veneri deſerviunt. Addebat etiam eo tempore regnum Judæorum eſſe inſtaurandum, civitatem Hieruſalem ac templū ejus, & taurorū & arietum victimas offerendas, & tunc implendas omnes promiſſiones Abrahæ factas & poſteris ejus. Quem errorem ſecutus eſt etiam Apollinaris authore Epiphanio hæreſ. 77. & quia videbatur locus Joannis Apocal. 20. hanc ſententiam confirmare, idcirco teſte Euſebio lib. 7. hiſtor. cap. 20. multi librum Apocalypſis rejecere ut Apocryphum & à Cherintho ſcriptum. Eundem errorem de mille annis ſecuti ſunt aliqui ex eccleſiaſticis ſcriptoribus, quorum nonnulli delitias tantum aſſeruerunt fore ſpirituales, alii etiam carnales adjunxerunt. Papias Hierapolitanus Epiſcopus D. Joannis auditor ex hoc loco Apocalyp. dixit, ſanctos poſt reſurrectionem mille annis cum Chriſto regnaturos in terra cum omni bonorum affluentia. Ita referunt Euſebius lib. 3. hiſtor. eccleſ. capite ultimo. Nicephorus lib. 3. cap. 2. Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſt. in Papia. De eo ſic Euſebius:* Cæterum pleriſque eccleſiaſticis viris, qui hominis antiquitatem pro ſuarum partium defenſione citabant perſimilis erroris extitit author, ut Irenæo & ſi quiſquam alius eadem cum illo ſentire videbatur, *& Hieronymus*, hic dicitur, *inquit*, mille annorum Judaicam edidiſſe δευτέρωσιν, quem ſecuti ſunt Irenæ-

us,

us, Apollinaris, & cæteri, qui poſt reſurrectionē ajunt in carne cum ſanctis domi num regnaturum. *Tertullianus quoque in l. de ſpe fidel. & Victorinus Pictavienſis & Lactantius hac opinione ducuntur. Præter citatos à D. Hieronymo etiam Juſtinus martyr. eſt in ea opinione dialogo cum Tryphone Judæo. Fuit & hæc ſententia cujuſdam Nepotis Ægyptii, Epiſcopi, ut refert Euſebius lib. 8. hiſtor. capite 19. quem confutavit Dionyſius Alexandrinus duobus libris, quos de promiſſionibus contexuit. Gennadius libro de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 6. referens hanc ſententiam fabulam ſomniatorum appellat & cap. 55. in eam multos authores citat his verbis :* In divinis promiſſionibus nihil terrenum aut tranſitorium expectemus ſicut Melitiani ſperant, non nuptiarum copulam ſicut Cherintus & Marcion delirant, non quoad potum vel cibum pertinet. Sicut Papiæ authori Irenæus Tertullianus & Lactantius acquieſcunt, neque per mille annos poſt reſurrectionem regnum Chriſti in terra futurum, & ſanctos cum illo in deliciis regnaturos ſperamus, ſicut Nepos docuit, qui primam reſurrectionem juſtorum & ſecundam impiorum confinxit. *An verò hæc opinio Millenariorum hæretica cenſenda eſt? aliud certe judicandum de aſſertoribus, aliud vero de ipſa propoſitione. Ex his enim, qui aſſeruerunt, Cherintus ille ab omnibus inter hæreticos annumeratur, ut qui præter hanc opinionem multa alia à fide aliena proponeret, & aſſereret, ut videre eſt apud Epiphanium hæreſi 28. Auguſtinum hæreſ. 8. Euſebius libro 3. capite 22. Irenæum lib. 1. cap. 25. Theodoretum lib. 2. hæretic. fabular. ab eo etiam Cherintiani hæretici dicti ſunt: Nepotem etiam fuiſſe hæreticum non obſcurè colligitur ex Euſebio; verum Papiam nemo ex veteribus inter hæreticos recenſuit, & Alphonſus à Caſtro libro 3. contra hæreſes V. beatitudo hæreſ. 2. fratrem Bernardum Luxemburgenſem verbis inſectatur, quod Papiam inter hæreticos repoſuerit, cum nemo ex veteribus illi notam hæretici inuſſerit; Irenæū, Juſtinū, Victorinū ſanctos Chriſti martyres fuiſſe conſtat. Lactantium licet aliqua à fide aliena ſcribat, nemo inter hæreticos habuit, Tertullianum propter alia dogmata non propter hoc ipſum de mille annis poſt reſurrectionem inter hæreticos referunt, præſertim cum docuerit regnum Chriſti futurum quidem in terris ante cælum poſt primam reſurrectionem, ita tamen ut in eo reficiantur ſancti omnium ſpiritualium bonorum copia. Videri poteſt Pammelius paradoxo 24. Tertullianus & Auguſtinus ſcribit hoc loco tolerabilem eſſe hanc opinionem, ſi non niſi ſpirituales delitiæ in illo Sabbato. i. e. in mille illis annis ſanctis affutura per domini præſentiam crederentur; nam & ſe ita aliquando ſenſiſſe. Verum Patres illi, qui id aſſeruerunt, videntur etiam aſſeruiſſe futuras corporales delitias, ut ex Gennadio citato cōnſtat. Quantum ad aſſertionem ipſam, Hieronymus in cap. 19. Hieremiæ, eam referens prout à Cherinto & Judæis aſſerta eſt, ſubjungit,* Licet non ſequamur, tamen eam damnare non poſſumus, quia multi Eccleſiaſticorum virorum & martyres iſta dixerunt, & unusquisque in ſuo ſenſu abundet, & domini judicio reſerventur. *Is tamen epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 2. fabulam appellat, & alibi aſſertores hujus ſententiæ Judæos & Judaizantes vocat; Epiphanius hæreſi 77. illam abſolute damnat, ut hæreticam ſcripturæque contrariam, de quo nihil jam dubitandum. Idem D. Hieronymus in cap. 6. Iſaiæ ait;* Quorum qui ſequitur errorem, ſub nomine Chriſtiano

Judæorum ſe ſimilem confitetur; *nec dubito quin, ſi res ad eccleſiæ judicium deferretur, hæreſis eſſet damnanda, tametſi auctores ejus excepto Tertulliano hæretici non fuerint.*

γ Mille autem anni duobus modis poſſunt.] *Scribit Joannes eos, qui non adoraverunt beſtiam, nec imaginem ejus, nec acceperunt inſcriptionem ejus in fronte, in manu ſua, regnaſſe cum Jeſu mille annis: Quæ verba ita accipienda ſunt, ut ſancti intelligantur vivere & regnare cum Chriſto omnibus annis futuris uſque ad diem judicii: Quibus annis etſi ſint corpore mortui, anima tamen vivunt, & cum Chriſto beati regnant, vel etiam uſque ad adventum Antichriſti, quia dicit poſt mille annos ſolvendum Satanam è carcere ſuo, & exiturum, & ſeducturum gentes; quod intelligendum de perſecutione Antichriſti, ut per mille annos, quibus ſancti regnant cum Chriſto, ſignificetur tempus univerſum illud à Chriſti reſurrectione uſque ad regnum Antichriſti. Cur vero mille annis voluerit ſignificare Joannes univerſum illud tempus à Chriſti reſurrectione uſque ad regnum Antichriſti, duas cauſas hic adfert: Alteram quidem* ultimis annis mille res hæc agitur, id eſt, ſexto annorum millenario, quo mundus erat terminandus, ut ſicut 6. diebus creatus eſt mundus, deinde ſeptimo requievit ab omni opere ſuo, ita ſexto millenario, quo mundus erat terminandus, ſuccedat ſabbatum, quod non habet veſperam, id eſt, requies ſanctorum, ut ſextus ille millenarius à Chriſti reſurrectione, qua cœperunt ſancti regnare cum Chriſto, inchoarit; *hæc ratio non ita firma eſt, neque multis probatur; Alteram,* ut per Synecdochem pars pro toto accipiatur, *id eſt, mille anni pro toto illo tempore, quod intercedet ad diem uſq. judicii, vel certe ad adventum uſque Antichriſti, vel tempus definitum pro indefinito. Sic enim ſolet ſcriptura per millenarium numerum diuturnum temporis ſpatium ſignificare, quod ex Pſalmo centeſimo quarto probat,* verbi quod mandavit in mille generationes, *id eſt, in omnes; quod & aliis locis Scripturæ confirmari poteſt, ut animadvertit Ribera in caput vigeſimum Apocalypſ. explicans illum textum: mille annos etiam poſuit Joannes, quia non poterat definitè exprimere numerum annorum à paſſione vel reſurrectione Chriſti ad adventum illius ſecundum vel diem judicii, cum illud neque Angelis manifeſtum ſit in cælo, Marci 13. Itaque totum illud tempus per mille annos perfectum numerum, & quo in ſcriptura univerſitas ſignificatur, exprimere voluit.*

δ Millenarius enim numerus denarii numeri quadratum ſolidum reddit.] *Denarius enim numerus per ſeipſum multiplicatus facit centum, unde centum dicitur numerus quadratus, & ſi centum per decem multiplicemus, fient mille, qui erit numerus cubus ex omni parte quadratus. Euclides lib. 9. Element. Demonſtrat. 4.*

ε Quæ jam non figura quadrata, ſed plana eſt.] *Nihilominus quando numerus in ſeipſum ducitur, oritur numerus quadratus, qui æquilaterus dicitur, ut ternarius in ternarium ductus facit novem numerum quadratum, quia figuram qudratam conſtituit, cujus quodlibet latus eſt ternarius numerus, ita quater quatuor faciunt 16. quadratum numerum, quia figuram facit æquilateram, & D. Hieronymus in cap. 65. Iſaiæ de laudibus numeri centenarii inter cætera* hoc, *inquit,* tamen dicemus, quod decem decades æqualia habent latera, & quadræ formæ poſſident firmitatem.

ζ Quo nomine ſignificata eſt multitudo innumerabilis impiorum.] *Per abyſſum, in quem à Joanne dicitur miſſus Sathanas, interpretatur profunda in malignitate corda impiorum adverſus Eccleſiam Dei. Hæc eadem verba tranſcripſere Primaſius & Beda, ſenſum probavere Ausbertus, Haymon, referente Ribera, ut intelligatur Angelus ille deſcendens de cælo eſſe Chriſtus, qui per incarnationis myſteriũ è cælo deſcendit, & qui habet clavem abyſſi. i. e. inferni Apocal. 1.* habeo claves mortis & inferni, *catenam magnam poteſtatem ejus intellige.* is igitur ligavit draconem ſerpentem antiquum. *i.e. diabolum. i. e. ſuæ potentiæ & imperii cathena devinctum in inferni carcerem detruſit*, ubi erit per mille annos. *i. e. uſque ad Antichriſti tempora. Ita etiam exponit Gregorius lib. 18. cap. 25. & lib. 32. cap. 12. Aliis ſenſus hic myſticus videtur, & per abyſſum profunditatem infernorum accipiunt, qui ſenſus ex ſequentibus confirmatur*; Et cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Sathanas de carcere ſuo, & exibit & ſeducet gentes. *At certe non eſt tum derelicturus improbos, ut in electos irruat. Alligatio ergo diaboli ſecundum literam intelligenda eſt, ut in aliquo abyſſi loco, vel in profundo inferorum virtute divina religatus teneatur uſque ad tempus Antichriſti, quo ſolvetur & maxime ſæviet in ſanctos. Aliqui interpretantur non de omnibus dæmonibus, ſed de Sathana principe dæmonũ, qui ita in infernum detruſus eſt, ut inde exire non poſſit, neq; homines per ſeipſum tentare. Ita expoſuit Gregorius lib. 4. moral. cap. 13. Si id exponamus de univerſo dæmonum imperio, intelligendum eſt eo ſenſu dæmonem fuiſſe ligatum, ut non poſſit ad tentandos homines ex abyſſo exire, niſi permittente Angelo, qui eum ligavit. i.e. Chriſto, qui vel per ſeipſum, vel certe miniſterio alicujus ſancti Angeli eum ligavit. Unde fit, ut neq; in hoc mundo tam libere regnet ſicut antea, neque tam acriter poſſit homines tentare ac ſeducere, ut ligare dæmonem ſit ejus coercere ac cohibere poteſtatem; quemadmodum & hic exponit & epiſtol. 107.*

η Signavit autem quod addidit, ſignificaſſe mihi videtur.] *Itaque* τὸ ſignavit, *vult referri ad abyſſum, ex Græco tamen textu conſtat ſignaſſe ſuper illum. i. e. diabolum non ſuper abyſſum: claudere & ſignare dæmonem idem eſt ac ſi dixeris diabolum in inferno ita tenere clauſum, ut nulla inde vi poſſit educi, cum nemo præter Chriſtum clavem habeat abyſſi, ut eum poſſit aperire: his autem mille annis. i. e. toto tempore à Chriſto ad Antichriſtum Chriſtus dæmonum vinctum tenet in inferno, ne ſeducat gentes toto iſto prædicationis Evangelicæ tempore, ſed poſſint illæ libere ad fidem converti, & Chriſti fides ac religio toto orbe fæliciter propagari.*

θ Ex his in æternam damnationem neminem ille ſeducit.] *Joannis 10. de ovibus ſuis, quæ vocem ejus audiunt. i. e. prædeſtinatis ab æterno dicebat Chriſtus*, vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nõ rapiet eas quiſquam de manu mea. *Etſi enim pro libertate arbitrii poſſint excidere, tamen ut ſcribit D. Thomas q. 5. de verit. artic. 3.* Deus ex ordine ſuæ prædeſtinationis tam multa & magna auxilia præparavit, ne extremo vitæ termino ad malum flectatur, ut certitudo divinæ prædeſtinationis non tam ex libero arbitrio, quia ſuapte natura contingens eſt, quam ex mediis quæ Deus præordinavit, ne homo flecteretur in malum, expandatur, ut hæc ſit peculiaris providentia in prædeſtinatos, cum reprobis non

tam magna auxilia præpararit, neque ſuſtulerit omnem occaſionem mali, ſeu tentationes omnes.

ι Sicut enim novit eos dominus.] *Ut cum infallibilis ſit ſcientia Dei, nullo modo poſſint ii, quos prædeſtinavit ab æterno, cum illius prædeſtinatio præſcientiam ſalvandorum includat, excidere à beatitudine; nec modo ex præſcientia, quam includit ipſa prædeſtinatio, verum etiam ex ratione mediorum ipſa certiſſima eſt & infallibilis.*

κ Donec miſereatur noſtri, neque enim cum miſertus fuerit.] *Ita ſæpe in ſcriptum illa dictio* (donec) *non dicit temporis alicujus finem; ita Pſalm. 109.* Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam. *Nunquam enim erit tempus, quo filius Dei non ſedeat ad dextram patris. Unde convincitur adverbium illud* (donec) *poſitum eſſe ſine aliqua temporis limitatione. Ita ſæpius in ſcripturis uſurpari obſervat D. Hieronymus adverſus Helvidium. In his tamen verbis Joannis ſignificat determinatum tempus, ut ſenſus ſit, ligandum Sathanam, ut non ſeducat gentes* donec conſummentur mille anni. *i e. donec veniet tempus Antichriſti.*

λ Quod vero interpoſuit, ut non ſeduceret jam gentes.] *Atqui hæc verba interpoſita ad utrumque referri poſſunt, ut dicatur clauſiſſe donec finiantur mille anni, ut jam hoc toto tempore mille annorum. i. e. à Chriſti morte uſque ad Antichriſtum non ſeducat gentes, vel etiam ut non ſeduceret gentes, donec finiantur mille anni, quia poſt mille annos in adventu Chriſti ſolvendus eſt Sathanas, & quantum in illo erit, gentes ſeducturus & à fide & pietate averſurus.*

CAP. VIII.

De alligatione & ſolutione diaboli.

POſt hæc, inquit, *oportet eum ſolvi brevi tempore.* Si hoc eſt diabolo ligari, & includi, Eccleſiam non poſſe ſeducere: hæc ergo erit ſolutio ejus, ut poſſit? Abſit. Nunquam enim ab illo Eccleſia ſeducetur prædeſtinata, & electa ante mundi conſtitutionem: de qua dictum eſt: *Novit Dominus, qui ſunt ejus,* 2.Tim.2. & tamen hic erit Eccleſia illo tempore etiam quo ſolvendus eſt diabolus, ſicut ex quo eſt inſtituta, hic fuit & erit omni tempore in ſuis utique, qui ſuccedunt naſcendo morientibus. Nam paulo poſt dicit, quod ſolutus diabolus ſeductas gentes toto orbe terrarum, attrahet in bellum adverſus eam: quorum hoſtium numerus erit ut arena maris. *Et aſcenderunt*, inquit, *ſuper* Apoc 20 *terræ latitudinem, & cinxerunt caſtra ſanctorum, & dilectam civitatem: & deſcendit ignis de cœlo à Deo, & comedit eos: & diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & beſtia & pſeudopropheta: & cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.* Sed hoc jam ad judicium noviſſimum pertinet, quod nunc propterea commemorandum putavi, α ne quis exiſtimet eo ipſo parvo tempore, quo ſolvetur diabolus in hac terra, eccleſiam non futuram, illo hic eam vel non inveniente, cum fuerit ſolutus; vel abſumente, cum fuerit modis omnibus perſecutus. Non itaque per totum hoc tempus: quod liber iſte complectitur, à primo ſcilicet adventu Chriſti uſque in ſeculi finé, quo erit ſecundus ejus adventus; ita diabolus alligatur, ut ejus hæc ipſa ſit alligatio; per hoc intervallum, quod mille annorum numero appellat,

non ſeducere Eccleſiam, quandoquidem β illam nec ſolutus utique ſeducturus eſt. Nam profecto ſi ei alligari eſt, non poſſe ſeducere, ſive non permitti: quid erit ſolvi, niſi poſſe ſeducere ſive permitti? Quod abſit ut ſiat: ſed alligatio diaboli, eſt non permitti exercere totam tentationem, quam poteſt vel vi vel dolo ad ſeducendos homines in partem ſuam cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. Quod ſi permitteretur in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles dejiceret, & ne crederent, impediret. Quod ne faceret, alligatus eſt. Tunc autem ſolvetur, quando & breve tempus erit. γ Nam tribus annis & ſex menſibus legitur totis ſuis ſuorumque viribus ſæviturus: & tales erunt, cum quibus ei belligerandum eſt, ut vinci tanto ejus impetu inſidiiſque non poſſint. δ Si autem nunquam ſolveretur, minus appareret ei9 maligna potentia, minus ſanctæ civitatis fideliſſima patientia probaretur: minus denique perſpiceretur, quam magno ejus malo tam bene fuerit uſus omnipotens Deus, qui eum nec omnino abſtulit à tentatione ſanctorum, quamvis ab eorum interioribus hominib9, ubi in Deum creditur, foras miſſum: ut forinſecus ejus oppugnatione proficerent, & in eis qui ſunt ex parte ipſius, alligavit: ne quantam poſſet effundendo & exercendo malitiam innumerabiles infirmos ex quibus eccleſiam multiplicari & impleri oportebat, alios credituros alios jam credentes, à fide pietatis hos deterreret, hos frangeret. Et ſolvetur in fine, ut quam fortem adverſarium Dei civitas ſuperaverit, cum ingenti gloria ſui redemptoris, adjutoris, liberatoris, aſpiciat. ε In eorum ſanè qui tunc futuri ſunt, ſanctorum atque fidelium comparatione quid ſumus? Quandoquidem ad illos probandos tantus ſolvetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus; quamvis & hoc temporis intervallo quoſdam milites Chriſti tam prudentes & fortes fuiſſe atque eſſe, non dubium eſt, ut etiam ſi tunc in iſta mortalitate viverent, quando ille ſolvetur, omnes inſidias ejus atque impetus & caverent prudentiſſimè, & patientiſſimè ſuſtinerent. Hæc autem alligatio diaboli non ſolùm facta eſt, ex quo cœpit Eccleſia præter Judæam terram in nationes alias, aliaſque dilatari: ſed etiam nunc fit, & fiet uſque ad terminum ſeculi, quo ſolvendus eſt: quia & nunc homines ab infidelitate, in qua ipſe eos poſſidebat, convertuntur ad fidem, & uſque in illum finem ſine dubio convertentur. Et utique unicuique fidelium iſte fortis tunc alligatur, quando ab illo tanquam vas eripitur, & abyſſus, ubi incluſus eſt, non in eis conſumpta eſt, quando ſunt mortui: qui tunc erant, quando eſſe cœpit incluſus, ſed ſucceſſerunt eis alii naſcendo, atque ſuccedunt, donec finiatur hoc ſeculum, qui oderint Chriſtianos: in quorum quotidiè velut in abyſſo cœcis & profundis cordibus includatur. ζ Utrum autem etiam illis ultimis tribus annis & menſibus ſex, quando ſolutus totis viribus ſæviturus eſt, aliquis in qua non fuerat, ſit acceſſurus ad fidem, nonnulla quæſtio eſt. Quomodo enim ſtabit, quod
Mat. 12. dictum eſt: *Quis intrat in domum fortis, ut vaſa ejus eripiat, niſi prius alligaverit fortem*, ſi etiam ſoluto eripiuntur? Ac per hoc ad hoc cogere videtur iſta ſententia, ut cre-

credamus illo licet exiguo tempore neminem acceſſurũ eſſe populo Chriſtiano, ſed cum eis, qui jam Chriſtiani reperti fuerint, diabolũ pugnaturũ. Ex quibus etiã ſi aliqui victi ſecuti eum fuerint, non eos ad prædeſtinatum filiorum Dei numerum pertinere. Neque enim fruſtra idem Joannes Apoſtolus, qui & hanc Apocalypſin ſcripſit, in Epiſtola ſua de quibusdam dixit: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiscum.* Sed quid fiet de parvulis? Nimium quippe incredibile eſt, nullos jam natos & nondum baptizatos, præoccupari Chriſtianorum filios illo tempore infantes: nullos etiam ipſis naſci jam diebus: aut ſi erunt, non eos à parentibus ſuis ad lavacrum regenerationis modo quocunque perduci. Quod ſi fiet, quo pacto ſoluto jam diabolo vaſa iſta eripientur, in cujus domum nemo intrat, ut vaſa ejus eripiat, niſi prius alligaverit eum? Imò verò id potius eſt credendum, nec qui cadant de Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam, illo tempore defuturos: ſed profectò tam fortes erunt & parentes pro baptizandis parvulis ſuis, & hi, qui tunc primitus credituri ſunt, ut illum fortem vincant etiam non ligatum: id eſt, omnibus, qualibus antea nunquam, vel artibus inſidiantem, vel urgentem viribus, & vigilanter intelligant, & toleranter ferant: ac ſic illi etiam non ligato eripiantur. Nec ideò falſa erit Evangelica illa ſententia: *Quis intrat in domum fortis, ut vaſa ejus eripiat, niſi prius alligaverit fortem?* Secundùm enim ſententiæ ejus veritatem, ordo iſte ſervatus eſt, ut prius alligaretur fortis, ereptisque vaſis ejus, longè lateque in omnibus gentibus ex firmis & infirmis ita multiplicaretur Eccleſia, ut ex ipſa rerum divinitus prædictarum & impletarum robuſtiſſima fide, etiam ſoluto vaſa poſſet auferre. Sicut enim fatendum eſt, multorum refrigeſcere charitatem, cum abundat iniquitas? & inuſitatis maximisque perſecutionibus atque fallaciis diaboli jam ſoluti, eos, qui in libro vitæ ſcripti non ſunt, eſſe multos ceſſuros: ita cogitandum eſt, non ſolum quos bonos fideles illud tempus inveniet, ſed nonnullos etiam, qui foris adhuc erunt, adjuvante Dei gratia per conſiderationem Scripturarum; in quibus & alia & finis ipſe prænunciatus eſt, quem venire jam ſentiunt: ad credendum, quod non credebant, futuros eſſe firmiores: & ad vincendum etiam non ligatum diabolum, fortiores. Quod ſi ita erit, propterea præceſſiſſe dicenda eſt ejus alligatio, ut & ligati & ſoluti expoliatio ſequeretur: quoniam de hac re dictum eſt, *Quis intrabit in domum fortis, ut vaſa ejus eripiat, niſi prius alligaverit fortem?* 1. Ioan. 2 Mat. 24

a NE quis exiſtimet eo ipſo parvo tempore.] *Etſi omnes conatus ſuos adhibiturus ſit Sathanas per Antichriſti tyrannidem, & alios pſeudoprophetas, ut eccleſiam funditus evertat, fidem ac religionem Chriſti labefactet, non prævalebit tamen, neque efficiet, ut non ſit eccleſia, ut non ſint electi Dei in terra, quorum conſtantiam neque tormentis ullis, neque prodigiis mendacibus ſuperabit. Unde ut obſervavit Bellarminus libr. 3. de Roman. Pontif. cap. 17.* Defendi non poteſt id quod tradit Dominicus Soto in 4. diſtinct. *46. q. 1. artic. 1.* Propter acerbisſimam Antichriſti perſecutionem fidem ac religionem Chriſti extinguendam eſſe. Extincta (*inquit*) fide per diſceſſionem ab Apoſtolica ſede totus mun- P. L. Cop.

dus vanus erit, ac deinceps incaſſum proceſſurus. *& infra.* Expaveſcant ergo mortales, quam ſit peſtilens amor ſui; inde enim dimanat elatio & ſuperbia, quæ tandem ſub ductu Antichriſti civitatem Dei labefactabit. *Pugnat ex diametro hæc ſententia cum authoritate Auguſt. hoc loco, cum ſcribit neminem exiſtimare debere eo ipſo parvo tempore, quo ſolvetur diabolus, in hac terra Eccleſiam non futuram, illo hic eam vel non inveniente cum fuerit ſolutus, vel abſumente cum fuerit modis omnibus perſecutus, imo pugnat cum ipſa Chriſti promiſſione Mat. 16.* ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; *& Mat. 24. de perſecutione futura ſub Antichriſto, loquens,* dabunt (*inquit*) ſigna magna, ita ut in errorem inducantur ſi fieri poteſt etiam electi, ſed propter electos breviabuntur dies illius, *ubi apertè ſignificavit tempore Antichriſti futuros electos, adeoque eccleſiam, & nullo unquam tempore futurum eſt, ut eccleſia Dei deſinat in terris.*

β Illam nec ſolutus utique ſeducturus eſt.] *Dum Eccleſia conſtet ex omnibus fidelibus bonis & malis, prædeſtinatis & reprobis, id tantum intelligendum de prædeſtinatis, quod ab Auguſtino hic dicitur, qui quidem prædeſtinati ſunt præcipua & nobiliſſima membra Eccleſiæ, quos nunquam ita ſeducturus eſt Diabolus, ut à fine ultimo & gloria, ad quam prædeſtinati ſunt, excidant. Hinc Apocalypſ. 13. dicuntur adoraſſe beſtiam omnes, qui inhabitant terram,* quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ, *id eſt, Si qui non ſunt prædeſtinati: nam alioqui multos, qui videbantur antea ſanctitate præeminere, pervertet, quod ſignificatur Danielis 8.* dejecit de fortitudine & de ſtellis & conculcavit eas.

γ Nam tribus annis & ſex menſibus.] *Totidem enim durabit regnum & perſecutio Antichriſti: Ita dicitur Sathanas ſolvendus modico tempore, & Chriſtus Math. 24. dicit quod* propter electos breviabuntur dies illi, *Apocalyp. 12.* væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet. *De tribus annis cum dimidio conſentiunt Patres cum D. Auguſtino, Irenæus ad finem lib. 5. Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſ. 15. D. Hieronymus & Theodoretus in cap. 7. & 12. Danielis, Beda, D. Anſelmus, Richardus de ſancto Victore. Rupertus, & id colligitur ex Daniele cap. 7.* Sermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret, & putabit quod poſſit mutare tempora, & leges & tradentur in manu ejus usque ad tempus & tempora & dimidium temporis, *& ex Apocalyp. 11.* Civitatem ſanctam. i. e. *(Eccleſiam)* calcabunt, *Antichriſtus & ejus miniſtri,* menſibus quadraginta duobus, *& cap. 12.* Data eſt ei poteſtas facere menſes 42. *D. Gregorius lib. 32. moralium cap. 12.* Diabolum, quamvis ſævitia ad crudelitatem dilatet, ſuperna tamen miſericordia dierum brevitate coanguſtat.

δ Si autem nunquam ſolveretur.] *Rationes, ob quas maximè conveniens ſit in fine mundi ſolvi Sathanam, exponit.*

ε In eorum ſane qui tunc futuri ſunt ſanctorum atque fidelium.] *Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 15.* Nunquid, *inquit,* non beatus martyr erit, qui tunc pro Chriſto martyrium pertulerit? Ego vero illum ſuper omnes martyres

eſſe

eſſe dixerim. Nam qui antea præceſſerunt, cum hominibus illis tantum certamen erat; qui vero tempore Antichriſti patientur, perſonaliter cum Sathana pugnabunt; *& Hippolytus Martyr lib. de conſumm. mundi.* O beatos, qui tunc tyrannum illum devicerint, quippe martyribus prioribus illis priores & ſublimiores declarandi ſunt, propterea quod ſuperiores martyres illius dumtaxat ſatellites ſuperarunt, hi vero diabolum ipſum, filium perditionis expugnabunt ac victoriam reportabunt. *Propterea D. Joannes Apocal. 13. de illa perſecutione loquens.* Hic, *inquit*, eſt patientia & fides ſanctorum. quaſi dicat, magna quidem fide & patientia opus fuit in præcedentibus paſſionibus, ſed cum iſta comparatæ perſecutiones cenſeri non debent. Hic ego fidem & patientiam ſanctorum expecto, hic illuſtrium bellatorum animum & magnitudinem requiro.

ζ Utrum etiam in illis ultimis tribus annis & menſibus ſex.] *Quærit an extremo illo tempore, quo ſolutus diabolus totis viribus ſeviet, acceſſuri ſint aliqui ad fidem & an tum etiam fideles infantes filios ſint baptizaturi. Neminem acceſſurum videtur colligi ex verbis domini Matth. 12.* Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis & vaſa ejus diripere, niſi prius allegaverit fortem? Et tunc domum illius diripiet. *Cum ergo tum ſolutus ſit Sathanas, videtur certe neminem ex infidelitate acceſſurum populo Chriſtiano, nec enim eo ſoluto poterunt diripi ejus vaſa. i.e. infideles, qui dicuntur,* vaſa iræ apta in interitum, *Roman. 9. Reſpondet huic quæſtioni nec qui de Eccleſia cadant, nec qui ad Eccleſiam accedant, illo tempore defuturos; ſed tam fortes parentes erunt pro baptizandis parvulis ſuis, & ii qui tunc primitus credituri ſunt, ut illum fortem vincant etiam tunc non ligatum. Antiochus Epiphanes fuit expreſſiſſima figura Antichriſti, quo tamen ſæviente in populum Dei & ab avita religione ad Gentilium ritus traducere volente, omnesq́; ad id conatus adhibente nec defuere, qui pro patriis legibus occumberent, in hisq́; obſervandis conſtantiſſime perſeverarent, quique etiam tum filios circumciderent, certamen quidem illis ſanctis non erit cum Antiocho Epiphane, verum cum Antichriſto, imo cum dæmone ipſo, at cogita etiam tum illis ſanctis majus gratiæ auxilium adfuturum & majores vires Deum ſuppeditaturum, quo ſæviſſimo perſecutori reſiſtant. Domini verba ex Matthæo ita explicat, ſervatum eſſe prius hunc ordinem, ut fortis alligaretur, & vaſa ejus diriperentur, & longe lateq́; Eccleſia multiplicaretur. Verum poſtea eadem Eccleſia ex ipſa rerum divinitus prædictarum & impletarum robuſtiſſima fide etiam ſoluto diabolo vaſa ejus poterit auferre, ut verba domini de tempore intelligenda ſint, quo licet toto orbe diabolo pro arbitrio dominante & gentes ſeducente ex infidelibus ſeu vaſis ejus Eccleſia primum erat colligenda: & vero ſimile eſt in fine mundi, durante perſecutione Antichriſti prædicatione & miraculis Enoch & Heliæ non modo fideles conſtanter in fide perſeveraturos, verum etiam & ex infidelibus aliquos ad fidem acceſſuros.*

CAP.

CAP. IX.

Quid ſit regnum ſanctorum cum Chriſto per mille annos, & in quo diſcernatur à regno æterno.

INterea dum mille annis ligatus eſt diabolus, ſancti Dei regnant cum Chriſto etiam ipſis mille annis eiſdem ſine dubio, & eodem modo intelligendis, id eſt, iſto jam tempore prioris ejus adventus. Excepto quippe illo regno, de quo in
Matt.25. fine dicturus eſt: *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Niſi enim alio aliquo modo, longè quidẽ impari, jam nunc regnarent cum illo ſancti
Mat.28. ejus, quibus ait, *Ecce ego vobiſcum ſum uſque in conſummationem ſeculi:* profectò
Matt.13. non etiam nunc diceretur Eccleſia regnum ejus, regnumve cœlorum. Nam utique iſto tempore in regno Dei eruditur ſcriba ille, *qui profert de theſauro ſuo nova & vetera*, de quo ſupra locuti ſumus. Et de Eccleſia collecturi ſunt zizania meſſores illi, quæ permiſit cum tritico ſimul creſcere uſque ad meſſem. Quod
Matt 13. exponens ait: *Meſſis eſt finis ſeculi: meſſores autem Angeli ſunt. Sicut ergò colliguntur zizania, & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſeculi: mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala.* Nunquid de regno illo, ubi nulla ſunt ſcandala? De iſto ergò regno ejus, quod eſt hic Eccle-
Matt.5. ſia, colligentur. Item dicit: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit, & ſic docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum.* Utrumque dicit in regno cœlorum, & qui non facit mandata, quæ docet: hoc eſt enim ſolvere, non ſervare, non facere: & illum, qui facit, & ſic docet: ſed iſtum minimum, illum magnum. Et continuò ſecutus adjungit: *Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra ſuper Scribarum & Phariſæorum*, id eſt, ſuper juſtitiam eorum qui ſolvunt, quod
Mat.23. docent. De Scribis enim & Phariſæis dicit alio loco: *Quoniam dicunt, & non faciunt.* Niſi ergò ſuper eos abundaverit juſtitia veſtra, id eſt, ut vos non ſolvatis, ſed faciatis potius, quod docetis: *intrabitis*, inquit, *in regnum cœlorum.* Alio modo igitur intelligendum eſt regnum cœlorum, ubi ambo ſunt: & ille ſcilicet qui ſolvit quod docet, & ille qui facit: ſed ille minimus, iſte magnus. Alio modo autem regnum cœlorum dicitur, quò non intrat, niſi ille, qui facit. Ac per hoc, ubi utrumque genus eſt, Eccleſia eſt, qualis nunc eſt: ubi autem illud ſolum erit, Eccleſia eſt, qualis tunc erit, quando malus in ea non erit. Ergò Eccleſia & nunc eſt regnum Chriſti, regnumque cœlorum. a Regnant itaque cum illo etiam nunc ſancti ejus, aliter quidem quàm tunc regnabunt: nec tamen cum illo regnant zizania, quamvis in Eccleſia cum tritico creſcant. Regnant enim cum il-
Col.3. lo, qui faciunt, quod Apoſtolus ait: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt, quærite, non quæ ſuper*
Phil.3. *terram.* De qualibus item dicit, quod eorum converſatio ſit in cœlis. Poſtremò regnant cum illo, qui eo modo ſunt in regno ejus, ut ſint etiam ipſi regnum ejus. Quo modo autem ſunt regnum Chriſti, qui, ut alia taceam, quamvis ibi ſint, donec colligantur in fine ſeculi de regno ejus omnia ſcandala: tamen illic ſua

quæ-

quærunt, non quæ Jeſu Chriſti: De hoc ergò regno militiæ, in quo adhuc cum
hoſte confligitur, & aliquādo repugnatur repugnantibus vitiis, aliquando ceden-
tibus imperatur, donec veniatur ad illud pacatiſſimum regnum, ubi ſine hoſte
regnabitur, & de hac prima reſurrectione, quæ nunc eſt, liber iſte ſic loquitur.
Cum enim dixiſſet, alligari diabolum mille annis, & poſtea ſolvi brevi tempore,
mox recapitulando, quid in iſtis mille annis agat Eccleſia vel agatur in ea: *Et* Apo.20.
vidi, inquit, *ſedes, & ſedentes ſuper eas, & judicium datum eſt.* Non hoc putan-
dum eſt de ultimo judicio dici, ſed ſedes præpoſitorum, & ipſi præpoſiti intelli-
gendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernatur. Judicium autem datum, nul-
lum melius accipiendum videtur, quàm id, quod dictum eſt: *Quæ ligaveritis in* Mat.18.
terra, ligata erunt & in cælo: & quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælo. Unde Ioan.20.
Apoſtolus: *Quid enim mihi eſt*, inquit, *de his, qui foris ſunt, judicare? Nonne de* 1.Cor.5.
his, qui intus ſunt, vos judicatis? Et animæ, inquit, *occiſorum propter teſtimonium*
Jeſu, & propter verbum Dei: ſubauditur, quod poſtea dicturus eſt, & regnaverunt
cum Jeſu mille annis, animæ ſcilicet martyrum, nondum ſibi corporibus ſuis
redditis. β Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ
etiam nunc eſt regnum Chriſti. γ Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum me- Memoria martyrum in communicatione eucharistica.
moria in communicatione corporis Chriſti: nec aliquid prodeſſet ad ejus in
periculis baptiſmum currere, ne ſine illo finiatur hæc vita: nec ad reconcilia-
tionem, ſi forte per pœnitentiam malamve conſcientiam quiſque ab eodem
corpore ſeparatus eſt. Cur enim fiunt iſta, niſi quia fideles etiam defuncti, mem-
bra ejus ſunt? Quamvis ergò cum ſuis corporibus nondum ſunt, δ jam tamen eo-
rum animæ regnant cum illo, dum iſti mille anni decurrunt. Unde in hoc eo- Animæ fidelium cũ Christo regnant.
dem libro & alibi legitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam et-*
iam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: nam opera eorum ſequuntur illos.
Regnat itaque cum Chriſto nunc primum Eccleſia in vivis & mortuis. Propter- Apo.14.
ea enim, ſicut dicit Apoſtolus, mortuus eſt Chriſtus, ut & vivorum & mortuo- Rom.6.
rum dominetur. Sed ideò tantummodo martyrum animas commemoravit,
quia ipſi præcipuè regnant mortui, qui uſque ad mortem pro veritate certave-
runt. Sed à parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ec-
cleſiam, quod eſt regnum Chriſti. Quod verò ſequitur: *Et ſi qui non adoraverunt*
beſtiam, nec imaginem ejus; nec acceperunt inſcriptionem in fronte, aut in manu ſua:
ſimul de vivis ac mortuis debemus accipere. Quæ ſit porrò iſta beſtia, quamvis ſit
diligentius inquirendum, non tamen abhorret à fide recta, ut ipſa impia civitas
intelligatur, & populus infidelium contrarius populo fideli & civitati Dei. Ima-
go verò ejus ſimulatio ejus mihi videtur: in eis videlicet hominibus, qui velut
fidem profitentur, & infideliter vivunt. Fingunt enim, ſe eſſe, quod non ſunt,
vocanturque ε non veraci effigie, ſed fallaci imagine Chriſtiani. Ad eandem
namque beſtiam pertinent non ſolum aperti inimici nominis Chriſti, & ejus glo-
rioſiſſimæ civitatis, ſed etiam zizania, quæ de regno ejus, quod eſt Eccleſia, in fine
ſeculi colligenda ſunt. Et qui ſunt, qui beſtiam non adorant, nec imaginem e-
jus, niſi qui faciunt, quod ait Apoſtolus: *Ne ſitis jugum ducentes cum infidelibus?* 2.Cor.6.

Non adorant enim, id eſt, non conſentiunt, non ſubjiciuntur: neque accipiunt inſcriptionem, notam ſcilicet criminis in fronte propter profeſſionem: in manu, propter operationem. Ab his ergò malis alieni ſive adhuc in iſta mortali *Ioan. 5.* carne viventes, ſive defuncti regnant cum Chriſto, jam nunc quodammodo huic tempori congruo per totum hoc intervallum, quod numero mille ſignificatur annorum: *Reliqui eorum*, inquit, *non vixerunt*. Hora enim nunc eſt, *cum mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent*: reliqui verò eorum non vivent. Quod verò ſubdidit, *Donec finiantur mille anni*: intelligendum eſt, quod eo tempore non vixerunt, quo vivere debuerunt, ad vitam ſcilicet de morte tranſeundo. Et ideò cum dies venerit, quo fit & corporum reſurrectio, non ad vitam de monumentis procedent, ſed ad judicium: ad damnationem ſcilicet, quæ ſecunda mors dicitur. Donec enim finiantur mille anni, quicunque non vixerit, id eſt, iſto toto tempore, quo agitur prima reſurrectio, non audierit vocem filii Dei, & ad vitam de morte non tranſierit: profectò in ſecunda reſurrectione, quæ carnis eſt, in mortem ſecundam cum ipſa carne tranſibit. Sequitur enim & dicit: *Hæc reſurrectio prima eſt. Beatus & ſanctus, qui habet in hac prima reſurrectione partem*, id eſt, particeps ejus eſt. Ipſe eſt autem particeps ejus, qui non ſolum à morte, quæ in peccatis eſt, reviviſcit, verùm etiam in eo, quod revixerit, permanebit: *In iſtis*, inquit, *ſecunda mors non habet poteſtatem*. Habet autem in reliquis, de quibus ſuperius ait: *Reliqui eorum non vixerunt, donec finiantur mille anni*: quoniam iſto toto temporis intervallo, quod mille annos vocat, quantumcunque in eo quiſque eorum vixit in corpore, non revixit à morte, in qua eum tenebat impietas: ut ſic reviviſcendo primæ reſurrectionis particeps fieret, atque in eo poteſtatem ſecunda mors non haberet.

F.L. Co. a Regnant itaque cum illo etiam nunc ſancti.] *Pluribus ſcripturæ locis oſtendit, regnum cælorum dici & præſentis temporis Eccleſiam, in qua Chriſtus regnat in Sanctis. Quod ergò Joannes ſcribit de regno Sanctorum cum Chriſto mille annis à Chriſto ad Antichriſtum, exponit de regno Sanctorum non in cælo, ſed in terra. Regnant enim cum eo, qui quæ ſurſum ſunt, quærunt, & quorum converſatio eſt in cælis. Et hanc vult appellari primam reſurrectionem, & illa verba,* Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis, *exponit de judicio, quod nunc exercent prælati in eccleſia, quibus à Chriſto datum eſt judicium ligandi, atque ſolvendi; atque horum præpoſitorum ſedes viſas eſſe à Joanne, & de eorum in eccleſia judicio ſermonem inſtitui, iiſdem mille annis. i.e. per idem tempus, quo ſancti in præſenti vita cum Chriſto in eccleſia regnant, & prælati in eum judicium exercent, vidit Joannes animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, & propter verbum Dei. i.e. animas martyrum, qui pro Chriſto ſanguinem profuderunt, regnare in cælo cum Chriſto fruentes viſione beatifica. Etſi enim id juſtis omnibus in gratia decedentibus conveniat, martyres tamen potiſſimum commemorantur, quia illi præcipue ob excellentiam martyrii dicuntur cum Chriſto regnare, & à parte etiam totum intelligendum eſt. Nam cæteri mortui in gratia eodem modo, quo martyres, pertinent etiam ad regnum Chriſti, & ſunt pars eccleſiæ, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti. Deinde illa verba,*

Et qui

Et qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem in frontibus, aut in manibus ſuis, *ita exponit, ut per beſtiam populum infidelium per imaginem vero ejus ſimulationem intelligat, quam ii ſcilicet habent, qui cum fidem profiteantur, infideliter tamen vivunt. Itaque ab illis ait non adorari beſtiam, qui infidelitatem reſpuunt, ab iis non accipi characterem beſtiæ, qui ne ſpeciem quidem & notam infidelitatis accipiunt. Expoſitionem hanc ſecuti ſunt Beda, Rupertus Auſbertꝰ & alii; Aliis tamẽ non probatur hæc interpretatio, neque de eccleſia in hoc ſæculo regnãte accipi volũt Joannis viſionẽ, ſed de iis, qui cum Chriſto regnant in cælo, cum multo magis proprie dicantur regnare cum Chriſto, qui in cælo ſunt & Dei conſpectu fruuntur, quã ſancti, qui in hoc mũdo tot perſecutionibus agitantur, qui magis proprie dicuntur pati cum Chriſto quam cum illo regnare. Et eccleſia* regnum Dei aut cœlorum *dicitur non tam quod jam regnet in terris, quam quod Deus regnet in ea: & ſedes illas, quas vidit Joannes, non in terris ſed in cælo poſitas vidit*, & qui ſedent ſuper eas, ſancti ſunt, *qui ex hujus ſæculi certamine victores in cælum evolaverunt*, Et cum Chriſto jam regnant, judicium illis datum eſt, *quia electi & deſignati ſunt, ut in die judicii Chriſto ſint aſſeſſores, & cum illo judicent, ut de extremo judicio exponamus hæc verba, non de judicio prælatorum in eccleſia*; Et animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, *omnes ſanctos quidem vidit, eos tamen peculiariter commemorat, qui pro Chriſto martyrium ſubierunt, ac ſi dicat, & peculiariter animas decollatorum; In illis verbis* (& qui non adoraverunt beſtiam) *intelligit eos, qui Antichriſto fortiter reſiſtent, nec ſe ab eo vinci ulla ratione patientur, nam cap. 13. 14. & 16. de beſtia & ejus imagine, & charactere locutus fuerat D. Joannes, & per beſtiam Antichriſtum intellexerat, ergo & nunc per beſtiam Antichriſtus intelligendus eſt, cum loquitur de beſtia & ejus charactere. Tota certe difficultas eſt in illis verbis, quibus dicit Joannes quod* qui nõ adoraverũt beſtiam, vixerunt & regnaverunt cum Chriſto mille annis, *ſiquidem mille anni intelliguntur, uſque ad conſummationem ſæculi, vel à Chriſto ad adventum uſque Antichriſti, maxime cum paulo poſt dicat D. Joannes*, & cum conſummati fuerint mille anni ſolvetur Satanas, *ubi per mille annos tempus illud, quo eccleſia durat à Chriſto ad ultimam uſque perſecutionem, intelligendum eſt, nec mille anni varie in hoc eodem capite intelligendi ſunt; at dici non poteſt ſanctos illius extremi temporis, nempe qui Antichriſto reſiſtent, regnaturos eſſe illis mille annis. i. e. à Chriſto ad Antichriſtum. Hæc difficultas fortaſſe Auguſtinum impulit, ut per eos, qui non adoraverunt beſtiam, non ſanctos reſiſtentes Antichriſto, ſed fideles, qui nunc temporis reſiſtunt populo infideli, interpretaretur. Ribera ut evadat hanc difficultatem, illa verba*, (& vixerunt & regnaverunt cum Chriſto mille annis) *minime referenda putat ad eos*, qui non adoraverunt beſtiam, nec imaginem ejus, *ſed* ad animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, *hoc eſt, ad eos, qui cũ hæc à Joanne ſcribebantur, jam mortem pro Chriſto oppetierant. Verum hæc interpretatio videtur vim afferre textui, ſiquidem Joannes continuata ſerie atque ordine diſerteque affirmat eos, qui non adoraverunt beſtiam, nec imaginem ejus. i. e. Antichriſtum, mille annis cum Chriſto regnaturos. Blaſius Viegas hanc difficultatem ita ſolvit, ut dicat Joannem variaſſe in acceptione mille annorum. Itaque*

in præcedentibus verbis cum dixit Joannes, Angelum ligaſſe Satanam per mille annos, ut non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni, *& in ſequentibus cum dicit,* Cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas, *per mille annos intelligitur totum illud tempus, quod excurret à paſſione Chriſti ad adventum Antichriſti. At in his verbis, quibus dicitur eos,* Qui non adoraverunt beſtiam, nec imaginem ejus, nec ejus characterem acceperunt, vixiſſe & regnaſſe cum Chriſto mille annis, *iſti mille anni intelligendi ſunt magis, qui diem judicii conſequuntur, id eſt æternitas illa ac ſempiterna duratio, qua ſancti regnabunt cum Chriſto millenario annorum numero, qui perfectiorem continet, pro tota ea duratione poſito, ut fuerit hæc veluti quædam parentheſis, quam Joannes de ſanctorum fœlicitate interpoſuit. Hæc interpretatio licet non careat difficultate, mihi valde probatur.*

β Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab eccleſia.] *Eſt enim eccleſia unum corpus, cujus caput Chriſtus. Debet itaque habere communicationem tam capitis cum membris, quam membrorum inter ſe, ut dicitur 1. Corinthios 12.* Pro invicem ſollicita ſunt membra, & ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : *juſti defuncti membra ſunt hujus corporis, ut his verbis docet,*

γ Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria.] *De ſanctorum & defunctorum commemoratione videri poſſunt miſſæ & Liturgiæ S. Jacobi, Clementis Romani, Dionyſii Areopagitæ, Baſilii & Chryſoſtomi. Defunctorum commemorationem fieri ſolitam ad altare docet, & libro de Sanctorum virginibus capit. 45.* Perhibet clariſſimum teſtimonium authoritas eccleſiaſtica, in qua fidelibus notum eſt, quo loco martyres, & quo defunctæ ſanctimoniales ad altaris ſacramenta recitentur. *& ſerm. 17. de verbis Apoſtoli:* Habet eccleſiaſtica diſciplina quod fideles noverunt cum eò loco martyres recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur, *& defunctorum animas intelligit D. Auguſtinus, ut ex contextu verborum conſtat, non modo quæ juvantur ſuffragiis vivorum nondum conſecutæ beatitudinem, verùm etiam ſanctorum martyrum & aliorum, quæ jam conſpectu & viſione Dei ſunt beatæ. Nam ut ex antiquis Liturgiis conſtat, & ex perpetua traditione eccleſiæ, in altari fit mentio utrorumque, ut ex multis Patrum teſtimoniis docet Joannes Stephanus Durandus lib. 2. de ritibus eccleſiæ Cathol. c. 35.*

δ Jam tamen eorum animæ regnant cum illo.] *Ex quo conſtat Auguſtinum nullatenus dubitaſſe de beatitudine animarum ante diem judicii; qua de re ſuprà à nobis pluribus tractatum eſt.*

ε Non veraci effigie ſed fallaci imagine Chriſti.] *Iſidorus Peluſiota Chriſtianos vitioſos ſimiles iis eſſe ait, qui in ſcena alienos habitus gerunt lib. 1. epiſt. 427.* Εἴ τις τοῖς μὲν πάθεσιν ζῇ, τοῦ δὲ ταῦτα νεκρώσαντος τὰ ὅπλα φορεῖ, ἔοικε τοῖς ἐν σκηνῇ ἀλλότρια παίζουσι σχήματα, οἷς ἐπεγγελῶσιν οἱ θεαταὶ ὡς ἀρνουμένοις τῶν σχημάτων πράγματα.

CAP. X.

Quid reſpondendum ſit eis, qui putant, reſurrectionem ad ſola corpora, non etiam ad animas pertinere.

SUnt qui putant reſurrectionem dici non poſſe niſi corporum, ideo iſtam quoque in corporibus primam futuram eſſe contendunt. Quorum enim eſt, inquiunt, cadere, eorum eſt reſurgere. Cadunt autem corpora moriendo: nam & à cadendo cadavera nuncupantur. Non ergo animarum, inquiunt, reſurrectio poteſt eſſe, ſed corporum. Sed α quid contra Apoſtolum dicunt, qui eam reſurrectionem appellat? Nam ſecundum interiorem, non ſecundum exteriorem hominem utique reſurrexerant, quibus ait: *Si conſurrexiſtis cum Christo, quæ ſurſum ſunt ſapite.* Quem ſenſum verbis aliis alibi poſuit, dicens: *Ut quemadmodum Chriſtus à mortuis reſurrexit per gloriam patris, ſic & nos in novitate vitæ ambulemus.* Hinc eſt & illud: *Surge qui dormis, & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Quod autem dicunt, non poſſe reſurgere niſi qui cadunt: & ideo putant reſurrectionem ad corpora, non ad animas pertinere, quia coporum eſt cadere: cur non audiunt, *Non recedatis ab illo, ne cadatis*: &, *ſuo Domino ſtat aut cadit*: &, *qui putat ſe ſtare, videat ne cadat*? Puto enim quod in anima, non in corpore caſus iſte cavendus eſt. Si igitur cadentium eſt reſurrectio, cadunt autem & animæ, profecto & animas reſurgere confitendum eſt. Quod autem cum dixiſſet: *In iſtis ſecunda mors non habet poteſtatem*, adjunxit atque ait: *Sed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, regnabunt cum eo mille annis*: non utique de ſolis epiſcopis & presbyteris dictum eſt, qui proprie jam vocantur in eccleſia ſacerdotes: a ſed β ſicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum chriſma, γ ſic omnes ſacerdotes, quoniam membra ſunt unius ſacerdotis. De quibus Apoſtolus Petrus: *Plebs*, inquit: *ſancta regale ſacerdotium.* Sanè licet breviter atque tranſeunter inſinuavit Deum eſſe Chriſtum, dicendo ſacerdotes Dei & Chriſti, hoc eſt patris & filii, quamvis propter formam ſerui ſicut filius hominis, ita etiam ſacerdos Chriſtus effectus ſit in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. De qua re in hoc Opere non ſemel diximus.

[Margin: Cadaver. — Coloſſ. 3. — Rom. 6. — Epheſ. 5. — Ioſue. 22. — Rom. 14. — 1. Cor. 10. — Apoc. 20 — 1. Pet. 2. — Pſal. 109]

a OMnes Chriſtianos.] *Aliàs, Chriſtos: alluſit ad illud Pſalm. Nolite tangere Chriſtos meos.* [L. Vives. Pſ. 104.]

b Deum eſſe Chriſtum.] *Nefas eſt enim, ſi alius habet ſacerdotem quam Deus, quod nec gentiles ignorabant, ut Cicero ſecunda Philippica.*

α QVid contra Apoſtolum, qui eam reſurrectionem appellat.] *Idem docet Tertullianus lib. de Reſurrect. carnis cap. 23. ex pluribus locis Apoſtoli.* [F. L. coq.]

β Sicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum chryſma.] *Tertul. in Apolog. capit. 3.* Chriſtianus quantum interpretatio eſt de unctione deducitur; *& de nomine Chriſtianorum à myſtico chriſmate. vide Cyrillum Hieroſolymit. catech. 3. myſtag.*

γ Sic omnes ſacerdotes quoniam membra ſunt unius ſacerdotis.] *Ita Tertul-*

tullianus lib. de exhort. caſtitatis cap.7. Nonne & laici ſacerdotes ſumus? Scriptum eſt, regnum quoque nos & ſacerdotes Deo & patri ſuo fecit. Apocal.1. fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & patri ſuo, *& 5.* feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes. *(*Hic locus Auguſtini ſimul cum illis locis ſcripturæ nihil favent hæreſi Lutheranorum, qui volunt Chriſtianos omnes ex æquo ſacerdotes eſſe, & poſſe conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti; imò cum iſta hæreſi pugnat hic apertè Auguſt. qui ſolos epiſcopos & presbyteros jam propriè in Eccleſia vocari ſacerdotes ſcribit,)* Ut Chriſtiani non niſi impropriè & metaphoricè vocentur ſacerdotes, utpote quia Deo ſpirituales hoſtias ut ſacrificia laudis. gratiarum actionis & mortificationis offerre poſſint: quod eleganter ſcribit Leo Papa ſerm. 3. in anniverſario die aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum*; omnes in Chriſto regeneratos crucis ſignum efficit reges, Sancti vero Spiritus unctio conſecrat ſacerdotes, ut propter iſtam ſpecialem noſtri miniſterii ſervitutē, univerſi ſpirituales & rationales Chriſtiani agnoſcant, ſe regii generis & ſacerdotalis officii eſſe conſortes, *ubi manifeſtè diſtinguit ſacerdotium proprium & ſpeciale Eccleſiæ ab improprio & myſterico, quo omnes Chriſtiani ſacerdotes appellantur. D. Ambr. lib. 4. de ſacramentis c. 1.* Unuſquiſque ungitur in ſacerdotium, in regnum, ſed ſpirituale regnum eſt & ſacerdotium, *ut nimirum diſtinguat à ſacerdotio Hierarchico: & ſacerdotium illud ſanctorum in cœlo, de quo Joannes, non aliò refertur niſi ad offerendas in æternum laudes Deo in illa æterna beatitudine.*

Cap. XI.

De Gog & Magog, quos ad perſequendam eccleſiam Dei ſolutus prope finem ſeculi diabolus incitabit.

Apoc.20 ET *cum finiti fuerint*, inquit, *mille anni, ſolvetur ſatanas de cuſtodia ſua & exibit ad ſeducendas nationes, quæ ſunt in quatuor angelis terræ Gog & Magog, & trahet eos in bellum, quorum numerus eſt ut arena maris.* Ad hoc ergo tunc ſeducet, ut in hoc bellum trahat. Nam & antea modis quibus poterat per mala multa & varia ſeducebat. Exibit autem, dictum eſt, in apertam perſecutionem de latebris erumpet odiorum. Hæc enim erit noviſſima perſecutio, noviſſimo imminente judicio, quam ſancta eccleſia toto terrarum orbe patietur: univerſa ſcilicet civitas Chriſti ab univerſa diaboli civitate quantacunque erit utraque ſuper terram. *a* Gentes quippe iſtæ, quas appellat Gog & Magog, non ſic ſunt accipiendæ, *a* tanquam ſint aliqui in aliqua parte terrarum barbari conſtituti: ſive quos *β* quidam ſuſpicantur Getas & Maſſagetas, propter literas horum nominum primas ſive aliquos alios alienigenas, & à Romano jure ſejunctos. Toto namque orbe terrarum ſignificati ſunt iſti eſſe, cum dictum eſt: Nationes quæ ſunt in quatuor angulis terræ, easque ſubjecit eſſe Gog & Magog. Quorum *b* interpretationem nominum eſſe comperimus Gog tectum, Magog de tecto, tanquam domus, & ipſe qui procedit de domo. Gentes igitur ſunt, in quibus diabolum velut in abyſſo ſuperius intelligebamus incluſum: & ipſe de illis quodammodo

modo ſeſe efferens & procedens, ut ille ſit tectum, ipſæ de tecto. Si autem utrumque referamus ad gentes, non unum horum ad illas, alterum ad diabolum, & tectum ipſæ ſunt, quia in eis nunc includitur, & quodammodo tegitur inimicus antiquus: & de tecto, ipſæ erunt, quando in apertum odium de operto erupturæ ſunt. Quod vero ait: *Et aſcenderunt ſuper terræ latitudinem & cinxerunt caſtra ſanctorum, & dilectam civitatem:* non utique ad unum locum veniſſe, vel venturi eſſe ſignificati ſunt, quaſi aliquo uno loco futura ſint caſtra ſanctorum & dilecta civitas, cum hæc non ſit niſi Chriſti eccleſia toto terrarum orbe diffuſa: ac per hoc ubicunque tunc erit, quæ in omnibus gentibus erit, quod ſignificatum eſt nomine latitudinis terræ: ibi erunt caſtra ſanctorum, ibi erit dilecta Deo civitas ejus: ibi ab omnibus inimicis ſuis, quia & ipſi in omnibus gentibus cum illa erunt, perſecutionis illius immanitate cingetur, hoc eſt, in anguſtias tribulationis artabitur, urgebitur, concludetur: nec malitiam ſuam deſeret, quæ vocabulo eſt appellata caſtrorum.

a TAnquam ſint aliqui in aliqua parte terrarum barbari.] *Hieronym. lib. 11. ſuper Ezechielem illo dicto: Ecce ego te ad Gog principem capitis Moſſoch & Thubal, & circumagam te. Judæi & noſtri Judaizantes, inquit, putant Gog eſſe gentes Scythicas immanes & innumerabiles, quæ trans Caucaſum montem & Mæotidem paludem, & prope Caſpium mare ad Indiam uſque tendantur: & has poſt mille annorũ regnum eſſe à diabolo commovendas: quæ veniant in terram Iſrael, ut pugnent contra ſanctos multis ſecum gentibus congregatis: primum Moſſoch, quos Joſephus interpretatur Cappadocas: deinde Thubal, quos idem Iberos vel Hiſpanos, Hebræi Italos ſuſpicantur. Habentes ſecum in exercitu Perſas, Æthiopas, & Libyas: Gomer quoque & Theogorma, quos Galatas & Phrygas interpretantur. Sabæos quoque & Dedan & Carthaginenſes, ſive Tharſis. Sic Hieronymus.* L. Vives. Gog & Magog.

b Quorum interpretationem nominum eſſe comperimus.] *Hieronymus Gog Græco ſermone δῶμα, Latino Tectum dicitur. Porro Magog interpretatur. De tecto. Omnis igitur ſuperbia & falſi nominis ſcientia, quæ erigit ſe contra notitiam veritatis, his nominibus demonſtratur.*

a GEntes quippe iſtæ, quas appellat Gog & Magog non ſic ſunt accipiendæ.] *De Gog & Magog etiam apud Ezechielem legitur cap. 38. & 39. ubi verba facit etiam ut hic Joannes de ultima Eccleſiæ perſecutione, quæ tempore Antichriſti futura eſt, ut ſentiunt in cap. 38 Ezechiel. Lyranus & Paulus Burgenſis in addit. Vatablus, & Iſidorus Clarus, & Galatinus lib. 5. cap. 12. Gog & Magog multi doctores variè interpretantur. Euſebius lib. 9. de demonſt. Evang. cap. 3. arbitratur Gog eſſe Romanum imperatorem, Magog imperium Romanorum. D. Ambroſius lib. 2. de fide cap. ult. Gog Gothos interpretatur, qui multas imperii Romani provincias vaſtaverunt. D. Hieronymus in cap. 38. & 39. Ezech. ubi fusè de Gog & Magog propheta vaticinatur, hæc ſcribit.* Judæi & Judaizantes putant Gog gentes eſſe Scythicas immanes & innumerabiles, quæ trans Caucaſum montem, & Mæotidem paludem & prope Caſpium mare ad Indiam uſque tendan- R. L. Cap.

dantur; & has poſt mille annorum regnum eſſe à diabolo commovendas, quæ veniant in regnum Iſrael, ut pugnent contra ſanctos multis gentibus ſecum congregatis. *D. Auguſtinus hoc loco per Gog, quod interpretatur tectum, intelligit exercitum Antichriſti ex omnibus gentibus collectum, in quibus velut in abyſſo incluſus eſt diabolus; per Magog, quod interpretatur de tecto, diabolum ipſum de ipſis quodammodo ſe efferentem & procedentem. Non enim legendum eſt, ut habent aliqui codices,* ipſæ de tecto, *alioquin non ſibi conſtaret Auguſtinus, ſed* ut illæ ſint tectum, ipſe de tecto; *ut rectè obſervavit Ribera in capit. 20. Apocal. vel etiam utrumque referri poteſt ad Gentes, ut ſint &* Gog, *id eſt*, tectum, *quia in eis nunc includitur, & quodammodo regitur diabolus, &* de tecto ipſæ erunt, *quoniam in apertum odium erumpent, & uno velut impetu in Eccleſiam irrumpent. Auguſtini ſenſum & verba acceperunt Primaſius, Beda, Aubertus, Haymo. Placuit & hæc interpretatio Proſpero Aquitanico in dimidio temporis cap. 4. Ruperto & Petro Galatino lib. 5. cap. 12.*

β Quidam ſuſpicantur Getas & Maſſagetas propter literas horum nominum primas.] *Proſper Aquitanicus in dimidio cap. 13.* Gog & Magog quidam dixerunt Gothos & Mauros, Getas & Maſſagetas, per quorum ſævitiam ipſe jam diabolus Eccleſiam vaſtat, & tunc amplius perſequentur.

Cap. XII.

An ad ultimum ſupplicium pertineat impiorum, quod deſcendiſſe ignis de cœlo, & eosdem comediſſe memoratur.

Apoc. 20 Matt. 25. Quod verò ait: *Et deſcendit ignis de cœlo, & comedit eos:* non extremum putandum eſt, id eſſe ſupplicium, quod erit, dum dicetur: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Tunc quippe in ignem mittentur ipſi, non ignis de cœlo veniet ſuper ipſos. Hic autem α benè intelligitur ignis de cœlo de ipſa firmitate ſanctorum, qua non ceſſuri ſunt ſævientibus, ut eorum faciant voluntatem. Firmamentum enim eſt cœlum, cujus firmitate illi cruciabuntur ardentiſſimo zelo: quoniam non poterunt attrahere in partes Antichriſti ſanctos Chriſti. Et ipſe erit ignis, qui comedet eos, & hoc à Deo: quia Dei munere inſuperabiles fiunt ſancti, unde excruciabuntur inimici. Sicut enim zelus in bono poſitum eſt, ubi dicitur: *Zelus occupavit plebem ineruditam.* Et nunc ignis contrarios comedet, & nunc utique excepto ſcilicet ultimi illius igne judicii. Aut ſi ipſam plagam, qua percutiendi ſunt Eccleſiæ perſecutores, veniente jam Chriſto, quos viventes inveniet ſuper terram, quando *interficiet* Antichriſtum *ſpiritu oris ſui*, ignem appellavit deſcendentem, eosque comedentem, neque hoc ultimum ſupplicium erit impiorum, ſed illud, quod facta corporum reſurrectione, paſſuri ſunt.

(Zelus in bonam & malam partem accipitur. Pſal. 68. 2. Theſſ. 2. Apoc. 20)

L. Cap. α Bene intelligitur ignis de cœlo de ipſa firmitate ſanctorum.] *Ignem metaphoricè accipit, de quo alibi Chriſtus,* ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut ardeat? *Ita de S. Laurentio legimus, quod* fortior fuit ignis, qui intus uſſit quàm qui combuſſit, *& de tribus pueris ita Macharius homil. 11.* οἱ τρεῖς

τρεῖς παῖδες διὰ τὴν δικαιοσύνην αὐτῶν ἐν τῷ φαινομένῳ πυρὶ ὄντες, ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν εἶχον τὸ θεικὸν οὐράνιον πῦρ ἐν τοῖς τῶν λογισμῶν διακονοῦν καὶ ἐνεργοῦν ἐν αὐτοῖς, καὶ αὐτὸ ἐκεῖνο ἐφαίνη ἐξώτερον αὐτῶν, ἀνὰ μέσον γὰρ αὐτῶν ἔστη, καὶ ἐπεῖχε τὸ φαινόμενον πῦρ τοῦ μὴ καίειν καὶ βλάπτειν τοὺς δικαίους. *Verùm ubi Scriptura ſacra patitur ſenſum proprium literalem, non eſt ad metaphoricum confugiendum. Atqui ſine abſurditate aliqua in ſenſu proprio literali poſſumus interpretari locum illum Joannis, ut verè ignis ſit è cœlo deſcenſurus, qui omnem Antichriſti exercitum abſumat. Plura etiam apud Ezechielem exſtant; comminatur exercitui Antichriſti per Gog & Magog ſignificato, cap. 38.* convocabo adverſus eum in cunctis montibus meis gladium, ait dominus Deus, gladius uniuſcujusque in fratrem ſuum dirigetur; Et judicabo eum peſte & ſanguine, & imbre vehementi & lapidibus immenſis; ignem & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum ejus, & ſuper populos multos, qui ſunt cum eo, *& de Magog cap. 39.* & immittam ignem in Magog.

CAP. XIII.

An ante tempus perſecutionis Antichriſti mille anni annumerandi ſint.

HÆc perſecutio noviſſima, quæ futura eſt ab Antichriſto (ſicut jam diximus & in hoc Libro ſuperius, & apud Danielem Prophetam poſitum eſt) tribus annis & ſex menſibus erit. Quod tempus quamvis exiguum, utrum ad mille annos pertineat, quibus & diabolum ligatum dicit, & ſanctos regnare cum Chriſto: an eiſdem annis hoc parvum ſpatium ſuperaddatur, atque ſit extra, merito ambigitur: quia, ſi dixerimus, ad eosdem annos hoc pertinere, non tanto tempore, ſed prolixiore cum Chriſto regnum ſanctorum reperietur extendi, quam diabolus alligari. Profectò enim ſancti cum ſuo rege etiam in ipſa præcipuè perſecutione regnabunt mala tanta vincentes, quando jam diabolus non erit alligatus, ut eos perſequi omnibus viribus poſſit. *a* Quomodo ergò iſta Scriptura eiſdem mille annis utrumque determinat, diaboli ſcilicet alligationem, regnumque ſanctorum: cum trium annorum & ſex menſium intervallo prius deſinat alligatio diaboli, quam regnum ſanctorum in his mille annis cum Chriſto? Si autem diximus, parvum perſecutionis hujus hoc ſpatium non computandum in mille annis, ſed eis impletis potius adjiciendum: ut propriè poſſit intelligi, quod cum dixiſſet, Sacerdotes Dei & Chriſti regnabunt cum eo mille annis: adjecit, *Et cum finiti fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de cuſtodia ſua:* iſto enim modo & regnum ſanctorum & vinculum diaboli ſimul ceſſatura eſſe ſignificat, ut deinde perſecutionis illius tempus nec ad ſanctorum regnum, nec ad cuſtodiam Satanæ, quorum utrumque in mille annis eſt, pertinere, ſed ſuperadditum & extra computandum eſſe credatur: cogemur fateri ſanctos in illa perſecutione regnaturos non eſſe cum Chriſto. Sed quis audeat dicere, tunc cum illo non regnatura ſua membra, quando ei maximè atque fortiſſimè cohærebunt: & quo tempore *β* quanto erit acrior impetus belli, tanto major gloria non cedendi,

tanto denſior corona martyrii? Aut ſi propter tribulationes, quas paſſuri ſunt, non dicendi ſunt regnaturi, conſequens erit, ut etiam ſuperioribus diebus in eiſdem mille annis, quicunque tribulabantur ſanctorum, eo ipſo tempore tribulationis ſuæ cum Chriſto non regnaſſe dicantur: ac per hoc & illi, quorum animas autor libri hujus vidiſſe ſe ſcribit occiſorum propter teſtimonium Jeſu & propter verbum Dei, non regnabant cum Chriſto, quando patiebantur perſecutionem: & ipſi regnum Chriſti non erant, quos Chriſtus excellentius poſſidebat. Abſurdiſſimum id quidem eſt, & omninò averſandum. Sed certè animæ victrices glorioſiſſimorum martyrum, omnibus doloribus ac laboribus ſuperatis atque finitis, poſteaquam mortalia membra poſuerunt, cum Chriſto utique regnaverunt & regnant, donec finiantur mille anni, ut poſtea receptis etiam corporibus jam immortalibus regnent. Proinde tribus illis annis atque dimidio, animæ occiſorum pro ejus martyrio, & quæ antea de corporibus exierunt, & quæ ipſa noviſſima perſecutione ſunt exituræ, regnabunt cum illo, donec finiatur mortale ſeculum, & ad illud regnum, ubi mors erit, tranſeatur. Quocirca cum Chriſto regnantium ſanctorum plures anni erunt, quàm vinculi diaboli & cuſtodiæ: quia illi cum ſuo rege Dei filio jam diabolo non ligato etiam per tres illos annos ac ſemiſſem, regnabunt. Remanet igitur, ut cum audimus, *Sacerdotes Dei & Chriſti regnabunt cum illo mille annis: & cum finiti fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de cuſtodia ſua:* aut non regni hujus ſanctorum intelligamus annos mille finiri, ſed vinculi diaboli atque cuſtodiæ: ut annos mille, id eſt, annos omnes, ſuos quæque pars habeat diverſis ac propriis prolixitatibus finiendos, ampliore ſanctorum regno, breviore diaboli vinculo: aut certè quoniam trium annorum & ſex menſium breviſſimum ſpatium eſt, computari noluiſſe credatur: ſive quod minus Satanæ vinculum, ſive quod amplius videtur, regnum habere ſanctorum: ſicut de quadringentis annis in ſexto decimo hujus Operis volumine diſputavi: quoniam plus aliquid erant, & tamen quadringenti ſunt nuncupati: & talia ſæpè reperiuntur in literis ſacris, ſi quis advertat.

F.L.Cy. a QUomodo ergo ſcriptura eiſdem mille annis.] *Ita enim loquitur de Sathana,* Et ligavit eum per annos mille. *& de Sanctis;* Et regnaverunt cum Chriſto mille annis. *Quomodo utrobique* mille anni *iidem intelliguntur id eſt, totum illud tempus à Chriſto ad Antichriſti perſecutionem? Nam ultra mille annos non protendetur ligatio Satanæ; at ſine dubio regnabunt etiam ſancti, ſive, ut interpretatur Auguſtinus, intelligamus regnum ſanctorum in eccleſia præſenti, quæ eſt regnum Chriſti, ſive intelligamus regnum ſanctorum jam beatitudine fruentium in cælo poſt illos mille annos, id eſt, ſoluto jam Satana ſive noviſſima illa perſecutione. Facile reſpondetur, quando dicuntur ſancti regnaturi per* mille annos, *non excludi illis verbis tempus, quod ſupereſt uſq; ad diem judicii. Tunc enim etiam regnabunt, quemadmodum nec æternitas excluditur, qua terminato omni tempore poſt judicium regnabunt. Sed cum de mille annis loqui cœpiſſet, quibus diabolus in abyſſo tenebitur, & poſt quos ſolvetur, eodem numero terminare voluit gloriam animarum beatarum; & quia etiam breviſſimum illud ſpatium noluit computare D. Joannes, quod amplius*

vide-

videbatur habere regnum Sanctorum. Ita enim ſcriptura poſito majori numero ſolet prætermittere minorem numerum, qui adeo non excedit.

β Quando erit acrior impetus belli.] *Ultima enim illa perſecutio ſoluto diabolo, & totis viribus ſæviente contra ſanctos erit omnium longe atrociſſima. Gregorius lib. 34. moral. capit. 1.* Totis contra mundum hoſtis antiquus viribus ſolvitur, qui quamvis jam nunc interiit, pro eo quod ſupernæ beatitudinis conditionem amiſit, tunc tamen plenius extinguitur, quando & à tentandi licentia abſtractus æternis incendiis religatur, unde & extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur, quia tanto ſe viciniorem ſentit ad pœnam. Conſiderat quippe, quod juxta ſit, ut licentiam nequiſſimæ libertatis amittat, & quantum brevitate temporis anguſtatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur, ſicut de illo voce Angelica ad Joannem dicitur; væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet. Tunc ergò in magnæ iræ fervorem ſe dilatat, ne qui in beatitudine ſtare non potuit, in damnationis ſuæ foveam cum paucis ruat, tunc quicquid nequiter valeat, callidius exquirit, tunc cervicem ſuperbiæ altius erigit, & per damnatum illum, quem hominem, omne quod temporaliter prævalet, nequiter oſtendit. *& lib. 29. moral. cap. 8. de ultima illa perſecutione loquens;* Tantis eccleſiam futurum eſt tribulationibus anguſtari. ut hæc tempora cum magno ſuſpirio deſideret, quæ nos cum magno dolore toleramus.

CAP. XIV.

De damnatione Diaboli cum ſuis, & per recapitulationem de reſurrectione corporum omnium mortuorum, & de judicio ultimæ retributionis.

POſt hanc autem commemorationem noviſſimæ perſecutionis, breviter complectitur totum, quod ultimo jam judicio diabolus, & cum ſuo principe civitas inimica paſſura eſt. Dicit enim: *Et Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, quo & beſtia & pſeudopropheta excruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.* α Beſtiam benè intelligi ipſam impiam civitatem, ſupra jam diximus. Pſeudo verò propheta ejus aut Antichriſtus eſt, aut imago illa, id eſt, figmentum illud, de quo ibi locuti ſumus. Poſt hæc ipſum noviſſimum judicium, quod erit in ſecunda reſurrectione mortuorum, quæ corporum eſt, re- *Apo. 20.*
capitulando narrat, quomodo fuerit ſibi revelatum: *Et vidi*, inquit, *thronum magnum & candidum, & ſedentem ſuper eum, cujus à facie a fugit cœlum & terra, & locus eorum non eſt inventus.* Non ait, Vidi thronum magnum & candidum, & ſedentem ſuper eum, & ab ejus facie fugit cœlum & terra: quoniam non tunc factum eſt, id eſt, antequam eſſet de vivis & mortuis judicatum: ſed eum ſe vidiſſe dixit in throno ſedentem, à cujus facie fugit cœlum & terra; ſed poſtea. Peracto quippe judicio tunc eſſe deſinet hoc cœlum & hæc terra, quando incipiet eſſe cœlum novum & terra nova. β Mutatione namque rerum non omnimodo interitu tranſibit hic mundus. Unde & Apoſtolus ait: *Præterit enim figura* *1. Cor. 7.*

 hujus

hujus mundi, volo vos ſine ſolicitudine eſſe. Figura ergò præterit, non natura. Cum ergò ſe Joannes vidiſſe dixiſſet ſedentem ſuper thronum, à cujus facie, quod poſtea futurum eſt, fugit cœlum & terra: *Et vidi,* inquit, *mortuos magnos & puſillos, & aperti ſunt libri: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ uniuſcujuſque, judicati ſunt mortui ex ipſis ſcripturis librorum ſecundùm facta ſua.* Libros dixit eſſe apertos, & librum: Sed librum cujuſmodi non tacuit: *qui eſt,* inquit, *vitæ uniuſcujuſque.* γ Ergò illi libri, quos priore loco poſuit, intelligendi ſunt ſancti & veteres & novi, ut in illis oſtenderetur, quæ Deus fieri ſua mandata juſſiſſet, in illo autem, *b* qui eſt vitæ uniuſcujuſque, quid horum quiſque non feciſſet, ſive feciſſet. Qui liber, ſi carnaliter cogitetur, quis ejus magnitudinem, aut longitudinem valeat æſtimare? Aut quanto tempore legi poterit liber, in quo ſcriptæ ſunt univerſæ vitæ univerſorum? An tantus angelorum numerus aderit, quantus hominum erit: & vitam ſuam quiſque ab Angelo ſibi adhibito audiet recitari? Non ergò unus liber erit omnium, ſed ſinguli ſingulorum. Scriptura verò iſta unum volens intelligi: *Et alius,* inquit, *liber apertus eſt.* Quædam igitur vis eſt intelligenda divina; δ qua fiet, ut cuique opera ſua, vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur: ut accuſet, vel excuſet ſcientia conſcientiam: atque ita ſimul & omnes & ſinguli judicentur. Quæ nimirum vis divina, libri nomen accepit. In ea quippe quodàmmodo legitur, quicquid à faciente recolitur. Ut autem oſtendat, qui mortui ſint judicandi, id eſt, puſilli cum magnis, recapitulando dicit tanquam ad id rediens, quod prætererat, potiúſque diſtulerat: Et exhibuit mare mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus reddiderunt mortuos, quos in ſe habebant. Hoc procul dubio prius factum eſt, quam eſſent mortui judicati: & tamen illud prius dictum eſt. Hoc eſt ergò quod dixi, ε recapitulando eum ad id rediiſſe, quod intermiſerat. Nunc autem ordinem tenuit, atque ut explicaretur ipſe ordo, commodius etiam de judicatis mortuis, quod jam dixerat, ſuo repetivit loco. Cum enim dixiſſet: Et exhibuit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus reddiderunt mortuos, quos in ſe habebant: mox addidit, quod paulo ante poſuerat, Et judicati ſunt ſinguli ſecundùm facta ſua. Hoc eſt enim, quod ſupra dixerat: judicati ſunt mortui ſecundùm facta ſua.

Liber vitæ.

L. Vives. *a* FUgit cœlum & terra.] *Prima longa: nam præteritum eſt ἔφυγεν. Poſteaquam enim judicavit, fugerunt cœlum & terra. Apoſtolus tum velut jam facta narrat more Prophetarum.*

b Qui eſt vitæ uniuſcujuſque.] *Alibi, ut uni. Græcè ὁ τῆς ζωῆς, quod eſt vitæ, uniuſcujuſque non legitur.*

Al. ſeq. α BEſtiam bene intelligit impiam civitatem.] *Ut ſibi conſtet, ita enim ſuperius interpretatus eſt, & Pſeudoprophetam interpretatur Antichriſtum, aut imaginem illam, quam impii adoraverunt; beſtiam ipſam poſſumus Antichriſtum intelligere, & Pſeudoprophetam inſignem illum Antichriſti præcurſorem, de quo Apoc. 13.*

β Mutatione namque rerum non omnimodo interitu tranſibit hic mundus.] *Quoad ſubſtantiã enim permanebit in æternum, licet quoad ſtatum ſit immutandus.*

Ita de-

Ita docent Theologi in 4. diſtinct. 48. iidem enim cœli, & eadem elementa, ex quibus conſtat hoc univerſum remanebunt quoad ſubſtantiam, licet aliqua ratione ſint in melius immutanda. Hieronymus in Eſaia caput 51. idem cum Auguſtino docet, perditionem cœlorum non interitum ſonare; ſed mutationem in melius. & iterum. Ex quo perſpicuum eſt cœlum & terram non perire & in nihilum redigi, ſed in melius commutari, *& ad cap. 65. Iſaiæ latius id perſequitur.*

γ Ergo illi libri intelligendi ſunt ſancti.] *Libros quos Joannes dicit apertos, ſanctos veteres & novos interpretatur, ut in illis oſtenderentur, quæ Deus fieri juſſiſſet in libro vitæ, qui apertus eſt, librum intelligit, in quo ſcripta eſt uniuscujusq; vita, hoc eſt, quid quisque fecit aut non fecit. Librum illum vitæ poſſumus intelligere, in quo omnes ſcripti ſunt, qui prædeſtinati ſunt ad vitam æternam: de quo cap. 3. Apoc.* Qui vicerit, non delebo nomen ejus de libro vitæ, *& cap. 13.* adoraverunt beſtiam omnes qui inhabitant terram, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ agni. *& capit. 17. & ex verbis ſubſequentibus hac interpretatio conſtat.* Et qui non eſt inventus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis, *& libri intelliguntur illi, in quibus uniuscujusque opera ſcripta ſunt, de quibus & Daniel cap. 7.* Judicium ſedit, & libri aperti ſunt. *Aliqui exiſtimant libros illos reliquos qui aperti ſunt, ad reprobos ſpectare, qui quoniam multo ſunt plures quàm prædeſtinati, in multis libris ſcripti referuntur, cum prædeſtinati, quoniam comparatione reproborum ſunt pauci, maximè ſi de hominibus agatur, in uno tantum libro, qui eſt vitæ, ſcripti referantur. Ita probatur mihi hac interpretatio, ut altera D. Auguſtini non improbetur, qua libros illos ſanctos intelligit divinam juſſionem ac divinam voluntatem exprimentes in ſeipſis: alterum vitæ librum intelligit eſſe memoriam factorum omnium, quæ virtute divina in omnibus hominibus judicandis fiet. Richard. de ſancto Victore lib. de poteſt. Judic. priores libros intelligit non quoslibet ſanctos, ſed ſolos inſignes ac perfectos viros, in quibus divina lex ac voluntas tanquam in ſpeculo relucet. A qua non abhorret Theodoretus in cap. 7. Danielis.*

δ Qua fiet ut cuique opera ſua vel bona vel mala] *Ita tamen ut non cuique tantum ſua manifeſta ſint opera propria, verùm & omnia & ſingula omnium hominum & Angelorum opera omnibus ſint manifeſtanda. Id enim ad perfectam rationem generalis judicii ſpectat, ut omnium cauſæ in publicum proferantur, & æquitas divinæ juſtitiæ omnibus publicè innoteſcat. Quomodo verò ſint manifeſtanda cuique ſua vel etiam aliorum opera, an per mentalem tantùm manifeſtationem, an etiam per vocalem, & utrum in momento, vel etiam temporis aliquo intervallo, meritò quæritur. Probabilius eſt hujusmodi manifeſtationem non eſſe totam vocibus ſenſibilibus exprimendam, quia non id videatur neceſſarium, credibile etiam eſt non in inſtanti, ſed temporis aliqua ſucceſſione, maxima tamen celeritate, ut hic loquitur Auguſtinus, cuique ſua & aliorum opera manifeſtanda.*

Recapitulando dicit tanquam ad id rediens.] *Recapitulationis figura certum eſt uti Joannem eo loci. Alias enim quomodo poſt apertos libros & factum ex illis judicium de generali reſurrectione diſſeritur, cum reſurrectio debeat præcedere judicium, niſi ad recapitulationis figuram recurramus? Nec eſt infrequens in ſcripturis ſacris, ut docet*

docet ipſe Auguſtinus lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 36. quæ & multas quæſtiones alioquin obſcuras ſolvit & indiſſolubiles, ut idem docet q. 25. in Geneſ.

Cap. XV.

Qui ſint mortui, quos ad judicium exhibuit mare, vel quos mors & inferi reddiderunt.

SEd qui ſunt mortui, quos exhibuit mare, qui in eo erant. *a* Neque enim qui in mari moriuntur, non ſunt in inferno, aut corpora eorum ſervantur in mari: aut, quod eſt abſurdius, mare habebat bonos mortuos, & infernus malos? Quis hoc putaverit? Sed profecto convenienter quidam hoc loco

Mare pro hoc ſeculo. β mare pro iſto ſeculo poſitum accipiunt. Cum ergo, & quos hic inveniet Chriſtus in corpore conſtitutos, ſimul ſignificaret cum iis qui reſurrecturi ſunt, judicandos; etiam ipſos mortuos appellavit, & bonos quibus dicitur:

Coloſſ. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Et malos, de

Matt. 8. quibus dicitur: *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Poſſunt mortui etiam

Rom. 6. propter hoc dici, quod mortalia gerunt corpora. Unde Apoſtolus: *Corpus quidem*, inquit, *mortuum eſt propter peccatum: ſpiritus autem vita eſt propter juſtitiam.* Utrumque in homine vivente, atque in hoc corpore conſtituto eſſe demonſtrans: & corpus mortuum, & ſpiritum vitam: Nec tamen dixit corpus mortale, ſed mortuum: quamvis eadem paulo poſt etiam mortalia corpora, ſicut uſitatius vocant, appellet. Hos ergo mortuos exhibuit mare qui in eo erant, id eſt, exhibuit homines hoc ſeculum, quicunque in eo erant, quia nondum obierant. *Et mors, & infernus*, inquit, *reddiderunt mortuos, quos in ſe habebant.* Mare exhibuit, quia ſicut inventi ſunt, affuerunt: mors vero & infernus reddiderunt, quoniam vitæ, de qua jam exierant, revocaverat. Nec fruſtra fortaſſe non ſatis fuit ut diceret mors, aut infernus, ſed utrumque dictum eſt; mors propter bonos, qui tantummodo mortem perpeti potuerunt, & non infernum: infernus autem propter malos, qui etiam pœnas apud inferos pendunt. Si enim non abſurdè credi videtur, antiquos etiam ſanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, *a* γ locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti & ad ea loca deſcenſus, erueret, profecto deinceps δ boni fideles effuſo illo pretio jam redempti, prorſus inferos neſciunt, donec etiam receptis corporibus, bona recipiant quæ merentur. Cum autem dixiſſet: *Et judicati ſunt ſinguli ſecundum facta ſua*: breviter ſubjecit, quemadmodum fuerint judicati. *Et mors, & infernus*, inquit, *miſſi ſunt in ſtagnum ignis:* his nominibus ſignificans diabolum: quoniam mortis eſt autor & infernarum pœnarum, univerſamque ſimul dæmonum ſocietatem. Hoc eſt enim quod ſupra evidentius præoccupando jam dixerat: *a* *Et diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris.* Quod ibi vero obſcurius adjunxerat, dicens: *Quo & beſtia, & pſeudopropheta*: hic apertius, *& qui non ſunt inventi*, inquit, *in libro vitæ ſcripti, miſſi ſunt in ſtagnum ignis.* ε b Non Deum

um liber iſte commemorat, ne oblivione fallatur: ſed prædeſtinationem ſignificat eorum, quibus æterna dabitur vita. Neque enim neſcit eos Deus; & in hoc libro legit, ut ſciat: ſed potius ipſa ejus præſcientia de illis, quæ falli non poteſt, liber eſt vitæ: in quo ſunt ſcripti, id eſt, ante præcogniti.

a LOcis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis.] *Sinum Abrahæ hunc locum nominant, in quo ſine pœnis fuiſſe Chriſtus ſatis indicat Lucæ decimo ſexto, ubi Lazarum dicit in ſolatio eſſe, quem ſinum ab inferis, loco ſceleratorum, oſtendit magno ſeparatum hiatu: ubi ſit, aut quomodo intelligatur, neſcire ſe Auguſtinus libro ſuper Geneſin octavo fatetur. Occulta ſunt omnia hæc, quia nec ſciri attinet, nec ut ſciamus, digni ſumus.* L. Vives. Sinum Abrahæ.

b Nondum liber iſte com.] *Alibi melius: Non Deum. Senſus eſt, Liber iſte apertus vitæ non admonet Deum qui ſint ſervandi.*

α NEque enim qui in mari moriuntur ſunt in inferno.] *Homericum illud fabuloſum, cujus meminit Syneſius epiſt. 2.* τὸν καθ' ὕδατος θάνατον ὄλεθρον εἶναι καὶ αὐτῆς τῆς ψυχῆς, λέγει γὰρ ἐστὶν ὅπου τῶν ἐπῶν Ὅμηρος. F. L. Cerd.

Αἴας δ' ἐξαπόλωλεν ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ.

Τὸν ἐν θαλάσσῃ θάνατον ἀκριβεστάτην ἀπώλειαν εἶναι τεθρυλημένος· οὐδένα γὰρ ἄλλον ἐξαπολωλέναι φησίν. ἀλλ' ἕκαστος ἀποθνήσκων ἢ βέβηκε, *& deinceps.*

β Mare pro iſto ſæculo poſitum accipiunt.] *Quod ſcribit Joannes*, & mare & mortem & infernum dediſſe mortuos ſuos, *interpretatur id quod aſſerunt ſcripturæ, judicaturum Chriſtum vivos ac mortuos, ita ut mare, id eſt, præſens ſæculum dicatur dediſſe mortuos, qui in ipſo erant, quia hi, quos in corpore conſtitutos in hoc ſæculo Chriſtus inveniet, ſimul cum aliis reſurgent & ſimul judicabuntur. Ita* mors & infernus dederunt mortuos ſuos. *id eſt, eos, qui in ſepulchris inveniendi ſunt in die judicii, ut non fruſtra tamen dictum ſit* mors aut infernus, *ſed utrumque:* mors *quidem propter bonos, qui mortem tantum perpeſſi ſunt, non vero pœnas inferni;* infernus *propter malos, qui etiam pœnas apud inferos pendunt. Utrique enim reſuſcitandi ſunt. Hæc interpretatio eſt etiam Primaſii, Tichonii homil. 17. in Apoc. Illæ enim homiliæ licet exſtent apud D. Auguſt. tom. 9. non ſunt tamen Auguſtini, ſed Trichonii Donatiſtæ, cujus meminit lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 31. & ſequent. Alii* mare *propriè intelligunt, ut daturum dicatur eorum corpora, qui in eo ſubmerſi perierunt. Ita* infernus dabit mortuos ſuos, *id eſt animas omnes, quas eo tempore tenuerit; denique mors dabit etiam eorum corpora, qui in terra vel ſepulti vel cremati, aut à feris etiam devorati fuerunt, vel quoquo modo perierunt, ut mors hoc loco ab inferno & mari dividatur, ad danda nimirum corpora, quæ in terra perierint, quo ſenſu per mortuos non ſola corpora, ſed etiam animas Joannes intellexerit. Cum enim in inferno nulla futura ſint corpora ante diem judicii, ut eſt probabilior ſententia, quando infernus dicitur daturus mortuos ſuos, id non de corporibus, ſed de animabus ibi detentis videtur accipiendum. In ſenſu tamen, quam ſequitur D. Auguſtinus, non eſt varietas ſignificationis ejuſdem dictionis, ſed utrobique eodem modo mors intelligitur.*

γ Locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe.] *Videtur hic retractare, quæ aſſeruerat epiſt. 57. & 99. ubi docet ſinum Abrahæ, quo intelli-*

iſti in ſupplicium æternum: ſequitur, ut explicet, quod etiam ibi connectitur: *juſti autem in vitam æternam. Et vidi,* inquit, *cælum novum, & terram novam.* Nam primum cœlum & terra prima receſſerunt, & mare jam non eſt. Iſto fiet ordine, quod ſuperius præoccupando jam dixit, vidiſſe ſe ſuper thronum ſedentem, à cujus facie fugit cœlum & terra. Judicatis quippe his, qui ſcripti non ſunt in libro vitæ, & in æternum ignem miſſis α (qui ignis cujusmodi, & in qua mundi, vel rerum parte futurus ſit, a hominem ſcire arbitror neminem, niſi forte cui ſpiritus divinus oſtendit) tunc figura hujus mundi β mundanorum ignium conflagratione præteribit, ſicut factum eſt mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundana γ elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus noſtris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt: atque ipſa ſubſtantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant: ut ſcilicet mundus in melius innovatus, aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innovatis. Quod autem ait, *Et δ mare jam non eſt:* utrum maximo illo ardore ſiccetur, an & ipſum vertatur in melius, non facilè dixerim. Cœlum quippe novum & terram novam futuram legimus. De mari autem novo aliquid me uſpiam legiſſe, non recolo: niſi quod in hoc eodem libro reperitur, tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo. Sed tunc non de iſto fine ſæculi loquebatur: nec propriè dixiſſe videtur mare, ſed tanquam mare. *b* Quamvis & nunc ſicut amat prophetica locutio propriis verbis tranſlata miſcere: ac ſic quodammodo velare quod dicitur: potuit de illo mari dicere, *Et mare jam non eſt:* de quo ſupra dixerat: *Et exhibuit mare mortuos, qui in eo erant.* Jam enim tunc non erit hoc ſeculum vita mortalium turbulentum & procelloſum: quod maris nomine figuravit.

Ignis æternus.

a HOminem ſcire arbitror neminem.] *Neminem verò? Non interfuiſti digladiationibus Scholaſticis: ibi nullus eſt vel batalarius, vel magiſtellus, qui ignoret, ignem fore elementarem illum, cujus domicilium eſt inter aërem & Lunæ globum, deſcenſurum eum ſcilicet & incendio ſuo reliqua tria purgaturum elementa. Quòd ſi hoc parùm probas non deerunt, qui perſanctè dejerent, futurum ignem ex incendio radiorum Solis in media plaga aëris excitato, coeuntibus eò denſiſſimis & ardentiſſimis radiis velut in ſpeculum cavum & calybeum. Sed non eſt mirum, ſuo tempore non tantus erat ignis uſus, quantus nunc, quum, ut Theologos omittam, Philoſophi, ſive Decembri medio ſive medio Julio nihil aliud ore, manibus pedibusq; tractant, & verſant, quàm ignem. Ex Philoſophis fiunt Theologi, & hanc Philoſophandi rationem etiam in ſcholas ſanctiores transferunt. Propterea iſtis longè eſt de igne facilius definire, quàm tibi & tui æqualibus vel Majoribus.* L. Vive.

b Quamvis & nunc, ſicut clamat proph. hoc.] *Videtur legendum: Sicut amat, pro ſolet: more Græco, φιλεῖ, interdum Latinis recepto. Solet probetica ſolutio propriis verbis metaphoras admiſcere: hic eſt prophetarum mos, vel quia ipſi ſic vident: vel quia ſic tradi expedit.*

F.L.Coq α QUi ignis cujuſmodi, & in qua mundi vel rerum parte futurus ſit.] *Ubi infernus ſit nec definire audet Gregorius lib. 4. dialogi cap. 42.* licet nihil obſtare dicatur, quo minus ſub terra eſſe credatur. *D. tamen Auguſt. lib. 12. ſuper Gen. cap. 34.* Sub terris *(inquit)* dicuntur inferi, vel creduntur, *& lib. 2. retract. c. 24. hunc locum repetens, ait, quod potius debuiſſet docere quod ſub terris ſint, quam rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur. Et ea eſt ſententia Patrum ac Scholaſticorum Tertullianus in Apolog. cap. 47. gehennam definit*, quod ſit ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus, *& lib. de anima cap. 55.* nobis inferi, *inquit*, in foſſa terræ, & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus abſtruſa ejus profunditas; *& paulo poſt*, habes & regionem infernum ſubterraneam credere. *D. Hieronymus in epiſtola ad Epheſios capit. 4. idem confirmat ex ſcriptura Pſalm. 105.* aperta eſt terra, & devoravit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron; *& ipſum in Numerorum libro plenius explicatur; alibi quoque legimus*, veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes. *Atque in centro gravitatis terræ omnes fere infernum damnatorum collocant, ut quemadmodum beati ſunt in cælo empyreo loco totius mundi ſupremo, ita damnati ſint in infimo totius orbis; quod & aliqui ex Philoſophis agnovere. Plato, ut ſcribit Tertullianus loco citato de anima c. 54. Inferos velut gremium terræ deſcribit in Phædone, quò omnes labes mundialium ſordium confluendo & ibidem deſidendo exhalent, & quaſi cœno immunditiarum ſuarum craſſiorem hauſtum & privatum illic aerem ſtipent. Cujuſmodi ſit ille ignis inferni non definit Auguſt. Certe Lactant. lib. 7. cap. 21. putat eſſe alterius naturæ ab elementari; communis tamen ſententia Theologorum eſt, eum ignem ejuſdem eſſe naturæ cum noſtro.*

β Mundanorum ignium conflagratione præteribit.] *Ita colligitur ex verbis Petri*, elementa calore ſolventur, terræ autem & quæ in ea ſunt opera exurentur. *Eſt enim ignis aptiſſimum inſtrumentum ad eam purgationem faciendam tum propter ſuam puritatem & nobilitatem inter omnia elementa, eſt enim futurus ille ignis conflagrationis ejuſdem ſpeciei cum hoc igne elementari, quàm propter activitatem D. Thomas in 4. diſtin. 47. quæſt. 2. & alii Theologi ibidem multa de hoc igne inquirunt, ut ex qua materia, & à quibus cauſis ſit generandus, & quantæ magnitudinis ſit. Veriſimile eſt quod aſſerit Franciſcus Suares in 4. p. D. Thomæ 2. tom. diſput. 58. ſect. 3. illum ignem, qui judicium anteceſſurus eſt, generandum eſſe in ſecunda aeris regione divino imperio ex vaporibus & exhalationibus, quæ ibi erunt, vel ad hunc finem eò aſcendent.*

γ Elementorum corruptibilium qualitates.] *Elementa poſt diem judicii permanebunt ſecundum ſubſtantiam & ejuſdem ſpeciei; quod verò ait interituras elementorum qualitates, id minimè intelligendum de naturalibus elementorum qualitatibus, quæ conſequuntur ipſorum ſubſtantiam, verùm per immutationem illam debemus intelligere, primum quod auferendæ ſint omnes ſordes, quæ ſunt præter naturam elementorum, ſecundo quod aliqua ſint addenda ad majorem ornatum univerſi & perfectionem ipſorum elementorum. Quoad primum omnes ſubſtantiæ, vel affectiones extraneæ, quæ elementis aquæ præſertim & terræ admixtæ ſunt, conſummabun-*

tur

tur & exhalabuntur, verbi gratia, aqua maris adeo ferveſcent, ut ſalis affectionem & nimiam denſitatem amittant, & ſi quos habent vapores admixtos illos exhalent. Fiet etiam tanta aquarum commotio, ut omnia piſcium, vel aliarum rerum corpora in eis latentia expellantur & igni tradantur: omnia excrementa terræ, & quicquid materiæ ſuperfluum fuerit, partim igne conſumentur, partim in infernum violento quodam impetu detrudentur: Quoad ſecundum, elementis omnibus addenda eſt quadam eximia claritas & lux non æqualis quidem, ſed proportionata, prout requirit varia dignitas elementorum. Terra (*inquit D. Thomas in 4. diſt. 48. quæſt. 2. art. 4.*) erit lucida & pervia, ſicut vitrum in ſuperficie, aqua ſicut cryſtallum, aer ſicut nunc eſt & cœlum, ignis ſicut nunc ſunt luminaria cœli.

δ Mare jam non eſt, utrum maximo illo ardore ſiccetur, an & ipſum vertatur in melius.] *Priorem opinionem videtur ſecutus Beda in cap. 3. 2. Petri ubi docet, duo elementa eſſe peritura ignem & aquam, & duo renovanda terram & aerem. Andreas Cæſar. idem ſenſit in Apocal. 21* Notandum, *inquit*, de cœlo quidem & terra eum dicere, abiit, id eſt, mutatum eſt, de mari autem, mare non erit amplius, quæ enim utilitas maris, cum non ſit hominibus opus illud navigare? *Haymo dubitat, nec aliquid audet definire, dubiè à Doctoribus tractari ſcribit Rupertus. D. Auguſtinus nihil hic definit, ſed per mare præſens ſeculum vitæ mortalium turbulentum & procelloſum, quod tunc jam non erit, poſſe intelligi. Communis ſententia Theologorum eſt, mare ſecundùm ſuam ſubſtantiam minimè periturum, cùm pertineat ad integritatem univerſi, ſed ſimiliter renovandum ad illius decorem & ornatum majorem; atque eodem ſenſu dictum à Joanne,* & mare jam non eſt, *quo antea dictum fuerat,* primum cœlum & prima terra abiit, *ut* abiiſſe *hoc loco ſit idem quod non eſſe, nec ſignificet annihilationem vel interitum, ſed innovationem ipſius maris à priſtino ſtatu in pulchriorem & longe perfectiorem.*

CAP. XVII.

De Eccleſiæ glorificatione ſine fine poſt mortem.

α ET *civitatem*, inquit, *magnam Hieruſalem novam vidi deſcendentem de cœlo, à Deo aptatam: quaſi novam nuptam, ornatam marito ſuo. Et audivi vocem magnam de throno, dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi erunt populus ejus, & ipſe Deus erit cum eis. Et abſterget ab oculis eorum omnem lacrymam: & mors jam non erit, neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor, quia priora abierunt. Et dixit ſedens in throno: Ecce nova facio omnia.* De cœlo deſcendere iſta civitas dicitur, quoniam cœleſtis eſt gratia, qua Deus eam fecit. Propter quod ei dicit etiam per Eſaiam: *Ego ſum Dominus faciens te.* Et de cœlo quidem ab initio ſui deſcendit; ex quo per hujus ſeculi tempus, gratia Dei deſuper veniente per lavacrum regenerationis in Spiritu ſancto miſſo de cœlo, ſubinde cives ejus accreſcunt? Sed per judicium Dei, quod erit noviſſimum per ejus filium Jeſum Chriſtum, tanta ejus & tam nova de Dei munere claritas apparebit, β ut nulla remaneant vetuſtatis veſtigia: quandoquidem & corpora ad incorruptionem atque immortalitatem novam ex vetere corruptione atque mortalitate tranſibunt. γ Nam hoc

Apoc. 21. Eſa. 45.

de iſto tempore accipere, quo regnant cum rege ſuo mille annis, impudentiæ
Apo.21. nimiæ mihi videtur: cum apertiſſimè dicat: *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors jam non erit, neque luctus, neque clamor: ſed nec ullus erit dolor.* Quis verò tam ſit abſurdus, & obſtinatiſſima contentione veſanus, qui audeat affirmare in hujus mortalitatis ærumnis, non dico populum ſanctum, ſed unumquemque ſanctorum, qui hanc vel ducat, vel ducturus ſit, vel duxerit vitam, nullas habentem lachrymas & dolores: cum potius & quanto quisque eſt ſanctior, & deſiderii ſancti plenior, tanto ſit ejus in orando fletus uberior? *a*
Pſal.41. An non eſt vox civitatis supernæ Hieruſalem, quæ dicit: *Factæ ſunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte?* Et: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum: in lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Et: *Gemitus meus non eſt abſconditus à te.* Et: *Dolor meus renovatus eſt.* Aut verò non ejus filii ſunt, qui ingemiſcunt gravati, in quo nolunt expoliari: ſed ſuperveſtiri, *ut abſorbeatur mortale hoc à vita?* Nonne ipſi ſunt, qui primitias habentes ſpiritus, in ſemetipſis ingemiſcunt, adoptionem expectantes, redemtionem corporis ſui? An ipſe Apoſtolus Paulus non erat ſupernus Hieroſolymitanus, vel non multo magis hoc erat, quando pro Iſraelitis fratribus carnalibus ſuis triſtitia illi erat magna, & continuus dolor cordi ejus? *b* Quando autem mors non erit in iſta civitate, niſi quando dicetur? *c Ubi eſt mors contentio tua? ubi eſt mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis eſt peccatum.* Quod tunc utique non erit, quando dicetur, ubi eſt? nunc verò non quilibet infimus civis illius civitatis, ſed idem ipſe Joannes in Epiſtola ſua clamat: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et in hoc quidem libro, cujus nomen eſt Apocalypſis, & obſcurè multa dicuntur, ut mentem legentis exerceant, & pauca in eo ſunt, ex quorum manifeſtatione indagentur cætera cum labore: maximè quia ſic eandem multis modis repetit, ut alia atque alia dicere videatur: cum aliter atque aliter hæc ipſa dicere inveſtigetur. Verùm in his verbis, ubi ait: *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors jam non erit, neque luctus, neque clamor: ſed nec ullus dolor:* tanta luce dicta ſunt de ſeculo futuro, & immortalitate, atque æternitate ſanctorum (tunc enim ſolum atque ibi ſolum iſta non erunt) ut nulla debeamus in literis ſacris quærere vel legere manifeſta, ſi hæc putaverimus obſcura.

Pſal.6. Pſal.37. Pſal.38. Rom.8. Rom.9. 1.Cor.15. 1.Joan.1. Apo.21.

L. Vives.

1.Cor.15 *a* AN non eſt vox.] *Alibi, An non eſt vox civis ſupernæ Hieruſalem: Factæ ſunt, &c.*

b Quando autem mors non erit in iſta civitate.] *Nunquam deerit mors in civitate Dei, quoad idem, quod de Chriſti corpore beatitudine donato, dictum eſt: Ubi eſt mors victoria tua? dicatur de noſtrûm omnium corporibus poſt reſurrectionem, quum corpora noſtra ſimilia erunt corpori claritatis filii Dei.*

c Ubi eſt mors contentio tua?] *Vulgo, victoria tua,* νῖκος*: quod ſi* νεῖκος *ſcribatur, erit contentio. Et ſic Ambroſius & Hieronymus interim legunt. Dictum hoc ex Oſea capite 13. affertur à Paulo prima Corinth.16.*

a Et

a ET civitatem, *inquit,* magnam Hieruſalem.] *Superioribus capitibus immoratus eſt Auguſtinus in explicando cap. 20. Apoc. quo Joannes de regno ſanctorum ad perſecutionem usque Antichriſti cum Chriſto in cælo, de Antichriſti perſecutione & interitu, de impiorum damnatione & ultimo judicio locutus eſt, nunc illam viſionem Joannis 21. cap. explicat, qua dicere aggreditur de gloria ſanctorum poſt extremum judicium futura, quam ſub ſpecie pulcherrimæ civitatis conſpexit, quæ beatorum omnium in cælo domicilium fœlicitatemque ſignificat. Eam civitatem è cælo deſcendere dicit,* Quia *(ait Auguſtinus)* cœleſtis eſt gratia, qua Deus eam fecit. *Certè electorum prædeſtinatio, virtutes atque merita cæleſtia ſunt, & quemadmodum illa gloria in cælo nobis repoſita eſt, ita media quibus eam conſequimur, è cælo ſunt.* Omne datum optimum, omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum, *adeòque quicquid eſt in ſanctis, quo fiunt conformes imagini Chriſti, è cælo non è terra nobis eſt.* Primus *enim* homo de terra terrenus. ſecundus, de cœlo cœleſtis, ſicut portavimus imaginem terreni, ſic portemus & imaginem cœleſtis *1. Corinth. 15.* E.L.Cap.

β Ut nulla remaneant vetuſtatis veſtigia.] *Id eleganter docet Divꝰ Chryſoſtomus epiſt. ad Theodorum lapſum.* Quid ea vita beatius erit? non eſt cur illic pauperiem metuas & morbum, nemo videbit contumelioſum, nec iniquè oppreſſum, nemo exaſperatum, aut iraſcentem, aut invidentem, nemo ardentem abſurda concupiſcentia, aut mœrentem propter ſumptum neceſſarium, aut à magiſtratu vapulantem. Omnis enim affectuum turba, quæ hic ſedata eſt, perimetur: Omnia erunt pax, lætitia, gaudium: omnia ſerenitas & tranquillitas, omnia dies ſplendor & lux, lux, non quæ nunc eſt, ſed plane alia, quæ hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni. Nec enim occulitur illic aut nocte aut congreſſu nubium, neque urit, neque inflammat corpora. Nam nox non obumbrat, nec aderit veſpera, nec frigora, nec æſtus, nec alia hujus generis immutatio; ſed omnino alia eſt conditio, quam demum ad hoc idonei reperiti intelligent; non eſt illic ſenium, nec ſenectæ mala, quæque obnoxia ſunt corruptioni, è medio & è pedibus (quod ajunt) tollentur, *hæc è multis paucis.*

γ Nam hoc de iſto tempore accipere.] *Quibus verbis refellitur opinio Bedæ, Primaſii & aliorum, qui exiſtimant hic ſermonem eſſe de eccleſia militante; de eccleſia triumphante exponit Auguſtin. Nec enim id quod ſequitur* (& abſterget Deus omnem lacrymam) *eccleſiæ militanti convenire poteſt, in qua qui ſanctiores ſunt abundantiores ſubinde fundunt lacrymas.*

δ Quando quisque eſt ſanctior.] *Chryſoſtomus homil. 6. in Matthæum, Chriſtum ſæpe fleviſſe ex Evangeliſtis commemorat, nunquam verò ridentem, ſed nec leviter ſaltem ſubridendo gaudentem: nullus enim Evangeliſta hoc commemoravit. Nam quod & Paulus fleverit quidem & per triennium id fecerit noctibus ac diebus. & alii de illo. & ipſe de ſeipſo teſtatur. Quod verò riſerit, neque de eo quiſpiam alius oſtendit; ſed nec ullus ſanctorum vel de ſeipſo vel de quopiam alio tale quid prodidit excepta ſola Sara, quæ illico correpta eſt.*

s An non eſt vox civitatis ſupernæ.] *Macarius homilia 25.* Σπούδασον εἰσελθεῖν εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν τὴν εἰρηνοφόρον ἱερουσαλὴμ, καὶ αἰωτάτην, ἔνθα καὶ ὁ παράδεισος· τούτων γὰρ τῶν θαυμαστῶν καὶ μακαρίων παραδειγμάτων οὐχ ἑτέρως πῶς καταξιωθήσῃ, εἰ μὴ καταφέρεις δάκρυα ἡμέρας καὶ νυκτὸς κατὰ τὸν λέγοντα λούσω καθ' ἑκάστην τὴν νύκτα τὴν κλίνην μου. ἐν δάκρυσι τὴν στρωμνήν μου βρέξω. οὐ γὰρ ἀγνοεῖς ὅτι οἱ σπείροντες ἐν δάκρυσι ἐν ἀγαλλιάσει θερίσουσι διὸ φησίν· ὁ προφήτης μετὰ παρρησίας τῶν δακρύων μου μὴ παρασιωπήσῃς, καὶ πάλιν ἔθου τὰ δάκρυά μου ἐν ὄψει σου ὡς καὶ ἐν τῇ ἐπαγγελίᾳ σου, καὶ ἐγενήθη τὰ δάκρυά μου ἐμοὶ ἄρτος ἡμέρας καὶ νυκτός. *Atque ita multis Auguſt. docet, lachrymas ſanctis congruere maximè in hac vita, ut oſtendat viſionem D. Joannis de civitate nova Hieruſalem deſcendente à Deo, à qua Deus pollicetur ſe omnem lachrymam abſterſurum, de eccleſia triumphante, & de fœlicitate ſanctorum jam beatitudine fruentium, non de eccleſia militante intelligendum eſſe.*

ζ Obſcurè multa dicuntur ut mentem legentis exerceant.] *Ita lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 5. Scriptura ſacra obſcuritatem non inutilem eſſe docet,* Quod totum (*ait*) proviſum divinitus eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam & intellectum à faſtidio renovandum, cui facile inveſtigata plerumque vileſcunt. *& lib. 15. de Trin. cap. 17.* Ut nos exercet ſermo divinus, non res in promptu ſitas, ſed in abdito ſcrutandas & ex abdito eruendas majore ſtudio fecit inquiri.

Cap. XVIII.

Quid Apoſtolus Petrus de noviſſimo Dei judicio prædicaverit.

2. Pet. 3. Nunc jam videamus, quid etiam Apoſtolus Petrus de hoc judicio ſcripſerit: *Venient*, inquit, *in noviſſimo dierum illuſione illudentes, ſecundùm proprias concupiſcentias ſuas euntes, & dicentes: Ubi eſt promiſſum præſentiæ ipſius? Ex quo enim dormierunt, ſic omnia perſeverant ab initio creaturæ. Latet enim illos hoc volentes: quia cœli erant olim & terra de aqua, & per aquam conſtituta Dei verbo: per quæ, qui tunc erat mundus, aqua mundatus deperiit. Qui autem nunc ſunt cœli & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervandi in diem judicii & perditionis hominum impiorum. Hoc unum verò non lateat vos, chariſſimi, quia unus dies apud Dominum, ſicut mille anni: & mille anni, ſicut dies unus: non tardat Dominus promiſſum, ſicut quidam tarditatem exiſtimant: ſed patienter fert propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes in pœnitentiam converti. Veniet autem dies Domini, ut fur, in quo cœli magno impetu tranſcurrent: elementa autem ardentia reſolventur: & terra, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. His ergò omnibus pereuntibus, quales oportet eſſe vos in ſanctis converſationibus expectantes & properantes ad præſentiam diei Domini, per quam cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore decoquentur: Novos verò cœlos, & terram novam, ſecundùm promiſſa ipſius, expectamus, in quibus juſtitia inhabitat.* Nihil hic dixit de reſurrectione mortuorum: ſed ſanè de perditione mundi hujus ſatis: ubi etiam commemorans factum ante diluvium, videtur admonuiſſe quodammodo, quatenus in fine hujus ſeculi mundum iſtum periturum eſſe credamus. Nam & illo tempore periiſſe dixit, qui tunc erat,

rat, mundum: nec ſolum orbem terræ, *a* verùm etiam cœlos, quos utique iſtos aëreos intelligimus, quorum locum ac ſpatium tunc *a* aqua creſcendo ſuperaverat. Ergò totus, aut pene totus aër iſte ventoſus, quod cœlum vel potiùs cœlos vocat: ſed iſtos utique imos, non illos ſupremos, ubi ſol, & luna, & ſidera conſtituta ſunt: converſus fuerat in humidam qualitatem: atque hoc modo cum terrâ perierat, cujus terræ utique prior facies fuerat deleta diluvio. *Qui autem tunc ſunt*, inquit, *cæli & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervandi in diem judicii & perditionis hominum impiorum.* *b* Proinde, qui cœli, & quæ terra, id eſt, qui mundus, pro eo mundo, qui diluvio perit, ex eadem aqua repoſitus eſt: ipſe igni noviſſimo reſervatur in diem judicii & perditionis hominum impiorum. Nam & hominum propter magnam quandam commutationem, nó dubitat dicere perditionem futuram, cum tamen eorum, quamvis in æternis pœnis ſit manſura natura. Quærat forſitan aliquis, ſi poſt factum judicium mundꝰ iſte ardebit, antequam pro illo cœlum novum & terra nova reponantur, eo ipſo tempore conflagrationis ejus, ubi erunt ſancti, quum eos habentes corpora in aliquo corporali loco eſſe neceſſe ſit? Poſſumus reſpondere, futuros eos eſſe in ſuperioribus partibus; quo ita non aſcendet flamma illius incendii, quemadmodum nec unda diluvii. Talia quippe illis inerunt corpora, ut illic ſint, ubi eſſe voluerint: ſed nec ignem conflagrationis illius pertimeſcent immortales atque incorruptibiles facti: *c* ſicut virorum trium corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti vivere illæſa potuerunt. Quæſtio. Dan. 3.

a Tunc aqua creſcendo ſuperaverat.] *Omne enim hoc, quo imbres, grandines, fulgura, fulmina, nives, rores gignuntur, quoque aves ſpirant, & nudant cœlum, circulo per montium cacumina circumducto continetur. Itaque quum aqua etiam editiſſimos montes cubitis quindecim ſuperaris, omne hoc, quod cœlum, & aerem vocamus, exceſſiſſe neceſſe eſt, ut etiam alitum omnium regionem obruerit, quas Poetæ per cœlum volitare, & liquidum cœlum pennis ſecare dicunt.* L.Viu.

b Proinde qui cœli.] *Non tam obſcurus ſenſus, quam contextus verborum, cœli & terra qui conflagrabunt olim, iidem ſunt qui alias parti fuerunt aquis & obruti.*

c Sicut virorum trium corruptibilia corpora.] *Sidrach, Miſach, & Abdenago Babylone quum ſtatuam Nabocodroſori auream ſpreviſſent.* Daniel. 3.

a Verum etiam cœlos quos utique iſtos aerios intelligimus.] *D. Petrus ſcripſit cœlos periiſſe diluvio, & rurſum eos poſt diluvium refectos, incendio, in diem judicii reſervari. D. Auguſtinus manifeſtè hoc capit. ſcribit non de cœlis Sydereis, ubi Sol & Luna & ſidera ſita ſunt, locutum eſſe D. Petrum, quod conſtat ex ſcriptura Geneſ. 11 ſi quidem diluvium non niſi ad quindecim cubitos ſuper terra montes in ſublime elatum eſt, inde ad aſtra uſque, imò ad infimum Luna orbem infinita propemodum eſt diſtantia, ergo de cœlis aereis D. Petrus locutus eſt, non tamen de toto aere cum ſupra eum locum, quo diluvium aſcendit, ampliſſima ſit regio aeris, aquis diluvii prorſus intacta, quod his verbis docet Auguſt. Ergo totus, aut pene totus aer iſte ventoſus, quem cœlum vel potius cœlos vocat, converſus fuerat in humidam qualitatem, ſententia ergo Petri de infima & terris proxima aeris parte intelligenda. Cum enim diluvi-* F.L.Coq.

diluvium usque eo ſuper omnem terram ſublatum ſit, ut quindecim cubitis altiſſimos montes ſuperaret, neceſſe fuit aerem, qui totum illud ſpatium circum terram opple- tum prorſus obſidebat, corruptum eſſe, & in aquam mutatum ad diluvii incremen- mentum. Locum eundem Petri exponens lib. 3. de Geneſ. ad liter. cap. 2. Cœlos, *ait,* aereos quondam periiſſe diluvio, in quadam earum, quæ canonicæ appellantur, epiſtola legimus. Neque enim humida illa natura, quæ ita excreverat, ut cubitis quindecim altiſſimorũ montium aſcenderet vertices, potuit ad ſydera pervenire, ſed quia hujus aeris humidioris, in quo aves volitãt, tota vel prope tota ſpacia compleverat, periiſſe qui fuerant cœlos in illa epiſtola ſcribitur; quod neſcio quemadmodum poſſit intelligi, niſi in aquarum naturam pinguioris hujus aeris qualitate converſa. *Et ex verbis D. Petri non obſcurè colligitur, quantum aeris ſpatium obtinuit diluvium, tantũ etiam in conſummatione ſeculi occupaturum incendium.*

β Quærat fortaſſe aliquis poſt factum judicium.] *Quo aperte indicat Auguſtinus, mundi renovationem per ignem non eſſe anteceſſuram judicium, ſed potius ſubſecuturam, quod ſuperiori c. indicavit;* Judicatis *(inquit)* hominibus tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit; *& ad quæſtionem hoc loco propoſitam, ubi erunt ſancti tempore conflagrationis mundi, præſupponit tum jam ſanctos reſuſcitatos, ſcribit enim* (Si poſt factum judicium, & quin eos habentes corpora) *quibus apertè docet & mundi conflagrationem & renovationem cæli & terræ ſecuturam illud judicium univerſale. Reſpondet igitur primò, futuros eſſe in ſuperioribus partibus, quo non aſcendet flamma illius incendii, quemadmodum nec unda diluvii, imò certum eſt, Chriſtum ſtatim poſt judicium, & detruſurum impios in infernum, & deducturum electos in cœlum empyreum. Hanc ſententiam docuit etiam D. Anſelmus in elucidario,* Peracto judicio, *inquit,* diabolus cum omnibus impiis in ſtagnum ardentis ignis præcipitabitur, Chriſtus verò cum ſponſa. i. e. omnibus electis cum triumphali gloria in patris civitatem cœleſtem Hieruſalem revertetur. *Paulo poſt inquirit, quid poſtea de mundo futurum ſit, reſpondetque conflagratum iri. Proſper etiam in dimidio temporis cap. 20. prius ponit judicium, deinde ignem conflagrationis. Ratio etiam accedit ex communi ſententia Theologorum, qui volunt mundum purgandum eſſe igne illo, quia eſt veluti fœdatus peccatis hominum; ſed cum ante judicium damnati homines futuri ſint in hoc mundo, ſua præſentia & ſuis blaſphemiis iterũ illum fœdabũt; donec ergo prorſus ab hoc mundo pellantur, non eſt tempus opportunum illum purgandi. Secundò reſpondet, quod nec ignem illum conflagrationis pertimeſcent ſancti poſt reſurrectionem immortales atq; incorruptibiles facti. Reſurgent enim in corporibus glorioſis, quæ cum dote impaſſibilitatis futura ſint ornata, nihil vel ab igne vel aliunde pati poterunt, licet aliud ſentiat Lactantius lib. 7. c. 21. dicit omnes juſtos eo igne examinandos,* Tum quorum peccata *(inquit)* vel pondere vel numero prævaluerint præſtringentur igni atque amburentur, quos autem plena juſtitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſentient. Habent enim aliquid in ſe Dei, quod vim flammæ repellat ac reſpuat. Tanta enim virtus eſt innocentiæ. ut ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accepit à Deo hanc poteſtatem, ut impios urat, juſtis obtemperet.

Cap. XIX.

Quid Apoſtolus Paulus Theſſalonicenſibus ſcripſerit, & de manifeſtatione Antichriſti, cujus tempus dies Domini ſubſequetur.

Multas Evangelicas Apoſtolicasque ſententias de divino iſto judicio noviſſimo video mihi eſſe prætereundas, ne hoc volumen in nimiam longitudinem provolvatur: ſed nullo modo eſt prætereundus Apoſtolus Paulus, qui ſcribens ad Theſſ. *Rogamus*, inquit, *vos fratres per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, ut non citò moveamini mente, neque terreamini, neque per ſpiritum, neq; per verbũ neq; per epiſtolam tanquam per nos miſſam. quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniã niſi venerit refuga primũ & revelatus fuerit homo peccati, filius interitus, qui adverſatur, & ſuperextollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita ut in templo Dei ſedeat, oſtentans ſe tanquam ſit Deus. Non retinens in memoria, quod, adhuc quum eſſem apud vos, hæc dicebam vobis: Et nunc, quid detineat, ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore. Jam enim myſterium iniquitatis operatur. Tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur iniquus ille, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & evacuabit illuminatione præſentiæ ſuæ, eum, cujus eſt præſentia ſecundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacii, & in omni ſeductione iniquitatis, his, qui pereunt: pro eo, quod dilectionem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent. Et ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* 2. Theſſ. 2 *a* Nulli dubium eſt, eum de Antichriſto iſta dixiſſe, dieque judicii. Hunc enim appellat diem Domini non eſſe venturum, niſi ille prior venerit, *a β* quem refugam vocat: utique à Domino Deo. Quod ſi de omnibus impiis merito dici poteſt, *γ* quanto magis de iſto: *δ* Sed in quo templo Dei, ut Deus ſit ſeſſurus, incertum eſt: utrum in illa ruina templi quod à Salomone rege conſtructum eſt. an vero in Eccleſia. Non enim templum alicujus idoli, aut dæmonis, templum Dei Apoſtolus diceret. Unde nonnulli, non ipſum principem, ſed univerſum quodammodo corpus ejus, id eſt, ad eum pertinentem hominum multitudinem ſimul cum ipſo ſuo principe hoc loco intelligi Antichriſtum volunt. Rectiusque putant etiam Latine dici, *ε* ſicut in Græco eſt: non in templo Dei, *b* ſed in templum Dei ſedeat, tanquam ipſe ſit templum Dei, quod eſt Eccleſia: ſicut dicimus, *c* Sedet in amicum; id eſt, velut amicus: vel ſi quid aliud iſto locutionis genere dici ſolet. Quod autem ait: *Et nunc quid detineat ſcitis*, id eſt, quid ſit in mora, quæ cauſa ſit dilationis ejus, *ut reveletur in ſuo tempore*, ſcitis: quoniam ſcire illos dixit, aperte hoc dicere noluit. Et ideo nos qui neſcimus, quod illi ſciebant, pervenire cum labore ad id quod ſenſit Apoſtolus, cupimus, nec valemus: præſertim quia & illa quæ addidit, hunc ſenſum faciunt obſcuriorẽ. Nam quid eſt: *Jam enim myſterium iniquitatis operatur. Tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat: & tunc revelabitur ille iniquus?* Ego prorſus quid dixerit, me fateor

ignorare. Suſpiciones tamen hominum, quas vel audire, vel legere de hac potui, non tacebo. *d ζ* Quidam putant hoc de imperio dictum fuiſſe Romano: & propterea Paulum Apoſtolum non id aperte ſcribere voluiſſe, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano imperio male optaverit, *e* cum ſperaretur æternum: ut hoc quod dixit: Jam enim myſterium iniquitatis operatur, *η* Neronem voluerit intelligi: cuius jam facta velut Antichriſti videbantur. Unde nonnulli ipſum reſurrecturum, & futurum Antichriſtum ſuſpicantur. *f* Alii vero, nec eum occiſum putant, ſed ſubtractum potius, ut pataretur occiſus: & vivum occultari in vigore ipſius ætatis, *g* in qua fuit, cum crederetur extinctus, donec ſuo tempore reveletur, & reſtituatur in regnum. Sed multum mihi mira eſt hæc opinantium tanta præſumptio. Illud tamen quod ait Apoſtolus: *Tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat:* non abſurde de ipſo Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum ſit: Tantum qui modo imperat, imperet: donec de medio fiat, id eſt, de medio tollatur. *Et tunc revelabitur iniquus:* quem ſignificari Antichriſtum, nullus ambigit. Alii vero, & quod ait: *quid detineat, ſcitis: & myſterium operari iniquitatis,* non putant dictum, niſi de malis & fictis, qui ſunt in Eccleſia, donec perveniant ad tantum numerum, qui Antichriſto magnum populum faciat: & hoc eſſe myſterium iniquitatis, quia videtur occultum. Hortari autem Apoſtolum fideles, ut in fide quam tenent tenaciter perſeverent, dicendo: *Tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat:* hoc eſt, donec exeat de medio Eccleſiæ myſterium iniquitatis, quod nunc occultum eſt. Ad ipſum enim myſterium pertinere arbitrantur, quod ait in epiſtola

1. Joan. 2 ſua Joannes Evangeliſta, *Pueri, noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis, quod Antichriſtus ſit venturus; nunc autem Antichriſti multi facti ſunt. Unde cognoſcimus, quod noviſſima ſit hora. Ex nobis exierunt: ſed non erant ex nobis. Quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* Sicut ergo ante finem in hac hora inquiunt, quam Joannes noviſſimam dicit, exierunt *θ* multi hæretici de medio Eccleſiæ, quos multos dicit Antichriſtos: ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Chriſtum, ſed ad illum noviſſimum Antichriſtum pertinebunt, & tunc revelabitur. Alius ergo ſic, alius autem ſic Apoſtoli obſcura verba conjectat: quod tamen eum dixiſſe non dubium eſt: non veniet ad vivos & mortuos judicandos Chriſtus, niſi prius venerit ad ſeducendos in anima mortuos adverſarius ejus Antichriſtus, quamvis ad occultum jam judicium Dei pertineat, quod ab illo ſeducentur. Præſentia quippe ejus erit, ſicut dictum eſt ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacii, & in omni ſeductione iniquitatis, his, qui pereunt. Tunc enim ſolvetur ſatanas & per illum Antichriſtum in omni ſua virtute mirabiliter quidem, ſed mendaciter operabitur. *ι* Quod ſolet ambigi, utrum propterea dicta ſint ſigna & prodigia mendacii: quoniam mortales ſenſus per phantaſmata decepturus eſt: ut quod non facit, facere videatur. An quia illa ipſa etiam ſi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros,

Signa & prodigia mendacii

nec

non ea potuiſſe niſi divinitus fieri, virtutem diaboli neſcientes: maximè quando tantam quantam nunquam habuit, accipiet poteſtatem. Non enim quando de cœlo ignis cecidit, & tantam familiam cum tantis gregibus pecorum ſancti Iob, uno impetu abſumpſit, & turbo irruens, & domum dejiciens, filios ejus occidit, phantaſmata fuerunt: quæ tamen fuerunt opera Satanæ, cui Deus dederat hanc poteſtatem. Propter quid horum ergò dicta ſint prodigia & ſigna mendacii, tunc potius apparebit. Sed propter quodlibet horum dictum ſit: ſeducentur ejus ſignis atque prodigiis, qui ſeduci merebuntur: pro eo, quod dictionem veritatis, inquit, non receperunt, ut ſalvi fierent. Nec dubitavit Apoſtolus addere, & dicere: *Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Deus enim mittet: quia Deus diabolum facere iſta permittet, juſto ipſius judicio: quamvis faciat ille iniquo malignoque conſilio. Ut judicentur, inquit, omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Proinde judicati ſeducentur, & ſeducti judicabuntur. Sed judicati ſeducentur illis judiciis Dei occultè juſtis, & juſtè occultis, quibus ab initio peccati rationalis creaturæ nunquam judicare ceſſavit. Seducti autem judicabuntur noviſſimo manifeſtoque judicio per Jeſum Chriſtum, juſtiſſimè judicaturum, injuſtiſſimè judicatum.

Iob. 1. 1. Theſſ. 2

a QUem refugam vocat.] *Græcè eſt, ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία, quaſi defectio, ſeu rebellio.* L. Vives.

b Sed in templum Dei ſedeat.] *ὥς τε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ ὡς θεὸν καθίσαι, ut in templum Dei tanquam Deus ſedeat.*

c Sedet in amicum, id eſt, velut amicus.] *Loquutio frequens in ſacris literis. Elegit David in regem, eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii.*

d Quidam putant hoc de imperio dictum fuiſſe Romano.] *Lactantius lib. VII. & Hieronymus in Danielem, omnes hoc dixiſſe ſcriptores ait: futuros circa finem ſeculorum decem reges, qui Romanum orbem inter ſe dividant, ſuperventurum undecimum Antichriſtum. Sed hæc ſunt leves conjecturulæ.*

e Quum ſperaretur æternum.] *Multa enim Romani veteres de æternitate imperii ſomniabant. Sic enim promittit ille apud Verg. Jupiter:*

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium ſine fine dedi. ——

f Alii vero nec eum occiſum putant.] *Nam proximo jam urbi Galba exercitu, fugit nocturno tempore, & capite obvoluto, quatuor tantum comitatus, in ſuburbanum, inter Salariam viam, & Nomentanam, atque ibi mortem ſibi attulit, adacta ad jugulum pugione, ſepultus à nutricibus & concubina, in monumento gentis Domitiæ, non procul à campo. Suetonius.* Neronis mors.

g In qua fuit cum crederetur extinctus.] *Trigeſimo ſecundo ætatis anno obiit.*

a NUlli dubium eſt eum iſta de Antichriſto dixiſſe.] *Ita exponūt Cyrillus Hieroſol. catech. 15. illumin. Irenæus lib. 5. cap. 25. D. Gregorius lib. 29. moral. cap. 6.* F. L. Cap.

D. Hieron. epiſt. 151. ad Algaſiam q. 11. Chryſoſtomus & alii Patres in illum locum ad Theſſalonic. Tertullianus lib. de Reſurrectione Carnis cap. 24.

β Quem refugam vocat utique à domino Deo.] Dicitur refuga & ἀποστασία, per antonomaſiam. D. Hieronymus epiſt. 151. diſceſſionem, quæ Græcè dicitur ἀποστασία, ab imperio Romano interpretatur. Idem Daniel. 11. Chryſoſt. & alii Græci Patres, 2. ad Theſſal. 2. cum Auguſtino per diſceſſionem apoſtaſiam à Chriſto interpretatur, & ea voce intelligunt ſignificari Antichriſtum, quia erit multis cauſa recedendi à Chriſto, & quia erit hic præcipuus illius ſcopus.

γ Quando magis de iſto] Si quidem Antichriſtus caput omnium impiorum eſt quoad perſecutionem & abundantiam malitiæ. Diabolus enim ei malitiam ſuam eminentius influet ſuggerendo quam aliis omnibus. Qua ratione omnes alii, qui præcedunt eum, ſunt quaſi quædam figura Antichriſti D. Thomas. 3. p. q. 8. artic. 8. dicitur defectio per antonomaſiã à re ipſa ei impoſito nomine. Conatur enim à veritate abducerere, & efficere ut deficiant, dicitur homo peccati, in quo fons eſt omnium peccatorum ait Hieronymus; filius perditionis. i. e. diaboli. Ipſe enim enim univerſorum perditio, ut qui ipſe pereat, & aliis perditionem procuret. Imitatur enim capitalis hominum hoſtis, ait Theod. 2. Theſſ. 2. Dei & ſervatoris noſtri humanæ noſtræ naturæ ſuſceptionem; & ſicut ipſe humana ſuſcepta natura noſtram procuravit ſalutem, ita ille cum eligit hominem, qui poſſit omnem ejus ſuſcipere operationem, per eum omnes homines decipere conabitur.

δ Sed in quo templo Dei.] De quo Dei templo ſit Paulus intelligendus, non idem ſentiunt patres Irenæus, Hippolitus & Cyrillus Hieroſolymit. Damaſcenus lib. 4. c. 28. dictum Pauli de templo Judæorum interpretantur, quod olim fuit Hieroſolymis, quod putant in gratiam Judæorum renovatum iri ab Antichriſto, in eoque ſeſſurum quaſi Deum. Hanc ſententiam non improbat D. Chryſoſt. in c. 2. 2. ad Theſſ. verùm Hieronymus epiſt. ad Algaſiam q. 11. Theodoretus 2. Theſſal. 2. aliique intelligendum exiſtimant de Eccleſiis Chriſtianorum, in quibus primam ſedem arripiet ſeipſum Deum conans oſtendere.

ε Sicut in Græco eſt, non in templo, ſed in templum.] ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ ὡς θεὸν καθίσαι, quaſi dicat Antichriſtus ſedebit in templum Dei i. e. quaſi ipſe cum ſuis eſſet templum Dei, etſi tamen Latinè non rectè dicatur ſedere in templum, pro in templo: verùm Græcè non male dicitur καθέζομαι εἰς τὴν ἐκκλησίαν vel εἰς τὸν ναὸν, imò ſic communiter dicitur, ut notat Bellar. lib. de Rom. Pontif. cap. 13. & apud Græcos utraque locutio, ἐν τῷ ναῷ, εἰς τὸν ναὸν, indifferenter accipitur.

ζ Quidam putant hoc de imperio dictum fuiſſe Romano.] Sententia enim fuit multorum, Romanum imperium ad tempora usque Antichriſti permanſurum, atq; ita interpretantur verba Apoſtoli, Niſi venerit diſceſſio primum & revelatus fuerit homo peccati: diſceſſionem enim interpretantur hominum defectionem ab imperio Romano. Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 2. l. de reſurrect. car. cap. 24. in Apologetico cap. 32. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Donatiſtas, Lactantius lib. 7. c. 25. Cyrillus catech. 15: Veniet prædictus Antichriſtus cum impleta fuerint tempora Imperii Romani. D. Chryſoſtomus in illum locum Quando, inquit, è medio ſubla-

tum

tum fuerit imperium Romanum, tunc veniet Antichriſtus: *eadem apud Theophilactum & Occumenium. Hieronymus q 11. ad Algaſiam,* Niſi venerit diſceſſio primum, ut omnes gentes, quæ Romano imperio ſubjacent, & niſi fuerit Romanum imperium antea deſolatum & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet.

η Neronem voluerit intelligi.] Nonnulli *(ait Theod.)* dixerunt Neronem eſſe vocatum iniquitatis myſterium, ut qui fuerit impietatis artifex. *D. Chryſoſt. inter cæteros ſenſit Paulum de Nerone eſſe locutum his verbis.* Neronem iniquitatis myſterium vocat dicens: myſterium enim jam agit iniquitatis. *ſer. de eleemoſ. & collat. D. Hieronymus in cap. 11. Danielis refert quoſdam ſcriptores Eccleſiaſticos opinatos eſſe, non alium fore Antichriſtum, quam ipſum Neronem, qui in fine mundi venturus ſit, ut qui Chriſti eccleſiam in ejus exordio primus crudeliter eſt perſecutus, idem ſub ejus finem & prope mundi interitum eandem crudeliſſimè ſit perſecutus. Hoc ita ſenſerunt fortaſſe propter magnitudinem crudelitatis & turpitudinis, qua cunctos mortales Nero ſuperavit. Eam ſententiam commemorat Sulpitius Severus lib. 2. ſacræ hiſt. de Nerone ſcribens,* Nero *(inquit)* creditur etiam ſi ſe ipſum gladio transfixerit, curato vulnere ejus ſervatus ſecundùm illud, quod de eo ſcriptum eſt in Apocal. cap. 13. & plaga mortis ejus curata eſt; Idemque putatur ſub finem ſæculi mittendus, ut myſterium iniquitatis exerceat. *Verum ut ſcribit Baronius tom. 1. annalium ad annum Chriſt. 70. nequaquam, ex verbis Pauli in eum errorem incidiſſent, ſi diligenter tempus attendiſſent, quo à Paulo ſcripta fuit illa epiſtola. Cum enim conſtet, ut antea demonſtraverat, illam epiſtolam ſub Claudio, non ſub Nerone à Paulo fuiſſe ſcriptam, nulla potuit eſſe ſuſpicio Paulum illis verbis ſignificare voluiſſe Neronem. Et illo errore abſurdiores de eodem Nerone ſecuti ſunt, ut hic refert Auguſtinus. Nonnulli enim illum reſurrecturum & futurum Antichriſtum ſuſpicantur; alii nec eum occiſum putant, ſed ſubtractum potius cum putaretur occiſus, & vivum occultari in vigore ejus ætatis, in qua fuit cum extinctus crederetur, donec tandem in regnum reſtituatur; quam opinionem meritò vocat præſumptionem Auguſtinus, eam tamen ab eo recitatam poſteriorem ſententiam Severus aſſerere videtur lib. 2. hiſtor. ſacræ, qui tamen lib. 2. dialogi de virtutibus ſancti Martini ſcribit apertè, non ipſum Neronem fore Antichriſtum, ſed cum Antichriſto venturum & ab Antichriſto tandem perimendum. Nec modo ex verbis Pauli aliqui eo errore decepti ſunt, verùm & inter Gentiles vulgata erat opinio Neronem fuiſſe ſubductum & non occiſum, ut refert Suetonius in Nerone cap. 57. & Tacitus lib. 2. hiſtor.*

θ Multi hæretici de medio Eccleſiæ, quos multos dicit Antichriſtos.] *Tertullianus lib. de præſcript. cap. 4. hæreticos Antichriſtos vocat & ibidem*, Hoc erunt *(inquit)* hæreſes non minus doctrinarum perverſitate eccleſiam laceſſantes, quam tunc Antichriſtus perſecutionum atrocitate perſequetur, niſi quod perſecutio & martyres facit, hæreſis apoſtatas tantum. *Præcurſores Antichriſti vocat Cyrillus catech. 15. Irenæus l. 1. c. 8. Marcum quendam hæreticum præcurſorem vocat Antichriſti. D. Ambroſius in 21. caput Lucæ Antichriſtos vocat Arrium, Sabellium & omnes, qui prava interpretatione ſimplices ſeducunt, quod & idem ſcripſerat Origenes homil. 30. in Mat-*

in Matthaeum. Conſtantium Imperatorem Arrianis impensè faventem Antichriſtum vocat Athanaſius epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, & Hilarius tribus ad illum libris Antichriſti præcurſores Marcioniſtas vocat Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 16. & lib. cont. Praxeam. cap. 31. Antichriſtos vocat hæreticos negantes Patrem & Filium.

i Quod ſolet ambigi utrum propterea dicta ſint.] *Certum eſt Antichriſtum non editurum vera miracula, quæ non niſi divina virtute fieri poſſunt, verum magica operatione, per operationem Sathanæ ea, quæ mira videbuntur intuentibus; quod ſcripſit Joannes Apocalypſ. 13. de præcurſore Antichriſti pſeudopropheta,* fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu beſtiæ *Gregorius lib. 30. moral. cap. 12.* penſemus quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr & corpus tormentis ſubjicit, & tamen ante ejus oculos tortor miracula facit? cujus tunc virtus non ab ipſo cogitationum fundo quatiatur, quando is, qui flagris cruciat, ſignis coruſcat. *Hæc tamen ſigna verè mendacia vocat Apoſtolus, licet homines ab eo ſeducendi miraculorum loco ea habituri ſint, quin & ſancti niſi Dei gratia juvarentur, facile in hunc errorem inducerentur. Quærit tamen Auguſtinus, qua ratione dicantur ſigna mendacia, an quia illuſurus ſit tantummodo ſenſibus mortalium, nec ea verè facturus, ſed tantùm apparenter, quæ facere videbitur, an quia illa etiam vera prodigia & mira editurus, quæ eò dicantur ſigna mendacia, quod vera miracula credentur, & facta virtute divina, quæ tamen non niſi virtute & operatione ipſius Sathanæ fient? verùm reſponderi poteſt, utroque modo mendacia eſſe ſigna Antichriſti, quia aliquando quidem imponet hominum ſenſibus, ut aliqua ſibi perſuadeant verè fieri, quæ tamen non niſi erunt præſtigiæ & illuſiones, maximè ſi ea tentet facere, quæ virtutem divinam requirunt, ut ſi Antichriſtus perſuadere vellet, ſe reſuſcitare aliquem mortuum, vel alia hujusmodi: In his vero, quæ dæmonis potentiam non ſuperant, aliqua verè editurus eſt, quæ tamen non erunt vera miracula, edere enim miracula potentia eſt infinitæ, ideo divinitati reſervatum D. Hieronymus quæſtione 11. ad Algaſiam;* Quomodo ſignis Dei, qui operabatur per Moyſem, Magi ſuis reſiſtere mendaciis, & virga Moyſi devoravit virgas eorum, ita mendacium Antichriſti Chriſti veritas devorabit.

k Ideo mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio.] *De Judæis exponunt D. Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, & ipſe Hieronymus quæſt. 11. ad Algaſiam;* Faciet *(inquit)* hæc omnia Antichriſtus non cum virtute, ſed conceſſione Dei propter Judæos, ut quia noluerunt recipere charitatem veritatis, hoc eſt ſpiritum Dei per Chriſtum, ut ſalvatore ſuſcepto ſalvi fierent, mittet illis Deus non operatorem, ſed ipſam operationem, id eſt, fontem erroris, ut credant mendacio. *ibidem,* ſeducentur ejus mendacio, qui perditioni ſunt præparati.

Cap.

CAP. XX.

Quid idem Apoſtolus in prima ad eosdem Epiſtola de reſurrectione mortuorum docuerit.

SEd hic Apoſtolus tacuit de reſurrectione mortuorum. Ad eosdem autem ſcribens in Epiſtola prima: *Nolumus*, inquit, *ignorare vos fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Nam ſi credimus, quòd Jeſus Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos viventes, qui reliqui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui ante dormierunt: quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo: & mortui in Chriſto reſurgent primo. Deinde nos viventes, qui reliqui ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aëra: & ſic ſemper cum Domino erimus.* Hæc verba Apoſtolica reſurrectionem mortuorum futuram, quando veniet Dominus Chriſtus, utique ad vivos & mortuos judicandos, præclariſſimè oſtendunt. α Sed quæri ſolet, utrum illi, quos hìc viventes inventurus eſt Chriſtus, quorum perſonam in ſe, atque illos, qui tunc ſecum vivebant, transfigurabat Apoſtolus, nunquam omninò morituri ſint: an ipſo temporis puncto, quo cum reſurgentibus rapientur in nubibus obviam Chriſto in aëra, ad immortalitatem per mortem mira celeritate tranſibunt. Neque enim dicendum eſt, fieri non poſſe, ut dum per aëra in ſublime portantur, in illo ſpatio & moriantur, & reviviſcant. Quod enim ait: *Et ita ſemper cum Domino erimus:* β non ſic accipiendum eſt, tanquam in aëre nos dixerit ſemper cum Domino eſſe manſuros: quia nec ipſe utique ibi manebit, qua veniens tranſiturus eſt. Venienti quippe ibitur obviam, non manenti: ſed ita cum Domino erimus, id eſt, ſic erimus ſemper habentes corpora ſempiterna, ubicunque cum illo fuerimus. Ad hunc autem ſenſum, quo exiſtimemus etiam illos, quos hic vivos inventurus eſt Dominus, in ipſo parvo ſpatio, & paſſuros mortem, & accepturos immortalitatem, ipſe Apoſtolus nos videtur urgere, ubi dicit: In Chriſto omnes vivificabuntur: cum alio loco de ipſa loquens reſurrectione corporum, dicat: *Tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur.* Quomodo igitur, quos viventes hìc Chriſtus inveniet, per immortalitatem in illo vivificabuntur, & ſi non moriantur: cum videamus, propter hoc eſſe dictum, *Tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur?* Aut ſi rectè non dicimus ſeminari, niſi ea corpora hominum, quæ moriendo quoquo modo revertuntur in terram: ſicut ſeſe habet etiam illa in tranſgreſſorem patrem generis humani divinitus prolata ſententia: *Terra es, & in terram ibis:* fatendum eſt iſtos, quos nondum de corporibus egreſſos, cum veniet Chriſtus, inveniet: & in iſtis verbis Apoſtoli, & illis de Geneſi, non teneri: quoniam ſurſum in nubibus rapti, non utique ſeminantur: quia nec eunt in terram, nec redeunt: ſive nullam prorſus experiantur mortem, ſive paululum in aëre moriantur. Sed aliud rurſus occurrit, quod idem dicit Apoſtolus, cum de reſurrectione corporum ad Corinthios loqueretur: α γ *Omnes reſur-*

[Margin notes: 1. Theſſ. 4. — 1. Cor. 15. — Ibidem. — Gen. 3. — 1. Cor. 15.]

reſurgemus: vel ſicut alii codices habent, *Omnes dormiemus.* Cum ergò nec reſurrectio fieri poſſit, niſi mors præceſſerit: nec dormitionem poſſimus illo loco intelligere, niſi mortem, quomodo omnes vel dormient, vel reſurgent, ſi tam multi, quos in corpore inventurus eſt Chriſtus, nec dormient, nec reſurgent? Si ergò ſanctos, qui reperientur Chriſto veniente viventes, eique in obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apoſtoli patiemur anguſtias, ſive ubi dicit: *Tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi moriatur,* ſive ubi dicit: *Omnes reſurgemus,* aut *omnes dormiemus:* quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, niſi quamlibet paulum tamen ante moriantur, ac per hoc & à reſurrectione non erunt alieni, quam † dormitio præcedit quamvis breviſſima, non tamen nulla. Cur autem non nobis incredibile videatur, illam multitudinem corporum in aëre quodammodo ſeminari, atque ibi protinus immortaliter atque incorruptibiler reviviſcere, cum credamus, quod idem ipſe Apoſtolus alibi apertiſsimè dicit, *b* ♂ *in ictu oculi* futuram reſurrectionem, & in membra ſine fine victura tanta facilitate, tamque inæſtimabili velocitate rediturum antiquiſſimorum cadaverum pulverem? Nec ab illa ſententia, qua homini dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis,* futuros illos ſanctos arbitremur immunes, ſi eorum morientium in terram non recident corpora: ſed ſicut in ipſo raptu morientur, ita & reſurgent, dum feruntur in aëra. In terram quippe ibis, eſt, in hoc ibis amiſſa vita, quod eras, antequam ſumeres vitam: id eſt, hoc eris exanimis, quod eras, antequam eſſes animatus. Terræ quippe inſufflavit Deus in faciem flatum vitæ, cum factus eſſet homo in animam vivam: tanquam diceretur, Terra es animata, quod non eras: terra eris exanimis, ſicut eras. Quod ſunt & antequam putreſcant omnia corpora mortuorum: quod erunt & illa, ſi morientur, ubicunque moriantur, cum vita carebunt, quam continuo receptura ſunt. Sic ergò ibunt in terram, quia ex vivis hominibus terra erunt: quemadmodum it in cinerem, quod fit cinis; it in vetuſtatem, quod fit vetus; it in teſtam, quod ex luto fit teſta: *c* & alia ſexcenta ſic loquimur. Quomodo autem ſit futurum, quod nunc pro noſtræ ratiunculæ viribus utcunque conjicimus, tunc potius erit, ut noſſe poſſimus. *d* Reſurrectionem quippe mortuorum futuram eſſe in carne, quando Chriſtus venturus eſt vivos judicaturus & mortuos, *e* oportet, ſi Chriſtiani eſſe volumus, ut credamus. Sed non ideò de hac re inanis eſt fides noſtra, ſi quemadmodum futura ſit, perfectè comprehendere non valemus. Verùm jam, ſicut ſuprà promiſimus, de hoc judicio Dei noviſſimo etiam prophetici veteres libri quid prænunciaverint, quantum ſatis eſſe videbitur, debemus oſtendere. Quæ, ſicut arbitror, non tanta mora neceſſe erit tractari & exponi, ſi iſtis, quæ præmiſimus, Lector curaverit adjuvari.

al. dormitione præcedunt.

Gen. 3.

L. Vives. *a* OMnes reſurgemus: vel ſicut alii codices habent, Omnes dormiemus.] *Græci codices non omnes hìc conſentiunt, teſte D. Hieronymo ad Minerium. Nam alii habent, Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur: ut Eraſmus copioſius oſtendit & in Annotationibus novi Teſtamenti, & in Apologia, qua ſuper*

ſuper hac re calumniatori reſpondit. Ex hac librorum diſſonantia credo natam controverſiam illam, ſint ne omnes morituri, an aliqui, quos dies ille ultimus deprehenderit viventes, ſine morte tranſituri ad immortalitatem. Petrus Lombardus ſectione ſententiarum tertia & quadrageſima, cum pugnare inter ſe Hieronymum & Ambroſium docuiſſet, inter tantos viros pronuntiare non ſuſtinuit, quod Auguſtinus Ambroſio accedit, ſed Hieronymus frequenti Græcorum manu ſtipatur, Origene, Chryſoſtomo, Theophilacto, qui legerunt apud Paulum πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα. *Non omnes quidem dormiemus. Et Ambroſium oſtendit Eraſmus natare. Nos interim ſequemur quem enarramus.*

b In ictu oculi] *Valla putat ſcriptum ab interprete, In nictu oculi. Nam oculorum eſt nuere, & annuere, & nictare: ſed poſtea ex nictu factum eſt ictum, ab iis qui parum intelligebant, quid nictus eſſet. Nam ea res perdidit omnem eruditionem.*

c Et alia areſcentia ſic loquimur.] *In aliis exemplaribus non Areſcentia, ſed Sexcenta: quod eſt conguentius ſenſui.*

d Reſurrectionem quippe mortuorum futuram eſſe in carne.] *Hoc eſt unum ex dogmatis pietatis, iſtud credendum, iſtud tuendum eſt. Rationem qua id futurum ſit, Deo relinquamus, & ſubjiciamus cervices noſtras in jugo ſuaviſſimi Chriſti, in obſequium Dei. Satis eſt Chriſtiano credere, hoc, aut illud eſſe, fore, aut fuiſſe. Cauſas & rationes omnium illi noſcendas dimittat, qui ne in apertiſſimis quidem & manifeſtiſſimis naturæ rebus voluit nobis claras & apertas eſſe.*

a SEd quæri ſolet utrum illi.] *Quæſtio celebris apud Theologos, an qui erunt vivi veniente Chriſto ad judicium, ſine morte ad immortalitatem tranſituri ſint, an verò ipſo temporis momento, quo rapientur obviam Chriſto in aera, morientur, ut ſtatim reſurgant ad immortalitatem. Patrum ac Theologorum duas reperio ſententias, prior negat homines juſtos, qui tum temporis vixerint, eſſe aut morituros, aut reſuſcitandos, verùm ſolum immutandos ac reformandos, & innituntur his verbis Apoſtoli,* mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera; *ſcilicet per glorioſam immutationem abſq; morte & reſurrectionem. Ibidem dicit Apoſtolus.* In adventu domini non præveniemus eos, qui dormierunt, *ubi loquitur in perſona eorum, qui vivi tempore judicii reperientur, quos dicit non eſſe præventuros eos, qui dormierunt, ubi videtur judicare eos non eſſe dormituros per mortem. Ita D. Paulum exponunt Patres Chryſ. homil. 42. in 1 ad Cor. & homil 7. in 1. ad Theſſ. Theod. Theoph. & Oecumenius in Paulum. Origenes lib. 5. contra Celſum. Hieron. epiſt. 152. ad Minerium pro hac ſententia refert Theodorum Heracleotem & Apollinarium, quam ipſe non judicat improbabilem, & epiſt. 148. ad Marcellam q. 3. ediſſerens locum illum Apoſtoli 1 Theſſ. 4. abſolutè docet hanc ſententiam, quod* ſancti, qui in adventu ſalvatoris fuerint deprehenſi in corpore, in iiſdem corporibus occurrent ei, ita tamen ut inglorium & corruptum & mortale gloria & incorruptione & immortalitate donetur, ut qualia corpora mortuorum ſurrectura ſint, in talem ſubſtantiam etiam vivorum corpora transformentur: *Eandem ut hic quæſtionem proponit D. Aug. quæſt. 3. ad Dulcitium,*

tium, ubi valdè propenſus videtur in hanc ſententiam. Tertull. lib. de Reſur. Carn. c. 41. & 42. hanc ſententiam apertè docet, & ad illam accommodat verba Pauli, omnes reſurgemus, *dicens illam immutationem, quæ fiet cum juſtis tunc viventibus pro reſurrectione computari. Cùm enim à ſtatu mortali ad immortalem transferendi ſint, quodammodo reſurgere dicuntur. Atque hæc ſententia videtur facile confirmari ex ſymbolo, quo dicitur Chriſtum venturum eſſe ad judicandos vivos & mortuos, & actor. 10.* Ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum; *quod non poteſt melius exponi quàm ſi dicamus & eum judicaturum vivos, quos tunc reperiet, & eos, qui mortui jam fuerant; Deinde quæ poteſt jam aſſignari cauſa vel naturalis, vel violenta tam ſubitæ mortis tot hominum? Altera eſt ſententia omnes homines juſtos, qui erũt tunc temporis etiam eſſe morituros & poſtea reſurrecturos. Propria enim reſurrectio eſt à morte tanquam à termino à quo. Ita aſſerit D. Thomas 1. 2. quæſt. 81. artic. 3. ad 1. eam aſſerunt & Theologi in 4. diſtin. 43. & ſcriptura ipſa apertè ſignificat omnes homines eſſe morituros Rom 5.* Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertranſiit. *1. Cor. 15. juxta vulga. latin.* Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, *quorum verborum ſenſus eſt, omnes homines tam malos quàm bonos reſurrecturos eſſe, non tamen omnes ad ſtatum gloriæ tranſituros. D. Auguſtinus hic amplectitur eandem ſententiam, eamque ex loco Pauli aſſerit, qui eodem capite dixerat:* Tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur; *quod verò dicitur,* Chriſtus venturus ad judicandum vivos & mortuos, *omiſſis aliis interpretationibus dici poteſt, hæc verba ſymboli reſpicere illud tempus, in quo fidem profitemur, ut vivos eos appellemus, qui nunc vivimus; mortuos verò, qui nos præceſſerunt, nec deerunt plures cauſæ humanæ mortis ante diem judicii.*

β Non ſic accipiendum eſt tanquam in aere.] *Cyrillus catech. 17.* τὸ γὰρ πάντοτε σὺν κυρίῳ εἶναι τὴν αἰώνιον ὑποσημαίνει ζωήν.

γ Omnes reſurgemus, vel ſicut alii codices habent, Omnes dormiemus.] *Epiſt. 146. ad Conſentium & q. 3. ad Dulcitium utramq; refert lectionem, & eodem docet recidere, ut intelligamus & omnes morituros, & omnes item reſurrecturos. Per verbum enim dormiemus ſignificatur mors propter futuram reſurrectionem, & ex eo quod ſint omnes morituri, ſequitur omnes eſſe reſurrecturos, quod intendebat Paulus dicere, & ut magis explicaret, vetus interpres vertit,* omnes reſurgemus. *Priorem lectionem ſequitur Tertullianus lib. de Reſurrect. Carnis cap. 42. poſteriorem probat D. Hieronymus epiſt. 152. ad Mimerium & Iſaiæ 51.*

δ In ictu oculi futuram reſurrectionem.] *Hoc eſt in ſumma celeritate, ut exponit epiſtola 146. ad Conſentium, epiſt. 49. ad Deogratias quæſt. 1. legit* in nictu oculi, ut radius oculi noſtri, *inquit,* non citius pervenit ad propinquiora quam ad longinquiora, ſed utraque intervalla parili celeritate contingit, ita cum in nictu oculi, ſicut Apoſtolus dicit, fit reſurrectio mortuorum, omnipotentiæ Dei & ineffabili nutui tam facile eſt quæque recentia, quam diuturno tempore dilapſa cadavera reſuſcitare.

ε Oportet, ſi Chriſtiani eſſe volumus, ut credamus.] *Tertullianus lib. de Reſurrect.*

ſurrect. Car. cap. 3. adeo non erit Chriſtianus, qui eam reſurrectionem carnis negabit, quibus utitur non Chriſtianus, *Hoc potiſſimum ſigno primitus diſcernebantur à Gentilibus Chriſtiani, quod crederent mortuorum reſurrectionem, quam illi negabant.*

CAP. XXI.

Quid Eſaias Propheta de mortuorum reſurrectione & retributione judicii ſit locutus.

PRopheta Eſaias: α *Reſurgent*, inquit, *mortui, & reſurgent, qui in ſepulchris erant: & lætabūtur omnes, qui ſunt in terra.* β *Ros enim, qui abs te eſt, ſanitas illis eſt: terra verò impiorū cadet.* Totū illud ſuperius ad reſurrectionē pertinet beatorū. Quod autem ait, *Terra verò impiorum cadet*, benè intelligitur dictum: corpora impiorū ruina damnationis excipiet. Jam verò, ſi de bonorum reſurrectione, quod dictum eſt, diligentius & diſtinctius velimus intueri, ad primam referendum eſt, quod dictū eſt, *Reſurgent mortui:* ad ſecundam verò, quod ſequitur: & reſurgent, qui in ſepulchris erant. Jam & ſi illos inquiramus ſanctos, quos hîc vivos inventurus eſt Dominus, eis congruè deputabitur, quod adjunxit: *Et lætabuntur omnes, qui ſunt in terra; ros enim, qui abs te eſt, ſanitas illis eſt.* Sanitatem loco iſto, immortalitatem rectiſſimè accipimus. Ea namque eſt pleniſſima ſanitas, quæ non reficitur alimentis tanquam quotidianis medicamentis. Item de judicii die ſpem prius dans bonis: deinde terrens malos, idem Propheta ſic loquitur: *Hæc dicit Dominus:* γ *Ecce ego declino in eos, ut flumen pacis, & ut torrens inundans gloriam gentium. Filii eorum ſuper humeros portabuntur, & ſuper genua conſolabuntur. Quemadmodum, ſi quem mater conſoletur, ita ego vos conſolabor: & in Hieruſalem conſolabimini: & videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra ſicut herba exorientur. Et cognoſcetur manus Domini colentibus eum: & comminabitur contumacibus. Ecce enim Dominus, ut ignis veniet, & ut tempeſtas currus ejus, reddere in indignatione vindictam, & vaſtationem in flamma ignis. In igne enim Domini judicabitur omnis terra, & in gladio ejus omnis caro: multi vulnerati erunt à Domino.* In bonorum promiſſionē ſe declinare dicit in flumen pacis: quod profectò abundantiam pacis illius debemus accipere, qua major eſſe non poſſit. Hac utique in fine rigabimur: de qua in præcedenti Libro abundanter locuti ſumus. Hoc flumen ſe in eos declinare dicit, quibus tantam beatitudinem pollicetur, ut intelligamus in illius felicitatis regione, quæ in cœlis eſt, hoc flumine omnia ſatiari. Sed quia & terrenis corporibus pax incorruptionis atque immortalitatis vim influet, ideò declinare ſe dicit hoc flumen: ut de ſupernis quodammodo etiam inferiora perfundat, & homines æquales Angelis reddat. Hieruſalem quoque non illam, quæ ſervit cum filiis ſuis, ſed liberam matrem noſtram intelligamus, ſecundùm Apoſtolum æternam in cœlis: ubi poſt labores ærumnarum curarumque mortalium conſolabimur, tanquam parvuli ejus in humeris genibusque portati. Rudes enim nos & novos blandiſſimis adjutoriis inſolita nobis illa beatitudo ſuſcipiet: ibi videbimus, & gaudebit cor noſtrum. Nec expreſ-

Eſa. 26. *Eſa. 66.* *Flumen pacis.* *Gal. 4.*

ſit, quid videbimus. Sed quid, niſi Deum, ut impleatur in nobis promiſſum Ev-
Matt. 5. angelicum: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt:* Et omnia illa, quæ nunc non videmus, credentes autem pro modulo capacitatis humanæ, longè minùs, quàm ſunt atque incomparabiliter cogitamus: *Et videbitis*, inquit, *& gaudebit cor veſtrum.* Hic creditis, ibi videbitis. Sed quoniam dixit: *Et gaudebit cor veſtrum*, ne putaremus illa bona Hieruſalem, ad noſtrum tantummodo ſpiri-
Iſa. 66. tum pertinere: d *Et oſſa*, inquit, *veſtra ut herba exorientur:* ubi reſurrectionem corporum ſtrinxit, velut quod non dixerat reddens. Neque enim cum viderimus, fient: ſed cum fuerint facta, videbimus; nam & de cœlo novo ac terra nova jam ſupra dixerat, dum ea, quæ ſanctis promittuntur, in fine ſæpè ac multiformiter
Iſa. 65. diceret: *Erit*, inquit, *cælum novum & terra nova, & non erunt memores priorum, nec aſcendent in cor ipſorum: ſed lætitiam & exultationem invenient in ea. Ecce ego faciam Hieruſalem exultationem, & populum meum lætitiam: & exultabo in Hieruſalem: & letabor in populo meo: & ultra non audietur in illa vox fletus.* & cætera, quæ quidam carnales ad illos mille annos referre conatur. e Locutiones enim tropicæ propriis prophetico more miſcentur: ut ad intellectum ſpiritalem intentio ſobria cum quodam utili ac ſalubri labore perveniat. Pigritia verò carnalis, vel ineruditæ atque inexercitatæ tarditas mentis contenta literæ ſuperficie, nihil putat interius requirendum. Hæc de Propheticis verbis, quæ ante iſtum locum ſcripta ſunt, ſatis dixerimus. In hoc autem loco, unde ad illa digreſſi ſumus, cum dixiſſet: *Et oſſa veſtra ut herba exorientur*, ut reſurrectionem quidem carnis, ſed tantum bonorum, ſe nunc commemorare monſtraret, adjunxit: *Et cognoſcetur manus Domini colentibus eum.* Quid eſt hoc, niſi manus diſtinguentis cultores ſuos à contemptoribus ſuis? De quibus ſequentia contexens: *Et comminabitur*, inquit, *contumacibus:* a ſive, ut ait alius interpres, *incredulis.* Nec tunc comminabitur: ſed quæ nunc dicuntur minaciter, tunc efficaciter im-
Iſa. 66. plebuntur: *Ecce enim Dominus*, inquit, *ut ignis veniet, & ut tempeſtas currus ejus reddere in indignatione vindictam, & vaſtationem in flamma ignis. In igne enim Domini judicabitur omnis terra, & in gladio ejus omnis caro: Multiq; vulnerati erunt à Domino.* Sive igne, ſive tempeſtate, ſive gladio: pœnam judicii ſignificat: quandoquidem ipſum Dominum quaſi ignem dicit eſſe venturum eis, profectò quibus pœnalis ejus erit adventus. Currus verò ejus, qui pluraliter dicti ſunt, angelica miniſteria non inconvenienter accipimus. Quod autem ait: Omnem terram, & omnem carnem in ejus igne & in gladio judicari, non etiam hic ſpiritales intelligamus & ſanctos, ſed terrenos atque carnales, de quibus dictum eſt:
Phil. 3. *Qui terrena ſapiunt: & ſapere ſecundùm carnem, mors eſt:* & quales omnino ca-
Rom. 8. ro appellantur à Domino, ubi dicit: *Non permanebit Spiritus meus in hominibus*
Gen. 6. *iſtis, quoniam caro ſunt.* Quod verò hic poſitum eſt: *Multi vulnerati erunt à Domino*, iſto vulnere fiet mors ſecunda. Poteſt quidem & ignis, & gladius, & vul-
Luc. 12. nus accipi in bono. Nam & ignem Dominus velle ſe dixit mittere in mundum.
Act. 2. Et *Viſæ ſunt illis linguæ diviſæ velut ignis*, quando venit Spiritus ſanctus. Et *non*
Mat. 10. *veni*, inquit idem Dominus, *pacem mittere in terram, ſed gladium.* Et ſermonem

Dei dicit Scriptura gladium bis acutum: propter aciem geminam teſtamentorum duûm. Et in Cantico canticorum, charitate ſe dicit ſancta Eccleſia vulneratam, velut amoris impetu ſagittatam. Cant. 4. Sed hic cum legimus vel audimus ultorem Dominum eſſe venturum: quemadmodum hæc intelligenda ſint, clarum eſt. Deinde breviter commemoratis eis, qui per hoc judicium conſumentur ſub figura ciborum in lege veteri vetitorum, à quibus ſe non abſtinuerunt: peccatores impiosque ſignificans, recapitulat ab initio gratiam novi Teſtamenti à primo Salvatoris adventu uſque ad ultimum judicium, de quo nunc agimus, perducens finiensque ſermonem. Narrat namque Dominum dicere ſe venire, ut congreget omnes, easque venturas & viſuras gloriam ejus. *Omnes enim*, ſicut dicit Apoſtolus, *peccaverunt, & egent gloria Dei.* Rom. 3. Et relicturum ſe dicit ſuper eos ſigna, quæ utique mirantes credant in eum: & emiſſurum ex illis ſalvatos in gentes diverſas, & in longinquas inſulas, quæ non audierunt nomen ejus, neque viderunt gloriam ejus: & annunciaturos gloriam ejus in gentibus & adducturos fratres iſtorum, quibus loquebatur, id eſt, in fide ſub Deo patre fratres Iſraelitarum electorum. Adducturos autem ex omnibus gentibus munus Domino in jumentis & vehiculis, quæ jumenta & vehicula bene intelliguntur adjutoria eſſe divina, per cujusque generis miniſteria Dei, vel angelica, vel humana, in civitatem ſanctam Hieruſalem: quæ nunc in ſanctis fidelibus eſt diffuſa per terras. Ubi enim divinitus adjuvantur, ibi credunt: & ubi credunt, ibi veniunt. Comparavit autem Dominus illos tanquam per ſimilitudinem, filiis Iſrael offerentibus ei ſuas hoſtias cum pſalmis in domo ejus: quod ubique jam facit eccleſia: & promiſit ab ipſis ſe accepturum ſibi Sacerdotes & Levitas: quod nihilominus fieri nunc videmus. ζ Non enim ex genere carnis & ſanguinis, ſicut erat primum ſecundum ordinem Aaron, ſed ſicut oportebat in teſtamento novo, ubi ſecundum ordinem Melchiſedec ſummus ſacerdos eſt Chriſtus; pro cujusque merito, quod in Pſ. 109. eum gratia divina contulerit, *b* Sacerdotes & Levitas elegit, ſicut nunc videmus, *c* qui non iſto nomine, quod ſæpe aſſequuntur indigni, ſed ea quæ non eſt bonis malisq; communis, ſanctitate penſandi ſunt. Hæc cum de iſta, quæ nunc impertitur eccleſiæ, perſpicua, nobisque notiſſima Dei miſeratione dixiſſet: promiſit & fines, ad quos per ultimum judicium facta bonorum malorumque diſcretione venietur, dicens per Prophetam, vel de Domino dicens ipſe Propheta: *Quomodo enim cœlum novum & terra nova manebit coram me, dicit Dominus: ſic ſtabit ſemen veſtrum; & nomen veſtrum: & erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato: & veniet omnis caro in conſpectu meo adorare in Hieruſalem, dicit Dominus: & egredientur, & videbunt membra hominum, qui prævaricati ſunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt viſui omni carni.* Eſa. 66. η Ad hoc iſte Propheta terminavit librum, ad quod terminabitur ſeculum. Quidam ſanè non interpretati ſunt membra hominum, *d* ſed cadavera virorum, per cadavera ſignificantes evidentem corporum pœnam: quamvis cadaver, niſi caro exanimis, non ſoleat nuncupari: illa verò animata erunt corpora, alioquin nulla poterunt ſentire tormenta: niſi forte, quia mortuorum erunt corpora, id eſt

eorum, qui in ſecundam mortem cadent, ideò non abſurdè etiam cadavera dici poſſunt. Unde eſt & illud, quod ab eodem Propheta dictum jam ſupra poſui: *Cadaver unde dictum.* *Terra verò impiorum cadet.* Quis autem non videat, à cadendo eſſe appellata cadavera? Virorum autem pro eo poſuiſſe *e* illos interpretes, quod eſt hominum, manifeſtum eſt. Neque enim quiſquam dicturus eſt, prævaricatrices fœminas in illo ſupplicio non futuras: ſed ex potiore, præſertim de quo fœmina facta eſt, uterque ſexus accipitur. Verùm quod ad rem maximè pertinet, cum & in bonis dicitur: *Veniet omnis caro:* quia ex omni genere hominum populus iſte conſtabit: non enim omnes homines ibi erunt, quando in pœnis plures erunt: Sed, ut dicere cœperam, cum & in bonis caro, & in malis membra vel cadavera nominantur: profectò poſt reſurrectionem carnis, cujus fides his rerum vocabulis omninò firmatur, illud, quod boni & mali ſuis finibus dirimentur, futurum eſſe judicium, declaratur.

L. Vives. *a* SIve, ut alius interpres, incredulis.] *Hieronymus ex Hebræo, & ex Septuaginta, Inimicis ſuis vertit.*

b Sacerdotes & Levitas elegit ſicut nunc.] *Alibi Sacerd. & Lev. eligi nunc videmus.*

c Qui non iſto nomine.] *Non ſacerdotium, neque ulla initiatio gratos homines Deo reddit, quippe bonos juxta ac malos ad tractanda ſacra videmus admitti: ſed puritas conſcientiæ, & integritas vitæ, & caſtitas morum: hæc dæmonum ſunt, quæ acceptos Deo nos faciunt, atque amicos, quippe ſimilia quantum divinorum humana poſſunt, & cognata, illius ſanctiſſimæ atque optimæ naturæ præpotentis Dei.* *Accepti Deo quomodo fiamus.*

d Sed cadavera virorum.] *Sic Hieronymus. Animadverte Auguſtini candorem: maluit Hieronymi verſionem benigne interpretari, quam infixum relinquere aculeum cavilli, præſertim cum Hieronymi interpretationi non omnino faveret.*

e Illos interpretes.] *Hieronymum ſentit: nam in Septuaginta habetur,* ἀνθρώπων.

F. L. Coq. *α* REſurgent (*inquit*) mortui.] *Iſaiæ 26. Ita 70.* ἀναστήσονται *Ita etiam legit Irenæus lib. 5. cap. 15. & cap. 34. Tertullianus lib. de reſur. carnis cap. 31.* Vivent mortui *& ita Hebr. legitur* יחיו מתיך. *Aquila:* ζήσονται οἱ τεθνεῶτές σου. *Symmachus & Theodotus* ζήσονται οἱ νεκροί σου.

β Ros enim, qui abs te eſt, ſanitas eſt illis.] *70. non reddiderunt,* ſanitas eſt illis *ſed* medicina eſt illis, *aut* curatio eſt illis, ἴαμα αὐτοῖς ἐστιν *Legit Tertullianus lib. de reſurr. car. cap. 31.* medela eſt oſſibus eorum, *ſenſus prophetæ,* medebere domine ſanctis tuis, & eos reſtitues priſtinæ ſanitati, *ut idem ſit, medela ſeu medicatio eſt illis, & ſanitas eſt illis, ut obſervat Caſtro in eum locum; immortalitatem corporum poſt reſurrectionem hanc ſanitatem interpretatur Auguſtinus.*

γ Ecce ego declino in eos ut flumen pacis.] *Origenes homil. 13. in Ezechiel Fluvium pacis Chriſtum interpretatur, id eſt, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. ult.* Quis dubitat, *inquit,* fluvium eſſe Dei filium, de quo æternæ vitæ profluunt ſemina. *D. Auguſtinus hoc loco flumen pacis, abundantiam pacis vitæ æternæ apud Iſaiam ſignificare putat, quæ in fine rigabimur*

cum

cum vita ſempiterna fruemur, & hoc flumen in eos declinare dicit, quibus beatam vitam pollicetur, ut intelligamus in beata cæleſti vita hoc flumine omnia ſatiari, quod declinare ſe dicit, quia & corporibus ipſis in glorioſa reſurrectione juſtorum pax illa incorruptionis atque immortalitatis vim influet, ut de ſupernis quodammodo etiam inferiora perfundat, quia beatitudo & gloria animæ redundabit in corpus. D. Cyrillus hæc ad adventum Chriſti in carnem refert; divinus propheta, *inquit*, ſtatim & è veſtigio apparitionem ejus cum carne manifeſtam ac perſpicuam facit: perſonam enim ejus loquentem facit, ecce declino in eos tanquam flumen pacis & tanquam torrentem, qui inundat gloriam gentium: flumen porrò pacis & deliciarum eſt Chriſtus: *ubi illud declino ita interpretatur*, recta enim via, & ita ei fuit ex propoſito & voluntate patris ad Iſraelitas. Itaque ait, non miſſus ſum niſi ad perditas oves domus Iſrael. Cum verò illi fidem reſpuerent, declinavit ab illis, ſicut ſcriptum eſt: & gentium cógregationem ex ſacris rivulis conſolatione perfudit, id eſt, Evangelica & ſalutari prædicatione, per quam pacem apud eum lucrifecerunt, & per quem ſpirituali ſocietate conjuncti ſunt cum Deo & patre. *Eadem eſt interpretatio Procopii ad eum locum. Verùm locus iſte Iſaiæ rectè patitur utrumque ſenſum, cum uterque verus ſit & maximè catholicus.*

δ Et oſſa (inquit) veſtra ut herba exorientur.] *Hæc verba Prophetæ non modo à D. Auguſtino hoc loco, verùm etiam & à D. Irenæo lib. 5. cap. 15. & à Tertulliano lib. de reſurrectione carnis cap. 31. adducuntur ad reſurrectionem carnis probandam.*

ε Locutiones enim tropicæ propriis prophetico more miſcentur.] *Scriptura ſacræ tropis utuntur, ut ſeſe captui noſtro accommodent, cùm ſpiritualia & immortalia in ſeipſis capere non poſſimus. Ita D. Dionyſius lib. de cæleſti hierarch. cap. 1.* Nec enim aliter fas erat infirmitati noſtræ lucere divinum illum radium, niſi ſacrorum varietate velaminum, quibus ad ſuperiora ferremur, opertum, & his, quæ nobis familiaria ſunt, providentia paterna naturæ mortalium ſeſe accommdante veſtitum.

ζ Non enim ex genere carnis & ſanguinis ſicut erat primum.] *Ut intelligamus diſtingui ſacerdotium novum à veteri, ſiquidem vetus illud carnale erat ac in carnalibus hoſtiis & ſacrificiis fere totum conſiſtebat, ideò non mirum, ſi carnalis propagatio jus illius ſacerdotii transferebat, cùm non niſi ex filiis Aaron ſacerdotes aſſumerentur, ſacerdotium verò novum ſpirituale eſt, quia confert gratiam, atque ad illud ex omnibus gentibus ubique terrarum aſſumi poſſunt, quia in ſpirituali conſecratione conſiſtit.*

η Ad hoc iſte propheta terminavit librum, ad quod terminabitur ſeculum.] *Ita Tertullianus lib. de reſurrect. car.* Is, *inquit*, finis eſt Iſaiæ prophetæ, qui eſt futurus finis hujus mundi.

CAP. XXII.

Qualis futura ſit egreſſio ſanctorum, ad videndas pœnas malorum.

SEd quomodo egredientur boni ad videndas pœnas malorum? Nunquid corporis motu beatas illas relicturi ſunt ſedes, & ad loca pœnalia perrecturi: ut malo-

malorum tormenta conſpiciant præſentia corporali? Abſit: ſed egredientur per ſcientiam. Hoc enim verbo ſignificatum eſt, eos, qui cruciabuntur extra futuros. Propter quod & Dominus ea loca tenebras exteriores vocat, quibus contrarius eſt ille ingreſſus, de quo dicitur ſervo bono: *Intra in gaudium Domini tui:* ne illuc mali putentur ingredi, ut ſciantur: ſed ad illos potius velut egredi per ſcientiam, qua eos cogrituri ſunt boni: quia id, quod extra eſt, cognituri ſunt. Qui enim erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini, neſcient: *a* qui verò erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus, ſcient. Ideò dictum eſt, Egredientur: quia eos etiam, qui foris ab eis erunt, utique non latebunt. Si enim hæc prophetæ nondum facta noſſe potuerunt, per hoc, quod erat Deus, quantulumcunque erat in eorum mortalium mentibus, quomodo immortales ſancti jam facta tunc neſcient, cum *Deus erit omnia in omnibus?* Stabit ergò in illa beatitudine ſanctorum ſemen & nomen. Semen, ſcilicet de quo Joannes ait: *Et ſemen ejus in ipſo manet.* Nomen verò, de quo per hunc Eſaiam dictum eſt: *Nomen æternum dabo eis. Et erit eis menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato, tanquam luna ex luna, & requies ex requie:* quorum utrumque ipſi erunt, cum ex his umbris veteribus & temporalibus in illa lumina nova ac ſempiterna tranſibunt. In pœnis autem malorum, & inextinguibilis ignis, & vivaciſſimus vermis, ab aliis atque aliis, aliter atque aliter eſt expoſitus. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam retulerunt: alii propriè ad corpus ignem, vermem verò tropicè ad animam: quod credibilius eſſe videtur. Sed nunc de hac differentia non eſt hujus temporis diſputare. De judicio namque ultimo, quo fiet diremptio bonorum & malorum, hoc volumen implere ſuſcepimus: de ipſis verò præmiis & pœnis alias diligentius diſſerendum eſt.

Mat. 25. — 1. Cor. 15. — 1 Ioan. 3. — Eſa. 66.

F. L. Cog. *a* QUi verò erunt in illo gaudio.] *Beatos quidem viſuros poſt diem judicii ſupplicia damnatorum, non idem damnatos gloriam beatorum, docet hic clarè D. Auguſtinus. Ita enim de beatis interpretatur illud Eſaiæ*, Egredientur & videbunt membra hominum, qui prævaricati ſunt in me. *D. Gregorius lib. 33 moral. cap. 19.* quos cruciatus cum juſti conſpiciunt in Dei laudibus creſcunt, quia in ſe cernunt bonum, quo remunerati ſunt, & in illis inſpiciunt ſupplicium, quod evaſerunt, *& lib. 34. moral. cap. 16.* Iniqui omnes æterno ſupplicio, & quidam ſua iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid concremantur, ſcilicet ut juſti omnes & in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, & in iſtis reſpiciant ſupplicia, quæ evaſerunt, ut tanto in æternum magis divinæ gratiæ debitores ſe eſſe cognoſcant, quanto in æternum mala puniri conſpiciunt, quæ ejus adjutorio vitare potuerunt *D. Thomas in 4. diſtinctione 50. quæſt. 2. articul. 4.* Dicendum quod à beatis nihil ſubtrahi debet, quod ad perfectionem eorum beatitudinis pertineat: unumquodque autem ex operatione contrarii magis cognoſcitur, quia contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, & ideò ut beatitudo ſanctorum magis eis complaceat, & de ea uberiores gratias Deo agant, datur eis, ut pœnam damnatorum perfectè intueantur.

CAP.

CAP. XXIII.

Quid prophetaverit Daniel de perſecutione Antichriſti, & de judicio Dei, regnoque ſanctorum.

DAniel de hoc ultimo judicio ſic prophetat, ut Antichriſtum prius quoque venturum eſſe prænunciet: atque ad æternum regnum ſanctorum perducat narrationem ſuam. Cum enim viſione prophetica quatuor beſtias ſignificantes quatuor regna vidiſſet: ipſumque quartum à quodam rege ſuperatum, qui Antichriſtus agnoſcitur: & poſt hæc æternum regnum filii hominis, qui intelligitur Chriſtus: *Horruit*, inquit, *ſpiritus meus: ego Daniel in hebetudine mea, & viſus capitis mei conturbabant me. Et acceſſi*, inquit, *ad unum de aſtantibus, & veritatem quærebam ab eo de his omnibus: & dixit mihi veritatem.* Deinde, quid audierit ab illo, à quo de omnibus his quæſivit, tanquam eo ſibi exponente, ſic loquitur: *Hæ quatuor beſtiæ magnæ, quatuor regna ſurgent in terra, quæ auferentur, & accipient regnum ſancti Altiſſimi: & obtinebunt illud usque in ſeculum, & usque in ſeculum ſeculorum. Et quærebam*, inquit, *diligenter de beſtia quarta, quæ erat differens præ omni beſtia, terribilis amplius: dentes ejus ferrei, & ungues ejus ærei, manducans, & comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans: & de cornibus ejus decem, quæ erant in capite ejus, & de altero quod aſcendit, & excuſſit de prioribus tria: cornu illud in quo erant oculi, & os loquens magna: & viſus ejus major cæteris. Videbam, & cornu illud faciebat bellum cum ſanctis: & prævalebat ad ipſos, donec venit vetuſtus dierum, & regnum dedit ſanctis Altiſſimi: & tempus pervenit, & regnum obtinuerunt ſancti.* Hæc Daniel quæſiſſe ſe dixit. Deinde quid audierit, continuo ſubjungens: *Et dixit*, inquit, id eſt, ille à quo quæſierat, reſpondit, & dixit: *Beſtia quarta, quartum regnũ erit in terra, quod prævalebit omnibus regnis: & manducabit omnem terram, & conculcabit eam, & concidet. Et decem cornua ejus, decem reges ſurgent: & poſt eos ſurget alius; a qui ſuperabit ſuis malis omnes, qui ante eum fuerunt: & tres reges humiliabit, & verba adverſus Altiſſimum loquetur: & ſanctos Altiſſimi conteret. Et ſuſpicabitur mutare tempora & legem: & dabitur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et judicium ſedebit, & principatum removebit ad exterminandum & perdendum uſque in finem; & regnum & poteſtas, & magnitudo regum, qui ſub omni cœlo ſunt, data eſt ſanctis Altiſſimi. Et regnum ejus regnum ſempiternum: & omnes principatus ipſi ſervient, & obedient. Hucuſque*, inquit, *finis ſermonis. Ego Daniel, multum cogitationes meæ conturbabant me: & forma mea immutata eſt ſuper me: & verbum in corde meo conſervavi.* b β Quatuor illa regna expoſuerunt quidam Aſſyriorum, Perſarum, Macedonum & Romanorum. Quam verò convenienter id fecerint, qui noſſe deſiderant, legant presbyteri Hieronymi librum in Danielem, ſatis diligenter, eruditeque conſcriptum. Antichriſti tamen adverſus eccleſiam ſæviſſimum regnum, licet exiguo ſpatio temporis ſuſtinendum, donec Dei ultimo judicio regnum ſancti accipiant ſempiternum: qui vel dormitans hæc legit, dubita-

Dan. 7.

te non finitur. *Tempus* quippe, *& tempora, & dimidium temporis*, annum unum eſſe, & duos & dimidium ac per hoc tres annos & ſemiſſem, etiam numero dierum poſterius poſito diluceſcit, aliquando in Scripturis & menſium numero declaratur. Videntur enim tempora indefinite hic dicta lingua Latina, *c* γ ſed per dualem numerum dicta ſunt, quem Latini non habent. Sicut autem Græci, *d* ita hunc dicuntur habere & Hebræi. Sic ergo dicta ſunt tempora, tanquam dicerentur duo tempora. ∂ Vereri me ſane fateor, ne in decem regibus, quos tanquam decem homines videtur inventurus Antichriſtus, forte fallamur atque ita ille inopinatus adveniat, non exiſtentibus tot regibus in orbe Romano. Quid enim ſi numero iſto denario univerſitas regum ſignificata eſt: poſt quos ille venturus eſt, ſicut millenario, centenario, ſeptenario ſignificatur plerunque univerſitas, & aliis atque aliis numeris, quos nunc commemorare non eſt neceſſe? Alio loco idem Daniel:

Dan. 12. *Et erit*, inquit, *tempus tribulationis, qualis non fuit ex quo nata eſt gens ſuper terram uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit ſcriptus in libro. Et multi dormientium in terræ aggere exurgent: hi in vitam æternam, & hi in opprobrium & in confuſionem æternam. Et intelligentes fulgebunt ſicut claritas firmamenti, & ex juſtis multis ſicut ſtellæ in ſecula.* Et adhuc ſententiæ illi Evangelicæ eſt locus iſte ſimillimus, de reſurrectione duntaxat mortuorum corporum. Nam qui illic dicti ſunt eſſe in monumentis ipſi hic dormientes *in terræ aggere*: *e* vel ſicut alii interpretati ſunt, *in terræ pulvere*. Et ſicut ibi, *Procedent*, dictum eſt: ita hic, *Exurgent*. Sicut ibi, *Qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui autem mala egerunt, in reſurrectionem judicii*: ita & iſto loco, *Hi in vitam æternam, & hi in opprobrium & in confuſionem æternam.* Non autem diverſum putetur, quod cum ibi poſitum ſit, *Omnes qui ſunt in monumentis*, hic non ait Propheta, Omnes, ſed *Multi dormientium in terræ*

Gen. 17. *aggere*. *e* Ponit enim aliquando Scriptura pro Omnibus Multos. Propterea

Gen. 22. & Abrahæ dictum eſt, *Patrem multarum gentium poſuite*. Cui tamen & alio loco: *In ſemine*, inquit, *tuo benedicentur omnes gentes*. De tali autem reſurrectione huic quoque ipſi prophetæ Danieli paulo poſt dicitur: *Et tu veni, & requieſce. Adhuc enim dies in completionem conſummationis, & requieſces, & reſurges in ſorte tua in fine dierum.*

L. Vives. *a* QUi ſuperabit ſuis malis omnes.] *Septuaginta ſic*: ἀναστήσεται ἕτερος, ὃς ὑπεροίσει κακοὺς πάντας τοὺς ἔμπροσθεν, *Surget alius, qui ſuperabit malos omnes priores. An* κακοὺς *dixit accuſativum pro noſtro ablativo, ut ſit Græce? ſuperabit omnes priores per malos, quos ſecum habebit.*

Regna mundi quatuor. *b* Quatuor illa regna expoſuerunt quidam.] *Prima enim bellua ſimilis erat leænæ ſævæ & libidinoſæ & aquilæ reginæ avium ac ſuperbæ vivacique, quæ omnia habuit imperium Aſſyriorum. Secunda ſimilis urſæ duræ ac præferoci, imperium fuit Perſarum, cujus initium à robuſto & forti Cyro. Tertia ſimilis pardo alato celeri ac impetuoſo, ſanguinario, & qui in mortem ruit in ſaltu: tale imperium Macedonum, quod non pedibus currere, ſed volare pennis viſum eſt. Quanta*

enim

enim celeritate immenſam Aſiam victoriis ſuis Alexander luſtravit? Quarta beſtia erat omnium maxime terribilis, & mirabilis, & fortis, dentibus ferreis, ingentibus, vorans, & comminuens, & pedibus conculcans, diſſimilis cæteris: hujusmodi fuit Romanum imperium, cujus feritas omnium bellnarum feritatem vicit: ferreum, quod nulla externa vis conſumpſit, ſua rubigine belliſque civilibus exeſum eſt. Totum orbem inſatiabili voravit illuvie, urbes evertit, & gentes funditus excidit, atrox, ſævum, ſanguinis ſitientiſſimum.

c Sed per dualem numerum dicta ſunt.] *Antiquiſſimi Græci duos tantum habebant numeros, ſingularem & pluralem. Poſtea ſequentes dualem addiderunt, quos Latini ſequi noluerunt, ut ſcribit Diomedes grammaticus, ac ſæpe Græci poëtæ plurali pro duali utuntur, ut Homerus ἀτρείδαι, inquit, cum de Agamemnone loquatur & Menelao tantum, de quibus uno aut altero ante verſu per dualem dixerat, δύο κοσμήτορε λαῶν.*

d Ita hunc dicuntur habere.] *Hieronymus in Danielem: Tempus annum ſignificat. Tempora juxta Hebraici ſermonis proprietatem, qui & ipſi dualem numerum habent. duos annos præfigurat. Græce verò καιρῶν habetur, non καιροῖν.* Tempus

e Vel ſicut alii interpretati ſunt.] *Hieron. Daniel. 12.*

α QUi ſuperabit ſuis malis omnes.] *Ita legunt 70. ὃς ὑπεροίσει κακοῖς πάντας τοὺς ἔμπροσθεν, ut intelligatur Antichriſtus nequitia, impietate omniq́; genere improbitatis omnes quotquot ſunt, vel futuri ſunt, improbos longe ſuperaturus, qua ratione rectè ſtatuitur caput malorum. Alii legunt κακοὺς malos. A Complut. utrumque abeſt; vulgata editio,* ipſe potentior erit prioribus. R.L.Cap.

β Quatuor illa regna expoſuerunt quidam.] *Quæ ſignificata fuere primum in illa ſtatua Nabuchodonozor Daniel 2. per 4. metalla: ita Danielis 7. per beſtias ſignificantur. Joannes Bodinus, qui ſibi ſatis arrogat, & plus cæteris ſe ſapere putat, reprehendit hanc interpretationem loci Danielis de quatuor illis Monarchiis, quæ eſt omnium fere Patrum interpretatio, quorum authoritatem hic magis ſequimur.*

γ Sed per dualem numerum dicta ſunt.] *Hieronymus in cap. 7. Daniel.* Tempus annorum ſignificat, tempora juxta Hebraici ſermonis proprietatem, qui & ipſi dualem numerum habent. duos annos præfigurant, dimidium temporis ſex menſes, quibus ſancti poteſtati Antichriſti permittendi ſunt.

δ Vereri me fateor in decem regibus.] *Numero illo decem regum, in quos ait Daniel diſpertitum iri tempore Antichriſti Romanum imperium, ut Hieronymus & alii interpretati ſunt, putat Auguſtinus non tam ſignificari certum numerum quendam regum, quàm omnes reges in imperio Romano usque ad finem ſæculi futuros, poſt quos venturus ſit Antichriſtus, qui tres ex his ſuperaturus ſit, & reliquos ſuæ ditioni ſubjecturus. Solet enim ſcriptum denario ut & aliis numeris univerſitatem ſignificare. Verùm cum ſubjiciat Daniel & tres ex his ſuperaturum Antichriſtum, & quarum regionum illi ſint reges nominet, poſſumus interpretari Danielem futuro reverà in Romano orbe cum veniet Antichriſtus decem præfixo numero Reges.*

ε Ponit enim aliquando ſcriptura pro omnibus multos.] *Ne videatur ſententia domini Joannis 5. qua dicit* omnes reſurrecturos, *diverſa à ſententia Danielis,* multos

multos evigilaturos, *ut indicare videatur non omnes in univerſum reſurrecturos, recte docet in ſcriptura pro omnibus poni vocabulum, multos, quod confirmat alio ſcripturæ loco. Siquidem Abrahæ dictum eſt Geneſ. 17.* Patrum multarum gentium poſui te, *cùm tamen Geneſ. 22. ei dicatur,* In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, *ut priore loco,* multarum i. e. *pro* omnium *poſitum ſit. Hoc idem cum Auguſtino docet & Theodoretus in eum locum Danielis, & alio exemplo confirmat ſumpto ex cap. 5. epiſt. ad Romanos, ubi Paulus, cùm prius dixiſſet, propter peccatum Adæ factos eſſe* omnes *peccatores, ſubdit poſtea, propter ejus inobedientiam* multos *eſſe conſtitutos peccatores, uſus vocabulo multorum pro voce omnium.*

Cap. XXIV.

In Pſalmis Davidicis quæ de fine ſeculi hujus, & quæ de noviſſimo Dei judicio prophetentur.

Multa de judicio noviſſimo dicuntur in Pſalmis, ſed eorum plura transeunter & ſtrictim. Hoc tamen quod de fine hujus ſeculi apertiſſime
Pſ. 101. dictum eſt ibi, nequaquam ſilentio præteribo. *Principio terram tu fundaſti Domine, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* α Quid eſt quod Porphyrius cum pietatem laudet Hebræorum, qua magnus & verus & ipſis numinibus terribilis ab eis colitur Deus, Chriſtianos ob hoc arguit maximæ ſtultitiæ, etiam ex oraculis deorum ſuorum, quod iſtum mundum dicunt eſſe periturum. Ecce in literis pietatis Hebræorum dicitur Deo, quem confitente tanto Philoſopho, etiam ipſa numina perhorreſcunt: *Opera*, inquit, *manuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt.* Nunquid quando cœli peribunt, mundus, cujus iidem cœli ſuperior pars eſt & tutior, non peribit? β Si hæc ſententia Jovi diſplicet, cujus, ut ſcribit iſte philoſophus, velut gravioris autoritatis oraculo in Chriſtianorum credulitate culpatur, cur non ſimiliter ſapientiam tanquam ſtultitiam culpat Hebræorum, in quorum libris, piiſſimis invenitur? Porro ſi in illa ſapientia [Judæorum] quæ Porphyrio tam multum placet, ut eam deorum quoque ſuorum vocibus prædicet, legitur cœlos eſſe perituros, cur uſque adeo vana eſt iſta fallacia, ut in fide Chriſtianorum, vel inter cætera, vel præ cæteris hoc deteſtentur, quod in ea periturus creditur mundus, quo utique niſi pereunte, cœli non poſſunt perire? Et literis quidem ſacris, quæ proprie noſtræ ſunt, non Hebræis nobisque communes, id eſt, Evangelicis & Apoſtolicis libris legitur: *Præterit figura*
1. Cor. 7. 1. Ioan. 2. *hujus mundi.* Legitur, *Mundus tranſit*: legitur, *Cœlum & terra tranſibunt.* Sed
Mat. 24. puto quod Præterit, Tranſit, Tranſibunt, aliquanto mitius dicta ſunt quam
2. Pet. 3. peribunt. In epiſtola quoque Petri Apoſtoli, ubi aqua inundatus, qui tunc erat, periiſſe dictus eſt mundus, ſatis clarum eſt, & qua pars mundi à toto ſignificata eſt, & quatenus periiſſe dicta ſit, & qui cœli repoſiti igni reſervandi in diem judicii & perditionis hominum impiorum. Et in eo quod paulo

poſt

poſt ait: *Veniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu tranſcurrent; elementa autem ardentia reſolventur, & terra, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur:* ac deinde ſubjecit, his omnibus pereuntibus quales oportet vos eſſe? γ Poſſunt illi cœli intelligi perituri, quos dixit repoſitos igni reſervandos, & ea elementa accipi arſura, quæ in hac ima mundi parte ſubſiſtunt procelloſa & turbulenta, in qua eoſdem cœlos dixit eſſe repoſitos, ſalvis illis ſuperioribus, & in ſua integritate manentibus, in quorum firmamento ſunt ſidera conſtituta. Nam & illud quod ſcriptum eſt, ſtellas de cœlo eſſe caſuras, præter quod poteſt multo probabilius, & aliter intelligi, magis oſtendit manſuros eſſe illos cœlos: δ ſi tamen ſtellæ inde caſuræ ſunt, cum vel tropica ſit locutio, quod eſt credibilius, vel in iſto imo cœlo futurum ſit aliquid utique mirabilius quam nunc fit. α Unde & illa Virgiliana, Vir. 2. Æneid.

Stella facem ducens multa cum luce cucurrit, &
Judæa ſe condidit ſylva.

Hoc autem quod de Pſalmo commemoravi, nullum cœlorum videtur relinquere, quod periturum eſſe non dixerit. Ubi enim dicitur: *opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt*, quam nullum eorum ab opere Dei, tam nullum eorum à perditione ſecernitur. Non enim dignabuntur de ε Petri Apoſtoli locutione, quem vehementer oderunt, Hebræorum defendere pietatem, deorum ſuorum oraculis approbatam: ut ſaltem ne totus mundus periturus eſſe credatur, ſic à toto pars accipiatur, in eo quod dictum eſt: *Ipſi peribunt*, cum ſoli cœli infimi ſint perituri: quemadmodum in Apoſtolica illa epiſtola à toto pars accipitur, quod diluvio periſſe dictus eſt mundus, quamvis ſola ejus cum ſuis cœlis pars ima perierit. Sed quia hoc, ut dixi, non dignabuntur, ne vel Apoſtoli Petri approbent ſenſum, vel tantum concedant conflagrationi noviſſimæ, quantum dicimus valuiſſe diluvium, qui nullis aquis, nullis flammis totum genus humanum poſſe perire contendunt. Reſtat, ut dicant, quod propterea dii eorum Hebræam ſapientiam laudaverunt, quia iſtum Pſalmum non legerant. In Pſalmo etiam quadrageſimo nono de judicio Dei noviſſimo intelligitur dictum: *Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu ejus ardebit, & in circumitu ejus tempeſtas valida. Advocabit, cœlum ſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. Congregate illi ſanctos ejus, qui diſponunt teſtamentum ejus ſuper ſacrificia.* Hoc nos de Domino noſtro Jeſu Chriſto intelligimus, quem de cœlo ſperamus eſſe venturum ad vivos & mortuos judicandos. Manifeſtus enim veniet ζ inter juſtos & injuſtos judicaturus juſtè, qui prius venit occultus ab injuſtis judicandus injuſtè. Ipſe, inquam, manifeſtus veniet & non ſilebit, id eſt. in voce judicis evidens apparebit, qui prius cum veniſſet occultus, ante judicem ſiluit, quando, *ſicut ovis ad immolandum ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente fuit ſine voce*, quemadmodum de illo per Eſaiam legimus prophetatum, & in Evangelio videmus impletum. De igne verò & tempeſtate cum in Eſaiæ prophetia tale aliquid tractaremus, quomodo eſſent hæc intelligenda, jam diximus. Quod verò dictum eſt: *Advocabit cœlum*

Pſ. 101. (margin)
Eſaiæ 53. (margin)

ſurſum, quoniam ſancti & juſti rectè cœlum appellantur: nimirum hoc eſt, quod ait Apoſtolus, *ſimul cum illis rapiemur in nubibus in obviam Chriſto in aera.* 1.Theſ.4 Nam ſecundùm literæ ſuperficiem, quomodo ſurſum advocatur cœlum, quaſi poſſet eſſe niſi ſurſum? Quod autem adjunctum eſt: *Et terram diſcernere populum ſuum*, ſi tantummodo ſubaudiatur, advocabit, id eſt, advocabit, & terram, nec ſubaudiatur ſurſum, hunc videtur habere ſenſum ſecundùm rectam fidem, ut cœlum intelligatur in eis, qui cum illo ſunt judicaturi, & terra in eis, qui judicandi ſunt: & advocabit cœlum ſurſum, non hic intelligamus, rapiet in aera, ſed in judiciarias ſedes eriget. Poteſt & illud intelligi: Advocabit cœlum ſurſum, advocabit Angelos in ſupernis & excelſis locis, cum quibus deſcendat ad faciendum judicium: advocabit & terram, id eſt, homines in terra utique judicandos. Si autem utrumque ſubaudiendum eſt, cùm dicitur, & terram, id eſt, & advocabit ſurſum: ut iſte ſit ſenſus, advocabit cœlum ſurſum, & terram advocabit ſurſum, nihil melius intelligi exiſtimo, quàm homines, qui rapientur in obviam Chriſto in aera, ſed cœlum dictum propter animas, terram propter corpora. Diſcernere porrò populum ſuum, quid eſt, niſi per judicium ſeparare bonos à malis, tanquam oves ab hœdis. Deinde converſio ſermonis ad Angelos facta eſt. Congregate illi juſtos ejus. Profectò enim per angelicum miniſterium tanta res peragenda eſt. Si autem quærimus, quos juſtos ei congregaturi ſint Angeli, qui diſponunt, inquit, teſtamentum ejus ſuper ſacrificia. Hæc eſt omnis vita juſtorum, diſponere teſtamentum Dei ſuper ſacrificia, aut enim opera miſericordiæ ſunt ſuper ſacrificia, id eſt, ſacrificiis præponenda, juxta ſententiam Dei Oſea 6. dicentis: Miſericordiam magis volo, quàm ſacrificium: aut ſi ſuper ſacrificia, in ſacrificiis intelligitur dictum, quomodo ſuper terram fieri dicitur, quod fit utique in terra: profectò ipſa opera miſericordiæ ſunt ſacrificia, quibus placetur Deo, ſicut in libro hujus operis decimo me diſſeruiſſe jam reminiſcor: in quibus operibus diſponunt juſti teſtamentum Dei, quia propter promiſſiones, quæ novo ejus teſtamento continentur, hæc faciunt. Unde congregatis ſibi juſtis ſuis, & ad ſuam dextram conſtitutis, noviſſimo utique judicio dicturus eſt Chriſtus: Mat.25. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c. quæ ibi proferuntur de bonorum operibus bonis, & de eorum præmiis ſempiternis, per ultimam ſententiam judicandis.

L.Vives. a STella facem ducens.] *Vergilius 2. Æneid. cùm Anchiſes nollet Troja egredi, & Æneas furens in mortem rueret, Jupiter ſignum fugæ miſit.*

Stella, inquit, facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti
Cernimus, Idæa claram ſe condere ſylva.

Ariſtoteles in 1. lib. Meteororum, has ſtellas gigni dicit in halitu in media aeris regione à ſuperiore igne accenſo, qui ſi longitudinem tùm habeant, δαλοὶ dicuntur, id eſt, lampades: eadem ſunt faces Plinio libro 2. Emicant, inquit, & faces, non niſi quum decidunt viſæ: qualis Germanico Cæſare gladiatorum ſpectaculum edente, præter o-

ra po-

ra populi meridiano tranſcurrit: duo genera earum, lampades vocant planè faces: alterum bolidas, quale Mutinenſibus malis viſum eſt. Diſtant, quòd faces veſtigia longa faciunt priore ardente parte, bolis verò perpetua ardens longiorem trahit limitem: ſic Plinius.

b Rapiemur in nubibus obviam Chriſto.] *Veteres libri habent omnes in obviam, ex quibus etiam alibi ſic emendavi, non quod melius non putem dici obviam ire, quàm in obviam, ſed mihi non tam conſiderandum fuit, quid purius diceretur, ut quid Auguſtinus ſcripſiſſet: non dubium, quin veterem aliquam interpretationem ſecutus ſit, quæ quod Græcè εἰς ἀπάντησιν verterit in obviam.*

a QUid eſt quod Porphyrius cum pietatem laudat Hebræorum.] *Ut ſcripſit ſupra lib. 19. cap. 23. verum Theologiam ab Hebræis petitam teſtatur Porphyrius, ut author eſt Theodoretus ſerm. 1. θεραπευτ. & ex Hebræorum libris contra Chriſtianos argumenta excerpſit, ut idem ſcripſit ſermo. 7. θεραπευτ. lib. 4. περὶ τ῀ ἐμψύχων, ἀποχῆς Eſſæorum vitam, mores, religionem, exercitia non ſine laude commemorat. Hoc argumentum eſt D. Auguſtini, Si Porphyrius adeò laudat pietatem Hebræorum, ut qui verum numen adorent, ut quid arguit Chriſtianos ſtultitiæ etiam ex oraculis deorum ſuorum, quod iſtum mundum dicunt eſſe periturum? Si quidem id traditur in literis Hebræorum, ſimili argumento ei, quo eum loco citato perſtringebat, Oraculo Dei ſui Apollinis Porphyrius tam magnum Deum dixit eſſe Hebræorum, ut eum & ipſa numina perhorreſcant. Cum ergo iſte dixerit,* Sacrificans diis eradicabitur, *miror quod iſte Porphyrius non perhorruerit, & ſacrificans Diis eradicari non formidaverit.* P.L.Cap.

β Si hæc ſententia Jovi diſplicet.] *Dilemma, quod utrimque adverſarium capit.*

γ Poſſunt illi cœli intelligi perituri.] *Ita etiam tradit lib. 3. de Geneſ. ad liter. cap. 2. & 3. & in enarrat. Pſalm. 101. Omnia ſcripturæ loca, quæ ſignificare videntur cœlum eſſe diſſolubile vel corruptibile, de aere eſſe interpretanda. Si quidem ſcripturæ familiare eſt aerem cœlum nuncupare. Atque ita hic apud D. Petrum 2 3. cœlos uſurpari tradit pro aere. Cùm enim prius dixiſſet terram cœloſque illuvione aquarum periiſſe, ſubdidit illos eſſe iterum in diem judicii igni deſtinatos. Cum itaque certò conſtet, aquas diluvii non attigiſſe globos illos cœleſtes, patet non ſignificari ab Apoſtolo eos extremo incendio perituros.*

δ Si tamen ſtellæ inde caſuræ ſunt.] *Non verè caſuras, ſed tropicam eſſe locutionem probabilius putat. D. Hieronymus & Beda eo modo caſuras dicunt, quo ſolem obſcurandum eſſe putavit, quia Chriſti nimio ſplendore offuſcabuntur ne luceant, atque ita nonnulli alii putant non verè caſuras, ſed fore, ut quia non lucebunt, cadere videantur. Maldonatus.* Chryſoſtomo, *inquit*, & Eutimo libenter aſſentior, qui verè ſtellas caſuras putant, magis enim Chriſto id affirmanti, quàm Ariſtoteli neganti id fieri poſſe credendum eſſe arbitror. Etſi Ariſtoteles, & qui eum ſequuntur Philoſophi, affirment non poſſe novas ſtellas generari in cœlo, mathematici tam multoties ipſa experientia deprehenderunt contrarium, evidenterque demonſtrarunt, quibus magis quàm Ariſtoteli credendum eſſe multi in hoc exiſti-

Digitized by Google

existimant.] *Certè nec impoſſibile eſt, quicquid dicat Ariſtoteles & Philoſophi; quod dicit Chriſtus ſtellas caſuras de cœlo, propriè intelligendum eſſe nec eſſe tropicam locutionem, de quo tamen nihil certo definiri poteſt.*

ε Petri, quem vehementer oderunt.] *Ut ſcribit lib. 18. cap. 53. nonnulli ex paganis fingebant Petri maleficiis factum eſſe, ut Chriſti nomen celebretur per 365. annos; eum fortaſſe oderant potiſſimum, quod ſciebant, Chriſtianos illum colere ut principem Apoſtolorum, & ut author eſt lib. 1. de Conſenſ. Evangel. cap. 10. fingebant Chriſtum ſcripſiſſe quædam magica, eosq́; libros ad Petrum & Paulum tanquam epiſtolari titulo prænotatos.*

ζ Inter juſtos & injuſtos judicaturus eſt.] *Ita hic interpretatur vivos & mortuos, quemadmodum etiam lib. de fide & ſymbolo cap. 8. in Enchiri. cap. 51.*

η Sancti & juſti rectè cœlum appellantur.] *Ut in quibus dominus per gratiam inhabitet. Gregorius 15 moral. cap. 19. & homil. 30. in Evangel. & Apoſtolus de Apoſtolis illud interpretatur,* In omnem terram exivit ſonus eorum. *Rom. 10.*

θ Cum quibus deſcendat ad faciendum judicium.] *Angelos Chriſtum ad judicium venientem comitaturos ſcriptura docet. Ita Daniel. 7. poſtquam throni poſiti ſunt ad ferendum judicium, ſubjungitur,* millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei, *ubi ſignificata eſt tota Angelorum multitudo, quæ innumerabilis eſt, ut exponit D. Dionyſius 14. cap. cœleſt. hierarch. Ita exponit Hieronymus illud Zachariæ 14.* veniet dominus meus, omneſque ſancti ejus cum eo *Judas in ſua canon. ex prophetia Enoch:* ecce veniet dominus cum ſanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes. *Matthæi 25.* Cum venerit filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo.

Cap. XXV.

De prophetia Malachiæ, qua Dei judicium ultimum declaratur, & quorum dicitur per purificatorias pœnas facienda mundatio.

PRopheta *a* Malachias, ſive Malachi: *a* qui & Angelus dictus eſt, *b* qui etiam Eſdras ſacerdos, cujus alia in canonem ſcripta recepta ſunt, ab aliquibus creditur. β Nam de illo hanc eſſe Hebræorum opinionem dicit Hieronymus, judicium noviſſimum prophetavit, dicens: Ecce venit, dicit Dominus omnipotens. Et quis ſuſtinebit diem introitus ejus, aut quis ferre poterit, ut aſpiciat eum? Quia ipſe ingreditur quaſi ignis conflatorii, & quaſi herba lavantium. Et ſedebit conflans, & emundans ſicut aurum, & ſicut argentum, & emundabit filios Levi. Et fundet eos ſicut aurum & argentum, & erunt Domino offerentes hoſtias in juſtitia. Et placebit Domino ſacrificium Juda & Hieruſalem ſicut diebus priſtinis, & ſicut annis prioribus. Et accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox ſuper maleficos, & ſuper adulteros, & ſuper eos, qui jurant in nomine meo mendaciter, & qui fraudant mercedem mercenariis. & opprimunt per potentiam viduas, & percutiunt pupillos, & pervertunt judicium advenæ, & qui non timent me, dicit Dominus omnipotens. Quoniam ego Dominus Deus veſter, & non mutor. Ex his, quæ dicta ſunt, videtur evidentius apparere in illo judicio quaſdam quorundam

Mal. 3.

rundam purgatorias pœnas futuras. Ubi enim dicitur: Quis ſuſtinebit diem introitus ejus, aut quis ferre poterit, ut aſpiciat eum, quia ipſe ingreditur quaſi ignis conflatorii, & quaſi herba lavantium, & ſedebit conflans & emundans ſicut aurum, & ſicut argentum, & emundabit filios Levi, & fundet eos ſicut aurum & ſicut argentum, quid aliud intelligendum eſt? Dicit tale aliquid & Eſaias: Lavabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum ſpiritu judicii & ſpiritu combuſtionis. *Eſa. 4.* Niſi fortè ſic eos dicendum eſt, emundari à ſordibus, & eliquari quodammodo, cùm ab eis mali per pœnale judicium ſeparantur, ut illorum ſegregatio atque damnatio purgatio ſit iſtorum, quia ſine talium de cætero commixtione victuri ſunt. Sed quum dicit: Et emundabit filios Levi, & fundet eos ſicut aurum & argentum, & erunt Domino offerentes hoſtias in juſtitia, & placebit Domino ſacrificium Juda & Hieruſalem, utique oſtendit eos ipſos, qui emundabuntur, deinceps in ſacrificiis juſtitiæ Domino eſſe placituros, ac per hoc ipſi à ſua injuſtitia mundabuntur, *c* in qua Domino hoſtiæ diſplicebant. Porrò in plena perfectaque juſtitia, cùm mundati fuerint, ipſi erunt. Quid enim acceptius Deo tales offerunt, quàm ſeipſos? Verùm iſta quæſtio de purgatoriis pœnis, ut diligentius pertractetur, in tempus aliud differenda eſt. Filios autem Levi & Juda & Hieruſalem, ipſam Dei Eccleſiam debemus accipere, non ex Hebræis tantùm, ſed ex aliis etiam gentibus congregatam, *γ* nec talem, qualis nunc eſt, ubi ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: *1. Ioh. 1.* ſed qualis tunc erit velut area per ventilationem, ita per judicium purgata noviſſimum, eis quoque igne mundatis, quibus talis mundatio neceſſaria eſt. ita ut nullus omninò ſit, qui offerat ſacrificium pro peccatis ſuis. Omnes enim, qui ſic offerunt, profectò in peccatis ſunt, pro quibus dimittendis offerunt, ut cùm obtulerint, acceptumque Deo fuerit, tunc dimittantur.

a PRopheta Malachiel ſive Malachias.] *In antiquis exemplaribus legitur Propheta Malachiel, ſive Malachi. Profectò Malachiam vocatum eſſe, Malachiel non commemini me legiſſe, & Malachiam ajunt interpretari angelum ejus. Idcirco Malachi dicitur. Nam ſi Malachiel eſſet, puto etymon ejus futurum angelum Dei: nam el eſt Deus, niſi me fallit illius linguæ imperitia. itaque arbitror ſic legendum, propheta Malachias, ſive Malachi.* *L. Viv.*

b Qui etiam Eſdras.] *De hoc lib. 18.*

c In qua domino hoſtiæ.] *Alibi melius, In qua domino diſplicebant. Hoſtiæ porrò.*

α QUi & Angelus dictus eſt.] *Hebra. nomen* מלאכי Angeli mei, *ſignificat. Certe Origenes, referente Hieronymo in prooemio, tria volumina allegoricæ expoſitionis in hanc prophetam ſcripſit, Angelum eſſe putavit authorem hujus prophetiæ, qui corpore humano aſſumpto Iſraeli ſit locutus, quod merito reprobat D. Hieronymus. Nec enim ex nomine ipſo id colligendum eſt. Si enim ideo Angelus eſt, quia id ejus nomen ſonat, ergo Oſeas, qui* Salvatorem *ſignificat, & Joel, qui interpretatur,* Dominus meus, *non homines erunt, ſed angeli, vel Dominus atque Salvator.* *F.L.Coq.*

Digitized by Google

β Nam de illo hanc eſſe Hebræorum opinionem dicit Hieronymus.] *Hebræorum veteres, ut refert Hieronymus in proœmio hujus prophetæ, & in prolog. 12. prophetarum, quàm novi, ut ſcribit Rabi David, affirmant Malachiam eſſe Eſdram ſacerdotem. Hanc quidem opinionem refert tantum D. Auguſtinus; verùm huic ſubſcribunt Hieronymus ipſe & Rupertus, & communior ſententia, quam ſequitur Ribera in cap. 1. Malachiæ, non levibus argumentis eam confirmans.*

γ Nec talem qualis nunc eſt.] *Quod ſcribit Malachias futurum, ut domino offerant ſacrificia in juſtitia, & placiturum Deo ſacrificium Juda & Hieruſalem, D. Auguſtinus in cœleſti beatitudine futurum intelligit, ubi beati plene perfectíq; à peccatis purgati Deo erunt hoſtiæ acceptiſſimæ: verba enim citata Prophetæ de ſecundo Chriſti adventu vult eſſe intelligenda. Alii ut de primo adventu intelligi volunt, ita prophetiam illam* (erunt domino offerentes ſacrificia in juſtitia, & placebit Deo ſacrificium Juda & Hieruſalem) *in novo teſtamento volunt compleri. Nec enim in cœleſti beatitudine offerenda erunt amplius ſacrificia, & ait propheta oblaturos filios Levi, at in cœleſti beatitudine non magis offerent filii Levi, quàm reliqui. Equidem D. Auguſtinus per filios Levi Chriſtianos omnes intelligit, qui ſunt ſpirituales hoſtiæ & velut ſacerdotes ſeſe Deo offerunt: *[verùm longe melius filii Levi ſacerdotes novi teſtamenti intelliguntur, per filios Levi in veteri teſtamento ſpeciatim cultui divino conſecratos ſignificari]**

CAP. XXVI.

De ſacrificiis, quæ ſancti offerent Deo ſic placitura, quomodo in diebus priſtinis & annis prioribus placuerunt.

VOlens autem Deus oſtendere civitatem ſuam, tunc in iſta conſuetudine non futuram, dixit filios Levi oblaturos hoſtias in juſtitia. Non ergo in peccato. Ac per hoc non pro peccato. Unde intelligi poteſt in eo quod ſecutus adjunxit, atque ait: Et placebit domino ſacrificium Juda & Hieruſalem, ſicut diebus priſtinis, & ſicut annis prioribus, fruſtrà ſibi Judæos ſecundum legem veteris teſtamenti ſacrificiorum ſuorum præterita tempora polliceri. Non enim tunc in juſtitia, ſed in peccatis hoſtias offerebant, quando pro peccatis præcipuè ac primitus offerebant, α uſque adeò ut ſacerdos ipſe, quem debemus utique credere cæteris fuiſſe juſtiorem, ſecundum Dei mandatum ſoleret primùm pro ſuis offerre peccatis, deinde pro populi. Quapropter exponere nos oportet quomodo ſit accipiendum, quod dictum eſt: Sicut diebus priſtinis, & ſicut annis prioribus. β Fortaſſe enim tempus illud commemorat, quo primi homines in paradiſo fuerunt. Tunc enim puri atque integri ab omni ſorde ac labe peccati ſeipſos Dei mundiſſimas hoſtias offerebant. Cæterùm ex quo commiſſæ prævaricationis cauſa inde dimiſſi ſunt atque humana in eis natura damnata eſt, excepto uno mediatore, & poſt lavacrum regenerationis quibusque adhuc parvulis, α nemo mundus à ſorde, ſicut ſcriptum eſt, nec infans cujus eſt vita unius diei ſuper terram. Quod ſi reſpondetur, etiam eos meritò dici poſſe offerre hoſtias in juſtitia qui offerunt in fide: Juſtus enim ex fide vivit, quamvis ſeipſum ſeducat, ſi dixerit

Mal. 3. Hebr. 7. Iob. 25. Rom. 1.

rit, ſe peccatum non habere: & ideò non dicat, quia fide vivit: nunquid dicturus eſt quiſpiam hoc fidei tempus illi fini eſſe coæquandum, quando igne judicii noviſſimi mundabuntur, qui offerunt hoſtias in juſtitia? Ac per hoc quoniam poſt talem mundationem nullum peccatum juſtos habituros eſſe credendum eſt, profectò illud tempus quantum attinet ad non habere peccatum, nulli tempori comparandum eſt, niſi quando primi homines in paradiſo ante prævaricationem innocentiſſima felicitate vixerunt. Rectè itaque intelligitur, hoc ſignificatum eſſe, cùm dictum eſt: ſicut diebus priſtinis, & ſicut annis prioribus. Nam & per Eſaiam poſteà quàm cœlum novum & terra nova promiſſa eſt: inter cætera, quæ ibi de ſanctorum beatitudine per allegorias, & ænigmata exequitur, quibus expoſitionem congruam reddere nos prohibuit vitandæ longitudinis cura. γ Secundùm dies, inquit, ligni vitæ erunt dies populi mei. *Eſa. 65.* Quis autem ſacras literas attigit & ignorat, ubi Deus plantaverit lignum vitæ, à cujus cibo ſe- *Gen. 3.* paratis illis hominibus, quando eos ſua de paradiſo ejecit iniquitas, eidem ligno circumpoſita eſt ignea terribiliſque cuſtodia? Quòd ſi quiſquam illos dies ligni vitæ, quos commemoravit Propheta Eſaias: iſtos, qui nunc aguntur, Eccleſiæ Chriſti dies eſſe contendit, ipſumque Chriſtum lignum vitæ propheticè dictum, quia ipſe eſt ſapientia Dei, de qua Salomon ait: Lignum vitæ eſt omnibus *Lignum vitæ. Prov. 3.* amplectentibus eam, nec annos egiſſe aliquos in paradiſo illos primos homines, unde tam citò ejecti ſunt, ut nullum ibi gignerent filium: & ideò non poſſe illud tempus intelligi in eo, quod dictum eſt: ſicut diebus priſtinis, & ſicut annis prioribus. Iſtam prætereo quæſtionem, ne cogar, quod prolixum eſt, cuncta diſcutere, ut aliquid horum veritas manifeſtata confirmet. Video quippe alterum ſenſum, ne dies priſtinos & annos priores, carnalium ſacrificiorum nobis pro magno munere per Prophetam promiſſos fuiſſe, credamus. *b* Hoſtiæ *Hoſtiæ veteris legis.* namque illæ veteris legis, quæ de pecoribus immaculatis, δ ac ſine ullo prorſus vitio jubebantur offerri, ſignificabant homines ſanctos, qualis ſolus inventus eſt Chriſtus ſine ullo omninò peccato. Proinde, quia poſt judicium, cùm fuerint etiam igni mundati, qui ejuſmodi mundatione ſunt digni, in omnibus ſanctis nullum invenietur omninò peccatum, atque in ſeipſos offerent in juſtitia, ut tales hoſtiæ omnimodo immaculatæ, ac ſine ullo vitio ſint futuræ, erunt profectò ſicut priſtinis diebus, & ſicut annis prioribus, quando in umbra hujus rei futuræ mundiſſimæ offerebantur hoſtiæ. Hæc erit namque munditia, tunc in immortali carne ac mente ſanctorum, quæ figurabatur in illarum corporibus hoſtiarum: deinde propter eos, qui non mundatione, ſed damnatione ſunt digni: Et accedam, inquit, ad vos in judicium, & ero teſtis velox ſuper maleficos *Mal. 3.* & ſuper adulteros, & cætera: quibus damnabilibus enumeratis criminibus addidit: Quoniam ego Dominus Deus veſter, & non mutor. Tanquam diceret: cùm vos mutaverit, & in deterius culpa veſtra, & in melius gratia mea, ego non mutor. Teſtem verò ſe dicit futurum, quia in judicio ſuo non indiget teſtibus. Eumque velocem, ſive qui repentè venturus eſt, eritque judicium ipſo inopinato ejus adventu celerrimum, quod tardiſſimum putabatur, ſive quia ipſas con-

Digitized by Google

Eſa. 10. vincet ſine ulla ſermonis prolixitate conſcientias. In cogitationibus enim, ſicut Rom. 2. ſcriptum eſt, impii interrogatio erit. Et Apoſtolus: Cogitationibus, inquit, accuſantibus, vel etiam excuſantibus in die, qua judicabit Deus occulta hominum, ſecundùm Evangelium meum per Jeſum Chriſtum. Etiamſi ergò Dominus futurus teſtis intelligendus eſt velox, ε quum ſine mora revocaturus eſt in memoriam, unde convincat puniatque conſcientiam.

L. Vives *(a NEmo mundus à ſorde.] *De diva virgine venit poſteriore ætate in contentionem, quam auxerunt incenderuntq́; duo hominum ordines, qui ſe in certamen transverſi propter anteſignanos vehementi conjecerunt impetu. Dominicani ductore Thoma Aquinate, & Franciſcani ductore Joanne Scoto. Definivit concilium Baſilienſe, nulla unquam macula ſanctiſſimam virginem vel leviter attactam fuiſſe. Id concilium quum parum legitimè coiiſſe Dominicani cauſarentur, perſiſterentq́; in ſententia, contrà Minoritæ ſacroſanctum affirmarent, ac illos impietatis arceſſerent, quod contra Eccleſiam Dei niterentur, res magnis animis exitura videbatur in rubiem, ni decreto ſuo Sixtus Pontifex Romanus maturè ſubveniſſet, quo alterutram in partem ea de re vetabat diſputari. Itaque illa demum eis videntur edicta & concilia, quæ in rem ſuam faciunt, reliqua non pluris æſtimanda, quàm conventum muliercularum in textrina vel thermis.)**

b Hoſtiæ namque illæ.] *Alibi, hoſtiæ namque illæ vet. leg. in quibusq́; pecoribus immaculatæ.*

T.L.Coq. α USque adeo ut ſacerdos ipſe.] *Levitici 4. prima hoſtia pro peccato eſt, quæ offertur pro peccato Pontificis, & Hebræ 5. ſcribit Apoſtolus,* Quoniam ſacerdos ipſe circumdatus eſt infirmitate, debere quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis.

β Fortaſſis enim tempus illud cõmemorat.] *Alii ea verba Prophetæ, quibus dicit;* Placiturum domino ſacrificium Juda, & Hieruſalem ſicut diebus antiquis, *retulerunt ad ea tempora, quibus ſancti Patres Noe, Melchiſedech, Abraham, Jacob, & alii Deo offerebant, quorum ſacrificia ex devotione & religione offerentium Deo fuere gratiſſima. Ita intelligit optimè Lyranus, & ea explicat verba ex aliis, quæ habentur in canone miſſæ,* Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris & accepta habere, ſicut accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel, & ſacrificium patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedec, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam, *ut quemadmodum antiquitus Patres illa ſacrificia Deo grata offerebant, *[ita in eccleſia futuri eſſent ſacerdotes, qui ſacrificium Deo longè acceptiſſimum eſſent oblaturi.]* D. Auguſtinus refert ad ſtatum innocentiæ, quo non leguntur quidem primi Patres ullum ſacrificium Deo obtuliſſe & quidem breviſſimo tempore in eo ſtatu permanſerunt, verùm puros ſeipſos ab omni peccato puriſſimas hoſtias Deo obtulere: Suam verò interpretationem eo confirmat Auguſtinus, quod dicantur oblaturi ſacrificium in juſtitia. i. e. ſine ullo peccato cum perfectè mundati erunt, quod fieri in cœleſti beatitudine; ad illud tempus quantum ad nullum habere peccatum, nulli alteri comparari poteſt niſi illi, quo primi parentes in paradiſo ante prævaricationem vixere.*

γ Secun-

γ Secundum dies (inquit) ligni vitæ.] *Eſaia 65. lignum vita Chriſtum interpretatur, ut ſit hic ſenſus, quem ex hoc loco elicit Leon Caſtro*, ſecundùm dies ligni vitæ, id eſt, ſecundùm æternitatem, erunt dies populi mei, quia regnabunt in æternum cum Chriſto, & opera manuum eorum inveterabunt, id eſt, bona, quæ fecerunt, durabunt in æternum, *quod dominus dicit*, habebunt theſaurum in cœlis, quem neque fur, neque tinea demolitur.

δ Abſque ullo prorſus vitio jubebantur offerri.] *Levitici 1. quo ſignificabatur offerentem nulla debere eſſe peccati macula infectum, ut inde videret qualem ſe domino deberet exhibere.*

ε Cum ſine mora revocaturus eſt in memoriam, unde convincat.] *Ita dicitur Dominus à D. Paulo 1. Corinth 4.* illuminaturus abſcondita tenebrarum & manifeſtaturus conſilia cordium, *& Eccleſiaſt. ult.* cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato ſive bonum ſive malum ſit, *nec modo ſingulis ſua merita & peccata patebunt, revocante ea in memoriam Deo, verùm etiam & omnibus manifeſtanda ſunt in judicio, ut inde divina juſtitia amplius manifeſtetur Daniel. 7. & Apocalyp. 20. dicuntur libri aperti in judicio, qua certè librorum apertione metaphoricè ſignificata eſt operum omnium manifeſtatio ſingulis & omnibus in judicio univerſali facienda, quod & ſcribit ipſe D. Auguſt. lib. meditat. cap. 4.* Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ tot agminibus Angelorum patebunt univerſa ſcelera mea, non ſolum actuum, ſed etiam cogitationum, ſimulque locutionum, *& ſupra cap. 14. ſcripſit quod quædam vis divina aderit, qua fiet, ut cuique ſua peccata in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur. Ita etiam D. Thomas in 4. diſtinct. 43. q. 1. artic. 5. & alii Theologi ibidem.*

CAP. XXVII.

De ſeparatione bonorum & malorum, per quam noviſſimi judicii diſcretio declaratur.

ILlud etiã, quod aliud agens in decimo octavo libro ex iſto propheta poſui, ad judicium noviſſimum pertinet, ubi ait: *Erunt mihi, dicit Dominus omnipotens in die* α quam ego facio in acquiſitionem β & eligam eos ſicut eligit homo filium ſuum qui ſervit ei: & γ convertar, & videbitis quid ſit inter juſtum & impium: & inter ſervientem Deo, & eum qui non ſeruit ei. Quia ecce dies venit, ardens ſicut clibanus, & comburet eos, & erunt omnes δ alienigenæ, & univerſi qui faciunt iniquitatem ſtipula, & ſuccendet eos dies veniens, dicit Dominus omnipotens: & non relinquetur in eis radix, neque ramus. Et orietur vobis, qui timetis nomẽ meum, ſol juſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de vinculis relaxati: & conculcabitis iniquos, & erunt cinis ſub pedibus veſtris, dixit Dominus omnipotens. Hæc diſtantia præmiorum atque pœnarum juſtos dirimens ab injuſtis, quæ ſub iſto ſole in hujus vitæ vanitate non cernitur, quando ſub illo ſole juſtitiæ in illius vitæ manifeſtatione clarebit. Tunc profectò erit judicium quale nunquam fuit.

Mal. 3. c. 4.

I.L.Cos. α Quam ego facio in acquiſitionē.] *Hebraicè legitur* סגלת. *quod ut ait Hieron. Aquila,* περιούσιον, *cæteri* περιποίησιν *interpretati ſunt. i. e.* acquiſitionem, *vel* poſſeſſionem.

β Et eligam eos.] *Ita apud 70.* αἱρετιῶ αὐτοὺς, ὃν τρόπον αἱρετίζει ἄνθρωπος τὸν υἱὸν αὐτοῦ, *Aquila teſte Theodoreto ita vertit,* φείσομαι, ὡς φείδεται ἄνθρωπος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, *quæ lectio conſonat cum Hebræo,* וחמלתי עליהם כאשר יחמל איש על בנו.

γ Et convertar.] *Ita quidem legit etiam D. Hieron. ex 70. nihilominus in omnibus codicibus legitur* ἐπιστραφήσεσθε convertemini, *& Hebr.* ושבתם. *i. e.* convertemini.

δ Alienigenæ.] *Hebr.* זדים, ſuperbi, *quomodo etiam vertit Aquila, authore Theodoreto,* ὑπερήφανοι.

Cap. XXVIII.

De lege Moyſi ſpiritualiter intelligenda, ne in damnabilia murmura carnalis ſenſus incurrat.

Mal. 4. Quod verò ſubjungit idem propheta: *a Mementote legis Moyſi ſervi mei, quam mandavi ei in Choreb ad omnem Iſrael:* præcepta & judicia opportunè commemorat, poſt declaratum tam magnum futurum inter obſervatores legis contemptoreſque diſcrimen, ſimul etiam ut diſcant legem ſpiritualiter intelligere, & inveniant in ea Chriſtum, per quem judicem facienda eſt inter bonos & malos ipſa diſcretio. Non enim fruſtrà idem Dominus ait Judæis, Ioh. 5. *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi. De me enim ille ſcripſit.* Carnaliter quippe accipiendo legem, & ejus promiſſa terrena rerum cœleſtium figuras eſſe neſcientes, in illa murmura corruerunt, ut dicere auderent: *a* Vanus eſt qui ſeruit Deo. Et quid amplius quia cuſtodivimus mandata ejus, & quia ambulavimus ſimplices ante faciem Domini omnipotentis? *b* Et nunc nos Mal. 3. beatos dicimus alienos, & ædificantur omnes qui faciunt iniquitatem. Quibus eorum verbis quodammodo propheta compulſus eſt noviſſimum pronuntiare judicium: ubi mali nec ſaltem falſo ſint beati, ſed apertiſſimè appareant miſerrimi: & boni nulla temporali ſaltem miſeria laborent, ſed clara ac ſempiterna beatitudine perfruantur. Dixerat quippe iſtorum talia quædam verba etiam ſuperius dicentium. *Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent.* Ad hæc, inquam, contra Deum murmura pervenerunt, legem Moyſi carnaliter accipiendo. Unde & ille in Pſalmo ſeptuageſimo ſecundo, penè commotos dicit fuiſſe pedes ſuos, & effuſos greſſus ſuos utique in lapſum, quia zelavit in peccatoribus, pacem peccatorum intuens, ita ut inter cætera diceret: *Quomodo ſcivit Deus, & ſi eſt ſcientia in Altiſſimo?* Diceret etiam: Nunquid vanè juſtificavi cor meum, *c* & lavi inter innocentes manus meas? Ut autem ſolveret hanc difficilimam quæſtionem quæ fit quum videntur boni eſſe miſeri, & felices mali: Hoc, inquit, labor eſt ante me, donec introeam in ſanctuarium Dei, & intelligam

ligam in noviſſima. In noviſſimo quippe judicio non ſic erit: ſed aperta iniquorum miſeria, & aperta felicitate juſtorum, longè quàm nunc eſt aliud apparebit.

a Vanus eſt qui ſervit Deo.] *Querela non impia modò, verum etiam imperita & ſtulta hominum non procul à belluarum ingenio diſtantium, quibus præſentia tantum & ante oculos expoſita noſcuntur, & cura ſunt: in intimos malorũ animos intuere, videbis illos conſcientiæ laniatu deſcriptos, aut in tempora ventura oculos attolle, ſpectabis ſeras forſan mortalium opinione, ſed graves certè & condignas pœnas ſceleribus paratas. Itane Judæi, vanus eſt qui ſervit Domino? Venit ergo tempus, in quo nec vani vobis videamini, nec ſerviatis Domino.* L.Vivm.

b Et nunc nos beatos dicimus alienos.] *Dicitis quidem, ſed an ſunt?*

c Et lavi inter innocentes.] *In antiquis libris ſcribitur: Et lavi in innocentibus, ſervata proprietate Græca ἐν, pro inter.*

α Mementote legis Moyſi ſervi mei.] *Vane & futiliter admodum Judæi colligunt ex hoc loco, ut refert Burgenſis in addit. prima hujus capitis, ceremonias legis etiam tempore Meſſiæ eſſe obſervandas, quoniam de eo tempore loquens Propheta ait:* Mementote legis Moyſi ſervi mei. *Longe alius ſenſus eſt Prophetæ. Cum de die enim illa ſuccenſa, qua calcaturus eſt impios vaticinaretur, jubet eos meminiſſe legis Moſis i.e. piè & ſanctè vivere, ut judicium illud terribile evadant, & pœnas impiis ac divinæ legis transgreſſoribus paratas effugiant; & rectè hic D. Auguſtinus adfert cauſas, ob quas hæc verba ponuntur à Propheta hoc loco. Prior quidem,* ut poſt declaratum diſcrimen futurum inter obſervatores legis divinæ ac illius contemptores admoneantur eam obſervare. *Poſtremo verò,* Ut ſimul diſcant eam ſpiritualiter intelligere, & in ea Chriſtum inveniant, cum lex pædagogus ſit ad Chriſtum, *quo judice facienda eſt inter bonos & malos ex diſcretione meritorum ac peccatorum etiam diſcretio præmiorum & pœnarum.* F.L.Coq.

β Beatos dicimus alienos, & ædificantur omnes, qui faciunt iniquitatem.] *Hoc argumento multi accuſarunt divinam providentiam, quod ſoleat ſæpenumero Deus pati affligi juſtos, morbis, egeſtate, ac omnibus malis premi, impios vero & ſceleratos affluere divitiis & bonis omnibus, atque id graviter tuliſſe etiam videntur ſancti, Hierem. 12.* Ut quid impiorum via proſperatur, bene eſt omnibus, qui prævaricantur & iniquè agunt. *Job. 21.* Ut quid impii vivunt ſublevati confortatique divitiis? domus eorum ſecuræ, & non eſt virga ſuper eos, bos eorum concepit, & non abortivit. *Abacuc. 1.* Quare taces conculcante impio juſtiorem ſe? *Atque ita David, Pſalm. 72.* Zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns, *ut inde inferret:* Quomodo ſcit Deus etſi eſt ſcientia in excelſo, *atque ita impiè apud Malachiam inferebant illi, vanum eſſe Deó ſervientem, quod illi mala contingerent, fœliciſſimi vero eſſent, qui Deo minus auſcultarent, verum brevi tempore fœlicitas illa terrena impiorum duratura eſt, quam æterna pœna ſit conſecutura, cum tamen ſi quid patiantur boni adverſi, infœlicitas & adverſitas illorum, æterna, nec unquam intermoritura fœlicitate ſit commu-*

Digitized by Google

commutanda, In paucis vexati, in multis bene diſponentur. *De hoc argumento D. Auguſtinus ſupr. libro 1. de Civit. Dei capite 8. 9. & 10. Lactant. libr. de ira Dei cap. 20. Euſebius lib. 8. de præpar. Evangel. cap. 5. Gregorius Nazianzenus orat. de amore pauper. D. Ambroſ. libr. 1. Officio. cap. 12. & 13. Chryſoſt. lib. 3 adverſus vituperatores vitæ monaſt. & libris de providen. Theodoretus ſerm. 6. 7. 8. 9. de providen.*

Cap. XXIX.

De adventu Heliæ ante judicium, cujus prædicatione ſcripturarum ſecreta reſerante, Judæi convertentur.

CUm autem admonuiſſet, ut meminiſſent legis Moyſi: quoniam prævidebat eos multo adhuc tempore, non eam ſpiritaliter ſicut oportuerat accepturos, continuò ſubjecit: Et ecce ego mittam vobis *a α* Heliam Thesbiten, antequam veniat β dies Domini magnus & illuſtris: qui convertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum ſuum, ne fortè veniens percutiam terram penitus. γ Per hunc Heliam magnum mirabilemque prophetam expoſita ſibi lege, ultimo tempore ante judicium, *b* Judæos in Chriſtum verum, id eſt in Chriſtum noſtrum eſſe credituros, celeberrimum eſt in ſermonibus, cordibusque fidelium. Ipſe quippe ante adventum judicis ſalvatoris non immeritò ſperatur eſſe venturus: δ qui etiam nunc vivere non immeritò creditur. Curru nanque igneo raptus eſt de rebus humanis: quod evidentiſſimè ſancta ſcriptura teſtatur. Quum venerit ergo exponendo legem ſpiritaliter, quam nunc Judæi carnaliter ſapiunt: ε convertet cor patris ad filium, *c* id eſt cor patrum ad filios. Singularem quippe pro numero plurali interpretes Septuaginta poſuerunt. ζ Et eſt ſenſus, ut etiam filii ſic intelligant legem, id eſt Judæi, quemadmodum patres eam intellexerunt, id eſt prophetæ, in quibus erat & ipſe Moyſes. Sic enim cor patrum convertetur ad filios, cùm intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum: & cor filiorum ad patres eorum, dum in id, quod ſenſerunt illi, conſentiant & iſti. Ubi & Septuaginta dixerunt: *d* & η *cor hominis ad proximum ſuum:* ſunt enim inter ſe valde proximi patres & filii: quanquam in verbis Septuaginta interpretum, qui propheticè interpretati ſunt, poteſt ſenſus alius, idemque electior inveniri: ut intelligatur Helias cor Dei patris converſurus ad filium: non utique agendo, ut pater diligat filium: ſed docendo, quòd pater diligat filium: ut & Judæi, quem prius oderant, diligant eundem qui noſter eſt Chriſtus. *e* Judæis enim tunc habet aversum cor Deus à Chriſto noſtro: quia non putant eum Deum eſſe, neque Dei filium. Eis ergo tunc cor ejus convertetur ad filium, cùm ipſi converſo corde didicerint dilectionem patris in filium. Quod verò ſequitur: Et cor hominis ad proximum ſuum, id eſt convertet Helias cor hominis ad proximum ſuum: quid melius intelligitur quàm cor hominis ad hominem Chriſtum? Quum enim ſit in forma Dei Deus noſter: formam ſervi accipiens,

ens, eſſe dignatus eſt etiam proximus noſter. Hæc ergo faciet Helias. Ne forte, inquit, veniam, & *b* percutiam terram penitus. Terra ſunt enim qui terrena ſapiunt: ſicut Judæi carnales uſque nunc: ex quo vitio contra Deum murmura illa venerunt, quia mali ei placent, & vanus eſt qui ſervit Deo.

a HEliam Thesbiten.] *De hoc propheta tertio regnorum multa: quem viventem in igneo curru à Domino raptum, Judæi venturum putant ante Chriſtum, ex hoc Malachiæ teſtimonio: quod etiam Apoſtoli ſignificant, quum ex Domino quærunt, Matthæi decimoſeptimo: quid ergo ſcribæ dicunt, quòd Heliam oporteat primùm venire: quibus Dominus quum reſpondet Heliam jam veniſſe, non reprobat, quæ ab ſcribis tradita ſunt, ut docet Origenes, ſed alium Heliæ adventum ante ſe indicat factum, quod ignoraverant ſcribæ. Nam & prius dixerat: Helias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Cæterum, quod ſic opinione publica receptum erat, Heliam præceſſurum Chriſtum, nec utrum Chriſti adventum ſatis dijudicabant: Dominus ne hoc videretur obtigiſſe, quo minus veniſſe Chriſtum crederent, & eum agnoſcerent jam miſſum, qui mittendus erat, Heliam ait veniſſe Joannem ſignificans, de quo ad multitudinem teſtificatur, ſi vultis recipere, ipſe eſt Helias. Ne moveat vos quòd Heliā non putatis vidiſſe vos ante hunc, de quo, an ſit Chriſtus, ambigitis. Quippe ſi libet credere, nemo falletur, quòd Joannem, qui me anteceſſit arbitretur Heliam eſſe, qui venturus eſt, non per tranſanimationē, velut in hujus corpus anima migraverit illius, aut quòd redditus ſit Judææ Thesbites ille qui igneo curru hominibꝰ ereptꝰ eſt, ſed quia præceſſit me in ſpiritu & virtute Heliæ, ut convertat corda patris in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum, paretq́; domino plebem perfectam, ſicut angelus de illo vaticinatus eſt, cum naſciturum patri nuntiavit. Lucæ primo. Quam rem excelſam & myſteriis maximi plenam cùm dominus deſignaret, nec plenam apertamq́; ſententiam promeret, more ſuo auditorum mentes excitavit, ac in ſublime ſuſtulit, dicens: Qui habet aures audiendi, audiat. Et profectò Johannes maxima vitæ parte Heliam referebat, uterque in eremo vixit, uterque zona accinctus pellicea, uterque reges ſceleroſos objurgans, uterque à regibus inſectatus atque vexatus, uterq; quamprimum Dominum venturum prænuncians. Nihil ergo oberat, quo minus Heliæ nomine Joannes eſſe cenſeretur, nuntius prioris adventus Chriſti, ſicut ille poſterioris, & qui venturus in ſecundo ſervatoris adventu juxta corporis ſpeciem, jam per Joannem venerit ſpiritu & virtute.* I. Vives.

b Judæos in Chriſtum verum] *Hoc eſt quod dominus ait, Helias quidem venturus eſt, qui reſtituet omnia. Dum corrigit, inquit Chryſoſtomus, infidelitatem Judæorum, qui tunc invenientur, Quod eſt convertere corda patrum ad filios Judæorum videlicet, hoc eſt ad Apoſtolos. Quærit poſtea, ſi tot bona pariet Heliæ præſentia, quin illum ante ſuum priorem adventum dominus miſit? Reſpondet, quia etiam tum Judæi Chriſtum exiſtimantes Heliam non ei fidem habuerunt, in fine verò mundi Heliæ credent, qui cùm poſt tam diuturnam expectationem venerit annuntians Jeſum, facilius recipient quæ ab eo dicentur.*

c Id eſt, cor patrum ad filios.] *Sic ex Hebræo vertit Hieronymus Malachiæ 4.*

d Et cor hominis ac prox.] *Hieronymus ſic: Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres.*

e Judæis enim nunc.] *In codice Brugenſi ſic legitur: Judæis enim nunc averſum cor habet Deus à Chriſto noſtro, quia hoc putant. Eſt enim hæc vulgaris locutio, ubi ego non ſum eruditus, quaſi dicat, non videor. Quale eſt illud Craſſi: Non es meus conſul, cui ego non ſum ſenator.*

α HEliam Theſbiten.] *Hebraic. legitur* אליה הנביא Eliam Prophetam, & *in bibliis Complutenſ.* Ηλίαν τὸν προφήτην, *verum in editis Romæ juſſu Sixti 5.* Ηλίαν τὸν Θεσβίτην, *& quidem ita legendum apud 70. conſtat ex commentariis D. Hieronymi, & Theodoreti, & ex hoc loco D. Auguſtini: ita etiam legit Tertullianus lib. de anima cap. 35. unde obſervat in eum locum Ribera male atque vitioſe in bibliis regiis ſcriptum eſſe in translatione 70.* Ecce ego mitto vobis Heliam Prophetam, *ne per Heliam Prophetam aliqui Joannem Baptiſtam intelligerent hoc loco, qui propter myſterium dictus eſt Elias; & ut manifeſte conſtaret, Prophetam loqui de ſecundo adventu, quem præceſſurus eſt Elias ille Theſbites, quemadmodum Joannes Baptiſta primum præceſſit.*

β Dies Domini magnus & illuſtris.] *Hebrai.* הגדול והנורא magnus & horribilis 70. Πρὶν ἐλθεῖν ἡμέραν κυρίου μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ. *Ita legit D. Hieronymus ex 70. & Theodoretus.*

γ Per hunc Eliam magnum mirabilemque Prophetam] *Eum venturum ante ultimum judicium, ut Chriſtum Judæis prædicet, & Antichriſtum confundat, præter D. Auguſtinum hoc loco vide Juſtinum dialogo cum Tryphone, Gregorium lib. 9. moral. cap. 3. lib. 11 cap. 9. & lib. 35. cap. 9 Iſidorum lib. de vita & mor. ſanctorum cap. 35. Damaſcenum lib. 4. cap. 28.* * *(imo Eliam & Enoch futuros eſſe præcurſores ſecundi adventus Chriſti, aſſertio eſt de fide aut fidei valde proxima, ut docet Suares 2. tom. in 3. part. D. Thomæ diſputat. 52. ſect. 2. cum id colligatur non obſcure ex Apocalypſ. cap. 11. ubi dicitur, venturos eſſe duos divinos teſtes ſaccis amictos, qui prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta tempore Antichriſti. Nec certe in alium finem translati videntur, & in mortali vita conſervari, niſi ut in fine mundi Antichriſto reſiſtant ac teſtimonium perhibeant Chriſto.)]* *

δ Qui etiam nunc vivere non immerito creditur.] *Idem docet libr. 2. de peccato origin. capite 23 libr. 9. de Geneſ. ad liter. capite 6. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſio. cap. 3. Idem aſſerunt & reliqui patres Clemens Romanus libro 5. conſtitut. Apoſtol. capite 8. Juſtinus Martyr. reſponſ. 85. ad Orthodoxos, Tertullianus lib. de anima capite 35.* Helias non ex deceſſione vitæ, ſed ex translatione venturus eſt, nec corpori reſtituendus, de quo non eſt exemptus, ſed mundo reddendus, de quo eſt translatus. *& capite 50.* Translatus eſt Henoc & Helias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Cæterum morituri reſervantur, ut Antichriſtum ſuo ſanguine extinguant, *& lib. de reſurrect. car. capite 58.* Henoch & Helias nondum reſurrectione diſpuncti, quia nec morte functi. *Idem aſſerit Irenæus lib 5. c. 5. Gregorius libr. 9. moral. cap. 3. Hieronymus Epiſt. 61. adverſus errores Joannis Hieroſolymi-*

ſolymitani, Epiphanius hæreſ. 64. & in Ancorato, Chryſoſtomus homil. 22. in Epiſtol. ad Hebræos.

ε Convertet cor patris ad filium.] *70.* ἀποκαταστήσει καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱόν. *& Hieron. & Theodoretus ita legunt ex translatione 70. Hebr. pluraliter* לב אבות על והשיב

ζ Et eſt ſenſus ut etiam filii.] *Patres certè Judæorum fuêre Abraham, Iſaac & Jacob, & Prophetæ, qui in Chriſtum credidère. Cum ergo Judæi in Chriſtum crediderint, tunc cor patrum ad filios convertetur, à quibus propter incredulitatem fuerat averſum. Quia ergo Helias Chriſtum Judæis prædicabit, eosque ad fidem illius reducet, propterea dicitur* converſurus corda Patrum ad filios, *ut eandem fidem cum Patribus ſuis in Chriſtum Judæi amplectantur. Ita exponit hoc loco Auguſtinus, & Gregrorius libro 11. moralium capite 9. Rupertus, Lyranus. Alii exponunt, patres eſſe Judæos, qui priores ad fidem vocati fuerint; filios Chriſtianos ipſos, qui poſteriores. Cum ergo Judæi per Heliam ipſum converſi in Chriſtum crediderint, unanimes ac conſentientes erunt patres & filii. Utraque expoſitio eſt D. Hieronymi in eum locum, & Malachiæ, poſterior eſt Theodoreti in eundem locum. & Chryſoſtomi & Euthymii in cap. 17. Matthæi.*

η Et cor hominis ad proximum ſuum.] *70.* καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ. *Hebr.* ולב בנים על אבותם, & cor Patrum ad filios eorum. *i. e. cor Patriarcharum ad Judæos, qui tunc erunt, quod fiet, cum illi credent in eundem dominum in quem illi credidêre.*

θ Percutiam terram penitus.] *Ita 70.* μὴ ἐλθὼν πατάξω τὴν γῆν ἄρδην, *quod interpretatur Hieronymus* omnino *vel* ſubito *Hebræi.* והכיתי את הארץ חרם. & percutiam terram anathemate. *Vocat vero* anathema *perditionem integram & occiſionem.*

CAP. XXX.

Quòd in libris veteris teſtamenti, cùm Deus legitur judicatus, non evidenter Chriſti perſona monſtretur, ſed ex quibusdam teſtimoniis, ubi Dominus Deus loquitur, non dubiè appareat, quòd ipſe ſit Chriſtus.

MUlta alia ſunt ſcripturarum teſtimonia divinarum de noviſſimo judicio Dei, quæ ſi omnia colligam, nimis longum erit. *a* Satis ergò ſit, quòd & novis & veteribus literis ſacris hoc prænunciatum eſſe probavimus. Sed veteribus futurum eſſe judicium, id eſt, judicem Chriſtum de cœlo eſſe venturum, non tam evidenter expreſſum eſt: propterea, quia cùm ibi dicitur, Dominus Deus eſſe venturus, vel Dominum Deum dicit eſſe venturum, non conſequenter intelligitur Chriſtus: Dominus enim Deus & Pater eſt, & Filius, & Spiritus ſanctus, neque hoc tamen inteſtatum relinquere nos oportet, primò itaque demonſtrandum eſt, quemadmodum Jeſus Chriſtus tanquam Dominus Deus loquatur in propheticis libris, & tamen Jeſus Chriſtus evidenter appareat, ut & quando ſic non apparet, & tamen ad illud ultimum judicium Dominus Deus dicitur eſſe venturus, poſſit Jeſus Chriſtus intelligi. *a* Eſt locus apud Eſaiam Prophetam, qui hoc, quod

 dico

Eſ.48. dico, evidenter oſtendit. Deus enim per Prophetam: Audi me, inquit, β Jacob & Iſrael, quem ego voco. Ego ſum primus, & ego in ſempiternum: & manus mea fundavit terram, & dextra mea firmavit cœlum. Vocabo eos, & ſtabunt ſimul, & congregabuntur omnes & audient. Quis eis annunciavit hæc, Diligens te, feci voluntatem tuam ſuper Babylonem, ut auferrem ſemen Chaldæorum. Et locutus ſum, & ego vocavi. Adduxi eum, & proſperam feci viam ejus. Accedite ad me, & audite hæc. Non à principio locutus ſum in abſcondito, quando fiebant, ibi eram. γ *Et nunc Dominus meus miſit me, & Spiritus ejus.* Nempe ipſe eſt, qui loquebatur, ſicut Dominus Deus, nec tamen intelligeretur Jeſus Chriſtus, niſi addidiſſet, *& nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus ejus.* Hoc enim dixit ſecundùm formam ſervi δ de re futura, utens præteriti temporis verbo, quemadmodum apud eundem Prophetam legitur: *Sicut ovis ad immolandum ductus eſt.* Non ait ducetur, ſed pro eo, quod futurum erat, præteriti temporis verbum poſuit. Et aſſiduè Propheta ſic loquitur. ε Eſt & alius locus apud Zachariam, qui hoc evidenter oſtendit: quod omnipotentem miſit omnipotens. Quis quem, niſi Deus Pater Filium? Nam ita ſcriptum eſt: Hæc dicit Dominus omnipotens: Poſt gloriam miſit ſuper gentes, quæ ſpoliaverunt vos, quia qui tetigerit vos, quaſi qui tangit pupillam oculi ejus. Ecce ego inferam manum meam ſuper eos, & erunt ſpolia his, qui ſervierant eis, & cognoſcetis, quia Dominus omnipotens miſit me. Ecce dicit Dominus omnipotens à Domino omnipotente ſe miſſum. Quis hîc audeat intelligere niſi Chriſtum loquentem, ſcilicet ovibus, quæ perierant domus Iſrael? Ait namque in Evangelio: Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael, quas hic comparavit pupillæ oculi Dei, propter excellentiſſimum dilectionis affectum, ex quo genere ovium etiam ipſi Apoſtoli fuerunt. Sed poſt gloriam reſurrectionis utique ſuæ, quæ antequam fieret, ait Evangeliſta Joannes: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus:* etiam ſuper gentes miſſus eſt in Apoſtolis ſuis: ac ſic impletum eſt, quod in Pſalmo legitur: Erues me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium: ut qui ſpoliaverunt Iſraelitas, quibusque Iſraelitæ ſervierant, quando ſunt gentibus ſubditi, non viciſſim eodem modo ſpoliarentur, ſed ipſi ſpolia fierent Iſraelitarum. Hoc enim Apoſtolis promiſerat, dicens: Faciam vos piſcatores hominum. Et uni eorum: Ex hoc jam, inquit, homines eris capiens. Spolia ergò fient, ſed in bonum, tanquam erepta vaſa illi forti, ſed fortius alligato. ζ Item per eundem Prophetam Dominus loquens: Et erit, inquit, in die illa, quæram auferre omnes gentes, quæ veniunt contra Hieruſalem, & effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Hieruſalem Spiritum gratiæ & miſericordiæ, & aſpicient ad me pro eo, quod inſultaverunt, & plangent ſuper eo planctum, quaſi ſuper chariſſimum, & dolebunt dolore, quaſi ſuper unigenitum. Nunquid niſi Dei eſt auferre omnes gentes inimicas ſanctæ civitatis Hieruſalem, quæ veniunt contra eam, id eſt, contrariæ ſunt ei? Vel ſicut alii ſunt interpretati, veniunt ſuper eam, id eſt, ut eam ſibi ſubjiciant, aut ſuper domum David effundere, & ſuper habitatores ejusdem civitatis Spiritum gratiæ & miſericor-

Marginal notes: Eſ. 53. (beside "admodum apud eundem Prophetam"); Zach. 2. (beside "quem, niſi Deus Pater Filium"); Matt. 15. (beside "bus, quæ perierant"); Joh. 7. (beside "fieret, ait Evangeliſta"); Matt. 8. (beside "ipſi ſpolia fierent"); Zach. 12. (beside "alligato").

ricordiæ? Hoc itaque, id eſt,& ex perſona Dei dicitur per Prophetam: & tamen hunc Deum hæc tam magna & tam divina facientem ſeſe Chriſtus oſtendit, adjungendo atque dicendo: *b* Et aſpicient ad me pro eo, quod inſultaverunt,& plangent ſuper eo planctum quaſi ſuper chariſſimum ſive dilectum, & dolebunt dolore quaſi ſuper unigenitum. Pœnitebit quippe in die illa Judæos etiam eos, qui accepturi ſunt Spiritum gratiæ & miſericordiæ, quòd in ejus paſſione inſultaverunt Chriſto, *η* cùm ad eum aſpexerint in ſua majeſtate venientem, eumque eſſe cognoverint, quem prius humilem in ſuis parentibus illuſerint, quamvis & ipſi parentes eorum tantæ illius impietatis autores reſurgentes videbunt eum,ſed puniendi jam non adhuc corrigendi. Non itaque hoc loco ipſo intelligendi ſunt, ubi dictum eſt: & effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Hieruſalem Spiritum gratiæ & miſericordiæ, & aſpicient ad me pro eo, quod inſultaverunt,ſed tantum de illorum ſtirpe venientes, qui per Heliam illo tempore ſunt credituri. Sed ſicut diximus Judæis:vos occidiſtis Chriſtum,quamvis hoc parentes eorum fecerint, ſic & iſti ſe dolebunt feciſſe quodammodo, quod fecerunt illi, ex quorum ſtirpe deſcendunt Quamvis ergo accepto Spiritu gratiæ & miſericordiæ jam fideles non damnabuntur cum impiis parentibus ſuis, dolebunt tamen tanquam ipſi fecerint,quod illis factum eſt. Non igitur dolebunt reatu criminis, ſed pietatis affectu. *θ* Sanè ubi dixerunt ſeptuaginta interpretes:Et aſpicient ad me pro eo,quod inſultaverunt: ſic interpretatum ex Hebræo,& aſpicient ad me,quem confixerunt. Quo quidem verbo evidentius Chriſtus apparet crucifixus. Sed illa inſultatio,quam ſeptuaginta ponere maluerunt,ejus univerſæ non defuit paſſioni. Nam & detento, & alligato,& adjudicato,& opprobrio ignominioſæ veſtis induto, & ſpinis coronato,& calamo in capite percuſſo,& irridenter flexis genibus adorato, & crucem ſuam portanti, & in ligno jam pendenti,utique inſultaveruut. Proinde interpretationem non ſequentes unam,ſed utramque jungentes,cùm & inſultaverunt,& confixerunt legimus,plenius veritatem Dominicæ paſſionis agnoſcimus. Cùm ergò in propheticis literis ad noviſſimum judicium faciendum Deus legitur eſſe venturus,& ſi ejus illa diſtinctio non ponatur,tantummodo propter ipſum judicium Chriſtus debet intelligi: quia & ſi ipſe pater judicabit, per adventum tamen filii hominis judicabit. Nam & ipſe per ſuæ præſentiæ manifeſtationem non judicabit quenquam, ſed *omne judicium dedit filio*. Qui manifeſtabitur homo judicaturus,ſicut homo eſt judicatus. Quis eſt enim alius,de quo item Deus loquitur per Eſaiam ſub nomine Jacob & Iſrael, de cujus ſemine corpus accepit? quod ita ſcriptum eſt: *ι Jacob puer meus, τ ſuſcipiam illum, Iſrael electus meus, aſſumpſit eum anima mea.* *κ* Dedi Spiritum meum in illum, *λ* judicium gentibus proferet. Non clamabit,neque ceſſabit,neque audietur foris vox ejus. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumans non extinguet, ſed in veritate proferet judicium. Refulgebit & non confringetur, donec ponat in terra judicium, & in nomine ejus gentes ſperabunt. *c* In Hebræo non legitur Jacob & Iſrael, ſed quod intelligitur ſervus meus, nimirum Septuaginta interpretes vo-

Ioh. 5.

Eſ. 42.

lentes admonere quatenus id accipiendum ſit, quia ſcilicet propter formam ſervi dictum eſt, in qua ſe altiſſimus humillimum præbuit, ipſius hominis nomen ad eum ſignificandum poſuerunt, de cujus genere eadem ſervi forma ſuſcepta eſt. Datus eſt in eum Spiritus ſanctus, quod & columbæ ſpecie Evangelio teſte
Matt. 3. monſtratum eſt. *Judicium gentibus protulit*, quia prænunciavit futurum, quod gentibus erat occultum. Manſuetudine non clamavit, nec tamen in prædicanda veritate ceſſavit. Sed non eſt audita foris vox ejus, nec auditur, quandoquidem ab eis, qui foris ab ejus corpore præciſi ſunt, non illi obeditur: ipſoſque ſuos perſecutores *u* Judæos, qui calamo quaſſato perdita integritate, & *d* lino fumanti amiſſo lumine comparati ſunt, *v* non contrivit, nec extinxit, quia pepercit eis, qui nondum venerat eos judicare, ſed ab eis judicari. In veritate ſanè judicium protulit, prædicens eis, quando puniendi eſſent, ſi in ſua malignitate perſiſterent. Refulſit in monte facies ejus, in orbe fama ejus, nec confractus, ſive contritus eſt, quia neque in ſe, neque in Eccleſia ſua, ut eſſe deſiſteret perſecutionibus ceſſit. Et ideò non eſt factum, nec fiet, quod inimici ejus dixerunt
Pſ. 40. vel dicunt: *Quando morietur, & peribit nomen ejus? donec ponat in terra judicium.* Ecce manifeſtatum eſt, quod abſconditum quærebamus. Hoc enim eſt noviſſimum judicium, quod ponet in terra, cùm venerit ipſe de cœlo. De quo jam videmus impletum, quod hic ultimum poſitum eſt: Et in nomine ejus gentes ſperabunt. Per hoc certè, quod negari non poteſt, etiam illud credatur, quod impudenter negatur. Quis enim ſperaret, quod etiam hi, qui nolunt adhuc credere in Chriſtum, jam nobiſcum vident, & quoniam negare non poſſunt, dentibus ſuis frendent & tabeſcunt? *e* Quis, inquam, ſperaret, gentes in Chriſti nomine ſperaturas eſſe, quando tenebatur, ligabatur, cædebatur, illudebatur, & crucifigebatur, quando & ipſi diſcipuli ſpem perdiderant, quam in illo habere jam cœperant? Quod tunc vix unus latro ſperavit in cruce, nunc ſperant gentes longè latèque diffuſæ. Et ne in æternum moriantur, *ξ* ipſa in qua ille mortuus eſt, cruce ſignantur: Nullus igitur vel negat vel dubitat per Jeſum Chriſtum tale, quale iſtis ſacris literis prænunciatur, futurum eſſe noviſſimum judicium, niſi quis eiſdem literis, neſcio, qua incredula animoſitate ſeu cæcitate non credit: quæ jam veritatem ſuam orbi demonſtravêre terrarum. In illo itaque judicio vel circa illud judicium has res didicimus eſſe futuras: Heliam Thesbitem, fidem Judæorum, Antichriſtum perſecuturum, Chriſtum venturum judicaturum, mortuorum reſurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem, ejuſdemque renovationem. Quæ omnia quidem ventura eſſe, credendum eſt: ſed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quàm nunc valet conſequi ad perfectum hominum intelligentia. Exiſtimo tamen eo, quo à me commemorata ſunt, ordine eſſe ventura. Duo nobis ad hoc opus pertinentes reliqui ſunt libri, ut adjuvante Domino promiſſa compleamus, quorum unus erit de malorum ſupplicio, alius de felicitate juſtorum. In quibus maximè ſicut Deus donaverit, argumenta refellentur humana, quæ contra prædicta ac promiſſa divina ſapienter ſibi miſeri reddere viden-

dentur,& ſalubris fidei nutrimenta velut falſa & ridenda contemnunt. Qui verò ſecundùm Deum ſapiunt, omnium quæ incredibilia videntur hominibus, & tamen ſcripturis ſanctis,quarum jam veritas multis modis aſſerta eſt, continentur,maximum argumentum tenent veracem Dei omnipotentiam, quem certum habent, nullo modo in eis potuiſſe mentiri,& poſſe facere, quod impoſſibile eſt infideli.

a SAtis ergo ſit, quod & novis, & veteribus] *Hic contextus non dubium quin ſit depravatus. In antiquis codicibus aliter legitur, ſed etiam parum integro ſenſu, quem certum eſt hunc eſſe, judicium Dei ex literis utriusque Inſtrumenti facile colligi, ſed ex veteribus judicium tantum Dei expreſſe: at judicium Chriſti filii ex veteribus quoque,cæterum apertius ex novo Teſtamento. Hinc quisque ſibi lectionem ſuo arbitratu & captu reſtituat: nos ſic putamus poſſe ſcribi. Satis ergo ſit quod & novis & veteribus literis ſacris hoc prænuntiatum eſſe probavimus: ſed veteribus,per Chriſtum futurum eſſe judicium, id eſt, judicem Chriſtum de cælo eſſe venturum,non adeo quam novis evidenter expreſſum. Propterea quia cum ibi dicit Dominus venturum ſe eſſe, vel Dominum Deum, &c. Lactantius libr. 7. Poetas ait ex hoc Chriſti judicio ſuos apud inferos affinxiſſe judices, quoniam, inquit, rectorem cæli non alium putant quam Jovem, judicare apud inferos Jovis filium tradiderunt, ſed tamen non Apollinem, aut Liberum, aut Mercurium, qui cæleſtes putantur: ſed Deum qui & mortalis fuerit, & juſtus, vel Minoëm, vel Æacum, vel Rhadamanthum.*

b Et aſpicient ad me, pro eo quod inſultaverunt.] *Sic verterunt LXX. Ex Hebræo verò Hieronymus, Et aſpicient ad me, quem confixerunt; quem ſenſum ſecutus eſt Johannnes Apoſtolus capit.19.Hieronymus ait, parvum apicem fuiſſe in cauſa, cur LXX.pro Tranſfixerunt, verterint ὠρχήσαντο, id eſt, Saltaverunt.*

c In Hebræo non legitur Jacob.] *Quod docet Hieronymus Eſaiæ 42. ſic vertens: Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in eo anima mea.*

d Lino fumanti amiſſo lumine.] *Non omittam quod Plutarchus in quæſtionibus narrat, veteres olim non ſolitos ellychnium extinguere, ſed ipſum per ſe langueſcere & deficere ſolitos permitti,cujus aliquot reddit cauſas: ſeu quod ignis hic cognatus eſſet illius inextinguibilis & immortalis cæleſtis ignis:ſeu quod judicarēt non oportere quod animatum eſſet, niſi noceat,interimere. Porro ignem animal putabant, nec immerito: nam & alimento eget, & per ſe movetur: & cum extinguitur, velut occidatur, vocem emittit: ſeu quia ejusmodi docemur more, non oportere, nec ignem, nec aquam,nec eorum quicquam, quæ ad uſum ſpectant, & ſi abunde ſuppetant conſumere, aut corrumpere,ſed indigentibus utenda relinquere, cum jam nobis illa opus non ſunt. Tantum Plutarchus. Quarum cauſa prima ad pietatem & cultum deorum ſpectat, altera ad manſuetudinem, tertia ad humanitatem benignitatemque. Poteſt hoc loco philoſophari, ſi quis volet.*

e Quis, inquam, ſperaret gentes in Chriſti nomine ſperaturas eſſe.] *Profecto Chriſtus futurorum rerum erat conſcius, & certiſſimus immortalitatis religionis ſuæ, quippe qui morti propinquus comitatus tantum duodecim imbecillibus & ignavis adver-*

adverſante genere tota Judæa nihilominus Evangelium ſuum divulgatum iri orbe toto prædicabat, & cum diſcipulos præmonuerat, fore ut ab omnibus ea ipſa nocte ſolus ad ſupplicium extremum desereretur, tamen pollicebatur ſe cum illis futurum uſq; in finem ſeculorum.

α Eſt locus apud Iſaiam Prophetam.] *Capit. 48. Ex quo probatur manifeſtè divinitas Chriſti. Qui enim apud Prophetam loquitur Deus eſt procul omni dubio, qui tamen deinde dicit ſe à Domino miſſum, & à ſpiritu ejus, quod non niſi in ipſum Chriſtum quadrat, quod & docet citato eodem loco lib. 3. contra Maximum cap. 20. Deus enim eſt, qui dicit ſe primum & ſempiternum, cujus manus fundavit terram, & dextera firmavit cælum. At idem dicit ſe à Domino miſſum & à Spiritu ejus. An non hæc manifeſtè in unum Chriſtum quadrant, ut in multa abſurda neceſſe ſit cadere Judæos, & perperam ſcripturam interpretari, qui hic Chriſtum loquentem non agnoſcant, ejusque divinitatem inficientur. Alii etiam Patres hunc locum de Chriſto intellexère, D. Ambroſius lib. 2. de fide cap. 4. D. Athanaſ. lib. 3. de aſſump. hominis ad Theophilum, Euſebius lib. 6. de demonſtrat. Evangel. capit. 22. Chryſoſtomus homil. de ſancto & odorando Spiritu tom. 3. Cyrillus in expoſitione fidei, Origenes tract. 5. in Matthæum & lib. 1. contra Celſum.*

β Jacob & Iſrael quem ego voco.] *Hoc verbum*, voco, *ut obſervat in eum locum Iſaiæ Leo de Caſtro, de Chriſto frequentiſſimum eſt in novo Teſtamento 1. Petr. 5.* Vocavit nos in æternam gloriam, *2. Pet. 1.* Qui vocavit nos propria gloria & virtute *1. Theſſal. 5.* Fidelis Deus, qui vocavit nos *Matth. 9.* non veni vocare juſtos, ſed peccatores, *& vocatio effectus eſt divinæ gratiæ, quæ hominibus abunde per Chriſtum confertur, atque ſi ad lucem Evangelii explicandus locus Iſaiæ congruit optimè in Chriſtum,* Audi me Jacob, quem ego voco.

γ Et nunc Dominus Deus miſit me & Spiritus ejus.] *Et tamen Deus manifeſtè eſt, qui loquebatur, & ſe à Domino Deo & à Spiritu ejus miſſum affirmat, ut apertè ex veteri Teſtamento demonſtretur myſterium Trinitatis & diſtinctio perſonarum in una eſſentia, adeo ut Judæi, qui eam negant, abſurdiſſimos ſenſus ſcripturæ cogantur confingere. Non modo vero à Patre, à quo procedit, verùm etiam à Spiritu ſancto ſecundum aſſumptam humanitatem & ratione effectus ipſius miſſionis, Chriſtus dicitur mitti, ut docent ipſe D. Auguſtinus libro 2. de Trinit. cap. 5. & D. Thom. 1. part. q. 43. artic. 8. Græcè legitur* καὶ νῦν κύριος ἀπέσταλκέ με καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, *quæ ita interpretatur Origenes tractat. 5. in Matthæum & libr. 1. contra Celſum, ut* τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, *ſit accuſativi caſus, non nominativi, & ſenſus non ſit, quod pater & Spiritus ſanctus miſerit Chriſtum, ſed quod pater miſerit Chriſtum & Spiritum ſanctum, nempe completa ſit prophetia, quando poſt Chriſtum miſſus eſt Spiritus ſanctus. Verùm articulus* τὸ *ſatis indicat eſſe nominativi caſus, & ita omnes exponunt.*

δ De re futura utens præteriti temporis verbo.] *Frequentiſſimum eſt in ſcripturis, præſertim verò apud Prophetas præteritum loco futuri uſurpari, qua de re jam antea quid à nobis notatum eſt.*

ε Eſt & alius locus apud Zachariam.] *Illum locum Zachariæ, quo dicit omnipotens ſe miſſum ab omnipotente, de Chriſto interpretatur etiam D. Hieronymus in eum lo-*

um locum, vox, inquit, Salvatoris inducitur, qui omnipotens à patre omnipotente miſſum ſe eſſe dicit, *& Euſebius lib. 6 de demonſtrat. Evang. cap. 16. ubi manifeſte Chriſti divinitas demonſtratur, & diſtinctio filii miſſi à patre mittente.*

ζ Itemque per eundem Prophetam Dominus loquens.] *His verbis Zachar. 12. duplex natura in Chriſto apertè ſignificatur, divina cum dicitur,* effundam ſpiritum gratiæ, *id eſt, copioſe dabo Eccleſiæ meæ Spiritum ſanctum, quo mihi ſemper ſit grata, ita conferre gratiam ſolius Dei eſt: Altera humana ſimul etiam ſignificatur, & paſſio ejusdem Chriſti in cruce, quando ſubjicitur,* & aſpicient in me, *qui ſcilicet gratiam in eos effundam,* quem confixerunt, *vel ut legit Auguſtinus cum 70 pro eo,* quod inſultaverunt.

η Cum ad eum aſpexerint in ſua majeſtate venientem.] *Hanc Prophetiam de aſpectu Chriſti & luctu magno nonnulli interpretantur de tempore excidii Jeruſalem. Ita Euſebius lib. 8. demonſtrat. Evangel. demonſtr. 4. & Cyrillus, ſed melius Auguſtinus hoc loco & libro 1. de Trinit. capite 13. Juſtinus martyr. in Dialogo cum Tryphone. Tertullianus lib. contra Judæos capite 14. & libr. 3. contra Marcio. cap. 7. Theodoretus, Rupertus, Lyranus eum locum Zachariæ de die judicii intelligunt, cum Chriſti inimici eum videbunt in majeſtate judicantem: & Hieronymus,* Tunc dolebunt à ſe crucifixum, cum viderint in claritate regnantem.

θ Sane ubi dixerunt 70. interpretes.] Ob ſimilitudiem literarum ר & ד quæ parvo tantum apice diſtinguuntur, *ait. D. Hieronymus,* factum eſt ut 70. interpretes non *ἐξεκέντησαν, id eſt*, compunxerunt ſive confixerunt, ſed *ὠρχήσαντο, id eſt,* ſaltaverunt, poſuerint: Atque id ex ſimilitudine literarum natum eſt. Si enim legatur דקרו, ſine dubio compunxerunt ſive crucifixerunt ſignificat; ſi vero contrario ordine literis commutatis רקרו, ſaltaverunt intelligitur. *Nec tamen ſine myſterio ita 70. interpretati ſunt, ut ex hoc loco D. Auguſtini colligere licet,* Confixerunt enim quod voce דקרו, ſignificatum, & velut ſaltando contra dominum illuſerunt atque irriſerunt, quod ſignificatum voce רקרו.

ι Jacob puer meus, ſuſcipiam illum.] *Hæc Iſaiæ verba etiam D. Hieron. Epiſt. 151. ad Algaſiam quæſt. 2. de Chriſto egregiè interpretatur. Tertull lib. de patient. c. 3. & lib. adverſus Praxeam cap. 11 hanc dicit eſſe vocem patris de filio.*

κ Dedi Spiritum meum in illum.] *Id completum eſſe docet, cum poſt vocem patris deſcendit ſuper eum Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, quomodo etiam D. Hieronymus loco citato, Cyrillus & Procopius in commentariis in eum locum Iſaiæ interpretati ſunt.*

λ Judicium gentibus proferet.] *Interpretatur de judicio ultimo, quod prænunciavit futurum, cum gentibus eſſet occultum; quæ eadem eſt interpretatio Theodoreti & Euſebii lib. 9. de demonſt. Evang. cap. 15.*

μ Judæos qui calamo quaſſato.] *Ita interpretatur etiam D. Hieronymus loco citato his verbis:* Calamus fractus, qui fuit antea vocalis & in laudes Domini concinebat, appellandus eſt Iſrael, qui quoniam impegit in angularem lapidem, & cecidit ſuper eum, fractusque in illo eſt, propterea dicitur de eo, increpa Domine beſtias calami, & in Jeſus volumine torrens appellatur canne, *id eſt,* cala-

mi, qui aquas habet turbidas, quas eligit Iſrael puriſſima contemnens fluenta Jordanis, reverſusque mente in Ægyptum, & deſiderans cœnoſam ac paluſtrem regionem, peponeſque & cepe & allia & cucumeres, ollasque Ægyptiarum carnium, rectiſſime per Iſaiam appellatur calamus fractus, cui qui inniti voluerit, pertundetur manus ejus. Qui enim poſt adventum Domini Salvatoris Evangelicæ interpretationis Spiritum derelinquens in Judaicæ literæ morte requieſcit, iſtius cuncta opera vulnerantur.

y Non contrivit nec exſtinxit, quia pepercit eis.] *Tertullianus etiam lib. de patien. & lib. 4. contra Marcionem hæc ad Domini lenitatem & manſuetudinem refert.* Quod calamum quaſſatum, & linum fumigans, id eſt, Judæos imbelles, ut eſt calamus quaſſatus, & linum fumigans, noluerit delere. *Et Chryſoſtomus in eum Iſaiæ locum*, cum ipſe Dominus tam potens eſſet, ut tanquam arundinem & eam quidem contritam poſſet conterere omnes Judæos, & ſicut linum fumigans jam & pene conſumptum igni poſſet conſumere, nam illorum iram accenſam & furorem linum fumigans appellavit, quod apud Dominum omnis illorum furor tam debilis erat, quam eſt linum fumigans, non extinguet illos tamen pro immenſa humilitate & manſuetudine.

z Ipſa, qua illa mortuus eſt, cruce ſignantur.] *Cum enim in ſacramentis Eccleſia crucis ſignum adhibeatur, ut fuſe docet Gretſerus lib. 3. de ſancta cruce, cap. 7. & 9. & his fideles initientur, eo ipſo certe cruce ipſa ſignantur. Deinde jam ab initio naſcentis Eccleſia Chriſtianos ſeſe ſigno crucis muniviſſe, & illud uſurpare ſolitos conſtat ex antiquiſſimis patribus, quos noſter Evizanus Romanus lib. 1. de præferenda cruce Pontifici Romano capite 1. & 5. & Gretſerus libro 3. de cruce pluribus capitibus referunt.*

a Nullo modo in eis potuiſſe mentiri.] *Idem epiſt. 19. ad Hieronymum, & lib. 1. de doctr. Chriſti. cap. 37. & libr. 2. de baptiſmo contra Donatiſt. cap. 3. & initio lib. 3. de Trinit. Siquidem mendacium vel minimum eſſet in ſcriptura ſacra, tota ejus concideret authoritas, & cum Deus author ſit ſcripturæ ſacræ, ipſi Deo mendacium adſcriberetur fideique noſtræ, quæ divinæ revelationi innititur, & ſcripturarum authoritati, falſum ſubeſſe poſſet, quod abſurdiſſimum cogitare, adeoque blaſphemia dicere. Nec dubitavit D. Auguſtinus lib. 1. de ſymbolo ad catechum. & D. Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 12. ſcribere non magis Deum mentiri poſſe, quam Deum eſſe deſinere.*

DIVI

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI
AD MARCELLINUM
DE CIVITATE DEI
LIBER XXI.

CAP. I.

De ordine diſputationis, qua prius diſſerendum eſt de perpetuo ſupplicio damnatorum cum Diabolo, quàm de æterna felicitate ſanctorum.

CUm per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum judicem vivorum atque mortuorum ad debitos fines ambæ pervenerint civitates, quarum una eſt Dei, altera Diaboli, cujusmodi ſupplicium ſit futurum Diaboli, & omnium ad eum pertinentium, in hoc libro à nobis, quantum ope divina valebimus, diligentius diſputandum eſt. Ideò autem hunc tenere ordinem malui, ut poſtea diſſeram de felicitate ſanctorum, *a* quoniam utrumque cum corporibus erit: & incredibilius videtur eſſe in æternis corpora durare cruciatibus, quàm ſine dolore ullo in æterna beatitudine permanere. Ac per hoc, cùm illam pœnam non debere eſſe incredibilem, demonſtravero, adjuvabit me plurimùm, ut multò facilius omni carens moleſtia immortalitas corporum in ſanctis futura credatur. Nec à divinis ordo iſte abhorret eloquiis, ut aliquando quidem bonorum beatitudo prius ponitur, ut eſt illud: Qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui autem mala egerunt, in reſurrectionem judicii: ſed aliquando & poſterius, ut eſt: Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & mittent in caminũ ignis ardentis, illic erit fletꝰ & ſtridor dentium: tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris ſui. Et illud: Sic ibunt injuſti in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. Et in Prophetis, quod commemorare longum eſt, nunc ille, nunc iſte ordo, ſi quis inſpiciat, invenitur. Sed ego iſtum, qua cauſa elegerim, dixi. *Ioh. 5.* *Mat. 13.* *Mat. 25.*

a Quoniam utrumque cum corporibus erit.] *Cum enim corpus cum anima ſimul concurrat ad bona vel mala opera perpetranda, & ad merendum vel demerendum, æquum eſt, ut conſors ſit pœnæ vel præmii æterni. Hac ratione utitur D. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 29. Chryſoſtomus homil. 65. in Joannem, & ſermo de reſurrect. Theodoretus lib. 5. divinorum decretor. capit. de judicio. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 18.* Nil ſine corpore à nobis geſtum eſt, blaſphemamus per os, oramus per os, exprimimus per os, *Damaſcenus lib. 4. cap. 28. Tertullianus lib. de reſurrect. carnis cap. 14. 15 16. & 17. & ſequent. & in Apologet. cap. 48. Quo eodem argumento D. Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 7. eos refellit, qui animas non eadem corpora, ſed alia quædam reſumpturas fingebant.* Injuriis, (inquit *V. L. Cap.*

Dionyſius) quantum in ſe afficientes corpora, quæ cum ſanctis animabus laborarunt, ſacriſque retributionibus parum honeſte tribuentes, quæ ad finem ſanctiſſimi curſus pervenerunt. *Lactantius lib. 7. cap. 21.* Docent nos ſacræ literæ, quemadmodum pœnas impii ſint daturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rurſus carne induentur, ut in corporibus piaculum ſolvant.

Cap. II.

An poſſint corpora in uſtione ignis eſſe perpetua.

QUid igitur oſtendam, unde convincantur increduli, poſſe humana corpora animata atque viventia, non ſolum nunquam morte diſſolvi, ſed in æternorum quoque ignium durare tormentis? Nolunt enim hoc ad α omnipotentis nos referre potentiam, ſed aliquo exemplo perſuaderi ſibi flagitant. Quibus ſi reſpondebimus, eſſe animalia profectò corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in mediis ignibus vivant, a β nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum ſcaturigine reperiri, quarum fervorem nemo impunè contrectat: illos autem non ſolum ſine ulla ſui læſione ibi eſſe, ſed extra eſſe non poſſe: aut nolunt credere, ſi oſtendere non valemus, aut ſi valuerimus, ſive oculis demonſtrare res ipſas, ſive per teſtes idoneos edocere, non ſatis hoc eſſe ad exemplum rei de qua quæſtio eſt, eadem infidelitate contendunt: quia hæc animalia nec ſemper vivunt, & in illis fervoribus ſine doloribus vivunt, ſuæ quippe naturæ convenientib9 vegetantur, illis non cruciantur elementis: quaſi non incredibilius ſit vegetari, quam non cruciari talibus rebus. Mirabile eſt enim dolere in ignibus & tamen vivere, ſed mirabilius vivere in ignibus, nec dolere. Si autem hoc creditur, cur non & illud?

L. Vivis. a NOnnullum etiam genus ver.] *Sunt enim aquæ plurimæ, quæ erumpunt calidæ, quòd earum ſubterraneus defluxus fiat per venas ſulphureas. Empedocles putat caleſcere eas ignibus, quos multis locis terra opertos tenet, ut Seneca libro 5. Quæſtionum natur. refert, eas pro certo comperteq; tradunt multis morbis præſentaneum eſſe remedium. Sunt in Italia crebræ, & in Germania nobiliſſimæ Aquiſgrani balneis à natura paratis ſine noſtro impendio & artificio, aliiſque pleriſque in locis, de quis caput eſt apud Plin. lib. 1. & 32.*

F. L. Coq. α AD omnipotentis nos referre potentiam.] *Hæc plane eſt fundamentum credendorum omnium. Si enim nos perſuadeamus Deum eſſe omnipotentem, cujus nec potentiam ipſi concipere poſſimus, facile inducemur ad ea credenda, quæ ſupra naturam ſunt, & quorum nullum in natura extet exemplum, & dubitare de Dei viribus, qui negant reſurrectionem, ſcribit Tertullianus in Apologet. cap. 48. & Chriſtus ipſe Matth. 22. Saducæis negantibus reſurrectionem, reſpondit eos errare neſcientes virtutem Dei. Dogmata enim fidei omnipotentia Dei, non ingenio humano ſunt metienda.*

β Nonnullum etiam genus vermium.] *Huic affine eſt quod ſcribit Ariſtoteles libr. 5. de hiſt. animal. cap. 19.* In Cypro inſula ærariis fornacibus, ubi chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolæ in medio igne naſcuntur penna-

pennatæ muſcis grandibus paulo majores, quæ per ignem ſaliant atque ambulent, & hoc genus emoritur ab igne dimotum. *Quod idem ſcribit Plinius libro 11. natur. hiſtor. cap. 36 Et Seneca lib 5. natur. quæſt. 36 quædam animalia igne generari ſcribit: hæc vero animalia communiter pyrauſtæ dicuntur.*

γ Si autem hoc creditur, cur non & illud.] *Argumento à majori ad minus.*

CAP. III.

An conſequens ſit, ut corporeum dolorem ſequatur carnis interitus.

SEd *a* nullum eſt, inquiunt, corpus quod dolere poſſit nec poſſit mori. *a* Et hoc unde ſcimus? β Nam *b* de corporibus quis certus eſt dæmonum utrum in eis doleant, γ quando affligi magnis cruciatibus confitentur? Quòd ſi reſpondetur, terrenum corpus ſolidum ſcilicet atque conſpicuum nullum eſſe: atque ut uno potius nomine id explicem, nullam eſſe carnem quæ dolere poſſit, morique non poſſit: quid aliud dicitur, niſi quòd ſenſu corporis homines & experientia collegerunt? Nullam namque carnem niſi mortalem ſciunt. Et hæc eſt eorum tota ratio, ut quod experti non ſunt, nequaquam eſſe poſſe arbitrentur. Namque cujus rationis eſt dolorem facere mortis argumentum, cùm vitæ potius ſit indicium? Etſi enim quærimus, utrum ſemper poſſit vivere, certum tamen eſt vivere omne quod dolet, doloremque omnem niſi in re vivente eſſe non poſſe. Neceſſe eſt ergo ut vivat dolens, non eſt neceſſe ut occidat dolor: quia nec corpora iſta mortalia, & utique moritura, omnis dolor occidit. Ut autem dolor aliquis poſſit occidere, illa cauſa eſt, quoniam ſic eſt anima connexa huic corpori, ut δ, ſummis doloribus cedat atque diſcedat: quoniam & ipſa compago membrorum atque vitalium ſic infirma eſt, ε ut eam vim, quæ magnum vel ſummum dolorem facit, non valeat ſuſtinere. Tunc autem tali corpori anima & eo connectetur modo, ut illud vinculum ſicut nulla temporis longitudine ſolvitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiam ſi caro nunc talis nulla eſt, quæ ſenſum doloris perpeti poſſit, mortemque non poſſit: erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non eſt, ſicut talis erit & mors, qualis nunc non eſt. Non enim nulla, ſed ſempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Prima mors animam nolentem pellit de corpore, ſecunda mors animam nolentem tenet in corpore. Ab utraque morte communiter id habetur, ut quod non vult anima, de ſuo corpore patiatur. Attendunt autem iſti contradictores nullam eſſe nunc carnem quæ dolorem pati poſſit, mortemque non poſſit: & non attendunt eſſe tamen aliquid tale quod corpore majus ſit. Ipſe quippe animus, cujus præſentia corpus vivit & regitur, & dolorem pati poteſt, & mori non poteſt. Ecce inventa res eſt, quæ cùm ſenſum doloris habeat, immortalis eſt: hoc igitur erit tunc etiam in corporibus damnatorum, quod nunc eſſe ſcimus in animis omnium. Si autem conſideremus diligentius, dolor, qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet. ε Animæ enim

enim eſt dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi cauſa exiſtit à corpore, cùm in eo loco dolet, ubi læditur corpus. Sicut ergo dicimus corpora ſentientia, & corpora viventia, cùm ab anima ſit corporis ſenſus & vita, ita & corpora dicimus dolentia, cùm dolor corporis niſi ab anima eſſe non poſſit. *c* Dolet itaque anima cum corpore in eo loco ejus, ubi aliquid contingit ut doleat. Dolet & ſola, quamvis ſit in corpore, cum aliqua cauſa etiam inviſibiliter triſtis eſt ipſo corpore incolumi. Dolet etiam non in corpore conſtituta. Nam utique dolebat dives ille apud inferos, quando dicebat: *Crucior in hac flamma.* Corpus autem nec exanime dolet, nec animatum ſine anima dolet. Si ergò à dolore argumentum rectè ſumeretur ad mortem, ut ideò mors poſſit accidere, quia potuit accidere & dolor, magis ad animam pertineret mori, ad quam magis pertinet & dolere. Cùm verò illa, quæ magis dolere poteſt, non poſſit mori, quid momenti affert cur illa corpora, quoniam futura ſunt in doloribus, ideò etiam moritura eſſe credamus? *d* Dixerunt quidam Platonici, ex terrenis corporibus moribundisque membris eſſe animæ & metuere, & cupere, & dolere, atque gaudere. Unde Vergilius: Hinc, inquit, id eſt, ex moribundis terreni corporis membris metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. Sed convicimus eos in quarto decimo hujus operis libro, habere animas ſecundùm ipſos ab omni etiam corporis labe purgatas, diram cupiditatem, qua rurſus incipiunt in corpora velle reverti. Ubi autem poteſt eſſe cupiditas, profectò etiam dolor poteſt. Fruſtrata quippe cupiditas ſive non perveniendo, quò tendebat, ſive amittendo, quò perveneras, vertitur in dolorem. Quapropter ſi anima, quæ vel ſola vel maximè dolet, habet, tamen quandam *e* pro ſuo modo immortalitatem ſuam, non ideò mori poterunt illa corpora, quia dolebunt. Poſtremò, ſi corpora faciunt, ut animæ doleant, cur eis dolorem poſſunt, mortem verò inferre non poſſunt, niſi quia conſequens non eſt, ut mortem faciat, quod dolorem facit? Cur ergò incredibile eſt, ita ignem illis corporibus dolorem poſſe inferre non mortem, ſicut ipſa corpora dolere animas faciunt, quas tamen non ideò mori cogunt: Non eſt ergò neceſſarium futuræ mortis argumentum dolor.

c.5.

L. Vives. *a* SEd nullum eſt, inquiunt, corpus, quod dolere poſ. nec poſ. mor.] *Omnes enim veteres Philoſophi, Plato, Ariſtoteles, Epicurus, Zeno, Cicero, Seneca quicquid doleret, interiturum tandem arguebant: Hinc eſt illud Ariſt. libro 3. Moralium: Dolor diſtrahit ac perimit naturam ejus, in quo eſt, & Ciceronis 3. de nat. Deor. Quod dolorem accipit, id etiam accipias interitum neceſſe eſt, ex quo probat, animal nullum ſempiternum eſſe.*

b Nam de corporibus, qui certus eſt.] *Diſputatur inter Platonicos, an dæmonum corpora ſentiant doleantq́; : ſunt, qui in nervis totam vim ſentiendi ſtatuant, quibus carere ajunt dæmones, ideò nec ſentire, nec pati dolorem ulla vi quire: qui diis adverſantur, non in nervo doloris patientiam ſitam eſſe, ſed in ſpiritu nervum ambiente dicunt, qui ſi nervum deſerat, ſtupeſcat nervus protinus, & ſine functione ulla jaceat extinctus: ea eſt enim velut nervi vita, atque hi accommodatius ad na-*

turam

tantis rei locuti exiſtimantur. Itaque iſti ſpiritale dæmonum corpus, & tangere, & tangi poſſe affirmant, & proinde dolore affici, ſed ſubitario fluxoq́ue, niſi diutius hæreat prematq́ue dolorem afferens, nam duriore corpore ſecari ſpiritalia illa poſſunt, cæterum extemplo coire, nec appertam diutius eſſe plagam, ideò quò ſunt, inquiunt, corporibus denſioribus & concretioribus, hoc magis dolori perferendo ſunt obnoxii, & diuturnius eo afficiuntur, quocirca minas præcipitiorum, & enſes pavent. Hæc ex Michaele Pſello, & Marco illo dæmonicola primario. Qua forſan opinione Vergilius ſexto Æneidos Sibyllam inducit præcipientem Æneæ, ut adverſus concurſum frequentium dæmonum enſem diſtringat:

Túque, inquit, invade viam, vaginaq́ue libera ferrum.

c Ut eam vim, quæ magnum vel ſummum dolorem facit.] *Eſt enim dolor, ut à Cic. definitur 2. Tuſcul. quæſtionum, motus aſper in corpore à ſenſibus alienus, qui ſi ingraveſcat, opprimit vitalia, & perimit hominem: ſeu id fiat aucta ſupra modum aliqua ex corporis qualitatibus, ſive ardore, ſive humore, ſive ſpiritibus, ſive excrementis, & terreſtri materia, ſive imminuta ex iis quapiam, ſeu perpetuitate corporis preſſa ſeu disjuncta. His enim de cauſis ſolet ferè dolor in corporibus gigni.*

d Dixerunt quidam Platonici.] *Sic Ariſtoteles libro de anima primo negat, animam iraſci, gaudere, timere non ſecus, quàm texere, vel ædificare: quoniam ut hæc agit per corpus, ita & illa. Quod ſi hoc de ira & gaudio admittamus, profectò & dolor ab anima eadem ratione excludetur, quem & excludunt Alexander & Themiſtius ab anima ſine corpore. Cæterùm hac de re non eſt hic locus diſputandi: nam qui affectibus univerſis privant animam corpore non comitatam, aut nuſquam à corpore ſeparari volunt, aut torpentem & ſine omni prorſus actione relinquent, quum è corpore diſceſſerit, ac prorſus talem qualem ipſi idem rident Epicuri Deum abſque omni actione ac motu, & Ariſtotelis dictum effuſum eſt per ardorem diſputandi, dum totis animis in perennitatem illam motus, quam animæ Plato tribuebat invadens, omni motu animam conatur ſpoliare, quod deformior ſit, ornata prius tanta motus copia: ita ne affectus quidem permittit, non perinde ut ſibi prodeſſet, ac ut obeſſet magiſtro, cujus rationem illam de animæ immortalitate per motus originem & perennitatem plauſibilem Græcia tota videbat eſſe. Sed controverſia eſt hæc in verbo, dolere fortaſſe non poſſit anima ſejuncta à corpore, triſtari verò poteſt & mœrere, quum quod cupit, non aſſequitur, aut aſſecuta perdit, quod tam eſt animæ dolere, quàm corpori cruciari.*

e Pro ſuo modo immortalitatem ſuam.] *Non enim ita immortalis eſt, ut æternum antea vixerit: nec ut extingui nulla vi queat, ſed quòd condita ſemel à Deo, nunquam ita peribit, ut in nihilum abeat, tametſi mortem pati poſſit, quam ſecundam dicimus ſupplicii perpetuum duraturi.*

a SEd nullum eſt corpus, quod dolere poſſit, nec poſſit mori.] *Cicero 3. de nat. deorum,* Quod dolorem accipit, id etiam accipiat interitum neceſſe eſt. *Unde omne animal cum doloris ut voluptatis capax ſit, mortale eſſe concludit. Eſt enim omnis dolor præter naturam D. Auguſtinus in Enchiridio ;* Nec moveat P. L. Cap.

quomo-

quomodo in eis erit corpus incorruptibile, ſi dolere poterit, aut quomodò corruptibile, ſi mori non poterit.

β Nam de corporibus quis certus eſt dæmonum.] *Fortaſſe D. Auguſtinus dubius fuit aliquando, an dæmones corpora habeant naturaliter ſibi unita necne, imo in eam ſententiam magis propendere videtur lib.11.cap.23. ſupr. & lib.2. ſuper Geneſ. ad liter. cap. 17. & lib.3. cap.10. & Epiſt.115. ad Nebridium, in hoc Platonicos ſecutus.*

γ Quando ſe affligi magnis cruciatibus confitentur.] *Ut conſtat ex D. Hieronymo contra Vigilantium, & in Epitaphio Paulæ, & ex D. Chryſoſtomo homil.66. ad popul. Antioch. D. Cypriano Epiſt.2. ad Donatum, Epiſt.76 ad Magnum, lib. ad Demetrianum, & lib. de idolorum vanitate, Lanctantius lib.2. cap.16.* Maximis ſæpè ululatibus editis verberari ſe & ardere, & jam jamque exire proclamant.

δ Ut ſummis doloribus cedat atque diſcedat] *Seneca Epiſt.78.* Summi doloris intenſio invenit finem. Nemo poteſt valide dolere & diu, ſic nos amantiſſima noſtri natura diſpoſuit, ut dolorem aut tolerabilem aut brevem faceret.

ε Animæ enim eſt dolere, non corporis.] *D. Thomas 1.2. quæſt.35. art.1. ad 1.* Dolor (*inquit*) dicitur eſſe corporis, quia cauſa doloris eſt in corpore, puta cum patimur aliquod nocivum corpori, ſed motus doloris ſemper eſt in anima. Nam corpus non poteſt dolere niſi dolente anima, ut Auguſtinus dicit.

ζ Dolet & ſola.] *Idem in Pſal.87. ad illud,* repleta eſt malis anima mea, Non (*inquit*) vitiis, per quæ homini dominatur iniquitas, animam iſtam repletam poſſumus dicere, ſed forte doloribus, quibus anima ſuæ carni in ejus paſſione compatitur. Non enim vel ipſe, qui dicitur corporis dolor poteſt eſſe ſine anima, quem inevitabiliter imminentem præcedit mœſtitia, quæ ſolius animæ dolor eſt. Dolere ergo anima etiam non dolente corpore poteſt, dolere autem corpus ſine anima non poteſt. *Ad dolorem duo requiri docet D. Thomas loco citato, conjunctionem alicujus mali, quod ea ratione malum eſt, quia privat aliquo bono, & perceptionem hujusmodi conjunctionis, quæ certè non niſi ab anima eſt, nec cadit in corpus vita & ſenſus expers, quod alii docent primam cauſam doloris eſſe qualitatem lædentem, alteram perceptionem ipſam ſenſus, qua non ſit dolor ipſe, ſed cauſa doloris.*

Cap. IV.

De naturalibus exemplis, quorum conſideratio doceat, poſſe inter ignes viventia corpora permanere.

QUapropter ſi ut ſcripſerunt, qui naturas animalium curioſius indagarunt, *a* α ſalamandra in ignibus vivit: & β quidam notiſſimi *b* Siciliæ montes, qui tanta diuturnitate temporis atq; vetuſtate uſque nunc & deinceps flammis æſtuant, atq; integri perſeverant, ſatis idonei teſtes ſunt, non omne, quod ardet abſumi:

ſumi: & anima indicat,non omne,quod dolere poteſt,poſſe etiam mori. Quid adhuc à nobis rerum poſcunt exempla, quibus doceamus, non eſſe incredibile, ut hominum corpora ſempiterno ſupplicio punitorum, & in igne animam non amittant, & ſine detrimento ardeant, & ſine interitu doleant? Habebit enim tunc iſta carnis ſubſtantia *c* γ qualitatem ab illo inditam, *d* qui tam miras & varias tot rebus indidit,quas videmus,ut eas, quia multæ ſunt, non miremur. Quis enim niſi Deus creator omnium dedit *e* δ carni pavonis mortui ne putreſceret? Quod quum auditu incredibile videretur,evenit,ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc avis. De cujus pectore pulparum quantum viſum eſt decerptum ſervare juſſimus. Quod poſt dierum tantum ſpatium,quanto alia caro quæcunque cocta putreſceret, prolatum atque oblatum, nihil noſtrum offendit olfactum. Itemque repoſitum poſt dies amplius quàm triginta, idem quod erat,inventum eſt. Idemque poſt annum, niſi quod aliquantum corpulentiæ ſiccioris & contractioris fuit. ε Quis paleæ dedit vel tam frigidam vim,ut obrutas nives ſervet: vel tam fervidam,ut poma immatura maturet? ζ De ipſo igne mira quis explicet, quo quæque aduſta nigreſcunt, quum ipſe ſit lucidus,& penè omnia,quæ ambit & lambit,colore pulcherrimo decolorat, atque ex pruna fulgida carbonem teterrimum reddit? Neque id quaſi regulariter definitum eſt. Nam econtrario lapides igne candente percocti, & ipſi fiunt candidi,& quamvis ille magis rubeat, *f* illi albido colore niteſcant, η congruit tamen illi luci, *g* quod album eſt,ſicut nigrum tenebris. Quum itaque ignis in lignis ardeat, ut lapides coquat, contrarios habet non contrariis rebus effectus. Etſi enim lapides & ligna diverſa ſunt: *h* contraria tamen non ſunt,ſicut album & nigrum,quorum in lapidibus unum facit,alterum in lignis,clarus illos clarificans,hæc obfuſcans,quum in illis deficeret,niſi in iſtis viveret. Quid in carbonibus? Nónne miranda eſt,& tanta infirmitas,ut ictu leviſſimo frangantur,preſſu facillimo conterantur: & tanta firmitas, ut nullo humore corrumpantur,nulla ætate vincantur,uſque adeò, *i* θ ut eos ſubſternere ſoleant, qui limites figunt, ad convincendum litigatorem,quiſquis poſt quantalibet tempora extiterit,fixumque lapidem limitem non eſſe contenderit? Quis eos in terra humida infoſſos: ubi ligna putreſcerent, tam diu durare incorruptibiliter poſſe, niſi rerum ille corruptor ignis effecit? Intueamur etiam miraculum calcis, excepto eo, de quo jam ſatis diximus: quod igne candeſcat, quo alia tetra redduntur,etiam occultiſſimè ab igne ignem concipit. Quumque jam gleba tangentibus frigida tam latenter ſervat,ut nulli noſtro ſenſui prorſus appareat,ſed compertus experimento etiam dum non apparet, ſciatur ineſſe ſopitus. *k* Propter quod eam calcem vivam loquimur,velut ipſe ignis latens anima ſit inviſibilis viſibilis corporis. Jam verò quàm mirum eſt,quod quum extinguitur, tunc accenditur: Ut enim occulto igne careat, aquæ infunditur, aquáve perfunditur,& quum antè ſit frigida, inde ferveſcit, unde ferventia cuncta frigeſcunt. Velut expirante ergò illa gleba,diſcedens ignis,qui latebat, apparet, ac deinde tanquam mortua ſic frigida eſt,ut adjecta unda non ſit arſura, & quam calcem

vocabamus vivam, vocemus extinctam. Quid eſt, quod huic miraculo addi poſſe videatur? Et tamen additur. Nam *l* ſi non adhibeas aquam, ſed oleum, quod magis fomes eſt ignis, nulla ejus perfuſione vel infuſione ferveſcit. Hoc miraculum, ſi de aliquo Indico lapide legeremus ſive audiremus, & in noſtrum experimentum venire non poſſet, profectò aut mendacium putaremus, aut certè granditer miraremur. Quarum verò rerum ante oculos noſtros quotidiana documenta verſantur, non genere minus mirabili: ſed ipſa aſſiduitate viieſcunt, ita ut ex ipſa India, quæ remota eſt pars orbis à nobis, deſierimus nonnulla mirari, quæ ad nos potuerunt miranda perduci. *ι* Adamantem lapidem multi apud nos habent, & maximè aurifices inſignitoresque gemmarum, *m* *κ* qui lapis nec ferro, nec igni, nec alia vi ulla perhibetur, præterquam hircino ſanguine vinci. Sed qui eum habent atque noverunt, nunquid ita mirantur, ut hi, quibus primùm potentia ejus oſtenditur? Quibus autem non oſtenditur, fortaſſe non credunt: aut ſi credunt, inexperta mirantur: & ſi contigerit experiri, adhuc quidem mirantur inſolita. Sed aſſiduitas experiendi paulatim ſubtrahit admirationis incitamentum. *n* *λ* Magnetem lapidem novimus, mirabilem ferri eſſe raptorem, quod quum primùm vidi, vehementer inhorrui. Quippe cernebam à lapide ferreum annulum raptum atque ſuſpenſum, deinde tanquam ferro, quod rapuerat, vim dediſſet ſuam, communemque feciſſet, idem annulus admotus eſt alteri, eumque ſuſpendit, atque ut ille prior lapidi: ſic alter annulus priori annulo cohærebat. Acceſſit eodem modo tertius, acceſſit & quartus, Jamque ſibi per mutua connexis circulis, non implicatorum intrinſecus, ſed extrinſecus adhærentium, quaſi catena pependerat annulorum. *o* Quis iſtam vim lapidis non ſtuperet, quæ illi non ſolùm inerat, verùm etiam per tot ſuſpenſa tranſibat, & inviſibilibus ea vinculis ſubligabat? Sed multò eſt mirabilius, quod à fratre & coepiſcopo meo Severo Milevitano de iſto lapide comperi. Seipſum namque vidiſſe narravit, quemadmodum Barthanarius quondam comes Africæ, quum apud eum convivaretur Epiſcopus, eundem protulerit lapidem, & tenuerit ſub argento, ferrumque ſuper argentum poſuerit: deinde ſicut ſubtermovebat manum, qua lapidem tenebat, ita ferrum deſuper movebatur atque argento medio nihilque patiente, concitatiſſimo curſu ac recurſu infrà lapis ab homine ſuprà ferrum rapiebatur à lapide. Dixi, quod ipſe conſpexi, dixi, quod ab illo audivi, cui, tanquam ipſe viderim, credidi. Quid etiam de iſto magnete legerim, dicam: *p* *μ* quando juxta eum ponitur adamas, non rapit ferrum: & ſi jam rapuerat, ut ei appropinquaverit, mox remittit. *q* *ν* India mittit hos lapides. Sed & ſi eos nos cognitos jam deſiſtimus admirari, quanto magis illi, à quibus veniunt, ſi eos facillimos habent: ſic forſan habent, ut nos calcem, quam miro modo aqua ferveſcentem, qua ſolet ignis extingui, & oleo non ferveſcentem, qua ſolet ignis accendi, quia in promptu nobis eſt, non miramur.

I. Vives Salamandra. *a* SAlamandra in ignibus vivit.] *Puto me alibi de Salamandra ſcripſiſſe ex Ariſt. & Plinio, qui illam dicunt lacerti figura eſſe animal ſtellatum, nunquam*

Digitized by Google

quam niſi magnis imbribus proveniens, & ſerenitate deficiens, cui tantus rigor, ut ignem tactu extinguat, non alio modo quàm glacies.

b Et quidam notiſſimi Siciliæ montes.] *Montes multis in locis ardent, ut Ætna in Sicilia, & in Hiera, quæ olim Theraſia prope Siciliam Vulcano ſacra in qua eſt collis nocturnas evomens flammas: tum etiam Theon ochema in Æthiopia: Veſuvius in Campania, & Lycia Chimera, & trans Herculis columnas quædam nocturnis incendiis conſpicua quædam diurnis: alii ardentium faciem oſtendunt, ut juxta Pygmæos, & prope Sibratas in Aphrica. Cauſam ardorum montium innumeri quæſierunt, mandaruntque literis. Plurimorum ſententia eſt, eſſe venas ſulphureas ſubterraneas: quæ quum latis cavernis ſpiritum admiſere, ex concuſſione illa generatur ignis ſulphure fomenta ſuppeditante. Sic Ætna, ſic Veſuvius & Gaurus Campaniæ ardent, quæ maxime regio, ut inquit Servius, ſulphur deſudat. Flatu vero agitato incendia exiſtere, vel hinc deprehendi poteſt, quod non omnibus ventis ardores illi proveniant, ſed iis tantum ſpirantibus, qui ſubire per adverſas ſpeluncas poſſint, ut in Ætna Euro vel Aphrico: quumque ſulphur non ſemper ſuppetat, fit ut Ætnæ incendia non ſint continua, quemadmodum nec Liparæ inſulæ, cujus ardorem deficere tradit Xenophanes, ſed anno ſeptimo redintegrari.* Montes ardentes

c Qualitatem ab illo inditam.] *Quid enim aliud ſunt rerum naturæ, præter ea ingenia, quæ unicuique rei addidit parens univerſorum, dum eam ipſam rem procreat. Calorem dedit igni, calefacere eſt huic naturale: ſi dediſſet frigus, tam hoc eſſet ei ex natura, quam nivi eſt, quam glaciei.*

d Qui tam miras & varias tot rebus.] *Et bene miras, quas admirari promptum ſit, ſcrutari atque cognoſcere non item. Differentiæ rerum, inquit Ariſtoteles, hoc eſt, ſuæ ſingulis rerum proprietates & naturæ ignoratæ nobis ſunt, qui non modo recondita illa & abſtruſa naturæ non aſſequimur, ſed ad exprompta hæc, & quæ natura palam propoſuit, caligamus & hallucinamur, ut non male Socrates affirmaſſe videatur, nos nihil ſcire. Et tamen non deſunt, qui ſe nihil neſcire profiteantur, vel hoc nomine cæteris imperitiores, quod nondum eruditione eo progreſſi ſunt, ut intelligant omnia ſic eſſe à natura involuta & abdita, ut nihil pene detectum apertumque noſtris ingeniis relinquat. Itaque is mihi demum verum diſciplinarum confeciſſe circulum videtur, qui à rerum omnium ignorantia per artes omnes peregrinatus, ad rerum omnium ignorantiam, præterquam hujus ipſius redierit.*

e Carni pavonis mortui ne putreſceret.] *Multorum ex iis quæ Auguſtin. hic ponit, nullo humano ingenio reddi poſſe ratio videtur, quorundam poteſt, conjecturis tantum ſæpe infirmis atque imbecillibus quæſita: quam tamen nos non adſcribemus, ne non tam explicare Auguſtinum, quam cum eo pugnare videamur.*

f Illi albido colore niteſcant.] *In aliis exemplaribus legitur, Albeſcant, in aliis, Albicent.*

g Quod album eſt.) *Plurimum enim lucis album retinet, ideo non ſecus viſui officit,*

officit, quam ipſa lux: minimum vero nigror, idcirco confert, & Ariſtoteles illud diſgregativum nominat, hunc congregativum.

b Contraria tamen non ſunt.) *Nam ſubſtantiæ nihil contrarium, & contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maxime diſtant, ut album & nigrum ſub colore, frigidum & calidum, humidum & ſiccum ſub qualitate prima.*

i Ut eos ſubſternere ſoleant.) *Cteſiphon architectus jacturus fundamenta templi Dianæ Epheſiæ, quo diuturnius eſſet loco paluſtri opus, carbones ſubſtravit.*
Cherſiphron. *Plin. 36. Non dubitem, quin legendum ſit Cherſiphron, conſentientibus Græcis, & in primis Strabone lib. 14.* πρῶτος μὲν χερσίφρων ἠρχιτεκτόνησεν, εἶτ' ἄλλος ἐποίησε μείζω, *de illo narrans, pro quo nos vulgo in Latinis codicibus legimus Archiphron. ut alia in eodem Opere infinita mendoſe.*

k Propter quod eam calcem vivam.] *Seneca lib. 3. Nat. quæſtionum: Vivæ calci aquam infunde, fervebit.*

l Si non adhibeas aquam, ſed oleum.] *Plin. lib. 33. Calx aqua accenditur, & Thracius lapis, idemq́; oleo reſtinguitur.*

Adamas *m* Qui lapis nec ferro, nec igni.] *Plin. lib. ult. cap. 4. De adamante diſſerit: cum ait in rebus humanis non ſolum, inter gemmas maximum habere precium, incudibusque deprehendi, ita reſpuentem ictum, ut ferrum utriusque diſſiliat, quippe duritia inenarrabilis, ſimulque ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens. Unde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit. Sic ille. Porro* δαμάω *eſt domo, cum accedit a particula privativa. Idem paulo poſt: Illa invicta vis duarum violentiſſimæ naturæ rerum ferri igniſque contemptrix hircino rumpitur ſanguine, ac ne aliter quam recenti calidoque macerata, & ſic quoque multis ictibus, tunc etiam præterquam eximias incudes malleosque ferreos frangens. Cujus hoc ingenio inventum, quove caſu repertum? aut quæ fuit conjectura experiendi rem immenſi ſecreti, & in fœdiſſimo animalium omnium? profecto muneris talis inventio hominis eſt, nec quærenda in ulla parte naturæ ratio, ſed voluntas, ut cum feliciter rumpere contigit, in tam parvas frãgatur cruſtas, ut cerni vix poſſit, tãtũ Plinius. At ſuperiore*
Bernardus Valdaura. *anno Bernardus Valdaura feſtiviſſimo adoleſcens ingenio, adamantes oſtendit mihi, quos narrabat malleo fractos à Bernardo patre, dum gemmæ duritiem experitur: ſed eos non Indicos aut Arabicos adamantes eſſe credo: cæterum quos Plin. ſeu Cyprios, ſeu ſiderites vocat, neque enim unum eſt adamantum genus, & ſiderites* ἀπὸ τοῦ σιδήρου *dicuntur, hoc eſt, à ferro, quod non diſſimili ſint colore, qui ictibus franguntur, & alio adamante perforari poſſunt, quod & Cyprio evenit, qui ut degeneres nominis tantum auctoritatem habent. Prætereo quæ hic narrata ſunt mihi à plerique de adamantibus fatiſicantibus principis Ravaſtanii.*

Magnes. *n* Magnetem lapidem.] *De magnete Plin. lib. 36. cap. 16. Magnetem ait ab inventore ſic dictum, ut auctor eſt Nicander, in India repertus lapis: namque & paſſim invenitur. Lucretius lib. 6. à patria nominari dicit Magneſia: ſed hoc unum genus magnetum à cæteris diverſum. Vocatur & ſiderites à virtute trahendi ſideros, hoc eſt, ferri: & Heraclius, vel à viribus, vel ab Heraclea Ponti urbe: de qua dixi alias. Sunt qui hunc demum trahere ferrum putet, non magnetem: quod ſane non negarim,*

ſi

ſi rectius vel loquantur, vel intelligantur, nempe Magneſium lapidem ferrum non attrahere. Quinque enim genera magnetis poſuit Sotacus, Æthiopicum, Magneſiacum ex Magneſia Macedoniæ, tertium Echium Bœotium, quartum Alexandrinum, Troicum, quintum Magneſium è Magneſia Aſiæ. Hunc magnetem candidum eſſe narrant, neque ferrum attrahere ſimilem pumici. Atque hoc eſt quod Diogenianus ait, magnetem hunc ita ſimilem argento eſſe, ut ſpectantes plerunque fallat, nec ferrum huic morem gerere. Lapis eſt contrario magneti ingenio, ut inquit Plinius, Theamenes nomine, qui ferrum omne abjicit, & procul pellit.

o Quis iſtam vim lapidis non ſtuperet.] *Miratur Plin. eam eſſe magneti vim, nec expedire rationem poteſt. Lucretius in ſexto dum eam quærit, multa nugatur, & tandem eo devolvitur, ut ſecretum eſſe dicat: non minus Agrigentinus Empedocles, qui ob eam vim animatum eſſe magnetem affirmavit.*

p Quando juxta eum ponitur adamas.) *Plin. ultim. volum. Adamas diſſidet cum magnete lapide in tantum, ut juxta poſitus ferrum non patiatur abſtrahi, aut ſi admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat.*

q India mittit hos lapides.) *Sunt & in aliis locis, ut dixi, ſed creberrimi in India, etiam vaſti montes. Narrant nautæ noſtrates in ima India eſſe maritimas cautes magneticas, quæ medio curſu navigia, ſi quid ſit in eis ferri, vel clavus unus, ſiſtant, detineant, attrahant: idcirco qui illac ſunt prænavigaturi, poſtes navium ligneis clavis ſolitos compingere.*

α SAlamandra in ignibus vivit.] *Qua de re dixi ad caput. 4. libri 12.* F.L.Coq.

β Quidam notiſſimi Siciliæ montes.] *Ita Tertullianus in Apolog. cap. 48.* montes uruntur & durant, quid nocentes & Dei hoſtes? *de pluribus hujuſmodi montibus ardentibus Plin. lib. 12. cap. 106. Strabo lib. 6. Solinus in polyhiſtore cap. 11.*

γ Qualitatem ab illo inditam.] *Certum eſt corpora Beatorum poſt reſurrectionem ab intrinſeco fore incorruptibilia, nec modo ab extrinſeco; an idem in damnatis ſentiendum eſt. Ita videtur docere Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 18.* excitabitur æterna habentes corpora, omnes autem ſimilia; ſed qui eſt juſtus, corpus accipiet cœleſte, ut poſſit cum Angelis digne converſari; ſi vero peccator eſt, accipiet corpus æternum, quo ſufferre poſſit pœnas peccatorum, ut perpetuo in igne ardeat & nunquam diſſolvatur. *D. Thomas 4. contra Gentes cap. 89. id refert in perfectam animæ informationem, per quam dabit corpori eſſe incorruptibile*; quæ incorruptibilita in beatis quidem (*ait Sotus in 4. diſtinctio. 50. quæ. uni. artic. 3.*) habebit rationem dotis, quia derivabitur ex beatitudine ipſius animæ. Verùm in damnatis erit effectus juſtitiæ diſtributivæ, ut ultio malorum ſit perpetua. *Dici poteſt ignem inferni non actione mere naturali agere in corpora damnatorum, ſed ut Dei inſtrumentum, ideoque agere poterit actione, quæ vere ac realiter cruciet corpora, non tamen illa corrumpat. Videndi ſunt Theologi in 4. diſtinct. 45.*

δ Carni pavonis mortui ne putreſceret.] *Ratio fortaſſe eſt, quia caro pavonis*

dura ſit & fibroſa, frigida nempe & ſicca, frigiditas vero & ſiccitas corruptioni adverſantur.

ε Quis paleæ dedit.] *Multa certe in natura ſunt miracula, qualia hic afferuntur ab Auguſtino, quorum vix ulla ratio reddi poteſt, & licet in rebus fere contemnendis cernantur, eo tamen magis mira ſunt, quod eorum nulla fere ratio reddi poſſit. Hanc vero quæſtionem vide propoſitam atque diſſolutam apud Plutarchum lib. 6. ſympoſi. capite 6.*

ζ De ipſo igne mira quis explicet.] *De ignis miraculis Plin. lib. 2. cap. 107. & lib. 36. cap. 27.*

η Congruit tamen luci quod albũ eſt, ſicut nigrũ tenebris.] *Ex quo docent non nulli lucẽ & albedinẽ, tenebras item & nigredinẽ ejuſdẽ eſſe naturæ, quod colligunt ex Ariſtotele l. de ſenſu & ſenſibili c. 3. ut quẽadmodũ tenebræ ſint privatio lucis, ita nigrũ dici poſſit quadã privatio albedinis, ita ut ſicut videri dicuntur tenebræ, quando nihil videtur, ſic nigrum tunc videri dicatur, quando nullus color videtur. Quod docet Ariſtoteles l. 3. Meteor. nigrum eſſe veluti abnegationem, nam quando viſus deficit, nigrũ apparere ſolet. Quocirca quæ longe abſunt, nigriora omnia apparent, quia viſus ea minus aſſequitur, ut ejusdem rationis eſſe videatur viſio, nigri in corpore terminato, licet dicatur magis videri nigrum quam tenebræ, quia id quod eſt terminatum, eſt per ſe terminativum viſus, & per ſe viſibile; interminatum vero non eſt per ſe viſibile, quia non eſt terminativum viſus. Id etiam argumento eſt, quod ea, quibus parum luminis ad viſum reflectitur, nigricare videantur, ut umbra omnes & loca opaca, & nubes admodum denſæ nigrore opacatur, quia ſolis radium non admittit; contra alba ea videntur, quæ in materia rara plurimum lucis obtinent.*

θ Ut eos ſubſternere ſoleant, qui limites figunt.] *Carbones priſcos vice termini tumulaſſe præter hunc locum D. Auguſtini confirmat locus Boetii libro 2. Geomet.* ſemper ſignum in omnibus terminis poſitum eſt, aut aliquot carbones, aut cineres, aut teſtas, aut oſſa, aut vitrum, aut maſſas ferri, &c. *Siculus Flaccus de agror. conditio. & conſtitut. limitum;* quando, *inquit*, ſignum in terminis voluntarium eſt non neceſſarium, aliquibus terminis nihil ſubditum eſt; aliquibus vero aut cineres, aut carbones, aut teſtas, aut vitrea fracta, aut oſſa ſuccenſa, aut calcem, aut gypſum invenimus. *Cur ſubſternerentur fundamentis ædificiorum carbones aliam rationem adferunt Laertius lib. 2. in vita Ariſtippi,* Θεόδωρος Σάμιος υἱὸς Ῥοίκου· οὗτός ἐστιν ὁ συμβουλεύσας ἄνθρακας ὑποθεῖναι τοῖς θεμελίοις τοῦ ἐν Ἐφέσῳ νεώ· καθύγρου γὰρ ὄντος τοῦ τόπου, τοὺς ἄνθρακας ἔφη τὸ ξυλῶδες ἀποβαλόντας αὐτὸ τὸ στερεὸν ἀπαθὲς ἔχειν ὕδατι. *Conſuluit carbones fundamentis templi Epheſini ſubjici. Nam cum humidus eſſet locus, carbones ait rejecta ligni materia ſoliditatem accipere humori inviolabilem; & Plinius lib. 36. cap. 14 de templo Dianæ Epheſiæ ducentis annis à tota Aſia facto loquens;* ne in lubrico, *inquit*, atque inſtabili fundamenta tantæ molis locarentur calcatis ea ſubſtravere carbonibus, dein velleribus lanæ.

ι Adamantem lapidem multi apud nos habent.] *Plinius lib 37. cap. 4. adamantem maximum in rebus humanis non ſolum inter gemmas pretium habere ſcribit, qui diu non niſi regibus, & iis admodum paucis cognitus fuerit.*

κ Qui

κ Qui lapis nec ferro, nec igni.] *Plin. lib. 37. cap. 4. de variis Adamantum generibus loquens;* incudibus, *ait*, hi deprehenduntur ita reſpuentes ictum, ut ferrum utrimque deſultet, incudesque etiam ipſæ deſiliant; quippe duritia inenarrabilis eſt ſimulque ignium victrix natura & nunquam incaleſcens. Unde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit. *Ibid.* Siquidem illa invicta vis duarum violentiſſimæ naturæ rerum ferri ignisque contemptrix hircino ſanguine rumpitur. *Eadem Solinus cap. 55.*

λ Magnetem lapidem novimus mirabilem ferri eſſe raptorem.] *Plinius lib. 36. cap. 16.* quid ferri duritia pugnacius? ſed cedit & patitur moras, trahitur namque à magnete, lapide, domitrixque illa rerum omnium materia ad inane neſcio quid currit, atque ut propius venit, aſſilit teneturque & complexu hæret. Sideritim ob hoc alio nomine appellant. *Plato in Dialogo, qui inſcribitur Io, & Philo Judæus lib. de mundi opificio, & Plinius lib. 34. cap. 14. & Galenus libro 1 de natural. facult. capite 14. & lib. de locis affectis capite 5. idem docent, quod hic D. Auguſtinus de virtute magnetis, quod ſcilicet non modo ferreos annulos attrahit, ſed etiam vim in eis indit, ut idem ipſum quod lapis faciant, id eſt, annulos attrahant, ut longiſſima quidem ferreorum annulorum ſeries continuo quodam contextu aptetur, ad quos omnes ex illo lapide vis ea omnino pertinet. De eodem Cicero lib. 1. de divinat. Dioſcorides libro 5. capite 93. Solinus cap. 55. equidem à Philoſophis diſputatum eſt, unde habeat tantam vim magnes, ut attrahat ferrum. Certe nihil aliud reſponderi poteſt, quam qualitatem quandam occultam eſſe inſitam ipſi magneti, quæ vim habeat ad ea attrahendum, quæ analogiam & cognationem quandam habeant cum ipſo attrahente. D. Thomas 3. contra Gentes cap. 92. & quæ 5. de verit. artic. 10. ad 5. vult hujusmodi virtutem attrahendi ferrū habere magnetem ex virtute cæleſtis corporis, quemadmopum lapides quidam & herbæ alias occultas virtutes, & in 4. diſtinct. 33. q. 1. art. 1. id dicit habere magnetem ex natura ſuæ ſpeciei.*

μ Quando juxta eum ponitur adamas.] *Plinius libro 37. capite 4.* Adamas diſſidet cum magnete lapide in tantum, ut juxta poſitus ferrum non patiatur abſtrahi; aut ſi admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat. *Et Solinus capite 55.* Inter adamantem & magnetem eſt quædam naturæ occulta diſſenſio, adeo ut juxta poſitus non ſinat magnetem rapere ferrum, vel ſi admotus magnes ferrum traxerit, quaſi prædam quandam, quicquid magneti hæſerit, adamas rapiat ac auferat.

ν India mittit hos lapides.] *Plinius lib. 36. cap. 16. author eſt in India primum repertum lapidem magnetem, & paſſim inveniri, ut in Hiſpania quoque. Legi poteſt & Solinus cap. 55.*

CAP. V.

Quanta ſint quæ non rectè queant agnoſci, & tamen eadem eſſe non ſit ambiguum.

VErum etiam homines infideles, quibus cùm divina vel præterita, vel futura miracula prædicamus, quæ illis experienda non valemus oſtendere, ratio-

rationem à nobis earum flagitant rerum, quam quoniam non poſſumus reddere: excedunt enim vires mentis humanæ, exiſtimant falſa eſſe quæ dicimus: ipſi de tot admirabilibus rebus, quas vel videre poſſumus, vel videmus, deberent reddere rationem. Quòd ſi fieri ab homine non poſſe viderint, fatendum eſt eis, *a* non ideo aliquid non fuiſſe, vel futurum non eſſe: quia ratio inde non poteſt reddi, quandoquidem ſunt iſta, de quibus ſimiliter non poteſt. Non itaque pergo per plurima, quæ mandata ſunt literis, non geſta atque transacta, ſed in locis quibusque manentia, quò ſi quisquam ire voluerit & potuerit, utrum vera ſint explorabit. *a* Sed pauca commemoro. *b β* Agrigentinum Siciliæ ſalem perhibent cùm fuerit admotus igni, velut in aqua fluescere: cùm vero aquæ, velut in igne crepitare. *c γ* Apud Garamantas quendam fontem tam frigidum diebus, ut non bibatur: tam fervidum noctibus, ut non tangatur. *d δ* In Epiro alium fontem, in quo faces ut in cæteris extinguuntur accenſæ, ſed non ut in cæteris, accenduntur extinctæ. *e ε* Asbeſton Arcadiæ lapidem propterea ſic vocari, quòd accenſus ſemel jam non poſſit extingui. *f ζ* Lignum cujusdam ficus Ægyptiæ non ut ligna cætera in aquis natare, ſed mergi, & quod eſt mirabilius, cùm in imo aliquandiu fuerit, inde ad aquæ ſuperficiem rurſus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere prægravari *g η* Poma in terra Sodomorum gigni quidem, & ad maturitatis faciem pervenire, ſed morſu preſſuve tentata in fumum ac favillam corio fatiſcente vaneſcere. *h θ* Pyriten lapidem Perſicum tenentis manum ſi vehementius prematur adurere, propter quod ab igne nomen accepit. In eadem Perſide gigni etiam *i* lapidem, *ι* ſelenitem, cujus interiorem candorem cum luna creſcere atque deficere. *k κ* In Cappadocia etiam vento equas concipere, eosdemque fœtus non amplius triennio vivere, *l λ* Tylon Indiæ inſulam eo præferri cæteris terris, quòd omnis arbor, quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum. *m* De his atque aliis innumerabilibus mirabilibusque hiſtoria non factorum & transactorum, ſed manentium locorum tenet. Mihi autem aliud agenti, ea perſequi, nimis longum eſt. Reddant rationem ſi poſſunt infideles iſti, qui nolunt divinis literis credere, quid aliud, quàm non putantes eas eſſe divinas, eo quòd res habeant incredibiles, ſicuti hoc eſt unde nunc agimus. Non enim admittit, inquiunt, ulla ratio, ut caro ardeat, nec abſumatur: doleat, neque moriatur, ratiocinatores videlicet magni, qui de omnibus rebus, quas eſſe mirabiles conſtat, poſſint reddere rationem. Reddant ergo rationem de his quæ pauca poſuimus, quæ proculdubio ſi eſſe neſcirent, & futura eſſe diceremus, *n* multò minus crederent, quàm quod nunc dicentibus nobis nolunt credere aliquando eſſe venturum. Quis enim eorum nobis crederet, ſi quemadmodum dicimus futura hominum viva corpora, quæ ſemper arſura atque dolitura, nec tamen aliquando moritura ſint, ita diceremus in futuro ſeculo futurum ſalem, quem faceret ignis, velut in aqua fluescere, eundemque faceret aqua velut in igne crepitare: aut futurum fon-

fontem, cujus aqua in refrigerio noctis ſic ardeat, ut non poſſit tangi: in æſtibus verò diei ſic algeat, ut bibi non poſſit: aut futurum lapidem, vel eum qui ſuo calore manum conſtringentis adureret, vel eum qui undecumque accenſus extingui omnino non poſſet, & cætera quæ prætermiſſis aliis innumeris commemoranda interim duxi. Hæc ergo in illo ſæculo, quod futurum eſt, ſi diceremus futura, nobisque increduli reſponderent, ſi vultis ut ea credamus, de ſingulis reddite rationem nos non poſſe confiteremur, eo quòd iſtis & ſimilibus Dei miris operibus infirma mortalium ratiocinatio vincitur: fixam tamen apud nos eſſe rationem, non ſine ratione omnipotentem facere. Unde animus humanus infirmus rationem non poteſt reddere: & in multis quidem rebus incertum nobis eſſe quid velit, illud tamen eſſe certiſſimum, nihil eorum illi eſſe impoſſibile, quæcunque voluerit: eíque nos credere prædicenti, quem neque impotentem, neque mentientem poſſumus credere. Hi tamen fidei reprehenſores, exactoresque rationis, quid ad iſta reſpondent, de quibus ratio reddi ab homine non poteſt, & tamen ſunt, & ipſi rationi naturæ videntur eſſe contraria: Quæ ſi futura eſſe diceremus, ſimiliter à nobis, ſicut eorum quæ futura eſſe dicimus, ab infidelibus ratio poſceretur: ac per hoc cùm talibus operibus Dei deficiat ratio cordis & ſermonis humani, ſicut iſta non ideo non ſunt, ſic non ideo etiam illa non erunt, quoniam ratio de utrisque ab homine non poteſt reddi.

a SEd pauca commemoro.] *Hæc omnia cùm apud alios alia, tum verò apud Plinium omnia ferè.* L.Vivu.

b Agrigentinum Siciliæ ſalem.] *Plin. lib. 21. flos verò ſalis non fit, niſi aquilonibus flantibus. In igne nec crepitat, nec exilit Tragaſeus, neque Acbantius ab oppido appellatus, neque ullius ſpuma, aut ramentum, aut tenuis. Agrigentinus ignium patiens, ex aqua exilit. Conficitur ſal ex marina aquæ ſpuma, quæ terreſtri materia concreſcit, & ceu colata per cineres aqua ſaporem illum trahit: idcirco Ariſtoteles ſpeciem quandam terræ ſalem eſſe dicit, quod ex aqua ſit, velut atra bilis ex humoribus corporis animantis: hinc in aqua ſolvitur, ab igne verò reſilit duritie ſua & frigore.*

c Apud Garamantas.] *Plin. lib. 5. Ultra eum deſerta, Matelgæ oppidum Garamantum, itemque Debris affuſo fonte à medio die ad mediam noctem aquis ferventibus totidem horis ad medium diem rigentibus. Aut hoc idem, aut certè ab hoc non multum disjunctus eſt fons celebratiſſ. Jovis Hammonis ejusdem ingenii, cujus etiam Plinius meminit lib. 2. cap. 106. De hoc Lucretius, Diodorus, Mela, Ovidius, Silius, Solinus, Arrianus.*

d In Epiro alium fontem.] *Mela lib. 2. In Epiro Dodonæi Jovis templum, & fons ideò ſacer, quòd quum ſit frigidus, & immerſas faces ſicut cæteri extinguat, ubi ſine igne procul admoventur, accendit, idem Plin. lib. 2. verbis ferè eisdem, ut ex Mela cepit.*

e Asbeſton Arcadiæ lapidem.] *Plin. lib. 38. Asbeſton in Arcadiæ montibus naſci ſcribit coloris ferrei: eſt ἄσβεςος, inextinguibilis: nam σβέννυμι, extinguo.* Asbeſtos

f Lignum cujuſdam ficus Ægyptiæ.] *Plin. lib. 13. cap. 7.*

Sodoma incendium. g Poma in terra Sodomorum.] *Quinque urbes ibi everſas legimus Sodomam, Gomorrham, Adamam, Seborin & Segor. Hæc poſtrema, inquit Oroſius, parva, reliquæ amplæ, ſed prima nominatiſſima. Solinus in Polyhiſtore: Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum, apud quæ pomum gignitur, quod habeat ſpeciem licèt maturitatis, mandi tamen non poteſt, nam fulginem intrinſecus favillaceam ambitio tantùm eximiæ cutis cohibet, quæ vel levi tactu preſſa fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem. Tacitus lib. ultimo: Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magniſq; urbibus habitatos fulminis jactu arſiſſe, & manere veſtigia, terramq; ſpecie torridam vim frugiferam perdiſſe, nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata ſive herbas tenues, aut flores, ſeu ſolitam in ſpeciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt. Ego ſicut Judaicas quondam urbes igne cœleſti flagraſſe conceſſerim, ita halitu lacus inſici terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eoq; fœtus ſegetum & autumni putreſcere reor, ſolo cœloq; juxta gravi. Sic ille. Hegeſippus, Ambroſio interprete lib. 4. quinque ita urbes incenſæ, quarum umbra quædam & ſpecies in favillis videtur. Arſere terræ, ardent aquæ, in quibus cœleſtis ignis reliquiæ cognoſcuntur atque adhuc manent: ſpecies illic ſpecie poma viridantia formatos uvarum racemos, ut edendi generent ſpectantibus cupiditatem: ſi capias, fatiſcunt, ac reſolvuntur in cinerem, fumumq; excitant, quaſi adhuc ardeant.*

Pyrites. *h* Pyriten lapidem Perſicum.] *Plinius libro ultimo: Pyrites niger quidem, ſed attritu digitos adurit. Dicitur ἀπὸ τῦ πυρὸς, ab igne. Idem lib. 36. Coralium, inquit, lapidem, quidam pyriten vocant, quoniam ſit plurimus ignis illi, ſed eſt alius etiamnum pyrites ſimilitudine æris.*

Selenites. *i* Lapidem ſelenitem] *Plin. lib. ultimo: Selenites ex candido tranſlucet melleo fulgore imaginem lunæ continens, redditq; eam in ſingulos creſcentis minuentisq; numero, naſciq; putatur in Arabia. Hæc Plinius ex Dioſcoride, unde alia permulta diſſimilato auctore, vel certè ex alio, quem Dioſcorides quoque ſecutus eſt. Porrò luna σελήνη eſt Græcis.*

k In Cappadocia etiam vento equas concipere.] *Sic Solinus in deſcriptione Cappadociæ, ſed de equabus Hiſpaniæ ad Tagum amnem, qui Luſitaniam interluit, plurimorum eſt opinio, Favonio vento impletas parere, ut Homerus tradidit, cui frequentes ſunt aſſenſi ſcriptores. Varro in ſecundo De re ruſt. & hunc ſecuti Columella, Plinius, & Plinii ſimia Solinus, Varro non plus triennia tales fœtus vivere exiſtimat. Juſtinus lib. ultimo ad maximos equorum proventus hoc refert, ut vento generati videantur, an quòd eo potiſſimum vento ſpirante concipiant.*

l Tilon Indiæ inſulam.] *Plin. lib. 12. Tilon in mari rubro ponit, ut etiam Theophraſtus, fert & palmas, oleaſq; ac vites, & cum reliquo pomorum genere ficos, nulli arborum folia ibi decidunt. Idem lib. 16. ait ex lignis hujus inſulæ, ſi fiant naves, inventum eſſe durare eas CC. annis.*

m De his atque.] *Sunt apud Plinium, Ariſtotelem, Theophraſtum, quæ numero comprehendi nequeunt iſtis etiam admirabiliora.*

n Mul-

η Multò minus crederent.] *Hoc eſt enim ingenium multorum, ut tantùm credant, quæ ipſi ratione aſſequuntur, cætera pro fictis repudient, quin & eò veſaniæ quidam proceſſerunt, ut cordatos ſe habitum iri, & circumſpectos homines exiſtiment, ſi fortiter nihil credant, niſi quod videant: ſecreta vel naturæ, vel Dei irriſu & aſpernatione vultus proſequantur, ideò non imprudenter, qui monet miracula naturæ non paſſim nec omnibus narranda.*

α NOn ideo aliquid non fuiſſe, vel futurum non eſſe, quia ratio inde non poteſt reddi.] *Quemadmodum ait Cicero lib. 1. de divinat. non ideo negandum eſſe divinationem, quia cauſam reddere nequimus, cur Caſſandra furens futura proſpiciat, Priamus ſapiens hoc idem facere non queat: ut ſi magnetem (inquit) lapidem eſſe dicam, qui ferrum ad ſe alliciat, & trahat, at rationem cur id faciat, adferre nequeam, fieri omnino neges.* F.L. Cap.

β Agrigentinum Siciliæ ſalem.] *Plinius libr. 31. cap. 7.* Agrigentinus ſal ignium patiens ex aqua exilit. *& quidem id videtur repugnare naturæ ſalis. Solet enim in igne crepitare, ita* Tragaſæus nec in igne crepitat nec exſilit. *Iſidorus libr. 16. Originum capite 2. & Solinus in polyhiſt. cap. 11.* Salem Agrigentinum ſi igni junxeris diſſolvitur uſtione, cui ſi liquor aquæ proximaverit, crepitat veluti ſi torreatur.

γ Apud Garamantas quendam fontem.] *Iſidorus libro 13. capite 13. Plinius libro 5. capite 5. paulo aliter ſcribit:* Matelgæ oppidum Garamantum, itemque Debris affuſo fonte à medio die ad mediam noctem aquis ferventibus, totidemque horis ad medium diem rigentibus. *Simile quid narrat lib. 2. cap. 103.* Jovis Ammonis fons interdiu frigidus noctibus fervet. *Atque ibi plura de miraculis fontium, ut & lib. 31. capite 2. Solinus hujusmodi miraculum de fonte Garamantum narrat. cap. 32.* Garamantum oppidum eſt Debris fonte miro, qui denique alternis vicibus die frigeat, nocte ferveat, ac per eadem venarum commercia interdum ignito vapore æſtuet, interdum glaciali horrore algeſcat, incredibile memoratu, ut tam brevi temporis curriculo natura tam diſſonam ſui faciat varietatem. Idque qui percunctari velit tenebris, ineſſe flumini illi æternam facem credat; qui rimetur die brumales ſcatebras, nunquam aliud exiſtimet, quam perpetuo rigere.

δ In Epiro alium fontem.] *Plinius libro 2. capite 103.* In Dodone Jovis fons cum ſit gelidus, & immerſas faces extinguat, ſi extinctæ admoveantur, accendit, *Iſidorus lib. 13. orig. capite 13. Solinus capit. 13.* In Epiro ſacer fons eſt frigidus ultra omnes aquas, & ſpectatæ diverſitatis. Nam ſi in eum ardentem immergas facem, extinguit, ſi procul ac ſine igni admoveas, ſuopte ingenio inflammat. *Mela lib. 2. capite 3.*

ε Asbeſton Arcadiæ lapidem.] *Plinius libro 37. capite 10.* Asbeſtos in Arcadiæ montibus naſcitur coloris ferrei. *Iſidorus libro 16. Orig. capite 4. Solinus cap. 13.* Nec lapidem ſpreverimus, quem Arcadia mittit: Asbeſto nomen eſt, ferri colore, qui accenſus ſemel extingui nequit.

ζ Lignum cujusdam ficus Ægyptiæ.] *Plinius libr. 7. cap. 13. Solinus cap. 35.*

η Poma in terra Sodomorum gigni quidem.] Ita ſcite ſcripſit *Joſephus lib. 5.*

de bello Judaico, adhuc in ea regione divini ignis reliquias cerni, renaſcentes nempe in fructibus cineres, nam colore quidem & ſpecie aliorum fructuum ſunt perſimiles, tactu vero in carpentium manibus reſolvuntur in fumum & cinerem. *Id etiam teſtantur ſcriptores Ethnici. Solinus capite 38. tradit poma illic gigni, quæ licet habeant ſpeciem maturitatis, mandi tamen non poſſunt.* Nam fuliginem intrinſecus favillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, vel levi tactu preſſa fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem. *Et Cornel. Tacitus lib. 5. hiſtoriarum teſtatur, campos illos quondam uberrimos & amœniſſimos fulminum ictu arſiſſe, terramque ſpecie torridam vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta manu ſata aut ſponte edita, ſive herba tenus aut flore ſeu ſolitam in ſpeciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt.*

θ Pyritem lapidem.] *Plinius lib. 36. cap. 19. & lib. 37. cap. 11. Iſidorus. lib. 16. Origin. cap. 4. Dioſcorides libro 5. cap. 89. Solinus cap. 40.*

ι Lapidem Selenitem.] *Plinius lib. 37. cap. 10. Dioſcorides libro 5. cap. 93.* Selenites lapis, quem aliqui aphroſelenon appellarunt, quando noctu invenitur lunæ imaginem reddere, qui cum ea quidem augetur & decreſcit. *Iſidorus lib. 16. Orig. cap. 4. Latine Lunaris* interpretatur.

κ In Cappadocia etiam vento equas concipere.] *Solinus cap. 47. Idem refert & Plinius lib. 8. cap. 42.* de equabus in Luſitania circa Oliſipponem oppidum & Tagum amnem favonio flante obverſas animalem concipere ſpiritum, idque partum fieri & gigni perniciſſimum ita, ſed triennium vitæ non excedere. *Columella lib. 7. cap. 26. & Varro id incredibile quidem eſſe, tamen verum aſſerit. Id fabuloſum merito ſcribit Juſtinus lib. 44. eamque fabulam natam eſſe ex equarum fœcunditate, & gregum multitudine, qui tot in Gallecia & Luſitania ac tam pernices viſuntur, ut non immerito vento concepti videantur.*

λ Tylon Indiæ inſulam.] *de Tylo inſula Plinius libr. 6. cap. 28. & lib. 12. cap. 10. & lib. 16. cap. 41. eam ſcribit eſſe inſulam maris rubri, & Alexandri magni comites prodidiſſe in ea eſſe arbores, ex quibus naves fierent, quas ducentis annis durantes inventas, & ſi ſubmergerentur, incorruptas.*

μ De his atque aliis innumerabilibus mirabilibusque.] *De quibus Ariſtoteles, Plinius, Solinus, Theophraſtus, Mela & alii, ut non modo ex operibus gratiæ, verum etiam naturæ ſummi illius opificis bonitatem, potentiam & ſapientiam, admirari liceat, non ſecus ac imagines ipſas aut ſtatuas contemplando non tam illas admiramur, quam artem pingendi vel ſculpendi, imo ut præclare dictum ab Ariſtotele libro 1. de partib. animal. capite 5.* nulla res eſt naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. *Et plum quidem admirationi prius erant, cum eorum cauſas homines ignorarent, verum ex admiratione, cœperunt philoſophari, ac talium naturæ effectuum cauſas rimari, quas ubi deprehenderunt, tum mirari ceſſaverunt, ut ubi eclipſeos Solis cauſam invenere, nempe interpoſitionem Lunæ inter Solem & aſpectum noſtrum: Verum plurima ſunt in natura, quorum cauſas etiam ſummo ſtudio & magno ingenio Philoſophi non deprehenderunt. Voluit enim Deus author naturæ aliqua in eſſe miracula, in quibus eum admirari liceret, cum in his alioquin effectis conſiderandu*

dis non tam conſiſtere debeamus, quam inde altius in Dei autoris ſapientiam conſiderandam exſurgere, utque inde intelligamus captu mentis noſtræ longe majorem eſſe Dei potentiam, & ut nobis eſſent argumento non eſſe alioqui impoſſibilia tot miracula Dei, quæ in ſcripturis ſacris habentur, utque inde facilius homines ſibi vera eſſe perſuaderent, quæ nulla ratio, ſed ipſa duntaxat fides docet. Hoc ergo argumento uſus eſt Auguſtinus contra infideles, qui quod ſcriptura futurum teſtantur, corpora impiorum poſt reſurrectionem immortalia futura, & ſi perpetuis ignibus crucianda, nec tamen conſumenda, ſibi perſuadere non poterant.

Cap. VI.

Quòd non omnia miracula naturalia ſint, ſed pleraque humano ingenio modificata, pleraque autem dæmonum arte compoſita.

Hic fortè reſpondeant, prorſus nec iſta ſunt, nec iſta credimus, falſa de his dicta, falſa conſcripta ſunt, & adjiciant ratiocinantes, atque dicentes: Si talia credenda ſunt, *a* credite & vos, quod in easdem literas eſt relatum, fuiſſe vel eſſe quoddam Veneris phanum, *a β* atque ibi candelabrum, & in eo lucernam ſub divo ſic ardentem, ut eam nulla tempeſtas, nullus imber extingueret, unde, ſicut ille lapis, ita iſta, *b* λύχνος ἄσβεστος, id eſt, lucerna inextinguibilis nominata eſt. Quod propterea poterunt dicere, ut reſpondendi nobis anguſtias ingerant: quia ſi dixerimus, non eſſe credendum, ſcripta illa miraculorum infirmabimus: ſi autem credendum eſſe conſenſerimus, confirmabimus numina paganorum. Sed nos ſicut jam in illo duodevigeſimo hujus operis dixi, non habemus neceſſe omnia credere, quæ continet hiſtoria gentium, cùm & ipſi inter ſe hiſtorici, ſicut ait Varro, quaſi data opera, & quaſi ex induſtria permulta diſſentiant, ſed ea, ſi volumus, credimus, quæ non adverſantur libris, quibus non dubitamus, oportere nos credere. De his autem miraculorum locis, nobis ad ea, quæ futura perſuadere incredulis volumus, ſatis illa ſufficiant, quæ nos quoque poſſumus experiri, & eorum teſtes idoneos non difficile eſt invenire. De iſto autem phano Veneris, & lucerna inextinguibili, non ſolùm in nullas coartamus anguſtias, verùm etiam latitudinis nobis campus aperitur. Addimus enim ad iſtam lucernam inextinguibilem & humanarum & magicarum, id eſt, per homines dæmoniacarum artium, & ipſorum per ſeipſos dæmonum multa miracula. Quæ ſi negare voluerimus, eidem ipſi, cui credimus, ſacrarum literarum adverſabimur veritati. Aut ergò in lucerna illa *γ* mœchanicum aliquid *c* de lapide asbeſto ars humana molita eſt, *d δ* aut arte magica factum eſt, quod homines illo mirarentur in templo, aut dæmon quiſpiam ſub nomine Veneris tanta ſe efficacia præſentavit, ut hoc ibi prodigium & appareret hominibus, & diutius permaneret. *ε* Illiciuntur *e* autem dæmones ad inhabitandum per creaturas, *ζ* quas *f* non ipſi, ſed Deus condidit, delectabilibus pro ſua diverſitate diverſis, non ut animalia cibis, ſed ut ſpiritus ſignis, quæ cujusque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Ut autem illiciantur ab hominibus, prius eos ipſi aſtutiſſima calliditate ſeducunt,

vel inſpirando, eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitiis apparendo, eorumque paucos diſcipulos ſuos faciunt, plurimorumque doctores. Neque enim potuit niſi primùm ipſis docentibus diſci, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur, unde magicæ artes earumque artifices extiterunt. Maximè autem poſſident corda mortalium, qua potiſſimùm poſſeſſione gloriantur, cùm ſe transfigurant in Angelos lucis. Sunt ergò facta eorum plurima, quæ quantò magis mirabilia confitemur, tantò cautius vitare debemus. Sed ad hoc, unde nunc agimus, nobis etiam ipſa proficiunt. Si enim hæc immundi dæmones poſſunt, tantò potentiores ſunt ſancti Angeli, quantò potentior his hominibus Deus, qui tantorum miraculorum effectores etiam ipſos Angelos fecit. *g* Quamobrem ſi tot & tanta tamque mirifica, quæ *μηχανήματα* appellant, Dei creatura utentibus humanis artibus fiunt, ut ea, qui neſciunt, opinentur eſſe divina: *h η* unde factum eſt, ut in quodam templo lapidibus magnetibus in ſolo & in camera proportione magnitudinis poſitis, ſimulachrum ferreum aëris illius medio inter utrumque lapidem, ignorantibus quid ſurſum eſſet ac deorſum, quaſi numinis poteſtate penderet: quale aliquid etiam in illa lucerna Veneris de lapide asbeſto artifice fieri potuiſſe jam diximus: ſi magorum opera, quos noſtra ſcriptura veneficos & incantatores vocat, in tantum dæmones extollere potuerunt, ut congruere hominum ſenſibus ſibi nobilis poëta videtur, de quadam fœmina, quæ tali arte polleret, dicens:

2. Cor. 11.

Virg. 4. Æn.

i Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes
Quas velit, aſt aliis duras immittere curas:
Siſtere aquam fluviis, & vertere ſidera retro:
Nocturnosq; ciet manes mugire videbis
Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos:

Quanto magis Deus potens eſt facere, quæ infidelibus ſunt incredibilia, ſed illius facilia poteſtati, quandoquidem ipſe lapidum aliarumque vim rerum & hominum ingenia, qui ea miris utuntur modis, angelicasque naturas omnibus terrenis potentiores animantibus condidit: univerſa mirabilia, mirabili vincente virtute, & operandi, jubendi, ſinendique ſapientia: utens omnibus tam mirabiliter quàm creavit?

L. Vives. *a* ATque ibi candelabrum & in eo lucernam.] *Ubi templum hoc ſit non ſatis memini legiſſe me: ſi quando vel in mentem redeat, vel legendo occurrat ſubmonebimus.*

b λύχνος ἄσβεστος.] *Lucerna inextinguibilis. Eſt enim lychnus lucerna, & candelabra, quæ lucernas continent, lychnuchi nominantur, quaſi lucernas continentia, λυχνοῦχοι, ſicut legitur in vetuſtis exemplaribus Suetonii in Caſare, & Plin. lib. 34. ut hoc annotavit Hermolaus, illud Politianus, & poſt eum Egnatius.*

c De lapide Asbeſto.] *Aut etiam lino, quod ignibus non abſumatur: nam eſſe talem lini ſpeciem Plin. tradit lib. 19. vivum id vocant, Græci ἄσβεστον, ex argumento naturæ: qualia Pariſiis vidimus elychnia per multa ego & Petrus Garſias Lalous*

condi-

condiſcipulus mihi & ſumma familiaritate conjunctiſſimus, quale & in hac regione mantile medio convivio igni datum, redditumque domino mundius ſplendentiusque, quam poſſet aquis & ſmegmatis quibuslibet: ſicut ſe mappas vidiſſe Plinius teſtatur in idem experimentum.

d Aut arte magica factum eſt.] *Erutum eſt ſepulchrum memoria patrum, in quo ardebat lucerna condita ibi, ut ex inſcriptione apparebat ſupra milleſimum & quingenteſimum annum, eaque toto exemplo, ut contrectari cœpta eſt, inter admotas manus friata in tenuiſſimum abiit pulverem.*

e Illiciuntur autem dæmones ad inhabitandum.] *Dixi de hoc lib. 8. & 10. quemadmodum ipſi homines edocuiſſent, quibus potiſſimum delectarentur rebus, tenerenturq; &c. Infinita enim ſunt hæc, ut ipſi innumeri, & diverſis contrariisque ſæpenumero ingeniis, ut nihil fere naſcatur ſub luna, quod ad aliquos alliciendos dæmones valeat, & ad magicam facultatem conferat, ſicut Michael Pſellus docet in lib. de Dæmonibus.*

f Quas non ipſi ſed Deus condidit.] *Obiter vitandam monet Manichæi hæreſim, qui multa eſſe à dæmonibus creata dicebant, ne quis putaret dæmones creaturis ſuis ceu parentes filiis capi & detineri: μηχανήματα appellant, excogitata artis opera: μηχανῶμαι.*

g Quamobrem.] *Attende longiſſimum hyperbaton.*

h Unde factum eſt, ut in quodam templo.] *Alexandriæ in templo Serapidis, de quo Ruffinus Aquilien. lib. 11. Eccleſiaſt. hiſtoriæ. Erat & aliud fraudis genus hujusmodi: Natura lapis magnetis virtutis eſſe perhibetur, ut ad ſe rapiat & attrahat ferrum: ſignum ſolis ad hoc ipſum ferro ſubtiliſſimo manu artificis fuerat fabricatum, ut lapis cujus naturam ferrum ad ſe trahere diximus, deſuper in laquearibus fixus, cum temperate ſub ipſo ad libram fuiſſet poſitum, ſimulachrum vi naturali ad ſe raperet ferrum, aſſurrexiſſe paululum ſimulachrum, & in aere pendere videretur. Sic ille.*

i Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes.] *Verg. 4. Æneid. verbis Didonis de maga.*

α CRedite & vos quod in eaſdem literas eſt relatum.] *Præſagiens dæmon religionem Chriſtianam, quæ via eſt ad ſalutem, miraculis confirmandam, & homines ab errore ad veritatem non niſi miraculis eſſe revocandos tum à Chriſto tum ab Apoſtolis & viris ſanctiſſimis, propterea ut ſibi etiam divinitatem arrogaret, vel ne aliquid poſſe Chriſtum & ſuos hominibus perſuaderet, quod ille etiam efficere non poſſet. falſis & emenditis miraculis vel certe non eſſe aliquid novum in mundo, quæ fierent invocatione Chriſti miracula, vel ea non niſi artibus magicis fieri, ut infideles interpretabantur, perſuadere conatus eſt.* F.L.Coq.

β Atque ibi candelabrum & in eo lucernam.] *Id quidem opera dæmonum fieri poterat, ut ea lucerna ſic ardens nullis imbribus extingui poſſet, quemadmodum & id quod refert Plinius libro 2. capite 96.* celebre fanum habuiſſe Veneris Paphon, in cujus quandam aream non implueret, ut in Nea oppido Troadis circa ſimulacrum Minervæ. *Poteſt enim dæmon impedire naturales cauſas, earumque actiones, & quod*

Digitized by Google

& quod lucerna illa non extingueretur, eadem opera dæmonis fieri potuit, qua etiam factum eſſe refert Theodoretus lib. 1. hiſt. cap. 21. ne templum quoddam Apollinis combureretur, cui tamen ignis erat admotus. Et ſimilia hujuſmodi ignis miracula refert Plin. lib. 2. cap. 107.

γ Mechanicum aliquid de lapide asbeſto.] *Etſi dæmones non poſſint impedire actiones qualitatum naturalium in externam materiam, quemadmodum ne ignis calefaciat, vel ne aqua refrigeret, poteſt tamen interdum adhibere aliquam contrariam cauſam, qua efficiat ne quid res aliqua ab igne patiatur. Sunt enim multa in natura, quæ nihil ab igne pati poſſunt, quæ nobis quidem incognita, ipſi tamen Dæmoni ſunt perſpecta, ita judicandum dæmones impediviſſe, ne templum Apollinis combureretur, vel ne lucerna illa Veneris extingueretur.*

δ Aut arte magica factum eſt quod homines mirarentur.] *Etſi enim magi non poſſint ulla miracula, ſi proprie loquamur, edere, cum ea ſint, quæ excedunt omnem naturæ potentiam, & quorum nullæ ſunt rationes ſeminales in terra, poſſunt tamen multa mirabilia ſecundum quid ſeu reſpectu noſtri operari opera dæmonis Deo ita permittente. Norunt enim ex quibus cauſis qui effectus in natura ſequantur, quæ alioquin nobiſcum cum ſint incognita, miramur, cum hujuſmodi effectus producuntur.*

ε Illiciuntur autem dæmones.] *Platonici exiſtimarunt quibusdam generibus rerum dæmones neceſſario allici, ut fuſe docet Proclus lib. de ſacrific. & Magia, & inde magiam omnem contendit eſſe naturalem, quia dæmones rebus quibusdam ſibi cognitis cogantur in ſacrificiis apparere, cujus rei plurima adfert argumenta. Eandem rem perſequitur Porphyrius lib. de occaſionibus ſub finem, & Pſellus de dæmon cap. ultim. hoc ipſum ait ſe didiciſſe à quodam M. Epheſio, qui dæmonibus familiariter utebatur, nullum nempe eſſe genus rerum, quo certi aliqui dæmones allici non poſſint. Hic videtur in eadem eſſe ſententia D. Auguſtinus, cum ſcribit dæmones ab hominibus allici non tanquam animalia cibis, ſed ut res ſpirituales ſignis ut herbis, lapillis, carminibus & aliis id genus; quæ quidē antea à dæmonibus ipſis hominibus fuere declarata. Statuendum nihilominus nullis rebus naturalibus vel cogi dæmones, vel neceſſario allici poſſe. Nulla enim corporalia tantam vim habent in ſpirituales ſubſtantias. Quod vero ſimulent ſe aliquando adeſſe, id faciunt ut hominibus imponant, nec magi aut malefici dæmonem cogere poſſunt, cum nec naturalem, nec ſupernaturalem aliquam potentiam habeant in dæmones, ſed expacto initio illi adſunt, & quando ſimulant ſe velut invitos cogi in eare tantum homines fallunt juxta verba Henrici de Haſſia in Geneſim, adducta à patre Delrio lib. 2. diſquiſit. magica. quæſt 30. ſect. 3.* Ipſe ſimulat ſe captum, ut te capiat, ſe vinctum ut te vinciat, ſe tuo imperio ſubditum, ut te ſibi ſubdat, à te incluſum, ut contra te finaliter includat, fingit ſe tua arte vel imagini vel lapidi alligatum, ut funibus religatum te ad infernum perducat.

ζ Quas non ipſi, ſed Deus condidit.] *Contra Simonem Magum, qui ab Angelis mundum factum dicebat. Irenæus libro 1. cap. 20. & Menandrum illius ſucceſſorem qui idem docebat. Idem capite 21. Saturninus, à ſeptem Angelis factum capite 22. etiam teſtantur Tertullianus, Epiphanius, Theodoretus, Auguſtinus & Philaſtrius; contra quam hæreſim diſputat idem Irenæus lib. 2. cap. 2.*

η Unde

n Unde factum eſt ut in quodam templo.] *Id refert Ruffinus lib. 2. hiſt. cap. 23. inter fraudes, quæ repertæ ſunt in templo Serapidis apud Alexandriam*; Erat (*inquit*) aliud fraudis genus hujusmodi, natura lapidis magnetis hujus virtutis eſſe perhibetur, ut ad ſe rapiat & attrahat ferrum, Signum ſolis ad hoc ipſum ex ferro ſubtiliſſima manu artificis fuerat fabricatum, ut lapis, cujus naturam ferrum ad ſe trahere diximus, deſuper, in laquearibus fixus cum temperate ſub ipſo radio ad libram fuiſſet poſitum ſimulacrum, & vi naturali ad ſe raperet ferrum, aſſurrexiſſe populo ſimulacrum, & in aere pendere videretur. *Idem refert & Proſper parte 3. de prædict. cap. 38.* Apud Alexandriam in templo Serapidis hoc argumentum dæmonis fuit, quadriga ferrea nulla baſi ſuffulta, nullis uncis infixis parietibus colligata, in aere pendens cunctis ſtuporem ac velut divinum ſubſidium oculis mortalium exhibebat, quum tamen lapis magnes, qui ferrum ſibimet attributum ſuſpendit, eo loco cameræ affixus totam illam machinam ſuſtentabat. Itaque cum quidam Dei ſervus inſpiratus id intellexiſſet, magnetē lapidem è camera ſubſtraxit, ſtatimque omne illud oſtentum cadens confractum comminutumque oſtendit divinum non eſſe, quod mortalis homo firmaverat.

CAP. VII.

Quòd in rebus miris ſumma credendi ratio ſit omnipotentia creatoris.

CUr *a* itaque facere non poſſit Deus, ut & reſurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum in cœlo, in terra, in aëre, in aquis, *a* innumerabilibus miraculis plenum: cùm ſit omnibus, quibus plenus eſt procul dubio majus, & excellentius etiam ipſe mundus miraculum? Sed iſti, cum quibus vel contra quos agimus, qui & Deum eſſe credunt, à quo factus eſt mundus, & deos ab illo factos, per quos ab illo adminiſtratur mundus, & miraculorum effectrices, ſive ſpontaneorum, ſive cultu & ritu quolibet impetratorum, ſive etiam magicorum mundanas vel non negant, vel inſuper & prædicant poteſtates, quando eis rerum vim mirabilem proponimus aliarum, quæ nec animalia ſunt rationalia, nec ulla ratione præditi ſpiritus, ſicut ea, quorum pauca commemoravimus, reſpondere aſſolent: Vis eſt iſta naturæ, natura eorum ſic ſe habet, propriarum iſtæ ſunt efficaciæ naturarum. Tota itaque ratio eſt, cur Agrigentinum ſalem flamma fluere faciat, aqua crepitare: quia hæc eſt natura ejus. At hoc eſſe potius contra naturam videtur, quæ non igni, ſed aquæ dedit ſalem ſolvere, torrere autem igni non aquæ. Sed iſta, inquiunt, ſalis hujus naturalis eſt vis, ut his contraria patiatur. Hæc igitur ratio redditur, & de illo fonte Garamantico, ubi una vena friget diebus, noctibus fervet, vi utraque moleſta tangentibus. Hæc de illo alio, qui cùm ſit contrectantibus frigidus, & facem ſicut alii fontes extinguat accenſam: diſſimiliter tamen atque mirabiliter idem ipſe accendit extinctam. Hæc & de lapide asbeſto, qui cùm ignem nullum habeat proprium, accepto tamen ſic ardet alieno, ut

& quod lucerna illa non extingueretur, eadem opera dæmonis fieri potuit, qua etiam factum eſſe refert Theodoretus lib. 1. hiſt. cap. 21. ne templum quoddam Apollinis combureretur, cui tamen ignis erat admotus. Et ſimilia hujuſmodi ignis miracula refert Plin. lib. 2. cap. 107.

γ Mechanicum aliquid de lapide asbeſto.] *Etſi dæmones non poſſint impedire actiones qualitatum naturalium in externam materiam, quemadmodum ne ignis calefaciat, vel ne aqua refrigeret, poteſt tamen interdum adhibere aliquam contrariam cauſam, qua efficiat ne quid res aliqua ab igne patiatur. Sunt enim multa in natura, quæ nihil ab igne pati poſſunt, quæ nobis quidem incognita, ipſi tamen Dæmoni ſunt perſpecta, ita judicandum dæmones impediviſſe, ne templum Apollinis combureretur, vel ne lucerna illa Veneris extingueretur.*

δ Aut arte magica factum eſt quod homines mirarentur.] *Etſi enim magi non poſſint ulla miracula, ſi proprie loquamur, edere, cum ea ſint, quæ excedunt omnem naturæ potentiam, & quorum nullæ ſunt rationes ſeminales in terra, poſſunt tamen multa mirabilia ſecundum quid ſeu reſpectu noſtri operari opera dæmonis Deo ita permittente. Norunt enim ex quibus cauſis qui effectus in natura ſequantur, qua alioquin nobiſcum cum ſint incognita, miramur, cum hujuſmodi effectus producuntur.*

ε Illiciuntur autem dæmones.] *Platonici exiſtimarunt quibuſdam generibus rerum dæmones neceſſario allici, ut fuſe docet Proclus lib. de ſacrific. & Magia, & inde magiam omnem contendit eſſe naturalem, quia dæmones rebus quibuſdam ſibi cognitis cogantur in ſacrificiis apparere, cujus rei plurima adfert argumenta. Eandem rem perſequitur Porphyrius lib. de occaſionibus ſub finem, & Pſellus de dæmon cap. ultim. hoc ipſum ait ſe didiciſſe à quodam M. Epheſio, qui dæmonibus familiariter utebatur, nullum nempe eſſe genus rerum, quo certi aliqui dæmones allici non poſſint. Hic videtur in eadem eſſe ſententia D. Auguſtinus, cum ſcribit dæmones ab hominibus allici non tanquam animalia cibis, ſed ut res ſpirituales ſignis ut herbis, lapillis, carminibus & aliis id genus; quæ quidē antea à dæmonibus ipſis hominibus fuere declarata. Statuendum nihilominus nullis rebus naturalibus vel cogi dæmones, vel neceſſario allici poſſe. Nulla enim corporalia tantam vim habent in ſpirituales ſubſtantias. Quod vero ſimulent ſe aliquando adeſſe, id faciunt ut hominibus imponant, nec magi aut malefici dæmonem cogere poſſunt, cum nec naturalem, nec ſupernaturalem aliquam potentiam habeant in dæmones, ſed expacto initio illi adſunt, & quando ſimulant ſe velut invitos cogi in ea re tantum homines fallunt juxta verba Henrici de Haſſia in Geneſim, adducta à patre Delrio lib. 2. diſquiſit. magica. quæſt 30. ſect. 3.* Ipſe ſimulat ſe captum, ut te capiat, ſe vinctum ut te vinciat, ſe tuo imperio ſubditum, ut te ſibi ſubdat, à te incluſum, ut contra te finaliter includat, fingit ſe tua arte vel imagini vel lapidi alligatum, ut funibus religatum te ad infernum perducat.

ζ Quas non ipſi, ſed Deus condidit.] *Contra Simonem Magum, qui ab Angelis mundum factum dicebat. Irenæus libro 1. cap. 20. & Menandrum illius ſucceſſorem qui idem docebat. Idem capite 21. Saturninus, à ſeptem Angelis factum capite 22. etiam teſtantur Tertullianus, Epiphanius, Theodoretus, Auguſtinus & Philaſtrius; contra quam hæreſim diſputat idem Irenæus lib. 2. cap. 2.*

η Unde

n Unde factum eſt ut in quodam templo.] *Id refert Ruffinus lib. 2. hiſt. cap. 23. inter fraudes, quæ reperta ſunt in templo Serapidis apud Alexandriam*; Erat (*inquit*) aliud fraudis genus hujusmodi, natura lapidis magnetis hujus virtutis eſſe perhibetur, ut ad ſe rapiat & attrahat ferrum. Signum ſolis ad hoc ipſum ex ferro ſubtiliſſima manu artificis fuerat fabricatum, ut lapis, cujus naturam ferrum ad ſe trahere diximus, deſuper, in laquearibus fixus cum temperate ſub ipſo radio ad libram fuiſſet poſitum ſimulacrum, & vi naturali ad ſe raperet ferrum, aſſurrexiſſe populo ſimulacrum, & in aere pendere videretur. *Idem refert & Proſper parte 3. de prædict. cap. 38.* Apud Alexandriam in templo Serapidis hoc argumentum dæmonis fuit, quadriga ferrea nulla baſi ſuffulta, nullis uncis infixis parietibus colligata, in aere pendens cunctis ſtuporem ac velut divinum ſubſidium oculis mortalium exhibebat, quum tamen lapis magnes, qui ferrum ſibimet attributum ſuſpendit, eo loco cameræ affixus totam illam machinam ſuſtentabat. Itaque cum quidam Dei ſervus inſpiratus id intellexiſſet, magnetē lapidem è camera ſubſtraxit, ſtatimque omne illud oſtentum cadens confractum comminutumque oſtendit divinum non eſſe, quod mortalis homo firmaverat.

Cap. VII.

Quòd in rebus miris ſumma credendi ratio ſit omnipotentia creatoris.

Cur *a* itaque facere non poſſit Deus, ut & reſurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum in cœlo, in terra, in aëre, in aquis, *a* innumerabilibus miraculis plenum: cùm ſit omnibus, quibus plenus eſt procul dubio majus, & excellentius etiam ipſe mundus miraculum? Sed iſti, cum quibus vel contra quos agimus, qui & Deum eſſe credunt, à quo factus eſt mundus, & deos ab illo factos, per quos ab illo adminiſtratur mundus, & miraculorum effectrices, ſive ſpontaneorum, ſive cultu & ritu quolibet impetratorum, ſive etiam magicorum mundanas vel non negant, vel inſuper & prædicant poteſtates, quando eis rerum vim mirabilem proponimus aliarum, quæ nec animalia ſunt rationalia, nec ulla ratione præditi ſpiritus, ſicut ea, quorum pauca commemoravimus, reſpondere aſſolent: Vis eſt iſta naturæ, natura eorum ſic ſe habet, propriarum iſtæ ſunt efficaciæ naturarum. Tota itaque ratio eſt, cur Agrigentinum ſalem flamma fluere faciat, aqua crepitare: quia hæc eſt natura ejus. At hoc eſſe potius contra naturam videtur, quæ non igni, ſed aquæ dedit ſalem ſolvere, torrere autem igni non aquæ. Sed iſta, inquiunt, ſalis hujus naturalis eſt vis, ut his contraria patiatur. Hæc igitur ratio redditur, & de illo fonte Garamantico, ubi una vena friget diebus, noctibus fervet, vi utraque moleſta tangentibus. Hæc de illo alio, qui cùm ſit contrectantibus frigidus, & facem ſicut alii fontes extinguat accenſam: diſſimiliter tamen atque mirabiliter idem ipſe accendit extinctam. Hæc & de lapide asbeſto, qui cùm ignem nullum habeat proprium, accepto tamen ſic ardet alieno, ut non

non poſſit extingui. Hæc de cæteris, quæ piget retexere, quibus licet vis inſolita contra naturam ineſſe videatur: alia tamen de illis non redditur ratio, niſi ut dicatur, hanc eorum eſſe naturam. Brevis ſanè iſta eſt ratio, fateor, *b* ſufficiensque reſponſio. Sed cùm Deus autor ſit naturarum omnium, cur volunt fortiorem nos reddere rationem, quando aliquid velut impoſſibile nolunt credere, eiſque redditionem rationis poſcentibus reſpondemus, hanc eſſe voluntatem omnipotentis Dei, *β* qui certè non ob aliud vocatur omnipotens, niſi quoniam quicquid vult, poteſt: qui potuit creare tam multa, *γ* quæ ſi non oſtenderentur, aut à credendis hodieque teſtibus dicerentur, profectò impoſſibilia putarentur, non ſolùm quæ ignotiſſima apud nos, verùm etiam quæ notiſſima poſui. Illa enim, quæ præter eos, quorum de his libros legimus, non habent teſtem, & ab eis conſcripta ſunt, qui non ſunt divinitus docti atque humanitus falli fortè potuerunt: licet cuique ſine recta reprehenſione non credere. Nam nec ego volo temerè credi cuncta, quæ poſui, quia nec à meipſo ita creduntur, tanquam nulla de illis ſit in mea cogitatione dubitatio, exceptis hís, quæ vel ipſe ſum expertus, & cuivis facile eſt experiri: ſicut de calce, quod fervet in aqua, in oleo frigida eſt: de magnete lapide, quod neſcio, qua ſorbitione inſenſibili ſtipulam non moveat, & ferrum rapiat: de carne non putreſcente pavonis, cùm putruerit & caro Platonis: de palea ſic frigente, ut flueſcere nivem non ſinat, ſic calente, ut matureſcere poma compellat: de igne fulgido, quòd ſecundùm ſuum fulgorem lapides coquendo candificet, & contra eundem ſuum fulgorem urendo plurima obfuſcet. Tale eſt, quòd & nigræ maculæ offunduntur ex oleo ſplendido, ſimiliter nigræ lineæ de candido imprimuntur argento. De carbonibus etiam, quòd accedente igne ſic vertantur in contrarium, ut de lignis pulcherrimis tetri, fragiles de duris, imputribiles de putribilibus fiant. Hæc ipſe quædam cum multis, quædam cum omnibus novi, & alia plurima, quæ huic libro inſerere longum fuit. De his autem, quæ poſui non experta, ſed lecta, præter de fonte illo, ubi faces extinguuntur ardentes, & accenduntur extinctæ, & de pomis terræ Sodomorum forinſecus, quaſi maturis intrinſecus fumeis, nec teſtes aliquos idoneos, à quibus utrum vera eſſent, audirem, potui reperire. Et illum quidem fontem non inveni, qui in Epiro vidiſſe ſe dicerent, ſed qui in Gallia ſimilem noſſent, *c δ* non longè à Gratianopoli civitate. De fructibus autem Sodomitarum arborum, non tantùm literæ fide dignæ indicant, verùm etiam tam multi ſe loquuntur expertos, ut hinc dubitare non poſſim. Cætera verò ſic habeo, ut neque affirmanda neque neganda decreverim, ſed ideò etiam ipſa poſui, quoniam apud eorum, contra quos agimus, hiſtoricos legi: ut oſtenderem, qualia multa, multique illorum nulla reddita ratione, in ſuorum literatorum ſcripta literis credant qui nobis credere, quando id, quod eorum experientiam ſenſumque tranſgredantur, omnipotentem Deum dicimus eſſe facturum, nec hac reddita ratione dignantur. Nam quæ *ε* melior & validior ratio de rebus talibus redditur, quam cùm omnipotens ea poſſe facere perhibetur, & facturus dicitur, quæ prænunciaſſe ibi legitur, ubi alia multa prænunciavit, quæ fecisse mon-

monſtratur? Ipſe quippe facit, quia ſe facturum eſſe prædixit, quæ impoſſibilia eſſe putantur, qui promiſit & fecit, ut ab incredulis gentibus incredibilia crederentur.

*(a CUr itaque facere non poſſit Deus.] *Cùm hic totus locus de reſurrectione, de judicio, de ſuppliciis impiorum, & beatitudine piorum terminos captumque hujus naturæ excedat, miror ſcholaſticos theologos Thomam, Scotum, Occamum, Henricum Gandavenſem, Durandum, Paludanum, de iis omnibus ex dogmatis Ariſtotelicis diſſerere, & definire, & ita inter ſe pertinaciter concurrere naturæ tantum argumentis armatos, ut cum quærunt an corpora reſurrectura ſint, an in fine mundi, an materia quæ aliquando humana forma decorata eſt, appetat ſemper illam eandem formam, an pati poſſint animæ felicium, an motus cœlorum quieturus, & qua poſitione cœlorum quieturus: an illuſtrabuntur elementa, ſitne felicitas in actu voluntatis, an intellectus: an ignis poſſit agere in animas: quemadmodum ignis ille ſit ſempiternus futurus, & quibus fomentis ſuſtentabitur, ubi inferi & alia ſexcenta: qui omnia tam philoſophice diſputant, ut putes eos Athenis ethnicis eſſe non Parrhiſiis Chriſtianis.*)* L. Vives.

b Sufficiensque reſponſio.] *Humanis ingeniis cauſarum rerum ignorantiſſimis, cum nihil ſit, ut pulchrius, ita nec rarius, quàm eas deprehendere, idcirco Verg. felicem eſſe illum canit, qui potuit rerum cognoſcere cauſas.*

c Non longe à Gratianopoli.] *Hæc urbs à Gratiano principe nominata eſt, qui occidentis imperium rexit, quum Valens patruus orienti præeſſet. Eſt in Gallia Narbonenſi: retinet adhuc nomen eliſis aliquot literis.*

α INnumerabilibus miraculis plenum.] *Baſilius homil. 1. in Hexame.* eorum, quæ facta ſunt & ſi ignoremus cauſam, at certe quicquid ſub ſenſum hunc noſtrum cadit, ſeque exponit viſendum, tantum in ſe obtinet miraculi, noſque adeo totos rapit in ſui admirationem, ut quodcunque tandem ingenium quantolibet polleat acumine, quantavis contentione ac ſtudio ſe excitet, longe tamen deprehendetur inferius, nec ſatis idoneum pro rei dignitate exſequatur & explicet quidvis eorum, quæ in mundo ſunt, minutiſſimum, &c. F. L. Cop.

β Non ob aliud vocatur omnipotens, niſi quoniam quicquid vult poteſt.] *Idem ſcribit in Enchiridio ad Laurentium capite 96. & Tertullianus lib. de carne Chriſti. capit. 3. Deo nihil impoſſibile niſi quod non vult. Equidem omnipotentia Dei dicitur comparatione omnis poſſibilis, ut quicquid poteſt habere rationem entis, & non implicat contradictionem, ſubjiciatur potentiæ divinæ, atque ita certum plura Deum poſſe, quam velit, ut idem docet lib. de nat. & grat. cap. 7. quicquid tamen vult poteſt, cum creatura alias plura poſſit velle quàm ejus ſubjiciatur potentiæ, imo ſi Deus infinita vellet, etiam poſſit.*

γ Quæ ſi non oſtenderentur.] Ita Gentiles, *ait Epiſtol. 3. ad Voluſianum,* quæ ſibi facilia non factu, ſed captu putant, æquo animo accipiunt, ſupra ea veluti ficta pro falſis ducunt.

δ Non longe à Gratianopoli.] *Civitas eſt Galliæ Narbonenſis in Delphinatu,*

quam Ptolemæus Acuſium vocat lib. 2. cap. 10. tab. 3. Europa; quo nomine dicta fuit uſque ad tempora Diocletiani, & inde Cularone, deinde Grationopolis tandem vocata eſt, quod eam Gratianus Imperator reſtaurarit, auxerit, propugnaculisque muniverit.

e Quæ melior & validior ratio de rebus talibus redditur.] *In rebus enim, quæ captum mentis noſtræ ſuperant, tota ratio credendi eſt omnipotentia creatoris, ut plura eum poſſe credamus, quam alias poſſimus concipere. Ita fere ſcribit & Epiſt. 3. ad Voluſia.* demus aliquid Deum poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt, potentia facientis.

Cap. VIII.

Non eſſe contra naturam, cùm in aliqua re, cujus natura innotuit, aliquid ab eo, quod erat notum, incipit eſſe diverſum.

SI autem propterea reſpondent, ſe non credere, quæ de humanis ſemper arſuris corporibus dicimus, quia humanorum corporum naturam novimus, longè aliter inſtitutam: unde nec illa ratio hinc reddi poteſt, quæ de illis naturis mirabilibus reddebatur, ut dici poſſit, vis iſta naturalis eſt, rei hujus iſta natura eſt, quoniam ſcimus, humanæ carnis iſtam non eſſe naturam: habemus quidem, quod reſpondeamus de literis ſacris: hanc ipſam ſcilicet humanam carnem aliter inſtitutam fuiſſe ante peccatum, id eſt, ut poſſet nunquam perpeti mortem: aliter autem poſt peccatum, qualis in ærumna hujus mortalitatis innotuit, ut perpetem vitam tenere non poſſit. Sic ergò *a* aliter quàm nobis nota eſt, inſtituetur in reſurrectione mortuorum. Sed quoniam iſtis non credunt literis, ubi legitur, qualis in paradiſo vixerit homo, quantumque fuerit à neceſſitate mortis alienus, quibus utique ſi crederent, non cum illis de pœna damnatorum, quæ futura eſt, operoſius ageremus de literis eorum, qui doctiſſimi apud illos fuerunt aliquid, proferendum eſt, quo appareat, poſſe fieri, ut aliter ſe habeat, quæque res, quam prius in rebus innotuerat ſuæ determinatione naturæ. Eſt in Marci Varronis libris, quorum inſcriptio eſt. De gente populi Romani: quod eisdem verbis, quibus ibi legitur, & hic ponam: In cœlo, inquit, mirabile extitit portentum, *a* β nam in ſtella Veneris nobiliſſima, *b* γ quam Plautus veſperuginem, *c* Homerus heſperon appellat, *d* pulcherrimam dicens: Caſtor ſcribit, tantum portentum extitiſſe, δ ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, curſum: quod factum ita neque antea neque poſtea ſit: hoc factum Ogyge rege dicebant Adraſtus Cycicenus & Dion Neapolites mathematici nobiles. Hoc certè Varro tantus autor portentum non appellaret, niſi eſſe contra naturam videretur. Omnia quippe portenta contra naturam dicimus eſſe, ſed non ſunt. Quomodo eſt enim contra naturam, quod Dei ſit voluntate, quum voluntas tanti utique conditoris conditæ rei cujusque natura ſit? Portentum ergò fit non contra naturam, ſed contra quam eſt nota natura. Quis autem portentorum numerat multitudinem, quæ hiſtoria gentium continentur? Sed nunc in hoc uno attendamus, quod ad rem, de qua agimus, pertinet. Quid ita diſpoſitum eſt ab

Digitized by Google

ab autore naturæ cœli & terræ, ſ quemadmodum curſus ornatiſſimus ſiderum? Quid tam ratis legibus fixiſque firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui ſummo regit imperio ac poteſtate, quod condidit, ſtella præ cæteris magnitudine atque ſplendore notiſſima, colorem, magnitudinem, figuram, & quod eſt mirabilius, ſui curſus ordinem legemque mutavit. Turbavit profectò tunc, ſi ulli jam fuerunt canones aſtrologorum, quos velut inerrabili computatione de præteritis ac futuris aſtrorum motibus conſcriptos habent, quos canones ſequendo auſi ſunt dicere hoc, quod de lucifero contigit, nec antea nec poſtea contigiſſe. Nos autem ζ in divinis libris legimus etiam ſolem ipſum & ſtetiſſe, quum hoc à Domino Deo petiviſſet vir ſanctus Jeſus Nave, donec cœptum prælium victoria terminaret, & η retrorſum rediſſe, ut regi Ezechiæ quindecim anni ad vivendum additi, hoc etiam prodigio promiſſioni Dei ſignificarentur adjuncto. Sed iſta quoque miracula, quæ meritis ſcimus conceſſa ſanctorum, quando credunt iſti facta θ magicis artibus tribuunt. Unde illud eſt, quod ſuperius commemoravi, dixiſſe Vergilium: Ioſ. 10. Eſ. 38.

Siſtere aquam fluviis, & vertere ſidera retrò. Virg. 8. Æn.

ι Nam & fluvium ſtetiſſe ſuperius, inferiusque fluxiſſe, cùm populus Dei ductore ſuprà memorato Jeſu Nave viam carperet, & Helia propheta transeunte, ac poſtea diſcipulo ejus Heliſæo id eſſe factum in ſacris literis legimus, & retroverſum fuiſſe maximum ſidus regnante Ezechia modò commemoravimus. Quod verò de Lucifero Varro ſcripſit, non eſt illic dictum alicui homini petenti id fuiſſe conceſſum. Non ergo de notitia naturarum caliginem ſibi faciant infideles, quaſi non poſſit in aliqua re divinitus fieri aliud quàm in ejus natura per humanam ſuam experientiam cognoverunt, quamvis & ipſa, quæ in rerum natura omnibus nota ſunt, non minus mira ſint, eſſentque ſtupenda conſiderantibus cunctis, ſi ſolerent homines mirari niſi rara. Quis enim conſulta ratione non videat in hominum innumerabili numeroſitate, & tanta naturæ ſimilitudine κ valde mirabiliter ſic habere ſingulos ſingulas facies, ut niſi inter ſe ſimiles eſſent, non diſcerneretur ſpecies eorum ab animalibus cæteris: & rurſus niſi inter ſe diſſimiles eſſent, non diſcernerentur ſinguli ab hominibus cæteris? Quos ergo ſimiles confitemur, eosdem diſſimiles invenimus. Sed mirabilior eſt conſideratio diſſimilitudinis, quoniam ſimilitudinem juſtius videtur expoſcere natura communis. Et tamen quoniam quæ ſunt rara, ipſa ſunt mira, multò amplius admiramur, quando λ duos ita ſimiles reperimus, μ ut in eis diſcernendis aut ſemper aut frequenter erremus. Sed quod dixi ſcriptum à Varrone, licet eorum ſit hiſtoricus idemque doctiſſimus, fortaſſe verè factum eſſe non credunt: aut quia non diu manſit alius ejusdem ſideris curſus, ſed reditum eſt ad ſolitum curſum, minus iſto moventur exemplo. Habeant ergo aliud quod etiam nunc poſſit oſtendi eis: quæ puto debere ſufficere, quo commoveantur, quum aliud adverterint in aliqua inſtitutione naturæ, eamque ſibi notiſſimam fecerint, non ſe inde Deo debere præſcribere, quaſi eam Ioſ. 4. 4. Reg. 2.

 non

non poſſit in longè aliud quàm eis cognita eſt, vertere atque mutare. Terra Sodomorum non fuit utique ut nunc eſt, ſed jacebat ſimili cæteris facie, eadem vel etiam uberiore fœcunditate pollebat: *μ* nam Dei paradiſo in divinis eloquiis comparata eſt. Hæc poſteaquam tacta de cœlo eſt, ſicut illorum quoque atteſtatur hiſtoria, & nunc ab eis qui veniunt ad loca illa conſpicitur, prodigioſa fuligine horrori eſt, & poma ejus interiorem favillam mendaci ſuperficie maturitatis includunt. Ecce non erat talis & talis eſt. Ecce à conditore naturarum natura ejus in hanc fœdiſſimam diverſitatem mirabili mutatione converſa eſt. Et quod poſt tam longum accedit tempus tam longo tempore perſeverat. Sicut ergo non fuit impoſſibile Deo quas voluit inſtituere, ſic ei non eſt impoſſibile in quicquid voluerit quas inſtituit mutare naturas. Unde illorum quoque miraculorum multitudo ſylveſcit *f* quæ monſtra, oſtenta, portenta, prodigia nuncupantur. Quæ recolere & commemorare ſi velim, hujus operis quis erit finis? Monſtra ſanè dicta perhibent à monſtrando, quòd aliquid ſignificando demonſtrent: & oſtenta ab oſtendendo, & portenta à portendendo, id eſt præoſtendendo, & prodigia quòd porrò dicant, id eſt futura prædicant. Sed viderint eorum conjectores, quomodo ex eis ſive fallantur, ſive inſtinctu ſpirituum, quibus cura eſt tali pœna dignos animos hominum noxiæ curioſitatis retibus implicare, etiam vera prædicant, ſive multa dicendo aliquando in aliquid veritatis incurrant. Nobis tamen iſta quæ velut contra naturam fiunt, & contra naturam fieri dicuntur, quo more hominum loquutus eſt & Apoſtolus dicendo, contra naturam *g* in olea inſitum oleaſtrum factum eſſe participem pinguedinis oleæ: & monſtra, oſtenta, portenta, prodigia nuncupantur, hoc monſtrare debent, hoc oſtendere vel præoſtendere, hoc prædicere quod facturus ſit Deus, quæ de corporibus hominum ſe prænuntiavit eſſe facturum, nulla impediente difficultate, nulla præſcribente lege naturæ. Quomodo autem prænuntiaverit, ſatis in libro ſuperiore docuiſſe me exiſtimo, decerpendo de ſcripturis ſanctis & novis & veteribus, non quidem omnia ad hoc pertinentia, ſed quæ ſufficere huic operi judicavi.

Gen. 13.

L. Vives. Lucifer ſtella,

a NAm ſtella Veneris nobilis.) *Dixi de hac alio in loco, & quot nominibus vocaretur: nam in magno nominum ambitu eſt, ut inquit Plin. alii Venerem nominant, alii Junonem, quod & refert Ariſt. in lib. De mundo. Julius vero Higinus lib. 2. ſic ſcribit: Quarta ſtella eſt Veneris, Lucifer nomine, quam nonnulli Junonis eſſe dixerunt. Hunc eundem heſperum appellari multis traditum eſt hiſtoriis. Hic autem omnium ſiderum maximus eſſe videtur. Nonnulli autem hunc Auroræ & Cephali filium eſſe dixerunt, pulchritudine multis præſtantem, ex qua re etiam cum Venere dicitur certaſſe, ut Eratoſthenes dicit, eum hac de cauſa Venerem appellari: exoriente ſole & occidente videri, quo, ut antea diximus, jure hunc & luciferum & heſperum nominatum: ſic Higinus, qui Venerem ſupra Lunam, Solem & Mercurium conſtituit, Ariſt. Platonem & Ægyptios ac cunctos ferè ſecutus veteres.*

b Plautus veſperuginem.] *Idem Varro lib. 5. De ling. Lat. Nox eſt cum ſtella prima*

Digitized by Google

prima exorta, Græci ἕσπερον, noſtri veſperuginem: ut Plaut. Aulul. Neque veſperugo, neque vergiliæ occidunt: id tempus à Græcis ἑσπέρα, Latinè veſper, ut antè ſolis ortum, quod eadem ſtella vocabatur jubar, quod jubata. Pac. dicit paſtor exorto jubare noctu decurſo itinere. Ennius, Ajax, lumen jubarve in cœlo cerno: hæc ille. Cyna in Smyrna:

Te matutinus flentem conſpexit Eous,
Et flentem paulò vidit pòſt Heſperus idem.

Pythagoras primus obſervavit eundem eſſe heſperum & luciferum, ut Plin. ſcribit lib. 2. alii Parmenidem dicunt, ut Suidas refert.

c Homerus ἕσπερον.) *Sic* ἕσπερος ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστὴρ,
Heſperus in cœlo forma qui ſydera vincit.

Alio loco ἕσπερον φαάντατον *nominat, id eſt lucidiſſimum. Odyſſ. N.*

d Pulcherrimam dicens.) *Ut eam videmus, idcirco ſive Venus ſive pulcherrimus ille Auroræ partus, qui cum Venere de forma certarit, dictus: ea cauſa Græci, quum juſtitiam laudarent, neque Heſperum, neque Phoſphorum æquè eſſe ac illam admirabilem dicebant, ut Ariſtoteles ſcribit quinto Moral.*

e Ut in eis diſcernendis.) *Tales olim dicuntur fuiſſe Servilii gemini, ut Cic. in 4. Acad. quæ ſignificat, & Menechmi Plautini, quos neque nutrix, ac ne mater quidem quæ peperit dignoſcebat: & gemini languentes, quos declamatione inducit Quintilianus. Sed nunc Mechliniæ, quæ hinc quatuor tantum abeſt leucis, ut Galli vocant, filii ſunt gemelli Petri Apoſtoli hoſpitis mei ſenatoris Mechlinienſ. prudentiſſ. pueri adhuc egregia forma, & qui patrem indole referunt, in quibus dignoſcendis non modo extranei, ſed ipſa ſæpe, dum viveret, erravit mater: ſæpe errat pater, ſed errore gratiſſimo, Petrum pro Joanne vocans, Joannem pro Petro.*

f Quæ monſtra, oſtenta.) *Cicero ſic iſta interpretatur lib. de divin. monſtra, quod aliquid venturum monſtrent: oſtenta, quod oſtendant: prodigia, quod prædicant: portenta, quod portendant.*

g In olea inſitum oleaſtrum) *Oleaſter olea eſt notha & ſylveſtris: at inſitiones ſolent fieri meliorum in pejoribus, quo fructus emendentur, ſi quid eſt vitii, aut præſtantiores fiant: non pejorum in melioribus, ne deteriores reddantur fructus.*

α ALiter quam nobis nota eſt inſtituetur in reſurrectione mortuorum] *F. L. Sap.* *Lactantius lib. 7. cap. 21.* non erit caro illa, quam Deus hominis ſuperjecerit huic terrenæ ſimilis. inſolubilis ac permanens in æternum. ut ſufficere poſſit cruciatibus & igni ſempiterno. *Et ipſe D. Auguſtinus lib. de fide & ſymb. capite 10.* reſurget corpus ſecundum Chriſtianam fidem, quæ fallere non poteſt. Quod cui videtur incredibile, qualis caro nunc ſit, attendit, qualis autem futura ſit, non conſiderat.

β In ſtella Veneris nobiliſſima.] *Una eſt errantium ſtellarum inter Solis & Mercurii ſphæras ſita, quæ* Φωσφόρος *Græcè,* Lucifer *Latinè dicitur, cum antegreditur Solem ut ſol alter diem maturans, cum ſubſequitur autem, heſperos,* veſper, *ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens. Quam naturam ejus Pythagoras Samius primus deprehendit olympiade circiter 402. qui fuit urbis Romæ annus 142. Jam*

magni-

magnitudine extra cuncta alia ſidera eſt, claritatis quidem tanta, ut unius hujus ſtellæ radiis umbræ reddantur. Cicero lib. 2. de natur. deor. Plinius lib. 2. natur. hiſtor. cap. 8.

γ Quam Plautus veſperuginem.] *In Amphytrio. Actu. 1. Ita vocat etiam Vitruvius Archite ctur. libro 9. & Feſtus,* veſperugo, *ſtella.*

δ Ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, curſum.] *Corpora cœleſtia nulli mutationi eſſe obnoxia recte docet Ariſtoteles libro 1. de cœlo capite 3. & libro 2. capite 1. & in eadem ſententia ſunt omnes Peripatetici, & Cicero libro 2. de natur. deor. Itaque aut id falſo tradidit Varro Veneris ſtellam ſubiiſſe aliquando talem mutationem, vel certè id non ad aliquam naturæ vim referendum eſt, ſed ad miraculum & divini numinis potentiam, ut etiam paulo infra ſcribit Auguſtinus, & ut præclare ſcripſit D. Dionyſius Epiſt. ad Polycarpum,* nihil unquam cœleſtis ordinis ac motus ulla ratione immutari potuit, niſi authorem ſuum, à quo ut eſſet accepit, & cujus majeſtatis potentia continetur, in hoc ſe incitantem habuiſſet.

ε Quemadmodum curſus ordinatiſſimus ſiderum.] *Cicero lib. 2. de natur. deor.* earum *(ſtellarum)* curſus perennes atque perpetui cum admirabili incredibilique conſtantia declarant in his vim & mentem eſſe divinam.

ζ In divinis libris legimus etiam Solem ipſum ſtetiſſe.) *Joſue 10. Eccleſ. 46. Joſephus lib. 5. antiqui. cap. 1. Nec vero res adeo mirabilis ullis gentium libris prodita eſt memoria. Nec enim quicquam eorum, quæ ante bellum Trojanum acciderunt, commemorant præter pauca, quæ ipſa ex ſacris hiſtoriis cum percepiſſent alieni à vera religione homines, ſua conſpurcarunt vanitate. At bello Trojano vetuſtiores ſunt res à Joſue geſtæ annis circiter mille, ſi Theophilo Alexandrino ad Autolycum ſcribenti credimus. Dionyſius Areopagita Epiſt. 7. ad Polycarpum;* Sol & luna per ſummam vim ſtatu omnino mirabili una cum cœlo ut eſſent prorſus immobiles ipſius imperio paruerunt, atque ad diei totius menſuram omnia in iiſdem ſignis conſtiterunt.

η Et retrorſum rediiſſe ut regi Ezechiæ.) *4. Regum 20. Iſaia 38. Eccleſiaſt. 48. Joſephus lib. 10. antiquit. cap. 3. Refert & Dionyſius Epiſtol. 7. ad Polycarpum, qui & hanc hiſtoriam ſcribit ſacerdotum Perſarum monimentis eſſe proditam, ideoque Magos triplicis mithri. i. e. Solis memoriam celebrare. Quot horis conſtiterit dies ille ægrotantis Ezechielis ſole reverſo retrorſum decem gradibus, diſcrepantes ſunt ſententiæ, de quibus Andreas Maſius in cap. 10. Joſue. Quæ vero major fuerit dies, an quo ſtetit ſol pugnante Joſue, an vero quo retroceſſit ægrotante Ezechia, diſputat Toſtatus in cap. 10. Joſue. q 88. 89. & 90. non eſt quod in his diutius immoremur hoc loco; quod vero ſcribit Dionyſius hoc miraculum tenuiſſe Babylonios, & abſque pugna Ezechiæ, ut qui Deo putaretur æqualis ac mortalibus cæteris virtute præſtare, ſubjeciſſe, non colligitur ex ſacra hiſtoria. Neque tantum miraculum fuit illis ſignum vel argumentum victoriæ de hoſtibus reportandæ, ſed recuperandæ ſanitatis & vitæ prorogandæ.*

θ Magicis artibus tribuunt.] *Solenne fuit Gentilibus, imo & hæreticis ipſis miracula*

racula ſanctorum magicis artibus adſcribere, ac nihil divinitatis eis ineſſe impie blaſphemare. Michael Medina lib. 2 de recta in Deum fide cap. 7.

ι Nam & fluvium ſtetiſſe ſuperius inferiusque fluxiſſe.] *Joſ. 3. Joſephus l. 5. cap. 1. fortaſſe quidem opera dæmonum fieri poſſet, ut ſiſterentur aquæ, id tamen ſub Joſue divinitus & miraculoſe factum eſt, & fortaſſe miniſterio bonorum Angelorum.*

κ Valde mirabiliter ſic habere ſingulos ſingulas facies.] *Plinius lib. 7. cap. 1. natur. hiſtor.* Jam in facie vultuque noſtro cum ſint decem aut paulo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas exiſtere effigies. *Seneca Epiſt. 113.* circumſpice omnium corpora, nulli non & color proprius eſt & figura ſua & magnitudo. Inter cætera, propter quæ mirabile divini artificis ingenium eſt; hoc quoque exiſtimo, quod in tanta copia rerum nunquam in idem incidit, & quæ ſimilia videntur, cum contuleris, diverſa ſunt.

λ Quando duos ita ſimiles reperimus, ut in eis diſcernendis.] *Unde ex hujusmodi ſimilitudine factum eſt, ut nonnulli aliorum nomine & ſuppoſitione principatum acceperint, alii in aliena matrimonia involarint. Hujusmodi ſimilitudinis exempla exſtant apud Plin. lib. 7. c. 12. & Valer. Maxim. lib. 9 c. 14.*

μ Nam Dei paradiſo in divinis eloquiis comparata eſt.] *Hinc oſtendit quæ. 27 in Geneſ. paradiſum, quem plantavit Deus ab initio, hiſtorice & ad literam eſſe intelligendum.* Alioqui enim, *inquit*, nullo paradiſo corporali in terra veris lignorum generibus inſtituto, non diceretur de iſta terra, ſicut paradiſus Dei; comparatur autem paradiſo Dei, *inquit*, eo quod erat irrigua ut terra Ægypti, quam Nilus irrigat.

ν Quæ monſtra, oſtenta, portenta, prodigia.] *Cicero lib. 1. de Divinat.* quia oſtendunt, portendunt, monſtrant, prædicunt oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur; *& lib. 2. de nat. deor.* prædictiones vero & præſenſiones rerum futurarum quid aliud declarant niſi hominibus ea, quæ ſunt oſtendi, monſtrari, portendi, prædici, ex quo illa oſtenta, monſtra, portenta, prodigia dicuntur. *Nonius monſtra, prodigia & portenta hoc diſtare ſcribit, quod ſunt monſtra & oſtenta monita Deorum, prodigia Deorum minæ & iræ; portenta, oſtenta, quæ aliquid imminere ſignificant.*

ξ Contra naturam in oleam inſitum oleaſtrum.] *Roman. 11.* παρὰ φύσιν ἐνεκεντρίσθης εἰς καλλιέλαιον, contra naturam inſertus es in bonam olivam, *de Gentilibus, qui cum ſecundum naturam ex oleaſtro procederent, id eſt, traherent originem à parentibus infidelibus & idololatris, inſerti ſunt bonæ olivæ Eccleſiæ per fidem vivam.*

CAP. IX.

De gehenna & æternarum qualitate pœnarum.

QUod igitur de ſempiterno ſupplicio damnatorum per ſuum Prophetam Deus dixit, fiet, omninò fiet: *a a Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Ad hoc enim vehementius commendandum etiam Dominus Eſ. 66. Mar. 9.

Jeſus, cùm membra, quæ hominem ſcandalizant, pro his omnibus poneret, quæ
ut ſua membra dextra quis diligit, eaque præciperet amputari: Bonum eſt, in-
quit, tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehen-
nam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum
non extinguitur. Similiter de pede: Bonum eſt tibi, inquit, claudum introire
in vitam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis,
ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Non aliter & ait de
oculo: Bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos ha-
Marc.9. bentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non
extinguitur. Non eum piguit uno loco eadem verba ter dicere: quem non
terreat iſta repetitio, & illius pœnæ comminatio, tam vehemens ore divino? U-
trumque autem horum, ignem ſcilicet atque vermem, qui volunt ad animæ pœ-
nas non ad corporis pertinere, dicunt etiam uri dolore animæ ſerò atque infru-
ctuosè pœnitentis eos, qui fuerint à regno Dei ſeparati: & ideò ignem pro iſto
dolore urentem, non incongruè poni potuiſſe contendunt. Unde illud Apoſto-
2.Cor.11. li eſt: *Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Eundem etiam dolorem vermem pu-
Prov.25. tant intelligendum eſſe. Nam ſcriptum eſt, inquiunt, Sicut tinea veſtimentum,
& vermis lignum, ſic mœror excruciat cor viri. Qui verò pœnas & animæ &
corporis in illo ſupplicio futuras eſſe non dubitant, igne uri corpus, animam
autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant. Quòd etſi credibilius di-
citur, quia utique abſurdum eſt, ibi dolorem aut corporis, aut animæ defuturum,
ego tamen facilius æſtimo, ut ad corpus dicam utrumque pertinere, quàm neu-
trum, & ideò, tacitum in illis divinæ ſcripturæ verbis animi dolorem, quoniam
conſequens eſſe intelligitur, etiam ſi non dicatur, ut corpore ſic dolente, ani-
mus quoque ſterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe & in veteribus ſcri-
Eccl.7. pturis: *Vindicta carnis impii ignis vermis.* Potuit brevius dici, vindicta impii.
Cur ergò dictum eſt carnis impii, niſi quia utrumque, id eſt, & ignis & vermis,
pœna erit carnis? Aut ſi vindictam carnis propterea dicere voluit, quia hoc in
Rom.8. homine vindicabitur, quod ſecundùm carnem vixerit: propter hoc enim veniet
in mortem ſecundam, quam ſignificavit Apoſtolus, dicens: Si enim ſecundùm
carnem vixeritis, moriemini: eligat quiſque, quod placet, aut ignem tribuere
corpori, animo vermem. hoc propriè, illud tropicè: aut utrumq; propriè corpo-
ri: jam enim ſatis ſuperius diſputavi, poſſe animalia etiam in ignibus vivere in
uſtione ſine conſumptione, in dolore ſine morte, per miraculum omnipotentiſ-
ſimi creatoris, cui hoc poſſibile eſſe qui negat, à quo ſit, quicquid in naturis o-
mnibus miratur, ignorat. Ipſe enim eſt Deus, qui omnia in hoc mundo magna
& parva miracula, quæ commemoravimus, etiam incomparabiliter plura, quæ
non commemoravimus, fecit, eademque ipſo mundo uno atque omnium maxi-
mo miraculo incluſit. Eligat ergò unum de duobus quiſque quod placet, utrum
& vermem ad corpus propriè, an ad animum tranſlato à corporalibus ad incor-
poralia vocabulo exiſtimet pertinere. Quid autem horum verum ſit, res ipſa
expeditius indicabit, quando erit ſcientia tanta ſanctorum, ut eis cognoſcenda-
rum

rum illarum pœnarum neceſſaria non ſit experientia, ſed ea, quæ tunc erit plena atque perfecta, ad hoc quoque ſciendum, ſapientia ſola ſufficiat. Nunc enim ex parte ſcimus, donec veniat, quod perfectum eſt, dum tamen nullo modo illa corpora talia futura eſſe credamus, ut nullis ab igne afficiantur doloribus. 1. Cor. 13.

VErmis eorum non morietur.] *Eſaiæ ultimo cap. Hieronymus hoc loco: Vermis autem, qui non morietur, & ignis, qui non extinguetur, à plerisque conſcientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in ſuppliciis conſtitutos, quare vitio ſuo atque peccato caruerint electorum bono: juxta illud, quod dicitur: Verſatus ſum in miſeria, dum infigitur mihi ſpina: & in Proverbiis; Tinea oſſium cor intelligens: ita Hieronymus, hic vermis acerbiſſimus eſt ſcelerum pœna, quam malefici ſuæ ipſorum conſcientiæ dant, primaque eſt, ut inquit Seneca, & maxima peccantium pœna peccaſſe. Nec ullum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt, ſed nihilominus & hæc illam ſecundæ pœnæ premunt, ac ſequuntur, timere ſemper & expaveſcere, & ſecuritati diffidere. Hic conſentiamus cum Epicuro, inquit, qui ait, mala facinora conſcientia flagellari, & plurimum illi tormentorum eſſe ea, quod perpetuam illam ſollicitando urget ac verberat, quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere. Hoc enim ipſum argumentum Epicuri eſt, natura nos à ſcelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor eſt. Multos fortuna liberat pœna, neminem metu. Hæc Seneca lib. Epiſt. 16. cui Juvenalis Satyra tertia concinit, dicens:* L. Viv.

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori: prima eſt hæc ultio, quod ſe
Judice nemo nocens abſolvitur. Et poſt:
—— Cur tamen hos tu
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cadit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, & multo ſævior illis,
Quas & Ceditius gravis invenit, & Rhadamanthus
Nocte dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem.

Imo verò non unus teſtis dicitur conſcientia, ſed mille teſtes, ut eſt in proverbio. Cicero non alias putat eſſe furias illas infernas, quas poetæ finxerunt ſcelerum ultrices. Sic enim ait in L. Piſonem: Nolite putare P. C. ut in ſcena videtis homines conſceleratos impulſu deorum terreri furiarum tædis ardentibus, ſua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat. Hæc ſunt impiorum furiæ, flammæ, hæ faces: & pro Roſcio Amerino: Sua quemque fraus, & ſuus error maxime vexat, ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit, ſuæ malæ cogitationes amentiæque animi terrent: hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ. Hinc oratio illa nefaria civitatis cadaveribus paſta apud Quintilianum, meum ſane conſcientia urunt animum intus ſcelerum faces, & quoties facta reputavi, flagella mentis ſonant, ultrices video furias, hinc tranquillitate conſcientiæ nihil excogitari beatius poteſt, quæ

velut guſtus quidam & exemplum eſt in hoc mortali ævo immortalis illius vitæ omnibus bonis cumulatæ.

gl.Cap. α Vermis eorum non morietur & ignis.) *Vermem metaphoricè ſumendum eſſe apud Prophetam, & apud Marcum capit. 9. pro damnatorum cruciatu nemini dubium eſt, etſi Chryſoſtomus, Cyrillus & Theophilactus alicubi ſentiant, verum eſſe in damnatis vermem, qui eorum arrodat corpora. Quo magis mirandum Theophylactum in cap. 9. Marci, utrumque & vermem & ignem metaphoricè interpretari. Neque enim ex metaphorico verme metaphoricus ignis colligendus eſt; & D. Auguſtinus hoc capit. tropice quidem vermem, proprie vero ignem ſumendum ſcribit. Quomodo vero accipiendi ſint vermis & ignis, tres ſententias refert. Aliqui enim opinantur utrumque tam ignem quam vermem ad animæ pœnas, non corporis pertinere. Alii ignem ad corpus; vermem ad animam referunt, ut ignis exterius cruciet corpus, vermis vero interius torqueat animam. Poſtremi denique utrumque corpori tribuunt. Certè per vermem & ignem neque diverſas pœnas, neque diverſarum hominis partium, ſed totius hominis pœnam unam & eandem totamque ſignificavit. Si quidem unum & idem ſupplicium, ignis vere, vermis metaphoricè dictum eſt, ut particula, &, non ſit tam copulativa quam exegetica. D. Ambroſius lib. 7. in Lucam in capite 14. utrumque videtur metaphoricè interpretari,* Ut multas (*inquit*, ex cruditate febres naſcuntur & vermes, quando quis cibum ſumit intemperanter, ita ſi quis peccata peccatis accumulet, nec decoquat ea pœnitentia, ſed miſceat peccata peccatis, cruditatem contrahat, veterum, & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & vermibus conſumetur. Ignis eſt, quem generat mœſtitia delictorum, vermis eſt, eo quod irrationabilia animi peccata mentem pungunt, & viſcera exedunt, vermes ex unoquoque naſcuntur tanquam ex corpore peccatoris, hic vermis non morietur, hic ſtridor dentium prodit indignationis affectum, eo quod ſuo unumquemque pœniteat, ſero ingemiſcat. *Non ideo tamen negat D. Ambroſ. verum & proprium ignem, qui torqueat damnatos.*

Cap. X.

An ignis gehennalis ſi corporalis eſt, poſſit malignos ſpiritus, id eſt dæmones incorporeos tactu ſuo adurere.

Hic occurrit quærere, ſi non erit ignis incorporalis noxius, ſicut eſt animi dolor, α ſed corporalis tactu noxius, ut eo poſſint corpora cruciari, quomodo in eo erit etiam pœna ſpirituum malignorum? Idem quippe ignis erit ſupplicio ſcilicet hominum attributus & dæmonum, dicente Chriſto:
Mat. 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus, niſi quia ſunt quædam ſua etiam dæmonibus corpora, β ſicut doctis hominibus viſum eſt, ex iſto aëre craſſo atque humido, cujus impulſus vento flante ſentitur. Quod genus elementi ſi nihil igne perpeti poſſet, non ureret fervefactus in balneis. Ut enim urat prior uritur, facitque cum patitur. γ Si autem quiſquam nulla habere corpora dæmones aſſeverat, non eſt de

Digitized by Google

de hac re aut laborandum operoſa inquiſitione, aut contentioſa diſputatione certandum. Cur enim non dicamus, ô quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profecto incorporei, & nunc poterunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, ſi eis nulla ſunt corpora ſpiritus dæmonum, imò ſpiritus dæmones, licet incorporei corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum junctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu & corpore: ſed ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam, quia & iſte alius modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt, & hoc ipſe homo eſt. Dicerem quidem ſic arſuros ſine ullo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ardebat apud inferos ille dives quando dicebat: *Crucior in hac flamma:* niſi convenienter reſponderi cernerem, talem fuiſſe illam flammam, quales oculi quos levavit, & Lazarum vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum deſideravit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id ibi fieri poſtulavit, *s* ubi tamen erant ſine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis, & illa flamma, quæ exarſit, & illa guttula quam popoſcit, qualia etiam ſunt viſa dormientium, ſive in ecſtaſi cernentium res incorporales, habentes tamen ſimilitudinem corporum. Nam & ipſe homo cùm ſpiritu non corpore ſit in talibus viſis, ita ſe tamen tunc ſimilem ſuo corpori videt, ut diſcernere omnino non poſſit. At verò gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis, & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum, ſolida hominum, aërea dæmonum, aut tantum hominum corpora cum ſpiritibus, dæmones autem & ſpiritus ſine corporibus hærentes ſumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utriſque ignis erit, ſicut Veritas dixit.

Luc. 16.

Apoc. 20

a SEd corporalis tactu noxius.] *An ignis inferni ſit corporeus & ejuſdem rationis cum noſtro igne, diſputant Theologi in 4. ſentent. diſtinct. 50. Videtur aliquando D. Auguſtinus dubitaſſe. Nam ſupra lib. 20 cap. 16. ita ſcripſit;* Qui ignis cujuſmodi ſit, vel in qua parte mundi futurus ſit, hominem arbitror ſcire neminem, niſi cui id divinus ſpiritus oſtenderit. *Damaſcenus extremis verbis lib. 4. ſcribit non eſſe materialem, qualis eſt apud nos, ſed qualem Deus novit, D. Gregorius libro 15. moral. cap. 17. corporeum ignem perpetuo indigere nutrimento, ignem vero inferni quia incorporeus eſt, alimento non egere. Lactantius lib. 7. dicit ignem illum diverſum eſſe ab hoc noſtro. Eſt tamen Theologorum communis opinio ignem illum vere eſſe corporeum. Frequenter enim meminit ſcriptura illius ignis, nec quicquam eſt, quod nos cogat, ut eum metaphoricè exponamus. Et hic aperte docet D. Auguſtinus illum eſſe corporeum. Cum enim nihil fere habeat difficultatis, quo pacto corpora damnatorum poſt reſurrectionem ab igne corporeo patiantur, neceſſe eſt ut etiam dæmones & animæ, priuſquam iterum corporibus conjungantur, eodem igne crucientur. Si quidem* ex

a L. Corp.

ex verbis illis ſcripturæ, Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus, *aperte conſtat eundem eſſe ignem, quo cruciantur dæmones, & quo torquentur corpora damnatorum. Erit igitur ille ignis corporeus. Et D. Auguſtinus conatur diſſolvere argumenta Philoſophorum, quibus illi adducebantur, ut crederent, non poſſe rem ſpiritualem pati ab igne corporeo. Ait enim dæmones igni alligari, quemadmodum anima conjuncta eſt corpori, etſi diſcrimen in eo exiſtat, quod anima corpori conjungatur, ut vitam illi det; dæmones vero igni alligantur, ut inde pœnam accipiant. D. Hieronymus Epiſt. 59. ad Avitum & in Apologia contra Rufinum, propterea taxat Originem, quod metaphoricè interpretaretur ignem inferni, conſcientiam videlicet peccatorum, & pœnitudinem interna cordis urentem, & in capite 66. Iſaiæ interpretatur* Stridorem dentium *proprie accipiendum, multo igitur magis exiſtimavit, ignem proprie accipi debere. D. Gregorius libro 4. dialog. cap. 29. aperte docet ignem illum corporeum eſſe, & qui induxerunt ignem metaphoricè, vel impropriè dictum, non videntur alia ratione fuiſſe impulſi, quam difficultate argumentorum in contrariam partem; quod tamen, ut hic paſſim docet Auguſtin. minimè faciendum fuit, cum multa ſint alias evidentiſſima, quorum tamen nullam propemodum rationem reddere poſſumus. Quod aliquando Patres videntur illum ignem vocare incorporeum, reſponderi facile poteſt, non negaſſe eos verum ignem; ſed dixerunt aliquando eſſe incorporeum, non quod ſit ſpiritus, verum quia alterius ſit rationis à noſtro igne, multo eo ſubtilior ac majori vi præditus calefaciendi; quod conſtare videtur ex D. Gregorio, qui, ut ſupra obſervavimus, aliquando ignem inferni ait eſſe corporeum, aliquando incorporeum; atque hoc ſenſu intelligendus eſt Damaſcenus, & D. Auguſtinus, cum profitetur ſe ignorare qualis ſit ignis*

β Sicut doctis hominibus viſum eſt.] *Ita ſentit Origenes lib. 2.* περὶ ἀρχῶν, *ubi ſolum Deum ait eſſe incorporeum, & Tertullian. lib. de car. Chriſti Angelos ait eſſe corporeos, licet non carne præditos. Baſilius lib. de Spirit. ſancto. cap. 16. Angelos non tantum vult eſſe corporeos, ſed etiam in propriis corporibus videri poſſe, & viſos aliquando fuiſſe. In 7. Synodo generali Act. 4. in eandem ſententiam adferuntur varia teſtimonia Græcorum authorum. D. Auguſtinus hoc loco videtur quidem hac de re ambigere, ut etiam in Enchiridio cap. 58. alias tamen ſæpe magis propendet in eam ſententiam, ut exiſtimet Angelos habere corpora, ut ſup. lib. 11. cap. 23. & lib. 2. ſuper Geneſ. ad liter. c. 17. & Epiſt. 115. ad Nebridium cauſam celeritatis motus Angelorum refert in ſubtilitatem corporum.*

γ Si autem quiſpiam.] *D. Thomas quæſt. 26. de malo art. 1. citat hunc locum, ut doceat ex ſententia D. Auguſtini quamcunque ſententiam quis aſſerat, non multum pertinere ad doctrinam fidei Chriſtianæ, ut neutra ſit de fide.*

δ Quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos.] *Certum quidem eſt ex ſcriptura & Patrum authoritate, torqueri igne illo inferni & dæmones & animas damnatorũ, qua vero ratione cum ſint ſubſtantiæ & ſpirituales & incorporeæ patiantur ab illo igne corporeo, non ita certo conſtat. De hoc cum D. Auguſtino hoc loco diſputat D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29. & Scholaſtici in 4. diſtinct. 50. Ex quibus Durandus ingenuè fatetur, non poſſe in hac vita ſciri, quomodo ignis corporeus*

agat

Digitized by Google

agat in animam incorpoream. D. Gregorius loco citato dicit, ex igne viſibili inviſibilem pœnam animas trahere, quod ita interpretatur Bellarminus libro 2. de Purgator. cap. 12. quia occulta & incognita eſt nobis. Suares vero tomo 4. in 3. p. D. Thomæ diſputat. 46. ſectio. 2. dolorem inviſibilem ex D. Gregorio interpretatur, non quia nobis occultus eſt, ſed quia ſpiritualis eſt & non ſenſibilis, ubi vult per actionem ignis fieri in ſpiritu qualitatem illi diſconvenientem, quæ ſit objectum doloris & triſtitiæ. Probabile eſt eo quidem cruciari dæmones & animas, non quod igne illo comburantur, cum res ſpirituales non admittant in ſe hujusmodi actionem vel qualitatem, ſed quod in eo igne tanquam in carcere detineantur. Dum enim dignitatem ſuæ naturæ conſiderant, deinde ſe ita eſſe veluti illigatos illi igni contra ſuam ipſorum voluntatem, tanquam carceri ſibi a divina juſtitia præſcripto, ut inde recedere non poſſint, neceſſe eſt, ut inde ſumma triſtitia afficiantur. Accedit quod ſint veluti definiti ab igne, ne de aliis rebus poſſint cogitare, quod etiam cedit in partem ſupplicii; & locus ille, in quo detinentur, viliſſimus eſt, & ita explicat D. Thomas 1. p. q. 64. art. 4. ad 1. cum ait locum non eſſe pœnalem dæmoni vel animæ, quaſi efficiat aliquid alterando naturam; ſed quoniam afficit voluntatem eam contriſtando, cum dæmon vel anima apprehendit ſe eſſe in loco non convenienti ſuæ naturæ, & lib. 4. contra Gentes cap. 9. idem docet.

g Ubi tamen erant ſine corpore animæ.] *Illa ergo impropriè & metaphoricè intelligenda ſunt; unde ex hoc loco Lucæ male Tertullianus colligit, animam eſſe corpoream lib. de anima cap. 7. & 9. & lib. de reſurrect. car. cap. 17. verum ex eo loco non concludi animam eſſe corpoream, docet Auguſtinus lib. 4. de anima & ejus origine cap. 19. & Gregorius Nyſſenus diſputat. de anima & reſurrect. ubi membra illa ſpiritualiter interpretatur.*

Cap. XI.

An hoc ratio juſtitiæ habeat, ut non ſint extenſiora pœnarum tempora, quam fuerint peccatorum.

SIc autem quidam eorum, contra quos defendimus civitatem Dei, *a* injuſtum putant, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo ſcilicet tempore perpetratis, pœna quisque damnetur æterna, quaſi ullius id unquam juſtitia legis attendat, ut tanta mora temporis unde puniatur, quanta mora temporis, unde puniretur, admiſit. Octo genera pœnarum in legibus eſſe ſcribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, ſervitutem. Quid horum eſt quod in breve tempus pro cujusque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum, *ƀ* niſi fortè talio? Id enim agit, ut hoc patiatur quisque quod fecit: illud eſt legis: *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Fieri enim poteſt Exod. 21 ut tam brevi tempore quisque amittat oculum ſeveritate vindictæ, quàm tulit ipſi alteri improbitate peccati. Porrò autem ſi alienæ fœminæ oſculum infixum rationis ſit verbere vindicare, nonne qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum ſpatio verberatur, & ſuavitas voluptatis exiguæ diuturno dolore punitur? Quid in vinculis? Nunquid ibi tandiu quisque

que judicandus eſt eſſe debere, quandiu fecit, unde meruit alligari, quum juſtiſſimè annoſas pœnas ſervus in compedibus pendat, qui verbo aut ictu celerrimè tranſeunte, vel laceſſivit dominum vel plagavit? Jam verò damnum, ignominia, exilium, & ſervitus, cùm plerunque ſic infliguntur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vitæ modo ſimilia pœnis videntur æternis? Ideo quippe æterna eſſe non poſſunt, quia nec ipſa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum, & tamen peccata, quæ vindicantur longiſſimi temporis pœnis, breviſſimo tempore perpetrantur, nec quicquam extitit, qui cenſuerit tam citò nocentium finienda eſſe tormenta, quàm citò factum eſt: vel homicidium, vel adulterium, vel ſacrilegium, vel quodlibet aliud ſcelus, non temporis longitudine, ſed iniquitatis & impietatis magnitudine metiendum. Qui verò pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, nunquid mora qua occiditur, quæ perbrevis eſt, ejus ſupplicium leges æſtimant, & non quòd eum in ſempiternum auferunt de ſocietate viventium? Quod eſt autem de iſta civitate mortali homines ſupplicio primæ mortis, hoc eſt de civitate illa immortali homines ſupplicio ſecundæ mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges hujus civitatis, ut in eam quiſque revocetur occiſus, ſic nec in illius, ut in vitam revocetur æternam, ſecunda morte damnatus. Quomodo ergo verum eſt, inquiunt, quod ait Chriſtus veſter: *In* Luc. 6. *qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis:* ſi temporale peccatum ſupplicio ponitur æterno? Nec attendunt non propter æquale temporis ſpatium: ſed propter viciſſitudinem mali, id eſt, ut qui mala fecerit, mala patiatur, eandem dictam fuiſſe menſuram: quamvis hoc in ea re propriè poſſit accipi, de qua dominus cùm hoc diceret loquebatur, id eſt de judiciis & condemnationibus. Proinde qui judicat & condemnat injuſtè, ſi judicatur & condemnatur juſtè: in eadem menſura recipit, quamvis non hoc quod dedit. Judicio enim fecit, judicio patitur: quamvis fecerit damnatione quod iniquum eſt, patitur damnatione quod juſtum eſt.

L.Vive. a NIſi fortè talio.] *In legibus duodecim tab. ſic habebatur: Si membrum rupit meum, è pacto talio eſto. Talio vocabatur quòd quale quis fecerat, tale paſſurus eſſet: ut ſi eruiſſet oculum alienum, amitteret ſuum: ſi amputaſſet alterius nares, perderet ſuas, de cujus æqualitate legis diſputat cum Sex. Cæcilio Favorinus philoſophus apud Gellium libro vigeſimo.*

12. cap. a INjuſtum putant ut pro peccatis quamlibet magnis.] *Oſtendit hoc loco peccatis, quæ brevi ſpatio vel etiam momento temporis committuntur, merito præſcribi pœnas longe extenſiores, cum ex æquitate divinæ juſtitiæ cuilibet peccato mortali pœna reſpondeat æterna. Quæ vero ratione pœna æterna, quæ infinito tempore extenditur, peccato debeatur, quod breviſſimo tempore committitur, id explicat hoc loco Divus Auguſtinus ex ſimilitudine pœnarum, quæ legibus humanis conſtituuntur. Si quidem apud homines peccata, quæ fiunt momento temporis diuturno ſupplicio puniuntur, ut homicidium punitur exilio, mutilatione alicujus membri, quæ pœna tamdiu permanet, quam diu quis vivit, & quod amplius eſt punitur etiam morte, quæ quodammodo*

Digitized by Google

do videtur pœna æterna, eo quod per mortem quisq; perpetuo ſeparetur ab ea republica, cujus membrum extitit. Ita qui peccat contra legem æternam, contra rempublicam ſanctorum, vitæ æternæ promiſſionem, merebitur ut perpetuo pœna æterna puniatur. D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 44. hanc cauſam adfert, quod non diuturnitas peccati ſpectanda ſit, ſed magis voluntas peccantis, quæ hujusmodi eſt, ut ſemper vellet peccare ſi poſſet: ad magnam ergo juſtitiam judicantis (*inquit*) pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato *D. Thomas 1. 2. q. 87. artic. 3. hunc locum D. Auguſtini & D. Gregorii citat, & oſtendit qua ratione peccatum aliquod inducat reatum æternæ pœnæ. Idem D. Gregorius libro 34. moral. lib. capite 16.* At (inquiunt) ſine fine non debet puniri culpa cum fine. Juſtus nimirum eſt omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commiſſum eſt, æterno non debet puniri tormento. Quibus reſpondemus, quod recte dicerent, ſi judex juſtꝰ diſtrictusque veniens non corda hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideo tum ſine deliquerunt quia cum fine vixerunt. Voluiſſent quippe ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare quam vivere, & ideo hic ſemper vivere cupiunt, ut nunquam deſinant peccare cum vivunt. Ad diſtricti ergo judicis juſtitiam pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, noluit habere terminum criminis.

β Niſi forte talio.] *Talio pœnæ genus eſt ex 12. tabul. quo damnum illatum ſimili damno penſabatur, ut ſi oculus eruatur ei, qui alteri oculum excuſſerit; unde* retaliare, *dicimus cum par pari refertur, hoc jus in ſcriptura exprimitur cum dicitur,* oculum pro oculo, dentem pro dente, *Verba L. XII. tabul. hæc ſunt,* ſi membrum rupit, ni cum eo pacit, (*antiquum verbum pro paciſcitur, ut obſervavit Cujacius notis ad libr. 4. Inſtitut. de injuriis*) talio eſto. *Impeмtores vocarunt* reciprocam pœnam *l. 3. C. Theodoſ. de exhib. reis. l. hi quos C. Theodoſ. de accuſat. Meminit & D. Auguſtinus libro 19 contra Faſtum capite 25.* Immoderatæ ac per hoc injuſtæ ultioni lex juſtum modum figens pœnam talionis inſtituit, id eſt, ut qualem quisque intulit injuriam, tale ſupplicium pendat.

γ Si alienæ fœminæ oſculum infixum rationis ſit verbere vindicare.] *Scribit Plutarchus in quæſt. Roma. quæſt 5. hominum oſculis fuiſſe interdictas mulieres præterquam agnatorum, quia agnatorum nuptiis lege prohibitis oſculi jus retentum eſt, ne omnis familiaris vita amorisque ſocietas vetita prorſus videretur iis, quos idem ſanguis conjungeret. Plinius lib. 14. cap. 13. & Gellius lib. 10. cap. 23. referunt ex authoritate M. Catonis cumprimum mulieres à cognatis oſculatas, cum uſus vini eis interdictus fuiſſet, ne bibentes laterent, ſed domeſticorum congreſſu redarguerentur, quibus ſubſcribit ibidem Plutarchus.*

CAP. XII.

De magnitudine prævaricationis primæ, ob quam æterna pœna omnibus debeatur, qui extra gratiam fuerint Salvatoris.

SEd pœna æterna ideo dura & injuſta ſenſibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum ſenſuum deeſt ille ſenſus altiſſimæ puriſſimæque ſapientiæ, quo ſentiri poſſit, α quantum nefas in illa prima prævaricatione commiſſum ſit. Quantò enim magis homo fruebatur Deo, tantò majore impietate dereliquit Deum, & factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe perimit bonum, quod eſſe poſſet æternum. β Hinc eſt univerſa generis humani maſſa damnata, quoniam qui hoc primitus admiſit cum ea, quæ in illo fuerat radicata ſua ſtirpe punitus eſt, ut nullus ab hoc juſto debitoque ſupplicio, niſi miſericordia & indebita gratia liberetur, atque ita diſpertiatur genus humanum, γ ut in quibusdam demonſtretur, quid valeat miſericors gratia, in cæteris quid juſta vindicta. Neque enim utrumque demonſtraretur in omnibus, quia ſi omnes remanerent in pœnis juſtæ damnationis, in nullo appareret miſericors gratia redimentis: rurſum ſi omnes à tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret ſeveritas ultionis. In qua propterea multò plures quàm in illa ſunt, ut ſic oſtendatur, quid omnibus deberetur. Quod ſi omnibus redderetur, juſtitiam vindicantis juſtè nemo reprehenderet. Quia verò tam multi exinde liberantur, eſt unde agantur maximè gratiæ gratuito muneri liberantis.

F.L.C. α QUantum nefas in illa prima prævaricatione commiſſum ſit.] *Peccatum quidem Adæ non fuit abſolute omnium graviſſimum, ut docet D. Thomas 2.2. q.163. art.3. & Theologi 2. ſentent. diſtinct. 21. ſecundum aliquid tamen fuit omnium graviſſimum, primo ex facilitate non peccandi, ut ſuperius docuit lib. 14. cap. 12. ſecundo ex ingratitudine primi hominis, qui ſumma felicitate in paradiſo fruebatur, quam rationem inſinuavit his verbis:* quanto magis homo fruebatur Deo, *&c. tertio à damno illato toti generi humano.* Hinc enim eſt *(inquit)* univerſa generis humani maſſa damnata. *Conſiderandum etiam, quod cum peccatum ſit contra Deum nempe contra infinitum bonum, ſequitur eo ipſo mæreri pœnam, quæ ſit etiam graviſſima, cum nulla poſſit eſſe major injuria, quam quæ Deo infertur, certe ſi quæ gravior pœna etiam æterna cogitari poſſet, ea peccato deberetur. Hoc argumentum perſequitur Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 15.* maximum quod Deo auferre poſſimus per peccatum eſt ipſius honor, qui cum per peccatum auferatur, quantum in nobis eſt, meretur etiam ut Deus auferat à nobis, quod nobis maximum videtur, & ut nobis etiam nolentibus patiamur quod ipſe vult.

β Hinc eſt univerſa generis.] *Eadem habet in Enchirid. cap. 26. videtur vero D. Auguſtinus hic & alias ſæpe referre reprobationem & damnationem in peccatum primi parentis, ratione cujus totum genus humanum factum eſt quaſi quædam maſſa damnata, cum tamen multi ab eo liberentur, qui propter alia peccata propria damnantur: verum ideo id facit, quod inde incipiat omnium hominum reprobatio. Etſi enim aliqui eruuntur ex maſſa damnationis per baptiſmum, & ad ædificium transferuntur, ut ipſe etiam ſcribit epiſt. 54. ad Dardanum quæſt. 2. iterum tamen per peccatum actuale revertuntur ad maſſam, ſicque habentur à Deo, quaſi ab ea maſſa nunquam ſeparati fuiſſent.*

γ Ut

γ Ut in quibuſdam demonſtretur quid valeat miſericors gratia, in cæteris quid juſta vindicta.] *Ea locutio frequens eſt apud D. Auguſtinum ut lib. de nat. & grat. cap. 5. epiſt. 105. & 106. in Enchiridio cap. 99. lib. de prædeſtinat. ſanctor. cap. 9. lib. de bono perſeveran. cap. 8. & 11. & lib. 4. contra Julianum cap. 8. Et hanc fere rationem reddit D. Thomas 1. p. q. 23. artic. 3. ad 5. prædeſtinationis in genere aliquorum & reprobationis aliorum:* voluit, *inquit,* Deus quantum ad aliquos, quos prædeſtinat, ſuam repræſentare bonitatem per modum miſericordiæ parcendo, & quantum ad aliquos, quos reprobat per modum juſtitiæ puniendo. *[*Et hæc eſt ratio, quare Deus quoſdam eligit, & quoſdam reprobat.*]* Et hanc cauſam aſſignat Apoſtolos ad Romanos 9.* volens Deus oſtendere, *&c.*

δ Juſtitiam vindicantis juſte nemo reprehenderet.] *Idem in Enchirid. cap. 99.* in quo non fit miſericordia, non iniquitas fit, ſed judicium, *ibidem:* miſeretur ſcilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, ut nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus, niſi de ſuis meritis conqueratur.

CAP. XIII.

Contra opinionem eorum, qui putant criminoſis ſupplicia poſt mortem cauſa purgationis adhiberi.

PLatonici α quidem quamvis impunita nulla velint eſſe peccata, tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus vel divinis, ſive in hac vita, ſive poſt mortem, ſi aut parcatur hic cuiquam, aut ita plectatur, ut hic non corrigatur. Hinc eſt Maronis illa ſententia, ubi quum dixiſſet de terrenis corporibus moribundiſque membris, quod animæ

Hinc metuunt, cupiuntq;, dolent, gaudéntque, nec auras Virg. 6. Æn.
Suſpiciunt, clauſa tenebris & carcere cæco:

Secutus adjunxit, atque ait:

Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit:

Id eſt, cum die noviſſimo relinquit eas iſta vita.

Non tamen, inquit, *omne malum miſeris, nec funditus omnes*
Corporeæ excedunt peſtes, penitusq; neceſſe eſt
Multa, diu concreta modis inoleſcere miris:
Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Qui hoc opinantur, nullas pœnas niſi purgatorias volunt eſſe poſt mortem, ut quoniam terris ſuperiora ſunt elementa, aqua, aër, ignis, ex aliquo iſtorum mundetur per expiatorias pœnas, quod terrena contagione contractum eſt: Aër quippè accipitur in eo quod ait, ſuſpenſæ ad ventos. Aqua in eo quod ait, ſub gurgite vaſto. Ignis autem ſuo nomine expreſſus eſt, cùm dixit, aut exuritur igni. Nos verò etiam in hac quidem mortali vita eſſe quaſdam pœnas purgatorias confitemur, non quibus affliguntur, quorum vita

vel non inde fit melior, vel potius inde fit pejor, ſed illis ſunt purgatoriæ, qui eis coerciti corriguntur. Cæteræ omnes pœnæ ſive temporariæ, ſive ſempiternæ, ſicut unusquisque divina providentia tractandus eſt, inferuntur, vel pro peccatis, ſive præteritis ſive in quibus adhuc vivit ille qui plectitur, vel pro exercendis declarandisque virtutibus, per homines & angelos, ſeu bonos ſeu malos, *a* Nam ſi quisquam mali aliquid alterius improbitate vel errore patiatur, peccat quidem homo, qui vel ignorantia, vel injuſtitia cuiquam mali aliquid facit, ſed non peccat Deus, qui juſtis, quamvis occulto judicio fieri ſinit. Sed temporarias pœnas alii in hac vita tantùm, alii poſt mortem: alii & nunc & tunc, verumtamen ante judicium illud ſeveriſſimum noviſſimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in ſempiternas pœnas, quæ poſt illud judicium his ſunt futuræ, qui poſt mortem ſuſtinent temporales. Nam quibusdam quod in iſto non remittitur, remitti in futuro ſeculo, id eſt, nec futuri ſeculi æterno ſupplicio puniantur, jam ſuprà diximus. Matt. 12

L. Vives. *a* NAm ſi quisquam mali aliquid alterius improbitate] *Improbitate, ut ſi ſciens ac prudens lædat: vel pravo errore, ut qui putat ſe beneſacere, quales ſunt qui martyres torſerunt ac occiderunt. Hi enim non ſunt à ſcelere liberi, neque eorum inſcitia errorque inevitabilis erat: quippe cauſam ſanctorum vel neglexerunt, vel contempſerunt, vel iracundo & impotenti animo averſati ſunt. De ignorantia quæ juſta ſit excuſatio, quæ frivola & iniqua, diſputat aliis libris Auguſtinus, ut in Quæſtionibus veteris & novi Teſtamenti.*

B. L. Coq. *α* PLatonici quidem.] *Eorum ſententiam refutat, qui nullas pœnas æternas, ſed purgatorias fore omnes aſſerebant, & tandem finem accepturas, quam etiam Platonicis ipſis adſcribit: ſi tamen diligentius conſideremus verba ipſius Platonis, quæ refert tum Juſtinus Martyr ſermon. exhortatorio ad Gentes, tum Euſeb. lib. 11. de præpar. Evang. cap. ult. conſtabit ex Platone ipſo eos, qui ſcelestè vixerunt, conjici tandem in tartarum, ut inde nunquam poſſint evadere, ubi etiam pro varietate peccatorum inducit diverſitatem pœnarum, & in Gorgia ſub finem apud inferos hominum crimina expiabilia, & inexpiabilia deſcribit, quæ vocat, ἰάσιμα καὶ ἀνίατα ἁμαρτήματα.*

β Temporaneas pœnas alii in hac vita tantum, alii poſt mortem.] *[*Ergo aliquas ſupereſſe pœnas poſt mortem exſolvendas aliquando, utpote in purgatorio aperte docet Auguſt. ut etiamſi una cum culpa reatus pœnæ æternæ hic remittatur, cum fieri non poſſit, ut qui amicus Dei eſt, ſit obnoxius pœnæ æternæ, nibilominus aliqua pœna temporalis ſive hic, ſive in altera vita, perſolvenda remaneat etiam remiſſa culpa.*]*

Cap. XIV.

De pœnis temporalibus iſtius vitæ, quibus ſubjecta eſt humana conditio.

RAriſſimi ſunt autem qui nullas in hac vita, ſed tantùm poſteà pœnas luunt. Fuiſſe tamen aliquos, qui usque ad decrepitam ſenectutem ne leviſſimam quidem febriculam ſenſerint, quietamque dixerint vitam, ipſi & novimus & audivimus: quanquam vita ipſa mortalium tota pœna ſit, quia tota

ta tentatio eſt, ſicut ſacræ literæ perſonant, ubi ſcriptum eſt: *Nunquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram?* Non enim parva pœna eſt ipſa inſipientia, vel imperitia, quæ uſque adeò fugienda meritò judicatur, ut per pœnas doloribus plenas, *a* pueri cogantur quæque artificia vel literas diſcere: ipſumque diſcere, ad quod pœnis adiguntur, tam pœnale eſt eis, ut nonnunquam ipſas pœnas, per quas compelluntur diſcere, malint ferre, quàm diſcere. *a* Quis autem non exhorreat, & mori eligat ſi ei proponatur, aut mors perpetienda, aut rurſus infantia? Quæ quidem, quod non à riſu, ſed à fletu orditur hanc lucem, quo quid malorum ingreſſa ſit neſciens prophetat quodammodo. *β* Solum quando natus eſt *b* ferunt riſiſſe Zoroaſtrem, nec ei boni aliquid monſtroſus riſus ille portendit. *γ* Nam magicarum artium fuiſſe perhibetur inventor, quæ quidem illi nec ad præſentis vitæ vanam felicitatem contra ſuos inimicos prodeſſe potuerunt. *δ* A Nino quippè rege Aſſyriorum, cùm eſſet ipſe Bactrianorum rex, bello ſeparatus eſt. Prorſus quod ſcriptum eſt: *Grave jugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium:* uſque adeò impleri neceſſe eſt, ut ipſi parvuli per lavacrum regenerationis ab originalis peccati, quo ſolo tenebantur, vinculo jam ſoluti, mala multa patientes, *ε* nonnulli etiam incurſus ſpirituum malignorum aliquando patiantur. Quæ quidem paſſio abſit ut eis obſit, ſi hanc vitam in illa ætate etiam ipſa paſſione ingraveſcente, & animam de corpore excludente finierint.

Iob. 7.

Eccl. 40.

a QUis autem non exhorreat, & mori eligat.] *At ſunt multi qui pro maximo Dei munere recipiant, ſi iterum vivere contingat, & incipiant in cunis vagire, de quibus vere poterat Æneas dicere:* L. Vives.

Quæ lucis miſeris tam dira cupido?

Sapiens apud Ciceronem Cato nolle ſe dicebat à calce ad carceres revocari, hoc eſt, decurſo ſpatio à termino ad exordium reduci vitæ.

b Ferunt riſiſſe Zoroaſtrem.] *Hic rex Bactrianorum fuit magicarum artium inſtitutor, quem Hermodotus Platonicus præceſſiſſe ait Troicum bellum annis quinque millibus: idem Hermippus. Qui & eum ab Agnace inſtitutum tradit, ſcripſiſſeque vicies centum millia verſuum. Eudoxus paulo antiquiorem facit, nempe ſex annorum millibus ante Platonis mortem, quem ſecutus eſt Ariſtoteles. Xanthus verò Lydius, ut illi nimis multos, ſic ipſe nimis paucos computavit annos, ſexcentos ſcilicet à Zoroaſtre ad Xerxis tranſitum. Plinius parum conſtare dicit, utrum unus tantum fuerit Zoroaſtres, an plures: certioribus tamen auctorum ſcriptis traditur Zoroaſtrem Bactrianorum regem temporibus vixiſſe Nini Aſſyrii, à quo victus & regno pulſus eſt, inſtitutor magicæ artis, qui eodem quo natus eſt die riſit, cerebrumque ei ita palpitavit, ut impoſitam repelleret manum, futuræ præſagio ſcientiæ, ut dicit Plinius. Viginti annis in deſerto caſeo vixit ita temperato, ut vetuſtatem non ſentiret.*

a PUeri cogantur quæque artificia vel literas diſcere.] *lib. 1. confeſſ. cap. 9.* In ſcholam datus ſum, ut diſcerem literas, in quibus quid utilitatis eſſet, ignorabam miſer, & tamen ſi ſegnis in diſcendo eſſem, vapulabam miſer, *& cap. 1. 2.* F. L. Cog.

In ipſa pueritia, de qua mihi minus, quam de adoleſcentia metuebam, non amabam literas, & me in eas urgeri oderam, & urgebar tamen, & mihi bene fiebat, nec faciebam ego bene non enim diſcerem, niſi cogerer. Nemo autem invitus bene facit, etiamſi bonum eſt, quod facit. *Quomodo pueri optimas diſciplinas ſint ab initio edocendi & pædagogis tradendi, qui eorum laſciviam regant atque doment, & multis ſint quaſi frænis conſtringendi ac caſtigandi, tradit Plato lib. 7. de de legibus. Eſt enim puer (ait)* πάντων θηρίων δυσμεταχειριστότατον, omnibus beſtiis intractabilior.

β Solum quando natus eſt, ferunt riſiſſe Zoroaſtrem.] *Plinius lib. 7. cap. 16.* Riſiſſe eodem die, quo genitus eſſet, unum hominem accepimus Zoroaſtrem.

γ Magicarum artium fuiſſe perhibetur inventor.] *Auctor idem Plinius lib. 30. cap. 1. & Juſtinus lib. 1. Autor hiſtoriæ Scholaſticæ in Geneſ. cap. 39. Zoroaſtrem hunc primum magicarum artium inventorem vult fuiſſe Cham improbum illum Noe filium, qui à paterna pietate defecit, cujusque animus diabolicis illis magicarum artium fallaciis adeo corruptus fuit. Plato in Alcibiade primo, meminit magiæ Zoroaſtri, quam edocebantur apud Perſas regii pueri, quæ verſaretur circa Deorum cultum,* ἔστι καὶ τοῦτο θεῶν *(inquit)* θεραπεία, *ſi quidem dæmones, qui ſibi divinitatem vendicabant ac divinos honores à deceptis mortalibus ambibant, rationem etiam tradebant, qua vellent ab hominibus coli, & quibus ceremoniis ac ſacrificiis ſibi cultum deferri. Impiæ ergo hujus ſuperſtitionis apud mortales primus aſſertor fuit ille Zoroaſtres: illius meminit & Diogenes Laertius in prooemio, ubi apud Perſas eum fuiſſe Magorum principem ſcribit, & ab eo ad excidium Trojæ ex Hermodoro Platonico quinque millia annorum computari.*

δ A Nino quippe rege Aſſyriorum.] *Juſtinus lib. 1. Diodorus lib. 1. Sabellicus Enne. 1. lib. 1.*

ε Nonnulli etiam incurſus ſpirituum malignorum.] *Hunc locum citat Martinus Delrio lib. 3. diſquiſit. Magica. p. 1. q. 5. id ita permittente Deo, quia ſic à multis peccatis præſervati in cœlum recipiuntur fælices, ſecuri quod malitia non mutabit eorum intellectum, id etiam permittit aliquando in pœnam parentum, vel ad eorum probationem. Idem in Enchir. cap. 66.* In hac vita uſque adeo valet quod ſcriptum eſt, grave jugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, *&c.* Ut etiam parvulos videamus poſt lavacrum regenerationis diverſorum malorum affectione cruciari, ut intelligamus totum, quod ſalutaribus agitur ſacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quam ad retentionem vel adeptionem præſentium pertinere.

Cap. XV.

Quòd omne opus gratiæ Dei eruentis nos de profunditate veteris mali, ad futuri ſeculi pertineat novitatem.

Veruntamen in gravi jugo, quod poſitum eſt ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium, α etiam hoc medium † miſerabile † reperitur, ut ſobrii ſimus atque intelligamus hanc vitam

al. malè. al. mirabile.

vitam de peccato illo nimis nefario, quod in Paradiſo perpetratum eſt, factam nobis eſſe pœnalem, totumque quod nobiſcum agitur per teſtamentum novum non pertinere, niſi ad novi ſeculi hæreditatem novam, ut hic pignore accepto, illud, cujus hoc eſt pignus, ſuo tempore conſequamur. Nunc autem ambulemus in ſpe, & proficientes de die in diem, ſpiritu facta carnis mortificemus. *Novit enim Dominus, qui ſunt ejus, & quotquot ſpiritu Dei aguntur, a hi filii Dei ſunt, ſed gratia, non natura.* Unicus enim natura Dei filius, propter nos miſericordia factus eſt filius hominis, ut nos natura filii hominis, filii Dei per illum gratia fieremus. Manens quippè ille immutabilis naturam noſtram, in qua nos ſuſciperet, ſuſcepit à nobis, & tenax divinitatis ſuæ noſtræ infirmitatis particeps factus eſt: ut nos in melius commutati, quòd peccatores mortalesque ſumus, ejus immortalitatis & juſtitiæ participatione amittamus, & quod in natura noſtra bonum fecit, impleti ſummo bono in ejus naturæ bonitate ſervemus. Sicut enim per unum hominem peccantem in hoc tam grave malum devenimus: ita per unum hominem eundemque Deum juſtificantem ad illud bonum tam ſublime veniemus. β Nec quiſquam ſe debet ab iſto ad illum tranſiſſe confidere, niſi cùm ibi fuerit, ubi tentatio nulla erit, niſi pacem tenuerit, quam pacem belli hujus, in quo caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, multis & variis certaminibus quærit. γ Hoc autem bellum nunquam ullum eſſet, ſi natura humana per liberum arbitrium in rectitudine, in qua facta eſt, perſtitiſſet. Nunc verò, quæ pacem felix cùm Deo habere noluit, ſecum pugnat infelix, & hoc quoque cùm malum ſit miſerabile, melius eſt tamen quam priora vitæ hujus. Melius quippè confligitur cum vitiis, quàm cùm ſine ulla conflictatione dominantur. Melius eſt, inquam, bellum cum ſpe æternæ pacis, quam ſine ulla liberationis cogitatione captivitas. Cupimus quidem etiam hoc bello carere, & ad capeſſendam ordinatiſſimam pacem, ubi firmiſſima ſtabilitate potioribus infirmiora † ſubdantur, igne divini amoris accendimur. Sed ſi (quod abſit) illius tanti boni ſpes nulla eſſet, δ malle debuimus *b* in hujus conflictationis moleſtia remanere, quàm vitiis in nos dominationem non eis reſiſtendo permittere.

Rom. 8. 2 Tim. 2. Rom. 8. Rom. 5. † al. inferiora.

a ETiam hoc medium.] *Varia lectio: alibi, Etiam hoc medium mirabile: alibi, Miſembile: alibi, Malum miſerabile. Quid ſi legas, Hoc minimè miſerabile?* L. Vives.

b In hujus conflictationis moleſtia.] *Hoc etiam dixerunt philoſophi, qui animas mortales, aut diuturnas tantum poſuerunt: nam vel omni pretio ſepoſito, benè vivere plus juvat, quam male: & ipſa virtus eſt ſibi ampliſſimum præmium: feliciores que ſunt boni etiam dum hìc vivunt, quam mali quantumlibet fortunati. Atque hoc eſt quod Chriſtus ſectatoribus ſuis amplam mercedem non modo in futura promittit vita, ſed etiam in præſenti.*

a FIlii Dei ſunt, ſed gratia: non natura.] *Eſt enim filiatio adoptiva, gratuita, non naturalis Jacobi 1.* Voluntarie genuit nos verbo veritatis. *Joann. 3.* Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & ſimus. *Hebræ. 2.* Non confunditur fratres eos vocare dicens, *&c. Et ſolus Chriſtus filius Dei naturalis: de qua filiatione loquens Apoſtolus Hebræ. 1. dixit:* Cui enim Angelorum dixit F.L. Coqu.

xit aliquando, filius meus es tu. *Athanaſius orat. 2. contra Arrianos ſatis poſt medium.* Quod ſecundum naturam ex aliquo gignitur, id vera ejus progenies cenſendum eſt, qui vero ex virtute & gratia nomen filiorum ſolummodo obtinent, non natura, ſed gratia jus liberorum habent. *Ambroſius lib. 1. de fide cap. 9.* Per adoptionem nos filii dicimur, ille per veritatem naturæ eſt. *& lib. de Incarnatio. Dominicæ ſacramen. cap. 8.* Adoptivum filium non dicimus filium eſſe naturæ, ſed eum dicimus natura eſſe, qui verus eſt filius. *Auguſtinus ipſe epiſtol. 120. capite quarto.* Eramus aliquid antequam eſſemus filii, & accepimus beneficium, ut fieremus, quod non eramus, ſicut qui adoptatur, antequam adoptaretur, nondum erat ejus filius, à quo adoptatur, jam tamen erat, qui adoptaretur. Et ab hac generatione gratiæ diſcernitur ille filius, qui cum eſſet filius Dei, venit ut fieret filius hominis, donaretque nobis qui eramus filii hominum, filios Dei fieri, *& multa, quæ ad hunc locum faciunt lib. 3. contra Fauſtum cap. 3.* Unicum filium habet quem genuit de ſubſtantia ſua, de quo dicitur, cum in forma Dei eſſet, non rapinā arbitratus eſſe ſe æqualē Deo: nos autē non de ſubſtātia ſua genuit, creatura enim ſumus, quam non genuit, ſed fecit: & ideo ut fratres Chriſti ſecundum modum noſtrum faceret adoptavit. Iſte itaque modus, quo nos Deus, cum jam eſſemus ab ipſo non nati, ſed conditi & inſtituti, verbo ſuo & gratia ſua genuit, ut filii ejus eſſemus, adoptio vocatur. *Videndus Irenæus lib. 3. cap. 12. & præclarè D. Hieronymus lib. 2. adverſus Jovinianum.* Quod in conſortium ſubſtantiæ ejus aſſumimur, non naturæ eſt, ſed gratiæ.

β Nec quiſquam debet ſe ab iſto ad illum tranſiiſſe confidere.] *Vel intelligit *[neminem ſibi certo poſſe perſuadere ſe eſſe in gratia, quod definivit Concilium Tridentinum, ſeſſione ſexta, qua quis filius Dei conſtituitur, & veterem hominem exutus Chriſto inſeritur,]* vel intelligit certe neminem ſecurum eſſe de ſua prædeſtinatione, ſeque per æternum Dei propoſitum pertinere ad ſortem filiorum Dei, & à maſſa corruptionis ſeparatum. Etſi enim quid ſit in gratia præſentem vitam agens, facile tamen ab ea excidet, niſi peculiari quodam Dei auxilio juvetur, unde cum tremore & timore ſalutem ſuam operari debet, & qui ſtat, videat ne cadat, & noli altum ſapere, ſed time, & certo ſcit ſibi colluctandum eſſe adverſus infenſiſſimos hoſtes, & legitimè certandum, ſi coronari velit, victoriam ſibi certo polliceri non poteſt.*

γ Hoc autem bellum nunquam ullum eſſet.] *Juſtitia enim originalis ita hominem componebat, ut nullam in ſe experiretur rebellionem carnis ad Spiritum, vel ſenſitivi appetitus ad rationem, ſed perfecte inferiores partes ſuperioribus obtemperarent: peccato autem factum eſt, ut hujuſmodi rebellionem ſentiret. Supra lib. 13. cap. 13. & lib 14. cap. 17. & pax illa ac concordia in primo homine non erat aliquid naturale, ſed ſupernaturale Dei donum, ut docet D. Thomas 1 p. quæſt. 95. art. 1. & 1. 2. quæſt. 82. art. 1. ad 3. & quæſt. 4. de malo artic. 1. & lib. 4. contra Gentes cap. 52. & in hoc conſentiunt omnes Theologi, ut docet Bellarminus lib. unico de gratia primi hominis cap. 5.*

δ Malle debuimus in hujus conflictationis moleſtia remanere.] *Adeo virtus ipſa pulchra eſt per ſe & amplectenda, & vitium fugiendum, ut & Philoſophi ipſi, qui*

vel

vel nihil ſupereſſe hominis poſt hanc vitam cenſuerunt, vel etſi immortalem animam ſtatuerent, non tamen beatitudinem illam; quæ à Deo revelata eſt, ſibi proponebant, neque ſpem ſuam eo erigebant ac ſurſum attollebant, multa de virtutibus ipſis tradiderint ac diſſeruerint, eam ut per ſe pulchram & amplectendam inprimis docuerint, vitium ut turpe fugiendum & ex animo evellendum monuerint, virtutem in hominibus maxime commendarint, vitium vero plurimum vituperarint.

CAP. XVI.

Sub quibus gratiæ legibus omnes regeneratorum habeantur ætates.

VErùm tanta eſt Dei miſericordia in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam, ut etiam prima hominis ætas, id eſt, infantia, quæ ſine ullo reniſu ſubjacet carni: & ſecunda, quæ pueritia nuncupatur, ubi nondum ratio ſuſcepit hanc pugnam, & ſub omnibus vitioſis delectationibus jacet, quia licet jam fari valeat, & ideò infantiam tranſiiſſe videatur, non in ea eſt præcepti capax infirmitas mentis: ſi ſacramenta mediatoris acceperit, etiam ſi hanc in eis annis vitam finiat, translata ſcilicet à poſteritate tenebrarum in regnum Chriſti, non ſolùm pœnis non præparetur æternis, *a* ſed ne ulla quidem poſt mortem purgatoria tormenta patiatur. Sufficit enim ſola ſpiritalis regeneratio, ne poſt mortem obſit, quod carnalis generatio cum morte contraxit. Cum autem ventum fuerit ad ætatem, quæ præceptum jam capit, & ſubdi poteſt legis imperio, ſuſcipiendum eſt bellum contra vitia, & gerendum acriter, ne ad damnabilia peccata perducat. Et ſi quidem nondum victoriarum conſuetudine roborata ſunt, facilius vincuntur & cedunt: ſi autem vincere atque imperare conſueverunt, laborioſa difficultate ſuperantur. Neque enim id fit veraciter atque ſynceriter, *a* niſi veræ delectatione juſtitiæ. Hæc eſt autem in fide Chriſti. Nam *β* ſi lex jubens adſit, & ſpiritus juvans deſit, per ipſam prohibitionem deſiderio creſcente atque vincente, peccati etiam reatus prævaricationis accedit, *b* ut nonnunquam ſint apertiſſima vitia, quæ aliis vitiis vincuntur occultis, quæque putantur eſſe virtutes, in quibus regnat ſuperbia, & quædam ſibi placendi altitudo ruinoſa. Tunc itaque victa vitia deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur, quem niſi Deus ipſe non donat, nec aliter niſi per mediatorem Dei & hominum hominem Jeſum Chriſtum, qui factus eſt particeps mortalitatis noſtræ, ut nos participes faceret divinitatis ſuæ. *γ* Pauciſſimi autem ſunt tantæ felicitatis, ut ab ipſa ineunte adoleſcentia nulla damnabilia peccata committant, vel in *c δ* flagitiis, vel in facinoribus, vel in nefariæ cujusquam impietatis errore, ſed magna ſpiritus largitate opprimant, quidquid in eis poſſet carnali delectatione dominari. Plurimi verò præcepto legis accepto, cùm prius victi fuerint, prævalentibus vitiis & prævaricatores ejus effecti, tunc ad gratiam confugiunt adjuvantem, qua fiant, & amarius pœnitendo, & vehementius pugnando, prius Deo ſubdita, atque ita carni præpoſita mente victores. Quiſquis igitur cupit pœnas evadere ſempiternas, *ε* non ſolùm baptizetur, verùm etiam juſtificetur in Chriſto, ac ſic verè tranſeat à Diabolo ad Chriſtum. *ζ* Purgatorias autem pœnas nullas futuras opine-

pinetur, niſi ante illud ultimum tremendumque judicium. Nequaquam tamen negandum eſt, etiam *d* ꝛ ipſum æternum ignem pro diverſitate meritorum, quamvis malorum aliis leviorem, aliis futurum eſſe graviorem, ſive ipſius vis atque ardor pro pœna digna cujusque varietur, ſive ipſe æqualiter ardeat, ſed non æquali moleſtia ſentiatur.

L. Vives. *a* Niſi vera.] *Idcirco Plato jubet ita pueros aſſuefaciendos, ut tantum verè bonis delectentur rebus, averſentur malas. Id ſi fieret, non ſecus ad virtutem unusquisque ferretur pronus, quam nunc ad corporeas voluptates, quibus unis aſſuevimus & innutriti ſumus. Neque enim parum refert, quibus vel dolere conſuevimus, vel gaudere. Viro perfectè bono jucundiora ſuavioraque ſunt virtutum opera, quam cuivis voluptuario voluptates.*

b Ut nonnunquam ſint.] *Alibi ſic: Nonnunquam ſanè apertiſſima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quæ putantur eſſe virtutes, &c. Facit enim exterior legis obſervatio ſine gratia non bonos, ſed hypocritas. Plato cum amicos nobiles invitaſſet, tricliniumque juſſiſſet ornari non omnino ſordide, irrupit Diogenes Cynicus, & ſpurcis illis ſuis cœnoſisque pedibus cœpit lectulos conculcare. Ingreſſus cum convivis Plato: Quid agis, inquit, Diogenes? Calco, inquit ille, Platonis faſtum. Calcas, reſpondit, Plato, ſed alio faſtu majore: videlicet arrogantia & jactantia erat in Diogenis animo impotentior & intolerabilior, quod inops eſſet, quam in Platone, qui cultum illum amicorum oculis dabat, non ſibi. Ita invenias ſuperbiſſimos plerosque egenos, qui hoc tantum nomine meliores & ſanctiores etiam bonis divitibus ſibi videantur, quod nihil habeant: ceu vero modicum cenſum laudarit Dominus, & non modicum animum. Ejusmodi homines diteſcere recuſant, quod ſe admirabiliores, & in majore pretio habitum iri credunt, ſi in ſua tenuitate manſerint. Diogenes item multa horrenda faciebat, ut omnium oculos ad ſe ſuſpiciendum mirandumque converteret: idcirco cum media hyeme in rigidiſſima lavaret aqua, frequensque id populus ſpectans miſertus hortaretur, ut ſibi parceret, Plato exclamavit: Si vultis ejus miſereri, diſcedite: quippe illud Diogenes non virtutis cauſa, ſed circumfuſa multitudinis agebat.*

c Flagitiis vel in facino.] *Levia ſunt flagitia, graviora facinora, graviſſimum omnium error impietatis.*

d Ipſum æternum ignem.] *Juxta illud Domini in Evangelio: Tyro & Sidoni remiſſibilius erit in die judicii, & alia dicta ejusdem mentis complura.*

F. L. Coq. *α* Sed ne ulla quidem poſt mortem purgatoria tormenta patiuntur.] *Baptiſmus enim delet omnem culpam, & pœnam, dicitur aperire januam regni cœleſtis. D. Thomas 3. part. quæſt. 69. & lib. 4. contra Gentes cap. 9. Theologi in 4. diſtinct. 4. & nullum impedimentum habent pueri nondum ullius præcepti capaces præter originalē culpam, quæ in baptiſmo remittitur: efficiuntur filii Dei, itaque jus habent ad hæreditatem cœleſtem. Si enim filii & heredes, & nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, & etiam adulti ipſi ſi moriantur, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad Dei viſionem & regnum cælorum perveniunt. Ita definitum in Concilio Florentino.*

β Si

β Si lex jubens abſit, & Spiritus juvans deſit.] *Nam ut ſcribit lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 2.* Lege fit, ut quod fieri velit, audiatur: gratia vero, ut legi obediatur, *infra*, lex auditores juſtitiæ facit, gratia factores, *ibidem*, Virtus peccati lex *(inquit)* auget quippe prohibendo peccati deſideria, & inde occidit niſi ſubveniendo vivificet gratia, *& lib. de perfectione juſtitiæ cap. 6.* Lex prohibendo auget peccati cupiditatem, niſi diffundat Spiritus charitatem. *Idem epiſt. 95. ad Innocentium Papam*, diſtinguenda eſt lex & gratia, lex jubere novit, gratia juvare: *eadem ſcribit epiſt. 144. per Spiritum juvantem gratia ipſa ſignificatur, ut docet lib. 15. contra Fauſtum cap. 8.* Sponſa Chriſti intelligit, quid interſit inter literam & ſpiritum, quæ duo dicuntur alio modo lex & gratia: *& lib. de gratia & liber. arbitrio cap. 18. & lib. 3. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 7.* Juſtitiam legis non impleri cum lex jubet, & homo quaſi ſuis viribus facit, ſed cum Spiritus adjuvat, & hominis non libera, ſed gratia Dei liberata voluntas facit.

γ Pauciſſimi autem ſunt tantæ fœlicitatis.] *Natura enim prona eſt ad malum ab adoleſcentia, & inde quidem facile agnoſcimus infirmitatem liberi arbitrii & gratiæ neceſſitatem, & in ſtatu naturæ corruptæ impoſſibile omnino effugere peccatum etiam mortale, niſi & ipſa Dei gratia juvemur. Ita docuere concilia & Pontifices, Concilium Milevitanum can. 3. 4. & 5. Arauſica can. 2. 13. 19. & 22. Toletanum 3. can. 2. Africanum cano. 78. 79. & 80. Concilium Chartaginenſe 3. epiſtol. ad Innocentium, quæ eſt 90. inter epiſtolas D. Auguſtini. Ipſemet Innocentius epiſt. ad dictum Concilium, quæ eſt. 91. & epiſt. ad Concilium Milevitanum, quæ eſt 93. Celeſtinus Papa epiſt 8. D. ipſe Auguſt. lib. 2. de peccato meritis & remiſſi. cap. 5. lib. de nat. & grat. cap. 2. 16. 17. 98. 59. 69. & 70. lib. 15. contra Fauſtum cap. 8. & alias paſſim contra Pelagianos, & ipſe D. Hieronymus epiſto. ad Creſiphontem, & lib 1. contra Pelagianos, quod ſine divina gratia tentationi reſiſtere non poſſumus. D. Thomas 1. 2. q. 109. artic. 8. & 9. & lib. 3. contra Gentes cap. 160. non mirum igitur, ſi pauci ſunt adeo fœlices; ut nulla damnabilia peccata committant.*

δ Flagitiis vel facinoribus, vel in nefariæ cujusquam impietatis.] *His quidem omnibus ſignificantur peccata mortalia, quæ homines ducunt in extremam perditionem, diverſitate tamen vocabulorum ſignificatur, alia aliis eſſe longe graviora, ut gravia quidem per flagitia ſignificentur, graviora vero per facinora, graviſſimum autem per errorem impietatis.*

ε Non ſolum baptizetur, verum etiam juſtificetur.] *Atqui baptiſmo ipſo juſtificatus homo, gratiam recipit, efficitur filius Dei, vere à diabolo tranſit ad Chriſtum, & ut ſcribit lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagia. cap. 3.* Baptiſmus abluit omnia peccata, prorſus omnia factorum, dictorum, cogitatorum, ſive originalia ſive addita, ſive quæ ignoranter ſive quæ ſcienter admiſſa ſint. Quid igitur præterea regerit hominem juſtificari, cum baptizari hoc ſit vere juſtificari in Chriſto. *Id ergo ſic intelligendum, hominem quidem baptizatum vere gratiam & juſtitiam percipere, quia tamen non aufert ipſe baptiſmus, (ut ſcribit loco citato) infirmitatem, cui regeneratus reſiſtit: quando bonum agonem luctatur, & ex hac parte filius eſt ſæculi, & in periculo ne vitiis ſuccumbat, propterea debet eniti, ut per gratiam Chriſti concupiſcen-*

Digitized by Google

xiam carnis & tentationes ſuperet, & exuat omni ex parte veterem hominem, vel disjunctive illud accipiendum, non ſolum baptizetur, verum etiam juſtificetur, ſi nimirum poſt baptiſmum in aliquod peccatum mortale lapſus fuerit, cum baptiſmum percepiſſe alioquin non ſit ei profuturum ad ſalutem, niſi per pœnitentiam expiet hujusmodi peccatum, & denuo juſtificetur in Chriſto.

ζ Purgatorias pœnas nullas futuras opinetur.] *Hæc aſſertio ſumitur ex ſententia finali Matth. 25. per quam omnes adulti proponuntur judicandi, qui propria opera habere potuerunt, at illi omnes vel in beatitudinem recipiuntur, vel in gehennam relegantur* *[*Jam ergo tunc non eſt purgatorius locus, verum ſupponentur purgati omnes, quotquot ſalutem ſunt conſecuturi. Præcedet enim judicium particulare erga omnes, & concedetur tempus ſufficiens quo purgentur, & pœna ita augebitur, ut ſi quid reſiduum fuerit intra illud tempus poſſit perfecte purgari, & ad glorioſam reſurrectionem præparari.*]* *Ex quo magis confirmatur hæc aſſertio, nam ante judicium omnes ſalvandi reſurgent in gloria impaſſibiles & immortales, quæ certe dotes corporis glorioſi præſupponunt beatitudinem & gloriam jam animæ communicatam.* *[*Fieri etiam poterit, ut ex ordinatione divina in fine mundi imminente jam judicio univerſali merita ſanctorum applicentur ipſis animabus purgatorii, adeoque exhauriatur theſaurus Eccleſiæ & ipſæ animæ perfectè ſint præparatæ, ut illis gloria conferatur, adeoque poſt judicium nihil remaneat omnino purgandum. De hac aſſertione videndus Suarez. 4. tom. in 3. p. D. Thomæ q. 46. ſect. 4. & Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 9 uterque citat hunc locum D. Auguſtini.*]* *Bellarminus notat errorem Origenis, qui extendat purgatorias pœnas ultra diem judicii homil. 14. in Lucam his verbis:* Ego puto quod & poſt reſurrectionem ex mortuis indigemus ſacramento eluente nos atque purgante: nemo enim abſque ſordibus reſurgere poterit. *Hanc tamen lectionem improbat Suarez, ſiquidem Origenes omnino contrarium aſſerit in eadem homil. ſcribens, piaculum eſſe aſſerere, quod polluti & ſordidi reſurgamus cum ſcriptum ſit,* Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: *unde putat Suarez, quod inferius habetur in Origine,* Poſt reſurrectionem ex mortuis indigere nos ſacr. elu. at. pur. n. e. a. ſord. reſu. *vel ſuppoſititium eſſe vel mendoſum, & fortaſſe dicendum eſſet, ante reſurrectionem indigere nos ſacramento eluente atque purgante, quia alias nemo abſque ſordibus reſurgeret. Nec mihi ſatis facit, quod quidam Origenis locum intelligunt de igne ultimæ conflagrationis, qui in die judicii purgabit quosdam electos nondum purgatos, & omnes reprobos convolvet. Neque enim poſt reſurrectionem electi in glorioſis corporibus obnoxii erunt ulli purgationi per ignem.*

η Ipſum æternum ignem pro diverſitate meritorum.] *Id docet & D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 43.* Unus quidem eſt gehennæ ignis, ſed non uno modo omnes cruciat peccatores, unusquisque enim quantum exigit culpa, tanta illic ſentitur pœna. Nam ſicut in hoc mundo ſub uno ſole multi conſiſtunt, nec tamen ejusdem ſolis ardorem æqualiter ſentiunt, qui alius plus æſtuat, alius minus, ita illic in uno igne non unus eſt modus incendii, quia quod hic diverſitas corporum, hoc illic agit diverſitas peccatorum, ut & ignem non diſſimilem habeant,

beant, & tamen eoſdem ſingulos diſſimiliter exurat. *Idem docent & Theologi in 4. diſtinct. 50. Cum enim ignis ille ſit inſtrumentum divinæ juſtitiæ, & inſtrumentum non agat niſi ut à principali agente movetur, ignis ille non prorſus, ut naturalis in omnes æqualiter agit, verum ut ipſa poſtulat divina juſtitia.*

Cap. XVII.

De his, qui putant, nullorum hominum pœnas in æternum eſſe manſuras.

NUnc jam cum miſericordibus noſtris agendum eſſe video, & pacificè diſputandum, qui vel omnibus illis hominibus, quos juſtiſſimus judex dignos gehennæ ſupplicio judicabit, vel quibuſdam eorum nolunt credere pœnam ſempiternam futuram, ſed poſt certi temporis metas pro cujusque peccati quantitate longioris ſive brevioris eos inde exiſtimant liberandos. Qua in re *a α* miſericordior profectò fuit Origenes, qui & ipſum diabolum atque angelos ejus poſt graviora pro meritis & diuturniora ſupplicia ex illis cruciatibus eruendos atque ſociandos ſanctis Angelis credidit: Sed illum & propter hoc & propter alia nonnulla & maximè propter alternantes ſine ceſſatione beatitudines & miſerias, & ſtatutis ſeculorum intervallis ab iſtis ad illas, atque ab illis ad iſtas itus ac reditus interminabiles, *β* non immeritò reprobavit Eccleſia: quia & hoc, quod miſericors videbatur, amiſit, faciendo ſanctis veras miſerias, quibus pœnas luerent, & falſas beatitudines, in quibus verum ac ſecurum, hoc eſt, ſine timore certum ſempiterni boni gaudium non haberent. Longè autem aliter iſtorum miſericordia humano erat affectu, qui hominum illo judicio damnatorum miſerias temporales, omnium verò, qui vel citius vel tardius liberantur, æternam felicitatem putant. Quæ ſententia, ſi propterea bona & vera, quia miſericors eſt, tantò erit melior & verior, quantò miſericordior fuerit, extendatur ergò ac perfundatur fons hujus miſericordiæ *b* uſque ad damnatos angelos, ſaltem poſt multa atque prolixa quantumlibet ſecula liberandos: Cur uſque ad univerſam naturam manat humanam, & quum ad angelicam ventum fuerit, mox areſcit? *γ* Non audent tamen ſe ulterius miſerando porrigere, & ad liberationem ipſius quoque diaboli pervenire. Verùm ſi aliquis audet, vincit nempe iſtos, & tamen tanto invenitur errare deformius, & contra recta Dei verba perverſius, quantò ſibi videtur ſentire clementius.

a MIſericordior profecto fuit Origenes.] *Origenes Adamantius in libro περὶ ἀρχῶν, id eſt, de principiis, de quo alibi.* L. Vives.

b Uſque ad damnatos an.] *Et iſtos quoque ſuppliciis liberabat Origenes, ſicut ex ſanctis angelis procedente tempore diabolos faciebat, quæ illius erant viciſſitudines.*

α MIſericordior profecto fuit Origenes, qui & ipſum diabolum.] *Ita impiè docuiſſe Originem teſtes ſunt etiam Epiphanius epiſt. de illius error. ad Joannem Hieroſolymit. Hieron. epiſt. 61 ad Pammachium & in apologia adverſus Rufin. & epiſt. 75. adverſus Vigilantium, & ipſe D. Auguſt. lib. de hæreſib. ad Quod vult deum* F. L. Cop.

rum cap. 43. Genebrardus in collectaneis de vita & ſcriptis Origenis 6. illum ab eo errore vindicare conatur. Nam in libro de principiis (inquit) id ſe magis dixiſſe diſputando & pertractando quam ſtatuendo & definiendo affirmat. Unde aperte contra reparationem dæmonum & damnatorum ſcribit homil. 1. & 14. in Ezech. homil. 14. in Joſue homil. 12. & 14. in Numeros lib. 5. in epiſt. ad Romanos, & in Pſal. 37. Quin & homil. 9. in diverſos aperte ſcribit: Diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus, credimus æterna tormenta: *quo loco etiam tacite eos reprehendit, qui volebant aliquando ſupplicia finiri, & licet poſt multa tempora, tamen terminum habere tormenta, propoſitis etiam ſcripturæ teſtimoniis, quibus nitebantur.*

β Non immerito reprobavit Eccleſia.] *Origenis errores ab Anaſtaſio Papa fuiſſe damnatos teſtatur D. Hieronymus Apologia adverſus Ruffinum & epiſt. 78. ad Pammachium & Marcellum, item à Theophilo in ſynodo Alexandrina, ejus præcipui errores recenſentur à D. Hieronymo epiſt 61. ad Pammachium & alibi. Poſt D. Auguſtinum etiam Vigilio Papa & Juſtiniano Imperatore ſynodus quinta œcumenica multis anathematiſmis & vociferationibus impia & abſurda damnavit Origenis dogmata, quæ exſtant apud Nicephorum lib. 17. cap. 27. 28. & in ejus concil. act. 4. capite 11.*

γ Non audent ſe ulteriùs miſerando porrigere. *Ut velint homines damnatos dumtaxat non etiam Angelos reprobos tandem miſerante Deo à pœnis inferni liberandos & beatitudine fruituros, cum Origenes hujuſmodi miſericordiam & ad Angelos malos extenderet.*

Cap. XVIII.

De his, qui noviſſimo judicio propter interceſſiones ſanctorum neminem hominum putant eſſe damnandum.

Sunt etiam, quales in collocutionibus noſtris ipſe ſum expertus, qui quum venerari videantur ſcripturas ſanctas, moribus improbandi ſunt: & agendo cauſam ſuam, multo majorem quàm iſti miſericordiam Deo tribuunt erga humanum genus. Dicunt enim de malis & infidelibus hominibus divinitus quidem verum prædictum eſſe, quòd digni ſunt pœna. Sed quum ad judicium ventum fuerit, miſericordiam eſſe ſuperaturum. α Donabit enim eos, inquiunt, miſericors Deus precibus & interceſſionibus ſanctorum ſuorum. Si enim orabant pro illis, quando eos patiebantur inimicos, quantò magis quando videbunt humiles ſupplicesque proſtratos? Neque enim credendum eſt, ajunt, tunc amiſſuros ſanctos viſcera miſericordiæ, quum fuerint pleniſſimæ ac perfectiſſimæ ſanctitatis, ut qui tunc orabant pro inimicis ſuis, quando & ipſi ſine peccato non erant, tunc non orent pro ſupplicibus ſuis, quando nullum cœperint habere peccatum? Aut verò Deus tunc eos non exaudiet tot & tales filios ſuos, quando in tanta eorum ſanctitate nullum inveniet orationis impedimentum? β Teſtimonium verò Pſalmi, & illi quidem, qui permittunt infideles atque impios homines ſaltem longo tempore cruciari, & poſtea de malis omnibus erui, ſed ma-

magis iſti pro ſe dicunt eſſe, ubi legitur: *Nunquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſerationes ſuas?* Ira ejus eſt, inquiunt, ut omnes indigni beatitudine ſempiterna, ipſo judicante puniantur ſupplicio ſempiterno. Sed ſi vel longum, vel prorſus ullum eſſe permiſerit, profectò ut poſſit hoc fieri, continebit in ira ſua miſerationes ſuas, quod eum Pſalmus dicit non eſſe facturum. Non enim ait: Nunquid diu continebit in ira ſua miſerationes ſuas, ſed quòd prorſus non continebit, oſtendit. Sic ergo iſti volunt judicii Dei comminationem non eſſe mendacem, quamvis ſit neminem damnaturus, quemadmodum ejus comminationem, qua dixit, everſurum ſe eſſe Ninivem civitatem, mendacem non poſſumus dicere, & tamen non factum eſt, inquiunt, quod ſine ulla conditione prædixit. Non enim ait, Ninive evertetur, ſi non egerint pœnitentiam, ſeque correxerint: ſed hoc non addito prænunciavit futuram everſionem illius civitatis. Quam comminationem propterea veracem putant, quia hoc prædixit Deus, quòd verè digni erant pati, quamvis hoc non eſſet ipſe facturus. Nam & ſi pœnitentibus pepercit, inquiunt, utique illos pœnitentiam non ignorabat acturos, & tamen abſolutè ac definitè eorum everſionem futuram eſſe prædixit. Hoc ergò erat, inquiunt, in veritate ſeveritatis, qua erant digni, ſed in ratione miſerationis non erat, quam non continuit in ira ſua, ut ab ea pœna ſupplicibus parceret, quam fuerat contumacibus comminatus. Si ergò tunc pepercit, ajunt, quando ſanctum ſuum prophetam fuerat parcendo contriſtaturus, quanto magis tunc miſerabilius ſupplicantibus parcet, quando ut parcat, omnes ſancti ejus orabunt? Sed hoc, quod ipſi ſatis cordibus ſuſpicantur, ideò putant, ſcripturas tacuiſſe divinas, ut multi ſe corrigant, vel prolixarum, vel æternarum timore pœnarum, & ſint, qui poſſint orare pro eis, qui ſe non correxerint, & tamen opinantur omnimodo id eloquia divina tacuiſſe. Nam quò pertinet, inquiunt, quod ſcriptum eſt: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti metuentibus te, niſi ut intelligamus, propter timorem fuiſſe abſconditam miſericordiæ divinæ tam multam ſecretamque dulcedinem? Addunt etiam propterea dixiſſe Apoſtolum: Concluſit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnium miſereatur, quo ſignificaret, quòd ab illo nemo damnabitur. Nec iſti tamen, qui hoc ſentiunt, γ hanc opinionem ſuam uſque ad liberationem, vel nullam damnationem diaboli atque angelorum ejus extendunt. Humana quippe circa ſolos homines moventur miſericordia, & cauſam maximè agunt ſuam per generalem in genus humanum, quaſi Dei miſerationem impunitatem falſam ſuis perditis moribus pollicentes, ac per hoc ſuperabunt eos in prædicanda Dei miſericordia, qui hanc impunitatem etiam principi dæmonum & ejus ſatellitibus pollicentur.

Pſ. 76. Jon. 3. Pſ. 30. Rom. 11.

α DOnabit enim eos (inquiunt) miſericors Deus precibus.] *Hanc ſententiam infra reprobabit cap. 24.* L. L. Com.

β Teſtimonium vero Pſalmi & illi quidem.] *Idem in Enchiridio capit. 112.* Fruſtra (*inquit*) nonnulli, immo quàm plurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus ſine intermiſſione perpetuos humano miſerantur affectu, atque

Digitized by Google

atque ita futurum eſſe non credunt, non quidem ſcripturis adverſando divinis, ſed pro ſuo motu dura quæque molliendo & in leniorem flectendo ſententiam, quæ putant in eis terribilius eſſe dicta quam verius, &c.

γ Hanc opinionem ſuam uſque ad liberationem.] *Volebant quidem illi reprobos ac damnatos homines tandem ſalvandos ac precibus ſanctorum à miſeria æterna liberandos, non tamen eam Dei miſericordiam eo extendebant, ut etiam dæmones inde liberarentur, in quo miſericordior erat Origenes*, Et ſi ad damnatos (*inquit*) extendenda eſt Dei miſericordia, in ea prædicanda illi ſuperiores erunt, qui diabolo & Angelis ejus illam pollicentur.

Cap. XIX.

De his qui impunitatem omnium peccatorum promittunt etiam hæreticis propter participationem corporis Chriſti.

Item ſunt alii ab æterno ſupplicio liberationem, nec ipſis ſaltem omnibus hominibus promittentes, ſed tantummodo Chriſti baptiſmate ablutis, qui participes fiunt corporis ejus, quomodolibet vixerint in quacunque hæreſi
Joh. 6. vel impietate fuerint, propter illud quod ait Jeſus: Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Ab æterna ergo morte, inquiunt, neceſſe eſt iſtos erui, & ad vitam æternam quandoque perduci.

F.L.Coq. α Quorundam *refert ſententiam, qui non quidem omnibus hominibus damnatis, illis tamen, qui Chriſti baptiſmate abluti ſunt & corporis illius participes facti: ſalutem pollicebantur etiam ſi perditis moribus extitiſſent, aut etiam in quavis hæreſi vel impietate vixiſſent, & innitebantur loco Evangelii Joann. 6. cap. Hanc opinionem infra refutabit cap. 25. neque favere illis locum illum Joannis oſtendet.*

Cap. XX.

De his qui non omnibus, ſed eis tantùm qui apud catholicos ſunt regenerati, etiamſi poſtea in multa crimina erroresq; proruperint, indulgentiam pollicentur.

Item ſunt qui hoc nec omnibus habentibus baptiſmatis Chriſti & ejus corporis ſacramentum, ſed ſolis catholicis, quamvis malè viventibus pollicentur, qui non ſolum ſacramento, ſed re ipſa manducaverunt corpus Chriſti in ipſo ejus corpore conſtituti. De quo dicit Apoſtolus: Unus pa-
1. Cor. 10 nis, unum corpus multi ſumus: α ut etiam ſi poſtea in aliquam hæreſim, vel etiam in gentilium idololatriam lapſi fuerint, tantùm quia in corpore Chriſti, id eſt, in Eccleſia catholica ſumpſerunt baptiſmum Chriſti, & manducaverunt corpus Chriſti, non moriantur in æternum ſed vitam quandoque conſequantur æternam, atque illa omnis impietas quantò major fuerit, non eis valeat ad æternitatem, ſed ad diuturnitatem magnitudinemque pœnarum.

F.L.Coq. α Ut etiamſi poſtea in aliquam hæreſim, vel etiam.] *Refutabit cap. 23.*

Digitized by Google

Cap. XXI.

De his qui eos qui permanent in catholica fide, etiam ſi peſſimè vixerint, & ob hoc uri meruerint, tamen propter fidei fundamentum ſalvandos eſſe definiunt.

SUnt *a* autem, qui propter id quod ſcriptum eſt: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: non niſi in eccleſia catholica perſeverantibus, quamvis in ea malè viventibus hoc promittunt, per ignem videlicet ſalvandis merito fundamenti: de quo ait Apoſtolus: Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ædificaverit ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtabitur. Dies enim Domini declarabit, quoniam in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus permanſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, damnum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic autem quaſi per ignem. Dicunt ergo cujuslibet vitæ catholicum Chriſtianum Chriſtum habere in fundamento, quod fundamentum nulla hæreſis habet, à corporis ejus unitate præciſa. Et ideò propter hoc fundamentum etiam ſi malæ vitæ fuerit catholicus Chriſtianus, velut qui ſuperædificaverit ligna, fœnum, ſtipulam, putant eum ſalvum fieri per ignem, id eſt, poſt pœnas ignis illius liberari, quo igne in ultimo judicio punientur mali.

Mat. 24.

1. Cor. 3.

a SUnt autem, qui propter hoc quod ſcriptum eſt.] *Eundem errorem refert in Enchiridio caput. 67. his verbis:* Creduntur à quibusdam etiam hi, qui nomen Chriſti non relinquunt & ejus lavacro in Eccleſia abluuntur, nec ab ea ullo ſchiſmate vel hæreſi præciduntur, in quantislibet ſceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemoſynis redimant, ſed in his usque ad hujus vitæ ultimum finem pertinaciſſime perſeverent, ſalvi futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen catholici ſunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur. *(Idem eſt error omnium fere hæreticorum noſtri temporis aſſerentium, ſola fide hominem juſtificari, ſolam fidem neceſſariam eſſe ad ſalutem,)* *de quo plura dicere non eſt hujus loci, ibidem Auguſtinus teſtatur ſe ſcripſiſſe contra eundem errorem librum de fide & operibus: Hieronymus videtur eſſe in eo errore lib. 1. contra Pelagianos, ubi diſtinguit à diabolo & ſatellitibus ejus, omnibusque impiis ipſos Chriſtianos,* quod illi pereant perpetuo, hi vero ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandi ſint poſt pœnas. *& extremis verbis Commentar. in Iſaiam:* Sicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerint in corde ſuo, non eſt Deus, credimus æterna tormenta, ſic peccatorum atque impiorum & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt atque purganda, moderatam arbitramur & miſtam clementiæ ſententiam judicis: *quæ ſunt etiam verba Origenis homil. 9. in diverſos. Verùm*

ß L. Cap.

Digitized by Google

*prior ille locus Hieronymi, ut docet Marianus Victorius ad eum locum, *(de pœnis purgatorii intelligitur, quibus fideles, qui peccato præventi, nondum peracta pœnitentia moriuntur, expiandos ſemper credidit Eccleſia:)* & Sixtus Senenſis lib. 6. biblioth. annotat. 290. ab eo errore vindicat Hieronymum, cum ipſe in Apologia adverſus Ruffinum & alibi ſæpe conſtantiſſime fateatur, damnatos etiam Chriſtianos à ſuppliciis inferni nunquam liberandos eſſe, & in primis commentar. in 3. caput Jonæ ad ea verba,* pervenit verbum ad regem Ninive, *& utrumque locum D. Hieronymi citatum ſuperius interpretatur Sixtus ibi de igne temporali Purgatorii, in quo cum animæ fuerint purgatæ ad tempus, ſalvabuntur. Et Suares 4. tomo in 3 part. D. Thomæ diſputat. 47. ſect. 1. duobus modis docet exponi poſſe D. Hieronymum, primo ut ſenſus illius ſit, Chriſtianos ſalvari poſſe per ignem, quãtumvis peccatores fuerint, non tamen omnes, ſed qui pœnitentiam in hac vita egerint. Nec enim D. Hieronymus cum diſtributione de omnibus loquitur, ſed tantum differentiam conſtituit inter Chriſtianos, & non Chriſtianos, quod illi nullo modo, hi vero ſaltem per pœnitentiam & ignem ſalvari poſſint: vel ſecundo, ut peccatores, quos ab impiis diſtinguit, vocet omnes juſtos: qui peccatis venialibus interdum maculantur, & hos dicit non eſſe in æternum puniendos, ſed per ignem purgandos.*

Cap. XXII.

De his, qui putant, ea crimina, quæ inter eleemoſynarum opera committuntur, ad damnationis judicium non vocari.

COmperi etiam, *a* quoſdam putare eos tantummodo arſuros illius æternitate ſupplicii, qui pro peccatis ſuis facere dignas eleemoſynas negligunt, juxta
Iac. 2. illud Apoſtoli Jacobi: Judicium autem ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam. Qui ergò fecerit, inquiunt, quamvis mores in melius non mutaverit, ſed inter ipſas ſuas eleemoſynas nefariè ac nequiter vixerit: judicium illi cum miſericordia futurum eſt: ut aut nulla damnatione plectatur, aut poſt aliquod tempus ſive parvum, ſive prolixum ab illa damnatione liberetur. Ideò judicem ipſum vivorum atque mortuorum noluiſſe exiſtimant aliud commemorare ſe eſſe dicturum, ſive dextris, quibus eſt vitam daturus æternam, ſive ſiniſtris, quos æterno ſupplicio eſt damnaturus, niſi eleemoſynas ſive factas, ſive non factas. Ad hoc pertinere ajunt, & in oratione Dominica quotidianam poſtulatio-
Matt. 6. nem: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quisquis enim illi, qui in eum peccavit, dimittit ignoſcendo peccatum, *a* ß procul dubio eleemoſynam facit. Quam rem Dominus ſic ipſe commendavit, ut diceret: *Si enim dimiſeritis peccata hominibus, dimittet vobis & Pater veſter peccata veſtra:* ſi autem non dimiſeritis hominibus, neque Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittet vobis. Ergò & ad hoc genus Eleemoſynarum pertinet, quod ait Apoſtolus Jacobus: Judicium futurum ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam. Nec dixit Dominus, inquiunt, magna vel parva, ſed dimittet vobis Pater veſter peccata veſtra, ſi & vos dimiſeritis hominibus. Ac per hoc putant etiam eis, qui perditè vixerint, donec claudant diem vitæ hujus extremum, per hanc oratio-

Digitized by Google

rationem qualiacunque & quantacunque fuerint, omnia quotidiè peccata dimitti, ſicut ipſa quotidiè frequentatur oratio, ſi hoc tantummodo cuſtodiſſe meminerint, ut quando ab eis veniam petunt, qui eos peccato qualicunque læſerunt, ex corde dimittant. Quum ad hæc omnia Deo donante reſpondero, liber iſte claudendus eſt.

a PRocul dubio eleemoſynam facit.] *Eſt enim ἐλεημοσύνη miſericordia, ab ἐλεῶ: eadem forma, qua μνημοσύνη, qua ἱερωσύνη & alia plurima.* L. Vives.

a COmperi etiam quoſdam putare.] *Refert eorum errorem, qui contendebant, illos aliquando eſſe à peccatis purgandos & ſalvandos, qui licet perditè vixiſſent, dum tamen viverent, facere eleemoſynas non neglexiſſent, quem errorem etiam refellit in Enchiridio cap. 75. & 76. & refutabit inferius cap. 27.* F. L. Coq.

β Proculdubio eleemoſynam facit.] *Idem in Enchiridio cap. 71.* & ipſa eleemoſyna eſt, veniam petenti homini ignoſcere, *& 72.* non ſolù qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſitatum, captivo redemptionem, debili ſubvectionem, verùm etiam & qui dat veniam petenti, eleemoſynam dat. Ad omnia, quæ utili miſericordia fiunt, valet quod dominus ait, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.

CAP. XXIII.

Contra opinionem eorum qui dicunt, nec diaboli nec hominum malorum perpetua futura ſupplicia.

AC primum quæri oportet atque cognoſci, a cur eccleſia ferre nequiverit hominum diſputationem, diabolo etiam poſt maximas & diuturniſſimas pœnas purgationem vel indulgentiam pollicentem? Neque enim tot ſancti, & ſacris veteribus, ac novis literis eruditis mundationem, & regni cœlorum beatitudinem poſt qualiacunque & quantacunque ſupplicia, qualibuscunque & quantiscunque angelis inviderunt: ſed potius viderunt divinam vacuari vel infirmari non poſſe ſententiam, quam ſe dominus prænunciavit in judicio prolaturum atque dicturum. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Sic quippe oſtendit æterno igne diabolum & angelos ejus arſuros: & quod ſcriptum eſt in Apocalypſi: Diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, quo & beſtia & pſeudoprophetæ, & cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum. Quod ibi dictum eſt æternum, hìc dictum eſt in ſecula ſeculorum. Quibus verbis nihil ſcriptura divina ſignificare conſuevit, niſi quod finem non habet temporis. Quamobrem prorſus nec alia cauſa, nec juſtior, nec manifeſtior inveniri poteſt, cur veriſſima pietate teneatur fixum, & immobile, nullum regreſſum ad juſtitiam, vitamque ſanctorum diabolum & angelos ejus habituros, niſi quia ſcriptura, β quæ neminem fallit, dicit eis Deum non pepercisse, & ſic ab illo eſſe interim prædamnatos, ut carceribus caliginis inferni retruſi traderentur ſervandi, atque ultimo judicio puniendi, quando eos æternus ignis accipiet, ubi cruciabuntur in ſecula ſeculorum.

Matth. 25. — Apoc. 20 — 2. Pet. 2.

 Quod

Digitized by Google

Quod ſi ita eſt, γ quomodo ab hujus æternitate pœnæ, vel univerſi, vel quidam homines poſt quantumlibet temporis ſubtrahentur, ac non ſtatim enervabitur fides, qua creditur ſempiternum dæmonum futurum eſſe ſupplicium? Si enim
Mat. 25. quibus dicitur: Diſcedite à me maledicti in ignẽ ęternum, qui paratus eſt diabolis & angelis ejus: vel univerſi vel aliquid eorum non ſemper ibi erunt: quid igitur cauſæ eſt, cur diabolus & angeli ejus ſemper ibi futuri eſſe creduntur? An fortè Dei ſententia, quæ in malos & Angelos & homines proferetur, in Angelos vera erit, in homines falſa? Ita plenè hoc erit, ſi non quod Deus dixit, ſed quod ſuſpicantur homines plus valebit. Quod fieri quia non poteſt, non argumentari adverſus Deum, ſed divino potius, dum tempus eſt, debent parere præcepto, qui ſempiterno cupiunt carere ſupplicio. Deinde quale eſt æternum ſupplicium pro igne diuturni temporis non exiſtimare, & vitam æternam credere ſine
Ibid. 5. fine, δ cum Chriſtus in eodem ipſo loco, in una eademque ſententia dixerit utrumque complexus, ſic ibunt iſti in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam? Si utrumque æternum, profectò, aut utrumque cum fine diuturnum aut utrunque ſine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata ſunt: hinc ſupplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno eodemque ſenſu, vita æterna ſine fine erit, ſupplicium æternum finem habebit, multum abſurdum eſt. Unde quia vita æterna ſanctorum ſine fine erit, ſupplicium quoque æternum quibus erit, finem procul dubio non habebit.

F.L.C.9. α Cur Eccleſia ferre nequiverit hominum diſputationem] *Eſt enim concluſio de fide, & colligitur ex ſcriptum, ut oſtendit, fore æterna dæmonum ſupplicia.*

β Niſi quia ſcripturam, quæ neminem fallit.] *Præter loca ſcripturæ, quæ citat, colligitur ex aliis multis Job. 7. 10. 15. 20. & 24. & 33. Vide Hieronymum Jonæ. 3. Cyprianum ad Demetrianum, Chryſoſtomum homil. 9. in 1. ad Corinthios.*

γ Quomodo ab hujus æternitate pœnæ.] *Eodem argumento, quo credimus ex ſcriptum dæmones eſſe æternis ſuppliciis damnandos, id etiam credimus de omnibus damnatis, cum eadem in omnes feratur ſententia, vel ergo non ſunt æterna futura dæmonum ſupplicia, vel certè etiam hominum erunt, cum abſurdum ſit eandem ſententiam, quæ in Angelos malos & homines improbos proferetur, in Angelos veram fore, in homines falſam.*

δ Cum Chriſtus eodem loco in una eademque ſententia.] *Eo argumento etiam utitur in enchiridio cap. 112.* Si ex ſententia Chriſti futura eſt æterna vita ſanctorum, ergo & æternum ſupplicium damnatorum. *Eodem etiam argumento utitur Baſilius in reg. brevior. interrog. 267.* Si æterni ſupplicii finis futurus eſt aliquando, ſine controverſia æternæ vitæ etiam erit: Quod ſi hoc in æterna vita nullo modo poſſumus intelligere, quænam afferri ratio poteſt, quamobrem æternum ſupplicium habere finem dicatur? Æqualiter enim huic & illi æternitatis additio facta eſt, Ibunt, *inquit*, hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. *Et D. Gregorius lib. 34. moral. cap. 16.* Sunt qui idcirco finem peccatis ſuis ponere negligant, quia habere quandoque finem,

Digitized by Google

nem futura ſuper ſe ſupplicia ſuſpicatur, quibus tandem reſpondemus, ſi quandoque finienda ſint ſupplicia reproborum, quandoque finienda ſunt ergo gaudia beatorum. Per ſemetipſum namque veritas dicit, ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam, ſi igitur hoc verum non eſt quod minatus eſt, neque illud verum eſt, quod promiſit. At (inquiunt) ideo æternam pœnam peccantibus minatus eſt, ut eos à peccatorum perpetratione compeſceret, quia creaturæ ſuæ æterna ſupplicia minari debuit, non inferre, quibus citius reſpondemus, ſi falſa minatus eſt, ut ab injuſtitia corrigeret, etiam falſa pollicitus eſt, ut ad juſtitiam provocaret. Et quis hanc eorum veſaniam toleret, qui dum promiſſionibus ſuis reproborum ſupplicia finiri aſſerunt, aſſertione ſua etiam electorum præmia remunerationesque confundunt? Quis hanc eorum veſaniam toleret, qui conantur adſtruere verum non eſſe, quod veritas de æterno igne minata eſt, & dum ſatagunt Deum perhibere miſericordem, non verentur prædicare fallacem? *Eadem habet etiam lib. 4. dialog. cap. 44.*

CAP. XXIV.

Contra eorum ſenſum, qui in judicio Dei omnibus reis propter ſanctorum preces putant eſſe parcendum.

HOc autem & adverſus eos valet, qui ſuas agentes cauſas contra Dei venire verba, velut miſericordia majore conantur: ut ideo videlicet vera ſint, quia ea quæ dixit homines eſſe paſſuros, pati digni ſunt, non quia paſſuri ſunt. *a* Donabit enim eos, inquiunt, precibus ſanctorum ſuorum, etiam tunc tanto magis orantium pro inimicis ſuis, quanto ſunt utique ſanctiores, eorumque efficacior eſt oratio, & exauditione Dei dignior, jam nullum habentium omnino peccatum. Cur ergo eadem perfectiſſima ſanctitate, & cuncta impetrare valentibus mundiſſimis & miſericordiſſimis precibus, etiam pro angelis non orabunt, quibus paratus eſt ignis æternus, ut Deus ſententiam ſuam mitiget, & reflectat in melius, eoſque ab illo igne faciat alienos? An erit forſitan quiſquam qui & hoc futurum eſſe præſumat, affirmans etiam ſanctos angelos ſimul cum ſanctis hominibus qui tunc æquales erunt angelis Dei, pro damnandis & angelis & hominibus, oraturos, ut miſericordia non patiantur, quod veritate merentur, quod nemo ſanæ fidei dixit, nemo dicturus eſt? Alioqui nulla cauſa eſt, cur non etiam nunc pro diabolo & angelis ejus oret eccleſia, quam magiſter Deus pro inimicis ſuis juſſit orare. Hæc igitur cauſa, qua fit ut nunc eccleſia non oret pro malis angelis, quos ſuos eſſe novit inimicos, eadem ipſa cauſa eſt, qua fiet, ut in illo tunc judicio etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamvis perfecta ſit ſanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus eſt pœnitentiæ fructuoſæ. Nam quid maximè pro eis orat, niſi ut det illis Deus, ſicut dicit Apoſtolus, pœnitentiam, & reſipiſcant de Diaboli laqueis, à quo capti tenentur ſecundum

dum ipſius voluntatem? β Denique ſi de aliquibus ita eccleſia certa eſſet, ut qui ſunt illi, etiam noſſet, qui licet adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo: tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo. Sed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis ſuis in hoc corpore conſtitutis, nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim ſolis exauditur, qui etſi adverſantur eccleſiæ, ita tamen ſunt prædeſtinati, ut pro eis exaudiatur eccleſia, & filii efficiantur eccleſiæ. Si qui autem uſque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, γ nunquid jam pro eis, id eſt pro talium defunctorum ſpiritibus orat eccleſia? Cur ita, niſi quia jam in parte diaboli computantur, qui dum eſſent in corpore, non ſunt translati ad Chriſtum? Eadem itaque cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ cauſa eſt, ut neque nunc neque tunc oretur pro angelis malis: quæ itidem cauſa eſt, ut quamvis pro hominibus nunc vivis oretur, etiam malis, tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis. *a* δ Nam pro defunctis quibuſdam, vel ipſius eccleſiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio, ſed pro his, quorum in Chriſto regeneratorum, nec uſque adeo vita in corpore malè geſta eſt, ut tali miſericordia judicentur digni non eſſe, nec uſque adeo bene, ut talem miſericordiam reperiantur neceſſariam non habere. Sicut etiam facta reſurrectione mortuorum non deerunt quibus poſt pœnas, quas patiuntur ſpiritus mortuorum,
Mat. 12. impertiatur miſericordia, ut in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibuſdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur, neque in hoc ſeculo neque in futuro, niſi eſſent quibus etſi non in iſto, tamen remittetur
Mat. 25. in futuro. Sed cum dictum fuerit à judice vivorum atque mortuorum, Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: & aliis econtrario, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus: & ibunt iſti in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam: nimiæ præſumptionis eſt dicere, cuiquam eorum æternum ſupplicium non futurum, quos Deus ituros in ſupplicium dicit æternum, & per hujus præſumptionis perſuaſionem facere, ut de ipſa
Pſ. 76. quoque vita, vel deſperetur, vel dubitetur æterna. Nemo itaque ſic intelligat Pſalmum canentem: Nunquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſerationes ſuas? ut opinetur de hominibus bonis veram, de malis falſam, aut de bonis hominibus & malis angelis veram, de malis autem hominibus falſam Dei eſſe ſententiam. ε Hoc enim quod ait Pſalmus, ad vaſa miſericordiæ pertinet, & ad ipſos filios promiſſionis, quorum erat unus etiam ipſe propheta, qui cùm dixiſſet: Nunquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſerationes ſuas: continuò ſubjecit: Et
Pſ. 143. *Matt. 5.* dixi, nunc cœpi, hæc eſt immutatio dexteræ excelſi. Expoſuit profectò quid dixerit: Nunquid continebit in ira ſua miſerationes ſuas? Ira enim Dei eſt etiam iſta vita mortalis, ubi homo vanitati ſimilis factus eſt, & dies ejus velut

ut umbra prætereunt. In qua tamen ira non obliviſcetur miſereri Deus,
faciendo ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluendo ſuper juſtos &
injuſtos: ac ſic non continet in ira ſua miſerationes ſuas, maximeque in eo
quod expreſſit hic pſalmus dicendo: Nunc cœpi, hæc eſt immutatio dexteræ
excelſi: quoniam in hac ipſa eorum ærumnoſa vita, quæ ira Dei eſt, vaſa
miſericordiæ mutat in melius, quamvis adhuc in hujus corruptionis miſeria
maneat ira ejus, quia nec in ipſa ira ſua continet miſerationes ſuas. Cùm
ergo iſto modo compleatur divini illius cantici veritas, non eſt eam neceſſe
etiam illic intelligi, ubi non pertinentes ad civitatem Dei ſempiterno ſupplicio
punientur. Sed quibus placet iſtam ſententiam uſque ad illa impiorum
tormenta protendere, ſaltem ſic intelligant, ut manente in eis ira Dei,
quæ in æterno eſt pronuntiata ſupplicio, non contineat Deus in hac ira ſua
miſerationes ſuas, & faciat eos non tanta quanta digni ſunt pœnarum atrocitate
cruciari, non ut b eas pœnas vel nunquam ſubeant, vel aliquando finiant,
ζ ſed ut eas mitiores quàm merita ſunt eorum levioreſque patiantur.
Sic enim & ira Dei manebit, & ipſa ira ſua miſerationes ſuas non continebit.
Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non relicto. Cæterùm eos
qui putant minaciter potius quàm veraciter dictum: Diſcedite à me male- *Mat. 25.*
dicti in ignem æternum, & ibunt iſti in ſupplicium æternum, & cruciabun- *Apoc 2.*
tur in ſecula ſeculorum: & vermis eorum non morietur, & ignis non extin- *Eſ. 66.*
guetur, & cætera hujuſmodi, non tam ego quàm ipſa ſcriptura divina pla-
niſſimè atque pleniſſimè redarguit ac refellit. n Ninivitæ quippe in hac vita *Ion. 3.*
egerunt pœnitentiam: & ideo fructuoſam velut in hoc agro ſeminantes, in
quo Deus voluit cum lachrymis ſeminari, quòd poſtea cùm lætitia meteretur.
Et tamen θ quis negabit, quod dominus prædixit in eis fuiſſe comple- *Pſ. 125.*
tum, niſi parum advertat, quemadmodum peccatores Deus non ſolum iratus,
verumetiam miſeratus evertat? Evertuntur enim peccatores duobus
modis, aut ſicut Sodomitæ, ut pro peccatis ſuis ipſi homines puniantur: aut
ſicut Ninivitæ, ut ipſa hominum peccata pœnitendo deſtruantur. Factum
eſt ergo quod prædixit Deus. Everſa eſt enim Ninive, quæ mala erat, &
bona ædificata eſt, quæ non erat. Stantibus enim mœnibus atque domibus,
everſa eſt civitas in perditis moribus: ac ſic quamvis Propheta fuerit con-
triſtatus, quia non eſt factum, quòd illi homines timuerunt illo prophetante ven-
turum, factum eſt tamen, quod fuerat Deo præſciente prædictum, quoniam no-
verat, quæ prædixit, quomodo in melius eſſet implendum. Ut autem noverint
iſti in perverſum miſericordes, quò pertineat, quòd ſcriptum eſt: Quàm multa *Pſ. 30.*
multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te: legant &
quod ſequitur: perfeciſti autem ſperantibus in te. Quid eſt enim, abſcondiſti
timentibus te, perfeciſti ſperantibus, niſi quia illis, qui timore pœnarum ſuam
volunt juſtitiam conſtituere, quæ in lege eſt, non eſt juſtitia Dei dulcis, quia ne-
ſciunt eam? Non enim guſtaverunt eam. In ſe namque ſperant, non in ipſo:
& ideò eis abſconditur multitudo dulcedinis Dei, quoniam ι timent quidem *Iob. 4.*
Deum

Deum, ſed illo timore ſervili, qui non eſt in charitate: quia perfecta charitas foras mittit timorem. Ideò ſperantibus in eum perficit dulcedinem ſuam inſpirando eis charitatem ſuam, x ut timore caſto, non quem charitas foras mittit, ſed permanente in ſeculum ſeculi: cùm gloriantur, in Domino glorientur. Ju-
1.Cor.1. ſtitia quippè Dei Chriſtus eſt, qui factus eſt nobis, ſicut dicit Apoſtolus: *Sapientia*
2.Cor.10. *à Deo, & juſtitia & ſanctificatio & redemptio: ut quemadmodum ſcriptum eſt: Qui glorіatur, in Domino glorietur.* Hanc Dei juſtitiam, quam donat gratia ſine meritis, neſciunt illi, qui ſuam juſtitiam volunt conſtituere, & ideò juſtitiæ Dei
al. quod. qui † Chriſtus eſt, non ſunt ſubjecti. In qua juſtitia eſt multa multitudo dulcedinis Dei, propter quam dicitur in Pſal. Guſtate & videte quàm dulcis eſt Domi-
Pſal. 33. nus. Et hanc quidem in peregrinatione guſtantes, non ad ſatietatem ſumentes eſurimus eam potius ac ſitimus, ut ea poſteà ſaturemur, cùm videbimus eum, ſicu-
Pſ.16. ti eſt, & implebitur, quod ſcriptum eſt: Satiabor, cùm manifeſtabitur gloria tua. Ita perficit Chriſtus multam multitudinem dulcedinis ſuæ ſperantibus in eum. Porrò autem, ſi eam, quam illi putant, dulcedinem ſuam Deus abſcondit timentibus eum, quia non eſt impios damnaturus, ut hoc neſcientes, & damnari timentes rectè vivant, ac ſic poſſint eſſe, qui orent pro non rectè viventibus, quomodo eam perficit ſperantibus in eum, quandoquidem ſicut ſomniant per hanc dulcedinem, non damnaturus eſt eos, qui non ſperant in eum? Illa igitur ejus dulcedo quæratur, quam perficit ſperantibus in eum, non quam perficere putatur contemnentibus & blaſphemantibus eum. *c* Fruſtrà itaque homo poſitus in hoc corpore, occultorum judiciorum Dei ſibi notitiam arrogare præſumit: Il-
Rom. 11. lud quoque Apoſtolicum: λ Concluſit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnibus miſereatur, non ideò dictum eſt, quòd neminè ſit damnaturus, ſed ſuperius apparet, unde ſit dictum. Nam quum de Judæis poſteà credituris Apoſtolus loqueretur ad Gentes, ad quas utique jam credentes conſcribebat Epiſtolas: Sicut enim vos, inquit, aliquando non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis in illorum incredulitate: ſic & hi non crediderunt in veſtra miſericordia, ut & ipſi miſericordiam conſequantur. Deinde ſubjecit, unde iſti ſibi errando blandiuntur, atque ait: *d* Concluſit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnium miſereatur. Quos omnes, niſi de quibus loquebatur, tanquam dicens, & vos & illos? Deus ergò & Gentiles & Judæos, quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, omnes in infidelitate concluſit: ut de amaritudine infidelitatis ſuæ pœnitendo confuſi: & ad dulcedinem miſericor-
Pſ.30. diæ Dei credendo converſi, clamaret illud in Pſal. Quàm multa multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te, perfeciſti autem ſperantibus non in ſe, ſed in te. Omnium itaque miſeretur vaſorum miſericordiæ. Quid eſt omnium? Et eorum ſcilicet, quos ex gentibus, & eorum, quos ex Judæis prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, glorificavit, non omnium hominum, ſed iſtorum omnium neminem damnaturus.

L. Vives *a* NAm pro defunctis quibusdam.] *In antiquis libris Brugen. & Colonien. non leguntur iſti decem aut duodecim qui ſequuntur verſus. Sic enim ſcribitur: Nam*

Nam pro defunctis quibusdam, vel ipſius Eccleſiæ vel quorundam piorum exauditur oratio, ſed pro iis quorum in Chriſto regeneratorum, nec usque adeo vita in corpore male geſta eſt, &c. Reliqua non habentur, ac neque in exemplaribus Friburgi excuſis: & tamen ſtylus non abhorret ab Auguſtiniano: forſan aut deſunt in aliis codicibus, aut ex aliquo alio Aug. opere huc ſunt adſcripta, ceu ſcholium primum, deinde contextus orationis admiſta.

b Ut eas pœnas vel nunquam ſubeant.] *Proponenda negotio, Non ut eas pœnas vel nunquam ſubeant.*

c Fruſtra itaque homo.] *In Brugen. ſic: fruſtra itaque homo poſt hoc corpus inquirit, quod in hoc corpore comparare neglexit.*

d Concluſit enim Deus omnes in infidelitate.] *Vulgò legimus. Omnia: Græcè* πάντας *hoc eſt omnes. Significat Paulus nemini relinqui locum gloriandi, ſuis ſe meritis factum Deo glorioſum, ſed in totum deberi beneficio Dei.*

a DOnabit enim (*inquit*) precibus ſanctorum ſuorum.] *Refellit eam ſententiam, quam ſupra cap. 18. propoſuerat nonnullorum de ſalvandis tandem ac liberandis à tormentis tum dæmonibus tum hominibus ipſis precibus ſanctorum. Et primo quidem neminem ſanæ fidei dicturum ſcribit Angelos ſanctos ſimul cum ſanctis hominibus pro damnatis Angelis & homini oraturos, ut miſericordia non patiantur, quod veritate & juſtitia merentur. Eadem enim ratione, qua nunc Eccleſia non orat pro malis Angelis; quos ſuos novit inimicos, nec tunc etiam ſancti pro eiſdem preces ad Deum fundent. Nunc enim orat pro ſuis inimicis, qui adhuc ſunt in via, & poſſunt converti ad Deum, ut Deus det illis pœnitentiam & reſipiſcant à laqueis diaboli, tum vero erunt in termino pœnitentiæ, & ſalutis incapaces omnino. Id etiam docet D. Gregorius lib. 34. moral. cap 16.* At (inquiunt) & ubi eſt, quod ſancti ſunt, ſi pro inimicis ſuis, quos tunc ardere videam, non orabunt, quibus utique dictum eſt, pro inimicis veſtris orate: ſed citius reſpondemus, orat pro inimicis ſuis eo tempore, quo poſſunt ad fructuoſam pœnitentiam eorum corda convertere, atque ipſa converſione ſalvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum eſt, niſi hoc, quod Apoſtolus ait, ut det illis Deus pœnitentiam & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipſius voluntatem? Et quomodo pro illis jam tum orabitur, quando jam nullatenus poſſunt ad juſtitiæ opera ab iniquitate commutari. Eadem itaque cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam cauſa eſt, ut non orent ſancti homines pro hominibus infidelibus, impiiſque defunctis, qui de eis utique, quos æterno deputaturos ſupplicio jam noverunt ante illum judicis juſti conſpectum orationis ſuæ meritum caſſari refugiunt. Quod ſi nunc quoque viventes juſti mortuis & damnatis injuſtis minime compatiuntur, quando adhuc aliquid judicabile de ſua carne ſe perpeti etiam ipſi noverunt, quando diſtrictius tunc iniquorum tormenta reſpiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipſi jam juſtitiæ vicinius atque arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quod juſtiſſimo judici inhærent, vis diſtrictionis abſorbet, ut omnino eis non libeat quicquid ab illius internæ regulæ ſubtilitate diſcordat. *Eadem ſcribit & lib 4. dialog. cap. 44.* F.L.Cop.

β Si de aliquibus ita Eccleſia certa eſſet.] *Idem docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 83. articul. 7.* quod pro præſcitis orandum ſit, eo quod non poſſumus eas à prædeſtinatis diſcernere; ſicut nemini debemus ſubtrahere correctionis beneficium, quia neſcimus quis ſit, quem Deus reſpexerit. *Si ergo conſtaret nobis aliquem eſſe præſcitum, pro eo orare minime deberemus. Quo ſit, ut licet in particulari de nullo vivente ſciamus quod ſit præſcitus, cum tamen in genere ſciamus, aliquos eſſe prædeſtinatos, alios vero præſcitos, non poſſumus orare pro præſcitis in communi quicumque illi ſint. Id confirmat, quod Chriſtus pro præſcitis minime oraverit, ſed pro prædeſtinatis dumtaxat; Joannis 17.* Ego pro eis rogo non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt, & non pro eis rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me. *Addo quod oratio illa vana eſſet & ſuperflua, quia repugnat præſcitos à Deo ſalvari, orare ergo pro præſcitis formaliter ſuperfluum eſt, nec culpa caret, cum debeat ſuam voluntatem & petionem Dei voluntati omnino conformare. Quid ergo orat pro præſcitis, cum ſciat eam eſſe Dei voluntatem, ut excludat eos à ſalute ita exigentibus eorum meritis. Neque ut hic docet, & D Thomas loco citato, exaudiuntur orantes pro omnibus peccatoribus vel inimicis eccleſiæ, ut oratio Chriſti pro inimicis, exaudita eſt pro eis, qui in eum tandem crediderunt, & ab infidelitate converſi ſunt, ita oratio S. Stephani orantis pro inimicis lapidantibus exauditur quidem pro Paulo prædeſtinato, non pro eis, qui in infidelitate perſiſtentes præſciti erant ad damnationem.*

γ Numquid jam pro eis. i. e. pro talium defunctorum ſpiritibus orat Eccleſia.] *Eccleſia numquam pro his orat, quos certo conſtat in peccato mortali hinc deceſſiſſe, cum nullam reliquam ſpem eſſe ſciat; quod idem ſcribit ſerm. 33. de verbis Apoſtoli.* Qui ſine fide, quæ per dilectionem operatur, ejusq; ſacramentis de corporibus exierunt, fruſtra illis à ſuis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujꝰ dum hic eſſent, pignore caruerunt, vel non ſuſcipientes, vel in vacuum ſuſcipientes Dei gratiam, & ſibi miſericordiam non theſaurizantes, ſed iram, *& lib. de cura pro mortuis agenda cap. 1.* meritum, per quod iſta proſunt, ſi nullum comparatum eſt in hac vita, fruſtra quæritur poſt hanc vitam. *Ea eſt ſententia omnium Theologorum in 4. diſtinct. 45. ſuffragia eccleſiæ nullo modo prodeſſe damnatis. Non eſſe pro impiis & prophanis vita functis orandum ſcribit etiam D. Dionyſius de eccleſiaſ. hierarch. par. 3. cap. 7. Et Clemens Romanus lib. 8. conſtitut. cap. 43. cum prius defunctorum ſuffragia commendaſſet, ſubjungit,* ſed hæc de piis dicimus. Impios enim tametſi omnia bona externa pro eis largiaris, nihil juvare queas. Cui enim vivo inimicus fuit Deus, haud dubium quin ſit etiam defuncto. *De ea re extant etiam Patrum decreta 13. q. 2. cap. quibus, ca. cum gravia, ca. non exiſtimemus, & c. pro obeuntibus, & 23. quæ 5. ex concili. Bracare. 1. cap. 3. in can. placuit, decernitur ob hanc cauſam,* ut pro his, qui ſe interficiunt, nulla oblatio nullumve ſuffragium fiat. *Ita concil. Triburienſ. cap. 31. decernitur, ut* ſi quis furtum aut rapinam exercens in ipſo diabolico actu interficiatur, nullus pro eo præſumat orare, aut eleemoſynam dare, *& refertur ſententia D. Auguſtini,* nemo te poſt mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluiſti.

δ Nam

δ Nam pro defunctis quibuſdam vel ipſius Eccleſiæ.] *Vetus eſt Eccleſiæ traditio & conſuetudo orandi pro his, qui piè in Chriſto obdormiverunt, ut teſtatur D. Dionyſius p.3. cap.7. Eccleſiaſ. hierarch. & Clemens Romanus lib. 8. conſtitut. Apoſtolicar. cap. 42. & epiſtola ad Jacobum fratrem domini, & id conſtat ex liturgiis Patrum antiquorum. D. Auguſtinus non modo hoc loco, verum & alias ſæpe, lib. de 8. Dulcitii quæſtionibus quæſt. 2.* neque negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum viventium revelari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. *Idem in enchirid. cap. 110. lib. de cura pro mortuis agenda cap. 1. ult. ſerm. 34. de verbis Apoſtoli. Ejuſdem traditionis meminit & Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. lib. de monog. & lib. de exhortat. ad caſtitatem, Cyprianus epiſtol. 66. Immo contraria hæreſis damnata eſt in Ærio, qui, teſte Epiphanio hæreſ. 75. & D. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 53. ſupervacaneas eſſe dicebat orationes & oblationes pro defunctis. Hanc hæreſim revocarunt ante 400. annos Henriciani & Petrobuſſiani, quorum meminit D. Bernardus homil. 66. in Cantica, quos confutat Petrus Cluniacenſis lib. 1. epiſt. Id etiam determinatum decretis. 13. q. & in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. decreto de purgatorio.*

ε Hoc enim quod ait Paulus ad vaſa miſericordiæ pertinet.] *In Enchridio cap. 112. hujuſmodi hominum ex eodem pſalmo rationem citans, qui volebant finiri tandem pœnas damnatorum,* de his, *inquit,* ſine ullo ſcrupulo intelligitur, qui vaſa miſericordiæ nuncupantur, quia & ipſi non pro meritis ſuis, ſed Deo miſerante de miſeria liberantur.

ζ Sed ut eas mitiores quam merita ſint eorum, lenioresque patiantur.] *Hoc eſt quod Theologi aſſerunt Deum remunerare ultra condignum, & punire citra condignum, quod etiam aſſerit D. Chryſoſtomus homil. 37. in Geneſim,* Deus cum miſericors ſit, non ſolum non inducit pœnas peccatis graviores, ſed & valde minores.

η Ninivitæ quippe in hac vita egerunt pœnitentiam.] *Conditionalis erat illa comminatio in Ninivitas, eos nimirum omnino interituros, & Ninivem ſubvertendam, niſi reſipiſcerent & agerent pœnitentiam, quod fecerunt, & erat locus pœnitentiæ, at in damnatis nullus ſupereſt locus pœnitentiæ, abſolute intelligenda ut irrevocabilis, quæ in eos profertur ſententia, Chryſoſtomus homil. 5. ad popul.* εἰ μὲν γὰρ ἐπὶ τῆς αὐτῆς πονηρίας μενόντων οὐκ ἐξέβη εἰς ἔργον τὰ τῆς προφάσεως, εἶχεν ἴσως αἰτίας ἐγκαλεῖν τοῖς εἰρημένοις· εἰ δὲ μεταβαλλομένων αὐτῶν καὶ τῆς αἰτίας ἀποστάντων ἀπέστη καὶ τῆς ὀργῆς ὁ θεός, τίς δυνήσεται τὸ λοιπὸν ἐπιλαβέσθαι τῆς προφητείας. *& paulo poſt* ἀπόφασις μετὰ τὸ ἐξενεχθῆναι ποτὲ ἄκυρος γέγονεν ἀπεναντίας τοῖς ἔξωθεν δικάζουσιν. ἐπὶ μὲν γὰρ τούτων τὸ προενεχθῆναι τὴν ψῆφον οἷς μέσον κυρίαν ποιεῖ τὴν ψῆφον γενέσθαι ἐπὶ δὲ τοῦ θεοῦ τοὐναντίον, τὸ προενεχθῆναι τὴν ψῆφον τοῦτο δὴ ποιῆσαι ἄκυρον.

θ Quis negabit quod dominus prædixit in eis fuiſſe completum.] *Idem in Pſalm. 50.* Ego puto impletum fuiſſe, quod Propheta prædixerat, reſpice quæ fuit Ninive, & vide quia everſa eſt, everſa in malo, ædificata in bono: ſicut everſus Saulus perſecutor, ædificatus Paulus prædicator. Quis non diceret civitatem iſtam, in qua nunc ſumus, fœliciter everſam, ſi omnes illi inſani nugis ſuis deſer-

tis ad eccleſiam compunсto corde concurrerent, Dei miſericordiam de ſuis factis præteritis invocarent? Nonne diceremus, ubi eſt illa Carthago, quia non eſt, quod erat, everſa eſt, ſed ſi eſt quod non erat, ædificata eſt.

ı Timent quidem Deum, ſed illo timore ſervili, qui non eſt in charitate.] Timor ſervilis *is dicitur*, quo quis pœnas à Deo conſtitutas peccatoribus timet, & quo proinde movetur ad recte agendum, ut pœnas effugiat. *Ac naſcitur hic timor proprie non ex amore Dei, ſed ex amore ſui, quo ſcilicet quisque amat incolumitatem & commoditatem ſuam, atque à Deo timet mala pœnæ his contraria, & ea ſtudet effugere: qua ratione dicitur timor ſervilis, eo quod ſervorum proprium ſit obſequi dominis non ex amore ipſorum, ſed ex amore ſui, ne alioqui dent pœnas quas timent. Ipſe D. Auguſtinus concio. 25. in Pſal. 118.* Timor *(inquit iſte)* quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna, ſervilis eſt. *Nihilominus hujusmodi timor, qui ſervilis dicitur, quo maxime pœna timetur, non ſemper culpandus eſt, imo aliquando laudandus, quod à nobis ſupra fuſius enarratum eſt.*

x Ut timore caſto non quem charitas foras mittit, ſed permanente in ſæculum ſæculi.] *Timor ille caſtus alias dicitur* filialis. *nam per charitatis amorem Deus Pater noſter efficitur. Roman. 8.* accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba pater, *& ſecundum eandem charitatem dicitur etiam ſponſus noſter 2. Corinth. 11.* deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto, *ſicque differt à timore ſervili, quod timoris ſervilis objectum ſit* malum pœnæ, *& timor ſervilis reſpicit Deum ſicut principium inflictivum pœnarum: timor autem filialis Deum reſpicit, ſicut terminum à quo refugit ſeparari per culpam. D. Thomas 22. quæſt. 19. artic. 5. & D. Auguſtinus epiſt. 120 cap. 20.* illo timetur, ne incidatur in tormentum ſupplicii, iſto autem, ne amittatur gratia beneficii. *ibidem cap. 21. & tract. 9. in epiſtolam 1. Joannis optime diſtinguit utrumque:* aliud eſt, *inquit*, timere Deum, ne mittat te in gehennam cum Diabolo, aliud eſt timere Deum ne recedat à te: ille timor, quo times ne in ignem æternum mittaris cum Diabolo, non eſt caſtus, non enim venit ex amore Dei, ſed ex timore pœnæ. Cum autem times Deum, ne deſerat te præſentia ejus, amplecteris eum, ipſo frui deſideras, *& exemplo duarum conjugum utrumque timorem, unum quidem, quem foras mittit charitas, alterum, qui permanet in ſæculum ſæculi, aptiſſime diſtinguit:* unam conſtituas volentem facere adulterium, delectari nequitia, ſed timere ne damnetur à marito: timet maritum, ſed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum, huic non grata, ſed oneroſa eſt mariti præſentia, & hæc etiamſi adulterium non perpetrat, tamen quod deeſt operanti, ineſt voluntati: Tales certe ſunt, qui timent ne dies judicii veniat, habent quidem voluntatem peccandi, & non amore Dei, ſed pœnarum timore deterrentur à peccando, adeo ut cum timore illo ſuperſit voluntas, & animus peccandi: fac alteram amare virum, reddere illi caſtos amplexus, nulla ſe adulterii immunditia maculare: optat præſentiam viri, caſtum ei perpetuo animum gerit. Erit igitur caſtus & illius timor, qui non timore pœnarũ, ſed amore, quo in Deum fertur, timet illum offendere, non ne mittatur in ignem, ſed ne ab illo deſeratur: Ille certe timor ſervilis, quo timet anima ne damnetur: hic

hic timor caſtus ſeu filialis, quo timet anima ne deſeratur: Ille timor, quem charitas excludit, hic timor permanens in ſæculum ſæculi: *quod qua ratione verum ſit ſupra oſtenſum lib. 14. cap. 9.*

λ Concluſit omnes Deus in infidelitate ut omnium miſereatur.] *Ita quidem interpretatur, ut τὸ omnium non diſtribuat pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum. Nec enim inde colligendum omnes ſalvandos & neminem damnandum, vel omnium tandem Deum miſerturum. Hoc enim loco* miſereri *intelligitur eorum, quos ſalvat, verum quia ex Judæis primum vocatis ad fidem: deinde relictis in infidelitate, & ex Gentibus primum infidelibus, deinde miſericordia Dei vocatis ad fidem, adeoque ex omnibus gentibus ſit quoſdam ſalvaturus. Ex Judæis enim & Gentibus quoſdam prædeſtinavit, quos & vocavit ad fidem & gratiam Evangelii, quos & juſtificavit, ac tandem quo ultimo refertur prædeſtinatio divina, glorificavit ac beatitudine donavit: inde dicitur omnium miſereri. Ita etiam in Enchiridio cap. 103. ſimilia loca ſcripturæ eodem ſenſu interpretatur.*

Cap. XXV.

An hi qui inter hæreticos baptizati ſunt, & deteriores poſteà malè vivendo facti ſunt: vel hi, qui apud catholicos renati, ad hæreſes aut ſchiſma tranſierunt: vel hi, qui à catholicis, apud quos renati ſunt, non recedentes crimino ſè vivere perſtiterunt, poſſint privilegio ſacramentorum remiſſionem æterni ſperare ſupplicii.

SEd jam reſpondeamus etiam illis, qui non ſolùm diabolo & angelis ejus, ſicut nec iſti, ſed ne ipſis quidem omnibus hominibus liberationem ab æterno igne promittunt, verùm eis tantùm, qui Chriſti baptiſmate abluti, & corporis ejus & ſanguinis participes facti ſunt, quomodolibet vixerint, in quacunque hæreſi vel impietate fuerint. α Sed contradicit eis Apoſtolus dicens: Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, invidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Hæc profectò Apoſtolica falſa eſt ſententia: ſi tales poſt quantalibet tempora liberati regnum Dei poſſidebunt. Sed quoniam falſa non eſt, profectò regnum Dei non poſſidebunt. Et ſi in regni Dei poſſeſſione nunquam erunt, æterno ſupplicio tenebuntur, quoniam β non eſt locus medius, ubi non ſit in ſupplicio, qui illo non fuerit conſtitutus in regno. Quamobrem quod ait Dominus Jeſus: Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, ſi quis ex ipſo manducaverit, non morietur: ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: γ quomodo ſit accipiendum, meritò quæritur. Et ab iſtis quidem, quibus nunc reſpondemus, hunc intellectum auferunt illi, quibus deinde reſpondendum eſt: hi ſunt autem, qui hanc liberationem, nec omnibus habentibus ſacramentum baptiſmatis & corporis Chriſti, ſed ſolis catholicis quamvis malè viventibus pollicentur: qui non ſolo, inquiunt, ſacramento, ſed re ipſa man-

Gal. 5. Ioh 6.

manducaverunt corpus Chriſti, in ipſo ſcilicet ejus corpore conſtituti. De quo
1.Cor.10. corpore ait Apoſtolus: *Unus panis, unum corpus multi ſumus.* Qui ergò eſt in ejus corporis unitate, id eſt, in Chriſtianorum compage membrorum, cujus corporis ſacramentum fideles communicantes de altari ſumere conſueverunt, ipſe verè dicendus eſt, manducare corpus Chriſti, & bibere ſanguinem Chriſti. Ac per hoc hæretici & ſchiſmatici ab hujus unitate corporis ſeparati, poſſunt idem percipere ſacramentum, δ ſed non ſibi utile, imò verò etiam noxium, quo judicentur gravius, quàm vel tardius liberentur. Non ſunt enim ε in eo vinculo pacis, quod in illo exprimitur ſacramento. Sed rurſus etiam iſti, qui rectè intelligunt, non dicendum, eum manducare corpus Chriſti, qui in corpore non eſt Chriſti, non rectè promittunt eis, qui vel in hæreſim vel etiam in Gentilium ſuperſtitionem, ex illius corporis unitate labuntur, liberationem quandoque ab æterni igne ſupplicii. Primùm quia debent attendere, quàm ſit intolerabile atque à ſana doctrina nimis devium, ut multi ac penè omnes, qui hæreſes impias condiderunt exeuntes de catholica Eccleſia, & facti ſunt hæreſiarchæ, meliores habeant cauſas, quàm hi, qui nunquam fuerunt catholici, cùm in eorum laqueos incidiſſent: ſi illos hæreſiarchas hoc facit liberari à ſupplicio ſempiterno, quòd in catholica Eccleſia baptizati ſunt, & ſacramentum corporis Chriſti in vero Chriſti corpore primitùs acceperunt: ζ cum pejor utique ſit deſertor fidei, & ex deſertore oppugnator ejus effectus, quàm ille, qui non deſeruit, quam nunquam tenuit. Deinde quia & his occurrit Apoſtolus eadem verba proferens, & enu-
Gal.5. meratis illis carnis operibus eadem veritate prædicens: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Unde nec illi in perditis & damnabilibus moribus debent eſſe ſecuri, qui uſque in finem quidem velut in communione Eccleſiæ catholicæ perſeverant intuentes, quod dictum eſt: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: & per vitæ iniquitatem ipſam vitæ juſtitiam, quod eis Chriſtus eſt, deſerunt ſive fornicando, ſive alias immunditias flagitiorum, quas nec Apoſtolus exprimere voluit, in ſuo corpore perpetrando, ſive turpitudine luxuriæ diffluendo, ſive aliquid aliud eorum agendo, de quibus ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Ac per hoc quicunque agunt talia, niſi in ſempiterno ſupplicio non erunt, quia in Dei regno eſſe non poterunt. In his enim perſeverando uſque in hujus vitæ finem, non utique dicendi ſunt in Chriſto perſeveraſſe uſque in finem, quia in Chriſto perſeverare, eſt in ejus fide
Gal.5. perſeverare. Quæ fides, ut eam definit idem Apoſtolus, per dilectionem opera-
1.Cor.13. tur. Dilectio autem, ſicut ipſe alibi dicit, malum non operatur. Nec iſti ergò dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti. Ut enim alia taceam, non poſſunt ſimul eſſe & membra Chriſti, &
Joh.6. membra meretricis. Denique ipſe dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: oſtendit, quid ſit non ſacramento tenus, ſed revera corpus Chriſti manducare, & ejus ſanguinem bibere: η hoc eſt enim in Chriſto manere, ut in illo maneat & Chriſtus. Sic enim hoc dixit: tanquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non ſe dicat
aut

aut exiſtimet manducare corpus meum, aut bibere ſanguinem meum. Non itaque manent in Chriſto, qui non ſunt membra ejus: non ſunt autem membra Chriſti, qui ſe faciunt membra meretricis, niſi malum illud pœnitendo eſſe deſtiterint, & ad hoc bonum reconciliatione redierint.

a QUod in illo.] *Nam de eodem cibo omnes ſumunt, quod eſt magnum ad concordiam vinculum. Deinde panis cujus ſpecie tegitur tantum myſterium, ex multis fit granis, ſed contuſis confuſisq́; & in aliam materiam verſis, ut tam nuſquam grana appareant, ſed nova res ex eis confecta, una ex innumeris: ſic ad Dei Eccleſiam plurimi admittuntur, qui prioribus illis humanis exuti affectibus, & mutati in novam creaturam, non jam ipſi eſſe videantur, qui prius, ſed alii per charitatem conjuncti & commiſti in corpus Eccleſiæ tranſeant, quæ ſola exiſtat, & cernatur, nec ullus ſua vel cogitet, vel curet, ſed tantùm corporis. Baptiſmi aqua nos & fratres & rem unam eandemq́; facit, mutua charitas ſaporem, colorem, formam, & perfectionem dat toti operi, ut ignis pani: itaque nihil excogitari poterat, quòd ſic referret imaginem illius Eccleſiæ, quam inſtituebat Chriſtus.* L.Vives.

a SEd contradicit eis Apoſtolus dicens, manifeſta ſunt opera carnis.] *Galat. 5. quem locum etiam citat lib. de fide & operibus cap. 15. ut demonſtret opem cum fide requiri ad ſalutem, neque baptizatos ſi in malis talibus, quæ enumerat Apoſtolus perſeverent, ſalutem conſecuturos.* F.L.Coq.

β Non eſt locus medius, ubi non ſit in ſupplicio.] *Quod de adultis intelligendum, qui cum omnes hinc decedant vel in gratia. vel in peccato aliquo lethali, vel certe tandem cœleſti regno fruuntur, vel relegantur in infernum. * (De infantibus alia ratio, qui cum decedant cum ſolo originali peccato, nullo addito actuali, privantur quidem regno cœleſti, non tamen mancipantur pœnis æternis inferni)* Et ut ſcribit Gregorius Nazianzenus orat. in ſanctum Lavacrum ante medium,* Nec cœleſti gloria, nec ſuppliciis à juſto judice afficientur, utpote qui licet baptiſmo conſignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam potius paſſi fuerint quam fecerint. *Nonnulli tamen D. Auguſtinum in eam ſententiam trahunt, ut voluerit etiam infantes decedentes cum ſolo originali ſentire etiam aliquam pœnam ſenſus, licet omnium leviſſimam, & minutiſſimam, ut ſcribit etiam in Enchiridio cap. 93. De ſententia D. Auguſtini vide amplius Bellarminum lib. 6. de amiſſi. grat. & ſtatu peccati cap. 4. 5. & 6.*

γ Quomodo ſit accipiendum merito quæritur.] *Supra cap. 20 retulit eorum errorem, qui volebant eos, qui aliquandò in Eccleſia Catholica baptiſmo ſacro abluti fuiſſent, & ſacramentum corporis Chriſti ſumpſiſſent, etiamſi poſtea ab ea defeciſſent, & in hæreſim aliquam vel etiam Gentilium ſuperſtitionem lapſi fuiſſent, æternam vitam tandem conſecuturos. Nunc ergo refellit eam ſententiam, quam crimine hæreſeos damnat, cum demonſtret repugnare aperte cum ſcriptura. Et certe adeò hæreſis hæc eſt manifeſta, ut refutatione non egeat.* Certum eſt, *ut ſcribit D. Thomas 3. part. quæſt. 79. articul. 6. ad 1. & 2.* Sacramentum corporis Chriſti non auferre poſſibilitatem peccandi, nec ſuſcipientem ſtatim in gratia confirmare: nec infallibiliter conferre ei pœnitentiam finalem, qui aliquando communica-

vit:

vit: Nonnullos etiam Catholicos illud ſumendo graviſſime peccare. *Promiſſio ergo vitæ æternæ facta huic ſacramento intelligenda eſt, quantum eſt ex vi ſacramenti, ut interpretatur etiam tract. 26. in Joannem, & ſi per hominem non ſteterit, vel ſi non ponat obicem, et ſi per ſubſequens peccatum non amittat gratiam, quam ſacramentum ſuſcipiendo fuerat conſecutus. Ita enim & ſacramenta reliqua habent promiſſionem gratiæ & gloriæ adjunctam.*

δ Sed non ſibi utile.] *Quod ſcribit Damaſcenus lib. 4.* fit iis, qui digne aſſumunt, in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam & in cuſtodiam animæ & corporis, iis autem, qui in infidelitate indigne participant, in punitionem & ſupplicium. Quemadmodum & Chriſti mors credentibus facta eſt vita & incorruptibilitas in fruitionem ſempiternæ beatitudinis, infidelibus autem domini interfectoribus, in ſupplicium & pœnam ſempiternam.

ε In eo vinculo pacis, quod illo exprimitur ſacramento.] *Tract. 26. in Joan. vocat* ſacramentum pietatis, vinculum charitatis. *D. Dionyſius cap. 3. cœleſt. hierarch. vocat* ſynaxim. *i.e.* congregationem, *quia illo potiſſimum fideles in unum congregantur & uniuntur ut Chriſto, ita inter ſe, quod ſignificatum à D. Paulo:* unus panis & unum corpus multi ſumus, qui de uno pane & uno calice participamus. *D. Damaſcenus. lib. 4. cap. 14.* participatio (*inquit*) hoc ſacramentum dicitur, quia per illud divinitatis Jeſu participes efficimur. Communio item optimo jure appellatur, quia per illud cum Chriſto commercium habemus ac carnem ipſius ac divinitatem percipimus, atque adeo nos inter nos communicamus atque copulamur. Quoniam enim ex uno pane participamus omnes unum Chriſti corpus & unus ſanguis & alii aliorum membra efficimur, Chriſtique concorporei exiſtimus. *Et Concilium Tridentinum vocat* ſignum unitatis vinculum charitatis, pacis & concordiæ ſymbolum. *D. Thomas 3. p. q. 80. art. 4.* Duplex (*ait*) eſt res hujus ſacramenti una ſignificata & contenta ſcilicet ipſe Chriſtus, alia ſignificata & non contenta, ſcilicet corpꝰ Chriſti myſticum, quod eſt ſocietas ſanctorum.

ζ Cum pejor utique ſit deſertor fidei.) *Ita docet ſcriptura 1. Petri 2.* Melius erat eis viam juſtitiæ non agnoſcere quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis mandatum eſt, ſancto mandato. *Videndus D. Chryſoſtomus hom. 50. ad popul. Antioche. ubi multis exaggerat infidelitatem hæreticorum. S. Hieronymus in cap. 18. Iſaiæ ad illa verba,* Væ terræ cymbalo alarum, quod eſt trans flumina, *affirmat hæreticos impietate ſua omnes vincere. D. Thomas 2. 2. qu. 10. art. 6. docet eum gravius peccare contra fidem, qui fidei renititur ſuſceptæ, quam qui renititur fidei nondum ſuſceptæ, ſicut graviꝰ peccat, qui non implet quod promiſit, quam ſi non impleat, quod nunquam promiſit.*

η Hoc eſt enim in Chriſto manere.] *Ita exponit etiam tract. 26. in Joannem.* Hoc eſt (*inquit*) manducare illam eſcam, & illum bibere potum. *i.e.* in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat denti-

dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. *De duplici manducatione ſacramentali & ſpirituali vide D. Thomam 3. p. q. 80. art. 1. & ſcholaſt. in 4. diſt. 9. De hac ſpirituali manducatione etiam agit D. Auguſtinus ſer. 2. de verbis Apoſtoli, cum non modo percipitur ſacramentum, ſed etiam effectus ſacramenti.*

CAP. XXVI.

Quid ſit in fundamento habere Chriſtum, & quibus ſpondeatur ſalus quaſi per ignis uſturam.

SEd a habent, inquiunt, Chriſtiani catholici in fundamento Chriſtum, à cujus unitate non receſſerunt, tametſi huic fundamento ſuperædificaverunt quamlibet peſſimam vitam, velut ligna, fœnum, ſtipulam. Recta itaque fides eſt, per quam Chriſtus eſt fundamentum, quamvis cum damno, quoniam illa, quæ ſuperædificata ſunt, exurentur, tamen poterit eos quandoque ab illius ignis perpetuitate ſalvare. *Sacramenti ſignificatio.* Reſpondeat eis breviter Apoſtolus Jacobus: Si quis dicat, ſe fidem habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſalvare eum? *Iac. 2.* Et quis eſt, inquiunt, de quo dicit Apoſtolus Paulus: Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem: *1. Cor. 3.* Simul quis iſte ſit, inquiramus: hunc tamen non eſſe, certiſſimum eſt, ne duorum Apoſtolorum ſententias mittamus in rixam. Si unus dicit etiam ſi mala opera quis habuerit, ſalvabit eum fides per ignem: alius autem ſi opera non habeat, nunquid poterit fides ſalvare eum? Inveniemus ergò, quid poſſit ſalvari per ignem, ſi prius invenerimus, quid ſit habere in fundamento Chriſtum. Quod ut de ipſa ſimilitudine quantocius advertamus, nihil in ædificio præponitur fundamento. Quiſquis itaque ſic habet in corde Chriſtum, ut ei terrena & temporalia, nec ea, quæ licita ſunt atque conceſſa, præponat, fundamentum habet Chriſtum. Si autem præponit, & ſi videatur habere fidem Chriſti, non eſt tamen in eo fundamentum Chriſtus, cui talia præponuntur, quanto magis ſi ſalutaria præcepta contemnens committat illicita, non præpoſuiſſe Chriſtum, ſed poſtpoſuiſſe convincitur, quem poſthabuit imperantem ſive concedentem, dum contra ejus imperata ſive conceſſa ſuam per flagitia deligit explere libidinem? Si quis itaque Chriſtianus diligit meretricem, eique adhærens unum corpus efficitur, jam in fundamento non habet Chriſtum. Si quis autem diligit uxorem ſuam, ſi ſecundùm Chriſtum, quis ei dubitet, in fundamento eſſe Chriſtum? *1. Cor. 6. Eph. 5.* Si verò ſecundùm hoc ſeculum, ſi carnaliter, ſi in morbo concupiſcentiarum, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum, etiam hoc ſecundùm veniam concedit Apoſtolus, imò per Apoſtolum Chriſtus. Poteſt ergò & iſte habere in fundamento Chriſtum. Si enim ei nihil talis affectionis voluptatiſque præponat, quamvis ſuperædificet ligna, fœnum, ſtipulam, Chriſtus eſt fundamentum, propter hoc ſalvus erit per ignem. Delicias quippe hujuſmodi amoreſque terrenos, propter conjugalem quidem copulam non damnabiles, tribulationis ignis exuret: ad quem ignem pertinent & orbitates, & quæcunque calamitates, quæ auferunt hæc. Ac per hoc ei, qui ædificavit, erit ædificatio iſta damnoſa, quia non habebit, quod ſuperædificavit, & eorum amiſſione cruciabitur, quibus

fruendo utique lætabatur. Sed per hunc ignem ſalvus erit merito fundamenti, *a* quia & ſi utrum id, an Chriſtum habere mallet, à perſecutore proponeretur, illud Chriſto non præponeretur. Vide in Apoſtoli verbis hominem ædificantem ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides precioſos. Qui ſine uxore eſt, inquit, cogitat quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo. Vide alium ædificantem ligna, fœnum, ſtipulam. Qui autem matrimonio junctus eſt, inquit, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori. Uniuſcujuſque opus quale ſit, manifeſtabitur: dies enim Domini declarabit. Dies utique tribulationis, quoniam in igne, inquit, revelabitur. Eandemque tribulationem ignem vocat, ſicut alibi legitur: Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis. Et uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus permanſerit, permanet enim, quod quiſque cogitat, quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet, id eſt, unde cogitavit, hoc ſumet. Si cujus autem opus arſerit, damnum patietur, quoniam quod dilexerat, non habebit. Ipſe autem ſalvus erit, quia eum nulla tribulatio ab illius fundamenti ſtabilitate ſemovit, ſic tamen quaſi per ignem. Quod enim ſine illiciente amore non habuit, ſine urente dolore non perdet. Ecce quantum mihi videtur, inventus eſt ignis, qui nullum eorum damnet, ſed unum ditet, alterum damnificet, ambos probet. Si autem ignem illum iſto loco voluerimus accipere, de quo Dominus dicit ſiniſtris: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: ut in eis etiam iſti eſſe credantur, qui ædificant ſuper fundamentum ligna, fœnum, ſtipulam, eoſque ex illo igne poſt tempus pro malis meritis impertitum, liberet boni meritum fundamenti, quid arbitramur dexteros, quibus dicetur: Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis regnum, niſi eos, qui ædificaverunt ſuper fundamentum aurum, argentum, lapides precioſos? Sed in illum ignem, de quo dictum eſt, ſic tamen quaſi per ignem, ſi hoc modo eſt intelligendus, utrique mittendi ſunt, & dextri ſcilicet & ſiniſtri. Illo quippe igne utrique probandi ſunt, de quo dictum eſt: *b* Dies enim Domini declarabit, quoniam in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si ergò utrumque probabit ignis, ubi ſi cujus opus permanſerit, id eſt, non fuerit igne conſumptum, quod ſuperædificavit, mercedem accipiat: ſi cujus autem opus arſerit, damnum patiatur: profectò non eſt ipſe æternus ille ignis. In illum enim ſoli ſiniſtri noviſſima & perpetua damnatione mittentur, iſte autem dextros probat. Sed alios eorum ſic probat, ut ædificium, quod ſuper Chriſtum fundamentum ab eis invenerit eſſe conſtructum, non exurat atque conſumat: alios autem aliter, id eſt, ut quod ſuperædificaverunt, ardeat, damnumque inde patiantur, ſalvi fiant autem, quia Chriſtum in fundamento ſtabiliter poſitum præcellenti charitate tenuerunt. Si autem ſalvi fient, profectò & ad dexteram ſtabunt, & cum cæteris audient: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum, non ad ſiniſtram, ubi illi erunt, qui ſalvi non erunt: & ideò audient: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Nemo quippe ab illo igne ſalvabitur, quia in ſupplicium æternum ibunt illi omnes, ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extingue-

Marginal notes: 1. Cor. 7. — 1. Cor. 3. — Eccl. 27. — 2. Cor. 3.

guetur, quo cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum. Poſt iſtius ſanè corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui poſt reſurrectionem corporum futurus eſt damnationis & remunerationis ultimus dies, ſi hoc temporis intervallo ſpiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non ſentiant illi, qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, & fœnum, & ſtipula conſumatur: alii verò ſentiant, qui ejusmodi ſecum ædificia portaverunt, ſive ibi tantùm, ſive & hic & ibi, ſive ideò hic, ut non ibi ſecularia, quamvis à damnatione venialia concremantem ignem, tranſitoriæ tribulationis inveniant non redarguo, quia forſitan verum eſt. Poteſt quippe ad iſtam tribulationem pertinere etiam ipſa mors carnis, quæ de peccati primi perpetratione concepta eſt, *c* & ſecundum cujusque ædificium tempore ſuo ab unoquoque ſuſcepta. Poſſunt & perſecutiones Eccleſiæ, quibus martyres coronati ſunt, & quas patiuntur quicunque Chriſtiani, probant utraque ædificia velut ignis, & alia conſumunt cum ipſis ædificatoribus, ſi Chriſtum in eis non inveniunt fundamentum: alia ſine ipſis, ſi inveniunt, quia licet cum damno ſalvi erunt, ipſi non conſumentur propter Chriſti videlicet meritum in fundamentum reperti, qui manet in æternum. Erit etiam in fine ſeculi tribulatio tempore Antichriſti, qualis nunquam antea fuit: quàm multa erunt tunc ædificia, ſive aurea, ſive fœnea ſuper optimum fundamentum, quod eſt Chriſtus Jeſus, ut ignis ille probet utraque, & de aliis gaudium, & de aliis inferat damnum: neutros tamen perdat, in quibus hæc inveniet propter ſtabile fundamentum. Quicunque autem non dico uxorem, cujus etiam commixtione carnis ad carnalem uritur voluptatem, ſed ipſa, quæ ab hujusmodi delectationibus aliena ſunt nomina pietatis, humano more carnaliter diligendo Chriſto anteponit, non eum habet in fundamento: & ideò non per ignem ſalvus erit, ſed ſalvus non erit, quia eſſe cum Salvatore non poterit, qui de hac re apertiſſimè loquens ait: *β* Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Verùm qui has neceſſitudines ſic amat carnaliter, *Mat. 10.* ut tamen eas Chriſto Domino non præponat, malitque ipſis carere quàm Chriſto, ſi ad hunc fuerit articulum tentationis adductus, per ignem ſalvus erit, quia ex earum amiſſione tantùm neceſſe eſt urat dolor, quantum hæſerat amor: Porrò qui patrem, matrem, filios filiasque ſecundùm Chriſtum dilexerit, ut ad ejus regnum obtinendum, eique cohærendum illis conſulat, vel hoc in eis diligat, quod membra ſunt Chriſti, abſit ut iſta dilectio reperiatur in lignis, fœno, & ſtipula conſumenda, ſed prorſus ædificio aureo, argenteo, gemmeo deputabitur. Quomodo autem poteſt eos plus amare quàm Chriſtum, quos amat utique propter Chriſtum?

a Quia & ſi utrum id an Chriſtum.] *In aliis ſic. non diſſimili ſenſu: Quia & ſi utrum id habere mallet, an Chriſtum à perſecutore proponeretur, illud Chriſto non præponeretur.* *L. Vives.*

b Dies enim Domini declarabit.] *In quem omnia ſervantur occulta & incerta,*

quo magis reprehendenda ſunt hominum judicia de operibus aliis ambiguis, aut etiam ſuſpectis, & exiſtimatione noſtra malis.

c Et ſecundum cujusque.] *Alibi ſic: ut ſecundum cu. ed. tempus, quod eam ſequitur, ſentiatur: perſecutiones quoque, quibus martyres &c. & paulò poſt, quia licet cum damno ſalvierunt ipſi, alia verò non conſumunt: quia talia reperiunt, quæ maneant in æternum.*

F.L.Coq. a SEd habent (inquit) Chriſtiani Catholici in fundamento Chriſtum.] *Supra cap. 21. propoſuerat nonnullorum opinionem, qui exiſtimabant, omnes Chriſtianos Catholicos tandem ſalutem conſecuturos, & ab igne inferni liberandos, vel purgatorias pœnas & tranſitorias ſolum paſſuros, qui innitebantur authoritate Apoſtoli 1. Corinth. 3. eandem ſententiam refert & lib. de fide & operibus cap. 15. & in Enchirid. cap. 67. Ita enim interpretabantur illum Apoſtoli locum, ut revera fundamentum haberent Chriſtum, qui perſiſterent ad finem usque in fide Chriſti, nec deficerent ab Eccleſia Catholica: Illi vero ſuperædificarent ſuper hoc fundamentum argentum, aurum, lapides pretioſos, qui fidei, quæ in Chriſto eſt, bona opera adjiciunt: illi autem fœnum, ligna, ſtipulam, qui cum eandem fidem habeant, male operantur. Arbitrabantur ergo per quasdam pœnas ignis non poſſe purgari ad ſalutem percipiendam merito fundamenti. Verùm cum ex altera parte doceat manifeſtè Scriptura ſacra, fidem non ſufficere ad ſalutem, & bona etiam opera requiri, neque etiam propter infidelitatem ſolam homines damnari, verùm & ob alia peccata, propterea explicat hunc locum Apoſtoli, & quid ſit* habere in fundamento Chriſtum, & ædificare ſuper hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos, vel etiam lignum, fœnum, ſtipulam, *& quis tandem ſalvetur per ignem, fusè docet. Primum quidem explicat à ſimilitudine fundamenti. Cum enim fundamentum ſit, cui nihil præponitur in ædificio, is verè dicitur habere fundamentum Chriſtum, qui nihil omnino ipſi Chriſto præfert, & quamvis erga res mundi nonnihil afficiatur, paratus eſt tamen eas procul abs ſe abjicere, ſi ita exigat fides in Chriſtum, & amor, quem ipſi debet. Si vero temporalia ipſa etiam, quæ licita ſunt & conceſſa, ipſi Chriſto præponat, ut amorem uxoris & filiorum amori Chriſti, vel etiam illicita contra leges Chriſti committat, etiamſi fidem retineat Chriſti, minimè tamen dicendus eſt habere in fundamento Chriſtum. Nam per peccatum mortale avertitur homo à Deo & convertitur ad commutabile bonum, nec retinet in fundamento Chriſtum, qui præponit creaturam ipſi creatori: per* aurum vero, argentum & lapides pretioſos, *ſignificat Apoſtolus opera perfecta & laudabilia, *(quæ in judicio Dei examinata nihil niſi mercedem promerentur:)* Hi vero dicuntur ædificare* lignum, fœnum & ſtipulam, *non (ut interpretantur illi) qui male & depravate vivunt, ſed qui opera inutilia & reprehenſione digna committunt. i. e. peccata venialia, quæ quidem detrimentum adferant & purgatione indigeant, à ſalute tamen minime excidere faciant, cum remaneat in fundamento ipſe Chriſtus, ita exponit & hoc loco & lib. de fide & operibus cap. 16. & in Enchirid. cap. 68. D. Ambroſius ſermo. 20. in Pſal. 118. D. Hieronymus lib. 2. adverſus Jovinianum, & D. Gregorius lib. 4. dialogi cap. 39. his verbis:* Illum dixit per ignem poſſe ſalvari non qui ſuper hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum

bum ædificat. i. e. peccata majora & idcirco duriora atque tunc jam inſolubilia, ſed lignum, fœnum, ſtipulam: i. e. peccata minuta, atque leviſſima, quæ ignis facile conſumat. *Cum ergo in fundamento non habeant Chriſtum, qui licet fidem illius retineant, & in Eccleſia Catholica ad finem uſque conſtantes perſiſtant, peccata graviſſima committunt, ac perverſe vivunt, & per fœnum, ſtipulam, & lignum peccata venialia, quæ hujuſmodi committunt, non mortalia intelligantur, nihil illis patrocinatur Apoſtolus, qui volunt eos per ignem purgari & ſalvari tandem, qui fidem Eccleſiæ ſartam tectam ac integram retinent, licet perverſe vivant. In fundamento enim vult eum retinere Chriſtum, qui venialiter quidem delinquit, non tamen, qui mortaliter. i. e. qui præfert res creatas ac mundanas ipſi Chriſto.*

β Qui amat patrem & matrem plusquam me, non eſt me dignus.] *Quæ ratione etiam Lucæ 14. legimus.* Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, *&c.* non poteſt eſſe meus diſcipulus (non odit,) *id eſt*, non minus amat. *Neque enim parentes odiſſe jubemur, ſed amorem Chriſti eorum dilectioni longè præferre præcipimur, ne amor, quo erga eos afficimur, ullatenus ſaluti noſtræ officiat, aut perturbet eum amorem, quem Chriſto debemus. Is enim eſt ordo charitatis, ut cæteris etiam nobis ipſis Deum longè præferamus. Hieronymus epiſtol. ad Heliodor.* Recordare tyrocinii tui diem, quo Chriſto in baptiſmate conſepultus in ſacramenti verba juraſti, pro nomine ejus non te patri parciturum eſſe, non matri, *ac mox:* licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te nutrierat, mater oſtendat, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola, ſolum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem, *& alia hujuſmodi.*

γ Verum qui has neceſſitudines ſic amat carnaliter, ut tamen] *In genere docet mundanum illum amorem, quo erga res hujus mundi afficimur, ut uxorem, patrem, matrem, aliaque hujuſmodi, aliquando quidem nullum eſſe peccatum, utpote quando moderatus eſt, *(imo nonnunquam opus eſt meritorium,)* ut ſi ſecundum Chriſtum diligat & ad regnum ejus obtinendum eique cohærendum illis ſancte conſulat, & hoc præ cæteris in eis diligat, quod membra ſint Chriſti, ac nihil magis curet quam ſuam & illorum ſalutem. Interdum vero erit veniale peccatum, ſi quis amet plus æquo parentes, uxorem aut liberos, ſic tamen ut eis Chriſtum anteponat, & ſi opus ſit, paratus ſit pro Chriſto eos deſerere. Retinet enim ille in fundamento Chriſtum, quia eum aliis omnibus rebus anteponit, ſed tamen non ſuperædificat aurū, argentum, lapides pretioſos, cum hujuſmodi amor non ſit apud Deum opus meritorium, verum ſuperædificat lignum, fœnum & ſtipulam, cum in hoc venialiter delinquat, aliquando vero erit mortale peccatum, ut quando quis ita intenſe amat & tanti æſtimat res hujus mundi, ut ex eorum amore contemnat præcepta Dei, ſive quod idem eſt, eas Deo anteponat, ut qui ita diligit uxorem, ut paratus ſit potius Chriſto renunciare, quam eam abs ſe abdicare, procuidubio ita amando mortaliter delinquit. Ita ſi quis ex tali amore exponat ſe periculo peccati alicujus mortalis, ut qui ita divitias affectant, ut eas quibuſcumque viis conſectentur 1. ad Timoth. 6.* Qui volunt divites fieri,

eri, incidunt in tentationes & laqueum diaboli, *ita ſi quis adeo immoderate amet rem aliquam, ut ad eam obtinendam velit transgredi legem Dei, hujuſmodi ergo etſi fidem Chriſti retineant, non tamen Chriſtum habent pro fundamento, cum ei alia anteponant. Ut enim ſcribit idem Auguſt. lib. de fide & operibus cap. 16.* Si fundamentum Chriſtus proculdubio fides Chriſti, per fidem quippe habitat Chriſtus in cordibus noſtris Epheſ. 3. Porro fides Chriſti illa eſt utique quam definivit Apoſtolus, quæ per dilectionem operatur. Non enim fides & illa dæmonum cum ipſi credant & contremiſcant & filium Dei confiteantur Jeſum, poteſt accipi in fundamentum: quare? niſi quia non eſt fides, quæ operatur per dilectionem, ſed quæ exprimitur per timorem. Fides itaque Chriſti, fides gratiæ Chriſtianæ. i. e. ea fides, quæ per dilectionem operatur, poſita in fundamento, neminem perire permittit.

Cap. XXVII.

Contra eorum perſuaſionẽ, qui putant ſibi non obfutura peccata, in quibus cùm eleemoſynas facerent, perſtiterunt.

Reſtat a eis reſpondere, qui dicunt æterno igne illos tantummodo arſuros, qui pro peccatis ſuis facere dignas eleemoſynas negligunt propter illud quod ait Apoſtolus Jacobus : Judicium autem ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam. *Iac. 2.* Qui ergo fecit, inquiunt, quamvis non correxerit perditos mores : ſed nefariè ac nequiter inter ipſas ſuas eleemoſynas vixerit, quum miſericordia illi futurum eſt judicium, ut aut non damnetur omnino, aut poſt aliquod tempus à damnatione noviſſima liberetur. Nec ob aliud exiſtimant Chriſtum de ſolo dilectu atque neglectu eleemoſynarum diſcretionem inter dexteros & ſiniſtros eſſe facturum, quorum alios in regnum, alios in ſupplicium mittet æternum. Ut autem quotidiana ſibi opinentur, quæ facere omnino non ceſſant, qualiacunque & quantacunque ſint per eleemoſynas dimitti poſſe peccata, orationem quam docuit ipſe Dominus, & ſuffragatricem ſibi adhibere conantur, & teſtem. Sicut enim nullus eſt inquiunt, dies, quo à Chriſtianis hæc oratio non dicatur : ita nullum eſt quotidianum qualecunque peccatum, quod per illam non dimittatur, quum dicimus : Dimitte nobis debita noſtra : ſi quod ſequitur facere curemus : ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Matt. 6.* Non enim ait Dominus, inquiunt : Si dimiſeritis peccata hominibus, dimittet vobis pater veſter quotidiana parva peccata veſtra : ſed dimittet vobis, inquit, peccata veſtra. Qualiacunque ergo vel quantacunque ſint, etiam ſi quotidie perpetrentur, nec ab eis vita diſcedat in melius commutata, per eleemoſynam venia non negata, remitti ſibi poſſe præſumunt. Sed benè, quòd iſti dignas pro peccatis commonent eleemoſynas eſſe faciendas : quoniam ſi dicerent, qualeſcunque eleemoſynas pro peccatis & quotidianis & magnis, & quantacunque ſcelerum conſuetudine miſericordiam poſſe impetrare divinam, ut ea quotidiana remiſſio ſequeretur, viderent rem ſe dicere abſurdam atque

que ridiculam. Sic enim cogerentur fateri, fieri poſſe, ut opulentiſſimus homo *a* decem nummulis diurnis in eleemoſynas impenſis, homicidia, & adulteria, & nefaria quæque facta redimeret. Quod ſi abſurdiſſimum & inſaniſſimum eſt dicere, profectò ſi quæratur quæ dignæ ſint pro peccatis eleemoſynæ, de quibus etiam Chriſti præcurſor ille dicebat: *b* Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ: proculdubiò non invenientur eas facere, qui vitam ſuam uſque ad mortem quotidianorum criminum perpetratione confodiunt. β Primum, quia in offerendis rebus alienis longè plura diripiunt, ex quibus perexigua pauperibus largiendo, Chriſtum ſe ad hoc paſcere exiſtimant, ut licentiam malefactorum *c* ab illo ſe emiſſe, vel quotidie potius emere credentes, ſecuri damnabilia tanta committant. Qui ſi pro uno ſcelere omnia ſua diſtribuerent indigentibus membris Chriſti, niſi deſiſterent à talibus factis, habendo charitatem, quæ non agit perperam, aliquid eis prodeſſe non poſſet. Qui ergo dignas pro ſuis peccatis eleemoſynas facit, prius eas facere incipiat à ſeipſo. Indignum eſt enim, ut in ſe non faciat, qui facit in proximum, quum audiat dicentem Dominum: Diliges proximum tuum tanquam teipſum. Itemque audiat: Miſerere tuæ animæ placens Deo. γ Hanc ergo eleemoſynam id eſt, ut Deo placeat, non faciens animæ ſuæ, quomodo dignas pro peccatis ſuis eleemoſynas facere dicendus eſt? Adhoc enim & illud ſcriptum eſt. Qui ſibi malignus eſt, cui bonus erit? Orationes quippe adjuvant eleemoſynæ. Et utique intuendum eſt quod legimus: Fili peccaſti, ne adjicias iterum, & de præteritis tuis deprecare, ut dimittantur tibi. Propter hoc ergo eleemoſynæ faciendæ ſunt, ut cùm de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non in eis perſeverantes, licentiam malefaciendi nos per eleemoſynas comparare credamus. Ideò autem Dominus & dextris eleemoſynas ab eis factas, & ſiniſtris non factas ſe imputaturum eſſe prędixit, ut hinc oſtenderet, quantum valeant eleemoſynæ ad priora delenda, non ad perpetua impunè committenda peccata. Tales autem eleemoſynas non dicendi ſunt facere, qui vitam nolunt à conſuetudine ſcelerum in melius commutare. Quia & in hoc quod ait: Quando uni ex minimis meis nõ feciſtis, mihi non feciſtis: oſtẽdit eos nõ facere, etiã quando ſe facere exiſtimãt. Si enim Chriſtiano eſurienti panẽ tanquã Chriſto darẽt, profectò ſibi panẽ juſtitiæ, quod ipſe Chriſtus eſt, nõ negarẽt. Quoniam Deus *d* non cui detur, ſed quo animo detur attendit. Qui ergo Chriſtum diligit in Chriſtiano, hoc animo ei porrigit eleemoſynam, quo accedit ad Chriſtum, non quo vult recedere impunitus à Chriſto. Tantò enim magis quiſque deſerit Chriſtum, quantò magis diligit quod improbat Chriſtus. Nam quid cuiquam prodeſt quòd baptizatur, ſi non juſtificatur? Nonne qui dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum Dei, ipſe etiam dixit: Niſi abundaverit juſtitia veſtra ſuper Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Cur illud timendo multi currunt baptizari, & hoc non timendo non multi curant juſtificari?

Matt. 3. *1. Cor. 13.* *Mat. 22.* *Eccl. 30.* *Eccl. 14.* *Eccl. 21.*

ri? Sicut ergo non dicit fratri ſuo fatue, qui cum hoc dicit, non ipſi fraternitati, ſed peccato ejus infenſus eſt: alioquin reus erit gehennæ ignis: ita è contrario, qui porrigit eleemoſynam Chriſtiano, non Chriſtiano porrigit, qui non in eo diligit Chriſtum, non autem diligit Chriſtum, qui juſtificari recuſat in Chriſto. Et quemadmodum ſi quis præoccupatus fuerit hoc delicto, ut fratri ſuo dicat fatue, id eſt, non ejus peccatum volens auferre convicietur injuſtè, parum eſt illi ad hoc redimendum, eleemoſynas facere, niſi etiam quod ibi ſequitur remedium reconciliationis adjungat. Ibi enim ſequitur: *d* Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Ita parum eſt eleemoſynas quantaslibet facere pro quocunque ſcelere, & in conſuetudine ſcelerum permanere. Oratio verò quotidiana, quam docuit ipſe Dominus, *ε* unde & dominica nuncupatur, *ζ* delet quidem quotidiana peccata, cùm quotidie dicitur: Dimitte nobis debita noſtra: quando id quod ſequitur non ſolum dicitur, ſed etiam fit, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Sed quia fiunt peccata, ideo dicitur, non ut ideo fiant, quia dicitur. Per hanc enim nobis voluit ſalvator oſtendere, quantumlibet juſtè in hujus vitæ caligine atque infirmitate vivamus, non nobis deeſſe peccata, pro quibus dimittendis debeamus orare, & eis qui in nos peccant, ut & nobis ignoſcatur ignoſcere. Non itaque propterea dominus ait, Si dimiſeritis peccata hominibus, dimittet vobis & Pater veſter peccata veſtra, ut de hac oratione confiſi, ſecuri quotidiana ſcelera faceremus, vel potentia qua non timeremus hominum leges, vel aſtutia qua ipſos homines fallèremus: ſed ut per illam diſceremus, non putare nos eſſe ſine peccatis, etiam ſi à criminibus eſſemus immunes: ſicut etiam legis veteris ſacerdotes hoc ipſum Deus de ſacrificiis admonuit, quæ juſſit eos primùm pro ſuis, deinde pro populi offerre peccatis. Nam etiam ipſa verba tanti magiſtri & domini noſtri vigilanter intuenda ſunt. Non enim ait: Si dimiſeritis peccata hominibus, & Pater veſter dimittet vobis qualiacunque peccata: ſed ait, peccata veſtra. *η* Quotidianam quippe orationem docebat, & juſtificatis utique diſcipulis loquebatur. Quid eſt ergo peccata veſtra, niſi peccata ſine quibus nec vos eſtis, qui juſtificati & ſanctificati eſtis? ubi ergo illi, qui per hanc orationem occaſionem perpetrandorum quotidie ſcelerum quærunt, dicunt dominum ſignificaſſe etiam magna peccata, quoniam non dixit dimittet vobis peccata parva, ſed peccata veſtra: ibi nos conſiderantes qualibus loquebatur, & audientes dictum, peccata veſtra nihil aliud debemus exiſtimare quàm parva, quoniam talium non erant magna. Verumtamen nec ipſa magna, à quibus omnino mutatis in melius moribus recedendum eſt, dimittuntur orantibus, niſi fiat quod ibi dicitur: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si enim minima peccata, ſine quibus non eſt etiam vita juſtorum, aliter non remittuntur: quanto magis multis & magnis crimini-

minibus involuti, etiam ſi ea perpetrare jam deſinant: nullam indulgentiam conſequuntur, ſi ad remittendum aliis, quod in eos quisque peccaverit, inexorabiles fuerint, cùm dicat Dominus: ſi autem non dimiſeritis hominibus peccata, neque Pater veſter dimittet vobis? Ad hoc enim valet, quod etiam Jacobus Apoſtolus ait: Judicium futurum ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam. *Iac.2.* Venire quippe debet in mentem etiam ſervus ille, cui debitori dominus ſuus relaxavit decem millia talentorum: quæ poſtea juſſit, ut redderet, quia ipſe non miſertus eſt conſervi ſui, qui ei debebat centum denarios. *Luc.18.* In his ergò, qui filii ſunt promiſſionis, & vaſa miſericordiæ, valet, quod ait idem Apoſtolus, conſequenter adjungens: Superexaltat autem miſericordia judicium. Quoniam & illi juſti, qui tanta ſanctitate vixerunt, ut alios quoque recipiant in tabernacula æterna, quibus amici facti ſunt de mammona iniquitatis, ut tales eſſent, miſericordia liberati ſunt ab eo, qui juſtificat impium, imputans mercedem ſecundùm gratiam, non ſecundùm debitum. In eorum quippe numero eſt Apoſtolus, qui dicit: Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem. *1.Tim.1.* Illi autem, qui recipiuntur à talibus in tabernacula æterna, fatendum eſt, quòd non ſint his moribus præditi, ut eis liberandis ſine ſuffragio ſanctorum ſua poſſit vita ſufficere, ac per hoc multò amplius in eis ſuperexaltat miſericordia judicium. Nec tamen ideò putandus eſt quisquam ſceleratiſſimus nequaquam vita vel bona, vel tolerabiliore mutatus, recipi in tabernacula æterna, quoniam obſecutus eſt ſanctis de mammona iniquitatis, id eſt, de pecunia, vel divitiis, quæ malè fuerant acquiſitæ: aut etiam ſi benè non tamen veris, ſed quas iniquitas putat eſſe divitias, quoniam neſcit, quæ ſint veræ divitiæ, quibus illi abundant, qui & alios recipiunt in æterna tabernacula: Eſt itaque quidam vitæ modus: nec tam malæ, ut his, qui eam vivunt, nihil proſit ad capeſſendum regnum cœlorum largitas eleemoſynarum, quibus etiam juſtorum ſuſtineantur inopia, & fiunt amici, qui in tabernacula æterna ſuſcipiant: nec tam bonæ, ut ad tantam beatitudinem adipiſcendam eis ipſa ſufficiat, niſi eorum meritis, quos amicos fecerint, miſericordiam conſequantur. *b* Mirari autem ſoleo etiam apud Verg. iſtam Domini reperiri ſententiam, ubi ait: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut & ipſi recipiant vos in tabernacula æterna. Cui & illa ſimillima: Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. *e i* Nam cùm Elyſios campos poëta ille deſcriberet, ubi putant, habitare animas beatorum, non ſolùm ibi poſuit eos, qui propriis meritis ad illas ſedes pervenire potuerunt, ſed adjecit atque ait:

Quiq; ſui memores alios fecere merendo:

id eſt, qui promeruerunt alios, eosque ſui memores promerendo fecerunt. Prorſus tanquam eis diceret, quod frequentatur ore Chriſtiano, cùm ſe cuique ſanctorum humilis quisque commendat, & dicit, memor mei eſto: atque ut id eſſe poſſit, promerendo efficit. Sed quis iſte ſit modus, & quæ ſint ipſa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen ſanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum eſt invenire, periculoſiſſimum deſi-

Digitized by Google

definire. Ego certè uſque ad hoc tempus cùm inde ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortaſſis propterea latent, ne ſtudium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigreſcat. Quoniam ſi ſcirentur, quæ vel qualia ſint delicta, pro quibus etiam permanentibus nec profectu vitæ melioris abſumptis interceſſio ſit inquirenda & ſperanda juſtorum, eis ſecura ſe obvolveret humana ſegnicies, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, ſed tantummodo quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos ſibi de mammona iniquitatis eleemoſynarum largitione feciſſet. Nunc verò dum venialis iniquitatis, etiam ſi perſeveret, ignoratur modus, profectò & ſtudium in meliora proficiendi orationi inſtando vigilantius adhibetur, & faciendi de mammona iniquitatis ſanctos amicos cura non ſpernitur. Verùm iſta liberatio, quæ fit, ſive ſuis quibusque orationibus, ſive intercedentibus ſanctis id agit, ut in ignem quisque non mittatur æternum: non ut cùm fuerit miſſus poſt quantumcunque tempus inde eruatur. Nam & illi, qui putant, ſic intelligendum eſſe, quod ſcriptum eſt: afferre terram bonam, uberem fructum: aliam tricenum, aliam ſexagenum, aliam centenum: ut ſancti pro ſuorum diverſitate meritorum, alii tricenos homines liberent, alii ſexagenos, alii centenos: hoc in die judicii futurum ſuſpicari ſolent, non poſt judicium. Qua opinione quidam cùm videret homines impunitatem ſibi perverſiſſimè pollicentes, eo quòd omnes iſto modo ad liberationem pertinere poſſe videantur, elegantisſimè reſpondiſſe perhibetur: bene potius eſſe vivendum: ut inter eos quisque reperiatur, qui pro aliis interceſſuri ſunt liberandis: ne tam pauci ſint, ut citò ad numerum ſuum vel tricenum, vel ſexagenum, vel centenum unoquoque eorum perveniente, multi remaneant, qui erui jam de pœnis illorum interceſſione non poſſint, & in eis inveniatur quisquis ſibi ſpem fructus alieni temeritate vaniſſima pollicetur. Hæc me reſpondiſſe illis ſuffecerit, qui ſacrarum literarum, quas communes habemus, autoritatē non ſpernunt, ſed eas malè intelligendo, non quod illæ loquuntur, ſed hoc potius putant futurum eſſe, quod ipſi volunt. Hac itaque reſponſione reddita, librum, ſicut promiſimus, terminamus.

Luc. 2.
Luc. 16.
Mat. 13.

L. Vives. a Decem numulis diurnis.] *Annotavit Budæus noſter nummos & ſeſtertios idem ſignificare, idque ex Cicerone, & aliis. Eſt verò ſeſtertius Carolus Gallicus, hoc eſt, quarta & quadrageſima ducati aurei pars. Decem nummos, quos etiam nummulos vocat Auguſtinus, inter exiguas eleemoſynas ponit. At hodie quotusquisque eſt ex beatis iſtis & opulentis purpuratis, qui quatuor ſeſtertiolos quotidie egenis largiatur? dediſſe unum aut alterum nimis putant. Si ludenda ſit alea, non ſatis eſt aliquot millia ducatorum perdidiſſe: ſi ſcurræ dandum, ibi nullus profundendi modus, nunquam ſatis ſe huic hominum generi largitos putant: & hoc exiſtimant ad nobilitatis magnificentiam ſpectare: propter Chriſtum ſi quis roget, defluetur munus cum datur, periit reſpectus omnis virtutis.*

b Facite, ergo fructus dignos pœnitentiæ.] *Graciſſavit* ἀξίυς μετανοίας: *Græci ablativo carent, hujus loco interdum dativo, interdum accuſativo, ſæpe genitivo utuntur ſed differenter.*

c Ab illo ſe emiſſe vel quotidie potius em.] *Sic perſuaſum eſt multis, qui compoſitionibus, ut vocant inducti, fidentes ſecurique, quantum ab aliis poſſunt, ad ſe & rem ſuam, quo jure, quaque injuria avertunt, facile ſibi noxiam eam remiſſum iri ſperantes, ſi furati centum, numerent compoſitori quatuor, aut ad ſummum decem: nam hoc nomen in ejusmodi rebus habet neſcio quid ſacri & myſterii propter filios Levi, quibus decima rerum omnium jubebantur dari: & profectò falſi ſunt miſerrimè, ſi putant Deum ærugine viliſſimi auri vel argenti capi: ſolis capitur animis, iisque bonis quos non dant, niſi boni homines: nam pecunias latrones abunde habent, & prodigunt, præſertim ſi quos recens ſpoliarint, aut urbem expilarint ſanctiſſimo videlicet, ut quibusdam videtur, belli jure. Itaque nemo fidat ſuis opibus, cum non modo Deus, ſed nec vir quispiam bonus velit à malo donari ſe. Quis unquam Simon pecuniâ voluit gratiam Dei emere, ſi iſti nolunt, ſi iſti non tentant, ſi non putant?*

d Si ergo offers tuum.] *Significat magnam legis divinæ partem hominibus eſſe à Deo propter homines datam, illumque nos velle inter nos amico eſſe animo, nec ullum charum eſſe Deo, cui eſt frater odioſus. Deumque facile eſt placari, modò placaris prius hominem, infirmiori namque parti vult prius ſubventum: neque enim eget Deus noſtra reconciliatione: eget frater offenſus, & ob id triſtis, eges ipſe tua cum fratre, & hujus viciſſim tecum, ut purior factus, ac inde quietiore mente digniore que principe mundi ad aras accedas: quo fit, ut qui altiora tantum cogitant, & in ſacra ceremoniasque intentiſſimi agunt, multaq; de Deo tum ſentiunt, tum loquuntur, proximum tamen averſantur & oderunt, non perinde ſint apud Deum gratioſi, ut ſibi videntur. Hi ſunt, qui mirantur ſe à Chriſto non agnoſci, cum per illius nomen vaticinati ſint, ac ejecerint dæmonia, Matth. 7.*

e Nam cum Elyſios campos.] *Campi Elyſii ſunt, ubi piorum animæ poſt corpoream functionem habitant. Servius* ἀπὸ τῆς λύσεως *nominatos tradit, à diſſolutione animæ à vinculis corporis. Ubi ſint non convenit. Plato in Phædone terram deſcribit in cœlo ipſo ſtellato pulchritudine inenarrabili, bonis omnibus refertiſſimam, ad quam emigraturas dicit animas eorum, qui pie ac ſanctè vitam transegerint: alii in cavo lunaris globi ſtatuunt, ut Servius refert, ubi purus eſt æther, nec ullis tempeſtatibus exagitatus, idcirco Verg. aeris campos vocat, inquit enim:*

Largior hic campus æther & lumine veſtit
Purpureo, ſolemque ſuum ſua ſydera norunt.

Lucanus ab hac opinione non videtur abhorrere in ix. nam deſcribens locum, quem Pompeji manes petierunt, inquit.

Sequitur connexa tonantis,
Qua niger aſtriferis connectitur axibus aër,
Quodque patet terras inter, lunæq; meatus.
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitæ patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in ignes.

Tum ex Pythagorica & Platonica philoſophia aërem hunc, qui inter lunam & terram patet fuſusque eſt, inhabitari à dæmonibus, ſemideis, & heroibus oſtendimus

mus aliis libris, ibique omnia ibi illa ineſſe, quæ poetæ inferis adſcribunt. At Homerus Elyſios ſedem beatarum animarum in extrema ponit Hiſpania, unde Zephyri ſpirant. Sic Proteus Menelao promittit, cùm vitæ hujus ſpatium decurrerit.

ἀλλὰ, *inquit*, εἰς ἠλύσιον πεδίον, καὶ πείρατα γαίης
ἀθάνατοι πέμψουσι, ὅτι ξανθὸς ῥαδάμανθυς.
τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισι.
οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἂρ χειμὼν πολὺς οὔτε ποτ' ὄμβρος.
ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγὺ πνείοντας ἀήτας
ὠκεανὸς ἀνίησι.

Senſum reddam.

Elyſium in campum, terris extrema ubi meta eſt,
Te ſuperi mittent, pulchri ſedem Radamanthi.
Illo vita loco facili traducitur ævo,
Nulla ibi tempeſtas, non nix, aut frigidus imber.
Sed Zephyri ſemper ſtridulas exuſcitat auras
Oceanus.

Strabo etiam Hiſpaniæ partem illam Elyſios eſſe ab Homero putatos credidit, nec procul Fortunatæ abſunt inſulæ in Oceano Atlantico, & Limæa fluvius ex Celtiberis & Vacceis delapſus, qui vulgò Lethe vocatus eſt, ut ſcribit Strabo, & ſi Letheus amnis & in Creta ſit, & alius in Magneſia. Plinius lib. 4. ab Minio, quem ſupra diximus CC. M. paſſuum, ut author eſt Varro, abeſt Æminius, quem aliter quidam intelligunt, & Limæam vocant, oblivionis antiquis dictus, multumque fabuloſus. Latinus Strabo mendosè habet Eſſemeam. Græcè ſic eſt, εἶτ' ἄλλοι ποταμοὶ καὶ μετὰ τούτους ὁ τῆς λήθης, ὃν τινες λιμαίαν, οἱ δὲ βελιῶνα καλοῦσι. καὶ οὗτος ἐκ κελτιβήρων καὶ οὐακκαίων ῥεῖ. *Silius Lethen nominat, & fluere ſuper Gravios ait, Mela ſuper Celticos. Idcirco cum eo veniſſent Romani milites, duce Decimo Bruto, transgredi metuerunt, ne protinus eos patriæ, parentum, & liberorum, atque adeò ſui ipſorum raperet oblivio.*

RL. cap. α Reſtat eis reſpondere qui dicunt.] *Supra cap. 22. & hoc præſenti capite & in Enchiridio cap. 75. ac ſequentibus refert fuiſſe nonnullos, qui per ſolas eleemoſynas certam ſibi remiſſionem peccatorum ac impunitatem poſt hanc vitam pollicerentur, etiam ſi flagitioſe alioquin & perditiſſime viverent. Totus eſt ergo in hoc cap. in ea refutanda ſententia.*

β Primum quia in auferendis rebus alienis.] *Demonſtrat, quam ſit abſurda ea opinio & longe à veritate aliena. Ita enim ſi quis aliena furaretur ac raperet, interim ex rapinis & rebus furtivis pauca in eleemoſynas largiretur, ſibi impunitatem ſcelerum hujusmodi poſſet promittere, hoc certe eſſet licentiam malefactorum à Deo emere, & paucis nummis in eleemoſynas impenſis ſcelera quæque ac flagitia redimere. Eadem D. Gregorius habet lib. 12. moral. cap. 23.* Quoties *(ait)* poſt culpam eleemoſynas facimus, quaſi pro pravis actibus pretium damus: unde & per Prophetam de eo, qui hæc non agit dicitur: non dabit Deo propitiationem ſuam, nec pretium redemptionis animæ ſuæ. Nonnunquam vero divites elati inferiores opprimunt & aliena rapiunt, & tamen quaſi quædam aliis largiuntur. Et cum multos depri-

mant,

mant, aliquando quibusdam opem defenſionis ferunt, & pro iniquitatibus, quas nunquam deſerunt, dare pretium videntur. Sed tunc eleemoſynæ pretium nos à culpis abducit, cum perpetrata plangimus & abdicamus. Nam & qui ſemper peccare vult, & ſemper quaſi eleemoſynam largiri, fruſtra pretium tribuit, quia non redimit animam, quam à vitiis non compeſcit, unde nunc dicitur, non credat fruſtra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus ſit. Quia eleemoſyna ſuperbi divitis eum redimere non valet, quem perpetrata ſimul rapina pauperis ante Dei oculos conſcendere non permittit. *In concilio Cabilon. 2. can. 36.* Peccata, quæ ex induſtria, aut cujuslibet libidinis explendæ cauſa idcirco fiunt, ut eleemoſynis redimantur, nequaquam eis redimi poſſunt, quia qui hoc perpetrarunt, videntur demum Deum mercede conducere, ut eis impune peccare liceat. Non ergo quis idcirco peccare debet, ut eleemoſynam faciat, ſed ideo eleemoſynam facere debet, quia peccavit. Mentem enim & corpus, quæ libido traxit ad culpam, afflictio & contritio debet reducere ad veniam.

γ Hanc ergo eleemoſynam. i. e. ut placeat Deo.] *Gregorius lib. 19. moral. cap. 20. ad ea verba:* Oculus fui cæco & pes claudo. Multi *(inquit)* proximis quaſi opera miſericordiæ impendunt, ſed injuſtitiæ facta non deſerunt. Qui ſi veraciter proximis miſericordiam facere ſtudent, ſibi ipſis debuerant prius miſereri. Scriptum eſt enim, miſerere animæ tuæ placens Deo. Qui ergo miſereri vult proximo, à ſe trahat neceſſe eſt originem miſerendi. Scriptum eſt enim, diliges proximum tuum ſicut teipſum. Quomodo ergo alteri miſerendo prius eſt, qui adhuc injuſte vivendo fit impius ſibi etiam ipſi? Scriptum eſt enim per quendam ſapientem, qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit? Ad exhibendam quippe miſericordiam, ut indigentibus plane externis valeat impendi, duo ſibi neceſſario congruunt, ſcilicet homo, qui præbeat, & res, quæ præbeatur, ſed longe incomparabiliter melior eſt homo quam res. Qui itaque indigenti proximo exteriorem ſubſtantiam præbet, ſed vitam ſuam à nequitia non cuſtodit, rem ſuam Deo tribuit, & ſe peccato, hoc quod minus eſt, obtulit authori, & hoc quod majus eſt, ſervavit iniquitati. *Eadem ſcribit in paſtorali p. 3. cap. 21.* Nihil ergo eleemoſynæ prodeſunt illis ad ſalutem, qui perdite vivunt, nec ſcelera pœnitentia emendare cogitant, ac tandem in peccato mortali hinc decedunt, eſt quidem eleemoſyna utilis plurimum ad ſalutem, ideoque à Chriſto plurimum commendata: verum ſi reliqua adſint, fides ipſa, charitas, pœnitentia præteritorum peccatorum. Si enim diſtribuero ſubſtantiam meam in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, *&c. 1. Cor. 13. Auguſtinus in Enchiridio cap. 75.* Qui *(inquit)* ſceleratiſſime vivunt, nec curant talem vitam moreſque corrigere, & inter ipſa facinora, & flagitia ſua eleemoſynas frequentare non ceſſant, fruſtra ſibi ideo blandiuntur, quoniam dominus ait, date eleemoſynam & omnia munda ſunt vobis *& cap. 76.* Non ergo ſe fallant, qui per eleemoſynas quamlibet largiſſimas fructuum ſuorum vel cujuscumque pecuniæ, impunitatem ſe emere exiſtimant in facinorum ſuorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendo. Non ſolum enim hæc faciunt, ſed ita ea diligunt, ut in eis optent, ſi poſſint, impune verſari. Qui au-

rem diligit iniquitatem, odit animam ſuam; & qui odit animam ſuam, non eſt miſericors, ſed crudelis. *D. Hieronymus in epitaphio Paulæ*, Scimus pleroſque dediſſe eleemoſynam, ſed de proprio corpore nihil dediſſe, porrexiſſe egentibus manum, ſed carnis voluptate ſuperatos dealbaſſe ea, quæ foris erant, & intus plenos fuiſſe oſſibus mortuorum.

δ Deus non cui detur, ſed quo animo detur attendit.] *Certe cum eleemoſyna actus ſit liberalitatis: in liberalitate autem attendi debeat quomodo & cui des, ſic etiam in eleemoſyna, & monet Hieronymus epiſt. 13. ad Paulinum de inſtitut. monachi:* Tu conſidera, ne ſubſtantiam Chriſti imprudenter effundas, ne immoderato judicio rem pauperum tribuas non pauperibus, & ſecundum dictum prudentiſſimi viri, liberalitas liberalitate pereat. *Verum illud ſpectandum, quid potiſſimum conſideretur in eo, cui datur eleemoſyna, ut ſit ipſa Deo grata. Nec enim, verbi gratia, peccatoribus, ut peccatores ſunt, verum ut homines & Chriſtiani ſunt, eleemoſynam largiri debemus, ut in eis velut Chriſto ſubvenire intelligamur. Quæ enim nomine illius ſuis donantur, ſibi reputat donata Matth. 25.* Etſi peccatoribus, qua peccatores ſunt, eleemoſyna fieret, nihil aliud eſſet (*ait D. Auguſtinus in Pſal. 102.*) niſi diligere peccatorem: Et ſicut qui recipit juſtum in nomine juſti mercedem juſti accipiet. *i. e.* vitam æternam: ſic etiam qui accipit peccatorem in nomine peccatoris, mercedem peccatoris accipiet. i. e. mortem ſempiternam. *Etſi vero potiſſimum id ſpectandum ſit in paupere, cui eleemoſynam largimur, quod Chriſtianus ſit, ut in eo Chriſtum diligere videamur, non negat tamen etiam infidelibus conferendam eleemoſynam, non quidem quatenus infideles, quod in eis damnandum eſt, verum quatenus homines & ea ratione proximi, quos diligere teneamur. Ita D. Hieronymus adverſus Vigilantium,* Nec nos *(inquit)* negamus cunctis pauperibus etiam Judæis & Samaritanis, ſi tanta ſit largitas, ſtipes porrigendas, ſed Apoſtolus faciendam quidem docet ad omnes eleemoſynam, ſed maxime ad domeſticos fidei, *ad Galat. 6.*

ε Unde & dominica nuncupatur.] *Paſſim ita vocatur à Patribus, quod Chriſtum dominum authorem habeat: vocatur & ab eiſdem* legitima. *Tertullianus lib. de Fuga in perſecut.* Sed in legitima oratione cum dicimus ad patrem, & ne nos inducas, *& lib. de orat. cap. 9.* Præmiſſa legitima & dominica oratione. *D. Auguſtinus ſermo 126. de tempore*, Moneo vos chariſſimi, ut pacem legitimam patri & Deo offerendam ante diſcatis, *& ab eodem ibi dicitur* cœleſtis. *Cyprianus vocat,* cœleſtis doctrinæ compendium.

ζ Dei & quidem quotidiana peccata cum quotidie dicitur.] *Hoc idem docet in Enchiridio cap. 71.* De quotidianis autem brevibus, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit: *Paulo poſt:* Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata, delet & illa, à quibꝰ vita fidelium ſcelerate etiam geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit, *quæ verba Auguſtini referuntur diſtinct. 3. de pœnitent. can. de quotid. D. Thomas 12. q. 74. art. 8. ad 6.* Dicendum *(inquit)* quod oratio dominica non ſolum contra peccata venialia dicenda eſt, ſed etiam contra mortalia. *3. p. q. 87. art. 3. docet*

quæ

qua ratione per orationem dominicam remittantur peccata venialia, Triplici ratione (*inquit*) aliqua cauſſant remiſſionem venialium peccatorum, uno modo, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infuſionem gratiæ tollantur venialia peccata, quomodo per Euchariſtiam, & extremam unctionem, & univerſaliter per omnia ſacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo, in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum, & hoc modo confeſſio generalis, tunſio pectoris, oratio dominica operantur ad remiſſionem venialium peccatorum. Nam in oratione dominica petimus, dimitte nobis debita noſtra. Tertio modo, inquantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas, & hoc modo benedictio epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, quælibet ſacramentalis unctio, oratio in Eccleſia dedicata, & ſi aliqua alia ſunt hujuſmodi, operantur ad remiſſionem venialium peccatorum.

n Quotidianam quippe orationem docebat.] *Concilium Toletanum 4. ſcribit hanc orationem* quotidianam *eſſe à Patribus vocatam,* ut quæ quotidie dicenda ſit.

o Mirari autem ſoleo.] *Adeo conſentit interdum cum ſcripturis ſacris, prophanis ſcriptoribus, ut vel hauſiſſe ex ſcripturis, vel quodam divino radio illuſtratos eos ſcripſiſſe omnino fatendum ſit; ut videre eſt apud Theodoretem lib. 2. θεραπευ]. Eugubinum lib. 7. de perenni philoſoph. cap. 9. plura hujuſmodi, ut merito miretur, Auguſtinus expreſſam apud Virgilium ex Evangelio Chriſti ſententiam.*

i Nam cum ille poeta Elyſios campos deſcriberet.] *Deſcribuntur & ab Homero 4.* Adeo verum, *quod ſcribit Ambroſius lib. 2. epiſt. 2. & Clemens Alexandrinus in Stromatis,* Veteres Poetas ac Græcos præſertim, quæcumque pulchra habeant à noſtris literis tranſtuliſſe. *Ita teſte Gregorio Nazianzeno orat. in laudem Baſilii.* Veteres illi ex Moſaicis libris paradiſum imagine quadam conceperunt, tametſi in nomine nonnihil diſcrepent, aliis tamē vocabulis hoc ipſum indicantes. Dicitur enim Elyſius quaſi *ἀλύσιος καὶ ἀπολύσιος τῆς κολάσεως,* quod malis omnibus ſolvat, *Ut ſcribit Origines lib. 7. contra Celſum.*

k Non quod illæ loquuntur, ſed hoc potius.] Hujuſmodi ſunt omnes hæretici, qui (*ut ſcribebat epiſt. 122. ad Conſentinum*) cum ſcripturas in authoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, cum ſuos potius ſectentur errores, ac per hoc non quod eas contemnant, ſed quod eas non intelligant, hæretici ſunt. *& lib. 7. de Geneſ. ad liter. cap. 9.* Neque enim non omnes hæretici ſcripturas Catholicas legunt, nec ob aliud ſunt hæretici, niſi quod eas non recte intelligentes ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pervicaciter aſſerunt. *& lib. 1. cap. 18. monebat cavendum, ne pro ſententia divinarum ſcripturarum, ſed pro noſtra ita dimicemus, ut eam velimus eſſe ſcripturarum, quæ noſtra eſt, cum potius eam, quæ ſcripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus.*

DIVI

Digitized by Google

DIVI AURELII AUGUSTINI EPISCOPI
AD MARCELLINUM
DE CIVITATE DEI
LIBER XXII.

Cap. I.

De conditione Angelorum & hominum.

SIcut in proximo libro ſuperiori promiſimus, iſte hujus totius operis ultimus diſputationem de civitatis Dei æterna beatitudine continebit. Quæ non propter ætatis per multa ſecula longitudinem *a* tamen quandocunque finiendam æternitatis nomen accepit, ſed quemadmodum ſcriptum eſt in Evangelio: Regni ejus non erit finis. *Luc.1.* Nec ita ut in aliis moriendo decedentibus, aliis ſuccedentibus oriendo, ſpecies in ea perpetuitatis appareat, ſicut in arbore, quæ perenni fronde veſtitur, eadem videtur viriditas permanere, dum labentibus & cadentibus foliis, ſubinde alia, quæ naſcuntur, faciem conſervant opacitatis: ſed omnes in ea cives immortales erunt, adipiſcentibus & hominibus, quod nunquam ſancti Angeli perdiderunt. Faciet hoc Deus omnipotentiſſimus ejus conditor. Promiſit enim, nec mentiri poteſt, & quibus fidem hinc quoque faceret, multa ſua, & non promiſſa, & promiſſa jam fecit. Ipſe eſt enim, qui in principio condidit mundum, plenum bonis omnibus viſibilibus atque intelligibilibus rebus, in quo nihil melius inſtituit quàm ſpiritus, quibus intelligentiam dedit, & ſuæ contemplationis habiles capaceſque ſui præſtitit, atque una ſocietate devinxit, quam ſanctam & supernã dicimus civitatẽ, *a* in qua reſideant, in qua ſuſtententur beatique ſint. Deus ipſe illis eſt, tanquam vita victuſque communis. Qui liberum arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit tale, *b* ut ſi vellet deſerere Deum, beatitudinem ſcilicet ſuam, continuò miſeria eſſet ſecutura. Qui quum præſciret Angelos quoſdam *β* per elationem, qua ipſi ſibi ad beatã vitam ſufficere vellent, tanti boni deſertores futuros, non eis ademit hanc poteſtatem *γ* potentius & melius eſſe judicans etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere. Quæ omninò nulla eſſent, niſi natura mutabilis, quamvis bona, & à ſummo Deo atque incommutabili bono, qui bona omnia condidit inſtituta, peccando mala ea ſibiipſa feciſſet. *δ* Quo etiam peccato ſuo teſte convincitur, bonam conditam ſe eſſe naturam. Niſi enim magnum & ipſa, licet non æquale conditori bonum eſſet, profectò deſertio Dei tanquam luminis ſui, malum ejus eſſe non poſſet. Nam ſicut cœcitas oculi vitium eſt, & idem ipſum indicat ad lumen videndum oculum eſſe creatum, ac per hoc etiam ipſo vitio ſuo excellentius oſtenditur cæteris membris membrum capax luminis, non enim alia cauſa eſſet vitium ejus carere lumine; ita etiam natura, quæ fruebatur Deo, optimam ſe in-

Digitized by Google

ſe inſtitutam docet etiam ipſo ſuo vitio, quo ideò miſera eſt, quia non fruitur Deo, qui caſum Angelorum voluntarium juſtiſſima pœna ſempiternæ infelicitatis obſtrinxit, atque in eo ſummo bono permanentibus cæteris, ut de ſua ſine fine permanſione certi eſſent, tanquam ipſius præmium permanſionis dedit. Qui fecit hominem, ipſum etiam rectum cum eodem libero arbitrio, terrenum quidem animal, ſed cœlo dignum, ſi ſuo cohæreret authori: miſeria ſimiliter, ſi eum deſereret ſecutura, qualis naturæ hujusmodi conveniret. Quem ſimiliter cum prævaricatione legis Dei per Dei deſertionem peccaturum eſſe præſciret, nec illi ademit liberi arbitrii poteſtatem, ſimul prævidens, quid boni de malo ejus eſſet ipſe facturus, qui de mortali progenie meritò juſtèque damnata, tantum populum per gratiam ſuam colligit, ut inde ſuppleat & inſtauret partem, quæ lapſa eſt angelorum, ac ſic illa dilecta & ſuperna civitas ε non fraudetur ſuorum numero civium, quin etiam fortaſſis & uberiore lætetur. c ζ Multa enim fiunt à malis quidem contra voluntatem Dei, ſed tantæ eſt ille ſapientiæ, tantæque virtutis, ut in eos exitus ſive fines, quos bonos & juſtos ipſe præſcivit, tendãt omnia, quæ voluntati ejus videntur adverſa. η Ac per hoc, cum Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus lenis erat, verbi gratia, reddatur iratus, illi potius quàm ipſe mutantur, & eum quodammodo mutatum in his, quæ patiuntur, inveniunt, ſicut mutatur Sol oculis ſauciatis, & aſper quodammodo ex miti, & ex delectabili moleſtus efficitur, quum ipſe apud ſeipſum maneat idem, qui fuit. Dicitur etiam voluntas Dei, quam facit in cordibus obedientium mandatis ejus, de qua dicit Apoſtolus: Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle. θ Sicut enim juſtitia Dei non ſolùm, qua ipſe juſtus eſt, dicitur, ſed illa etiam, quam in homine, qui ab illo juſtificatur, facit: ſic & lex ejus vocatur, quæ potius eſt hominum, ſed ab ipſo data hominibus. Nam utique homines erant, quibus ait Jeſus: In lege veſtra ſcriptum eſt, cum alio loco legamus: Lex Dei ejus in corde ipſius. Secundùm hanc voluntatem, quam Deus operatur in hominibus, ι etiam velle dicitur, quod ipſe non vult, ſed ſuos id volentes facit: ſicut dicitur cognoviſſe, quod, ut cognoſceretur, facit, à quibus ignorabatur. Neque enim dicente Apoſtolo: Nunc autem cognoſcentes Deum, imò cogniti à Deo, fas eſt, ut credamus, quòd eos tunc cognoverit Deus, præcognitos ante conſtitutionem mundi: ſed tunc cognoviſſe dictus eſt, quod tunc, ut cognoſceretur, effecit. De his locutionum modis jam & in ſuperioribus libris memini diſputatum. Secundùm hanc ergò voluntatem, qua Deum velle dicimus, quod alios efficit velle, à quibus neſciuntur futura, multa vult, nec facit.

Phil. 2. — Ioh. 8. — Pſ. 36. — 1. Pet. 1.

a IN qua reſideant, in qua ſuſtententur.] *In aliis libris ſic: In qua res, qua ſuſtententur beatiq; ſint. Deus ipſe illis eſt, tanquam vita victusq; communis. Qui ſenſus videtur commodior: & poſt.* L. Vives.

b Ut ſi vellet deſerere Deum.] *In aliis ſic: Deſereret Deum continuò miſeria ſecutura: quaſi extemplo miſeria ſequatur, ubi à vita & beatitudine diſceditur.*

c Multa enim fiunt à malis quidem contra voluntatem Dei.] *Atqui audimus à Propheta, omnia, quæcunque voluit, fecit. Hac quæſtio altiſſima eſt, multisq; ſacra-*

narum literarum dictis ceu nodis vincta & arctata. Petrus Lombardus in 1. lib. Collect. ſententiarum non facile ſe ex ea extricat. Theologi deinde ad omnia vel ſolvenda, vel ſcindenda voluntates invenerunt beneplaciti, & ſigni antecedentis & conſequentis, & ſimplicis complacentiæ & diſplicentiæ: & velut hoc parum ſit, intellectum exponunt, ſimplicis volitionis & nolitionis: tum perſecutionis fuga, tum ſignorum voluntatis ſimplicis complacentia, & ſignorum voluntatis perſecutionis & fugæ. Equidem tametſi in his multa non tamẽ univerſa ceu futilia damnarim, & hoc, ſi modò daretur opera, ut intelligerent, qui audiunt, & qui dicunt, apertius explicarent, idq́; verbis vulgaribus ad communem ſenſum uſumq́; accommodatis, nec de vocum abſurdarum novitate ſtuderent admirationem captare. Ego verò, ut hæc omittam, quantum ad præſens inſtitutum attinet, puto voluntatem, & eſſe in Deo veram germanámque, & à nobis ei attribui affingiq́; pro modo noſtro captuq́; ex noſtra deductam & concinnatam, ut oculos damus, & manus, & pedes: divina illa atque omnipotens expreſſa veraq́; neque mutatur unquam, & omnia, quæcunque voluit, fecit, nec vi aliqua vel impediri poteſt, vel averti. At quam nos aſſignamus, optimorum hominum voluntati ſimillimam efficimus, ut quum oculos tribuimus non lippi aut luſcioſi cujusvis, aut ſtrabi, ſed acutiſſimè cernentis tribuimus: ſic pedes non loripedis claudivé, aut vatracis, ſed integerrimi & perniciſſimi hominis: ſic manus, ſic brachia, ut perfectiſſima immortalibus poſſumus excogitare. Itaque cùm vir bonus benè vivi velit, omniaq́; rectè agi gaudeat, contrà malè ac pravè vivi nolit doleátque, ſi id contingat: ſic Deus & velle & gaudere à nobis dicitur, quòd homines piè ſanctèq́; vitam agant: nolle doleréque, quòd ſceleratè ac impiè: tanquam illa, quæ ſuæ naturæ ſunt congruentiora, malit, quibus & videatur delectari quaſi rebus cognatis. Quocirca cùm hanc voluntatem facilius ſit, quàm illam intelligere, quod noſtris ſimilior, mali viri, cùm ſcelera admittunt, haud dubiè & ſibi & aliis contra Dei voluntatem facere videntur: Quo verbo paulò poſt Auguſtinus utitur, quæ voluntati ejus videntur adverſa, & de ſempiterna illa & vera divina voluntate addit: ac per hoc cum Deus mutare dicitur voluntatem, &c. Tum & eſt voluntas Dei, quam ipſe in nobis facit: de qua plerique in ſacris literis intelliguntur loci: ut ipſe Auguſt. ſatis explicat. Quæ omnia unusquisque velim accipiat me dicta honore illo & reverentia, qua de re tam ſacroſancta & à noſtris ingeniis remotiſſima loqui hominem fas eſt, ceſſuro facilè vel rationem meliorem afferenti, vel autoritatem majorem.

B.L.Coq. α TAmen quandoque finiendum æternitatis nomen accepit.] *In ſcripturis enim aliquando id vocatur* æternum, *quod per longiſſima tempora durat, etſi principium habeat & finem, ut obſervat etiam lib. 2. locutionis de Exodo ad illud Exodi 21.* Si emeris ſervum Hebræum & pertundet ei dominus auriculam de ſubula, & ſerviet in ſempiternum vel in æternum, habet εἰς τὸν αἰῶνα, ubi non intelligitur *(inquit)* æternitas illa, ſecundum quam nobis æterna promittuntur, ſed intelligitur æternum dictum, cujus temporis finis non eſt, *& quæſt. 31. ſuper Geneſ. quæſt. 43. ſuper Exodum*, Cujus certus finis non aſſignatur, ſed ita fit, ut deinceps etiam aliquandiu ſit finiendum.

β Per elationem qua ipſi ſibi ad beatam vitam ſufficere vellent.] *Videtur hic*

hic locus confirmare ſententiam nonnullorum Theologorum, qui exiſtimant peccatum Angelorum, quod fuit ſuperbia, in eo fuiſſe, quod appetierint tanquam finem ultimum ſuam ipſorum perfectionem naturalem, & in ea tanquam in ultimo fine conquieverint avertentes ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali, quæ illis erat propoſita: quam etiam ſententiam aſſeruit lib. 11. ſuper Geneſ. ad liter. cap. 23. Factus continuo ſe à luce veritatis avertit ſuperbia tumidus, & propriæ poteſtatis delectatione corruptus. *Hanc etiam innuit D. Thomas 1. p. q. 63. art. 3. immo Cajetanus & Ferrarienſis libr. 3. contra Gentiles, volunt eam eſſe ſententiam D. Thomæ.*

γ Potentius & melius eſſe judicans.] *In Enchiridio cap. 12.* Neque enim Deus cum ſumme bonus ſit, ullo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo: *Qua ratione peccata & mala dicuntur quodammodo cadere ſub divinam providentiam, & cap. 27.* Melius judicavit de malis benefacere, quam mala nulla eſſe permittere: *& lib. 11. de Geneſ. ad liter. cap. 9. deſcribit, Deum creaſſe Angelos, quos malos fore præſciebat,* Quia ſicut prævidit quid mali eſſent facturi, ſic etiam prævidit de malis factis eorum, quid boni eſſet ipſe facturus: Sic enim eos fecit, ut eis relinqueret, unde & ipſi aliquid facerent, quo quicquid etiam culpabiliter eligerent, illum de ſe laudabiliter operantem invenirent. A ſe quippe habent voluntatem malam, ab illo autem & naturam bonam, & pœnam juſtam, ſibi debitum locum, aliis exercitationis adminiculum, & timoris exemplum. *& lib. 2. de Geneſ. contr. Manich. cap. 28. eadem ſcribit. Elegans eſt locus Syneſii epiſt. 57 contra Andronicum.* Ἐπεὶ οὖν ἅπαξ γέγονεν τὰ κακὰ, τῆς θείας σοφίας καὶ ἀρετῆς καὶ δυνάμεως ἔργον ἐστὶν οὐ μόνον τὸ ἀγαθοποιεῖν, ἀλλὰ κἀκεῖνο μάλιστα τὸ διὰ κακῶν ἀπονοηθέντων πρός τινων ἀγαθόν τι καὶ χρηστὸν τέλος ἀποτελεῖν, καὶ ὠφελίμως τοῖς δοκοῦσι φαύλοις χρῆσθαι· καὶ γὰρ σοφίας ἐστὶν εὐμηχάνου καὶ τοῖς κακοῖς ἐν δέοντι χρήσασθαι.

δ Quo etiam peccato ſuo teſte, convincitur bonam conditam ſe eſſe naturam.] *Quod latius docet in Enchiridio cap. 12. & 13. quæ & repetuntur 2 ſentent. diſtinct. 34. & lib. 2. de nuptiis & concupiſcentia cap. 28. & 29. & 34. Ex bono enim oritur malum ſeu peccatum, nec fuit unde oriri poſſet niſi ex bono, & neceſſario præſupponit naturam bonam, Dionyſius cap. 4. de divin. nominibus,* Malum nihil aliud eſt niſi bonum imperfectum, bonum omni malo carens bonum integrũ eſt.

ε Non fraudetur ſuorum numero civium, quin etiam fortaſſis & uberiore lætetur.] *Quia fortaſſis major eſt numerus prædeſtinatorum ad ſalutem, quam ſit Angelorum, qui per peccatum exciderunt à beatitudine, de quo Anſelmus videri poteſt, lib. cur Deus homo cap. 18. & Theologi in 2 ſentent. diſtinct. 9. Eadem quæ in hoc capite ſcribit etiam in Enchiridio cap. 29.* Placuit univerſitatis creatori atque moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret, quæ autem cum Deo illa deſerente perſtiterat, de ſua ſemper cognita certiſſime futura fœlicitate ſecura gauderet? alia vero creatura rationalis, quæ in homi-

Digitized by Google

nibus erat, quoniam peccatis atque ſuppliciis & originalibus & propriis tota perierat, ex ejus parte reparata, quod angelicæ ſocietati ruina illa diabolica minuerat, ſuppleret. Hoc enim promiſſum eſt reſurgentibus ſanctis quod erunt æquales angelis Dei. Itaque ſuperna illa Hieruſalem mater noſtra civitas Dei nulla civium ſuorum numeroſitate fraudabitur, ſed uberiore etiam copia fortaſſe regnabit. *(Inde pro ratione meritorum aſſumuntur homines ad diverſos ordines Angelorum.)* *De quo Theologi videri poſſunt loco citato.*

ζ Multa quidem fiunt à malis, ſed contra voluntatem Dei.] *A Theologis quidem diſtinguitur voluntas Dei, quod alia ſit* antecedens, *alia* conſequens, *quæ etiam* abſoluta *&* beneplaciti *dicitur, & hæc ſemper impletur;* voluntas *vero* antecedens *vel* voluntas ſigni *non ſemper impletur, cùm non ſemper fiat quod Deus præcipit vel conſulit faciendum, quæ ad voluntatem* ſigni *pertinent. Eo ſenſu multa dicuntur fieri contra voluntatem Dei, quia fiunt contra illius præcepta, cum tamen voluntas conſequens abſoluta ſeu beneplaciti ſemper impleatur.*

η Ac per hoc cum Deus dicitur mutare voluntatem.] *Ita dictum eſt à D. Gregorio lib. 16. moral. cap. 4. & 17.* Deum etſi videatur mutare ſententiam non tamen mutare conſilium. Intus enim immutabiliter conſtituit ab æterno quicquid foris mutabiliter geritur; *& à D. Ambroſio dictum ad cap. 1. Luc.* novit Deus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum, *& Hierem. 18.* Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam ego pœnitentiam à malo, quod cogitavi, ut facerem eis. *Ubi interim obſervandum cum Navarro diſtinct. 1. de pœnit. ad cap. novit,* duplicem eſſe Dei ſententiam de nobis, *alteram* ſecundum juſtitiam, quam meremur ſecundum ſtatum noſtrum præſentem, *alteram verò* ſecundum juſtitiam quam meremur ſecundum ſtatum præſcientiæ æternæ, *ex D. Thoma lib. 4. ſentent. diſtinct. 46. q 1. artic 2. quæſtion. 2. Non itaque tam eſt mutatio ex parte voluntatis divinæ, quam ex parte noſtri. Nihil enim Deus operatur niſi quod immutabiliter conſtituerit ab initio.*

θ Sicut enim juſtitia Dei non ſolum qua juſtus eſt dicitur.] *(Ut intelligamus in nobis veram eſſe juſtitiam inhærentem, qua formaliter dicimur juſti.)* *Quemadmodum enim à bonitate unumquodque dicitur bonum, ſicut primo principio exemplari effectivo & finali totius bonitatis, nihilominus unumquodque dicitur bonum ſimilitudine divinæ bonitatis ſibi inhærente, quæ eſt formaliter ſua bonitas ipſum denominans, ut ſcribit D. Thomas 1. p. q. 6 artic. 4. ita juſti dicimur formaliter non juſtitia Dei, qua juſtus ipſe eſt, ſed ipſa juſtitia noſtra, quam in nobis operatur. Ita enim paſſim docet D. Auguſtinus, ut lib 12. confeſſio cap. 15.* quantum, *inquit,* diſtat inter lumen, quod illuminat & quod illuminatur, tantum diſtat inter juſtitiam juſtificantem, & juſtitiam, quæ juſtificatione facta eſt. *Et epiſt. 120. juſtitiam Dei æternam & incommutabilem, qua ipſe juſtus eſt, diſtinguit ab interna juſtitia, qua nos Dei munere juſti ſumus, & illud Apoſtoli Rom. 10.* Ignorantes juſtitiam Dei, *de ea interpretatur, quæ ex Deo eſt, non de ea, qua Deus juſtus eſt, lib. 14. de Trinit. cap. 12* Dicitur juſtitia Dei non ſolum qua ipſe iuſtus eſt, ſed quam dat homini, cum juſtificat impium, quam commendans Apoſtolus ait de-

qui-

quibusdam. Ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere. *Ita libro de Spirit. & liter. c. 10.* Juſtitia Dei manifeſtata eſt, non dixit, juſtitia hominis vel propriæ voluntatis, ſed juſtitia Dei, non qua Deus juſtus eſt, ſed qua induit hominem cum juſtificat impium. *Paulo poſt ex Rom. 3.* Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti, hoc eſt per fidem, qua creditur in Chriſtum. Sicut autem iſta fides Chriſti dicta eſt, non qua credit Chriſtus, ſic & illa juſtitia Dei, non qua juſtus eſt Deus. Utrumque enim noſtrum eſt, ſed ideo Dei & Chriſti dicitur, quod ejus largitate nobis donetur, *& cap. 18. ex 2. Corinth. 5.* Ut nos ſimus juſtitia Dei in ipſo. Hæc eſt illa juſtitia Dei *(inquit)* non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos ab eo facti. *& cap 32.* Charitas *(inquit)* Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos, ſicut juſtitia Dei, qua juſti ejus munere efficimur, & domini ſalus, qua nos ſalvos facit, & fides Jeſu Chriſti, qua nos fideles facit, *& quæſt. 65. ſuper Exod.* Dicitur virga Dei, *inquit*, quæ primum dicta eſt virga Aaron, poſtea vero virga Moyſi, ſicut dicitur Spiritus Heliæ, qui eſt Spiritus Dei, cujus particeps factus eſt Helias: dicitur etiam Dei juſtitia, quæ noſtra eſt, ſed donata à Deo, de qua loquens Apoſtolus Judæos arguit dicens ignorantes Dei juſtitiam & ſuam volentes conſtituere, *& lib. 3. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 7. ubi eadem verba Apoſtoli repetens,* non propterea, *inquit*, juſtitia Dei dicitur, quoniam Deus juſtus eſt, ſed quia homini ex Deo eſt. *Ita etiam loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7.* Juſtificationis noſtræ unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reparamur, ſed vere juſti nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes.

ι Velle dicitur quod ipſe non vult, ſed ſuos id volentes facit.] *Etſi enim interdum Deus aliquid non velit, nihilominus fieri poteſt, ut velit nos illud velle, immo non tenemur ſemper id velle, quod Deus vult, quemadmodum docet idem Auguſtinus in Enchir. cap. 100. & 101 tenemur tamen ſemper id velle, quod nos vult velle? ita licet Deus nollet Iſaac immolari, voluit tamen Abraham habere voluntatem eum immolandi. Id etiam ex profeſſo docet Anſelmus lib. de ſimilitud. cap. 158. & 159. ubi ſtatuit nos tantum debere velle, quod Deus vult ut velimus, non quicquid ipſe abſolute vult: voluntas enim Dei quatenus in ſe conſideratur abſolute non eſt regula noſtræ voluntatis, ſed ea tantum ratione, qua vult nos aliquid velle. De hoc latius D. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 10. & Theologi in 1. ſentent. diſt. ult.*

CAP. II.

De æterna Dei incommutabili voluntate.

MUlta enim volunt fieri ſancti ejus ab illo inſpirata ſancta voluntate, nec fiunt: *a* ſicut orant pro quibuſdam piè ſanctèque, & quod orant, non facit, cùm ipſe in eis hanc orandi voluntatem ſancto Spiritu ſuo fecerit: ac per hoc, quando ſecundùm Deum volunt & orant ſancti, ut quis ſit ſalvus, poſſumus illo modo locutionis dicere, vult Deus, & non facit, ut ipſum dicamus velle, qui ut ve-

Digitized by Google

velint iſti, facit. β Secundùm illam verò voluntatem ſuam, quæ cum ejus præſcientia ſempiterna eſt, profectò in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit, non ſolùm præterita vel præſentia, ſed etiam futura jam fecit. Verùm antequàm veniat tempus, quo voluit, ut fieret, quod ante tempora univerſa præſcivit atque diſpoſuit, dicimus, fiet, quando Deus voluerit. Si autem non ſolùm tempus, quo futurum eſt, verùm etiam utrum futurum ſit, ignoramus, dicimus, fiet, ſi Deus voluerit: non quia Deus novam voluntatem, quam non habuit, tunc habebit, ſed quia id, quod ex æternitate in ejus immutabili præparatum eſt voluntate, tunc erit.

L.Coq α SIcut oravit pro quibusdam pie ſancteque.] *Ita legimus 1. Reg. 15. Samuelem oraſſe pro Saule, quem Deus abjecerat ne regnaret. Ita ſæpius Prophetæ pro populo perfido orarunt, etſi Sauli nihil profuerit Samuelis oratio, Judæorum plebem nihil juverit prophetica interpellatio.*

β Secundum illam vero voluntatem ſuam, quæ cum ejus præſcientia ſempiterna eſt.] *Quæ eſt voluntas abſoluta, qua ſtatuit ea facere, quæ infallibiliter futura præſcivit ab æterno, & quemadmodum impoſſibile eſt falli illius præſcientiam, ita fieri non poteſt quin id fiat, quod ſua voluntate ab æterno ſtatuit faciendum. Eo ſenſu vero dicit ſecundum eam voluntatem,* futura jam feciſſe, *quod ſcribit Apoſtolus Roman. 4.* Vocat ea, quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt, *quia infallibiliter eo tempore futura ſunt ſecundum decretum voluntatis divinæ, quo ea præſcivit futura.*

γ Non quia Deus novam voluntatem.] Neque enim voluntate nova, ſed æterna fiunt omnia in tempore, *ut ſcribit etiam lib. 11. confeſſ. cap. 10. & 11.*

CAP. III.

De promiſſione æternæ beatitudinis ſanctorum, & perpetuis ſuppliciis impiorum.

QUapropter ut cætera tam multa prætermeam, ſicut nunc α in Chriſto videmus impleri, quod promiſit Abrahæ, dicens: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, ita quod eidem ſemini ejus promiſit, β implebitur, ubi ait per Prophetam: Reſurgent, qui erant in monumentis. Et quod ait: Erit cœlum novum & terra nova, & non erunt memores priorum, nec aſcendent in cor ipſorum, ſed lætitiam & exultationem invenient in ea. Et ecce ego faciam Hieruſalem exultationem, & populum meum in lætitiam, & exultabo in Hieruſalem, & lætabor in populo meo, & ultrà non audietur in ea vox fletus. Et per alium Prophetam, quod prænunciavit, dicens eidem Prophetæ: in tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit ſcriptus in libro: & multi dormientium in terræ pulvere, ſive (ut quidam interpretati ſunt) aggere, exurgent: hi in vitam æternam, & hi in opprobrium & confuſionem æternam. Et alio loco per eundem Prophetam: Et accipient regnum ſancti Altiſſimi, & obtinebunt illud uſque in ſeculum, & uſque in ſecula ſeculorum: Et paulò pòſt: Regnum, inquit, ejus, regnum ſempiternum. Et alia, quæ ad hoc pertinentia in libro viceſimo poſui, ſive quæ non poſui, & tamen in eisdem libris ſcripta ſunt.

Gen.22. Eſ.25. Eſ.65. Dan.12. Dan.7. Dan.7.

Veni-

Venient & hæc,ſicut & iſta venerunt, quæ increduli non putabant eſſe ventura. Idem quippe Deus utraque promiſit, utraque ventura eſſe prædixit, quem perhorreſcunt numina Paganorum, teſte etiam Porphyrio nobiliſſimo Philoſophorum. † al. Philoſopho Paganorum.

α IN Chriſto videmus impleri, quod promiſit Abrahæ dicens, in ſemine tuo.] *Quia jam toto fere orbe terrarum ante D. Auguſtini propagata erat fides Chriſtiana, & eccleſia longe lateque patens, ut omnes jam nationes fere pervaſiſſet, & hac promiſſione facta Abrahæ ſæpius utitur contra Donatiſtas, ut oſtendat non eam eſſe eccleſiam Dei: quæ in Africa remanſerat in ſola parte Donati, ſed qua totum orbem jam obtinuerat, ut lib. de unitate Eccleſiæ cap. 6 lib. 2. contra literas Petiliani cap. 8. & libr. 12. contra Fauſtum cap. 6 eadem authoritate ſcripturæ nititur, ut oſtendat contra Manichæos Chriſtum ab Iſraelitis Prophetis prænuntiatum. Huc alludit Apoſtolus ad Galat 3. ſcribens,* Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus, non dixit in ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in uno & ſemini tuo quod eſt Chriſtus, *ſiquidem promiſſum eſt illi fore, ut per unum è ſuis poſteris, nimirum Chriſtum ipſum ex illius ſtirpe naſciturum, benedictio & ſalus daretur omnibus gentibus.* F. L. Coq.

β Implebitur, ubi ait per Prophetam, reſurgent qui erant in monimentis.] *Iſaiæ 26 quem locum ad reſurrectionem beatorum vult pertinere, quemadmodum & ſupra lib. 20. cap. 21. Theodoretus tamen ad eum locum, & Tertullianus lib. de reſurrect. carnis volunt eo textu Prophetæ tantum præſignificari reſurrectionem mortuorum.*

CAP. IV.

Contra ſapientes mundi, qui putant terrena hominum corpora ad cæleſte habitaculum non poſſe transferri.

SEd videlicet homines docti atque ſapientes contra vim tantæ autoritatis, quæ omnia genera hominum, ſicut tanto antè prædixit in hoc credendum ſperandumque convertat, acutè ſibi argumentari videntur adverſus corporum reſurrectionem, & dicere quòd in tertio De rep. libro à Cicerone commemoratum eſt. Nam quum Herculem & Romulum ex hominibus deos eſſe factos aſſeveraret, α quorum non corpora, inquit, ſunt in cœlum elata: β neque enim natura pateretur, ut id quod eſſet de terra, niſi in terra maneret. Hinc eſt magna ratio ſapientium, quorum Dominus novit cogitationes quoniam vanæ ſunt. γ Si enim animæ tantummodo eſſemus, Pſ. 93. id eſt, ſine ullo corpore ſpiritus, & in cœlo habitantes, terrena animalia neſciremus, nobiſque futurum eſſe diceretur, ut terrenis corporibus animandis quodam vinculo mirabili necteremur, nonne multò fortius argumentaremur id credere recuſantes, & diceremus naturam non pati, ut res incorporea ligamento corporeo vinciretur? Et tamen plena eſt terra vegetantibus animis, quibus hæc membra terrena miro modo ſunt connexa & implicita. Cur ergo eodem volente Deo, qui fecit hoc animal, non poterit terrenum corpus in cæleſte corpus attolli, *b* ſi animus omni, ac per hoc etiam cœleſti

leſti corpore præſtantior, terreno corpori potuit allegari? An terrena particula tam exigua potuit aliquid cœleſti corpore melius apud ſe tenere, ut ſenſum haberet & vitam, & eam ſentientem atque viventem dedignabitur cœlum ſuſcipere: aut ſuſceptam non poterit ſuſtinere, quum de re ſentiat & vivat iſta meliore quàm eſt corpus omne cœleſte? Sed ideo nunc non fit, quia nondum eſt tempus quo id fieri voluit, qui hoc, quod videndo jam voluit, multò mirabilius quàm quod ab iſtis non creditur, fecit. Cur enim non vehementius admiremur incorporeos animos cœleſti corpore potiores, terrenis alligari corporibus, quàm corpora licèt terrena ſedibus quamvis cœleſtibus tamen corporeis ſublimari, niſi quia hoc videre conſuevimus, & hoc ſumus: illud verò nondum ſumus, nec aliquando adhuc vidimus? Nam profectò ſobria ratione conſulta mirabilioris eſſe divini operis reperiretur incorporalibus corporalia quodammodo attexere, δ quàm licet diverſa, quia illa cœleſtia, iſta terreſtria, tamen corpora & corpora copulari.

L. Vives. a QUorum non corpora, inquit, ſunt in cœlum.] *At Romuli corpus nuſquam inuentum, in cælos ſublatum credidit populus ruſticanus, & Herculis corpus Græci ab Æſculapio ſanitati redditum, & ita in cælis locatum fabulantur.*

b Si animus omnia hæc terrena tranſcendens.] *Alibi legitur, ſi animus omni, ac per hoc etiam cæleſti corpore præſtabilior terreno corpori potuit alligari. Et poſt.*

c Quid hoc quod providentia Dei.] *Sic legitur: Quid quod videndo jam voluit, multò mirabilius, quàm illud quod ab iſtis non creditur fecit. Cur enim non vehementius admiremur incor. &c.*

F. L. Coq. α QUorum non corpora, *inquit,*] *Atqui Romuli corpus nuſquam inventum credidit populus in cælos ſublatum, ut referunt Plutarchus, Dionyſius, Livius, verum ut egregie Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 7.* Aſcendit in cœlum mendacii ſcalis. Itaque enim falſa perſuaſione decepti ſunt Romani pejerante Julio Proculo, cum longe probabilius ſit clam in Senatu occiſum, corpuſque diſſectum per fruſta ſub togis Senatorum aſportatum eſſe, & cum plebs ſollicita videretur regis deſiderio perſuaſiſſe illis Romulum à Diis in cœlum raptum.

β Neque enim natura pateretur.] *Non habebat altius lumen, quo intueretur divina & quæ ſupra naturam, cujuſmodi ſunt corpus mortuum reſtitui vitæ priſtinæ, reſurgere glorioſum, & ita nullo negotio, nec gravitate impediente ſurſum ferri. Natura itaque id non patitur, verum errabat ille, nec ſcripturas, nec virtutem Dei ſciens, id Deus operatur ſupra naturam. Eundem hunc errorem Gentilium refert lib. de fide & ſymbo. cap. 6.*

γ Si enim animæ tantummodo eſſemus.] *Ut ea quæ ſunt fidei, oſtendamus non repugnare natura, poſſunt quidem adduci rationes quædam probabiles, & quæ rem evidenter credibilem oſtendant, & id quod fide creditur, non eſſe contra rationem, licet ſit ſupra rationem, & non repugnare intellectui hominis prudentis ac bene affecti. Hujus generis ſunt rationes D. Auguſtini hoc cap. quibus oſtendit non omnino repugnare, ut corpus terrenum in cælo collocetur.* Si animus, *inquit,* omni corpore præſtantior

ſantior etiam cœleſti terreno corpori potuit alligari, cur non poterit terrenum corpus in cœleſte corpus attolli. *Sunt enim rationes oſtendentes quidem, id non eſſe impoſſibile, nec omnino repugnare rationi, licet ſit ſupra rationem. D. Thomas 4. cont. Gentes cap. 87.* Frivolum videtur *(inquit)* ex naturali elementorum poſitione argumentari, quaſi impoſſibile ſit corpus hominis cum ſit terrenum,& ſecundum ſuam naturam infimum locum habens, ſupra elementa elevari. Manifeſtum eſt enim, quod ex virtute animæ eſt, quod corpus ab anima perfectum elementorum inclinationes non ſequatur. Ipſa enim anima ſua virtute etiam continet corpus quandiu vivimus, ne ex contrarietate elementorum diſſolvatur, & virtute etiam animæ motivæ corpus in altum elevatur, & tanto amplius quanto virtus motiva fortior fuerit. Manifeſtum eſt autem, quod tunc anima perfectæ virtutis erit, quando Deo per viſionem conjungetur. Non igitur debet grave videri, ſi tunc virtute animæ corpus & ab omni corruptione ſervetur immune,& ſupra quæcumque corpora elevetur.

d Quam licet diverſa, quia illa cœleſtia, iſta terreſtria, tamen corpora & corpora copulare.] *Simili argumento oſtendit epiſt. 3. ad Voluſ. facilius creditu eſſe, verbum aſſumpſiſſe animam humanam, quam uniri corpus animæ, niſi illud fide ſola crederetur, hoc experientia quotidiana cognoſcatur,* Duarum rerum incorporearum, *inquit*, commixtio facilius credi debuit, quam unius corporeæ, & alterius incorporeæ. Nam ſi anima in ſua natura non fallitur, incorpoream ſe eſſe comprehendit: multo magis incorporeum eſſe verbum Dei, ac per hoc credibilior verbi Dei & animæ debuit eſſe commixtio, quam animæ & corporis, ſed hoc in nobis ipſis experimur, illud in Chriſto credere jubemur. Si autem utrumque pariter nobis inexpertum credendum præciperetur, quid horum citius crederemus? Quomodo non fateremur duo incorporea quam unum corporeum, alterumque incorporeum facilius potuiſſe miſceri.

CAP. V.

De reſurrectione carnis, quam quidem mundo credente non credunt.

SEd hoc incredibile fuerit aliquando. Ecce jam credidit mundus ſublatum terrenum Chriſti corpus in cœlum: reſurrectionem carnis & aſcenſionem in ſupernas ſedes pauciſſimis remanentibus atque ſtupentibus vel doctis, vel indoctis, jam crediderunt & docti & indocti. Si rem credibilem crediderunt, videant quàm ſint ſtolidi qui non credunt. Si autem res incredibilis credita eſt, etiam hoc utique incredibile eſt ſic creditum eſſe quod incredibile eſt. Hæc igitur duo incredibilia, reſurrectionem ſcilicet noſtri corporis in æternum, & rem tam incredibilem mundum eſſe crediturum. *a a* Idem Dominus antequam vel unum horum fieret, ambo futura eſſe prædixit. Unum duorum incredibilium jam factum eſſe videmus, ut quod erat incredibile, crederet mundus: cur id quod reliquum eſt deſperatur, ut etiam hoc veniat, quod incredibile credidit mundus, ſicut jam venit, quod ſimiliter incredibile fuit, ut rem tam incredibilem crederet mundus: quandoquidem hoc utrumque incredibile, quorum videmus unum, alterum credimus,

dimus, in eiſdem literis prædictum eſt, per quas credidit mundus. β Et ipſe modus quo mundus credidit, ſi conſideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus diſciplinis, & omnino quantum ad iſtorum doctrinas attinet impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos piſcatores Chriſtus cum retibus fidei ad mare hujùs ſeculi pauciſſimos miſit, atque ita ex omni genere tam multos piſces, & tanto mirabiliores quanto rariores etiam ipſos philoſophos cepit. Duobus illis incredibilibus, ſi placet, imò quia placere debet, addamus hoc tertium. Jam ergo tria ſunt incredibilia, quæ tamen facta ſunt, incredibile eſt enim Chriſtum reſurrexiſſe in carne, & in cœlum aſcendiſſe cum carne. Incredibile eſt mundum rem tam incredibilem credidiſſe. Incredibile eſt, homines ignobiles, infimos, pauciſſimos, imperitos rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis perſuadere potuiſſe. Horum trium incredibilium primum nolunt iſti cum quibus agimus credere, ſecundum coguntur & cernere, quod non inveniunt unde ſit factum, ſi non credunt tertium. Reſurrectio certè Chriſti, & in cœlum cum carne in qua reſurrexit aſcenſio toto jam mundo prædicatur & creditur: ſi credibilis non eſt, unde toto terrarum orbe jam credita eſt? *b* Si multi nobiles, ſublimes, docti etiam eam ſe vidiſſe dixerunt, & quod viderunt, diffamare curarunt, eis mundum credidiſſe non mirum eſt: ſed iſtos adhuc credere nolle, perdurum eſt. Si autem ut verum eſt, paucis, obſcuris, minimis, indoctis eam ſe vidiſſe dicentibus & ſcribentibus credidit mundus, γ cur pauci obſtinatiſſimi qui remanſerunt, ipſi mundo jam credenti adhuc uſque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infimorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus teſtibus multò * mirabilius divinitas ſeipſa perſuaſit. Eloquia namque perſuadentium, quæ dicebant, mira fuerunt facta non verba. Qui enim Chriſtum in carne reſurrexiſſe, & cum illa in cœlum aſcendiſſe non viderant, id ſe vidiſſe narrantibus non loquentibus tantùm, ſed etiam mirifica facientibus ſigna credebant. Homines quippe quos unius vel ut multum duarum linguarum fuiſſe noverant, repente linguis omnium gentium loquentes mirabiliter audiebant. Claudum ab uberibus matris ad eorum verbum in Chriſti nomine poſt quadraginta annos incolumem conſtitiſſe. Sudaria de corporibus eorum ablata ſanandis profuiſſe languentibus: in via qua fuerant tranſituri poſitos in ordine innumerabiles morbis variis laborantes, ut ambulantium ſuper eos umbra tranſiret, continuò ſalutē ſolere recipere: & alia multa ſtupenda in Chriſti nomine per eos facta ſigna, poſtremò etiam mortuos reſurrexiſſe cernebāt. Quæ ſi ut leguntur, geſta eſſe concedunt, ecce tot incredibilia tribus illis incredibilibus addimus. Et ut credatur unum incredibile, quòd de carnis reſurrectione atque in cœlum aſcenſione dicitur, multorum incredibilium teſtimonia tanta congerimus, & nondum ad credendum horrenda duritia incredulos flectimus. δ Si vero per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, reſurrectionem

atque

Matt. 4. | al. multò mirabilibus. | Act. 2. ib. 3. & 4.

atque aſcenſionem prædicantibus Chriſti, etiam iſta miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod ea terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit.

a IDem Dominus.] *In ædibus Simonis leproſi, quum Evangelium ſuum divulgatum iri per univerſum orbem prædixit, Matthæi 27. & plerumque tertio poſt mortem die ſeipſum vitæ luciq́; redditurum.* L.Vives.

b Sed multi nobiles.] *Ironia eſt, quo admirabilius reddat, quod adjicit: Si autem, ut verum eſt, paucis obſcuris minimis, &c. quanquam alibi legitur, ſi multi nobiles.*

α IDem dominus antequam vel unum horum fieret.] *In Evangelio enim Chriſtus ipſe & prædixit reſurrectionem mortuorum futuram Joan. 6. Matth. 22. 25. & Evangelium toto orbe prædicandum, cui crederet mundus.* F.L.Cog.

β Et ipſe modus, quo mundus credidit, ſi conſideretur.] *Eodem argumento uſi ſunt Patres ad confirmandam veritatem religionis Chriſtianæ à modo ſcilicet, quo in orbem introducta eſt. Ipſe D. Auguſtinus epiſt. 3. ad Voluſianum;* Ex imperitiſſimis, ex abjectiſſimis, ex pauciſſimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur præclariſſima ingenia, cultiſſima eloquia, mirabileſque peritias acutorum, facundorum atque doctorum ſubjugant Chriſto. *Juſtinus martyr apolog. 2. pro Chriſtianis.* Hieruſalem egreſſi ſunt viri duodecim numero, & hi quidem idiotæ ad eloquentiam parum idonei, ſed adjuti divina potentia declaraverunt univerſo humano generi ſe à Chriſto eſſe miſſos, ut omnibus verbum Dei prædicarent. *Idem argumentum fuſiſſime perſequitur Chryſoſtomus homil. 34. in Matthæum, & homil. 4. & 5. in epiſtol. 1. ad Corinth. & in orat. contra Gentiles: Damaſcenus lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 4.* In omnem terram, *inquit,* Evangelium prædicatum eſt non bello & armis, & militum copiis adverſarios in fugam vertens, ſed pauci, nudi, pauperes & illiterati, perſecuti, verrati, mortificati crucifixum carne & mortuum prædicantes ſapientibus & potentibus prævaluerunt, ſequebatur enim eos crucifixi virtus omnipotens. *Etſi certe nullum aliud miraculum edidiſſent, id eſt miraculum unum longe maximum, quod 12. homines pauperes & rudes absque omni miraculo mundum univerſum convertere potuerunt. Quod argumentum perpendit ipſe D. Auguſtinus lib. de vera religio. cap. 3.* Si enim priusquam Chriſtianam fidem mundus complecteretur, Philoſophorum aliquis interrogatus eſſet, utrum cenſeret divina virtute per unum vel per paucos homines rudes ac literarum expertes, nec eloquentia armatos, nec dialectica inſtructos perſuaderi mundo illa poſſe, quæ jam Apoſtolos perſuaſiſſe cernimus, reſpondiſſet, credo, ille, non poſſe hoc ab hominibus fieri, niſi quos ipſa Dei virtus atque ſapientia commendaſſet, ut omnia contemnendo, quæ pravi homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horreſcunt, genus humanum ad tam ſalubrem fidem ſummo ardore atque authoritate converterent. *Ejusdem argumenti vim expreſſit & Apoſtolus Paulus 1. Corinth. 1.* Videte, fratres, vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confun-

dat fortia & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt deſtrueret. *Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſtol. 4.* ἀσθενεῖς ὄντες οἱ ἀπόστολοι τῶν ἰσχυρῶν περιεγένοντο· καὶ πένητες ὄντες τῶν πλουσίων ἐκράτησαν, δὲ ἰδιῶται τυγχάνοντες τῶν σοφῶν περιῆσαν. *Eodem argumento fuſe utitur Euſebius lib. 3. de demonſt. Evang. cap. 7. non niſi divina virtute factum contendens, ut imperium Romanum adeoque omnes nationes ad Chriſtianam fidem converterent ipſi Apoſtoli rudes & imperiti.*

γ Cur pauci obſtinatiſſimi, qui remanſerunt.] *Ut enim infra cap. 8. ſcribit*, Credente jam mundo magnum eſt prodigium, qui non credit *Scribebat & ipſe ſe retineri in Eccleſia Catholica conſenſu populorum atque Gentium lib. contra epiſtol. fundamenti cap. 4. & lib. de utilit. credendi cap. 14.* Ego nullis me video crediſſe, niſi populorum atque Gentium confirmatæ opinioni ac famæ admodum celeberrimæ, *& cap. 6. ſcribit nos moveri ad credendum partim miraculis, partim ſequentium multitudine.* Prudentiſſime enim creditur, quod omnes fere gentium nationes, & in his non plebeji aut vulgares duntaxat viri, ſed ſapientes & ſumma authoritate ac doctrina eximia præditi crediderunt *Hoc argumentum perſequitur Arnobius lib. 1. contra Gentes: de miraculis enim Chriſti loquens*, Sed non creditis geſta hæc, *inquit*, ſed qui ea conſpicati ſunt fieri & ſub oculis ſuis viderunt agi teſtes optimi, certiſſimique authores, & crediderunt hæc ipſi credenda poſteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam iſti ſint fortaſſe quæritis. Gentes, populi, nationes, & incredulum illud genus humanum, quod niſi aperta res eſſet, & luce ipſa, ut dicitur, clarior, nunquam rebus hujuscemodi credulitatis ſuæ commodarent aſſenſum, *& Lactantius lib. 5. cap. 13.* Cum ab ortu ſolis uſque ad occaſum lex divina ſuſcepta ſit, & omnis ætas, omnis ſexus, & gens & regio unitis ac paribus animis Deo ſerviant, eadem ſit ubique patientia idem contemptus mortis, intelligere debuerant aliquid in ea re eſſe rationis quod non ſine cauſa uſque ad mortem defendatur, aliquid fundamenti ac ſoliditatis, quod eam religionem non tantum injuriis ac vexatione non ſolvat, ſed augeat ſemper & faciat firmiorem.

δ Si verò per Apoſtolos Chriſti.] *Hoc eſt argumentum D. Auguſtini*, Aut Chriſtiana religio divinis miraculis orbi probata eſt, aut nullis Si aliquibus miraculis probata eſt, eſt igitur divina & digna, quæ recipiatur, ſi vero nullis, multo magis certe divina eſt. Quod enim majus miraculum ad illius veritatem authoritatemque perſuadendam proferri poteſt, quam quod nullis teſtata vel confirmata miraculis ab univerſo orbe ſit ſuſcepta & credita.

CAP. VI.

Quòd Roma conditorem ſuum Romulum diligendo Deum fecerit, Eccleſia autem Chriſtum Dominum credendo dilexerit.

REcolamus etiam hoc loco illud, quod de Romuli credita divinitate Tullius admiratur. Verba ejus, ut ſcripta ſunt, inſeram: *a* Magis eſt, inquit, in Romulo admirandum, quòd cæteri, qui dii ex hominibus facti eſſe dicuntur, minus

nus eruditis hominum ſeculis fuerunt, ut fingendi proclivior eſſet ratio, quum imperiti facile ad credendum impellerentur. Romuli autem ætatem *a β* minus his ſexcentis annis jam inveteratis literis, *b* atque doctrinis, omniqúe illo antiquo ex inculta hominum vita errore ſublato fuiſſe cernimus. Et paulò pòſt de eodem Romulo ita loquitur, quod ad hunc pertinet ſenſum. Ex quo intelligi poteſt, inquit, *γ* permultis annis ante Homerum fuiſſe quàm Romulum, ut jam doctis hominibus ac temporibus ipſis eruditis ad fingendum vix quicquam eſſet loci. Antiquitas enim recepit fabulas fictas etiam nonnunquam inconditè. Hæc ætas autem jam exculta præſertim eludens omne, quod fieri non poteſt, reſpuit. Unus è numero doctiſſimorum hominum, idemque eloquentiſſimus omnium M. Tullius Cicero, propterea, dicit divinitatem Romuli mirabiliter creditam, quòd erudita jam tempora fuerunt, quæ falſitatem non reciperent fabularum. *δ* Quis autem Romulum Deum niſi Roma credidit, atque id parva & incipiens? Tum deinde poſteris ſervare fuerat neceſſe, quod acceperant à majoribus, ut cum iſta ſuperſtitione in lacte quodammodo matris ebibita creſceret civitas, atque ad tam magnum perveniret imperium, ut ex ejus faſtigio velut ex altiore quodam loco alias quoque gentes, quibus dominaretur, hac ſua opinione perfunderet: ut non quidem crederent, ſed tamen dicerent Deum Romulum, ne civitatem cui ſerviebant, de conditore ejus offenderent, *c ε* aliter eum nominando quàm Roma, quæ id non amore quidem hujus erroris, ſed tamen amoris errore crediderat. Chriſtus autem quanquam ſit cœleſtis & ſempiternæ conditor civitatis, non tamen eum, quoniam ab illo condita eſt, Deum credidit, ſed ideò potius eſt condenda, quia credidit. Roma conditorē ſuum jam conſtructa & dedicata tanquam Deum coluit in templo: Hæc autem Hieruſalem conditorem ſuum Deum Chriſtum, ut conſtitui poſſet & dedicari, poſuit in fidei fundamento *ζ* Illa illum amando eſſe Deum credidit; iſta iſtum Deum eſſe credendo amavit. Sicut ergò præceſſit, unde amarit illa, & de amato jam libenter etiam falſum bonū crederet: ita præceſſit, unde iſta crederet, ut recta fide non temerè quod falſum eſt, ſed quod verum erat, amaret. Exceptis enim tot & tantis miraculis, quæ perſuaſerunt, Deū eſſe Chriſtum, *η* prophetiæ quoq; divinæ fide digniſſimæ præceſſerunt, quæ in illo non ſicut à patribꝰ adhuc creduntur implendæ, *d* ſed jam in toto mundo demonſtrantur impletæ De Romulo autē, quia condidit Romam, in eaque regnavit, auditur, legitur, non quia factum eſt, quod antè fuiſſet prophetatum, ſed quòd ſit receptus in deos, creditum tenent literæ, non factum docent. Nullis quippe rerum mirabilium ſignis id ei verè proveniſſe monſtratur. Lupa quippe illa fratrum duorum nutrix, quod videtur quaſi magnum extitiſſe portentum, quale aut quantum eſt ad demonſtrandum Deum? Certè enim *θ* etſi non meretrix lupa fuit illa, ſed beſtia, cùm fratribus portentum commune fuerit ambobus, *e* frater tamen ejus non habetur Deus. *ι* Quis autem prohibitus eſt, aut Romulum, aut Herculem, aut alios tales homines deos dicere, & mori maluit, quàm non dicere? Aut verò aliqua gentium coleret inter deos ſuos Romulum, niſi Romani nominis metus cogeret? Quis porrò enume-

ret, quam multi quantalibet ſævitia crudelitatis occidit, quàm Chriſtum Deum negare maluerunt? Proinde metus quamlibet levis indignationis, quæ ab animis Romanorum, ſi non fieret, poſſe putabatur exiſtere, compellebat aliquas civitates poſitas ſub jure Romano, tanquam Deum colere Romulum: à Chriſto autem Deo non ſolùm colendo, verùm etiam confitendo, *f* κ tantum per orbem terræ martyrum multitudinem metus revocare non potuit: non levis offenſionis animorum, ſed immenſarum variarumque pœnarum: & ipſius mortis, quæ plus cæteris formidatur. Neque tunc civitas Chriſti, quamvis adhuc peregrinaretur in terris, *g* λ & haberet tam magnorum agmina populorum, adverſus impios perſecutores ſuos pro temporali ſalute pugnavit, ſed potius obtineret æternam, non repugnavit. μ Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, ν trucidabantur, & multiplicabantur. Non erat eis pro ſalute pugnare, niſi ſalutem pro Salvatore contemnere. Scio in libro Ciceronis tertio, niſi fallor, De rep. diſputari, nullum bellum ſuſcipi à civitate optima, niſi aut pro fide, aut pro ſalute. Quid autem dicat pro ſalute, vel intelligi quam ſalutem velit, alio loco demonſtrans: ſed his pœnis, inquit, quas etiam ſtultiſſimi ſentiunt, egeſtate, exilio, vinculis, verberibus, elabuntur ſæpè privati, oblata mortis celeritate. Civitatibus autem mors ipſa pœna eſt, quæ videtur à pœna ſingulos vindicare. Debet enim conſtituta ſic eſſe civitas, ut æterna ſit. Itaque nullus interitus eſt reip. naturalis, ut hominis, in quo mors non modò neceſſaria eſt, verùm etiam optanda perſæpe. Civitas autem, cùm tollitur, deletur, extinguitur, ſimile eſt quodammodo, ut magis parva conferamus, ac ſi omnis hic mundus intereat & concidat. Hoc ideò dixit Cicero, quia mundum non interiturum cum Platonicis ſentit. Conſtat ergò, eum pro ea ſalute bellum voluiſſe ſuſcipi à civitate, quæ ſit, ut maneat hîc civitas, ſicut dicit, æterna quamvis morientibus & naſcentibus ſingulis, ſicut perennis eſt opacitas oleæ vel lauri atque hujuſmodi cæterarum arborum ſingulorum lapſu ortuque foliorum. Mors quippe, ut dicit, non hominum ſingulorum, ſed univerſæ pœna eſt civitatis, quæ à pœna plerumque ſingulos vindicat. Unde meritò quæratur, ξ utrum rectè fecerint Saguntini, quando univerſam ſuam civitatem interire maluerunt, quàm fidem frangere, qua cum ipſa Romana rep. tenebantur: in quo ſuo facto laudantur ab omnibus terrenæ reipub. civibus. Sed hi quomodo huic diſputationi poſſent obedire non video, ubi dicitur, nullum ſuſcipiendum eſſe bellum, niſi aut pro fide, aut pro ſalute. Nec dicitur, ſi in unum ſemel periculum ita duo iſta concurrerint, ut teneri alterum ſine alterius amiſſione non poſſit, quid ſit potius eligendum. Profectò enim ο Saguntini, ſi ſalutem eligerent, fides eis fuerat deſerenda. Si fides tenenda, amittenda utique ſalus, ſicut & factum eſt. Salus autem civitatis Dei talis eſt, ut cum fide ac per fidem teneri, vel potius acquiri poſſit: fide autem perdita, ad eam quiſque venire non poſſit. Quæ cogitatio firmiſſimi ac patientiſſimi cordis, tot ac tantos martyres fecit, qualem ne unum quidem habuit, vel habere potuit, quando eſt Deus creditus, Romulus.

a Minus his ſexcentis annis.) *Annotavit Trivetus enarrator, eſſe in ſcriptura errorem, cùm dicit minus ſexcentis annis, cum conſulatus Ciceronis pluribus quàm ſexcentis & quinquaginta annis diſtet à Romuli exceſſu. Miror quid ei venerit in mentem, ut hoc loco tam vellet accuratus & diligens videri, cùm ſæpe magnos montes negligat, cui profectò uſu venit, quod luſcioſis & hebete viſu, qui ſi quando oculorum aciem intendunt, ut certius aliquid cernant, minus vident quàm antè: ſic tanta circumſpectio noſtro interpreti tenebras offudit, quibus non diſpexit, Ciceronem ea non ſcribere de ſe ac ſuis temporibus, ſed de SC. Africano minore & Lælio, quos loquentes libris illis inducit. Porrò Scipio floruit à ſexcenteſimo ad ſexcenteſimum viceſimum urbis conditæ annum, non ſexcentis annis à Romuli morte. Neque verò præter morem meum attigiſſem ineptias veteris interpretis, niſi hæc talis eſſet, quæ vel mediocriter eruditi capi poſſent.* L. Vives.

b Inveteratis literis atque doctrinis.] *Jam enim fuerant Orpheus, Muſæus, Linus, Philamnon, Thamyris, Orius, Demodocus, Ariſteas, Proconneſius, Protenidas Atticus, Euculus Cyprius, Phemius Ithacenſis, & Homerus, & alii veteres, quos Græci partim Theologos nominant, partim poetas.*

c Aliter eum nominando quàm Roma.] *Non aliter, hoc eſt vel Romulum, vel Quirinum, ut nugatur enarrator: ſed aliter, id eſt vocando eum hominem, cùm Roma Deum diceret. Juvabit opinor non ignorare, quæ Jacobus de Paſſavant. expoſitori addat. In hoc, inquit, capite ſexto mentionem facit expoſitor de nomine Romuli deificati, qui colebatur & appellabatur à Romanis ſub nomine Quirini. Ubi nota, quòd iſtud nomen ſortitus eſt à quodam eventu. nam ferunt haſtam lanceæ ejus quadam vice in Palatino monte floruiſſe, jam ergo miraculum non eſt Chriſtophoro baculum floruiſſe, cùm floruerit & Romulo. O lepidule Paſſavanti, doleo vicem me Hercule tuam, quòd illis temporibus te non genuit natura, ut hoc ſcripſiſſes: non tibi latus clavus defuiſſet, vel etiam conſulatus, aut certè flaminium Quirinale, quò melius illum coleres Deum, quem non minus tuis ornaſſes ſcriptis, quàm oratione ſua Julius Proculus. Profectò ſi Romulo id contigit, non immeritò probatur Deus, niſi forſan haſta erat arbor aliqua recens cum radice evulſa, qualem Silvanus geſtabat cupreſſum. Ceterùm dic quæſo, cur ex eo eventu Quirinus? Dicitur autem haſta inquit, quiris Græcè, inde Quirinus dicitur. Sabinum nomen credidi, ſed puto tibi Sabinos & Græcos eodem eſſe loco. Perge porrò, unde & Quirites milites haſtam portantes in bellis dicuntur. Quod cùm non militabant, non erant Quirites? vide ne peſſimam gratiam ineas apud milites genus hominum vehemens ac irritabile, qui ſe Quirites vocari ignominiæ ducunt, quippe cùm exauthorabantur dimittebanturq; ab imperatore, non jam milites dicebantur, ſed Quirites, quod factum à Cæſare dictatore legimus, & Alexandro Severo, è quibus Cæſariani reſponderunt, non ſe Quirites eſſe, ſed milites. Sed ego importunus nimis interpellator. Affers plura? & cætera, inquis. Quæ ſunt hæc tandem cætera? ſexcenta millia ſcurrilium & ridiculatum rerum, quas domi relictas nobis invidiſti miſertus fortè noſtri, ne nimium ſpleni indulgeremus.*

d Sed jam à toto mundo demonſtrantur impleta.] *Alibi ſic legitur: Sed*

Digitized by Google

Sed jam demonſtrantur impleta, de Romulo autem qui condidit Romam, in eaq; regnavit auditur, legiturve quod factum eſt, non quod antequam fieret prophetatum.

e Frater tamen ejus non habetur Deus.] *At ædiculam habebat in Aventino parum celebrem, & qualem heros potius quàm Deus.*

f Tantam per orbem terræ martyrum multitudinem.] *In Colonienſi codice legitur ſic: Tantam per orbem terræ martyrum multitudinem metus revocare non potuit, non levis offenſionis animorum, ſed immenſarum variarumq; pœnarum.*

g Et haberet tam magnorum agmina populorum.] *Obſiſtere poterant, & captis armis non modò inimicis metum facere, ſed periculum afferre à ſe propulſando. Cæterùm longè beatius & evangelio Chriſti dignius exiſtimabant injuriam pati quàm facere, mori quam occidere, corpus amittere quàm animam.*

F.I.Cap. α MAgis eſt (inquit) in Romulo admirandum.] *Non leve argumentum exiſtimavit Cicero divinitatis Romuli, quod non priſcis ac minus eruditis hominum ſeculis habitus ſit Deus, ſed excultis jam hominibus, nec ad credendum adeo proclivibus: quando certius & certius inde Chriſti divinitas demonſtratur, qui difficilioribus ſeculis creditus eſt & Meſſias & Deus, nec in una civitate ut Romulus, ſed toto orbe, & ab omni hominum genere? quod certe adeo manifeſtum eſt argumentum divinitatis Chriſti, ut ad confundendos illius hoſtes ſatis hoc unum nobis ſit.*

β Minus his ſexcentis annis.] *Cicero non de ſuis temporibus loquitur, ſiquidem vivebat anno 700. ab V. C. cum hæc ſcribebat, ſed de temporibus Scipionis minoris Africani, quem in libris de republica cum Lælio loquentem & diſſerentem inducebat, cujus conſulatum referunt in annum 607. ab ipſa V. C.*

γ Per multis annis ante Homerum fuiſſe quam Romulum.] *Quo tempore vixerit Homerus magna diſſonantia fuit apud Veteres, ut conſtat ex Euſebio in Chronico, nonnulli tamen à prima Olympiade eum non multum abfuiſſe contendunt, cum Romulus teſte Solino c. 2. & Dionyſio lib. 1. regnare cœperit Olympiad. 7. anno 1. & mortuus ſit Olymp. 16. anno 1.*

δ Quis autem Romulum Deum, niſi Roma credidit?] Romulum Deum pejerante Proculo ſolum agnovit civitas ab eo condita, non cæteræ nationes. *Eodem argumento utitur Euſebius, ut probet divinitatem, quod nec Romulus, nec ullus Monarcha potuerit toti mundo leges præſcribere, cum tamen ea non præciperent, quæ vel vires humanæ naturæ viderentur ſuperare, vel ſenſui adverſari, at Chriſti leges hujusmodi toto orbe receptæ ſunt, quod etiam late perſequitur Theodoretus ſerm. 9.* Θεραπευτ. Illos, qui Romano imperio ſubeſſe noluerunt, nec vi, nec ſuaſionibus adegerunt, ut Romanis legibus viverent, immò permulti, qui frænum Romani imperii acceperunt, vivere noluerunt illorum legibus. At noſtri illi piſcatores ac publicani, ſutorque ille noſter cunctis nationibus legem Evangelicam detulerunt, neque ſolum Romanos, quique ſub Romano vivunt imperio, ſed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Perſas, Seras, Hircanos, Britannos, Cimmerios & Germanos, utque ſemel dicatur, omne hominum genus, nationesque omnes induxerunt Crucifixi legem accipere non armis uſi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Perſicæ violentia, ſed verborum ſuaſu, oſtenſa legum, quas prædicabant, utilitate.

ε Ali-

ε Aliter eum nominando quam Roma.] *Nimirum, ut quemadmodum Romana civitas conditorem ſuum Romulum in Deos retulerat, ita ſubacta civitates ac provincia illi divinos honores deferrent. Non legimus tamen Romanos ſubactos à ſe populos coegiſſe aliquando, ut novos Deos ſuſciperent, vel novam religionem, vel novas ceremonias, ut neque flamines, neque ſacerdotia, qua Romana inſtituta erant, ipſi ſuſciperent, potiſſimum illis erat ſtudium propagandi imperium, non autem religionem. Neque enim ad id Dæmon eos adigebat, cum ſatis mentes hominum occuparet, quamcumque religionem falſam profiterentur, & quoscumque Deos venerarentur, immo ut magis ſuperſtitione Romanos imbueret, eos potius adigebat eo, ut omnium populorum à ſe devictorum Deos & religiones in ſuam urbem introducerent, in pluribus Diis plus eſſe praſidii exiſtimantes.*

ζ Illa illum amando eſſe Deum credidit.] *In quo eos perſtringit Tertullianus in Apologet. cap.5.* Apud vos *(inquit)* de humano arbitratu divinitas penſitatur, niſi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo jam Deo propitius eſſe debebit. *Arnobius lib. 1. adverſus Gentes, objicientibus Romanis, quod Chriſtiani colerent hominem natum & crucifixum.* Nonne Romulum ipſum *(inquit)* patrem Senatorum manibus dilaceratum centum, & Quirinum Martium eſſe dicitis, & ſacerdotibus & pulvinaribus honoratis, & in ædibus adoratis ampliſſimis, & poſt hæc omnia in cœlum aſcendiſſe juratis? Aut igitur & ridendi vos eſtis, qui homines graviſſimis cruciatibus interemptos Deos putatis & colitis, aut ſi certa eſt ratio, cur id faciendum putetis, & nobis permittite ſcire quibus iſtud cauſis, rationibusque faciamus: *& objicientibus quod hominem colerent Chriſtiani, reſpondet primum,* Etſi id verum eſſet, tamen pro multis & tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta ſunt in nobis, Deus dici appellarique deberet. Cum vero Deus ſit revera & ſine ullius dubitationis ambiguo, *&c. quaſi dicat, colitis Romulum & alios, qui veſtra opinione dii ſunt, at nos Chriſtum, qui Deus revera ſit, & cujus divinitas ab hominum opinione non pendeat.*

η Prophetiæ quoque fide digniſſimæ præceſſerunt.] *A Prophetiis ſumitur efficaciſſimum argumentum divinitatis Chriſti & religionis Chriſtiana. Omnia enim, qua in Chriſto impleta fuere, quodque toto orbe Deus credendus eſſet, & Eccleſia ab eo adificanda, atque Gentes omnes ab infidelitate ad illius fidem vocanda, longe antea Propheta pradixerant. Eo argumento paſſim utitur D. Auguſtinus, ut epiſt.3. ad Voluſianum. lib. 12. contra Fauſtum, ipſum redarguit, quod impudenter aſſereret, Prophetas nihil de Chriſto pradixiſſe, & lib. 13, cap. 8. 9. & ſequentibus, & lib. de Catechizandis rudibus cap. 27.* Omnia *(inquit)* quæ nunc vides in eccleſia Dei, & ſub Chriſti nomine per totum orbem terrarum geri, ante ſæcula jam prædicta ſunt, & ſicut ea legimus, ita & videmus, & inde ædificamur in fidem, *& multa ibi pradicta fuiſſe oſtendit. Certe non niſi divinitus fieri potuit, ut qua completa ſunt in Chriſto, & qua in dies compleri videmus in eccleſia, longe antea pradicerentur. Eodem argumento utitur & Juſtinus Martyr Apolog. 2. pro Chriſt. Tertullianus in Apologet. cap. 20. Lactantius 4. divinarum inſtitut. cap. 12. Theodoretus ſerm. 10. θεραπευ.]*

θ Etſi non meretrix lupa fuit illa, ſed beſtia.] *Cum prope Tyberis ripam expoſiti*

Digitized by Google

fuiſſent ſtatim ut nati Romulus & Rhemus, Fauſtulus regiorum armentorum paſtor ad uxorem ſuam Accam Laurentiam nutriendos detulit. Hanc vulgato corpore inter Paſtores lupam vocatam ſcribunt cum Auguſtino, Lactantius lib. 1. cap. 20. Livius lib. 1. Dionyſius lib. 1. Plutarchus in Romulo, meretricem vero nos lupam *vocamus, unde & meretricum cellulæ etiam* lupanaria *dicuntur. Hinc fabula de lupa Romuli & Rhemi nutrice initium ortum dicitur.*

ι Quis autem prohibitus eſt, aut Romulum, aut Herculem.] Nemo *(inquit)* pro aſſerenda Romuli divinitate mortem unquam voluit oppetere, aut mori maluit quam negare Romuli divinitatem, quot vero omnis generis hominum millia pro aſſerenda & defendenda Chriſti divinitate mortem etiam ſæviſſimam & acerbiſſimos cruciatus pertulerunt? *Simili argumēto utitur contra Gentes Theodoretus ſerm. 9. θεραπευτ. ſub finem.* Age vero (*inquit*) Græci nobis oſtendite unum ſaltem Spartiatam civem, qui pro tuendis Lycurgi legibus, unum Athenienſem, qui pro Solonis, Locrenſem, qui pro Zaleuci, Cretenſem qui pro Minois ſubire mortem pertulerit. Nemo autem veſtrum id nobis oſtendere poterit. At nos contra vobis oſtendimus pro piſcatorum ſutoriſque noſtri legibus virorum mulierumque multa millia mortem ſæviſſimam ſubiiſſe. *Et Juſtinus Martyr Apolog. 1. pro Chriſtianis*, Socrates nemini perſuaſit, ut moreretur pro ipſius dogmate, Chriſto autem non ſolum eruditionis ſapientiæque cupidi crediderunt, ſed & idiotæ & opifices gloria, formidine morteque contempta. *Validiſſimum certo argumentum ad confirmandam Chriſti divinitatem. Nec enim veriſimile, eam fidem aut doctrinam eſſe falſam, in qua aſſerenda tot utriusque ſexus, cujuslibet ætatis ac conditionis homines cruciatus ſæviſſimos tolerarunt, ac præſenti vita ſpreta morti crudeliſſimæ ſeſe objicere non dubitarunt.*

κ Tantam per orbem terræ martyrum multitudinem.] *Minutius in Octavio:* Vos ipſi calamitoſos viros *(inquit)* fertis ad cœlum, Mutium Scævolam, qui cum erraſſet in Regem, periiſſet in hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet. Et quod ex noſtris non ſolum dextram, ſed totum corpus uri, cremari ſine ullis ejulationibus pertulerunt, cum dimitti præſertim haberent in ſua poteſtate. viros cum Mutio vel cum Aquillio, aut Regulo comparo. Pueri & mulierculæ noſtræ cruces & tormenta, feras & omnes ſuppliciorum terricolas inſpirata patientia doloris illudunt. *Quanta alacritate ſe Chriſtiani objicerent martyrio teſtis, eſt Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 5.* Arrius Antoninus *(inquit)* in Aſia cum perſequeretur inſtanter omnes illius civitatis Chriſtiani ante tribunalia ejus ſe manu facta obtulerunt, cum ille paucis duci juſſis reliquis ait, *ὦ δειλοὶ εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε.*

λ Habere magnorum agmina populorum adverſus (inquit) perſecutores ſuos.] *Hoc argumento perſtringit Gentiles Tertullianus in Apolog. cap. 37.* Si *(inquit)* hoſtes exertos non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? *ubi de numeris militaribus intelligit, poſt*, Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, ſola vobis relinquimus

quimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret quam occidere.

μ Ligabantur, illudebantur.] *Quæ enim tormentorum & cruciatuum genera non excogitavere Tyranni in Chriſti martyres, ut ex martyrologiis & hiſtoriis eccleſiaſticis paſſim conſtat.*

ν Trucidabantur & multiplicabantur.] *Juſtinus Martyr. in Dialogo cum Tryphone:* Quod nos in Jeſum credentes nemo terrere aut domare valeat, apparet quotidie. Cum enim obtruncemur, crucifigamur, objiciamur beſtiis, ignibus, aliisque tormentis tradamur, tamen à confeſſione non diſcedimus, ſed quanto magis in nos ſævitur, tanto plures pietatem fidemque per nomen Jeſu profitentur. *Tertullianus in Apologet. c. ult.* Nequicquam proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ; plures efficimur, quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum: *Theodoretus ſerm. 9. περὶ νόμ.* Hi quoque contra pietatem bello ſuſcepto piæ veritatis robur manifeſtius declararunt, ac veluti quondam rubus ille, quem vidit Moſes, ardore ignis non eſt abſumptus, ita nec Chriſtianos impiorum bellis petitos tela hoſtilia conſumpſerunt, quin potius ſicut lignatoribus ſylvam cædentibus multo plures pullulant propagines ab radicibus, quam ſint rami, qui incidantur, ita tunc quoque piis pluribus interfectis multo plures quotidie ad doctrinam Evangelicam accedebant, cruorque ille cæſorum corporum irrigatio quædam erat novis in eccleſia emergentibus plantis.

ξ Utrum recte fecerint Saguntini.] *Populi Hiſpaniæ, qui maluerunt ſe ſuaque omnia igni conſumere, quam Romanorum amicitiam deſerere, fidemque datam frangere aut vivi in Annibalis poteſtatem venire. Livius lib. 35. Appianus lib. de bel. Hiſpan. Plutarchus in Annibale. Fide atque ærumnis inclytos vocat Saluſtius citatus à D. Hieronymo in Habacuc. cap. 2. ad ea verba.* Væ qui congregat avaritiam malum domui ſuæ. *Non recte autem feciſſe Saguntinos certum eſt, nec enim eis licebat ullo jure ultro ſibi eam mortem, ſuæque civitati extremam ruinam adferre: atque hoc inculcat D. Auguſtinus cum ait, in hoc facto eos laudari ab hominibus terrenæ reipublicæ civibus, quaſi dicat ſanctæ ac cœleſtis civitatis cives hoc factum nunquã eſſe laudaturos. Ita lib. 1. contra Gaudentium cap. 22. loquens de Razia, quod 2. Mach. 7. elegiſſet nobiliter mori ſeipſum occidens:* Illis verbis, *inquit,* hiſtoria gentium laudare conſuevit, ſed viros fortes hujus ſæculi non martyres Chriſti.

ο Saguntini ſi ſalutem eligerent fides eis fuerat deſerenda.] *Neque tamen ſi fame compulſi, vel ad extremam neceſſitatem adducti ſeſe hoſtibus dediti ſſent, videbantur quicquam committere in fidem datam. Ita enim interpretandum eſt, eo uſque fidem obligare: vel certe mortem prius ab hoſtibus pati quam ſeſe dedere, non vero ſibi eam debebant.*

Digitized by Google

CAP. VII.

Quòd ut mundus in Chriſtum crederet virtutis fuerit divinæ, non perſuaſionis humanæ.

SEd valdè ridiculum eſt, de Romuli falſa divinitate, cùm de Chriſto loquimur, facere mentionem. Veruntamen *a* cum ſexcentis fermè annis ante Ciceronem Romulus fuerit, atque illa ætas jam fuiſſe doctrinis dicatur exculta, ut quod fieri non poteſt, omne eludens reſpueret: quanto magis poſt ſexcentos annos ipſius tempore Ciceronis, maximèque poſtea ſub *α* Auguſto atque Tiberio eruditioribus utique temporibus reſurrectionem carnis Chriſti atque in cœlos aſcenſionem, tanquam id, quod fieri non poteſt, mens humana ferre non poſſet, eludensque ab urbibus cordibusque reſpueret, niſi eam fieri potuiſſe, atque factam eſſe divinitas ipſius veritatis, vel veritas divinitatis & conteſtantia miraculorum ſigna monſtrarent: ut terrentibus & contradicentibus tam multis tamque magnis perſecutionibus præcedens in Chriſto, deinde ad novum ſeculum in cæteris ſecutura reſurrectio atque immortalitatis carnis & fideliſſimè crederetur, & prædicaretur intrepidè, & per orbem terræ pullulatura fæcundius quum in martyrum ſanguine ſereretur. *β* Legebantur enim præconia præcedentium prophetarum, concurrebant oſtenta virtutum, & perſuadebatur *γ* veritas nova conſuetudini, non contraria rationi, donec orbis terræ, qui perſequebatur furore, proſequeretur fidem.

L. Viv. *a* CUm ſexcentis fermè annis ante Ciceronem.] *Legendum ante Scipionem, nempè Æmilianum, qui inducitur diſſerens in lib. De repub.*

F. L. Coq. *α* SUb Auguſto atque Tiberio.] *Ut ſcribit Tertullianus, & ut etiam colligi poteſt ex hiſtoria Evangelica, Tiberii tempore nomen Chriſtianum in ſæculum introivit.*

β Legebantur enim præconia prophetarum, concurrebant oſtenta virtutum.] *Ita epiſtol. 3. ad Voluſianum.* Venit Chriſtus, complentur in ejus ortu, vita, dictis, factis, paſſionibus, morte, reſurrectione, aſcenſione omnia præconia Prophetarum, *poſt*, prædicationem pietatis veræque religionis ſigna congruentia & miracula conſequantur. *Et prophetia & miracula teſtimonia ſunt divina, quibus refragari minime licet: ut enim longe antea prædicerentur, quæ in Chriſto completa ſunt & ut miracula tot fierent ad confirmandam Chriſti doctrinam, non niſi divinitus fieri potuit.*

γ Veritas nova conſuetudinis non contraria rationi.] *Licet enim naturalis ratio non judicet poſſibilem reſurrectionem carnis & in cœlos aſcenſionem, ſi tamen ſit recte inſtituta, non judicat impoſſibile, verum negative ſe habet, & agnoſcens eſſe ſupernaturale, fatetur interim Deum plura poſſe quam ipſa intelligat, licet non poſſit in particulari ſtatuere an hoc vel illud poſſit, & ita de reliquis myſteriis fidei noſtræ, quæ ſupra rationem; minime tamen contra rationem: fidei enim eſt corrigere intellectum, non ſunt præſcribendi termini ipſi potentiæ divinæ, itaque ubi ex ſacris literis conſtat ſtatuiſſe reſurrectionem fieri, id certo credendum: recte ab eodem dictum lib 13. de Trinit. cap.* Fides totum hominem immortalem futurum, qui utique conſtat ex

anima

anima & corpore non argumentatione humana, ſed divina authoritate promittit. *Veritas quidem contraria perſuaſioni humanæ, non tamen rationi ipſi; cum verum vero minime repugnet.*

Cap. VIII.

De miraculis, quæ ut mundus in Chriſtum crederet facta ſunt, & fieri mundo credente non deſinunt.

CUr, *a* inquiunt, nunc illa miracula quæ prædicatis facta eſſe, non fiunt? Poſſem quidem dicere neceſſaria fuiſſe prius quàm crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quiſquis adhuc prodigia ut credat inquirit, *a* magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit. Verùm hoc ideo dicunt, ut nec tunc illa miracula facta fuiſſe credantur. Unde ergo tanta fide Chriſtus uſquequaque cantatur in cœlum cum carne ſublatus? Unde temporibus eruditis, & omne quod fieri non poteſt reſpuentibus, ſine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus? An fortè credibilia fuiſſe, & ideo credita eſſe dicturi ſunt? Cur ergo ipſi non credunt? Brevis eſt igitur noſtra complexio. Aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant & videbantur, fecerunt fidem: aut certè res credibilis ut nullis quibus perſuaderetur miraculis indigeret, iſtorũ nimiam redarguit infidelitatem. Hoc ad refellendos vaniſſimos dixerim. Nam facta eſſe multa miracula, quæ atteſtarentur illi uni grandi ſalubrique miraculo, quo Chriſtus in cœlum cum carne in qua reſurrexit, aſcendit, negare non poſſumus. In eiſdem quippe veraciſſimis libris cuncta conſcripta ſunt, & quæ facta ſunt, & propter quod credendum facta ſunt. Hæc ut fidem facerent innotuerunt, hæc per fidem quam fecerunt multo clarius innoteſcunt. Leguntur quippe in populis ut credantur, nec in populis tamen niſi credita legerentur. Nam etiam nunc fiunt miracula in ejus nomine, ſive per ſacramenta ejus ſive per orationes vel memorias ſanctorum ejus, ſed non eadem claritate illuſtrantur, ut tanta quanta illa gloria diffamentur. *b* Canon quippe ſacrarum literarum quem diffamatum* eſſe oportebat, illa facit ubique recitari, & memoriæ cunctorum inhærere populorum, hæc autem ubicunque fiunt ibi ſciuntur, vix à tota ipſa civitate vel quocunque commanentiũ loco. Nam plerunq; etiã ibi pauciſſimi ſciunt ignorantib9 cæteris, maximè ſi magna ſit civitas, & quando alibi aliiſque narrantur nõ tanta ea commendat autoritas, ut ſine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Chriſtianis fidelibus à fidelibus indicentur. *β* Miraculum quod Mediolani factum eſt cùm illic eſſemus, quando illuminatus eſt cœcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia & grandis eſt civitas, & ibi erat tunc imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt, concurrente ad corpora martyrum *c* Protaſij & Gervaſij. Quæ cùm laterent, & penitus neſcirentur, *d γ* epiſcopo Ambroſio per ſomnum revelata reperta ſunt, ubi cœcus ille depulſis veteribus tenebris diem vidit. Apud Carthaginem autem

*al. deſcriptum.

ſigno Chriſti ſignaret: fecit, & confeſtim ſanitas ſecuta eſt. Medicus ſanè qui ei dixerat, ut nihil curationis adhiberet, ſi paulò diutius vellet vivere, cùm inſpexiſſet eam poſtea, & ſaniſſimam comperiſſet, quam prius habere illud malum tali inſpectione cognoverat, quæſivit ab ea vehementer, quid adhibuiſſet curationis, cupiens quantum intelligi datur noſſe medicamentum, quo Hippocratis definitio vinceretur. Cumque ab ea quid factum eſſet, audiſſet, voce velut contemnentis & vultu, ita ut illa metueret, ne aliquod contumelioſum verbum proferret in Chriſtum, religioſa urbanitate reſpondiſſe fertur: Putabam, inquit, magnum aliquid te mihi fuiſſe dicturam. Atque illa jam exhorreſcente, mox addidit: Quid grande fecit Chriſtus ſanare cancrum, qui quatriduanum mortuum ſuſcitavit? Hoc ergo cùm audiſſem & vehementer ſtomacharer, in illa civitate atque in illa perſona, non utique obſcura, factum tam ingens miraculum ſic latere, hinc eam & admonendam & penè objurgandam putavi. Quæ cùm mihi reſpondiſſet non ſe inde tacuiſſe, quæſivi ab eis, quas fortè tunc matronas amiciſſimas ſecum habebat, utrum hoc antea ſciſſent. Reſponderunt ſe omnino neſciſſe. Ecce, inquam, quomodo non taces, ut nec iſtæ audiant, quæ tibi tanta familiaritate junguntur? Et quia breviter ab ea quæſiveram, feci ut illis audientibus multumque mirantibus & glorificantibus Deum, totum ex ordine quemadmodum geſtum fuerit indicaret. *i* Medicum quendam podagricum in eadem urbe, qui cùm dediſſet nomen ad baptiſmum, & pridie quàm baptizaretur, *l* in ſomnis à pueris nigris cirratis, quos intelligebat dæmones eſſe, baptizari eodem anno prohibitus fuiſſet, eiſque non obtemperans, etiam conculcantibus pedes ejus in dolorem acerrimum, qualem nunquàm expertus eſt, iſſet, magiſque eos vincens lavacro regenerationis, ut voverat ablui non diſtuliſſet, *k* in baptiſmate ipſo non ſolùm dolore, quo ultra ſolitum cruciabatur, verumetiam podagra caruiſſe, nec amplius, cùm diu poſtea vixiſſet, pedes doluiſſe quis novit? Nos tamen novimus & pauciſſimi fratres, ad quos id potuit pervenire è vicino. *m* Quidam Curubitanus, non ſolùm à paralyſi, verumetiam ab informi pondere genitalium cum baptizaretur ſalvus effectus eſt, & liberatus utraque moleſtia, tanquam mali nihil habuiſſet in corpore, de fonte regenerationis aſcendit. Quis hoc præter Curubitanos novit, & præter rariſſimos aliquos, qui hoc ubique audire potuerunt? Nos autem cum hoc comperiſſemus, jubente ſancto epiſcopo Aurelio etiam ut veniret Carthaginem fecimus: quamvis à talibus prius audierimus, de quorum fide dubitare non poſſemus. Vir tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt, habet *n* in territorio Fuſſalenſi *o* fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & ſervorum ſuorum, domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogavit noſtros me abſente presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit ut ceſſaret illa vexatio: *λ* Deo protinus miſerante ceſſavit. Ac-

cepe-

ceperat autem ab amico ſuo terram ſanctam de Hieroſolymis allatam, ubi ſepultus Chriſtus die tertio reſurrexit: eamque ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At ubi domus ejus ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat: quam diutius in cubiculo ſuo reverentiæ cauſa habere nolebat. Fortè accidit, ut ego & collega tunc meus epiſcopus Synicenſis eccleſiæ Maximus in proximo eſſemus: ut veniremus rogavit, & venimus. Cumque nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petivit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret: ubi etiam poſſent Chriſtiani ad celebranda, quæ Dei ſunt, congregari. Non reſtitimus; factum eſt. Erat ibi juvenis paralyticus ruſticanus, qui hoc audito, petivit à parentibus ſuis, ut illum ad eum locum ſanctum non cunctanter afferrent. Quò cùm fuiſſet allatus, oravit, atque inde continuò pedibus ſuis ſalvus abſceſſit. Victoriana villa dicitur, quæ ab Hippone regio minus triginta millibus abeſt. μ Memoria martyrum ubi eſt Mediolanenſium Gervaſii & Protaſii: portatus eſt die eo quidam adoleſcens, qui cùm de medio tempore æſtatis equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi cùm jaceret vel morti proximus, vel ſimillimus mortuo, ad veſpertinos illuc hymnos & orationes cum ancillis ſuis, & quibusdam ſanctimonialibus ex more domina poſſeſſionis intravit: atque hymnos cantare cœperunt. Qua voce ille quaſi percuſſus excuſſus eſt: & cum terribili fremitu altare apprehenſum movere non audens, ſive non valens, tanquam eò fuerit alligatus, aut fixus tenebat; & cum grandi ejulatu parci ſibi rogans, confitebatur ubi adoleſcentem, & quando & quomodo invaſerit. Poſtremò ſe exiturum eſſe denuncians, membra ejus ſingula nominabat, quæ ſe amputaturum exiens minabatur: atque inter hæc verba diſceſſit ab homine. Sed oculus ejus in maxillam fuſus, tenui venula ab interiore quaſi radice pendebat, totumque ejus medium quod nigellum fuerat, albicabat. Quo viſo, qui aderant, concurrerant autem etiam alii, vocibus ejus acciti: & ſe omnes in orationem pro illo ſteterunt: quamvis eum ſana mente ſtare gauderent: rurſus tamen propter oculum ejus contriſtati, medicum quærendum eſſe, dicebant. Ibi maritus ſororis ejus, qui eum illò detulerat: Potens eſt, inquit, Deus ſanctorum orationibus, qui fugavit dæmonem, lumen ei reddere. Tunc ſicut potuit oculum lapſum atque pendentem, loco ſuo revocatum, *p v* ligavit oratio: nec niſi poſt ſeptem dies putavit eſſe ſolvendum. Quod cùm feciſſet, ſaniſſimum invenit. Sanati ſunt illic & alii: de quibus dicere longum eſt. Hipponenſem ξ quandam virginem ſcio, cùm ſe oleo perunxiſſet, cui pro illa orans presbyter inſtillaverat lacrymas ſuas, mox à dæmonio fuiſſe ſanatam. Scio etiam Epiſcopum ſemel pro adoleſcente, quem non vidit *q* oraſſe: illumque illico dæmone caruiſſe. Erat quidam ſenex Florentius Hipponenſis noſter, homo religioſus & pauper, qui ſartoris ſe arte paſcebat, caſulam perdiderat, & unde ſibi emeret, non habebat: ad viginti martyres, quorum memoria apud nos eſt celeberrima, clara voce, ut veſtiretur, oravit. Audierunt eum adoleſcentes, qui

Sed jam demonſtrentur impleta, de Romulo autem qui condidit Romam, in eaq; regnavit auditur, legiturve quod factum eſt, non quod antequam fieret prophetatum.

e Frater tamen ejus non habetur Deus.] *At ædiculam habebat in Aventino parum celebrem, & qualem heros potius quàm Deus.*

f Tantam per orbem terræ martyrum multitudinem.] *In Colonienſi codice legitur ſic: Tantam per orbem terræ martyrum multitudinem metus revocare non potuit, non levis offenſionis animorum, ſed immenſarum variarumq; pœnarum.*

g Et haberet tam magnorum agmina populorum.] *Obſiſtere poterant, & captis armis non modò inimicis metum facere, ſed periculum offerre à ſe propulſando. Cæterum longè beatius & evangelio Chriſti dignius exiſtimabant injuriam pati quàm facere, mori quam occidere, corpus amittere quàm animam.*

F.I.Coq. *α* MAgis eſt (inquit) in Romulo admirandum.] *Non leve argumentum exiſtimavit Cicero divinitatis Romuli, quod non priſcis ac minus eruditis hominum ſeculis habitus ſit Deus, ſed excultis jam hominibus, nec ad credendum adeo proclivibus: quando certius & certius inde Chriſti divinitas demonſtratur, qui difficilioribus ſeculis creditus eſt & Meſſias & Deus, nec in una civitate ut Romulus, ſed toto orbe, & ab omni hominum genere? quod certe adeo manifeſtum eſt argumentum divinitatis Chriſti, ut ad confundendos illius hoſtes ſatis hoc unum nobis ſit.*

β Minus his ſexcentis annis.] *Cicero non de ſuis temporibus loquitur, ſiquidem vivebat anno 700. ab V. C. cum hæc ſcribebat. ſed de temporibus Scipionis minoris Africani, quem in libris de republica cum Lælio loquentem & diſſerentem inducebat, cujus conſulatum referunt in annum 607. ab ipſa V. C.*

γ Per multis annis ante Homerum fuiſſe quam Romulum.] *Quo tempore vixerit Homerus magna diſſonantia fuit apud Veteres, ut conſtat ex Euſebio in Chronico, nonnulli tamen à prima Olympiade eum non multum abfuiſſe contendunt, cùm Romulus teſte Solino c. 2. & Dionyſio lib. 1. regnare cœperit Olympiad. 7. anno 1. & mortuus ſit Olymp. 16. anno 1.*

δ Quis autem Romulum Deum, niſi Roma credidit?] Romulum Deum pejerante Proculo ſolum agnovit civitas ab eo condita, non cæteræ nationes. *Eodem argumento utitur Euſebius, ut probet divinitatem, quod nec Romulus, nec ullus Monarcha potuerit toti mundo leges præſcribere, cum tamen ea non præciperent, quæ vel vires humanæ naturæ viderentur ſuperare, vel ſenſui adverſari. at Chriſti leges hujuſmodi toto orbe receptæ ſunt, quod etiam late perſequitur Theodoretus ſerm. 9.* θεραπευτ. Illos, qui Romano imperio ſubeſſe noluerunt, nec vi, nec ſuaſionibus adegerunt, ut Romanis legibus viverent, immò permulti, qui frænum Romani imperii acceperunt, vivere noluerunt illorum legibus. At noſtri illi piſcatores ac publicani, ſutorque ille noſter cunctis nationibus legem Evangelicam detulerunt, neque ſolum Romanos, quique ſub Romano vivunt imperio, ſed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Perſas, Seras, Hircanos, Britannos, Cimmerios & Germanos, utque ſemel dicatur, omne hominum genus, nationesque omnes induxerunt Crucifixi legem accipere non armis uſi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Perſicæ violentia, ſed verborum ſuaſu, oſtenſa legum, quas prædicabant, utilitate.

ε Ali-

Digitized by Google

ε Aliter eum nominando quam Roma.] *Nimirum, ut quemadmodum Romana civitas conditorem ſuum Romulum in Deos retulerat, ita ſubacta civitates ac provincia illi divinos honores deſerrent. Non legimus tamen Romanos ſubactos à ſe populos coegiſſe aliquando, ut novos Deos ſuſciperent, vel novam religionem, vel novas ceremonias, ut neque flamines, neque ſacerdotia, qua Romana inſtituta erant, ipſi ſuſciperent, potiſſimum illis erat ſtudium propagandi imperium, non autem religionem. Neque enim ad id Dæmon eos adigebat, cum ſatis mentes hominum occuparet, quamcumque religionem falſam profiterentur, & quoscumque Deos venerarentur, immo ut magis ſuperſtitione Romanos imbueret, eos potius adigebat eo, ut omnium populorum à ſe devictorum Deos & religiones in ſuam urbem introducerent, in pluribus Diis plus eſſe præſidii exiſtimantes.*

ζ Illa illum amando eſſe Deum credidit.] *In quo eos perſtringit Tertullianus in Apologet. cap. 5.* Apud vos *(inquit)* de humano arbitratu divinitas penſitatur, niſi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo jam Deo propitius eſſe debebit. *Arnobius lib. 1. adverſus Gentes, objicientibus Romanis, quod Chriſtiani colerent hominem natum & crucifixum.* Nonne Romulum ipſum *(inquit)* patrem Senatorum manibus dilaceratum centum, & Quirinum Martium eſſe dicitis, & ſacerdotibus & pulvinaribus honoratis, & in ædibus adoratis ampliſſimis, & poſt hæc omnia in cœlum aſcendiſſe juratis? Aut igitur & ridendi vos eſtis, qui homines graviſſimis cruciatibus interemptos Deos putatis & colitis, aut ſi certa eſt ratio, cur id faciendum putetis, & nobis permittite ſcire quibus iſtud cauſis, rationibusque faciamus: *& objicientibus quod hominem colerent Chriſtiani, reſpondet primum,* Etſi id verum eſſet, tamen pro multis & tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta ſunt in nobis, Deus dici appellarique deberet. Cum vero Deus ſit revera & ſine ullius dubitationis ambiguo, *&c. quaſi dicat, colitis Romulum & alios, qui veſtra opinione dii ſunt, at nos Chriſtum, qui Deus revera ſit, & cujus divinitas ab hominum opinione non pendeat.*

η Prophetiæ quoque fide digniſſimæ præceſſerunt.] *A Prophetiis ſumitur efficaciſſimum argumentum divinitatis Chriſti & religionis Chriſtianæ. Omnia enim, quæ in Chriſto impleta fuere, quodque toto orbe Deus credendus eſſet, & Eccleſia ab eo ædificanda, atque Gentes omnes ab infidelitate ad illius fidem vocandæ, longe antea Prophetæ prædixerunt. Eo argumento paſſim utitur D. Auguſtinus, ut epiſt. 3. ad Voluſianum. lib. 12. contra Fauſtum, ipſum redarguit, quod impudenter aſſereret, Prophetas nihil de Chriſto prædixiſſe, & lib. 13. cap. 8. 9. & ſequentibus, & lib. de Catechizandis rudibus cap. 27.* Omnia *(inquit)* quæ nunc vides in eccleſia Dei, & ſub Chriſti nomine per totum orbem terrarum geri, ante ſæcula jam prædicta ſunt, & ſicut ea legimus, ita & videmus, & inde ædificamur in fidem, *& multa ibi prædicta fuiſſe oſtendit. Certe non niſi divinitus fieri potuit, ut quæ completa ſunt in Chriſto, & quæ in dies compleri videmus in eccleſia, longe antea prædicerentur. Eodem argumento utitur & Juſtinus Martyr Apolog. 2. pro Chriſt. Tertullianus in Apologet. cap. 20. Lactantius 4. divinarum inſtitut. cap. 12. Theodoretus ſerm. 10. θεραπευτ.*

θ Etſi non meretrix lupa fuit illa, ſed beſtia.] *Cum prope Tyberis ripam expoſiti fuiſſent*

fuiſſent ſtatim ut nati Romulus & Rhemus, Fauſtulus regiorum armentorum paſtor ad uxorem ſuam Accam Laurentiam nutriendos detulit. Hanc vulgato corpore inter Paſtores lupam vocatam ſcribunt cum Auguſtino, Lactantius lib. 1. cap. 20. Livius lib. 1. Dionyſius lib. 1. Plutarchus in Romulo, meretricem vero nos lupam *vocamus, unde & meretricum cellulæ etiam* lupanaria *dicuntur. Hinc fabula de lupa Romuli & Rhemi nutrice initium ortum dicitur.*

ι Quis autem prohibitus eſt, aut Romulum, aut Herculem.] Nemo *(inquit)* pro aſſerenda Romuli divinitate mortem unquam voluit oppetere, aut mori maluit quam negare Romuli divinitatem, quot vero omnis generis hominum millia pro aſſerenda & defendenda Chriſti divinitate mortem etiam ſæviſſimam & acerbiſſimos cruciatus pertulerunt? *Simili argumẽto utitur contra Gentes Theodoretus ſerm. 9. θεραπευτ. ſub finem.* Age vero *(inquit)* Græci nobis oſtendite unum ſaltem Spartiatam civem, qui pro tuendis Lycurgi legibus, unum Athenienſem, qui pro Solonis, Locrenſem, qui pro Zaleuci, Cretenſem qui pro Minois ſubire mortem pertulerit. Nemo autem veſtrum id nobis oſtendere poterit. At nos contra vobis oſtendimus pro piſcatorum ſutoriſque noſtri legibus virorum mulierumque multa millia mortem ſæviſſimam ſubiiſſe. *Et Juſtinus Martyr Apolog. 1. pro Chriſtianis*, Socrates nemini perſuaſit, ut moreretur pro ipſius dogmate, Chriſto autem non ſolum eruditionis ſapientiæque cupidi crediderunt, ſed & idiotæ & opifices gloria, formidine morteque contempta. *Validiſſimum certe argumentum ad confirmandam Chriſti divinitatem. Nec enim veriſimile, eam fidem aut doctrinam eſſe falſam, in qua aſſerenda tot utriuſque ſexus, cujuſlibet ætatis ac conditionis homines cruciatus ſæviſſimos tolerarunt, ac præſenti vita ſpreta morti crudeliſſimæ ſeſe objicere non dubitarunt.*

κ Tantam per orbem terræ martyrum multitudinem.] *Minutius in Octavio:* Vos ipſi calamitoſos viros *(inquit)* fertis ad cœlum, Mutium Scævolam, qui cum erraſſet in Regem, periiſſet in hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet. Et quod ex noſtris non ſolum dextram, ſed totum corpus uri, cremari ſine ullis ejulationibus pertulerunt, cum dimitti præſertim haberent in ſua poteſtate: viros cum Mutio vel cum Aquillio, aut Regulo comparo. Pueri & mulierculæ noſtræ cruces & tormenta, feras & omnes ſuppliciorum terricolas inſpirata patientia doloris illudunt. *Quanta alacritate ſe Chriſtiani objicerent martyrio teſtis, eſt Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 5.* Arrius Antoninus *(inquit)* in Aſia cum perſequeretur inſtanter omnes illius civitatis Chriſtiani ante tribunalia ejus ſe manu facta obtulerunt, cum ille paucis duci juſſis reliquis ait, ὦ δειλοὶ εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε.

λ Habere magnorum agmina populorum adverſus (inquit) perſecutores ſuos.] *Hoc argumento perſtringit Gentiles Tertullianus in Apolog. cap. 37.* Si *(inquit)* hoſtes exertos non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? *ubi de numeris militaribus intelligit, poſt,* Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, ſola vobis relinquimus

quimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret quam occidere.

μ Ligabantur, illudebantur.] *Quæ enim tormentorum & cruciatuum genera non excogitavere Tyranni in Chriſti martyres, ut ex martyrologiis & hiſtoriis eccleſiaſticis paſſim conſtat.*

ν Trucidabantur & multiplicabantur.] *Juſtinus Martyr. in Dialogo cum Tryphone:* Quod nos in Jeſum credentes nemo terrere aut domare valeat, apparet quotidie. Cum enim obtruncemur, crucifigamur, objiciamur beſtiis, ignibus, aliisque tormentis tradamur, tamen à confeſſione non diſcedimus, ſed quanto magis in nos ſævitur, tanto plures pietatem fidemque per nomen Jeſu profitentur. *Tertullianus in Apologet. c. ult.* Nequicquam proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ; plures efficimur, quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum: *Theodoretus ſerm. 9.* θεραπευτ]. Hi quoque contra pietatem bello ſuſcepto piæ veritatis robur manifeſtius declararunt, ac veluti quondam rubus ille, quem vidit Moſes, ardore ignis non eſt abſumptus, ita nec Chriſtianos impiorum bellis petitos tela hoſtilia conſumpſerunt, quin potius ſicut lignatoribus ſylvam cædentibus multo plures pullulant propagines ab radicibus, quam ſint rami, qui incidantur, ita tunc quoque piis pluribus interfectis multo plures quotidie ad doctrinam Evangelicam accedebant, cruorque ille cæſorum corporum irrigatio quædam erat novis in eccleſia emergentibus plantis.

ξ Utrum recte fecerint Saguntini.] *Populi Hiſpaniæ, qui maluerunt ſe ſuaque omnia igni conſumere, quam Romanorum amicitiam deſerere, fidemque datam frangere aut vivi in Annibalis poteſtatem venire. Livius lib. 35. Appianus lib. de bel. Hiſpan. Plutarchus in Annibale. Fide atque ærumnis inclytos vocat Saluſtius citatus à D. Hieronymo in Habacuc. cap. 2. ad ea verba.* Væ qui congregat avaritiam malum domui ſuæ. *Non recte autem feciſſe Saguntinos certum eſt, nec enim eis licebat ullo jure ultro ſibi eam mortem, ſuaque civitati extremam ruinam adferre: atque hoc inculcat D. Auguſtinus cum ait, in hoc facto eos laudari ab hominibus terrenæ reipublicæ civibus, quaſi dicat ſanctæ ac cæleſtis civitatis cives hoc factum nunquã eſſe laudaturos. Ita lib. 1. contra Gaudentium cap. 22. loquens de Razia, quod 2. Macb. 7. elegiſſet nobiliter mori ſeipſum occidens:* Illis verbis, *inquit,* hiſtoria gentium laudare conſuevit, ſed viros fortes hujus ſæculi non martyres Chriſti.

ο Saguntini ſi ſalutem eligerent fides eis fuerat deſerenda.] *Neque tamen ſi fame compulſi, vel ad extremam neceſſitatem adducti ſeſe hoſtibus deditiſſent, videbantur quicquam committere in fidem datam. Ita enim interpretandum eſt, eo usque fidem obligare: vel certe mortem prius ab hoſtibus pati quam ſeſe dedere, non vero ſibi eam debebant.*

CAP. VII.

Quòd ut mundus in Chriſtum crederet virtutis fuerit divinæ, non perſuaſionis humanæ.

SEd valdè ridiculum eſt, de Romuli falſa divinitate, cùm de Chriſto loquimur, facere mentionem. Veruntamen *a* cum ſexcentis fermè annis ante Ciceronem Romulus fuerit, atque illa ætas jam fuiſſe doctrinis dicatur exculta, ut quod fieri non poteſt, omne eludens reſpueret: quanto magis poſt ſexcentos annos ipſius tempore Ciceronis, maximèque poſtea ſub *α* Auguſto atque Tiberio eruditioribus utique temporibus reſurrectionem carnis Chriſti atque in cœlos aſcenſionem, tanquam id, quod fieri non poteſt, mens humana ferre non poſſet, eludensque ab urbibus cordibusque reſpueret, niſi eam fieri potuiſſe, atque factam eſſe divinitas ipſius veritatis, vel veritas divinitatis & conteſtantia miraculorum ſigna monſtrarent: ut terrentibus & contradicentibus tam multis tamque magnis perſecutionibus præcedens in Chriſto, deinde ad novum ſeculum in cæteris ſecutura reſurrectio atque immortalitatis carnis & fideliſſimè crederetur, & prædicaretur intrepidè, & per orbem terræ pullulatura fæcundius quum in martyrum ſanguine ſereretur. *β* Legebantur enim præconia præcedentium prophetarum, concurrebant oſtenta virtutum, & perſuadebatur *γ* veritas nova conſuetudini, non contraria rationi, donec orbis terræ, qui perſequebatur furore, proſequeretur fide.

L. Viv. *a* CUm ſexcentis fermè annis ante Ciceronem.] *Legendum ante Scipionem, nempè Æmilianum, qui inducitur diſſerens in lib. De repub.*

F. L. Cop. *α* SUb Auguſto atque Tiberio.] *Ut ſcribit Tertullianus, & ut etiam colligi poteſt ex hiſtoria Evangelica, Tiberii tempore nomen Chriſtianum in ſæculum introivit.*

β Legebantur enim præconia prophetarum, concurrebant oſtenta virtutum.] *Ita epiſtol. 3. ad Voluſianum.* Venit Chriſtus, complentur in ejus ortu, vita, dictis, factis, paſſionibus, morte, reſurrectione, aſcenſione omnia præconia Prophetarum, *poſt*, prædicationem pietatis veræque religionis ſigna congruentia & miracula conſequantur. *Et prophetiæ & miracula teſtimonia ſunt divina, quibus refragari minime licet: ut enim longe antea prædicerentur, quæ in Chriſto completa ſunt & ut miracula tot fierent ad confirmandam Chriſti doctrinam, non niſi divinitus fieri potuit.*

γ Veritas nova conſuetudinis non contraria rationi.] *Licet enim naturalis ratio non judicet poſſibilem reſurrectionem carnis & in cœlos aſcenſionem, ſi tamen ſit rectè inſtituta, non judicat impoſſibile, verum negative ſe habet, & agnoſcens eſſe ſupernaturale, fatetur interim Deum plura poſſe quam ipſa intelligat, licet non poſſit in particulari ſtatuere an hoc vel illud poſſit, & ita de reliquis myſteriis fidei noſtræ, quæ ſupra rationem; minime tamen contra rationem: fidei enim eſt corrigere intellectum, non ſunt præſcribendi termini ipſi potentiæ divinæ, itaque ubi ex ſacris literis conſtat ſtatuiſſe reſurrectionem fieri, id certo credendum: rectè ab eodem dictum lib 13. de Trinit. cap.* Fides totum hominem immortalem futurum, qui utique conſtat ex anima

anima & corpore non argumentatione humana, ſed divina authoritate promittit. *Veritas quidem contraria perſuaſioni humanæ, non tamen rationi ipſi, cum verum vero minime repugnet.*

Cap. VIII.

De miraculis, quæ ut mundus in Chriſtum crederet facta ſunt, & fieri mundo credente non deſinunt.

Cur, *α* inquiunt, nunc illa miracula quæ prædicatis facta eſſe, non fiunt? Poſſem quidem dicere neceſſaria fuiſſe prius quàm crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quiſquis adhuc prodigia ut credat inquirit, *a* magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit. Verùm hoc ideo dicunt, ut nec tunc illa miracula facta fuiſſe credantur. Unde ergo tanta fide Chriſtus uſquequaque cantatur in cœlum cum carne ſublatus? Unde temporibus eruditis, & omne quod fieri non poteſt reſpuentibus, ſine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus? An fortè credibilia fuiſſe, & ideo credita eſſe dicturi ſunt? Cur ergo ipſi non credunt? Brevis eſt igitur noſtra complexio. Aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant & videbantur, fecerunt fidem: aut certè res credibilis ut nullis quibus perſuaderetur miraculis indigeret, iſtorũ nimiam redarguit infidelitatem. Hoc ad refellendos vaniſſimos dixerim. Nam facta eſſe multa miracula, quæ atteſtarentur illi uni grandi ſalubrique miraculo, quo Chriſtus in cœlum cum carne in qua reſurrexit, aſcendit, negare non poſſumus. In eiſdem quippe veraciſſimis libris cuncta conſcripta ſunt, & quæ facta ſunt, & propter quod credendum facta ſunt. Hæc ut fidem facerent innotuerunt, hæc per fidem quam fecerunt multo clarius inneteſcunt. Leguntur quippe in populis ut credantur, nec in populis tamen niſi credita legerentur. Nam etiam nunc fiunt miracula in ejus nomine, ſive per ſacramenta ejus ſive per orationes vel memorias ſanctorum ejus, ſed non eadem claritate illuſtrantur, ut tanta quanta illa gloria diffamentur. *b* Canon quippe ſacrarum literarum quem diffamatum* eſſe oportebat, illa facit ubique recitari, & memoriæ cunctorum inhærere populorum, hæc autem ubicunque fiunt ibi ſciuntur, vix à tota ipſa civitate vel quocunque commanentiũ loco. Nam plerunq; etiã ibi pauciſſimi ſciunt ignorantibꝰ cæteris, maximè ſi magna ſit civitas, & quando alibi aliiſque narrantur nõ tanta ea commendat autoritas, ut ſine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Chriſtianis fidelibus à fidelibus indicentur. *β* Miraculum quod Mediolani factum eſt cùm illic eſſemus, quando illuminatus eſt cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia & grandis eſt civitas, & ibi erat tunc imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt, concurrente ad corpora martyrum *c* Protaſij & Gervaſij. Quæ cùm laterent, & penitus neſcirentur, *dγ* epiſcopo Ambroſio per ſomnum revelata reperta ſunt, ubi cæcus ille depulſis veteribus tenebris diem vidit. Apud Carthaginem autem

*al. deſinitum.

Digitized by Google

quis novit, præter admodum pauciſſimos ſalutem. *e* quæ facta eſt Innocentio ex advocato vicariæ præfecturæ, ubi nos interfuimus, & oculis aſpeximus noſtris? Venientes enim de transmarinis, me & fratrem meum Alipium, nondum quidem clericos, ſed jam Deo ſervientes, ut erat cum tota domo ſua religioſiſſimus ipſe ſuſceperat, & apud eum tunc habitabamus. Curabatur à medicis propter fiſtulas, quas numeroſas atque perplexas habuit in poſteriore atque ima corporis parte. Jam ſecuerant eum, & artis ſuæ cætera medicamentis agebant. Paſſus autem fuerat in ſectione illa & diuturnos & acerbos dolores. Sed unus inter multos ſinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Denique ſanatis omnibus, quæ aperta curabant, iſte remanſerat ſolus, cui fruſtrà impendebatur labor. Quas moras ille ſuſpectas habens, multumque formidans, ne iterum ſecaretur, quod ei prædixerat alius medicus domeſticus ejus, quem non admiſerant illi, ut ſaltem videret, cùm primum ſectus eſt, quomodo id facerent, iratusque illum domo abjecerat, vixque receperat, erupit, atque ait: Iterum me ſecturi eſtis? Ad illius quem noluiſtis eſſe præſentem verba venturus ſum? Irridere illi medicum imperitum: metumque hominis bonis verbis promiſſionibusque lenire. Præterierunt & alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne quod fiebat. Medici tamen in ſua pollicitatione perſiſtebant, non ſe illum ſinum ferro, ſed medicamentis eſſe clauſuros. Adhibuerunt & alium grandævum jam medicum, ſatisque in illa arte laudatum, adhuc enim vivebat, *f* Ammonium, qui loco inſpecto, idem quod illi eorum diligentia peritiaque promiſit. Cujus ille factus autoritate ſecurus, domeſtico ſuo medico, qui futuram prædixerat aliam ſectionem faceta hilaritate, velut jam ſalvus eluſit. Quid plura? Poſtea tot dies inaniter conſumpti tranſierunt, ut feſſi atque confuſi faterentur eum niſi ferro nullo modo poſſe ſanari. Expavit, expalluit nimio timore turbatus, atque ubi ſe collegit, farique potuit, abire illos juſſit, & ad ſe amplius non accedere, nec aliud occurrit fatigato lachrymis, & illa jam neceſſitate conſtricto, niſi ut adhiberet Alexandrinum quendam, qui tunc chirurgus mirabilis habebatur: ut ipſe faceret quod ab illis fieri nolebat iratus. Sed poſteaquàm venit ille, laboremque illorum in cicatricibus ſicut artifex vidit, boni viri functus officio, perſuaſit homini, ut illis potius, qui in eo tantum laboraverant, quantum ipſe inſpiciens mirabatur, curationis ſuæ fine fruerentur, adjiciens quòd revera niſi ſectus eſſet, ſalvus eſſe non poſſet: valde abhorrere à ſuis moribus, ut hominibus quorum artificioſiſſimam operam, induſtriam, diligentiam admirans in cicatricibus ejus videret, propter exiguum quod remanſit, palmam tanti laboris auferret. Redditi ſunt animo ejus, & placuit, ut eodem Alexandrino aſſiſtente ipſi ſinum illum ferro, qui jam conſenſu omnium aliter inſanabilis putabatur, aperirent. Quæ res dilata eſt in conſequentem diem. Sed cùm abiiſſent illi, ex mœrore nimio domini tantus eſt in domo illa exortus dolor, ut tanquàm funeris planctus

tus vix comprimeretur à nobis. *d* Viſitabant eum quotidie ſancti viri, epiſcopus tunc *g* Uzalenſis, beatæ memoriæ Saturninus, & presbyter Geloſus, ac diaconi Carthaginenſis eccleſiæ. In quibus erat, & ex quibus ſolus eſt, nunc in rebus humanis jam epiſcopus cum honore à nobis debito nominandus Aurelius, cùm quo recordantes mirabilia opera Dei, de hac re ſæpe collocuti ſumus: eumque valde meminiſſe, quod commemoramus, invenimus. Qui cum eum ſicut ſolebant veſpere viſitarent, rogavit eos miſerabilibus lachrymis, ut mane dignarentur eſſe præſentes ſuo funeri potius quàm dolori. Tantus enim eum metus ex prioribus invaſerat pœnis, ut ſe inter medicorum manus non dubitaret eſſe moriturum. Conſolati ſunt eum illi, & hortati, ut in Deo fideret, ejusque voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingreſſi ſumus. Ubi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille ſe ita projecit tanquam fuiſſet aliquo impellente graviter proſtratus, & cœpit orare. Quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lachrymarum, quibus gemitibus atque ſingultibus ſuccutientibus omnia membra ejus, & penè intercludentibus ſpiritum, quis ullis explicet verbis? Utrum orarent alii, nec in hæc eorum averteretur, intentio, neſciebam. Ego tamen prorſus orare nil poteram, hoc tantummodo breviter in corde meo dixi: Domine, quas tuorum preces exaudis, ſi has non exaudis? Nihil enim mihi videbatur addi jam poſſe, niſi ut expiraret orando. Surreximus, & accepta ab epiſcopo benedictione diſceſſimus, rogante illo ut manè adeſſent, illisque ut æquo animo eſſet hortantibus. Illuxit dies qui metuebatur, aderant ſervi Dei, ſicut ſe affuturos eſſe promiſerant. Ingreſſi ſunt medici, parantur omnia quæ hora illa poſcebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis ſuſpenſisque omnibus. Eis autem quorum erat major autoritas, defectum animi ejus conſolando erigentibus ad manus ſecturi membra in lectulo componuntur, ſolvuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inſpicit medicus, & ſecandum illum ſinum armatus atque intentus inquirit. Scrutatur oculis, digitisque contrectat. Tentat denique modis omnibus, invenit firmiſſimam cicatricem. Jam illa lætitia & laus atque gratiarum actio miſericordi & omnipotenti Deo, quæ fuſa eſt ore omnium lachrymantibus gaudiis, non eſt committenda meis verbis: cogitetur potius quàm dicatur. In eadem Carthagine Innocentia religioſiſſima fœmina de primariis ipſius civitatis, *ε* in mamilla cancrum habebat: rem ſicut medici dicunt, *h ζ* nullis medicamentis ſanabilem. Aut ergo præſcidi ſolet, & à corpore ſeparari membrum ubi naſcitur: *i* aut ut aliquanto homo diutius vivat: nam ut inde mortem quantumlibet tardius affuturam confidamus, ſecundum *η* Hippocratis, ut fertur, ſententiam, omnis eſt omittenda curatio. Hoc illa à perito medico, & ſuæ domui familiariſſimo acceperat, & ad ſolum Deum ſe orando converterat. Admonetur in ſomnis appropinquante paſcha, *k θ* ut in parte fœminarum obſervanti ad baptiſterium, quæcunque illi baptizata primitus occurriſſet, eundem locum ſigno

ſigno Chriſti ſignaret: fecit, & confeſtim ſanitas ſecuta eſt. Medicus ſanè qui ei dixerat, ut nihil curationis adhiberet, ſi paulò diutius vellet vivere, cùm inſpexiſſet eam poſtea, & ſaniſſimam comperiſſet, quam prius habere illud malum tali inſpectione cognoverat, quæſivit ab ea vehementer, quid adhibuiſſet curationis, cupiens quantum intelligi datur noſſe medicamentum, quo Hippocratis definitio vinceretur. Cumque ab ea quid factum eſſet, audiſſet, voce velut contemnentis & vultu, ita ut illa metueret, ne aliquod contumelioſum verbum proferret in Chriſtum, religioſa urbanitate reſpondiſſe fertur: Putabam, inquit, magnum aliquid te mihi fuiſſe dicturam. Atque illa jam exhorreſcente, mox addidit: Quid grande fecit Chriſtus ſanare cancrum, qui quatriduanum mortuum ſuſcitavit? Hoc ergo cùm audiſſem & vehementer ſtomacharer, in illa civitate atque in illa perſona, non utique obſcura, factum tam ingens miraculum ſic latere, hinc eam & admonendam & penè objurgandam putavi. Quæ cùm mihi reſpondiſſet non ſe inde tacuiſſe, quæſivi ab eis, quas fortè tunc matronas amiciſſimas ſecum habebat, utrum hoc antea ſciſſent. Reſponderunt ſe omnino neſciſſe. Ecce, inquam, quomodo non taces, ut nec iſtæ audiant, quæ tibi tanta familiaritate junguntur? Et quia breviter ab ea quæſiveram, feci ut illis audientibus multumque mirantibus & glorificantibus Deum, totum ex ordine quemadmodum geſtum fuerit indicaret. *i* Medicum quendam podagricum in eadem urbe, qui cùm dediſſet nomen ad baptiſmum, & pridie quàm baptizaretur, *l* in ſomnis à pueris nigris cirratis, quos intelligebat dæmones eſſe, baptizari eodem anno prohibitus fuiſſet, eiſque non obtemperans, etiam conculcantibus pedes ejus in dolorem acerrimum, qualem nunquàm expertus eſt, iſſet, magiſque eos vincens lavacro regenerationis, ut voverat ablui non diſtuliſſet, *k* in baptiſmate ipſo non ſolùm dolore, quo ultra ſolitum cruciabatur, verumetiam podagra caruiſſe, nec amplius, cùm diu poſtea vixiſſet, pedes doluiſſe quis novit? Nos tamen novimus & pauciſſimi fratres, ad quos id potuit pervenire è vicino. *m* Quidam Curubitanus, non ſolùm à paralyſi, verumetiam ab informi pondere genitalium cum baptizaretur ſalvus effectus eſt, & liberatus utraque moleſtia, tanquam mali nihil habuiſſet in corpore, de fonte regenerationis aſcendit. Quis hoc præter Curubitanos novit, & præter rariſſimos aliquos, qui hoc ubique audire potuerunt? Nos autem cum hoc comperiſſemus, jubente ſancto epiſcopo Aurelio etiam ut veniret Carthaginem fecimus: quamvis à talibus prius audierimus, de quorum fide dubitare non poſſemus. Vir tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt, habet *n* in territorio Fuſſalenſi *o* fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & ſervorum ſuorum, domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogavit noſtros me abſente presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit ut ceſſaret illa vexatio: *λ* Deo protinus miſerante ceſſavit. Ac-

ccpe-

cœperat autem ab amico ſuo terram ſanctam de Hieroſolymis allatam, ubi ſepultus Chriſtus die tertio reſurrexit: eamque ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiam ipſe pateretur. At ubi domus ejus ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat: quam diutius in cubiculo ſuo reverentiæ cauſa habere nolebat. Fortè accidit, ut ego & collega tunc meus epiſcopus Synicenſis eccleſiæ Maximus in proximo eſſemus: ut veniremus rogavit, & venimus. Cumque nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petivit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret: ubi etiam poſſent Chriſtiani ad celebranda, quæ Dei ſunt, congregari. Non reſtitimus; factum eſt. Erat ibi juvenis paralyticus ruſticanus, qui hoc audito, petivit à parentibus ſuis, ut illum ad eum locum ſanctum non cunctanter afferrent. Quò cùm fuiſſet allatus, oravit, atque inde continuò pedibus ſuis ſalvus abſceſſit. Victoriana villa dicitur, quæ ab Hippone regio minus triginta millibus abeſt. μ Memoria martyrum ubi eſt Mediolanenſium Gervaſii & Protaſii: portatus eſt die eo quidam adoleſcens, qui cùm de medio tempore æſtatis equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi cùm jaceret vel morti proximus, vel ſimillimus mortuo, ad veſpertinos illuc hymnos & orationes cum ancillis ſuis, & quibusdam ſanctimonialibus ex more domina poſſeſſionis intravit: atque hymnos cantare cœperunt. Qua voce ille quaſi percuſſus excuſſus eſt: & cum terribili fremitu altare apprehenſum movere non audens, ſive non valens, tanquam eò fuerit alligatus, aut fixus tenebat; & cum grandi ejulatu parci ſibi rogans, confitebatur ubi adoleſcentem, & quando & quomodo invaſerit. Poſtremò ſe exiturum eſſe denuncians, membra ejus ſingula nominabat, quæ ſe amputaturum exiens minabatur: atque inter hæc verba diſceſſit ab homine. Sed oculus ejus in maxillam fuſus, tenui venula ab interiore quaſi radice pendebat, totumque ejus medium quod nigellum fuerat, albicabat. Quo viſo, qui aderant, concurrerant autem etiam alii, vocibus ejus acciti: & ſe omnes in orationem pro illo ſteterunt: quamvis eum ſana mente ſtare gauderent: rurſus tamen propter oculum ejus contriſtati, medicum quærendum eſſe, dicebant. Ibi maritus ſororis ejus, qui eum illò detulerat: Potens eſt, inquit, Deus ſanctorum orationibus, qui fugavit dæmonem, lumen ei reddere. Tunc ſicut potuit oculum lapſum atque pendentem, loco ſuo revocatum, *p v* ligavit oratio: nec niſi poſt ſeptem dies putavit eſſe ſolvendum. Quod cùm feciſſet, ſaniſſimum invenit. Sanati ſunt illic & alii: de quibus dicere longum eſt. Hipponenſem ξ quandam virginem ſcio, cùm ſe oleo perunxiſſet, cui pro illa orans presbyter inſtillaverat lacrymas ſuas, mox à dæmonio fuiſſe ſanatam. Scio etiam Epiſcopum ſemel pro adoleſcente, quem non vidit *q* oraſſe: illumque illico dæmone caruiſſe. Erat quidam ſenex Florentius Hipponenſis noſter, homo religioſus & pauper, qui ſartoris ſe arte paſcebat, caſulam perdiderat, & unde ſibi emeret, non habebat: ad viginti martyres, quorum memoria apud nos eſt celeberrima, clara voce, ut veſtiretur, oravit. Audierunt eum adoleſcentes, qui

forte aderant irriſores: eumque diſcedentem exagitantes, proſequebantur: quaſi à martyribus *o* quinquagenos *r* folles, unde veſtimentum emeret, petiviſſet. At ille tacitus ambulans, ejectum grandem piſcem palpitantem vidit in littore, eumque illis faventibus atque juvantibus apprehendit, & quidem coquo Carchoſo nomine, benè Chriſtiano, ad coquinam conditoriam, indicans, quid geſtum ſit, trecentis follibus vendidit, lanam comparare inde diſponens, ut uxor ejus quomodo poſſet ei, quo indueretur, efficeret. Sed coquus conſcidens piſcem, annulum aureum in ventriculo ejus invenit, moxque miſeratione flexus, & religione perterritus, homini eum reddidit, dicens: Ecce, quomodo viginti martyres te veſtierunt? Ad aquas Tibilitanas *ſ π* Epiſcopo afferente Projecto reliquias martyris glorioſiſſimi Stephani, ad ejus memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus. Ibi cœca mulier, ut ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, oravit: flores, quos ferebat, dedit: recepit, oculis admovit, protinus vidit. Stupentibus, qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem ulterius non requirens. Memorati memoriam martyris, quæ poſita eſt *t* in caſtello Synicenſi, quod Hipponenſi coloniæ vicinum eſt, ejuſdem loci Lucillus Epiſcopus, populo præcedente atque ſequente portabat: fiſtula, cujus moleſtia jamdiu laboraverat, & familiariſſimi ſui medici, qui eam ſecaret, operiebatur manus, illius piæ ſarcinæ vectatione, *u* repente ſanata eſt. Nam deinceps eam in ſuo corpore non invenit. Eucharius præsbyter ex Hiſpania, *x* Calamæ habitans, veteri morbo calculi laborabat, per *y* memoriam ſupradicti martyris, quam Poſſidius illò advexit Epiſcopus, ſalvus factus eſt. Idem ipſe poſtea morbo alio prævaleſcente, mortuus ſic jacebat, ut ei jam pollices ligarentur, opitulatione memorati martyris, cùm de memoria ejus reportata fuiſſet, & ſuper jacentis corpus miſſa ipſius præsbyteri tunica, ſuſcitatus eſt. Fuit ibi vir in ordine ſuo primarius, nomine Martialis, ævo jam gravis, & multum à religione abhorrens Chriſtiana. Habebat ſanè fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum. Qui cùm ægrotantem multis & magnis precibus & lacrymis rogarent, ut Chriſtianus fieret, prorſus abnuit: eoſque à ſe turbida indignatione ſubmovit. Viſum eſt genero ejus, ut iret ad memoriam ſancti Stephani, & illic pro eo, quantum poſſet, oraret, ut Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & ſynceriter ardente pietatis affectu: deinde abſcedens, aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit: eique cùm jam nox eſſet, ad caput poſuit. Tunc dormitum eſt: & ecce ante diluculum clamat, ut ad Epiſcopum curreretur, qui mecum fortè tunc erat apud Hipponem. Cùm verò audiſſet eum abſentem, venire præsbyteros poſtulavit. Venerunt, & ſtatim ſe credere dixit: admirantibus atque gaudentibus omnibus, baptizatus eſt. Hoc quamdiu vixit, in ore habebat: Chriſte, accipe ſpiritum meum: cùm hæc verba beatiſſimi Stephani, quando lapidatus eſt à Judæis, ultima fuiſſe neſciret: quæ huic quoque ultima fuerunt. Nam non multò pòſt etiam ipſe defunctus eſt. Sanati ſunt illic per eundem martyrem *z* etiam podagrici duo, unus civis, peregrinus unus: ſed civis omnimodo, pere-gri-

grinus autem per revelationem quid adhiberet, quando doleret, audivi: & cùm hoc feciſſet, dolor continuò conquievit. Audurus nomen eſt fundi, ubi Eccleſia eſt, & in ea memoria Stephani martyris. Puerum quendam parvulum, quum in area luderet, exorbitantes boves, qui vehiculum trahebant, rota obtriverunt, & confeſtim palpitavit expirans. Hunc mater arreptum ad eandem memoriam poſuit: & non ſolùm revixit, verùm etiam illæſus apparuit. Sanctimonialis quædam in vicina poſſeſſione, quæ Caſpiliana dicitur, quum ægritudine laboraret ac deſperaret, ad eandem memoriam tunica ejus allata eſt: quæ antequam revocaretur, illa defuncta eſt. Hac tamen tunica operuerunt cadaver ejus parentes, & recepto ſpiritu, ſalva facta eſt. Apud Hipponem Baſſus quidam Syrus ad memoriam ejusdem martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eoque ſecum veſtem ejus detulerat: quum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed quum orante illo, ab amicis ejus exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui quum domum rediſſet, jam ſuorum ejulatibus perſonantem, & veſtem filiæ, quam ferebat, ſuper eam projeciſſet, reddita eſt vitæ. Rurſus ibidem apud nos Irenæi ϱ cujusdam collectarii filius, ægritudine extinctus eſt. Quumque corpus jaceret exanime, atque aliis gementibus & plangentibus, exequiæ pararentur, amicorum ejus quidam inter aliorum conſolantium verba ſuggeſſit, ut ejusdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt, & revixit. Itemque apud nos vir tribunitius Eleuſinus ſuper memoriam martyris, quæ in ſuburbano ejus eſt, ægritudine exanimatum poſuit infantulum filium ſuum: & poſt orationem, quam cum multis lachrymis ibi fudit, viventem levavit. Quid faciam? Urget hujus operis implendi promiſſio, ut non hic poſſim omnia commemorare, quæ ſcio: & procul dubio plerique noſtrorum, quum hæc legent, dolebunt me tam multa prætermiſiſſe, quæ utique mecum ſciunt. Quos jam nunc, ut ignoſcant, rogo: & cogitent, quàm prolixi laboris ſit facere, quod me hic non facere ſuſcepti operis neceſſitas cogit. Si enim miracula ſanitatum, ut alia taceam, modò velim ſcribere, quæ per hunc martyrem, id eſt, glorioſiſſimum Stephanum facta ſunt in colonia Calamenſi, & in noſtra, plurimi conficiendi ſunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt: ſed tantùm de quibus libelli dati ſunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, quum videremus antiquis ſimilia divinarum ſigna virtutum, etiam noſtris temporibus frequentari: & ea non debere multorum notitiæ deperire. Nondum eſt autem biennium, ex quo apud Hipponem regium cœpit eſſe iſta memoria, & multis, quod nobis certiſſimum eſt, σ non datis libellis, de iis, quæ mirabiliter facta ſunt, illi ipſi, qui dati ſunt ad ſeptuaginta fermè numerum pervenerant, quando iſta conſcripſi. Calamæ verò, ubi & ipſa memoria prius eſſe cœpit, & crebrius dantur, incomparabili multitudine ſuperant. Uzali etiam, quæ colonia Uticæ vicina eſt, multa præclara per eundem martyrem facta cognovimus: cujus ibi memoria longè prius quàm apud nos τ ab Epiſcopo Evodio conſtituta eſt. Sed libellorum dandorum ibi conſuetudo non eſt, vel potius non fuit: nam fortaſſe nunc eſſe jam cœpit. Quum enim

nuper illic eſſemus , Petroniam clariſſimam fœminam, quæ mirabiliter ex magno atque diuturno, in quo medicorum adjutoria cuncta defecerant, languore ſanata eſt: hortati ſumus volente ſupradicti loci Epiſcopo, ut libellum daret, qui recitaretur in populo, & obedientiſſimè paruit. In quo poſuit etiam, quòd hic reticere non poſſum, quamvis ad ea, quæ hoc opus urgent, feſtinare compellat. A quodam Judæo dicit, ſibi fuiſſe perſuaſum, ut annulum capillatio cingulo insereret, quo ſub omni veſte ad nuda corporis cingeretur: qui annulus haberet ſub gemma *b* lapidem in renibus inventum bovis, hoc alligata quaſi remedio, ad ſanctis martyris limina veniebat. Sed profecta à Carthagine, quum *c* in conſilio fluminis Bagradæ in ſua poſſeſſione manſiſſet, ſurgens ut iter perageret, ante pedes ſuos illum jacentem annulum vidit, & capillatiam zonam, qua fuerat alligatus, mirata tentavit, quam cum omninò ſuis nodis firmiſſimis, ſicut fuerat, comperiſſet aſtrictam, crepuiſſe atque exiliſſe annulum ſuſpicata eſt: qui etiam ipſe quum integerrimus fuiſſet inventus, futuræ ſalutis quodammodo pignus de tanto miraculo ſe accepiſſe præſumpſit, atque illud vinculum ſolvens, ſimul cum eodem annulo projecit in flumen. Non credunt hoc, qui etiam Dominum Jeſum per integra virginalia matris enixum, & ad diſcipulos oſtiis clauſis ingreſſum fuiſſe non credunt. Sed hoc certè quærant, & ſi verum invenerint, illa credant. Clariſſima fœmina eſt, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat: ampla civitas, ampla perſona, rem quærentes latere non ſinunt. Martyr certè ipſe, quo impetrante illa ſanata eſt, *v* in filium permanentis virginis credidit, in eum, qui oſtiis clauſis ad diſcipulos ingreſſus eſt, credidit. Poſtremò, propter quod omnia iſta dicuntur à nobis in eum, qui aſcendit in cœlum cum carne, in qua reſurrexerat, credidit: & ideò per eum tanta fiunt, quia pro iſta fide animam poſuit ſuam. Fiunt ergò etiam nunc multa miracula: eodem Deo faciente per quos vult, & quemadmodum vult, qui & illa, quæ legimus, fecit: ſed iſta nec ſimiliter innoteſcunt, neque ut non excidant animo, *d* quaſi glarea memoriæ crebra lectione tunduntur. Nam & ubi diligentia eſt, quæ nunc apud nos eſſe cœpit, ut libelli eorum, qui beneficia præcipiunt, recitentur in populo, ſemel hoc audiunt, qui adſunt, pluresque non adſunt: ut nec illi, qui affuerunt, poſt aliquot dies, quod audierunt, mente retineant, & vix quiſquam reperiatur illorum, qui ei, quem non affuiſſe cognoverit, indicet, quod audivit. Unum eſt, quod apud nos factum, non majus quàm illa, quæ dixi: ſed tam clarum atque illuſtre miraculum, ut nullum arbitror eſſe Hipponenſium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit: nullum, qui obliviſci ulla ratione potuerit. Decem quidam fratres fuerunt, quorum ſeptem ſunt mares, tres fœminæ, *e* de Cæſarea Cappadociæ ſuorum civium non ignobiles: *f* maledicto matris recenti patris eorum obitu deſtitutæ, quæ injuriam ſibi ab eis factam acerbiſſimè tulit, tali pœna ſunt divinitus coerciti, ut horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum, in qua fœdiſſima ſpecie oculos ſuorum civium non ferentes, quaquaverſum cuique ire viſum eſt, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & ſoror. Paulus & Palladia, multis aliis locis miſeria diffaman-

mante jam cogniti. Venerunt autem ante paſcha fermè dies quindecim, *g* Eccleſiam quotidiè, & in ea memoriam glorioſiſſimi Stephani frequentabant, orantes, ut jam ſibi placaretur Deus, & ſalutem priſtinam redderet. Et illic, & quacũnque ibant, convertebant in ſe civitatis aſpectum. Nonnulli qui eos alibi viderant, cauſamque tremoris eorum noverant, aliis ut cuique poterant, indicabant. Venit & paſcha, atque ipſo die Dominico manè, quum jam frequens populus præſens eſſet, & loci ſancti cancellos, *h* ubi martyrium erat, idem juvenis orans teneret, repente proſtratus eſt, & dormienti ſimillimus jacuit: non tamen tremens: ſicut etiam per ſomnium ſolebat: ſtupentibus qui aderant, atque aliis paventibus, aliis dolentibus, quum eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, ſed potius exitum expectandum eſſe dixerunt. Et ecce ſurrexit, & non tremebat, quoniam ſanatus erat, ſtabat incolumis, intuens intuentes. Quis ergò intuentium ſe tenuit à laudibus Dei? Clamantium, gratulantiumque vocibus Eccleſia uſquequaque completa eſt. Inde ad me curritur, ubi ſedebam jam proceſſurus: irruit alter quisque poſt alterum, omnis poſterior, quaſi novum, quod alius prior dixerat nunciantes. Meque gaudente, & apud me gratias Deo agente, ingreditur etiam ipſe cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad oſculum meum. Procedimus ad populum, plena erat Eccleſia, perſonabat vocibus gaudiorum: Deo gratias, Deo laudes, nemine tacente, hinc atque inde clamantium, Salutavi populum, & rurſus eadem ferventiore voce clamabant. Facto tandem ſilentio, ſcripturarum divinarum ſunt lecta ſolennia. Ubi autem ventum eſt ad mei ſermonis locum, dixi pauca, pro tempore, & pro illius jucunditate lætitiæ. Magis enim eos in opere divino, quandam Dei eloquentiam non audire, ſed conſiderare permiſit. Nobiscum homo prandit, & diligenter nobis omnem ſuæ ac maternæ fraternæque calamitatis indicavit hiſtoriam, ſequenti itaque die poſt ſermonem redditum, narrationis ejus libellum in craſtinum populo recitandum promiſi, quod quum ex Dominico paſchæ die tertio fieret *i* in gradibus exedræ, in qua de ſuperiore loquebar loco, feci ſtare ambos fratres, quum eorum legeretur libellus. Intuebatur populus univerſus, ſexus utriusque unum ſtantem ſine deformi motu: alteram membris omnibus contrementem. Et qui ipſum non viderant, quid in eo divinæ miſericordiæ factum eſſet, in ejus ſorore cernebant. Videbant enim, quid in eo gratulandum, quid pro illa eſſet orandum. Inter hæc recitato eorum libello, de conſpectu populi abire eos præcepi: & de tota ipſa cauſa aliquanto diligentius cœperam diſputare, cùm ecce me diſputante, voces aliæ de memoria martyris novæ gratulationis audiuntur. Converſi ſunt eò, qui me audiebant, cœperuntque concurrere. Illa enim, ubi de gradibus deſcendit, in quibus ſteterat, ad ſanctum martyrem orare perrexerat. Quæ mox ut cancellos attigit, collapſa ſimiliter velut ad ſomnum ſana ſurrexit. Dum ergò requireremus, quid factum fuerit, unde iſte ſtrepitus lætus extiterit, ingreſſi ſunt cum illa in baſilicam, ubi eramus adducentes eam ſanam de martyris loco. Tum verò tantus ab utroque ſexu admirationis clamor exortus eſt, ut vox continuata cum lachrymis non

videretur poſſe finiri. Perducta eſt ad eum locum, ubi paulò antè ſteterat tremens. Exultabant eam ſimilem fratri factam, cui doluerant remanſiſſe diſſimilem. Et nondum fuſas preces ſuas pro illa, jam tamen præviam voluntatem tam citò exauditam eſſe cernebant. Exultabant in Dei laudem *k* voces, ſine verbis tanto ſonitu, quantum aures noſtræ ferre vix poſſent. Quid erat in cordibus exultantium, niſi fides Chriſti, pro qua Stephani ſanguis effuſus eſt?

L.Vivu. *a* MAgnum eſt ipſe prod.] *Tanquam rara admodum res, & à moribus ſenſuq; cæterorum diſcrepans.*

b Quem diffamatum.] *Alibi, diffinitum: ut tanta autoritas multitudine non vileſceret, aut copia, neve pro ſuo quiſque arbitrio adjungeret, quæ fuiſſet libitum rebus primæ autoritatis & fidei: & ut certum ac ſtatum haberent Chriſtiani, quid eſſent habituri fidei inconcuſſæ.*

c Martyrum Protaſij.] *Hi filii fuerunt Vitalis equitis Rom. martyris, & Valeriæ. Corpora eorum Mediolano translata ſunt Briſacum Germaniæ à Friderico primo.*

d Epiſcopo Ambroſio.] *Antiſtite Mediolanen. omnibus ſanctitate & ſcriptis noto.*

e Exadvocato.] *Qui advocatus fuerat. Sic hoc dicitur, ut exquæſtor, & exconſul, pro quæſtorius, & conſularis: quæ nomina ſunt illa ætate nata.*

f Ammonium.] *Non eſt hic celebris ille philoſophiæ Platonicæ & Peripateticæ magiſter, qui etiam Origenem docuit, nam is ad hæc tempora non potuit perveniſſe, neſcio an ſit Ægyptius, Joannis grammatici præceptor.*

g Vzalenſis.] *Plinius lib. 5. in Africa minore Vzalitanum ponit oppidum. Et Ptolem. ὀσύλλας minori Syrti proximam. Sed Auguſtin. Vzali Uticæ vicinam dicit, quæ procul abeſt à Syrtibus.*

h Rem ſicut medici dicunt.] *Ut Galenus & Avicenna rationem curæ tradunt: ſed cum nondum eſt confirmatus & perfectus cancer: nam tunc revelli nequit, tantum leniri. Celſus tres hujus morbi ſpecies enumerat lib. 5. Cacoethes cujus ulcus eſt quidem preſſum, ſed vicina intumeſcunt: ſecundum ſine ulcere: tertium thymium vocant: gignitur ex atra bili aduſta vi flavæ.*

Idem legit Villorianum. *i* Aut ut aliquando homo quietius vivat.] *In lib. Brugen. Carmelitano ſic: Aut ut aliquanto diutius homo vivat, tamen inde mortem quamlibet tardius affuturam. In hoc capite non dubium, quin multa ſint addita velut declarandi gratia, ab iis, qui omnia magnorum autorum ſcripta ſpurcis ſuis manibus contaminabant, quorum alia reſecabo, alia more meo contentus ero velut digito indicaſſe.*

k Obſervanti ad baptiſterium.] *An legendum, obſervante ad baptiſterium. A paſchate ad pentecoſten olim baptizabantur jam firmi & potentes, quod adhuc oſtendit conſuetudo noſtra eccleſiæ, in qua per id tempus tam frequens fit de aquis mentio, & de baptiſmate.*

Cirri. *l* A pueris nigris curat.] *In codice Brugenſi legitur cirratis. Cirros, capitis crines interpretatur. Nonius Marc. Cato de liberis educandis: Cirros ad Apollinem ponere ſolent. Sic & Perſius: Ten', cirratorum centum dictata fuiſſe, Pro nihilo ducat? Loquitur de crinitis pueris Romanis.*

m Qui-

m Quidam Curubitanus.] *Eſt Curubis in Africa urbs libera, in Mercurii promontorio, ultra Carthaginem. Plin. lib. 4. Idem Ptolemaus, qui eam κυροβιν vocat.* Curubis.

n In territorio Fuſſallen.] *Neſcio an Uſſylen, ab Uſſyla, de qua dixi.*

o Fundum Cubedi.] *Aliàs Zubedi.*

p Ligavit oratio.] *Legendum orario: quaſi ſtola ſacerdotali: quo vocabulo utuntur ſacri ſcriptores illius ævi, Hieronymus & Ambroſius. Poteſt etiam ſumi pro mantili & ſudario.* Orarium.

q Quem à dæmonio correptum vidit.] *In aliis libris ſic: pro adoleſcente, quem non vidit oraſſe.*

r Quinquagenos folles.] *Fefellerat me hoc loco Philippus Beroaldus, cujus diligentiæ fidebam: reduxit in viam Andreas Alciatus cujus annotationem ad verbum ſubſcribam: Phollis, inquit, ſub Theodoſio juniore tributum mulorum ab eo inſtitutum Conſtantinopoli, quod bis ſibi in bello opus eſſe diceret. Phollis autem aliud tributi genus eſt, quod nobiliores quiq. civitatis pendebant, prout ſecundum habitationes fuerant comprehenſi: ut nobilitas, quæ ad bonam fortunam illos perducere debuerit, hoc incommodi ſecum afferret: primo quidem tributo auri libræ octo, ſecundo quatuor, tertio duæ pendebantur. Et ut ait Heſychius illuſtris philoſophus in 6. hiſtoria de temporum diviſione: Phollis pondus eſt, alio nomine dicta balantium: trahit autem donos ducentos quinquaginta: hoc eſt libras cccxij. & uncias vj. ſinguli verò doni libram, unam uncias xij. comprehendebant. Eſt & alius phollis coactus ex argenteis leptis, qui militibus, quos militarios vocabant, dabatur. Lepti autem ceracion unum cum dimidio continent. Ita phollis iſte argenti ceratia ccviij. habet, & numos ix. quæ ſumma nunc valet millia cix. Eſt & alius phollis, à duabus auri libris incipiens & usque ad octo procedens, prout ſolventium tributa ſubſtantiæ patiebantur. Hæc ille interpres. Verùm Suidas Phollis, inquit, maſculini generis, eſt obolus. Idem in dictione cermata κέρματα 200. & 10. oboli, quos pholeis vocant: & hoc ſenſu ab Auguſt. de civit. Dei ult lib. capitur: tametſi Beroaldus in Apul pholles legerit, cùm ea vox nunquam pro pecunia accipiatur. Hæc Alciatus, cui bene monenti maximam habeo gratiam.* Phollis.

ſ Epiſcopo Projecto.] *In aliis libris ſic legitur: Epiſcopo afferente Projecto martyris glorioſiſſ. Stephani memoriam. Nec eſt paulò pòſt, Pignora ſacra.*

t In caſtello Synicenſi, quod Hipponen. coloniæ.] *Ptolemaus prope Hipponem Diarrhitum Thiniſſam ponit. Forſan de hac Auguſt. loquitur: & eadem eſt quæ apud Plinium corruptè legitur, & Tiſicenſis, & Tiricenſis lib. 5. An potius legendum Siticenſi, Sitici enim populi ſunt Mauritaniæ Cæſarienſis.*

u Ubi ſanctas attigit reliq.] *Hæc quatuor verba in antiquis non leguntur libris.*

x Calamæ habitans.] *Calama civitas eſt Africæ minoris, colonia po. Ro. Calamos verò Syriæ Phœnicis eſt Plin.* Calama.

y Memoria ſupradicti martyris.] *Paulus Oroſius reliquias beati Stephani Hieroſolyma Romam attulit, autore Gennadio.*

z Etiam tres, podagrici, duo cives.] *Alibi ſic: Podagrici duo, unus civis, peregrinus unus, ſed civis.*

a Cujus

Collecta-rius. *a* Cujuſdam collectarii.] *Collectarium vocat, qui pecuniam principis, aut reip. nomine colligebat, quem veteres coactorem ſoliti erant nominare, ut apud Ciceronem pro Cluentio: & coactio argentaria apud Tranquillum, ubi deinde venia & miſſione impetrata, coactiones argentarias factitavit.*

b Lapidem in renibus.] *De hoc renum lapide nihil: de alio, quem in capite habet, legi apud Plinium lib. 30. Bovis, inquit, capiti lapillum tradunt ineſſe, quem ab eo expui, ſi necem timeat: inopinatis præciſo capite exemptum, alligatumque mire prodeſſe dentitioni. & tamen in renibus bovis gigni lapidem, facilius eſt quam in humanis, propter ſanguinem, humoresque craſſos & multos, caloremque non parvum.*

c In confinio fluminis Bagradæ.] *Hic ex Mapſaro monte Libiæ interioris Ptolemæo ortus, latiſſimam Africam rigat, etſi in tabula à Garamantibus uſque eum deducit. Interfluit Uticam, & ibi mari noſtro conjungitur. Strabo.*

d Quaſi clara memoriæ crebra lectione tenduntur.] *In codice divi Donatiani ſic ſcribitur: quaſi glarea memoria crebra lectione tunduntur. Translationem eſſe puto à loco lubrico, & re fluxa, quæ glarea, hoc eſt arena interſpargebatur, quò aſperior facta, ſeu veſtigium facilius ferret, ſeu prehenſionem, ſic ubi futurum eſt equeſtre certamen, is locus arena completur, & locis conglaciatis ſpargitur, & olim athletis poſt unctionem, ne prorſus inter colluctantium elaberentur manus. Ita Ovid. verbis Acheloi, cum quo lucta eſt Hercules congreſſus, nono Transfor.*

> *Ille cavis hauſto ſpargit me pulvere palmis,*
> *Inque vicem fulvæ tactu flaveſcit arena.*

Cappa-docia. *e* De Cæſarea Cappadociæ.] *Cappadocia eſt in Aſia minore, Galatas & Paphlagonas ab occaſu attingens, ab oriente vero minorem Armeniam, multa in Arctum ad Euxinum pontum patet, quanquam hos Calybes Mela nominat, alii Cappadoces ad Thermodoontem fluvium. Vocata eſt Cappadocia ab amne inter Galatiam & Cappadociam defluente, ut inquit Plin. Nam antea Leucoſyri, hoc eſt, albi Syri dicebantur, comparatione eorum, qui intra Taurum habitant, ſicut Strabo dicit, qui aduſto ſunt colore. Olim Cappadoces, Syros eſſe dictos, Herodotus & Plutarchus oſtendunt, à Syro Apollinis & Synopes filio, unde & Synope urbs Cynici Diogenis patria. Porrò in* Cæſarea. *Cappadocia fuerunt urbes, inter cæteras Diocæſarea, & Neocæſarea, quem alluebat Lycus amnis, & Cæſarea ſub Argeo monte, quæ prius Mazaca dicebatur, ut teſtantur Plinius, Solinus, Ptolemæus, Ammianus. Sextus Rufus Cæſaream nominatam in Auguſti honorem putat. Euſebius vero Archelao pulſo, inquit, Tiberius Cappadociam in provinciæ formam redegit, & Mazacam nominavit Cæſaream. Fieri poteſt, ut in Patris Auguſti memoriam Solinus & Martianus Capella Mazacam urbium matrem à Cappadocibus vocitari ſolitam referunt. Strabo Euſebiam nuncupatam ſcribit Mazacam, quam ipſe Ciliciæ metropolim ſtatuit. Porrò Cæſarea celeres illos gigni equos, Claudianus ſignificat, cum Argæum parentem nominat volucrum equorum: huic Baſilium Magnum debemus.*

f Maledicto matris.] *Parentum execrationem magnopere metuere debent filii. Multa hujusce rei leguntur horribilia exempla.*

g Et Eccleſiam quotidie.] *In aliis ſic: Eccleſiam quotidie, & in ea memoriam glorio-*

glorioſiſſimi Stephani frequentabant. Feſſus tam ſum tam minuta annotando, quæ non dubito eſſe à ſciolo quopiam ſic mutata, dum putat lucem afferre.

h Ubi martyrium erat.] *Videtur poſuiſſe martyrium pro loco ubi conditus eſt, vel ubi colitur martyr: ſimilitudine figuræ Græcæ.*

i In gradibus exedræ.] *Exedra locus eſt, in quo multæ ſunt ſedes. Erant in Græcia crebræ in gymnaſiis, præſertim ubi philoſophi diſputabant. Vitruvius libro quinto: Conſtituantur exedræ ſpatioſæ, habentes ſedes, in quibus philoſophi rhetoreſque ac reliqui, qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint. Miror cur in ædificiis Italicis negarit eſſe exedras, cùm Cicero & Craſſum oratorem in Tuſculano, & Cottam pontificem Romæ exedras habuiſſe ſcribat. Sunt exedræ in templis, quem vulgo chorum vocant, de quis hic Auguſtinus: & in periſtiliis monachorum aut canonicorum, quæ capitula, ut Budæus noſter in Pandectis annotavit.* Exedra.

k Voces ſine verbis tanto ſonitu.] *Doctè expreſſit verba tantum eſſe articulata & diſtincta; voces quoſvis ſonos dici, ſicut Donatus explicat, adducens illud Vergilii:*

Fractasq; ad littora voces.

Ubi voces non modo ſonitum animalis ore editum poeta vocat, ſed ſtrepitum undarum littoribus illiſarum.

α CUr (inquiunt) nunc illis miracula.] *Eidem objectioni reſpondet l. de util. credendi c. 16. l. de vera religione c. 25. Idem Michael Medina l. de rectâ in Deũ fide c. 8. Chryſoſt. homil. 33. in Matth. cur miracula ceſſarint præter Auguſtinum aliam cauſam adfert, his verbis;* ſed ſigna forſitan quæritis, quæ Apoſtoli faciebant, velletis videre mundari leproſos, dæmoniacos curari, defunctos è ſepulchro exilire: ſed maximum vobiſcum & ardens illud charitatis ſignum etſi abſque pignoribus Deo firmiter credatis, *& Ambroſius cap. 12. ad Corinthios.* Inter initia fieri oportuit miracula, ut fundamenta fidei acciperent firmitatem. Nunc autem non opus eſt, quia populus populum adducit ad fidem, cum videntur eorum bona opera & prædicatio ſimplex. P. L. Cog.

β Miraculum, quod Mediolani factum eſt.] *Lib. 1. retract. cap. 13. meminit illius miraculi, & quod ſcripſerat lib. de vera religion. cap. 25.* nec miracula illa in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne anima ſemper viſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum novitate flagravit, *ita interpretatur.* Non enim nunc uſque cum manus imponitur baptizatis ſic accipiunt Spiritum ſanctum, ut loquantur linguis omnium gentium; aut nunc uſque ad umbram tranſeuntium prædicatorum Chriſti ſanantur infirmi, & ſi qua talia tunc facta ſunt, quæ poſtea ceſſaſſe manifeſtum eſt: ſed non ſic accipiendum eſt quod dixi, ut nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur. Nam & ego ipſe, quando iſtum librum ſcripſi, ad Mediolanenſium corpora martyrum in eadem civitate cæcum illuminatum noverim.

γ Epiſcopo Ambroſio per ſomnium revelata reperta ſunt.] *Meminit & lib. 9. confeſſion. cap. 7. lib. de unit. Eccleſ. cap. 19. & ſermo. de diverſ. 39. D. Ambroſius epiſt. 85. quæ eſt ad ſororem & ſermo. 91. Sidonius Apollinaris lib. 7. epiſt. 1. Gregorius Turonenſis lib. 1. miracul. cap. 47.*

δ Viſitabant eum quotidie ſancti viri.] *Infirmorum viſitationem fidelibus antiquitus in more fuiſſe conſtat ex Tertulliano lib. de cultu fœmin. cap. 11. & lib. 2. ad uxorem cap. 4. & ex Jacobi epiſt. cap. 5.* ſi quis infirmatur in vobis, inducat presbyteros & orabunt pro eo.

ε In mammilla cancrum habebat.] *Scribit Galenus lib. 2.* περὶ τῶν πρὸς Γλαύκωνα θεραπευτικῶν, *cap. 10. cancroſos tumores in omnibus quidem partibus corporis fieri conſueviſſe, ſed in mammillis præſertim mulierum, quæ purgationem ſecundum naturam non habent; generari item ex melancholica ſuperfluvitate, quæ ubi univerſe diffunditur elephantiaſim creat, ubi in parte quapiam conſiſtit, cancrum.*

ζ Nullis medicamentis ſanabilem.] *Quod intelligendum eſt cum invaluerit & perfectus fuerit. Ita enim ſcribit Galenus loco citato.* τοῦτο τὸ πάθος ἀρχόμενον μὲν ἰασάμεθα πολλάκις, εἰς μέγεθος δὲ ἀξιόλογον ἀρθὲν, ἄνευ χειρουργίας οὐδεὶς ἰάσατο. *Ibidem,* ἀρχόμενον γέννασθαι ἰασάμεθα πολλάκις τὸ πάθος τοῦτο, καὶ μάλιστ' ὅταν ὁ μελαγχολικὸς χυμὸς φαίνηται μὴ πάνυ παχὸς ὑπάρχων, ὑπακούει γὰρ οὗτος τοῖς καθαίρουσι φαρμάκοις ἑτοίμως, δι' ὧν ἡ θεραπεία γίνεται. πρόδηλον δὲ ὅτι μελάνων εἶναι χρὴ κενωτικὰ τὰ διδόμενα φάρμακα καὶ τοῦτο συνεχῶς ποιητέον ἄχρις ἂν εἰ τὸ κατὰ φύσιν ἀκριβῶς ἐπανέλθοι τὸ μέτρον οὔσης καὶ τῆς διαίτης εὐχύμου.

η Secundum Hipocratis ſententiam. *Sect. 6. aphori. 3.* ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον, θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως, μὴ θεραπευόμενοι καὶ πολὺν χρόνον διατελοῦσιν.

θ Appropinquante Paſcha ut in parte fœminarum.] *Tempora antiquitus baptiſmo præſcripta extra neceſſitatem fuiſſe Paſcha & Pentecoſtem conſtat ex Tertulliano lib. de baptiſ. cap. 19.* diem, *inquit,* baptiſmo ſolenniorem Paſcha præſtat, cum & paſſio Domini, in qua tingimur, adimpleta eſt, Exinde Pentecoſte. *i. ut loquitur lib. de coro. militis caput 3.* (à die Paſchæ usque ad Pentecoſtem) ordinantis lavacris lætiſſimum ſpatium eſt: quo & Domini reſurrectio inter diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus ſancti, dedicata. *Conſentiunt Tertulliano Ambroſius lib. de myſteriis Paſchæ, & Baſilius homil. exhortat. ad ſacrum baptiſma. Nicephorus lib. 13. eccleſiaſt. hiſtor. cap. 19. Leo primus epiſt. 4. ad epiſcopos Siciliæ. Plura decreta extant apud Gratianum de conſecrat. diſtinct. 4. cap. non ſine ratione cap. duo tempora cap. venerabilis, & cap. baptizandi & ante baptiſmum recitabantur nomina baptizandorum, quorum maſculi ſtabant ad dexteram, fœminæ ad ſiniſtram, quam partem fœminarum hic D. Auguſtinus appellat.*

ι Qui cum dediſſet nomen ad baptiſmum.] *Baptizandis erat mos nomen ſuum dare. Citatur à Burchardo lib. 3. decretor. caput 1. decretum cujusdam concilii Carthaginenſis can. 85.* baptizandi nomen ſuum dent: *deſcriptionis nominum & baptizandi & ſuſceptoris ſit mentio apud Dionyſium hierarch. Eccleſ. cap. 2. quo pertinet & illud Auguſtini lib. de cura pro mortuis agenda,* dedit nomen inter alios competentes, *& epiſt. 155.* te nomen dediſſe inter competentes, vel daturum eſſe jam, jamque cognoſcere. *Clemens Roman. epiſt. 3.* accedat qui baptiſmum vult, ad ſacerdotem, & nomen ſuum det.

κ In baptiſmate ipſo non ſolum dolore, quo ultra ſolitum.] *Sic licet Baptiſmus*

ſmus non ſit inſtitutus niſi ad ſalutem animæ conferendam, ſæpe tamen accidit, ut & corpori ſanitatem Deo ita miſericorditer & miraculoſe operante contulerit, ut conſtat non modo hic ex Auguſtino, verum & ex aliis hiſtoriis paſſim. Nota eſt hiſtoria Conſtantini Magni, qui cum lepra laboraret, egreſſus eſt è lavacro baptiſmi totus ſalvus & incolumis perinde atque carne recenti indutus. Nicephorus lib. 7. cap. 33.

λ Deo protinus miſerante ceſſavit.] *[Inter cætera remedia, valere plurimum contra infeſtationem dæmonum ipſum ſacrificium miſſæ conſtat ex hoc loco D. Auguſtini. Vide & aliis authoritatibus id confirmatum à Martyno Delrio diſquiſit. magica lib. 6. cap. 2. ſect. 3. quæſt. 3.]*

μ Memoria martyrum eſt ibi Gervaſii & Protaſii.] *Memoriæ martyrum dicebantur loca ſacra inſtituta ad martyrum reliquias honorifice conſervandas: vel etiam memoriæ martyrum erant altaria vel ſacella, quæ paſſim per agros aut vias conſtituebantur, ut conſtat ex concilio Carthagin. 5. can. 14.* placuit, ut altaria, quæ paſſim per agros aut vias tanquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt ſi fieri poteſt, evertantur. *Refertur de conſecrat. diſtinct. 1. placuit.*

ν Ligavit orario.] *Pro mantili vel ſudario ſumitur hic* orarium. *Extat eadem vox apud Ambroſ. oratione funebri de obitu Satyri fratris,* divinum illud fidelium ſacramentum ligari fecit in orario, & orariū involvit collo, atque ita ſe dejecit in mare: *& de ſanctis Gervaſio & Protaſio ſcribens,* quanta *(inquit)* oraria jactabantur, *& apud D. Hieronymum.* alioquin ridiculum & plenum dedecoris eſt, referto marſurpio, quod ſudarium, orariumque non habeas, gloriari, *quem locum citat Turnebus lib. 19. adverſar. cap. 21. Flavius Vopiſcus in Aureliano ſub finem, Ipſum primum donaſſe oraria pop. Romano, in quem locum fuſe de orario Caſaubonus ex authore etymolog. & ex Balſamone obſervat* orarium *dici,* τὸ τῦ προσώπȣ ἐκμαγεῖον, *linteum ori tergendo paratum, qua ratione Prudentius* pignus oris *vocat. poſt* optime quid ſit orarium, declarant eccleſiaſtici ſcriptores, qui in habitu ſacerdotali orarium appellarunt pannum oblongum, brachio ſacerdotis ſolitum imponi, *oraria ſunt diverſorum generum.*

ξ Quod cum feciſſet, ſaniſſimum invenit.] *Similis exſtat hiſtoria apud Evagrium lib. 4. cap. 7.* Cum *enim* Joannes Chuzibites miraculis clarus uxori cujusdam Arceſilai alterum oculum radio effoſſum audiviſſet, propere ad illam contendit plagam, quam acceperat, contemplaturus. Ubi autem vidit pupillam penitus excidiſſe, & oculum ſede dilapſum, cuidam ex medicis, qui eo commearant, mandat, ut ſpongiam afferat, oculumque dilapſum in ſedem, quam commode poſſet, inducat, & ſpongiam appoſitam faſciolis alliget, atque ita ſanata eſt, & oculus integer ſanitati reſtitutus.

ο Quinquagenos pholles.] ὀβολὺς *interpretatur Suidas in voce,* φόλλις, *& in verbo,* ὀβολῶ ὀβολοὶ δ' εἰσὶν ἃς καλῦμεν φόλλεις, *& in voce* κέρματα, δέκα καὶ διακοσίυς ὀβολὺς ἃς φόλεις καλῦμεν. *Hæc vox apud eundem Auguſtinum exſtat, & lib. 3. cont. Creſconium cap. 29.* Et de quadringentis phollibus Lucullæ clariſſimæ

Digitized by Google

fœminæ, pro quo vobis conjuraſtis, ut fieret Majorinus Epiſcopus, *& paulo poſt.* populo dedit pholles viginti, ut factus eſſet presbyter. *Apud Euſeb. lib. 10. hiſt. cap. 6. Exſtat epiſtola Conſtantini Magni ad Cæcilium Carthaginenſem epiſcopum, qua donare ſe dicit ejus eccleſiæ tria millia phollium. Plura videri poſſunt apud Epiphanium lib. de menſ. & ponder. & Alciatum in lib. 12. Cod. ſtatim initio, quæ hic repetit Vives.*

π Afferente Projecto reliquias martyris glorioſiſſimi Sephani.] *Hinc conſtat novum non eſſe in Eccleſia venerari reliquias ſanctorum, ut videre eſt præſertim apud Divum Hieronymum lib. contra Vigilantium ex inſtituto, & paſſim apud alios patres. Idem Auguſtinus epiſtol. 103. ad Quintianum, ita de reliquiis ejuſdem D. Stephani.* Portant ſane latores epiſtolæ, reliquias beatiſſimi & glorioſiſſimi martyris Stephani, quas non ignorat ſanctitas veſtra, ſicut & nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis. *Multa hic miracula refert facta ad reliquias glorioſiſſimi martyris Divi Stephani. Alia etiam refert edita ſerm. de diverſ. 31. 32. 33. & Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria martyrum caput 33. Baronius tom. 5. annalium anno Chriſti 416. Marcellinus Comes in Chronico author eſt, Oroſium presbyterum Hiſpanum miſſum ab Auguſtino ad D. Hieronymum pro diſcenda animæ ratione, reliquias B. Stephani tunc nuper inventas redeuntem primum intuliſſe Occidenti. Idem Marcellinus Comes,* Lucianus presbyter *(inquit)* vir ſanctus, cui revelavit Deus his Coſſ. Honorio XIII. & Theodoro VI. locum ſepulchri & reliquiarum corporis S. Stephani martyris, ſcripſit ipſam revelationem Græco ſermone ad omnium eccleſiarum perſonas: *de eadem inventione vide Nicephorum lib. 14. hiſtor. eccleſiaſt. cap. 8. & 9.*

ρ Cujusdam collectarii filius.] *Suidas,* κολλέκταριος, ἀργυραμοιβὸς, ἤτοι κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος, τραπεζίτης, ὁ ἀργυροπράτης, *rurſus voce* ἀργυραμοιβὸς, *hæc ſynonyma facit. Vetus interpres Horatii Satyr. 6. lib. 1. ſer. coactores, argentarios,* collectarios *nominari tradit. Cujacius ad titul. 4. lib. Diod. ad L. 3. Eos qui collectarios nummularios interpretatur citato Symmacho epiſ. 28. qui quos initio vocat* collectarios, *poſtea dicit* nummularios.

σ Non datis libellis de his, quæ mirabiliter.] *Erant libelli illi certa facti miraculi ſcriptis mandata teſtificatio.*

τ Ab Epiſcopo Evodio conſtituta eſt.] *Fuit hic clarus inter Africæ epiſcopos, ad quem exſtant litteræ D. Auguſtini, & unus ex quinque illis Epiſcopis, quorum apud Auguſtinum exſtat epiſt. 95. ad Innocentium Papam, cujus eſt & epiſtola 98. ad Auguſtinum ut 99. Auguſtini ad eundem. De miraculis, quæ fiebant apud Uzalim, ita etiam ſcribit ſermon. de diver. 33.* apud Uzalim, ubi eſt frater meus Epiſcopus Evodius, quanta ibi miracula fiant quærite & invenietis. *recitat ibidem, de matre rogante Protomartyrem pro filio abſque baptiſmo defuncto, ad gratiam baptiſmi ſuſcipiendam reſuſcitato.*

υ In filium permanentis credidit.] *Theodoretus ſer. 8.* θεραπευτ. *plura locutus de divinis muneribus & gratiis ſanitatum, quæ interventu Martyrum conſequimur,* ἥδε πάντων δύναμις *(inquit)* τὸν τούτων θεὸν ἀληθινὸν ἀποφαίνει θεόν.

CAP.

CAP. IX.

Quòd univerſa miracula, quæ per martyres in Chriſti nomine fiunt, ei fidei teſtimonium ferant, qua in Chriſtum martyres crediderunt.

CUi, niſi huic fidei atteſtantur iſta miracula, in qua prædicatur Chriſtus, reſurrexiſſe in carne, & in cœlum aſcendiſſe cum carne? nam & ipſi martyres hujus fidei martyres, id eſt, hujus fidei teſtes fuerunt, huic fidei teſtimonium perhibentes, mundum inimiciſſimum pertulerunt, eumque non repugnando, ſed moriendo vicerunt. Pro iſta fide mortui ſunt, qui hæc à Domino impetrare poſſunt, propter cujus nomen occiſi ſunt. Pro hac fide præceſſit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta iſta potentia ſequeretur. Nam ſi carnis in æternum reſurrectio vel non prævenit in Chriſto, vel non ventura eſt, ſicut prænunciatur à Chriſto, vel ſicut prænunciata eſt à Prophetis, à quibus prænunciatus eſt Chriſtus: *a* quare martyres tanta poſſunt, qui pro ea fide, qua hæc reſurrectio prædicatur, occiſi ſunt? Sive enim Deus ipſe per ſeipſum miro modo, quo res temporales operatur æternus, ſive per ſuos miniſtros iſta faciat: & eadem ipſa, quæ per miniſtros facit, ſive quædam faciat etiam per martyrum ſpiritus, ſicut per homines adhuc in corpore conſtitutos: ſive omnia iſta per Angelos, quibus inviſibiliter & incorporaliter imperat, operetur: ut quæ per martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant: ſive alia fiant iſtis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus poſſunt: ei tamen atteſtantur hæc fidei, in qua carnis in æternum reſurrectio prædicatur.

a QUare martyres tanta poſſunt.] *In aliis exemplaribus deeſt martyres, in aliis pro martyres mortui legitur, ſic: Cui mortui tanta poſſunt?* L. Vives.

a SIve enim Deus ipſe per ſeipſum miro modo.] *Duos indicat modos, quibus intelligi poteſt ſanctos facere miracula, nimirum vel* impetrando, *vel etiam* operando ipſa virtute divinitus accepta, *ut ſint velut inſtrumenta divina ad ea efficienda, quem utrumque modum etiam indicavit D. Gregorius libro 2. dialogi cap. 30. his verbis:* qui devota mente Deo adhærent, cum rerum neceſſitas expoſcit, exhibere ſigna modo utroque ſolent, ut mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex poteſtate. Cum enim Joannes dicat, quotquot eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui filii Dei ex poteſtate ſunt, quid mirum ſi ſigna facere ex poteſtate ſunt, quid mirum ſi ſigna facere ex poteſtate valeant? Quia enim utroque modo miracula exhibeant, teſtatur Petrus, qui Thabitam mortuam orando ſuſcitavit, Ananiam vero & Saphiram mentientes morti increpando tradidit. Neque enim oraſſe pro eorum reſurrectione legitur, ſed ſolummodo culpam, quam perpetraverant, increpaſſe. *Conſtat ergo, quod hæc aliquando ex poteſtate, aliquando vero exhibentur ex poſtulatione. Utrumque modum etiam indicavit D. Thomas 1. p. qu. 110. art. 4. ad 1. & 2. 2. qu. 178. art. 1. ad 1. & 3. contra Gent. cap. 130.* Poteſt enim in operatione miraculorum F. L. Coq.

rum concurrere Angelus vel homo etiam efficienter & à Deo aſſumi tanquam inſtrumentum: *& quaſt. de potent. art. 4. attribuit Angelis & ſanctis hominibus veram efficientiam comparatione miraculorum.*

Cap. X.

Quanto dignius honorentur martyres, qui ideò multa mira obtinent, ut Deus verus colatur, quàm dæmones, qui ob hoc quædam faciunt, ut ipſi dii eſſe credantur.

HIc fortè dicturi ſunt, etiam deos ſuos aliqua mira feciſſe. Benè, ſi jam incipiunt deos ſuos noſtris mortuis hominibus comparare. An dicent etiam, ſe habere deos ex hominibus mortuis, ſicut Herculem, ſicut Romulum, ſicut alios multos, quos in deorum numerum receptos opinantur? Sed nobis martyres non ſunt dii: quia unum eundemque Deum, & noſtrum ſcimus, & martyrum: nec tamen miraculis, quæ per memorias noſtrorum martyrum fiunt, ullo modo comparanda ſunt miracula, quæ facta per templa perhibentur illorum. Verùm *Exod. 8.* α ſi qua ſimilia videntur: ſicut à Moyſe magi Pharaonis, ſic eorum dii victi ſunt à martyribus noſtris. Fecerunt autem illa dæmones eo faſtu impuræ ſuperbiæ, quo eorum dii eſſe voluerunt. Faciunt autem iſta martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos, non deos eſſe noſtros, ſed unum Deum habere nobiſcum credamus. Denique β illi talibus diis ſuis, & templa ædificaverunt, & ſtatuerunt aras, & ſacerdotes inſtituerunt, & ſacrificia fecerunt. Nos autem martyribus noſtris non templa ſicut diis, γ ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus: ſed uni Deo, *a* & martyrum, & noſtro ſacrificium immolamus, ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, δ ſuo loco & ordine nominantur, ε non tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamvis in memoria ſacrificet eorum: quia ζ Dei ſacerdos eſt, non illorum. Ipſum verò ſacrificium corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, *b* η quia hoc ſunt & ipſi. Quibus igitur potius credendum eſt miracula facientibus? eiſnè qui ſeipſos volunt haberi deos ab his, quibus ea faciunt: an eis, qui, ut in Deum credatur, quod & Chriſtus eſt, faciunt quicquid faciunt? Eiſnè qui ſacra ſua, etiam crimina ſua eſſe voluerunt: an eis, qui nec laudes ſuas volunt eſſe ſacra ſua, ſed totum, quod veraciter laudantur, ad ejus gloriam pro- *Pſ. 33.* ficere, in quo laudantur? In Domino quippe laudantur animæ eorum. Credamus ergò eis & vera dicentibus, & mira facientibus. Dicendo enim vera, paſſi ſunt, ut poſſent facere mira. In eis veris eſt præcipuum, quòd Chriſtus reſurrexit à mortuis, & immortalitatem reſurrectionis in ſua carne primus oſtendit, quam nobis affuturam, vel principio novi ſeculi, vel in hujus fine promiſit.

L. Vives. *a* ET martyrum.] *In aliis exemplaribus legitur: Uni Deo & martyrum & noſtro, à quo ſacrificium ſicut homines Dei, ſignificat non nominari ſacrificium martyrum: ſed Dei: quemadmodum martyres non dii nuncupantur, ſed homines Dei.*

b Quia

b Quia hoc ſunt & ipſi.] *Nempe ex Chriſti corpore, non Chriſti caput: quemadmodum Corinthiis Apoſtolus Paulus inquit: Vos eſtis corpus Chriſti & membra.* ε L. Cogg.

a SI quæ ſimilia videntur ſicut à Moſe Magi Pharaonis.] *Simile quid ſcribit lib. 11. de Geneſ. ad liter. cap. 29.* Habent *(inquit)* quædam boni & mali Angeli opera ſimilia, ſicut Moyſes & Magi Pharaonis. Verùm etiam in his boni Angeli potentiores ſunt, quia nec mali Angeli etiam talium operum quicquam poſſunt, niſi quod per bonos Angelos permiſerit Deus.

β Illi talibus Diis ſuis & templo.] *Id eſt quod objicit Gentilibus Theodoretus ſerm. 8. θεραπευτ. qui cum aliquot flagitioſiſſimos homines in Deos retuliſſent aris & templis eis conſecratis, ægre tamen ferebant honorem aliquem à Chriſtianis martyribus exhiberi, à quibus tot in genus humanum beneficia emanaſſent.* Quid igitur *(inquit)* viri Græci, qui defunctos tot numero homines appellatis Deos, adverſus nos indignationem concipitis, cum nullos quidem noſtrorum hominum referamus in Deos, quanquam debitos honores Martyribus perſolvamus, ut Dei teſtibus ſervisque amantiſſimis. *Poſt.* Atqui nos, ô Græci homines, nec hoſtias martyribus, nec libamina ulla deferemus, ſed ut ſanctos homines, Deique amiciſſimos honoramus.

γ Nos autem martyribus noſtris non templa.] *Quod idem ſcripſit ſupra cap. ult. lib. 8. & lib. 1. contra Maximinum argumento 11. de Spiritu ſancto:* Nonne ſi alicui ſancto Angelo excellentiſſimo de lignis & lapidibus faceremus templum, anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab eccleſia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam ſervitutem, quæ uni tantum debetur Deo? *& lib. 20. contra Fauſtum cap. 21.*

δ Suo loco & ordine nominantur.] *(Ita conſtat antiquiſſimam eſſe conſuetudinem, ut in Miſſa ſacrificio nominentur ac commemorentur,)* *quod conſtat ex eodem Auguſtino & tracta. 8. in Joannem & ſerm. 17. de verbis Apoſto. & ex aliis Patribus. D. Dionyſius cap. 3. eccleſiaſt. hiſtor.* Sed & illud ſacratius imbuere, quod impoſitis ſancto altari venerabilibus ſignis, per quæ Chriſtus ſignatur & ſumitur, adeſt protinus ſanctorum deſcriptio. *S. Clemens lib. 8. conſtitut. Apoſtolic. cap. 13.* Memoremus martyres ſanctos, ut mereamur certaminis eorum participes fieri. *D. Cyprianus epiſt. 37.* Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotatur, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. *Cyrillus Hieroſolym. catech. 5.* poſtea, *inquit*, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormiverunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.

ε Non tamen à ſacerdote, qui ſacrificat invocantur.] *(Non negat Auguſtinus ſanctos ad intercedendum invocari, verum non invocari à ſacerdote tanquam Deos, neque ſacerdotem ſacrificii verba debere dirigere ad ſanctos, quaſi illis tanquam Diis offeratur.*

ζ Dei ſacerdos eſt, non illorum.] *Unde qui divinis honoribus coli voluerunt, ſacerdotes ſibi inſtituerunt, ut de Caligula refert Suetonius cap. 22.*

η Quia

n Quia hoc ſint & ipſi.] *Quod offertur quidem verum eſt corpus Chriſti, ſancti dicuntur corpus quidem Chriſti, ſed myſticum. Eſt enim Eccleſia, quæ conſtat ex Chriſti membris, corpus Chriſti myſticum, cujus caput ipſe eſt, influens gratiam & gloriam, adeoque omnia beneficia divina in membra ſua.*

Cap. XI.

Contra Platonicos, qui de naturalibus elementorum ponderibus argumentantur, terrenum corpus in cœlo eſſe non poſſe.

Ps. 93. CОntra quod magnum Dei donum ratiocinatores iſti, quorum cogitationes novit Dominus, quoniam vanæ ſunt, de ponderibus elementorum argumentantur: quoniam ſcilicet magiſtro Platone didicerunt, mundi duo corpora maxima atque poſtrema, duobus mediis, aëre ſcilicet & aqua eſſe copulata atque conjuncta. Ac per hoc, inquiunt, quoniam terra abhinc ſurſum verſus eſt prima, ſecunda aqua ſuper terram: tertius aër ſuper aquam: quartum, ſuper aëra cœlum: non poteſt eſſe terrenum corpus in cœlo. Momentis enim propriis, ut ordinem ſuum teneant, ſingula elementa librantur. Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas. Quid ergò faciunt in aëre terrena tot corpora, cùm à terra ſit aër tertius? *a* Niſi fortè, qui per plumarum & pennarum levitatem donàvit avium terrenis corporibus, ut portentur in aëre, immortalibus factis corporibus hominum non poterit donare virtutem, qua etiam in ſummo cœlo valeant habitare? Animalia quoque ipſa terrena, quæ volare non poſſunt, in quibus & homines ſunt, ſicut ſub aqua piſces, quæ ſunt aquarum animalia, ita ſub terra vivere debuerunt. Cur ergò non ſaltem de ſecundo, id eſt, de aquis, ſed de elemento tertio terrenum animal carpit hanc vitam? Quare cùm pertineat ad terram, in ſecundo, quod ſuper terram eſt, elemento, vivere ſi cogatur, continuò ſuffocatur, & ut vivat, vivit in tertio? An errat hic ordo elementorum, vel potius non in natura rerum, ſed in iſtorum argumentationibus deficit? Omitto dicere, quod jam in tertio decimo libro dixi: quàm multa gravia terrena ſint corpora, ſicut plumbum, & *β* formam tamen ab artifice accipiant, qua natare valeant ſuper aquam: & ut accipiat qualitatem corpus humanum, qua ferri in cœlum, & eſſe poſſit in cœlo, omnipotenti artifici contradicitur? Jam verò contra illud, quod jam dixi ſuperius, etiam iſtum conſiderantes atque tractantes elementorum ordinem, quo confidunt, non inveniunt omninò, quod dicant. Sic eſt enim hinc ſurſum verſus terra prima, aqua ſecunda, tertius aër, quartum cœlum, ut ſuper omnia ſit animæ natura. *a γ* Nam & Ariſtoteles quintum corpus eam dixit eſſe, & Plato nullum. Si quintum eſſet, certè ſuperius eſſet cæteris. Cùm verò nullum eſt, multò magis ſuperat omnia. In terreno ergò quid facit corpore? In hoc pondere quid agit levior omnibus? In hac tarditate quid agit celerior omnibus? Itáne per hujus tam excellentis naturæ meritum non poterit effici, ut corpus ejus levetur in cœlum? & cùm valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorſum, aliquo modo & animæ levare ſurſum terrena corpora non

non valebunt? Jam ſi ad eorum miracula veniamus, quæ facta à diis ſuis opponunt martyribus noſtris, nónne etiam ipſa pro nobis facere, & nobis reperientur omninò proficere? Nam inter magna miracula deorum ſuorum, profectò magnum illud eſt, quod Varro commemorat, Veſtalem virginem, cùm periclitaretur falſa ſuſpicione de ſtupro, cribrum impleſſe aqua de Tiberi, & ad ſuos judices, nulla ejus parte ſtillante, portaſſe. Quis aquæ pondus ſuper cribrum tenuit? Quis tot cavernis patentibus, nihil inde in terram cadere permiſit? Reſponſuri ſunt: Aliquis deus, aut aliquis dæmon. Si deus, nunquid major eſt Deo, qui fecit hunc mundum? Si dæmon, nunquid potentior eſt angelo, qui Deo ſervit, à quo factus eſt mundus? Si ergò deus minor, vel angelus vel dæmon potuit pondus humidi elementi ſic ſuſpendere, ut aquarum videatur mutata fuiſſe natura: itáne Deus omnipotens, qui ipſa creavit elementa, terreno corpori grave pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet vivificatum corpus, in quo voluerit vivificans ſpiritus? Deinde cùm aërem medium ponat inter ignem deſuper, & aquam ſubter, quid eſt, quod eum inter aquam & aquam, & inter aquam & terram ſæpè invenimus? Quid enim volunt eſſe aquoſas nubes, inter quas & maria aër medius reperitur? Quonam, quæſo, elementorum pondere atque ordine efficitur, ut torrentes violentiſſimi atque undoſiſſimi, antequàm ſub aëre in terris currant, ſuper aëra in nubibus pendeant? Cur denique aër eſt medius inter ſumma cœli, & ima terrarum quaquaverſum orbis extenditur, ſi locus ejus inter cœlum & aquas, ſicut aquarum inter ipſum & terras eſt conſtitutus? Poſtremò ſi ita eſt elementorum ordo diſpoſitus, ut ſecundùm Platonem duobus mediis, id eſt, aëre & aqua, duo extrema, id eſt, ignis & terra jungantur, cœlique obtineat ille ſummum locum, hæc autem imi, velut fundaminis mundi, & ideò in cœlo eſſe non poteſt terra, cur eſt ipſe ignis in terra? Secundùm hanc quippe rationem, ita iſta duo elementa in locis propriis, imô ac ſummo terra & ignis eſſe debuerunt: ut quemadmodum nolunt in ſummo eſſe poſſe, quod imi eſt, ita nec in imo poſſet eſſe, quod ſummi eſt. Sicut ergò nullam putant vel eſſe, vel futuram eſſe terræ particulam in cœlo, ita nullam particulam videre debuimus ignis in terra. Nunc verò non ſolùm in terris, verùm etiam ſub terris ita eſt, ut eum eructent vertices montium, præter quod in uſibus hominum & eſſe ignem in terra, & eum naſci videmus ex terra. Quandoquidem & de lignis & de lapidibus naſcitur, quæ ſunt corpora ſine dubitatione terrena. Sed ille, inquiunt, ignis eſt tranquillus, purus, innoxius, ſempiternus: iſte autem turbidus, fumeus, corruptibilis, atque corruptor. Nec tamen corrumpit montes, in quibus jugiter æſtuat, cavernaſque terrarum. Eſto, ſit illi iſte diſſimilis, ut terrenis habitationibus congruat. Cur ergò nolunt, ut credamus, naturam corporum terrenorum aliquando incorruptibilem factam cœlo convenientem futuram: ſicut nunc ignis corruptibilis his convenit terris? Nihil igitur afferunt ex ponderibus atque ordine elementorum, unde omnipotenti Deo, quò minus faciat corpora noſtra talia, ut etiam in cœlo poſſint habitare, præſcribant.

L. Vivis. a NAm & Ariſtoteles.] *At Ariſtoteles concretione omni compoſitioneq́; ac corpore animam liberat: ut 1. De anima lib. docet, opiniones confutans Democriti, Empedoclis, Alcmæonis, Platonis, Xenocratis. Nec mirum, ſi Auguſtino viſus eſt Ariſtoteles animam facere corpoream, & ex quatuor elementis coagmentatam tradere creditus eſt: nam cùm Plato de ſubſtantia cœleſtium ignium decerptas portiunculas animas eſſe exiſtimet, ſideraq́; ex quatuor illis, quæ ſuo more ponit, elementis conſtet, putavit Ariſt. non minus quatuor elementa in anima ab eo commiſceri, quam in aſtris, unde eſt deſumpta. Qua in re vir eruditiſſimus pariter & ingenioſiſſimus captus eſt, ſeu potius capere alios, & magiſtrum Plat. confutare tentavit. Quis enim credat tantum diſcipulum, tamdiu auditum præceptorem non intellexiſſe? Pari argumento cum Ariſtoteles quintam, ſive eſſentiam, ſive naturam, cœlum nominet, legiſſetq́; apud Cic. Auguſtinus, animam nullam ex quatuor elementaribus in ſe continere corporibus, ſed eſſe quintam quandam naturam, non minus cenſuit, ab eo fieri corpoream animam, quàm cœlum. Non diſputo in præſentia, ut conſtet, animam omni prorſum ex ſe corpore apud Ariſtotelem vacare. Neque enim hoc ille apertius dixit, quàm cætera. Aut moris ſui hoc oblitus eſt loco, & argumenta ejus non eò tendunt, ne quid habeat corporis anima, ſed ne quid horum elementorum. Nam ut erat vir ille huic naturæ, quam oculis ſive deorſum uſurpamus, ſive ſurſum, addictiſſimus, unde & dæmonis nomen invenit, nihil eſſe, quod non ex ea originem velut ex fonte traheret, arbitratus eſt: corpora ex iis, quæ ſublimia ſunt, animas verò ex cœlis: eſſeq́; illas non quidem qualia inter nos verſantur corpora, ſed corpora tamen altiore ratione ac modo, quæ quinta dicuntur natura. Idcirco actus eſſe, & actionem, vim, viam, motum, vigorem, in ſua corpora transfundere, quæ omnia ſunt cœlorum propria. Cæterùm ut donemus nunc, quod recentiores contendunt Peripatetici, nihil prorſus Ariſtoteli animam habere corporis, errati hujus facilis certè, & veniæ digniſſimi, vel præcipua cauſa fuit, quod Auguſtinus Ariſt. de anima ſententiam, non ex ipſius Ariſt. voluminibus, quæ tunc rara erant, nec ferè niſi in Græcia, ſed Cic. referente, cognovit, qui in 1. Tuſcul. quæſt. ſic ait: Ariſtoteles longè omnibus, Platonem ſemper excipio, præſtans & ingenio & diligentia, cùm quatuor illa genera principiorum eſſet complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam cenſet eſſe, è qua ſit mens. Cogitare enim & providere, & docere, & invenire aliquid, tam multa alia meminiſſe, amare, odiſſe, cupere, timere, angi, lætari: hæc & ſimilia eorum* ἐνδελέχεια. *in horum quatuor generum nullo ineſſe putat. Quintum genus adhibet vacans nomine: & ſic ipſum animum ἐνδελέχειαν appellat, novo nomine, quaſi quandam continuatam motionem & perennem. Sic ille. Quod dictum ejus & Auguſtinus dux fuit deflectendi de via, & in Cic. ipſum Græcos penè, & hujus & ſuperioris ætatis univerſos, ceu apes in urſum mellarium concitavit, laceſſitos prius ac irritatos aliquod ejus morſibus, non omninò ſuavibus, quibus tum beatas linguæ illius divitias attenuabat, quam ipſi locupletiſſimam omnium eſſe haberiq́; cupiunt: tum mores infamabat gentis. Itaque non ἐνδελέχειαν ajunt, id eſt, perpetuam motionem, Ariſtoteles animam nominavit, cum id reprehenderit in Platone, ſed ἐντελέχειαν quaſi ἐντελὲς ἔχειν, hoc eſt, perfectam habitationem, & ut vertit Hermolaus perfectihabiam. Sed*

qui

qui conſtat ἐντελέχειαν, & non ἐνδελέχειαν ab Ariſtotele ſcripto relictum eſſe? ut rectè Politianus quærit, nam motionem animæ perpetuam non admittit Ariſtoteles, in Platone, ſibi indulget. Quid enim aliud eſt actus ipſe animæ vita, vigor, quàm quidam motus genus, etiam Ariſtoteli? Tum & pars animæ motiva, unde manat, aut quid aliud eſt, quàm anima? Sed auferant ſanè ἐντελέχειαν eſſe Ariſtotelicam animam, non ἐνδελέχειαν, tantámne ob unicum memoriæ lapſum excitari Ciceroni tragœdiam? Succurrebat videlicet doctiſſimo viro, legiſſe ſe apud omnes veteres, animam eſſe, per quam corpus moveretur: apud multos verò agitari ſemper illam, nec unquam quieſcere. Fieri poteſt, ut aliquis ex iis, qui perpetuum animæ tribuebant motum, ἐνδελέχειαν aliquando eam dixerit. Id vocabulum & ſcriptura ἐντελέχειας ſimillimum, & pronunciatione idem, ſurrepſit aliud agenti: nec conſulere forſan Ariſtotelis codicem vacabat aut non libebat, ac ne opus quidem erat, de re alia diſſerenti: nempe mortem malum non eſſe, nam ſive continuus motus, ſive perfectus habitus eſſet anima ab Ariſtotele nuncupata, ad rem, qua de ageret, ne pili quidem referebat, & quanquàm ſe liberatum magna ex parte defenſionum laboribus, ſenatoriiſq; muneribus Tuſcul. quæſt. præfertur ſcribere, vellem tamen, qui eum reprehendunt, tam impediti publicis negotiis, quàm ille tunc erat, in ſtudiis verſarentur, ut videremus, an non carpendi modo, ſed vel legendi, aut ipſum, aut Ariſtotelem, putarent, ſibi otium ſupereſſe. Profectò fuit in M. Tullio divina vis ingenii, qui mediis totius terrarum orbis negotiis & tumultibus, ita cum lubitum eſt, ſeipſum ſevocavit, ut non ſolum tempus inveniret, quo legeret, ſed etiam quo illa conſcriberet, quæ non ſatiamur mirando. Sacerdotiolum unius aut alterius annui ſeſtertii, aut procurationcula perexigua perque facilis, ſi cui contingat noſtrûm, tam impeditos nos ac implicitos cenſemus, ut miſſionem à literis omnibus legitimam impetraſſe nos exiſtimemus, & injuria non parva affici, ſi ad eas revocemur. Quod ſi omninò literas tractamus ullas, primum omnium ingentes ſcilicet ac intolerabiles occupationes noſtras objectamus & inculcamus ad faſtidium, deplorantes ſubinde illas & miſerandas aliis oſtentantes multumq; imputantes publicis commodis, ſi quid illorum gratia inter tot ingruentia, quibus obruimur negotia, ſit à nobis elaboratum. Erubeſcamus per muſas omnes ocioſi parenti & eloquentiæ Romanæ, & philoſophiæ Latinæ lapſum ullum qualemcunque opprobrare, cùm doctiora ſint illius errata, quàm noſtra omnia benedicta. Ciceronis defenſio.

a NIſi forte qui per plumarum.] *Aliquot rationibus & exemplis oſtendit, non eſſe impoſſibile Deum aliquam qualitatem corporibus humanis, quæ terrena ſunt, conferre, quæ ſurſum in cœlum ferantur, ibique habitent. Id enim obſervandum hoc loco, quod licet non poſſit Theologus demonſtrare evidenter, directe & poſitive fidei noſtræ myſteria vera eſſe, poteſt tamen oſtendere ea non repugnare rationi, licet alioqui ſint ſupra rationem, quia poteſt adferre multas rationes probabiles & varia exempla ad ſuadendum unumquemque fidei articulum, qualia multa ſolent à Patribus afferri, & hujusmodi ſunt, quæ afferuntur à D. Auguſtino, ut oſtendat contra Platonicos, non eſſe impoſſibile corpora humana poſt reſurrectionem in cœlo habitare, & licet demonſtrari non poſſit, fidei myſteria evidenter eſſe vera, certum eſt demon-* F.L.Coq.

ſtrari poſſe ea eſſe evidenter credibilia, quia ut aliquid ſit evidenter credibile, ſufficit ut ſit poſſibile, & præterea habeat aliqua motiva ſeu argumenta, quæ faciant rem credibilem, ita ut benè affectus animus prudenter judicet, ea non repugnare rationi, utrumque verò reperitur in fidei myſteriis.

β Formam tamen ab eo artifice accipiant, qua natare valeant ſuper aquam.] *Cum enim plumbum & alia hujusmodi corpora ſint gravia, & prædominetur in eis elementum terræ, ex natura ſua non habent, quod aquis ſuperferantur. Ariſtoteles lib. 4. de cœlo cap. 6. quæſtionem hanc movet,* Cur quædam corpora terrea ac gravia, ut ferrum ac plumbum, ſi latam habeant figuram, aquæ ſupernatent, cum alia minora & minus gravia, ſi rotunda ſint aut longa, ut acus, deorſum ferantur. *Et rejecta ſententia Democriti reſpondet cauſſam eſſe,* Quod corpora lata ſua latitudine multum de ſubjecto corpore comprehendunt, quod idcirco facile dividere non poſſunt, quæ vero aliis figuris prædita ſunt, parum comprehendant, quod proinde facile dividunt.

γ Nam & Ariſtoteles quintum corpus eandem eſſe dixit.] *Ex diſputatione tamen Ariſtotelis in lib. 1. de anima cap. 1. contra veteres Philoſophos Democritum, Empedoclem, Alcmæonem, Platonem & Xenocratem conſtat Ariſtotelem non fuiſſe in ea ſententia. Videtur itaque D. Auguſtinus ſuam hanc de Ariſtotelis dogmate ſententiam non ex ipſius Ariſtotelis fontibus, ſed ex ipſo Cicerone hauſiſſe, qui prima Tuſculana ita ſcribit:* Ariſtoteles longe omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans ingenio & diligentia, cum quatuor illa genera principiorum eſſet complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam cenſet eſſe, è qua ſit mens. *Probat enim Ariſtoteles lib. 1. de cœlo præter quatuor elementa eſſe quintam aliam corporis ſubſtantiam ipſis elementis præſtantiorem ac diviniorem, è qua ſunt globi cæleſtes, & rurſus lib. 2. de generat. animal. cap. 3. ait animam participare corpus quoddam elementis divinius. Fortaſſe Ariſtoteles loquitur ex aliorum ſententia, vel certe nomine corporis ſpiritum vitalem & animalem intelligit, cujus ope anima functiones corporis adminiſtrat. vocat vero illud elementis divinius, eo quod nulla elementorum facultas pertingat ad excellentiam operationum, quæ ſpirituum miniſterio perficiantur.*

δ Cribrum impleſſe aqua de Tiberi.] *De hoc lib. 10. cap. 16.*

Cap. XII.

Contra calumnias infidelium, quibus Chriſtianos de credita carnis reſurrectione irrident.

SEd α ſcrupuloſiſſimè quærere, & fidem, qua credimus reſurrecturam carnem, ita quærendo aſſolent irridere: utrum fœtus abortivi reſurgant. Et quoniam dominus ait: *Amen dico vobis, capillus capitis veſtri non peribit:* utrum ſtatura & robur æqualia futura ſint omnibus, an diverſæ corporum quantitates? Si enim æqualitas corporum erit, unde habebunt quod hic non habuerunt in mole corporis illi abortivi, ſi reſurgent & ipſi: aut ſi non reſurgent, quia nec nati ſunt, ſed effuſi, eandem quæſtionem de parvulis verſant.

Luc. 21.

unde

unde illis menſura corporis, quam nunc defuiſſe videmus, accedat, cùm in hac ætate moriuntur. Neque enim dicturi ſumus, eos non reſurrecturos, qui non ſolùm generationis, verumetiam regenerationis capaces ſunt. Deinde interrogant, quem modum ipſa æqualitas habitura ſit. Si enim tam magni, & tam longi erunt omnes, quam fuerunt quicunque hîc fuerunt maximi atque longiſſimi: non ſolùm de parvulis, ſed & de plurimis magnis quærunt, unde illis acceſſurum ſit, quod hîc defuit, ſi ibi hoc quisque recipiet, quod hic habuit. Si autem, quod ait Apoſtolus, occurſuros nos omnes in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & illud alterum, quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui: ſic intelligendum eſt, ut ſtatura & modus Chriſti corporis omnium, qui in regno ejus erunt humanorum corporum ſit futurus: multis erit, inquiunt, de magnitudine & longitudine corporis detrahendum. Et ubi jam erit, Capillus capitis veſtri non peribit, ſi de ipſa corporis quantitate tam multum peribit? Quamvis & de ipſis capillis poſſit quæri, utrum redeat quicquid tondentibus decidit. Quod ſi rediturum eſt, quis non exhorreat illam deformitatem? Nam hoc & de unguibus videtur neceſſariò ſecuturum, ut redeat tam multum quod corporis cura deſecuit. Et ubi erit decus, quod certè majus, quàm in iſta eſſe corruptione potuit, in illa jam immortalitate eſſe debebit? Si autem non redibit, ergo peribit: quomodo ergo, inquiunt, capillus capitis veſtri non peribit? de macie quoque vel pinguedine ſimiliter diſputant. Nam ſi æquales omnes erunt, non utique alii macri, alii pingues erunt. Accedet ergo aliis aliquid, aliis minuetur. Ac per hoc non quod erat recipiendum, ſed alicubi addendum eſt quod non fuit: & alicubi perdendum quod fuit. De ipſis etiam corruptionibus, & dilapſionibus corporum mortuorum, cùm aliud vertatur in pulverem, in auras aliud exhaletur: ſint quos beſtiæ, ſint quos ignis abſumit: naufragio, vel quibuscunque aquis ita quidam pereant, ut eorum carnes in humorem putredo diſſolvat, non mediocriter permoventur: atque omnia ita recolligi in carnem, redintegrari poſſe non credunt. Conſectantur etiam quasque fœditates & vitia, ſive accidant, ſive naſcantur: ubi & monſtroſos partus cum errore atque irriſione commemorant, & requirunt, quænam cujusque deformitatis reſurrectio ſit futura. Si enim nihil tale redire in corpus hominis dixerimus, reſponſionem noſtram de locis vulnerum, cum quibus Dominum noſtrum Chriſtum reſurrexiſſe prædicamus, ſe confutaturos eſſe præſumunt. Sed inter hæc omnia quæſtio difficillima illa proponitur, in cujus carnem reditura ſit caro, qua corpus alterius veſcentis humana viſcera fame compellente nutritur. In carnem quippe converſa eſt ejus, qui talibus vixit alimentis: & ea quæ macies oſtenderat, detrimenta ſupplevit. Utrum ergo hoc illi redeat homini, cujus caro prius fuit, an illi potius, cujus poſtea facta eſt, ad hoc percunctantur, ut fidem reſurrectionis illudant: ac ſic animæ humanæ aut alternanter, ſicut Plato, veras infelicitates falſasque promittant beatitudines: aut poſt multas

itidem per diverſa corpora revolutiones, aliquando tamen eam, ſicut Porphyrius, finire miſerias, & ad eas nunquam redire fateantur: non tamen corpus habendo immortale, ſed corpus omne fugiendo.

B.L. Cap. a SEd ſcrupuloſiſſime quærere, & fidem qua credimus.] *Ut ſcribit Tertullianus lib. de præſcript. cap 7.* Ut carnis reſurrectio negetur, de una omnium Philoſophorum ſchola ſumitur. *Inter Judæos Saducæi in eum errorem impegerunt, ut conſtat ex Matth. 22. Marci 12. Actor. 23. & poſt Chriſtum multæ hæreſes natæ ſunt negantes omnino reſurrectionem, immo difficilis adeo creditu viſa eſt, ut referente Evagrio lib. 1. cap. 15. & Nicephoro lib. 14. cap. 55. Syneſius ipſe ex Platonico Philoſopho Chriſtianam religionem profeſſus, & baptiſmo initiatus cæteris quidem aſſentiretur fidei myſteriis, reſurrectionis tamen articulum minime reciperet, doctrinam eam deteſtatus, quam tamen tandem admiſit. Juſtinus Martyr dialogo cum Tryphone, non cenſet eos habendos eſſe Chriſtianos, qui reſurrectionem mortuorum negant. Tertullianus lib. de reſurrect. carn. cap. 3.* Adeo *(inquit)* non erit Chriſtianus, qui eam negabit, quam confitentur omnes Chriſtiani, & his argumentis negabit, quibus utitur non Chriſtianus. *D. Hieronymus ad Pammachium, adverſus errores Joannis Hieroſolymitani.* Argumenta *(inquit)* illa puerorum & infantium & ſenum & ciborum & ſtercorum, quibus adverſus eccleſias uteris (nimirum circa articulum de reſurrectione carnis) non ſunt tua, de Gentilium fonte manarunt, eadem enim opponunt nobis Ethnici. Qui Chriſtianum eſſe te dicis. Gentilium arma depone. Diſcant illi magis à te reſurrectionem carnis confiteri, quam tu ab illis negare. *Similia fere ſcripſerat Tertullianus loco citato.* Quid cœco *(inquit)* duci inniteris, ſi vides? quid veſtiris à nudo, ſi Chriſtum induiſti? quid alieno uteris clypeo, ſi ab Apoſtolo armatus es? Ille potius à te diſcat reſurrectionem carnis confiteri, quam tu ab illo diffiteri, *ut intelligamus argumenta eſſe philophorum ex ipſa naturali ratione petita, quibus negatur reſurrectio, quam adſtruit fides Chriſtiana, quæ ſuper omnem rationem eſt, & quæ revelationi divinæ innititur, ex qua de omnipotentia Dei conſtat, quam ipſa Philoſophia, vel naturalis ratio non aſſequitur: hoc capite aliquot ejuſmodi afferuntur, quibus ſigillatim ſequentibus capitibus reſpondetur.*

Cap. XIII.

An abortivi non pertineant ad reſurrectionem, ſi pertinent ad numerum mortuorum.

AD hæc ergo quæ ab eorum parte contraria, me digerente, mihi videntur oppoſita, miſericordia Dei meis niſibus opem ferente, reſpondeam: abortivos fœtus, qui cùm jam vixiſſent in utero, ibi ſunt mortui, reſurrecturos ut affirmare, ita negare non audeo: *a* quamvis non videam, quomodo ad eos non pertineat reſurrectio mortuorum, ſi non eximuntur de numero mortuorum. Aut enim non omnes mortui reſurgent, & erunt aliquæ humanæ animæ ſine corporibus in æternum, quæ corpora humana quamvis intra viſcera materna geſtarunt: aut ſi omnes animæ humanæ recipiant reſurgen-

ſurgentia ſua corpora, quæ habuerunt ubicunque viventia & morientia reliquerunt, non invenio, quemadmodum dicant ad reſurrectionem non pertinere mortuorum, quoſcunque mortuos etiam in uteris matrum. Sed utrumlibet de his quiſque ſentiat, quod de jam natis infantibus dixerimus: hoc etiam de illis intelligendum eſt, ſi reſurgent.

a QUamvis non videam.] *Fœtus obortivos reſurrecturos non dubitat, id tamen non ita certo aſſerit: in Enchiridio cap. 85. de his ita ſcribitur* : De abortivis fœtibus quæſtio, qui jam quidem nati ſunt in uteris matrum, ſed nondum ita, ut jam poſſint renaſci. Si enim reſurrecturos eos dixerimus, de iis, qui jam formati ſunt, tolerari poteſt, verumque quod dicitur. Informes vero abortus quis non proclivius perire arbitretur ſicut ſemina, quæ concepta non fuerint? *Idem docet & Juſtinus quæſt. 13. ad Orthodoxos; eandem quæſtionem agitant Theologi in 4. diſt. 43. & 44.* F.L. Coq.

CAP. XIV.

An infantes in ea ſint reſurrecturi habitudine corporis, quam habituri erant ætatis acceſſu.

QUid ergo de infantibus dicturi ſumus, niſi quia non in ea reſurrecturi ſunt corporis exiguitate, qua mortui? *a* Sed quod eis tardius acceſſurum erat tempore, hoc ſunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi. In ſententia quippe Domini, ubi ait: Capillus capitis veſtri non peribit: dictum eſt, non defuturum eſſe quod fuit: non autem negatum eſt, affuturum eſſe quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas ſui corporis: *a* perfecto quippe infanti deeſt utique perfectio magnitudinis corporalis: quæ quum acceſſerit, jam ſtatura longior non eſſe poſſit. Hunc perfectionis modum ſic habent omnes, ut cum illo concipiantur atque naſcantur: ſed habent in ratione, non in mole: ſicut ipſa jam membra omnia ſunt latenter in ſemine, cùm etiam natis nonnulla adhuc deſint ſicut dentes, ac ſi quid ejusmodi. In qua ratione uniuscujusque materiæ indita corporali, *b* jam quodammodo ut dicam, liciatum eſſe videtur, quod nondum eſt, imò quod latet, ſed acceſſu temporis erit, vel potius apparebit. In hoc ergo infans, jam brevis, aut longus eſt, qui brevis, longusve futurus eſt. Secundùm hanc rationem profectò in reſurrectione corporis, detrimenta corporis non timemus: quia & ſi æqualitas futura eſſet omnium, ita ut omnes usque ad giganteas magnitudines pertinerent, nec illi qui maximi fuerunt, minus haberent aliquid in ſtatura, quod eis contra ſententiam Chriſti periret qui dixit: nec capillum capitis eſſe periturum: creatori utique, qui creavit cuncta ex nihilo, quomodo deeſſe poſſet, unde adderet, quod addendum eſſe mirus artifex noſſet?

a PErfecto quippe infanti.] *Unicuique rei ſtatuta eſt magnitudo, ultra quam non extenditur, hujus aſſequendæ vim & poteſtatem adducit ſecum à cauſis ſuis: & poteſtate id habet, quod ſi non impediatur, explicat ſe gradibus temporis, quousque perveniat, ubi ſiſtit vel unde retro abit eodem unde venerat: quæ incrementi ratio non in materia eſt, nec in forma, ſed in qualitatibus à natura inditis.* L. Vives.

b Jam

b Jam quodammodo.] *In antiquis exemplaribus pro innatum legitur liciatum, translatione texentium, quaſi jam illa ceu tela texta eſt in puero, ſed non explicata, & hoc videtur conformius Auguſtini ſenſui, qui metaphoram mollivit, quum dixit, quodammodo & vocabulum, liciarum, cùm ut ita dicam.*

P.L.Cap. *a* SEd quod eis tardius acceſſurum erat tempore.] *Idem in Enchiridio cap. 85.* Quis negare audeat, etſi affirmare non audeat, id acturam eſſe reſurrectionem, ut quicquid formæ defuit, impleatur? Atque ita non deſit perfectio, quæ acceſſura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quæ acceſſerunt tempore, ut neque in eis quod aptum & congruum dies allaturi fuerant, natura fraudetur, neque in eo, quod adverſum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur, ſed integretur, quod non erat integrum, ſicut inſtaurabitur, quod fuerat vitiatum. *Qua vera ratione poſſit in majori corpore reſurgere, qui in parvo & infantili mortuus eſt, nonnulli volunt poſſe Deum ex quacumque parte materia quantumvis minima fabricare corpus magna molis & quantitatis nulla facta additione ſubſtantia, ſeu materia, ſed tantum quantitatis & aliorum accidentium, ſicut formavit corpus Eva ex coſta Ada, in qua exigua erat portio materia & tamen corpus ex illa formatum, perfectum & completa magnitudinis fuit. D Thomas in 4. diſtinct. 44. q. 1. artic. 2. quaſt. 4. ad 3. ut puer reſurgat in magnitudine perfecta, & in corpore naturali modo conſtituto, neceſſarium vult eſſe aliquam fieri addiuionem. Nec enim id erit contra veritatem & perfectionem reſurrectionis, cum idem numero reſurgat quod cecidit, habeatque eandem materiam licet non ſolam, quia non habuerat integram atque perfectam.*

Cap. XV.

An ad Dominici corporis modum, omnium mortuorum reſurrectura ſint corpora.

SEd utique Chriſtus in ea menſura corporis in qua eſt mortuus, reſurrexit, nec fas eſt dicere, quum reſurrectionis omnium tempus venerit, acceſſuram corpori ejus eam magnitudinem, quam non habuit, quando in ea diſcipulis, in quā illis erat notus, apparuit, ut longiſſimis fieri poſſit æqualis. Si autem dixerimus ad Dominici corporis modum, etiam quorumque majora corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, quum ipſe nec capillum periturum eſſe promiſerit. *a* Reſtat ergo, ut ſuam recipiat quisque menſuram, quam vel habuit in juventute, etiam ſi ſenex eſt mortuus: vel fuerat habiturus, ſi antè eſt defunctus. Atque illud quod commemo-
Ephiſ.4. ravit Apoſtolus de menſura ætatis plenitudinis Chriſti aut propter aliud intelligemus dictum eſſe, id eſt, ut illi capiti in populis Chriſtianis accedente omnium perfectione membrorum ætatis ejus menſura compleatur: aut ſi hoc de reſurrectione corporum dictum eſt, ſic accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra juvenilem formam reſurgant corpora mortuorum: ſed in ea ætate & robore, uſque ad quam Chriſtum hîc perveniſſe cognovimus. *β* Circa triginta quippe annos definierunt eſſe etiam ſeculi hujus doctiſſimi homines,

nes, juventutem. Quæ quum fuerit ſpatio proprio terminata, inde jam hominem in detrimenta vergere gravioris ac ſenilis ætatis: & ideo non eſſe dictum, in menſuram corporis, vel in menſuram ſtaturæ: ſed in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

α Reſtat ergo ut ſuam recipiat quisque menſuram.] *Non omnes in eadem ſtatura vel corporis mole reſurrecturos hic & præterea in Enchiridio cap. 90. docet; unde futurum eſt, ut corporum beatorum alia ſtaturæ ſint minoris corpore Chriſti, alia etiam poſſint eſſe majoris magnitudinis. Nec enim hoc repugnat Chriſti perfectioni, licet alias longe excedat alia corpora in gloria. Nec enim ex corporis magnitudine ſumenda eſt proportio aut æqualitas gloriæ. Id etiam ad quandam pulcritudinem videtur pertinere, ut beati reſurgant diverſa ſtatura.* F.L.Cap.

β Circa 30. quippe annos definierunt etiam hujus ſæculi doctiſſimi homines juventutem.] *Quos Græci τοὺς ἐξωσοφοὺς appellant, intelligit, & imprimis Varronem, ut author eſt doctiſſimus Cujacius in lib. ſingul. reſponſ. Ulpii Marcelli ad L. 69. non aliter §. 1. D. de legat. 3. citato hoc loco D. Auguſtini, ubi, cum quidam codicillis ſuis ita caviſſet,* omnes juvenes, quos in miniſterio habeo, dari volo. *Marcellus interrogatus à qua ætate* juvenes, *& quam intelligi deberent, reſpondit exiſtimari poſſe* juvenem *eum, qui adoleſcentis exceſſiſſet ætatem, quoad inciperet inter ſeniores numerari, nimirum à viceſimo quinto an. ad 45. Nam ſeniores Varro definit à 45. ad 60. ſenes usque in finem vitæ, ubi ſeniores ſeparat à ſenibus. Agellius lib. 10. cap. 18. ex Tuberone hiſtor. 1. refert Ser. Tullium regem popul. Romani, cum illas quinque claſſes juniorum cenſus faciendi gratia inſtitueret, pueros eſſe exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis ſeptemdecim, atque inde ab anno decimoſeptimo, quod idoneos jam eſſe reipublicæ arbitraretur, milites ſcripſiſſe, eosque ad annum quadragesimumſextum juniores, ſupraque eum annum ſeniores appellaſſe. Unde conſtat ex juſta cenſione Ser. Tullii prudentiſſimi regis, quæ fuerint judicio, moribusque majorum pueritiæ, juventæ, ſenectæ diſcrimina.*

Cap. XVI.

Qualis intelligenda ſit conformatio ſanctorum ad imaginem filii Dei.

Illud etiam quod ait, prædeſtinatos fieri conformes imaginis filii Dei, poteſt & ſecundùm interiorem hominem intelligi. Unde nobis alio loco dicit: Nolite conformari huic ſeculo: ſed reformamini in novitate mentis veſtræ. Ubi ergo reformamur, ne conformemur huic ſeculo, ibi conformamur Dei filio. Poteſt & ſic accipi, ut quemadmodum ille nobis mortalitate, ita nos illi efficiamur immortalitate conformes: quod quidem & ad ipſam reſurrectionem corporum pertinet. Si autem etiam in his verbis, qua forma reſurrectura ſint corpora ſumus admoniti: ſicut illa menſura, ita & iſta conformatio non quantitatis intelligenda eſt, ſed ætatis. Reſurgent itaque omnes tam magni corpore quàm vel erant, vel futuri erant in juvenili ætate: quamvis nihil oberit, etiam ſi erit infantilis, vel ſenilis corporis forma: ubi nec mentis, nec ipſius corporis ulla manebit infirmitas. Unde etiam ſi Rom. 8. Rom. 12.

quis in eo corporis modo, in quo defunctus eſt reſurrecturum unumquemque contendit, non eſt cum illo laborioſa contradictione pugnandum.

F.L.Cap. *a* Unde etiam ſi quis in eo corporis modo.] *In qua ætate reſurrecturi ſint homines non ita certum eſſe ſcribit. Si quis enim velit aſſerere unumquemque in ea ætate reſurrecturum, in qua mortuus eſt, non eſſe cum eo magnopere contendendum præſertim cum in nulla ætate ſit futura, vel animi, vel corporis infirmitas, quo ſignificat non eſſe id ita certum, ut ſit de fide: capite tamen præcedente & hic probabilius cenſet omnes reſurrecturos in virili ætate, quod dixit Apoſtolus Epheſ. 4.* occurſuros nos omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, *ut quemadmodum Chriſti reſurrectio noſtra exemplar eſt quoad gloriam, ita & quoad perfectionem ætatis. Hanc ſententiam etiam amplexi ſunt omnes Scholaſtici Theologi in 4. diſtinct. 44. tum quia virilis ætas omnium perfectiſſima eſt, proindeque maxime accommodata ſtatui reſurrectionis, tum quia primus parens in ea ætate fuit formatus, tum denique quia Chriſtus genus humanum in ea ætate redemit. In eadem ſententia eſt D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ:* Juxta Eccleſiarum traditiones & Apoſtolum Paulum, *inquit,* illud eſt reſpondendum, quod in virum perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti reſurrecturi ſumus; *Idem D. Hieronymus epiſto. ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſolymit.* miraris, *inquit,* ſi de infantibus & ſenibus in perfecti viri ætatem reſurrectio fiat, cum de limo terræ absque ullis ætatum incrementis conſummatus homo factus ſit?

Cap. XVII.

An in ſuo ſexu reſuſcitanda atque manſura ſint corpora fœminarum mortuarum.

Eph. 4. Nonnulli *a* propter hoc, quod dictum eſt: Donec occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & conformes imaginis filii Dei: nec in ſexu fœmineo reſurrecturas fœminas credunt, ſed in virili omnes ajunt: quoniam Deus ſolum virum fecit ex limo, fœminam ex viro. Sed mihi melius ſapere videntur, qui utrumque ſexum reſurrecturum eſſe non dubitant. Non enim libido erit, quæ confuſionis eſt cauſa. Nam prius quàm peccaſſent, nudi erant: & non confundebantur vir & fœmina. Corporibus ergò illis vitia detrahentur: natura ſervabitur. Non eſt autem vitium ſexus fœmineus, ſed natura: quæ tunc quidem & à concubitu & à partu immunis erit: erunt tamen membra fœminea non accommodata uſui veteri, ſed decori novo, quo non alliciatur aſpicientis concupiſcentia, quæ nulla erit, ſed Dei laudetur ſapientia atque clementia: qui & quod non erat, fecit, & liberavit à corruptione, quod fecit. Ut enim in exordio generis humani de latere viri dormientis coſta detracta, fœmina fieret, Gen. 2. *a β* Chriſtum & Eccleſiam tali facto jam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri mors erat Joh. 19. Chriſti, cujus exanimis in cruce pendentis latus lancea perforatum eſt, atque inde ſanguis & aqua profluxit: quæ ſacramenta eſſe novimus, quibus ædificatur Eccleſia. Nam hoc etiam verbo ſcriptura uſa eſt, ubi non legitur, formavit aut fin-

finxit,ſed ædificavit eam in mulierem. Unde & Apoſtolus ædificationem dicit corporis Chriſti,quod eſt Eccleſia. Creatura eſt ergò Dei fœmina,ſicut vir: ſed ut de viro fieret, *b* unitas commendata eſt. Ut autem illo modo fieret,Chriſtus, ut dictum eſt,& Eccleſia figurata eſt. Qui ergò utrumque ſexum inſtituit, utrumque reſtituet, denique & ipſe Jeſus interrogatus à Saducæis, qui negabant reſurrectionem: cujus ſeptem fratrum erit uxor, quam ſinguli habuerunt, dum quiſque eorum vellet defuncti ſemen, ſicut lex præceperat excitare: *Erratis*, inquit, *neſcientes ſcripturas,neque virtutem Dei.* Et quum aptus locus eſſet,ut diceret: de qua enim me interrogatis,vir erit ipſa,non mulier: non hoc dixit: ſed dixit: In reſurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent, ſed ſunt,ſicut Angeli Dei in cœlo. *c* Æquales utique angelis immortalitate ac felicitate,non carne: ſicut nec reſurrectione, qua non indiguerunt angeli: quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergò Dominus futuras negavit eſſe in reſurrectione,non fœminas: & ibi negavit,ubi talis quæſtio vertebatur, ut eam negato ſexu muliebri celeriore facilitate diſſolveret,ſi eum ibi prænoſceret non futurum: imò etiam futurum eſſe firmavit dicendo, Non nubent,quod ad fœminas pertinet: neque uxores ducent: quod ad viros. Erunt ergò,quæ vel nubere hic ſolent: vel ducere uxores: ſed ibi hoc non facient. *Matth. 22.*

a CHriſtum &.] *Sic Apoſtolus interpretatur ad Epheſ. 5.*

b Unitas comm.] *Ut concordia eſſet major, ſciretq́ alter ſe alteram genuiſſe, & hac ex illo ſe eſſe profectam: ſed ita ut eadem videatur res & vir & uxor, nihilq́ ſit, quod eos dividat & disjungat, quo nihil poteſt eſſe rei familiari & conjugali vitæ ſalutarius.* L.Vives.

c Neque nubent,neque uxores ducent.] *Illud fœminarum eſt, hoc virorum. Vulgò nubentur legimus, Auguſt. refugit vocabulum, & quod viris parum accommodatur, & ſi apud priſcos nubere dicebantur & viri: quemadmodum Græcè γαμεῖσθαι, ut docet Nonius Marcellus.*

a NOnnulli propter hoc quod dictum eſt.] *Refellit opinionem quorundam, qui volebant omnes reſurrecturos in ſexu virili,nec fore poſt reſurrectionem ſexuum diſcretionem, non indicat tamen qui fuerint hujus hæreſis aſſertores. Author eſt tamen D. Hieronymus epiſt. ad Pammachium, in eo errore fuiſſe Originem, & idem ſcribit epiſt. 27. ad Euſtochium de obitu Paulæ,quendam hæreticum fortaſſe Origeniſtam, aggreſſum eſſe Paulam,qui contra reſurrectionē diſſereret hoc inter cætera propoſito argumento,* diverſitas maris & fœminæ erit aut non erit: ſi erit, ſequenter & nuptiæ & concubitus, ſed & generatio, ſi non erit,ſublata diverſitate ſexus eadem corpora non reſurgent. *Hunc eundem errorem Armenis tribuit Guido Carmelita, & viceſimo loco inter eorum errores recenſet. Hunc ergo refellit Auguſtinus hoc cap. primo, quia* Chriſtus detrahet tantum vitia naturæ, naturam vero ipſam non mutabit, *at ſexus fœmineus non eſt vitium, ſed natura: Secundo quia* utrumque ſexum ab initio dominus inſtituit, *utrumque ergo reſtituet. Tertio interrogatus dominus à Saducæis Matth. 22.* cujus uxor futura eſſet in reſurrectione mulier illa, quæ ſeptem viris nupſerat, ſi nulla fuiſſet ſexuum diſtinctio ſervanda, facile reſpon- I.L. Coq.

reſpondiſſet in reſurrectione nullas amplius fore mulieres, ſed omnes in virili ſexu reſurrecturos, *quod cum non reſponderit, ſed tantum negaverit futuras nuptias, inſinuavit fore mulieres, quæ quamvis nubere poſſint quod ad ſexum attinet, non nuberent. D. Hieron. in Epitaphio Paulæ citato*, Si non reſurget mulier ut mulier *(inquit)* neque maſculus ut maſculus, non erit reſurrectio mortuorum, quia ſexus membra habet, membra autem totum corpus efficiunt: ſi autem corpus & membra non fuerint, ubi erit reſurrectio corporum, quæ ſine ſexu non conſtat & membris? Porro ſi corporum non fuerit reſurrectio, nequaquam erit reſurrectio mortuorum: *& ex verbis Chriſti id amplius confirmat*, In reſurrectione non nubent neque nubentur, ſexuum *(inquit)* diverſitas demonſtratur, nemo enim de lapide & ligno dicit, non nubent neque nubentur, quæ naturam nubendi non habent, ſed de eis, qui poſſint nubere, & gratia Chriſti ac virtute non nubant. *Ita ſcribit & epiſtola ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſolymitani, & lib. 1 contra Jovinianum*, reſurgentes in proprio ſexu, ſexus non fungemur officio. *Idem docet & Juſtinus quæſt. 53. ad Orthodoxos, & Tertullianus lib. de reſurrectione carnis. cap. 10. Eandem hæreſim refutat Alphonſus à Caſtro, v. reſurrectio hæreſi 5. & Theologi in 4. diſtinct. 44.*

β Chriſtum & eccleſiam tali facto.] *Ita interpretatus eſt etiam lib. 2. de Geneſ. contra Manichæos cap. 24.* Quod per hiſtoriam impletum eſt in Adam, *inquit*, per prophetiam ſignificat Chriſtum. *poſt.* ergo & ipſe ſoparatus eſt dormitione paſſionis, ut ei conjux Eccleſia formaretur, quam dormitionem cantat per Prophetam dicens, Ego dormivi, &c. formata eſt ergo conjunx Eccleſia de latere ejus. i. e. de fide paſſionis & baptiſmi. Nam percuſſum latus ejus lancea ſanguinem & aquam profudit, *& enarrat. in Pſal. 56.* Chriſti typum gerebat Adam, quando immiſit ei Deus ſoporem, ut de latere illi conjugem faceret.

γ Æquales utique Angelis immortalitate ac fœlicitate, non carne.] *Sic Tertullianus lib. de reſurrect. car. cap. 62.* non dixit, *ait*, erunt Angeli, ne homines negaret, ſed tanquam Angeli, ut homines conſervaret, non abſtulit ſubſtantiam, cui ſimilitudinem attribuit. *D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ:* Quod ſi oppoſueris, quomodo erimus ſimiles Angelorum, cum inter Angelos non ſit maſculus & fœmina, breviter auſculta, non ſubſtantiam nobis Angelorum, ſed converſationem & beatitudinem nobis repromittit, ſimilitudo promittitur, non natura mutatur, *& epiſt. ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſolymitani*, Angelorum nobis ſimilitudo promittitur. i. e. beatitudo illa, in qua ſine carne & ſexu ſunt Angeli, nobis in carne & ſexu donabitur. *poſt*, ſimilitudo ad Angelos, non hominum in Angelos demutatio, ſed profectus immortalitatis & gloriæ eſt.

Cap. XVIII.

De viro perfecto, id eſt, Chriſto, & corpore ejus, id eſt, Eccleſia, quæ eſt ipſius plenitudo.

PRoinde α quod ait Apoſtolus, occurſuros nos omnes in virum perfectum, totius ipſius circumſtantiam lectionis conſiderare debemus: quæ ita ſe habet:

bet: Qui deſcendit, inquit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adim- Epb.4.
pleret omnia. Et ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, quosdam verò Evangeliſtas: quosdam autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, a & agnitionem filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: ut ultra non ſimus parvuli jactati, & circumlati omni vento doctrinæ, in illuſione hominum, in aſtutiam ad machinationem erroris. Veritatem autem facientes in charitate augeamur in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus connexum & compactum, per omnem tactum ſubminiſtrationis ſecundùm operationem in menſuram uniuscujusque partis incrementum corporis facit in ædificationem ſui, in charitate. Ecce qui eſt vir perfectus, caput & corpus, quod conſtat omnibus membris, quæ ſuo tempore complebuntur Quotidiè tamen eidem corpori accedunt, dum ædificatur Eccleſia, cui dicitur: Vos autem eſtis corpus 1.Cor.12.
Chriſti, & membra. Et alibi: Pro corpore, inquit, ejus, quod eſt Eccleſia. Item- Col.1.
que alibi: Unus panis, unum corpus multi ſumus. De cujus corporis ædificatio- 1.Cor.10.
ne & hic dictum eſt: Ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædi- Eph.4.
ficationem corporis Chriſti. Ac deinde ſubjectum eſt, unde nunc agimus: Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & cætera: donec eadem menſura, in quo corpore intelligenda eſſet, oſtenderet, dicens: Augeamur in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus connexum, & compactum per omnem tactum ſubminiſtrationis ſecundùm operationem in menſuram uniuscujusque partis. Sicut eſt ergò menſura uniuscujusque partis, ita totius corporis, quod omnibus ſuis partibus conſtat, eſt utique menſura plenitudinis, de qua dictum eſt: In menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Quam plenitudinem etiam illo commemoravit loco, ubi ait de Chriſto: Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ejus, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet. Verùm ſi hoc ad reſurrectionis formam, in qua erit unusquisque, referendum eſſet, quid nos impediret, nominato viro, intelligere & fœminam, ut virum pro homine poſitum acciperemus: ſicut in eo, quod dictum eſt: Beatus Pſ.169.
vir, qui timet Dominum: utique ibi ſunt & fœminæ, qui timent Dominum?

a ET agnitionem filii Dei.] *Vulgò: Et agnitionis filii Dei. Sic legit Hieronymus:* L.Vives.
& ſic eſt Græcè, καὶ ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ θεοῦ. *Significat unitatem illam eſſe fidei, & agnitionis filii Dei, non occurſum.*

a PRoinde quod ait Apoſtolꝰ occurſuros nos omnes.] *Qui volebant reſurre-* L.Cog.
cturos omnes in ſexu virili, hoc potiſſimum loco Epheſ. 4. nitebantur, quo ſcribit, Nos occurſuros in virum perfectum. *Oſtendit itaque nihil facere Apoſtoli locum pro ea ſententia. Nam primo per* virum perfectum *intelligitur Chriſtus ipſe, ut caput cum toto corpore Eccleſiæ, quod erit tunc demum in reſurrectione perfectum, quotidie enim ædificatur, & nova fit illi acceſſio membrorum, & ad finem usque ſæculi naſcituri ſunt prædeſtinati, ex quibus ædificetur & compleatur corpus Eccleſiæ, tum*

vero cum reſurgent beati ad gloriam, conſtabit omnino corpus illud myſticum Eccleſiæ ex omnibus ſuis membris & partibus, ut nihil illi deſit, neque ulla amplius acceſſio futura ſit. Secundo reſpondet, ſi locus ille ad reſurrectionis formam, in qua unuſquiſque erit, referatur, nominato viro intelligendam eſſe & fœminam, ut virum pro homine poſitum intelligamus, ſicut in pſalm. 111. Beatus vir qui timet Dominum: *Sunt enim & fœminæ, quæ timent Dominum, & D. de verb. ſignif. maſculinum concipit aliquando fœmininũ: poteſt & per virum perfectum intelligi non quidem ſexus, ſed perfectio ætatis, in qua reſurrectio fiet.*

Cap. XIX.

Quòd omnia vitia corporis, quæ in hac vita humana contraria ſunt decori, in reſurrectione non ſint futura, ubi manente naturali ſubſtantia, in unam pulchritudinem qualitas concurret & quantitas.

QUid jam reſpondeam de capillis atque unguibus? Semel quippe intellecto ita nihil *a* periturum eſſe de corpore, ut deforme nihil ſit in corpore: *ß* ſimul intelligetur ea, quæ deformem factura fuerant enormitatem, maſſæ ipſi acceſſura eſſe, non locis, in quibus membrorum forma turpetur. Velut ſi de limo vas fieret, quod rurſus in eundem limum redactum totum de toto iterum fieret, non eſſet neceſſe, ut illa pars limi, quæ in anſa fuerat, ad anſam rediret: aut quæ fundum fecerat, ipſa rurſus faceret fundum: dum tamen totum reverteretur in totum, id eſt, totus ille limus in totum vas, nulla ſui perdita parte remearet. Quapropter *γ* ſi capilli toties tonſi, unguesve deſecti, ad loca ſua deformiter redeunt, non redibunt: nec tamen cuique reſurgenti peribunt, quia in eandem carnem, ut quencunque ibi locum corporis teneant, ſervata partium congruentia, materiæ mutabilitate vertentur.
Luc. 12. Quamvis quòd ait dominus, Capillus capitis veſtri non peribit: non de longitudine, ſed de numero capillorum dictum multò aptius poſſit intelligi. Un-
Luc. 12. de & alibi dicit: Capilli capitis veſtri numerati ſunt omnes. Neque hoc ideo dixerim, quòd aliquid exiſtimem corpori cuiquam periturum, quod naturaliter inerat, ſeu quod deforme natum fuerat: non utique ob aliud, niſi ut hinc quoque oſtenderetur, quàm ſit pœnalis conditio iſta mortalium, ſic eſſe rediturum, ut ſervata integritate ſubſtantiæ deformitas pereat. Si enim ſtatuam poteſt artifex homo, quam propter aliquam cauſam deformem fecerat, conflare & pulcherrimam reddere, ita ut nihil inde ſubſtantiæ, ſed ſola deformitas pereat: ac ſi quid in illa figura priore indecenter extabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto, unde fecerat, amputare, atque ſeparare, ſed ita conſpergere univerſo atque miſcere, ut nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem: quid de omnipotenti artifice ſentiendum eſt? Ergóne non poterit quaſque deformitates humanorum corporum non modò uſitatas, verumetiam raras, atque monſtroſas, quæ huic miſeræ vitæ congruunt, abhorrent autem ab illa futura felicitate ſanctorum, ſic auferre, ac perdere, ut quaſcunque earum faciunt, & ſi naturalia, tamen inde-

indecora excrementa ſubſtantiæ corporalis, nulla ejus diminutione tollantur? Ac per hoc non eſt macris pinguibusve metuendum, ne ibi etiam tales ſint, quales ſi poſſent, nec hic eſſe voluiſſent. *a* Omnis enim corporis pulchritudo eſt partium congruentia cum quadam coloris ſuavitate. Ubi autem non eſt partium congruentia, aut ideo qui offendit, *b* quia parvum * eſt: *al. pravum.* aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium: ubi & quæ prava ſunt corrigentur: & quod minus eſt quam decet, unde creator novit, inde ſupplebitur: & quod plus eſt quàm decet, materiæ ſervata integritate, detrahetur. Coloris porrò ſuavitas quanta erit, ubi juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris ſui? *Mat. 13.* Quæ claritas in Chriſti corpore cùm reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe, quàm defuiſſe credenda eſt. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aſpectus, quando ille à ſuis ita deberet attendi, ut poſſet agnoſci. Quò pertinuit etiam, ut contrectantibus oſtenderet ſuorum vulnerum cicatrices: ut *Ioh. 20. Luc. 24.* etiam cibum potumque ſumeret: non alimentorum indigentia, ſed ea qua & hoc poterat poteſtate. Cùm autem aliquid non videtur, quamvis adſit, à quibus alia, quæ pariter adſunt, videntur: ſicut illam claritatem dicimus adfuiſſe non viſam, à quibus alia videbantur, *c* ἀορασία Græcè dicitur: quod noſtri interpretes Latinè dicere non valentes, in lib. Gen. cæcitatem interpretati ſunt. *Gen. 9.* Hanc enim paſſi ſunt Sodomitæ, quando quærebant oſtium juſti viri: nec poterant invenire. Quæ cæcitas fuiſſet, qua fit ut nihil poſſit videri, non oſtium quo ingrederentur, ſed duces itineris, à quibus inde abducerentur, inquirerent.

a OMnis enim corporis pulchritudo.] *Definitio hæc eſt pulchritudinis apud Ciceronem. Tertio Tuſculanarum quæſtionum, qui in primo Officiorum duo pulchritudinis facit genera: quorum in altero dignitas inſit, in altero venuſtas. Eſt & in alia ætate alia ratio pulchritudinis: ut Ariſtoteles libro Rhetoricorum primo docet. Alia enim eſt pueri, alia juvenis, alia viri, alia ſenis: ſed in univerſum ea definitione comprehenſa videtur pulchritudo.* *L. Viven.*

b Quia parvum eſt, aut ideo quia nimium.] *Varia lectio: alii quia parvum & nimium: alii, quia pravum & minimum: quæ videtur procedere. Tria ſunt difformium genera, quæ aut majora, aut minora, aut ſecus quàm oportet docetq́ue. Hæc ſunt loco iſto comprehenſa. Nam pravum retro eſt contrarium.*

c ἀορασία Græcè dicitur.] *Eſt enim ὁράω video, & ὅρασις viſio: hinc per privationem ἀορασία viſioni contrarium, & ἀόρατα, quæ à Platone, Ariſtotele, & cæteris philoſophis dicuntur inviſibilia, ἀορασίας neſcio an ſit aliquod Latinum verbum.*

a PEriturum nihil eſſe de corpore, ut deforme nihil ſit in corpore.] *Corpora beatorum non reſurrectura cum deformitatibus & vitiis & hic & præterea in Enchiridio docet cap. 87. & 91.* Reſurgent, *inquit,* ſanctorum corpora ſine ulla deformitate, ſicut, ſine ulla corruptione, onere, difficultate. *An vero ita futurum ſit de corporibus damnatorum, certi nihil aſſerit cap. 92, hæc ſubjiciens,* Qui- *F.L.Cog.*

cunque

cunque ab illa perditionis maſſa, quæ facta eſt per hominem primum, non liberantur per unum mediatorem Dei & hominum, reſurgent quidem etiam ipſi unusquisque cum ſua carne, ſed ut cum Diabolo & Angelis ejus puniantur. Utrum ſane ipſi cum vitiis & deformitatibus ſuorum corporum reſurgant, quicumque in eis vitioſa & deformia membra geſtarunt, inquirendo laborare quid opus eſt? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio. *D. Thomas 3.p.q.86.art.1. diſtinguit inter deformitatem corporum ex defectu alicujus membri, & eam, quæ exiſtit ex aliqua alia corporis pravitate: De priori putat non dubitaſſe D. Auguſtinum, quin ſine illa reſurrecturi ſint damnati, ſed de poſteriori, quam nec in illis manſuram putat ipſe D. Thomas, tamen D. Auguſtinus de omnibus hujusmodi deformitatibus promiſcue loqui & dubitare videtur, quod attinet ad corpora damnatorum, quemadmodum ſupra cap. 91. de omni hujusmodi deformitate loquens, affirmat corpora ſanctorum reſurrectura ſine omni deformitate, quod poſtea de damnatis ait eſſe dubium. Probabile eſt & magis conſentaneum doctrinæ Scholaſticorum in 4. diſtinct. 44. fore etiam, ut damnati cum omnibus membris reſurgant, etſi aliquo in hac vita privati fuiſſent. Nec enim id in eorum gloriam cedit, verum potius in pœnam & ignominiam, ut nullum ſit membrum, quod careat ſuo cruciatu, & ita videtur ſenſiſſe D. Auguſtinus epiſt. 146. ad Conſentinum,* Juſti immutabuntur in illam incorruptelam? cui nulla poſſit nocere corruptio, qui autem in eam non commutabuntur, incorrupti quidem reſurgent integritate membrorum, ſed tamen corrumpendi dolore pœnarum.

β Simul intelligitur ea, quæ deformem factura fuerant enormitatem.] *Exiſtimavit hoc loco D. Auguſtinus fore, ut quantumvis pars aliqua corporis eſſet deformis vel excederet juſtam magnitudinem, nihil tamen ſubſtantiæ illius periturum, ſed futurum, ut divina virtute, quod poſſit illi parti vel membro deformitatem afferre, commiſceatur cum cæteris partibus, ut ſumma inde pulchritudo naſcatur. Idem docet in Enchiridio cap. 89.* Ipſa, *inquit*, terrena materies, quæ diſcedente anima fit cadaver, non ita reſurectione reparabitur, ut ea, quæ dilabuntur & in alias atque alias aliarum rerum ſpecies formasque vertuntur, quamvis ad corpus redeant, unde dilapſa ſunt, ad eaſdem quoque corporis partes, ubi fuerunt, redire neceſſe ſit. Alioquin ſi capillus capitis redit, quod tam crebra tonſura detraxit, ſi unguibus, quod toties dempſit, exactio immoderata, & indecens cogitantibus, & ideo reſurrectionem carnis non credentibus, occurrit informitas: *Quod hic exemplo oſtendit limi, ex quo vas aliquod fieret; utrobique oſtendit exemplo ſtatuæ cujuslibet ſolubilis metalli, quæ ſi igne liqueſceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in maſſam, & eam vellet artifex rurſus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil intereſſet ad ejus integritatem, quæ particula materiæ cui membro ſtatuæ redderetur, dum tamen totum, ex quo conſtituta fuerat, reſtituta reſumeret.* Ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex de toto, quo caro noſtra conſtiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate reſtituet. Nec aliquid attinebit ad ejus redintegrationem, utrum capilli ad capillos redeant & ungues ad ungues, an quicquid

eorum

eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis renovetur, curante artificis providentia, ne quid indecens fiat. *Ex ſententia igitur D. Auguſtini ad veritatem & neceſſitatem reſurrectionis neceſſe quidem eſt, ut materia totius corporis ſit eadem, non tamen ut materia ſingulorum membrorum reſpective ſit eadem, hoc eſt, ut ex eadem omnino parte materiæ, ex qua prius conſtabat caput, conſtet poſtea, ſicque manus, jecur, pes, quemadmodum ut fiat eadem numero ſtatua, non neceſſe eſt ut ſingulæ partes luti redeant in eundem locum, in quo antea fuere. Scholaſtici Theologi videntur quidem, quod ad partes homogeneas attinet, admittere hanc doctrinam D. Auguſtini, quod vero attinet ad partes heterogeneas, omnino neceſſe eſt, ut ex iiſdem pulveribus, in quos fuerunt diſſoluta, denuo conficiantur, quemadmodum ſi ex pulveribus, in quos diſſoluta eſt caro, fieret os, non eſſet idem numero, quod antea fuit, quia non conſtaret eadem materia, quod tamen ad ipſam carnem attinet, vel ad aliam partem homogeneam, non ita eſt neceſſe, ut ſingulæ partes cinerum redeant ad eandem partem corporis humani, in qua antea fuerunt, ſed ſatis eſt, ut ex totis cineribus, in quos caro eſt diſſoluta, rurſus caro fiat, ut dicit Auguſtinus quocumque partium ordine ſervato.*

γ Si capilli toties tonſi.] *Quæ non veræ corporis partes, ſed excrementa tantum ſunt & ſuperfluitates, in reſurrectione minime reſtituentur, capilli vero & ungues, quia non ſunt mera excrementa, ſed ad munimentum & ornamentum aliarum partium pertinent, & eatenus ſunt quodammodo quædam corporis partes, omnino reſtituentur in reſurrectione, in ea ſcilicet quantitate & forma, qua maxime decebit.*

δ Ἀορασία Græce dicitur, quod noſtri interpretes.] *Proprie ſonat* privationem τῆς ὁράσεως, *unde redditur* cæcitas, *ſi ferret uſus. Latinè diceretur* avidentia, *ut ſcribit quæſt. 43. in Geneſim,* quæ faciat non videri non omnia, ſed id quod quis maximo quærit & cupit videre. *Hac percuſſi ſunt Sodomitæ ab Angelis, ne invenirent oſtium domus Loth,* ἐπάταξαν ἐν ἀορασίᾳ, *hac cæcitate ſunt percuſſi milites Syriæ, qui quærebant Helizæum 4. Reg. 6. ubi ita legitur,* πάταξον τὸ ἔθνος τοῦτο ἀορασίᾳ, καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς ἀορασίᾳ. *Hanc & illi habuerunt, qui dominum poſt reſurrectionem cum illo ambulantes in via non cognoverunt, quamvis non ſit ibi hoc verbum poſitum, ſed res ipſa intelligatur.*

CAP. XX.

Quod in reſurrectione mortuorum, natura corporum quibuslibet modis diſſipatorum, in integrum undecunque revocanda ſint.

NEſcio quo autem modo ſic afficimur amore martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt: α & fortaſſe videbimus. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit: & quædam, quamvis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit: nec ideo tamen ſi aliqua martyribus amputata & ablata ſunt membra, ſine ipſis membris erunt in reſurrectione mortuorum: quibus dictum eſt: Capillus capitis veſtri non peribit. Luc. 21. Sed ſi hoc decebit in illo novo ſeculo, ut indicia glorioſorum vulnerum

b Jam quodammodo.] *In antiquis exemplaribus pro innatum legitur liciatum, translatione texentium, quaſi jam illa ceu tela texta eſt in puero, ſed non explicata, & hoc videtur conformius Auguſtini ſenſui, qui metaphoram mollivit, quum dixit, quodammodo & vocabulum, liciatum, cùm ut ita dicam.*

E.L.c.ap. *a* SEd quod eis tardius acceſſurum erat tempore.] *Idem in Enchiridio cap. 85.* Quis negare audeat, etſi affirmare non audeat, id acturam eſſe reſurrectionem, ut quicquid formæ defuit, impleatur? Atque ita non deſit perfectio, quæ acceſſura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quæ acceſſerunt tempore, ut neque in eis quod aptum & congruum dies allaturi fuerant, natura fraudetur, neque in eo, quod adverſum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur, ſed integretur, quod non erat integrum, ſicut inſtaurabitur, quod fuerat vitiatum. *Qua vera ratione poſſit in majori corpore reſurgere, qui in parvo & infantili mortuus eſt, nonnulli volunt poſſe Deum ex quacumque parte materiæ quantumvis minima fabricare corpus magnæ molis & quantitatis nulla facta additione ſubſtantiæ, ſeu materiæ, ſed tantum quantitatis & aliorum accidentium, ſicut formavit corpus Evæ ex coſta Adæ, in qua exigua erat portio materiæ & tamen corpus ex illa formatum, perfectum & completæ magnitudinis fuit. D. Thomas in 4. diſtinct. 44. q. 1. artic. 2. quæſt. 4. ad 3. ut puer reſurgat in magnitudine perfecta, & in corpore naturali modo conſtituto, neceſſarium vult eſſe aliquam fieri additionem. Nec enim id erit contra veritatem & perfectionem reſurrectionis, cum idem numero reſurgat quod cecidit, habeatque eandem materiam licet non ſolam, quia non habuerat integram atque perfectam.*

Cap. XV.

An ad Dominici corporis modum, omnium mortuorum reſurrectura ſint corpora.

SEd utique Chriſtus in ea menſura corporis in qua eſt mortuus, reſurrexit, nec fas eſt dicere, quum reſurrectionis omnium tempus venerit, acceſſuram corpori ejus eam magnitudinem, quam non habuit, quando in ea diſcipulis, in qua illis erat notus, apparuit, ut longiſſimis fieri poſſit æqualis. Si autem dixerimus ad Dominici corporis modum, etiam quorumque majora corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, quum ipſe nec capillum periturum eſſe promiſerit. *a* Reſtat ergo, ut ſuam recipiat quisque menſuram, quam vel habuit in juventute, etiam ſi ſenex eſt mortuus: vel fuerat habiturus, ſi antè eſt defunctus. Atque illud quod commemoravit Apoſtolus de menſura ætatis plenitudinis Chriſti aut propter aliud intelligemus dictum eſſe, id eſt, ut illi capiti in populis Chriſtianis accedente omnium perfectione membrorum ætatis ejus menſura compleatur: aut ſi hoc de reſurrectione corporum dictum eſt, ſic accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra juvenilem formam reſurgant corpora mortuorum: ſed in ea ætate & robore, uſque ad quam Chriſtum hîc perveniſſe cognovimus. *β* Circa triginta quippe annos definierunt eſſe etiam ſeculi hujus doctiſſimi homines,

Ephes. 4.

nes, juventutem. Quæ quum fuerit ſpatio proprio terminata, inde jam hominem in detrimenta vergere gravioris ac ſenilis ætatis: & ideo non eſſe dictum, in menſuram corporis, vel in menſuram ſtaturæ: ſed in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

α RESTAT ergo ut ſuam recipiat quisque menſuram.] *Non omnes in eadem ſtatura vel corporis mole reſurrecturos hic & præterea in Enchiridio cap. 90. docet; unde futurum eſt, ut corporum beatorum alia ſtatura ſint minora corpore Chriſti, alia etiam poſſint eſſe majoris magnitudinis. Nec enim hoc repugnat Chriſti perfectioni, licet alias longe excedat alia corpora in gloria. Nec enim ex corporis magnitudine ſumenda eſt proportio aut æqualitas gloriæ. Id etiam ad quandam pulcritudinem videtur pertinere, ut beati reſurgant diverſa ſtatura.* F.L.Cop.

β Circa 30. quippe annos definierunt etiam hujus ſæculi doctiſſimi homines juventutem.] *Quos Græci τοὺς ἐξωσοφοὺς appellant, intelligit, & imprimis Varronem, ut author eſt doctiſſimus Cujacius in lib. ſingul. reſponſ. Ulpii Marcelli ad L. 69. non aliter §. 1. D. de legat. 3. citato hoc loco D. Auguſtini, ubi, cum quidam codicillis ſuis ita caviſſet,* omnes juvenes, quos in miniſterio habeo, dari volo. *Marcellus interrogatus à qua ætate* juvenes, *& quam intelligi deberent, reſpondit exiſtimari poſſe* juvenem *eum, qui adoleſcentis exceſſiſſet ætatem, quoad inciperet inter ſeniores numerari, nimirum à viceſimo quinto an. ad 45. Nam ſeniores Varro definit à 45. ad 60. ſenes usque in finem vitæ, ubi ſeniores ſeparat à ſenibus. Agellius lib. 10. cap. 18. ex Tuberone hiſtor. 1. refert Ser. Tullium regem popul. Romani, cum illas quinque claſſes juniorum cenſus faciendi gratia inſtitueret, pueros eſſe exiſtimaſſe, qui minores eſſent annis ſeptemdecim, atque inde ab anno decimoſeptimo, quod idoneos jam eſſe reipublicæ arbitraretur, milites ſcripſiſſe, eosque ad annum quadrageſimum ſextum juniores, ſupraque eum annum ſeniores appellaſſe. Unde conſtat ex juſta cenſione Ser. Tullii prudentiſſimi regis, quæ fuerint judicio, moribusque majorum pueritiæ, juventæ, ſenectæ diſcrimina.*

CAP. XVI.

Qualis intelligenda ſit conformatio ſanctorum ad imaginem filii Dei.

ILLud etiam quod ait, prædeſtinatos fieri conformes imaginis filii Dei, poteſt & ſecundùm interiorem hominem intelligi. Unde nobis alio loco dicit: Nolite conformari huic ſeculo: ſed reformamini in novitate mentis veſtræ. Ubi ergo reformamur, ne conformemur huic ſeculo, ibi conformamur Dei filio. Poteſt & ſic accipi, ut quemadmodum ille nobis mortalitate, ita nos illi efficiamur immortalitate conformes: quod quidem & ad ipſam reſurrectionem corporum pertinet. Si autem etiam in his verbis, qua forma reſurrectura ſint corpora ſumus admoniti: ſicut illa menſura, ita & iſta conformatio non quantitatis intelligenda eſt, ſed ætatis. Reſurgent itaque omnes tam magni corpore quàm vel erant, vel futuri erant in juvenili ætate: quamvis nihil oberit, etiam ſi erit infantilis, vel ſenilis corporis forma: ubi nec mentis, nec ipſius corporis ulla manebit infirmitas. Unde etiam ſi quis

Rom. 8.
Rom. 12.

quis in eo corporis modo, in quo defunctus eſt reſurrecturum unumquenque contendit, non eſt cum illo laborioſa contradictione pugnandum.

V.L.Cap. a Unde etiam ſi quis in eo corporis modo.] *In qua ætate reſurrecturi ſint homines non ita certum eſſe ſcribit. Si quis enim velit aſſerere unumquemque in ea ætate reſurrecturum, in qua mortuus eſt, non eſſe cum eo magnopere contendendum præſertim cum in nulla ætate ſit futura, vel animi, vel corporis infirmitas, quo ſignificat non eſſe id ita certum, ut ſit de fide: capite tamen præcedente & hic probabilius cenſet omnes reſurrecturos in virili ætate, quod dixit Apoſtolus Epheſ. 4.* occurſuros nos omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, *ut quemadmodum Chriſti reſurrectio noſtra exemplar eſt quoad gloriam, ita & quoad perfectionem ætatis. Hanc ſententiam etiam amplexi ſunt omnes Scholaſtici Theologi in 4. diſtinct. 44. tum quia virilis ætas omnium perfectiſſima eſt, proindeque maxime accommodata ſtatui reſurrectionis, tum quia primus parens in ea ætate fuit formatus, tum denique quia Chriſtus genus humanum in ea ætate redemit. In eadem ſententia eſt D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ:* Juxta Eccleſiarum traditiones & Apoſtolum Paulum, *inquit*, illud eſt reſpondendum, quod in virum perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti reſurrecturi ſumus; *Idem D. Hieronymus epiſto. ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſolymit.* miraris, *inquit*, ſi de infantibus & ſenibus in perfecti viri ætatem reſurrectio fiat, cum de limo terræ abſque ullis ætatum incrementis conſummatus homo factus ſit?

Cap. XVII.

An in ſuo ſexu reſuſcitanda atque manſura ſint corpora fœminarum mortuarum.

Eph. 4. NOnnulli *a* propter hoc, quod dictum eſt: Donec occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & conformes imaginis filii Dei: nec in ſexu fœmineo reſurrecturas fœminas credunt, ſed in virili omnes ajunt: quoniam Deus ſolum virum fecit ex limo, fœminam ex viro. Sed mihi melius ſapere videntur, qui utrumque ſexum reſurrecturum eſſe non dubitant. Non enim libido erit, quæ confuſionis eſt cauſa. Nam prius quàm peccaſſent, nudi erant: & non confundebantur vir & fœmina. Corporibus ergò illis vitia detrahentur: natura ſervabitur. Non eſt autem vitium ſexus fœmineus, ſed natura: quæ tunc quidem & à concubitu & à partu immunis erit: erunt tamen membra fœminea non accommodata uſui veteri, ſed decori novo, quo non alliciatur aſpicientis concupiſcentia, quæ nulla erit, ſed Dei laudetur ſapientia atque clementia: qui & quod non erat, fecit, & liberavit à corruptione, quod fecit. Ut enim in exordio generis humani de latere viri dormientis coſta detracta, fœmina fieret, *a β* Chriſtum & Eccleſiam

Gen. 2. tali facto jam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri mors erat

Joh. 19. Chriſti, cujus exanimis in cruce pendentis latus lancea perforatum eſt, atque inde ſanguis & aqua profluxit: quæ ſacramenta eſſe novimus, quibus ædificatur Eccleſia. Nam hoc etiam verbo ſcriptura uſa eſt, ubi non legitur, formavit aut fin-

finxit,ſed ædificavit eam in mulierem. Unde & Apoſtolus ædificationem dicit corporis Chriſti,quod eſt Eccleſia. Creatura eſt ergò Dei fœmina,ſicut vir: ſed ut de viro fieret, *b* unitas commendata eſt. Ut autem illo modo fieret,Chriſtus, ut dictum eſt,& Eccleſia figurata eſt. Qui ergò utrumque ſexum inſtituit, utrumque reſtituet, denique & ipſe Jeſus interrogatus à Saducæis, qui negabant reſurrectionem: cujus ſeptem fratrum erit uxor, quam ſinguli habuerunt, dum quiſque eorum vellet defuncti ſemen, ſicut lex præceperat excitare: *Erratis*, inquit, *neſcientes ſcripturas,neque virtutem Dei.* Et quum aptus locus eſſet,ut diceret: de qua enim me interrogatis,vir erit ipſa,non mulier: non hoc dixit: ſed dixit: In reſurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent, ſed ſunt,ſicut Angeli Dei in cœlo. *γ* Æquales utique angelis immortalitate ac felicitate,non carne: ſicut nec reſurrectione, qua non indiguerunt angeli: quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergò Dominus futuras negavit eſſe in reſurrectione,non fœminas: & ibi negavit,ubi talis quæſtio vertebatur, ut eam negato ſexu muliebri celeriore facilitate diſſolveret,ſi eum ibi prænoſceret non futurum: imò etiam futurum eſſe firmavit dicendo, Non nubent,quod ad fœminas pertinet: neque uxores ducent: quod ad viros. Erunt ergò,quæ vel nubere hic ſolent: vel ducere uxores: ſed ibi hoc non facient. Matth. 22.

a CHriſtum &c.] *Sic Apoſtolus interpretatur ad Epheſ. 5.* L.Vives.

b Unitas comm.] *Ut concordia eſſet major, ſciretq́, alter ſe alteram genuiſſe, & hæc ex illo ſe eſſe profectam: ſed ita ut eadem videatur res & vir & uxor, nihilq́; ſit, quod eos dividat & disjungat, quo nihil poteſt eſſe rei familiari & conjugali vita ſalutarius.*

c Neque nubent,neque uxores ducent.] *Illud fœminarum eſt, hoc virorum. Vulgò nubentur legimus, Auguſt. refugit vocabulum, & quod viris parum accommodatur,& ſi apud priſcos nubere dicebantur & viri: quemadmodum Græcè γαμεῖσθαι, ut docet Nonius Marcellus.*

a NOnnulli propter hoc quod dictum eſt.] *Refellit opinionem quorundam, qui volebant omnes reſurrecturos in ſexu virili,nec fore poſt reſurrectionem ſexuum diſcretionem, non indicat tamen qui fuerint hujus hæreſis aſſertores. Author eſt tamen D. Hieronymus epiſt. ad Pammachium, in eo errore fuiſſe Originem, & idem ſcribit epiſt. 27. ad Euſtochium de obitu Paulæ,quendam hæreticum fortaſſe Origeniſtam, aggreſſum eſſe Paulam,qui contra reſurrectionē diſſereret hoc inter cætera propoſito argumento,* diverſitas maris & fœminæ erit aut non erit: ſi erit, ſequenter & nuptiæ & concubitus, ſed & generatio, ſi non erit,ſublata diverſitate ſexus eadem corpora non reſurgent. *Hunc eundem errorem Armenis tribuit Guido Carmelita, & viceſimo loco inter eorum errores recenſet. Hunc ergo refellit Auguſtinus hoc cap. primo, quia* Chriſtus detrahet tantum vitia naturæ, naturam vero ipſam non mutabit, *at ſexus fœmineus non eſt vitium, ſed natura: Secundo quia* utrumque ſexum ab initio dominus inſtituit, *utrumque ergo reſtituet. Tertio interrogatus dominus à Saducæis Matth. 22.* cujus uxor futura eſſet in reſurrectione mulier illa, quæ ſeptem viris nupſerat, ſi nulla fuiſſet ſexuum diſtinctio ſervanda, facile F.L. Coq.

reſpondiſſet in reſurrectione nullas amplius fore mulieres, ſed omnes in virili ſexu reſurrecturos, *quod cum non reſponderit, ſed tantum negaverit futuras nuptias, inſinuavit fore mulieres, quæ quamvis nubere poſſint quod ad ſexum attinet, non nuberent. D. Hieron. in Epitaphio Paulæ citato*, Si non reſurget mulier ut mulier *(inquit)* neque maſculus ut maſculus, non erit reſurrectio mortuorum, quia ſexus membra habet, membra autem totum corpus efficiunt: ſi autem corpus & membra non fuerint, ubi erit reſurrectio corporum, quæ ſine ſexu non conſtat & membris? Porro ſi corporum non fuerit reſurrectio, nequaquam erit reſurrectio mortuorum: *& ex verbis Chriſti id amplius confirmat*, In reſurrectione non nubent neque nubentur, ſexuum *(inquit)* diverſitas demonſtratur, nemo enim de lapide & ligno dicit, non nubent neque nubentur, quæ naturam nubendi non habent, ſed de eis, qui poſſint nubere, & gratia Chriſti ac virtute non nubant. *Ita ſcribit & epiſtola ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſolymitani, & lib. 1 contra Jovinianum*, reſurgentes in proprio ſexu, ſexus non fungemur officio. *Idem docet & Juſtinus quæſt. 53. ad Orthodoxos, & Tertullianus lib. de reſurrectione carnis. cap. 10. Eandem hæreſim refutat Alphonſus à Caſtro, v. reſurrectio hæreſi 5. & Theologi in 4. diſtinct. 44.*

β Chriſtum & eccleſiam tali facto.] *Ita interpretatus eſt etiam lib. 2. de Geneſ. contra Manichæos cap. 24.* Quod per hiſtoriam impletum eſt in Adam, *inquit*, per prophetiam ſignificat Chriſtum. *poſt.* ergo & ipſe ſoparatus eſt dormitione paſſionis, ut ei conjux Eccleſia formaretur, quam dormitionem cantat per Prophetam dicens, Ego dormivi, &c. formata eſt ergo conjunx Eccleſia de latere ejus. i. e. de fide paſſionis & baptiſmi. Nam percuſſum latus ejus lancea ſanguinem & aquam profudit, *& enarrat. in Pſal. 56.* Chriſti typum gerebat Adam, quando immiſit ei Deus ſoporem, ut de latere illi conjugem faceret.

γ Æquales utique Angelis immortalitate ac fœlicitate, non carne.] *Sic Tertullianus lib. de reſurrect. car. cap. 62.* non dixit, *ait*, erunt Angeli, ne homines negaret, ſed tanquam Angeli, ut homines conſervaret, non abſtulit ſubſtantiam, cui ſimilitudinem attribuit. *D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ:* Quod ſi oppoſueris, quomodo erimus ſimiles Angelorum, cum inter Angelos non ſit maſculus & fœmina, breviter auſculta, non ſubſtantiam nobis Angelorum, ſed converſationem & beatitudinem nobis repromittit, ſimilitudo promittitur, non natura mutatur, *& epiſt. ad Pammachium contra errores Joannis Hieroſolymitani*, Angelorum nobis ſimilitudo promittitur. i. e. beatitudo illa, in qua ſine carne & ſexu ſunt Angeli, nobis in carne & ſexu donabitur. *poſt*, ſimilitudo ad Angelos, non hominum in Angelos demutatio, ſed profectus immortalitatis & gloriæ eſt.

Cap. XVIII.

De viro perfecto, id eſt, Chriſto, & corpore ejus, id eſt, Eccleſia, quæ eſt ipſius plenitudo.

PRoinde α quod ait Apoſtolus, occurſuros nos omnes in virum perfectum, totius ipſius circumſtantiam lectionis conſiderare debemus: quæ ita ſe habet:

bet: Qui deſcendit, inquit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, quoſdam verò Evangeliſtas: quoſdam autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, a & agnitionem filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: ut ultra non ſimus parvuli jactati, & circumlati omni vento doctrinæ, in illuſione hominum, in aſtutiam ad machinationem erroris. Veritatem autem facientes in charitate augeamur in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus connexum & compactum, per omnem tactum ſubminiſtrationis ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujuſque partis incrementum corporis facit in ædificationem ſui, in charitate. Ecce qui eſt vir perfectus, caput & corpus, quod conſtat omnibus membris, quæ ſuo tempore complebuntur. Quotidiè tamen eidem corpori accedunt, dum ædificatur Eccleſia, cui dicitur: Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra. Et alibi: Pro corpore, inquit, ejus, quod eſt Eccleſia. Itemque alibi: Unus panis, unum corpus multi ſumus. De cujus corporis ædificatione & hic dictum eſt: Ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Ac deinde ſubjectum eſt, unde nunc agimus: Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & cætera: donec eadem menſura, in quo corpore intelligenda eſſet, oſtenderet, dicens: Augeamur in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus connexum, & compactum per omnem tactum ſubminiſtrationis ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujuſque partis. Sicut eſt ergò menſura uniuſcujuſque partis, ita totius corporis, quod omnibus ſuis partibus conſtat, eſt utique menſura plenitudinis, de qua dictum eſt: In menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Quam plenitudinem etiam illo commemoravit loco, ubi ait de Chriſto: Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ejus, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet. Verùm ſi hoc ad reſurrectionis formam, in qua erit unuſquiſque, referendum eſſet, quid nos impediret, nominato viro, intelligere & fœminam, ut virum pro homine poſitum acciperemus: ſicut in eo, quod dictum eſt: Beatus vir, qui timet Dominum: utique ibi ſunt & fœminæ, qui timent Dominum?

Eph. 4. 1. Cor. 12. Col. 1. 1. Cor. 10. Eph. 4. Pſ. 105.

a ET agnitionem filii Dei.] *Vulgò: Et agnitionis filii Dei. Sic legit Hieronymus: & ſic eſt Græcè,* καὶ ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ θεοῦ. *Significat unitatem illam eſſe fidei, & agnitionis filii Dei, non occurſum.* L. Vives.

a PRoinde quod ait Apoſtolus occurſuros nos omnes.] *Qui volebant reſurrecturos omnes in ſexu virili, hoc potiſſimum loco Epheſ. 4. nitebantur, quo ſcribit,* Nos occurſuros in virum perfectum. *Oſtendit itaque nihil facere Apoſtoli locum pro ea ſententia. Nam primo per* virum perfectum *intelligitur Chriſtus ipſe, ut caput cum toto corpore Eccleſiæ, quod erit tunc demum in reſurrectione perfectum, quotidie enim ædificatur, & nova fit illi acceſſio membrorum, & ad finem uſque ſæculi naſcituri ſunt prædeſtinati, ex quibus ædificetur & compleatur corpus Eccleſiæ, tum* F. L. Coq.

vero cum reſurgent beati ad gloriam, conſtabit omnino corpus illud myſticum Eccleſiæ ex omnibus ſuis membris & partibus, ut nihil illi deſit, neque ulla amplius acceſſio futura ſit. Secundo reſpondet, ſi locus ille ad reſurrectionis formam, in qua unuſquiſque erit, referatur, nominato viro intelligendam eſſe & fœminam, ut virum pro homine poſitum intelligamus, ſicut in pſalm. 111. Beatus vir qui timet Dominum: *Sunt enim & fœminæ, quæ timent Dominum, & D. de verb. ſignif. maſculinum concipit aliquando fœmininũ: poteſt & per virum perfectum intelligi non quidem ſexus, ſed perfectio ætatis, in qua reſurrectio fiet.*

Cap. XIX.

Quòd omnia vitia corporis, quæ in hac vita humanæ contraria ſunt decori, in reſurrectione non ſint futura, ubi manente naturali ſubſtantia, in unam pulchritudinem qualitas concurret & quantitas.

QUid jam reſpondeam de capillis atque unguibus? Semel quippe intellecto ita nihil *α* periturum eſſe de corpore, ut deforme nihil ſit in corpore: *β* ſimul intelligetur ea, quæ deformem factura fuerant enormitatem, maſſæ ipſi acceſſura eſſe, non locis, in quibus membrorum forma turpetur. Velut ſi de limo vas fieret, quod rurſus in eundem limum redactum totum de toto iterum fieret, non eſſet neceſſe, ut illa pars limi, quæ in anſa fuerat, ad anſam rediret: aut quæ fundum fecerat, ipſa rurſus faceret fundum: dum tamen totum reverteretur in totum, id eſt, totus ille limus in totum vas, nulla ſui perdita parte remearet. Quapropter *γ* ſi capilli toties tonſi, unguesve deſecti, ad loca ſua deformiter redeunt, non redibunt: nec tamen cuique reſurgenti peribunt, quia in eandem carnem, ut quencunque ibi locum corporis teneant, ſervata partium congruentia, materiæ mutabilitate vertentur.
Luc. 12. Quamvis quòd ait dominus, Capillus capitis veſtri non peribit: non de longitudine, ſed de numero capillorum dictum multò aptius poſſit intelligi. Un-
Luc. 12. de & alibi dicit: Capilli capitis veſtri numerati ſunt omnes. Neque hoc ideo dixerim, quòd aliquid exiſtimem corpori cuiquam periturum, quod naturaliter inerat, ſeu quod deforme natum fuerat: non utique ob aliud, niſi ut hinc quoque oſtenderetur, quàm ſit pœnalis conditio iſta mortalium, ſic eſſe rediturum, ut ſervata integritate ſubſtantiæ deformitas pereat. Si enim ſtatuam poteſt artifex homo, quam propter aliquam cauſam deformem fecerat, conflare & pulcherrimam reddere, ita ut nihil inde ſubſtantiæ, ſed ſola deformitas pereat: ac ſi quid in illa figura priore indecenter extabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto, unde fecerat, amputare, atque ſeparare, ſed ita conſpergere univerſo atque miſcere, ut nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem: quid de omnipotenti artifice ſentiendum eſt? Ergóne non poterit quaſque deformitates humanorum corporum non modò uſitatas, verumetiam raras, atque monſtroſas, quæ huic miſeræ vitæ congruunt, abhorrent autem ab illa futura felicitate ſanctorum, ſic auferre, ac perdere, ut quaſcunque earum faciunt, & ſi naturalia, tamen inde-

indecora excrementa ſubſtantiæ corporalis, nulla ejus diminutione tollantur? Ac per hoc non eſt macris pinguibusve metuendum, ne ibi etiam tales ſint, quales ſi poſſent, nec hic eſſe voluiſſent. *a* Omnis enim corporis pulchritudo eſt partium congruentia cum quadam coloris ſuavitate. Ubi autem non eſt partium congruentia, aut ideo qui offendit, *b* quia parvum * eſt: aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium: ubi & quæ prava ſunt corrigentur: & quod minus eſt quam decet, unde creator novit, inde ſupplebitur: & quod plus eſt quàm decet, materiæ ſervata integritate, detrahetur. Coloris porrò ſuavitas quanta erit, ubi juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris ſui? Quæ claritas in Chriſti corpore cùm reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe, quàm defuiſſe credenda eſt. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aſpectus; quando ille à ſuis ita deberet attendi, ut poſſet agnoſci. Quò pertinuit etiam, ut contrectantibus oſtenderet ſuorum vulnerum cicatrices: ut etiam cibum potumque ſumeret: non alimentorum indigentia, ſed ea qua & hoc poterat poteſtate. Cùm autem aliquid non videtur, quamvis adſit, à quibus alia, quæ pariter adſunt, videntur: ſicut illam claritatem dicimus adfuiſſe non viſam, à quibus alia videbantur, *c* ἀορασία Græcè dicitur: quod noſtri interpretes Latinè dicere non valentes, in lib. Gen. cæcitatem interpretati ſunt. Hanc enim paſſi ſunt Sodomitæ, quando quærebant oſtium juſti viri: nec poterant invenire. Quæ cæcitas fuiſſet, qua fit ut nihil poſſit videri, non oſtium quo ingrederentur, ſed duces itineris, à quibus inde abducerentur, inquirerent.

al. pravum. *Mat. 13.* *Ioh. 20.* *Luc. 24.* *Gen. 9.*

a Omnis enim corporis pulchritudo.] *Definitio hæc eſt pulchritudinis apud Ciceronem. Tertio Tuſculanarum quæſtionum, qui in primo Officiorum duo pulchritudinis facit genera: quorum in altero dignitas inſit, in altero venuſtas. Eſt & in alia ætate alia ratio pulchritudinis: ut Ariſtoteles libro Rhetoricorum primo docet. Alia enim eſt pueri, alia juvenis, alia viri, alia ſenis: ſed in univerſum ea definitione comprehenſa videtur pulchritudo.* *L. Vives.*

b Quia parvum eſt, aut ideo quia nimium.] *Varia lectio: alii quia parvum & nimium: alii, quia pravum & minimum: quæ videtur procedere. Tria ſunt difformium genera, quæ aut majora, aut minora, aut ſecus quàm oportet docetq;. Hæc ſunt loco iſto comprehenſa. Nam pravum retro eſt contrarium.*

c ἀορασία Græcè dicitur.] *Eſt enim ὁράω video, & ὅρασις viſio: hinc per privationem ἀορασία viſioni contrarium, & ἀόρατα, quæ à Platone, Ariſtotele, & cæteris philoſophis dicuntur inviſibilia, ἀορασίας neſcio an ſit aliquod Latinum verbum.*

a Periturum nihil eſſe de corpore, ut deforme nihil ſit in corpore.] *Corpora beatorum non reſurrectum cum deformitatibus & vitiis & hic & præterea in Enchiridio docet cap. 87. & 91.* Reſurgent, *inquit*, ſanctorum corpora ſine ulla deformitate, ſicut, ſine ulla corruptione, onere, difficultate. *An vero ita futurum ſit de corporibus damnatorum, certi nihil aſſerit cap. 92. hæc ſubjiciens,* Quicunque *F. L. Coq.*

cunque

cunque ab illa perditionis maſſa, quæ facta eſt per hominem primum, non liberantur per unum mediatorem Dei & hominum, reſurgent quidem etiam ipſi unusquisque cum ſua carne, ſed ut cum Diabolo & Angelis ejus puniantur. Utrum ſane ipſi cum vitiis & deformitatibus ſuorum corporum reſurgant, quicumque in eis vitioſa & deformia membra geſtarunt, inquirendo laborare quid opus eſt? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio. *D. Thomas 3. p. q. 86. art. 1. diſtinguit inter deformitatem corporum ex defectu alicujus membri, & eam, quæ exiſtit ex aliqua alia corporis pravitate: De priori putat non dubitaſſe D. Auguſtinum, quin ſine illa reſurrecturi ſint damnati, ſed de poſteriori, quam nec in illis manſuram putat ipſe D. Thomas, tamen D. Auguſtinus de omnibus hujusmodi deformitatibus promiſcue loqui & dubitare videtur, quod attinet ad corpora damnatorum, quemadmodum ſupra cap. 91. de omni hujusmodi deformitate loquens, affirmat corpora ſanctorum reſurrectura ſine omni deformitate, quod poſtea de damnatis ait eſſe dubium. Probabile eſt & magis conſentaneum doctrinæ Scholaſticorum in 4. diſtinct. 44. fore etiam, ut damnati cum omnibus membris reſurgant, etſi aliquo in hac vita privati fuiſſent. Nec enim id in eorum gloriam cedit, verum potius in pœnam & ignominiam, ut nullum ſit membrum, quod careat ſuo cruciatu, & ita videtur ſenſiſſe D. Auguſtinus epiſt. 146. ad Conſentinum,* Juſti immutabuntur in illam incorruptelam? cui nulla poſſit nocere corruptio, qui autem in eam non commutabuntur, incorrupti quidem reſurgent integritate membrorum, ſed tamen corrumpendi dolore pœnarum.

β Simul intelligitur ea, quæ deformem factura fuerant enormitatem.] *Exiſtimavit hoc loco D. Auguſtinus fore, ut quantumvis pars aliqua corporis eſſet deformis vel excederet juſtam magnitudinem, nihil tamen ſubſtantiæ illius periturum, ſed futurum, ut divina virtute, quod poſſit illi parti vel membro deformitatem afferre, commiſceatur cum cæteris partibus, ut ſumma inde pulchritudo naſcatur. Idem docet in Enchiridio cap. 89.* Ipſa, *inquit*, terrena materies, quæ diſcedente anima fit cadaver, non ita reſurectione reparabitur, ut ea, quæ dilabuntur & in alias atque alias aliarum rerum ſpecies formasque vertuntur, quamvis ad corpus redeant, unde dilapſa ſunt, ad eaſdem quoque corporis partes, ubi fuerunt, redire neceſſe ſit. Alioquin ſi capillus capitis redit, quod tam crebra tonſura detraxit, ſi unguibus, quod toties dempſit, exactio immoderata, & indecens cogitantibus, & ideo reſurrectionem carnis non credentibus, occurrit informitas: *Quod hic exemplo oſtendit limi, ex quo vas aliquod fieret; utrobique oſtendit exemplo ſtatuæ cujuslibet ſolubilis metalli, quæ ſi igne liqueſceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in maſſam, & eam vellet artifex rurſus ex illius materia quantitate reparare, nihil intereſſet ad ejus integritatem, quæ particula materiæ cui membro ſtatuæ redderetur, dum tamen totum, ex quo conſtituta fuerat, reſtituta reſumeret.* Ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex de toto, quo caro noſtra conſtiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate reſtituet. Nec aliquid attinebit ad ejus redintegrationem, utrum capilli ad capillos redeant & ungues ad ungues, an quicquid

eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis renovetur, curante artificis providentia, ne quid indecens fiat. *Ex ſententia igitur D. Auguſtini ad veritatem & neceſſitatem reſurrectionis neceſſe quidem eſt, ut materia totius corporis ſit eadem, non tamen ut materia ſingulorum membrorum reſpective ſit eadem, hoc eſt, ut ex eadem omnino parte materiæ, ex qua prius conſtabat caput, conſtet poſtea, ſicque manus, jecur, pes, quemadmodum ut fiat eadem numero ſtatua, non neceſſe eſt ut ſingulæ partes luti redeant in eundem locum, in quo antea fuere. Scholaſtici Theologi videntur quidem, quod ad partes homogeneas attinet, admittere hanc doctrinam D. Auguſtini, quod vero attinet ad partes heterogeneas, omnino neceſſe eſt, ut ex iiſdem pulveribus, in quos fuerunt diſſoluta, denuo conficiantur, quemadmodum ſi ex pulveribus, in quos diſſoluta eſt caro, fieret os, non eſſet idem numero, quod antea fuit, quia non conſtaret eadem materia, quod tamen ad ipſam carnem attinet, vel ad aliam partem homogeneam, non ita eſt neceſſe, ut ſingulæ partes cinerum redeant ad eandem partem corporis humani, in qua antea fuerunt, ſed ſatis eſt, ut ex totis cineribus, in quos caro eſt diſſoluta, rurſus caro fiat, ut dicit Auguſtinus quocumque partium ordine ſervato.*

γ Si capilli toties tonſi.] *Quæ non veræ corporis partes, ſed excrementa tantum ſunt & ſuperfluitates, in reſurrectione minime reſtituentur, capilli vero & ungves, quia non ſunt mera excrementa, ſed ad munimentum & ornamentum aliarum partium pertinent, & catenus ſunt quodammodo quædam corporis partes, omnino reſtituentur in reſurrectione, in ea ſcilicet quantitate & forma, qua maxime decebit.*

δ Αοϱασια Græce dicitur, quod noſtri interpretes.] *Proprie ſonat* privationem τῆς ὀϱάσεως, *unde redditur* cæcitas, *ſi ferret uſus. Latinè diceretur* avidentia, *ut ſcribit quæſt. 43. in Geneſim,* quæ faciat non videri non omnia, ſed id quod quis maximo quærit & cupit videre. *Hac percuſſi ſunt Sodomitæ ab Angelis, ne invenirent oſtium domus Loth,* ἐπάταξαν ἐν ἀοϱασίᾳ, *hac cæcitate ſunt percuſſi milites Syriæ, qui quærebant Helizæum 4. Reg. 6. ubi ita legitur,* πάταξον τὸ ἔθνος τοῦτο ἀοϱασίᾳ, καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς ἀοϱασίᾳ. *Hanc & illi habuerunt, qui dominum poſt reſurrectionem cum illo ambulantes in via non cognoverunt, quamvis non ſit ibi hoc verbum poſitum, ſed res ipſa intelligatur.*

CAP. XX.

Quod in reſurrectione mortuorum, natura corporum quibuslibet modis diſſipatorum, in integrum undecunque revocanda ſint.

NEſcio quo autem modo ſic afficimur amore martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt: α & fortaſſe videbimus. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit: & quædam, quamvis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit: nec ideo tamen ſi aliqua martyribus amputata & ablata ſunt membra, ſine ipſis membris erunt in reſurrectione mortuorum: quibus dictum eſt: Capillus capitis veſtri non peribit. Luc. 21.
Sed ſi hoc decebit in illo novo ſeculo, ut indicia glorioſorum vulnerum

In illa immortali carne cernantur, ubi membra, ut præciderentur, percuſſa vel ſecta ſunt, ibi cicatrices, ſed tamen ejuſdem membris redditis non perditis apparebunt. Quamvis itaque omnia quæ acciderunt corpori vitia, tunc non erunt: non ſunt tamen deputanda vel appellanda vitia virtutis indicia. Abſit autem, ut ad reſuſcitanda corpora, vitæque reddenda, non poſſit omnipotentia creatoris omnia revocare, quæ vel beſtia, vel ignis abſumpſit: vel in pulverem cineremve collapſum, vel in humorem ſolutum, vel in auras eſt exhalatum. *a* Abſit ut ſinus ullus ſecretumque naturæ ita recipiat aliquid ſubtractum ſenſibus noſtris, ut omnium creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat poteſtatem. Deum certè *b* volens, ſicut poterat definire Cicero tantus autor ipſorum: Mens quædam, inquit, eſt ſoluta & libera, ſecreta ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens, ipſaque prædita motu ſempiterno. Hoc autem reperit in doctrinis magnorum philoſophorum. Ut igitur ſecundùm ipſos loquar, quomodo aliquid vel latet omnia ſentientem vel irrevocabiliter fugit omnia moventem? Unde jam etiam β quæſtio illa ſolvenda eſt: quæ difficilior videtur cæteris, ubi quæritur, cum caro mortui hominis etiam alterius viventis caro, cui potius eorum in reſurrectione reddatur. Si enim quiſpiam confectus fame,atque compulſus, veſcatur cadaveribus hominum, quod malum aliquoties accidiſſe *c* & vetus teſtatur hiſtoria, & γ noſtrorum temporum infelicia experimenta docuerunt: num quiſquam veridica ratione contendet, totum digeſtum fuiſſe perimos meatus,nihilque inde in ejus carnem mutatum atque converſum, cùm ipſa macies quæ fuit, & non eſt, ſatis indicet, quæ illis eſcis detrimenta ſuppleta ſint? Jam itaque aliqua paulò antè præmiſi, quæ ad iſtum quoque nodum ſolvendum valere debebunt. Quicquid enim carnium exhauſit fames,utique in auras eſt exhalatum; unde diximus, omnipotentem Deum poſſe revocare,quod fugit. Reddetur ergò caro illa homini, in quo eſſe caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero tanquam mutuò ſumpta deputanda eſt: quæ ſicut æs alienum ei redhibenda eſt,unde ſumpta eſt. Sua verò illi, quem fames exinanierat, ab eo, qui poteſt etiam exhalata revocare, reddetur. Quamvis etſi omnibus periſſet modis,nec ulla ejus materies in ullis naturæ latebris remanſiſſet,unde vellet: eam repararet omnipotens. Sed propter ſententiam veritatis,qua dictum eſt: Capillus capitis veſtri non peribit: abſurdum eſt,ut putemus,cum capillus hominis perire non poſſit,tantas carnes fame depaſtas atque conſumptas perire potuiſſe. Quibus omnibus pro noſtro modulo conſideratis atque tractatis hæc ſumma conficitur, ut in reſurrectione carnis in æternum eas menſuras habeat corporum magnitudo, quas habebat perficiendæ ſive perfectæ cujuſcunque indita corpori ratio juventutis,in membrorum quoque omnium modulis congruo decore ſervato. Quod decus ut ſervetur, ſi aliquid demptum fuerit indecenti alicui granditati in parte aliqua conſtitutæ,quod per totum ſpargatur: ut neque id pereat, & congruentia partium ubique teneatur, non eſt abſurdum, ut aliquid inde etiam ſtaturæ corporis

addi

addi poſſe credamus, cum omnibus partibus, ut decorem cuſtodiant, id diſtribuitur: quod ſi enormiter in una eſſet, utique non deceret. Aut ſi contenditur in ea quemque ſtatura corporis reſurrecturum eſſe, in qua defunctus eſt, non pugnaciter reſiſtendum eſt, tantum abſit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omniſque corruptio: & ſi quid aliud illud non decet regnum, in quo reſurrectionis & promiſſionis filii æquales erunt Angelis Dei, ſi non corpore, non ætate, certè felicitate.

a ABſit ut ſinus.] *Diligenti & acuto patriſfamiliàs in promptu eſt, & velut ad manum, ac ante oculos, ubi quicquam in quamlibet ampliùs ſuis ædibus ſit reconditum: & Deum aliquid putabimus in hoc mundo latere? cujus infinita ſapientia minor eſt hic totus mundus, quàm cuivis noſtrûm anguſtiſſima & minima capſula.* L.Viv.

b Volens, ſicut poterat, definire Cicero.] *Cicero 1. Tuſc. Nec verò Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam & libera, &c.*

c Et vetus teſtatur hiſtoria.] *Omni ætate obſeſſionibus preſſi, ad hoc ſunt adacti: & gentes ſunt, quæ non aliis carnibus aluntur, quæ ob id* ἀνθρωποφάγοι *nominantur.*

α ET fortaſſe videbimus.] *Martyres integris corporibus & membris reſurgent etiamſi illis aliqua fuerint amputata, cicatrices vulnerum in eis refulgentes remanebunt. Id enim eis maxime cedit ad gloriam, & videmus remanſiſſe in corpore Chriſti poſt reſurrectionem. Chryſoſtomus homil. de nativitate 7. Machabæorum,* Sicut corona regalis undique decorata fulgores varios emittit, ita ſanctorum martyrum corpora, ſicut pretioſis lapidibus acceptis pro Chriſto vulneribus diſtincta, omni regum diademate pretioſiora & ſpectabilia redduntur. *Idem D. Ambroſius lib. 10. in Lucam. Videtur quidem contrarium dicere Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem capit. 58. revera tamen ſolum negat defectum & imperfectionem, non victoria & triumphi ſtemmata. Idem docet & D. Thomas 3. p. quæſt. 54. art. 4. citans hæc verba D. Auguſtini, & 3. diſtinct. 21. q. 2. art. 4. 43. 2. & 4. diſtinct. 44. q. 2. art. 1. q. 1. 5. & quodlib. 5. art. 5.* F.L.Cop.

β Quæſtio illa ſolvenda eſt, quæ difficilior videtur cæteris.] *In hoc conſiſtit, quod accidat plerumque, ut homines humanis carnibus veſcantur: fieri igitur non poteſt, ut idem numero reſurgat corpus, cum eadem numero caro non poſſit ſimul in duobus hominibus exiſtere, vel certe ſi uterque reſurgat, neceſſe eſt alterum mancum eſſe ac mutilum. Athenagoras lib. de reſurrect. mortuorum, Tertullianus lib. de reſurrect. carnis cap. 4. Juſtinus Martyr in quæſtionibus Græcorum ad Chriſtianos ſub finem, Cyrillus Hieroſolym. Catech. 18. & Gregorius Nyſſenus lib. de hominis opificio caput 26. hoc potiſſimum argumento docent, Philoſophos tantopere ab hoc articulo fidei de reſurrectione mortuorum abhorruiſſe. Huic argumento nihil aliud reſpondet Juſtinus, quam propter has nugas non eſſe reſurrectionem in dubium revocandam, ſed ſpectandam Dei potentiam: Athenagoras reſpondet non poſſe hominem carnibus humanis nutriri, quia cuique viventi ſuum eſt proprium & accommodatum alimentum. Id tamen experientiæ repugnat & rationi, quia calor naturalis naturaliter ope-*

vatur & conſtat eſſe aliquos ἀνθρωποφάγους, qui humanis carnibus veſcantur. Reſpondet autem D. Auguſtinus fore, ut in die judicii caro humana, in qua quis fuit nutritus, tanquam mutuo accepta illi reddatur, cujus antea propria erat: quia vero actione calidi naturalis partes humani corporis plerumque conſumuntur, & veluti evaneſcunt, Deus in illis partibus ſupplebit, quod ex aliquo videtur fuiſſe detractum, ut alteri daretur: facile eſt Deo ſua providentia & potentia ita omnia diſponere ac diſtribuere, ut unusquisque vel omnino vel ex majori parte ſuum proprium corpus accipiat, & ſi in aliquibus partibus materia duo homines communicent, & non ſufficiant ad utrumque corpus integrum, tunc juxta ordinem divina providentia & juſtitia, vel dividetur illa materia, vel tota dabitur alteri, alia vero pars materia aliunde ſupplebitur, & certe major eſt divina potentia, quam qua à nobis comprehendi poſſit, & tota ratio facti eſt potentia facientis, & ſi qua difficultates occurrant aliquando, à quibus ſatis nos explicare non poſſimus, non ideo tamen ſunt neganda myſteria fidei.

γ Et noſtrorum temporum infœlicia experimenta docuerunt.] *Indicat fortaſſe diram illam famem, qua Romanos oppreſſit annos 16. imperii Honorii, dum obſiderentur ab Alarico, de qua Sozimus lib. 5. Sozomenus lib. 9. cap. 8. & D. Hieronymus epiſt. 16. ad Principiam virginem:* ad nefandos cibos *(inquit)* erupit eſurientium rabies, & ſua invicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactanti infanti, & ſua recipit utero, quem paulo ante effuderat.

Cap. XXI.

De novitate corporis ſpiritalis, in quam ſanctorum caro mutabitur.

Reſtituetur ergò & quicquid de corporibus vivis, vel poſt mortem de cadáveribus periit, & ſimul cum eo, quod in ſepulchris remanſit, in ſpiritalis corporis novitatem ex animalis corporis vetuſtate mutatum reſurget, incorruptione atque immortalitate veſtitum. Sed etſi vel caſu aliquo gravi, vel inimicorum immanitate totum penitus conteratur in pulverem, atque in auras vel in aquas diſperſum, quantum fieri poteſt, nuſquàm eſſe ſinatur, omninò nullo modo ſubtrahi poterit omnipotentiæ creatoris, ſed capillus in eo capitis non deperibit. Erit ergò ſpiritui α ſubdita caro ſpiritalis, ſed tamen caro, non ſpiritus: ſicut carni ſubditus fuit ſpiritus ipſe carnalis, ſed tamen ſpiritus, non caro. Cujus rei habemus experimentum in noſtræ pœnæ deformitate. Non enim ſecundùm carnem, ſed utique ſecundùm ſpiritum carnales erant, quibus ait Apoſtolus:
1. Cor. 3. Non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus. Et homo ſpiritalis ſic in hac vita dicitur, ut tamen corpore adhuc carnalis ſit: & videat aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ. Erit autem etiam corpore
1. Cor. 15. ſpiritalis, quum eadem caro ſic reſurrexerit, ut fiat quod ſcriptum eſt: Seminatur corpus animale, ſurgit corpus ſpiritale. Quæ ſit autem, & quàm magna ſpiritalis corporis gratia, quoniam nondum venit in experimentum, vereor, ne temerarium ſit omne, quod de illa profertur eloquium. Veruntamen quia ſpei noſtræ gaudium propter Dei laudem non eſt tacendum, de intimis ardentis ſancti

cti amoris medullis dictum eſt: Domine, dilexi decorem domus tuæ: de donis *Pſ. 25.* ejus, quæ in hac ærumnoſiſſima vita bonis malisque largitur, ipſo adjuvante, conjicimus, ut poſſumus, quantum ſit illud, quod nondum experti, utique dignè eloqui non valemus. Omitto enim, quando fecit hominem rectum: omitto vitam illam duorum conjugum in paradiſi fœcunditate felicem, quando tam brevis fuit, ut ad naſcentium ſenſum nec ipſa pervenerit: in hac quam novimus, in qua adhuc ſumus, cujus tentationes, imò quàm totam tentationem quamdiu in ea ſumus, quantumlibet proficiamus, perpeti non deſinimus, quæ ſint indicia circa genus humanum bonitatis Dei, quis poterit explicare?

a Subdita caro ſpiritualis, ſed tamen caro non ſpiritus.] *Ut eadem caro intelligatur reſurrectura, & non tantum corpus quoddam tenue contra errorem Origenis, quem refert D. Hieronymus epiſt. ad Pammachium cont. erro. Joannis Hieroſolymit. Novies enim Origenes nominans reſurrectionem corporis, ne ſemel quidem carnis inſeruit,* ſuſpectum tibi ſit, *inquit,* quod de induſtria prætermiſit. *Et illud Pauli Philippen. 3.* Transfigurabit dominus corpus humilitatis noſtræ, *illud,* transfigurabit, *ita interpretatur, ut membrorum, quibus nunc utimur, diverſitas denegaretur,* Aliud *(ajebat)* nobis ſpirituale & æthereũ promittitur, quod nec tactui ſubjacet, nec oculis cernitur. *Late hanc hæreſim refutat D. Hieronymus, & docet cum Auguſtino, carnem poſt reſurrectionem fore ſpiritualem, non quia in Spiritum ſit mutanda, ſed propter gloriam, quæ ei communicabitur, & quod Spiritui omnino ſit ſubjicienda.* Hæc eſt vera reſurrectionis confeſſio *(ait Hieronymus)* quæ ſic gloriam carni tribuit, ut non auferat veritatem, *& epiſt. 65. de error. Origenis hunc eundem refert. Quod hic interpretatur corpus in reſurrectione fore ſpirituale, eandem interpretationem habet & ſupra libr. 13. cap. 20. & in Enchiridio ad Laurentium cap. 91. & lib. de fide & ſymbol. cap. 6.* *F. L. Copi.*

Cap. XXII.

De miſeriis ac malis, quibus humanum genus merito primæ prævaricationis obnoxium eſt: & à quibus nemo niſi per Chriſti gratiam liberatur.

NAm quod ad primam originem pertinet omnium mortalium progeniem fuiſſe damnatam, hæc ipſa vita, ſi vita dicenda eſt, tot & tantis malis plena teſtatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit, ut homo ab illo liberari ſine labore, dolore, timore non poſſit? Quid amor ipſe tot rerum vanarum atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, ſuperbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, ſævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, inceſta, & contra naturam utriusque ſexus tot ſtupra atque immunditiæ, quas turpe eſt etiam dicere, ſacrilegia, hæreſes, blaſphemiæ, perjuria, oppreſſiones innocentium calumniæ, cir-

circumventiones, prævaricationes, falſa teſtimonia, iniqua judicia, violentiæ, latrocinia, & quicquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita iſta hominum non recedit? Verùm hæc hominum ſunt malorum, ab illa tamen erroris & perverſi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam naſcitur. Nam quis ignorat cum quanta ignorantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifeſta eſt, & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam, *a* ita ut ſi dimittatur vivere, ut velit & facere quicquid velit, in hæc facinora & flagitia, quæ commemoravi, & quæ commemorare non potui vel cuncta vel multa perveniat? Sed divina gubernatione non omnimodo deſerente damnatos, & Deo non continente in ira ſua miſerationes ſuas, in ipſis ſenſibus generis humani prohibitio & eruditio contra iſtas, cum quibus naſcimur, tenebras vigilant, & contra hos impetus *b* opponuntur, plenæ tamen interim laborum & dolorum. Quid enim ſibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? Eccl. 30. Quid pedagogi, quid magiſtri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid diſciplina illa, qua ſcriptura ſancta dicit, dilecti filii latera eſſe tundenda, ne creſcat indomitus, domarique jam durus aut vix poſſit, aut fortaſſe nec poſſit? Quid agitur his pœnis omnibus, niſi ut debelletur imperitia, & prava cupiditas refrænetur, cum quibus malis in hoc ſeculo vivimus? Quid eſt enim, quod cum labore meminimus, ſine labore obliviſcimus: cum labore diſcimus, ſine labore neſcimus: cum labore ſtrenui, ſine labore inertes ſumus? Nónne hinc apparet, in quid velut pondere ſuo proclivis & prona ſit vitioſa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat? Deſidia, ſegnities, pigritia, negligentia, vitia ſunt utique, quibus labor fugitur, quum labor ipſe etiam, qui eſt utilis, pœna ſit. Sed præter pueriles pœnas, ſine quibus dici non poteſt, quòd majores volunt, qui vix aliquid utiliter volunt, quot & quantis pœnis genus agitetur humanum, quæ non ad malitiam nequitiamque iniquorum, ſed ad conditionem pertinent miſeriamque communem, quis ullo ſermone digerit, quis ulla cogitatione comprehendit: quantus eſt metus, quanta calamitas ab orbitatibus atque luctu, à damnis & damnationibus, à deceptionibus & mendaciis hominum, à ſuſpicionibus falſis, ab omnibus violentis facinoribus & ſceleribus alienis: quandoquidem ab eis & deprædatio, & captivitas, & vincula, & carceres, & exilia, & cruciatus, & amputatio membrorum, & privatio ſenſuum, & oppreſſio corporis ad obſcœnam libidinem opprimentis explendam, & alia multa horrenda ſæpè contingunt? Quid ab innumeris caſibus, qui forinſecus corpori formidantur, æſtibus & frigoribus, tempeſtatibus, imbribus, alluvionibus, coruſcatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus hiatibusque terrarum, oppreſſionibus ruinarum, ab offenſione & pavore, vel etiam malitia jumentorum à tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, beſtiarum ac ferarum, vel tantummodo moleſtis, vel etiam mortiferis morſibus, *β* à rabie, quæ contingit ex rabido cane, ut etiam blanda & amica ſuo domino beſtia nonnunquam vehementius & amarius quàm leones draconesque metuatur, faciatque hominem, quem fortè attaminaverit contagione peſtifera

fera

fera ita rabioſum, *e* ut à parentibus, conjuge, filiis pejus omni beſtia formidetur? Quæ mala patiuntur navigantes? Quæ terrena itinera gradientes? Quis ambulat ubicunque non inopinatis ſubjacens caſibus? *d* De foro quidam rediens domum, ſanis pedibus ſuis cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere finivit hanc vitam. Quid videtur ſedente ſecurius? De ſella, in qua ſedebat, cecidit Heli ſacerdos, & mortuus eſt. Agricolæ, imò verò omnes homines, quot & quantos à cœlo & terra, vel pernicioſis animalibus caſus metuunt agrorum fructibus? Solent tamen de frumentis tandem collectis & reconditis eſſe ſecuri. Sed quibusdam, quod novimus: proventum optimum frumentorum fluvius improviſus fugientibus hominibus de horreis ejecit atque abſtulit. Contra milleformes dæmonum incurſus, quis innocentia ſua fidit, quandoquidem ne quis fideret etiam parvulos baptizatos, quibus certè nihil eſt innocentius, aliquando ſic vexant, ut in eis maximè Deo ſinente iſta monſtretur hujus vitæ flenda calamitas, & alterius deſideranda felicitas? Jam verò de ipſo corpore tot exiſtunt morborum mala, *e γ* ut nec libris medicorum cuncta comprehenſa ſint. In quorum pluribus ac penè omnibus etiam ipſa adjumenta & medicamenta tormenta ſunt, ut homines à pœnarum exitio, pœnali eruantur auxilio. Nónne ad hoc perduxit ſitientes homines ardor immanis, ut urinam quoque humanam vel etiam ſuam biberent? Nónne ad hoc fames, ut à carnibus hominum abſtinere ſe non poſſent, nec inventos homines mortuos, ſed propter hoc à ſe occiſos: nec quoslibet alienos, *δ* verùm etiam filios, matres, incredibili crudelitate quàm rabida eſuries faciebat, abſumerent? Ipſe poſtremò ſomnus, qui propriè quietis nomen accepit, quis verbis explicet *f ε* ſæpè ſomniorum viſis, quàm ſit inquietus: & quâm magnis licet falſarum rerum terroribus, quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, ut à veris eas diſcernere nequeamus, animam miſeram ſenſusque perturbet? Qua falſitate viſorum etiam vigilantes in quibusdam morbis & venenis miſerabilibus agitentur, quamvis multimoda varietate fallaciæ homines etiam ſanos maligni dæmones nonnunquam decipiant, talibus viſis etiam ſi eos per hæc ad ſua traducere non potuerint, ſenſus tamen eorum ſolo appetitu qualitercunque perſuadente falſitatis illudant. Ab hujus tam miſeræ quaſi quibusdam inferis vitæ, non liberat niſi gratia Salvatoris Chriſti Dei ac Domini noſtri. Hoc enim nomen eſt ipſe Jeſus, interpretatur quippe Salvator, maximè ne poſt hanc miſerior ad ſempiterna ſuſcipiat, non vita, ſed mors. *g* Nam iſta quamvis ſint per ſancta ac ſanctos curationum magna ſolatia, tamen ideò non ſemper etiam ipſa beneficia tribuuntur petentibus, ne propter hoc religio quæratur, quæ propter aliam magis vitam, ubi mala non erunt omninò ulla, quærenda eſt. Et ad hoc meliores quosque in his malis adjuvat gratia, ut quantò fideliore, tantò fortiore corde tolerentur, ad quam rem etiam philoſophiam prodeſſe dicunt docti hujus ſeculi, quam dii *h* quibusdam paucis, ut ait Tullius, veram dederunt. *i ζ* Nec hominibus, inquit, ab his aut datum eſt donum majus, aut potuit ullum dari: uſque adeò & ipſi contra quos agimus quoquo modo compulſi ſunt in habenda non quacunque, ſed vera philoſophia divinam gra-

gratiam confiteri. Porrò ſi paucis divinitus datum eſt veræ philoſophiæ contra miſerias hujus vitæ unicum auxilium, ſatis & hinc apparet humanum genus ad luendas miſeriarum pœnas eſſe damnatum. Sicut autem hoc, ut fatentur, nullum divinum majus eſt donum, ſic à nullo Deo dari credendum eſt, niſi ab illo, quo & ipſi, qui multos deos colunt, nullum dicunt eſſe majorem.

L. Vives. a SI dimittatur vivere ut velit.] *Nulla eſſet effranior fera, aut immanior homine, ſi educatio & diſciplina non ſuccurreret: ſi ſibi relinqueretur, tota rationis vis ad explendas animi cupiditates converteretur, nec eſſet etiam inſipienſior beſtia, nec animal magis brutum.*

b Opponuntur plenè.] *Aliàs pugnant, pœna tamen etiam ipſa laborum & do.*

c Ut à parentibus.] *Præfocatur enim morſus à rabido cane.*

d De foro quidam.] *Tales mortes aliquot refert Plinius libro 7. cap. 4. & Valer. lib. 9.*

e Ut nec libris med.] *Hujus morbi perniencioſiſſimi, & maximè vulgaris, quem alii Gallicum, alii Neapolitanum vocant. Eſt autem Indicus, illinc enim eſt in hunc orbem invectus, cum quo in illa Hiſpanienſi India infantes naſcuntur: ſed de hoc nihil invenitur ſcripsum à veteribus. Quid de ſudore peſtifero, qui pauciſſimis horis extinguit quem invadit, niſi ſuccurratur? Proximè cum eſſem Brugis, adeſſetque Carolus Cæſar, nobiliſſimus vir quidam maximo dolore affligebatur morbi novi & inſoliti, de quo ſe nihil apud antiquos legiſſe ajebat Joannes Martinus Poblatio medicus, qui ſi non legerat vir, ut in mathematicis artibus, ita & in re medica ſummus & ſingularis, aut nihil de eo priores ſcripſerunt, aut quæ ſcripſere, ſicut alia pleraque deſiderantur.*

Joannes Martinus Poblatio.

f Sæpe ſomniorum.] *Declarat hoc Dido illa Vergiliana Annæ ſorori, quærens ſe in ſomniis terreri.*

g Nam iſta quamvis.] *Alibi ſic: Nam in iſta quamvis ſint per ſancta & ſanctos.*

h Quibusdam paucis, ut ait Tul.] *Ubi hoc ad verbum dicat Cicero non ſat memini, ſententia ſimilis eſt in 5. De finibus, ubi ex Platone beatum dicit illum, cui etiam in ſenectute contigerit, ut ſapientiam veraſq; opiniones aſſequi poſſit.*

i Nec hominibus, inquit, ab his aut datum eſt.] *Etiam Platonis eſt, quàm Cicero in Timæo vertit, qui de univerſitate inſcribitur, ſuntq; verba poſtrema: quibus ex rebus philoſophiam adepti ſumus, quo bono nullum exoptabilius, nullum præſtantius, neque datum eſt mortalium generi, neque munere dabitur. Et in primo de legibus: Ita fit ut major omnium bonarum rerum ſit ſapientia, cujus amor Græco verbo philoſophia nomen invenit, qua nihil à diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominum vitæ datum eſt.*

F. L. Coq. a ITa ut ſi dimittatur vivere ut velit.] *Ob id veteres hominem agro comparabant, qui ager ſi non excolatur, neceſſario varias herbas nocentes producit, quæ tandem ingenii ſui bonitatem abſumunt. Horatius Saty. 3. lib. 1.*

—— denique te ipſum
Concute, numqua tibi vitiorum inſeverit olim
Natura aut etiam conſuetudo mala. namque

Negle-

Neglectis urenda ſilix innaſcitur agris.

Æque nimirum homines ſi à pueris negligantur, nec literis ad humanitatem informentur, ſtatim in omni vitiorum genere adoleſcunt. Cujus rei exemplo eſt, quod ſapientiſſimi homines hujus ſeculi commenti ſunt, ſcilicet homines nondum ad civilem vitam traductos, paſſim antea more belluarum vixiſſe, ſeipſos mutuo inhumane interfeciſſe, denique ſola dominatrice animi cupiditate abreptos fas nefasque miſcuiſſe; Idque eo uſque permanſiſſe, donec ſapientiſſimi viri exſtiterint, qui illos hac & illac vagantes in unum coegerunt, & litteris humanioribus excultos ad ſocietatem humanam tuendam traduxerunt. Cicero lib. 1. de Oratore. lib. 1. de Invent. Orat. pro Sextio. Huc ſpectant, quæ Poetæ ſuis fabularum involucris, de Jaſone, Orpheo, Amphione cecinerunt. Horatius in arte.

β A rabie, quæ contingit ex rabido cane.] *Rabie per ſe teneri nullum animal præter canes ſcripſit Galenus lib. 6. de locis affectis cap. 5. quæ vero animalium rabidi canes momorderint, rabire omnia præter hominem ſcribit Ariſtoteles, licet ut plurimum etiam eo morbo homines morſi à canibus corripiantur, ſed quia evadunt aliqui, aliorum vero animalium nullum, ita ſcripſit Ariſtoteles, quanquam alii legendum putent non præter hominem, ſed priusquam homo, quaſi Græca lectio non πλὴν ſed πρὶν audiri deberet. Julius Pollux in Onomaſt. lib. 5. cap. 8. ait rabiem in canibus eſſe morbum incurabilem ἡ δὲ κύσσα δυσίατος, poſt , πᾶν ᾗ τὸ ὑπὸ λύττης κυνὸς ἐχομένου δηχθὲν, ἀναιρεῖται, ἄνθρωπος δὲ μόνος οὐκ ἄνευ κινδύνων περιγίγνεται. Tum ſolum concipi ferunt hunc morbum, cum è morſu canis ita dilaceratur cutis, ut ſanguis eliciatur, quaſi in ſanguine ipſo contagio fiat per contactum dentis & ſpumæ animalis rabientis: Serpit præterea tam ſegniter & per moras, ut rariſſime ante vigeſimum diem prodatur infectio , majori ex parte poſt trigeſimum multis nonniſi poſt quatuor aut ſex menſes, quibuſdam etiam poſt annum, ut ſcribit Galenus comment. 2. in primum prorrhet. Interea nec febris ulla ſentitur, nec ullum aliud malum, neſciente ægro quanta pernicies lateat, quam mox tum fore percipit, cum ea ad cor pertingit. quo ubi pervenit incredibili cruciatu hominem affligit, cor & præcordia vellicantur, æger nec ſtare, nec quieſcere poteſt, ſed more furentis huc illuc agitur, manibus corpus dilacerat, ſitis immenſe, ſed illud maximum incommodum accedit, quod & aquam & liquida omnia adeo reformidat æger, ut potius emori eligat quam bibere, aut ad aquam deduci. Tum vero & alios ipſi mordent, ſpumat os, oculi torvi aſpectu ſunt, ac demum fatigati vitam miſerabiliter efflant. Rabie canes maxime tanguntur, ut dictum eſt, quoniam maxime ſunt ſicci & aduſti ſanguinis more melancholicorum triſtes fiunt & ſolitarii, mox paulatim incaleſcente ſanguine ad omnia indignabundi fiunt, cuncta incipiunt odiſſe, ac jam & præ iracundia mordent, oculi rubent, os ſpumat, ac tandem in furorem aguntur. De hac re plura legi poſſunt apud Marcellum Donatum lib. 6. de hiſtor. medi. cap. 1.*

γ Ut nec libris medicorum cuncta comprehenſa ſunt.] *Solent certis temporibus novi & inſoliti morbi apparere, quorum apud antiquos mentio nulla facta eſt, ut de Mentagra ſcribit Plinius lib. 26. cap. 1. morbo ita dicto, quoniam à mento fere oriebatur occupante in multis totos utique vultus, oculis tantum immunibus, deſcenden-*

te vero & in colla, pectusque ac manus, fœdo cutis furfure. De quo ibidem Plinius, non fuerat hæc lues apud majores, Patresque noſtros: Et primum Tiberii Claudii Cæſaris principatu medio irrepſit in Italiam, quodam Peruſino equite Romano. Quæſtorio ſcriba, cum in Aſia apparuiſſet, inde contagionem ejus importante, & de aliis morbis refert inſolitis, qui certis temporibus apparuerunt in Italia, ſubjiciens. Quid hoc eſſe dicamus, aut quas deorum iras? parum enim erant certa homini morborum genera, cum ſupra 300. eſſent, niſi etiam nova timerentur ? Vana itaque & futilis erit quorundam medicorum opinio, qui exiſtimant nullos novos inter homines morbos oriri, ſed priſcos reverti & à medicis ignoratos denuo cognoſci. Novos enim in dies prodire morbos, qui nullo antea loco regnaverunt, & qui veteribus medicis haud fuerant comperti, docet Plutarchus lib. 8. Sympoſ. cap. 9. adductis etiam in medium novorum morborum exemplis: Et Plato ipſe lib. 3. de republ. ſcribit, Homeri tempore non fuiſſe catarrhum, ſed ſuis temporibus ortum ob victus intemperantiam. Certe morbus Neapolitanus annos circiter decem ante 1500. noſtro orbi novus erat & incognitus. Marcellus Donatus lib. 6. de medic. hiſt. cap. 4. longam texuit novorum morborum hiſtoriam.

δ Verum etiam filios matres incredibili crudelitate.] *Exſtat hiſtor. 4. Reg. 6. & apud Joſephum lib. 9. Antiquit. cap. 2. de ea muliere, quæ conqueſta eſt apud Joram Regem Iſrael, quod gravi obſidione preſſa à Syris Samaria cum pepegiſſet cum quadam vicina ſua, ut quandoquidem nullum aliud contra famem occurreret remedium, jugulatis infantibus propriis eo cibo ſe unum atque alterum diem alerent, ipſa prius ſuum occiderit: quo heſterna die conſumpto in communem alimoniam altera à pacto diſceſſerit, & ſuum abſcondiderit filium. Et apud eundem Joſephum lib. 7. de bello Judaico cap. 8. exſtat hiſtoria de muliere, quæ Hieroſolymis obſeſſis à Tito, cum fames viſceribus ac medullis irreperet, occidit quem habebat lactantem filium & comedit. Quo accedit quod ſupra citavimus ex D. Hieronymo epiſtola 16. ad Principiam virginem, quid contigerit, dum Roma à barbaris obſideretur.*

ε Sæpe ſomniorum viſis quam ſit inquietus.] *Quod conſtat ex his, quæ ſcribit Valerius lib. 1. cap. 8. de inſomniis.*

ζ Nec hominibus, inquit, ab his aut datum eſt.] *Ita lib. de univerſitate extremis verbis: quo bono (philoſophiæ) nullum optabilius, nullum præſtantius neque datum eſt mortalium generi Deorum conceſſu atque munere, neque dabitur, & lib. 1. Academic. q.* nec ullum arbitror, ut apud Platonem eſt, majus aut melius à Diis datum munus homini, *quod ſcribit Plato in Timæo:* μεῖζον φιλοσοφίας ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν.

Cap. XXIII.

De his quæ præter illa mala, quæ bonis malisq; communia ſunt, ad juſtorum laborem ſpecialiter pertinent.

PRæter hæc autem mala hujus vitæ bonis malisque communia habent in ea juſti etiam proprios quosdam labores ſuos, quibus adverſus vitia militant, & in talium præliorum tentationibus periculisque verſantur. Aliquando

quando enim concitatius, aliquando remiſſius non tamen deſinit caro concupiſcere adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut non ea quæ volumus faciamus, omnem malam concupiſcentiam conſumendo, ſed eam nobis, quantum divinitus adjuti poſſumus, non eis conſentiendo, ſubdamus, vigiliis continuis excubantes: ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant: ne quod bonum eſt malum, aut quod malum eſt bonum eſſe credatur, ne ab his quæ agenda ſunt metus revocet, ne in ea quæ agenda non ſunt cupido præcipitet: ne ſuper iracundiam ſol occidat, ne inimicitiæ provocent ad retributionem mali pro malo: ne abſorbeat inhoneſta vel immoderata triſtitia: ne impartiendorum beneficiorum ingerat mens ingrata torporem: ne maledicis rumoribus bona conſcientia fatigetur: ne temeraria de alio ſuſpicio noſtra decipiat, ne aliena de nobis falſa nos frangat: ne regnet peccatum in noſtro *Rom. 6.* mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus: ne membra noſtra exhibeantur iniquitatis arma peccato: ne oculus ſequatur concupiſcentiam: ne vindicandi cupiditas vincat: ne in eo quod malè delectat, vel viſio vel cogitatio remoretur: ne improbum aut indecens verbum libenter audiatur: *α* ne fiat quod non licet etiam ſi libet: nec in hoc bello laborum periculorumque pleniſſimo, *β* vel de viribus noſtris ſperetur facienda victoria, vel viribus noſtris facta tribuatur, ſed ejus gratiæ, de quo ait Apoſtolus: Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per dominum noſtrum Jeſum *1. Cor. 15* Chriſtum. Qui & alio loco: In his, inquit, omnibus ſupervincimus, per eum qui dilexit nos. Sciamus tamen quantalibet virtute præliandi vitiis *Rom. 8.* repugnemus, vel etiam vitia ſuperemus & ſubjugemus, quandiu ſumus in hoc corpore, nobis deeſſe non poſſe, unde dicamus Deo: *Dimitte nobis debita noſtra.* *Matt. 6.* In illo autem regno, ubi ſemper cum corporibus immortalibus erimus, nec prælia nobis erunt ulla, nec debita, quæ nuſquam & nunquam eſſent, ſi natura noſtra, ſicut recta creata eſt, permaneret. Ac per hoc etiam noſter iſte conflictus, in quo periclitamur, & de quo nos victoria noviſſima cupimus liberari, ad vitæ hujus mala pertinet, quam tot tantorumque teſtimonio malorum probavimus eſſe damnatam.

α NE fiat quod non licet etiamſi libet.] *Turpe illud, quod Antonino Caracallæ dictum:* Licet ſi lubet. *pulchrius illud Senecæ in Troade,* Minimum decet libere, cui nimium licet. *F.L.Coq.*

β Vel de viribus noſtris ſperetur facienda victoria.] *Idem epiſtol. 106. inter Pelagii damnatas ſententias hanc refert, quod diceret victoriam noſtram in peccatis vincendis, non eſſe ex Dei adjutorio, ſed ex libero arbitrio.* Fateatur (*inquit*) eſſe liberum arbitrium, etiamſi divino indiget adjutorio, fateatur quando contra tentationes, concupiſcentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, ſed ex adjutorio Dei noſtram provenire victoriam. Non enim aliter verum erit quod Apoſtolus ait, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *& epiſt. 94. Pelagianum eſſe ſcribit, aſſere-*

re cavendis futuris vincendisque peccatis, omnibusque tentationibus virtute ſuperandis, ſine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei naturali poſſibilitate humanam ſufficere voluntatem. Hanc eandem ſententiam Cœleſtinus & Innocentius Pontifices, hanc Concilium Carthaginenſe & Milevitanum damnarunt. Intelligitur tamen definitio Eccleſiæ & doctrina D. Auguſtini de victoria tentationum, & peccatorum. quæ Chriſtiana eſt, quæ pars eſt veræ juſtitiæ. Ita enim docuit ſupra lib. 21. cap. 16. Tunc victa vitia deputanda ſunt, quum Dei amore vincuntur. *Et tota Pelagii diſputatio erit circa meritum, & Juſtitiam Chriſtianorum, quam ille tam in declinando malum, quam in faciendo bonum ſine gratia ſolis viribus naturæ acquiri poſſe impie aſſeruit. Alioquin enim non deſunt exempla Gentilium, qui magnas tentationes ſuperarunt, ut Xenocratis Philoſophi apud Diogenem Laertium & Valerium Maximum lib. 4. cap. 3. cujus nulla ex parte continentiſſimum animum labefactare potuit Phryne nobile Athenis ſcortum etiam juxta eum accumbens, & Scipio ille Africanus referente Livio lib. 26. Agellio lib. 6. cap. 8. Valerio lib. 4. cap. 3. magnam tentationem ſuperavit, quando bello captam in Hiſpania eximiæ formæ virginem invenit & celebs & victor ſponſo reddidit. Ita Alexander Magnus victo Dario conjuges & puellas regias pariter captas omnes intactas dimiſit haud dubie abſque Chriſti gratia uterque tam raro exemplo continentiam coluit: verum non fuit illa peccati victoria, qualis juſtorum & Chriſtianorum eſt. Deinde non ita omnes tentationes vincere potuerunt, quod facerent juſti per gratiam Dei.*

γ Quamdiu ſumus in hoc corpore nobis deeſſe non poſſe.] *Contra propoſitionem Pelagii, quam refert epiſt. 106. filios Dei non poſſe vocari, niſi omnino abſque peccato fuiſſent effecti:* fateatur, *inquit*, filios Dei poſſe vocari illos, qui quotidie dicunt, dimitte nobis debita noſtra, quod utique veraciter non dicerent, ſi eſſent omnino ſine peccato.

Cap. XXIV.

De bonis quibus etiam hanc vitam damnationi obnoxiam Creator implevit.

JAm nunc conſiderandum eſt hanc ipſam miſeriam generis humani, in qua laudatur juſtitia punientis, qualibus & quàm multis impleverit bonis ejuſdem bonitas, cuncta quæ creavit adminiſtrantis. Primùm benedictionem illam, quam protulerat ante peccatum, dicens: Creſcite & multiplicamini,
Gen. 1. & replete terram, *a* nec poſt peccatum voluit inhibere, manſitque in ſtirpe damnata donata fœcunditas, nec illam vim mirabilem ſeminum, imò etiam mirabiliorem, qua efficiuntur & ſemina, inditam corporibus humanis, & quodammodo intextam, peccati vitium potuit auferre, quo nobis impacta eſt etiam neceſſitas mortis: ſed utrunque ſimul currit iſto quaſi fluvio atque torrente generis humani: malum quod à parente trahitur, & bonum quod à creante tribuitur. In originali malo duo ſunt, peccatum atque ſupplicium. In originali bono alia duo, propagatio & conformatio. Sed quantum ad præſentem pertinet intentionem noſtram, de malis quorum unum de

noſtra

noſtra venit audacia, id eſt peccatum, alterum de judicio Dei, id eſt ſupplicium, jam ſatis diximus. Nunc de bonis Dei, quæ ipſi quoque vitiatæ damnatæque naturæ contulit, ſive usque nunc confert, dicere inſtitui. Neque enim damnando aut totum abſtulit quod dederat: alioquin nec eſſet omnino: aut eam removit à ſua poteſtate etiam cum diabolo pœnaliter ſubdidit, quum nec ipſum diabolum à ſuo alienaverit imperio, quandoquidem ut ipſius quoque diaboli natura ſubſiſtat, ille facit qui ſummè eſt, & facit eſſe quicquid aliquo modo eſt. Deúm igitur illorum quæ diximus bona, etiam in naturam peccato vitiatam, ſupplicioque damnatam, de bonitatis ejus quodam veluti fonte manare, propagationem in primis mundi operibus benedictione largitus eſt, à quibus operibus die ſeptimo requievit. Conformatio verò in illo ejus eſt opere, quousque nunc operatur. Efficacem quippe potentiam ſuam ſi rebus ſubtrahat, nec progredi poterunt, & ſuis dimenſis motibus peragere tempora, nec prorſus in eo quòd creatæ ſunt aliquatenus permanebunt. Sic ergo creavit hominem Deus, ut illi adderet fertilitatem quandam, qua homines alios propagaret, congenerans eis ipſam etiam propagandi poſſibilitatem non neceſſitatem: β quibus tamen voluit hominibus, abſtulit eam Deus, & ſteriles fuerunt: non tamen generi humano abſtulit ſemel datam primis duobus conjugibus a benedictionem generandi. * Hæc ergo propagatio quamvis peccato ablata non fuerit, γ non tamen etiam ipſa talis eſt, qualis fuiſſet, ſi nemo peccaſſet. Ex quo enim homo in honore poſitus, poſteaquam deliquit comparatus eſt pecoribus, ſimiliter generat, non in eo tamen penitus extincta eſt quædam velut ſcintilla rationis, in qua factus eſt ad imaginem Dei. Huic autem propagationi ſi conformatio non adhiberetur, nec ipſa in ſui generis formas modosq; procederet. Si enim non concubuiſſent homines, nihilominus Deus ſi vellet implere terras hominibus, quomodo creavit unum ſine commixtione maris & fœminæ, ſic poſſet omnes: concumbentes verò niſi illo creante generantes eſſe non poſſunt. Sicut ergo ait Apoſtolus de inſtitutione ſpiritali, qua homo ad pietatem juſtitiamque formatur: Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus: ita etiam hìc dici poteſt, nec qui concumbit, nec qui ſeminat eſt aliquid, ſed qui format Deus. Nec mater quæ conceptum portat, & partum nutrit, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Ipſe namque operatione, qua nunc usque operatur, facit ut numeros ſuos explicent ſemina, & à quibusdam latentibus atque inviſibilibus involucris in formas viſibiles hujus quod aſpicimus decoris evolvant. Ipſe incorpoream corporeamque naturam, illam præpoſitam, γ iſtam ſubjectam miris modis copulans & connectens animantem facit. Quod opus ejus tam magnum & mirabile eſt, ut non ſolùm in homine, quod eſt animal rationale, & ex hoc cunctis terrenis animantibus excellentius atque præſtantius, δ ſed in qualibet minutiſſima muſcula bene conſideranti ſtuporem mentis ingerat, laudemque pariat creatoris. Ipſe itaque animæ humanæ

a *al. benedictione generali.* (margin)
Pſ. 48. (margin)
1. Cor. 3. (margin)
Ioh. 5. (margin)

humanæ mentem dedit, ubi ratio & intelligentia in infante ſopita eſt quodammodo, quaſi nulla ſit, excitanda ſcilicet atque exercenda ætatis acceſſu, qua ſit ſcientiæ capax atque doctrinæ, & habilis perceptioni veritatis & amoris boni. Qua capacitate hauriat ſapientiam virtutibusque ſit prædita, quibus prudenter, fortiter, temperanter & juſtè adverſus errores & cætera ingenerata vitia dimicet, eaque nullius rei deſiderio niſi boni illius ſummi atque incommutabilis vincat. Quod etſi non faciat ipſa talium bonorum capacitas in natura rationali divinitus inſtituta, quantum ſit boni, quàm mirabile opus omnipotentis, quis competenter effatur, aut cogitat? Præter enim artes bene vivendi, & ad immortalem perveniendi felicitatem, quæ virtutes vocantur, & ſola Dei gratia, quæ in Chriſto eſt, filiis promiſſionis regnique donantur, *a* nonne humano ingenio tot tantæque artes ſunt inventæ & exercitæ *b* partim neceſſariæ, partim voluntariæ, ut tam excellens vis mentis atque rationis in his etiam rebus, quas ſuperfluas, imò & periculoſas pernicioſasque appetit, quantum bonum habeat in natura, unde iſta potuit vel invenire, vel diſcere, vel exercere teſtetur? Veſtimentorum & ædificiorum ad opera quàm mirabilia, quàm ſtupenda induſtria humana pervenerit, quò in agricultura, quò in navigatione profecerit: quæ in fabricatione quorumque vaſorum, vel etiam ſtatuarum & picturarum varietate excogitaverit & impleverit: quæ in theatris mirabilia ſpectantibus, audientibus incredibilia facienda & exhibenda molita ſit: in capiendis, occidendis, domandis irrationalibus animantibus, quæ & quanta repererit adverſus ipſos homines, tot genera venenorum, tot armorum, tot machinamentorum, & pro ſalute mortali tuenda atque reparanda, quot medicamenta atque adjumenta comprehenderit: pro voluptate faucium, quot condimenta & *c* gulæ incitamenta repererit: ad indicandas & ſuadendas cogitationes, multitudinem varietatemque ſignorum, ubi præcipuum locum verba & literæ tenent: ad delectandos animos, quos elocutionis ornatus, quàm diverſorum carminum copiam: ad mulcendas aures, quot organa muſica, quot cantilenæ modos excogitaverit: quantam peritiam dimenſionum atque numerorum: meatusque & ordines ſiderum quanta ſagacitate comprehenderit, quàm multa rerum mundanarum cognitione ſe impleverit, quis poſſit eloqui, maximè ſi velimus non acervatim cuncta congerere, ſed in ſingulis immorari? In ipſis poſtremò erroribus & falſitatibus defendendis, quàm magna claruerint ingenia philoſophorum atque hæreticorum, quis exiſtimare ſufficiat? Loquimur enim nunc de natura mentis humanæ, qua iſta vita mortalis ornatur, non de fide atq; itinere veritatis, qua illa immortalis acquiritur. Hujus tantæ naturæ conditor quum ſit utique Deus verus & ſummus, ipſo cuncta quæ fecit adminiſtrante, & ſummam poteſtatem, ſummamque habente juſtitiam, nunquã profectò in has miſerias decidiſſet, atque ex his prẹter eos ſolos, qui liberabuntur, in æternas eſſet pœnas itura, niſi nimis grande peccatum in homine primo, de quo cæteri exorti ſunt,

præ-

præceſſiſſet. Jam verò in ipſo corpore, quamvis nobis ſit cum beluis mortalitate commune, multiſque earum reperiatur infirmius, quanta Dei bonitas, quanta providentia tanti creatoris apparet? Nonne ita ſunt in eo loca ſenſuum, & cætera membra diſpoſita, ſpeciesque ipſa ac figura & ſtatura totius corporis ita modificata, ut ad miniſterium animæ rationalis ſe indicet factam? ζNon enim ut animalia rationis expertia prona eſſe videmus in terram, ita creatus eſt homo, ſed erecta in cœlum corporis forma admonet eum quæ ſurſum ſunt ſapere. Porrò mira mobilitas, quæ linguæ ac manibus attributa eſt ad loquendum & ſcribendum apta atque conveniens, & ad opera artium plurimarum officiorumque complenda, nonne ſatis oſtendit, quali animæ ut ſerviret tale ſit opus adjunctum? Quanquam & detractis neceſſitatibus operandi, ita omnium partium congruentia numeroſa ſit, & pulchra ſibi parilitate reſpondeat, ut neſcias utrum in eo condendo major ſit utilitatis habita ratio, quàm decoris. Certè enim η nihil creatum videmus in hoc corpore utilitatis cauſa, quod non habeat etiam decoris locum. Plus autem nobis id apparet, ſi numeros menſurarum, quibus inter ſe cuncta connexa ſunt & coaptata noſſemus, quos forſitan data opera in his quæ foris eminent, humana poſſet inveſtigare ſolertia. Quæ verò tecta ſunt atque à noſtris remota conſpectibus, ſicut eſt tanta perplexitas venarum atque nervorum & viſcerum, ſecreta vitalium, invenire nullus poteſt. Quia etſi medicorum diligentia nonnulla crudelis, *d θ* quos anatomicos appellant, laniavit corpora mortuorum, ſive etiam inter manus *e* ſecantis & perſcrutantis morientium, atque in carnibus humanis inhumanè abdita cuncta rimata eſt, ut quid, & quomodo, & quibus locis curandum eſſet addiſceret, numeros tamen de quibus loquor, *ι* quibus coaptatio, *f* quæ *ἁρμονία* Græcè dicitur, tanquam cujuſdam organi extrinſecus atque intrinſecus totius corporis conſtat: quid dicam nemo valuit invenire, quos nemo auſus eſt quærere? Qui ſi noti eſſe potuiſſent, in interioribus quoque viſceribus, quæ nullum oſtentant decus, ita delectaret pulchritudo rationis, ut omni formæ apparenti, quæ oculis placet, ipſius mentis, quæ oculis utitur, præferretur arbitrio. Sunt verò quædem ita poſita in corpore, ut tantummodo decorem habeant, non etiam uſum: ſicut habet pectus virile mammillas, ſicut facies barbam; quam non eſſe munimento ſed virili ornamento, indicant puræ facies fœminarum, quas utique infirmiores viris muniri tutius conveniret. Si ergo nullum membrum eſt in his quidem conſpicuis unde ambigit nemo, quod ita ſit alicui operi accommodatum ut non etiam ſit decorum: ſunt autem nonnulla, quorum ſolum decus, & nullus eſt uſus: puto facilè intelligi in conditione corporis dignitatem neceſſitati fuiſſe prælatam. Tranſitura eſt quippe neceſſitas, tempuſque venturum, quando ſola invicem pulchritudine ſine ulla libidine perfruamur, quod maximè ad laudem referendum eſt conditoris, cui dicitur in Pſalmo: Confeſſionem & decorem induiſti. *Pſ. 103.* Jam cætera pulchritudo & utilitas creaturæ quæ homini, licèt

cèt in iſtos labores miſeriasque projecto atque damnato, ſpectanda atque ſumenda divina largitate conceſſa eſt, quo ſermone poteſt terminari, in cœli & terræ & maris multimoda & varia pulchritudine, etiam ipſius lucis tanta copia, tamque mirabili ſpecie, in ſole ac luna & ſideribus, opacitatibus nemorum, in coloribus & odoribus florum in diverſitate ac multitudine volucrum garrularum atque pictarum, in multiformi ſpecie tot tantarumque animantium, quarum illæ plus habent admirationis, quæ molis minimùm. x Plus enim formicularum & apicularum opera ſtupemus, quàm immenſa corpora balenarum: in ipſius quoque maris tam grandi ſpectaculo, cùm ſeſe diverſis coloribus induit velut veſtibus, & aliquando viride, atque hoc multis modis, aliquando purpureum, aliquando cæruleum eſt? Quod porrò delectabiliter ſpectatur, etiam quandocunque turbatur, & fit inde major ſuavitas, cùm ſic demulcet intuentem, ut non jactet & quatiat navigantem? Quid ciborum uſquequaque copia contra famem? Quid ſaporum diverſitas contra faſtidium naturæ diffuſa divinitus, non cocorum arte ac labore quæſita? Quanta in tam multis rebus tuendæ ac recuperandæ ſalutis auxilia? Quàm grata viciſſitudo diei alternantis & noctis, aurarum quàm blanda temperies? In fruticibus & pecoribus indumentorum conficiendorum quanta materies. Omnia commemorare quis poſſit? Hæc autem ſola, quæ à me velut in quendam aggerem ſunt coartata, ſi vellem velut colligata involucra ſolvere atque diſcutere, quanta mihi mora eſſet in ſingulis quibus plurima continentur? Et hæc omnia miſerorum ſunt damnatorumque ſolatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa ſunt, ſi tot ac talia & tanta ſunt iſta? Quid dabit eis, quos prædeſtinavit ad vitem, qui hæc dedit etiam eis, quos prædeſtinavit ad mortem? Quæ bona in illa beata vita faciet eos ſumere, pro quibus in hac miſeria unigenitum ſuum filium voluit, uſque ad mortem mala tanta perferre? Unde Apoſtolus de ipſis in illud regnum prædeſtinatis loquens: Qui proprio, inquit, filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Cùm hæc promiſſio complebitur, quid erimus? quales erimus? quæ bona in illo regno accepturi ſumus, quandoquidem Chriſto moriente pro nobis tale jam pignus accepimus? qualis erit ſpiritus hominis, nullum omninò habens vitium, nec ſub quo jaceat: nec cui cedat: nec contra quod ſaltem laudabiliter dimicet, pacatiſſima virtute perfectus? Rerum ibi omnium quanta, quàm ſpecioſa, quàm certa ſcientia ſine errore aliquo, vel labore, ubi Dei ſapientia de ipſo ſuo fonte potabitur, cum ſumma felicitate, ſine ulla difficultate? Quale erit corpus, quod omnimodo ſpiritui ſubditum, & eo ſufficienter vivificatum, nullis alimoniis indigebit? Non enim animale, ſed ſpiritale erit, habens quidem carnis, ſed ſine ulla carnali corruptione ſubſtantiam.

Rom. 8.

L. Vives. a Benedictionem generandi.] *Alibi, benedictione genemli: q. non ſolùm duos illos juſſiſſet mactos eſſe prolibus, & propagare gentem, ſed poſteros quoque.*

b Partim neceſſariæ.] *Q. ſine illis tranſigi vita non poſſet, qualis eſt agricultura & lanificium.*

c Gulæ

c Gulæ incitamenta.] *Variè ſcriptum. Alibi gulæ irritamenta ad indagandas & ſuaden. an ad indicandas.*

d Quos anatomicos appellant.] *Q. inciſores: eſt enim τομὴ ſectio, cæſio.*

e Secantis & perſcrutantis.] *Melius in aliis codicibus, ſecantis perſcrutantisq; in car.*

f Quæ ἁρμονία Græcè dicitur.] *Quaſi congruentia, concentus, ab ἁρμόττω.*

a NEc poſt peccatum volui inhibere.] *Idem ſcribit lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 9.* Deus neque ab ipſa natura vitiata depravataque ſuam abſtinuit bonitatem, ut auferret hominum fœcunditatem, vivacitatem, ſanitatem &c. *Et quidem fœcunditas ac ipſa generis propagatio bonum eſt naturæ, peccato autem perdidit homo bonum quidem gratiæ, non tamen bonum naturæ, ſicut & in Angelis naturalia integra remanſerunt.* *1. Cor.*

β Quibus tamen voluit hominibus abſtulit eam Deus, & ſteriles fuerunt.] *Sterilitatis quidem cauſæ ſunt naturales, de quibus Ariſtoteles lib. 2. de generat. animal. cap. 7. tamen in Scriptura ſacra & ſterilitas & fœcunditas Deo non modo ut authori naturæ, ſed & ſpecialiter attribuitur. Geneſ. 16.* Ecce concluſit me dominus ne parerem. *i. e. ſterilem fecit, concipiendi vi privavit, & 20.* Concluſerat dominus omnem vulvam domus Abimelech, *& 1. Reg. 1. de Anna matre Samuelis,* dominus concluſerat vulvam ejus, *& obſervat Origenes homil. 12. in Geneſ. quod plurimæ ſanctarum mulierum in ſcripturis ſteriles fuiſſe referuntur, ſicut Sara, Rebecca, Rachel, Anna mater Samuelis, & in Evangeliis Elizabeth, quæ poſt ſterilitatē omnes ſanctum ediderunt partum: dicitur etiam Deus aperire vulvam, quando illi, quæ ſterilis eſt, tribuit fœcunditatem, Geneſ. 29. de Lia,* aperuit vulvam ejus, *& 30. idem de Rachel, quæ Geneſ. 49. benedictio vulvæ dicitur.*

γ No tamen etiam ipſa talis eſt, qualis fuiſſet.] *Fuiſſet enim in eo ſtatu innocentiæ propagatio generis humani per generationem carnalem, ſine tamen ea turpitudine, quæ nunc exiſtit ex effrænata libidine concupiſcentiæ rationi minime obſequentis, ut docet lib. 2. de peccat. originali capit. 35. & ſupra 14. de civitate capit. 26. D. Thomas 1. p. quæſt. 98. artic. 2. deinde non peccante Adamo omnes nati fuiſſent in juſtitia originali.*

δ Sed in qualibet minutiſſima muſcula.] *Nihil eſt vel minimum in natura, unde ſummi illius opificis artem & ſapientiam mirari ſummopere non liceat, ut docet etiam Ariſtoteles lib. 1. de partib. animal. cap. 5.*

ε Nonne humano ingenio tot & tot partes inventæ ſunt.] *De quibus Plinius lib. 14. in proœmio.*

ζ Non enim ut animalia rationis expertia.] *Idem lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 7. Omnium animalium corpora, ſive quæ in aquis, ſive quæ in terra vivunt, ſive quæ in aëre volitant, inclinata ſunt ad terram, & non ſunt erecta, ſicut hominis corpus. Quo ſignificatur etiam animum noſtrum in ſuperna, id eſt, æterna & ſpiritualia erectum eſſe debere. Ita intelligitur per animum maxime atteſtante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, & Lactantius lib. de opificio Dei cap. 8.* Cum ſtatuiſſet Deus ex omnibus animalibus ſolum ho-

 minem

minem facere cœleſtem, cætera univerſa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemque conſtituit, ſcilicet ut eadem ſpectaret, unde illi origo eſt. Illa vero depreſſit ad terram, ut quia nulla his immortalitatis exſpectatio eſt, toto corpore in humum projecta ventri pabuloque ſervirent. *Eleganter & Cicero lib. 2. de nat. deor. inter cætera ſcribit, Deum homines humo excitatos, excelſos, & erectos conſtituiſſe, ut divinarum rerum cognitionem cœlum intuentes capere poſſint.* Sunt enim *(inquit)* è terra homines non ut incolæ atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atque cœleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. *Inde à quibusdam ἐρανοσκόπος vulgo ἄνθρωπος quaſi ἄνω θεωρῶν,* ſurſum reſpiciens *eſt dictus.*

η Nihil creatum videmus in hoc corpore.] *Per pulchram humani corporis fabricæ ac ſtructuræ contemplationem videre licet apud Gregorium Nyſſenum lib. de homil. opificio cap 3. & Galenus lib. 9. de decret. Hippocratis & Platonis cap. 8. ſummi opificis providentiam ac ſapientiam in corpore humano condendo ſummopere miratur.*

θ Quos anatomicos appellant.] Ἀνατομὴ ſectio, *eſt diligens & accurata, aut ſectio, quæ fit ad contemplandum cognitionis cauſſa, ſiquidem ἀνατέμνειν eſt* accurate ſecare, *id enim (ἀνὰ) ſignificat. Andreas Laurentius lib. 1. cap. 15. hiſtor. anatomi. obſervat, apud medicos duplicem eſſe anatomes acceptionem, aut enim actionem denotat, quæ manu perficitur, aut habitum animi & actionem intellectus perfectiſſimam, illa πρακτικὴ, hæc θεωρητικὴ dicitur, illa experientia, hæc ratione comparatur, illam inſpectione ſola, & ſectione, hanc viva doctorum voce & eorum ſcriptis aſſequemur; illam hiſtoricam, hanc ἐπιστημονικὴν, id eſt ſcientiam dicere poſſumus, illa ad uſum artis omnino neceſſaria eſt, hæc utilis tantum eſt, & ſæpe ſupra uſum artis, illa partium ſtructuram, hæc ſtructuræ cauſas, actiones, & uſus inquirit: utramq; tetigit hoc loco D. Auguſtinus, per eam ſiquidem, quæ laniat aut ſecat corpora mortuorum, πρακτικὴν: per hanc verò, quæ inter manus ſecantis cuncta rimatur, ut quid & quomodo, & quibus locis curandum eſſet, addiſceret, θεωρητικὴν intelligit.*

ι Coaptatio, quæ Græce ἁρμονία dicitur.] *Compoſitio, junctura, ſeries, compages, cohærentia, diſſimilium concordia, coagmentatio.*

κ Plus enim formicularum & apicularum.] *lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos, cap. 16.* fortaſſe uberiorem capies fructum, cum Deum laudas in humilitate formicæ, quàm cum tranſis fluvium in alicujus jumenti altitudine.

Cap. XXV.

De pervicacia quorundam, qui reſurrectionem carnis, quam ſicut prædictum eſt, totus mundus credit, impugnant.

VErùm de animi bonis, quibus poſt hanc vitam beatiſſimus perfruetur, non à nobis diſſentiunt Philoſophi nobiles, qui de carnis reſurrectione contendunt. Hanc, quantum poſſunt, negant, ſed credentes multi negantes pauciſſimos reliquerunt, & ad Chriſtum, qui hoc, quod iſtis videtur abſurdum, in ſua reſurrectione monſtravit, fideli corde converſi ſunt docti & indocti, ſapientes mun-

mundi & inſipientes. Hoc enim credidit mundus, quod prædixit Deus: qui etiam hoc prædixit, quòd hanc rem mundus fuerat crediturus. *a α* Neque enim Petri maleficiis ea cum laude credentium tanto antè prænunciare compulſus eſt. Ille eſt enim Deus, quem ſicut jam dixi aliquoties, nec commemorare me piget confitente Porphyrio, atque id oraculis deorum ſuorum probare cupiente, ipſa numina perhorreſcunt. Quem ſic laudavit, ut eum & Deum Patrem & regem vocaret. Abſit enim, ut ſic intelligenda ſint, quæ prædixit, quomodo volunt hi, qui hoc cum mundo non crediderunt, quod mundum crediturum eſſe prædixit. Cur enim non potius ita, ſicut crediturus tanto antè prædictus eſt mundus, non ſicut pauciſſimi garriunt, qui cum hoc mundo, quod crediturus prædictus eſt, credere noluerunt? Si enim propterea dicunt alio modo eſſe credenda, ne ſi dixerint, vana eſſe conſcripta, injuriam faciant illi Deo, cui tam magnum perhibent teſtimonium, tantam prorſus ei, vel etiam graviorem faciunt injuriam, ſi aliter dicunt, eſſe intelligenda, non ſicut mundus ea credidit, quem crediturum ipſe laudavit, ipſe promiſit, ipſe complevit. Cur enim non poteſt facere, ut reſurgat caro, & vivat in æternum? An propterea credendum non eſt, id eum eſſe facturum, quia malum eſt atque indignum Deo? Sed de omnipotentia ejus, qua tot & tanta facit incredibilia, jam multa diximus. Si volunt invenire, quòd omnipotens non poteſt, habent, prorſus, ego dicam, mentiri non poteſt. Credamus ergò, quod poteſt, non credendo, quod non poteſt. Non itaque credentes, quod mentiri poteſt †, credant, eſſe facturum, quod ſe facturum eſſe promiſit. Et ſic credant, ſicut credidit mundus, quem crediturum eſſe prædixit, quem crediturum eſſe laudavit, quem crediturum eſſe promiſit, quem crediſſe jam oſtendit. Hoc autem malum eſſe, unde demonſtrant? Non erit illic ulla corruptio, quod eſt corporis malum. De ordine elementorum jam diſputavimus, de aliis hominum conjecturis ſatis diximus, quanta ſit futura in corpore incorruptibili facilitas motus, de præſentis bonæ valetudinis temperamento, quæ utique nullo modo illi comparanda eſt immortalitati, in lib. xiij. ſatis, ut opinor, oſtendimus. Legant ſuperiora operis hujus, qui vel non legerunt, vel volunt recolere, quod legerunt.

† *al. itaq. c. q. m. non poteſt.*

a NEque enim Petri maleficiis ea.] *Attingit commentum Porphyrii de maleficis artibus Petri, de quo in fine decimi octavi libri.* *L. Vives.*

α NEque enim Petri maleficiis.] *Alludit ad commentum Gentilium, cujus ſupra meminit lib. 18. cap. 53 Petri maleficiis factum eſſe, ut Chriſtus coleretur in terra.* *F. L. Cog.*

β Id enim eſſe facturum, quia malum & indignum Deo.] *Apud Tertullianum lib. de reſurrectione carnis cap. 4. & ſequent. Gentiles carnis prætendebant ignobilitatem, ut Deo aſſererent indignum carnem reſuſcitare, & de novo reſtituere. Athenagoras de reſurrect. mortuor.* Neque illud dici poteſt corpora reſoluta in integrum reſtitui rem indignam eſſe Deo. Si enim quod deterius, mortale ſcilicet & patibile corpus condere, non indignum Deo viſum eſt, multominus indignum erit (quod præſtantius eſt) impatibilitate donatum in rerum naturam producere.

CAP. XXVI.

Quomodo Porphyrii definitio, qua beatis animis putatur corpus omne fugiendum, ipſius Platonis ſententia deſtruatur, qui dicit, ſummum Deum diis promiſiſſe, ut nunquam corporibus exuerentur.

SEd Porphyrius ait, inquiunt, ut beata ſit anima, corpus omne eſſe fugiendum. Nihil ergò prodeſt, quia incorruptibile diximus futurum corpus, ſi anima beata non erit, niſi corpus omne effugerit. Sed jam & hinc in libro memorato quantum oportuit, diſputavi, verùm hic unum inde tantùm commemorabo. Emendet libros ſuos iſtorum omnium magiſter Plato, & dicat eorum deos, ut beati ſint ſua corpora fugituros, id eſt, eſſe morituros, quos in cœleſtibus corporibus dixit incluſos, quibus tamen Deus, à quo facti ſunt, quo poſſent eſſe ſecuri, immortalitatem, id eſt, in eiſdem corporibus æternam permanſionem, non eorum natura id habente, ſed ſuo conſilio prævalente promiſit. Ubi etiam evertit illud, quod dicunt: quoniam eſt impoſſibile, ideò reſurrectionem carnis non eſſe credendam. Apertiſſimè quippe juxta eundem Philoſophum, ubi diis à ſe factis promiſit Deus non factus immortalitatem, quod impoſſibile eſt, ſe dixit eſſe facturum. Sic enim eum locutum narrat Plato. *a* Quoniam eſtis orti, inquit, immortales eſſe & indiſſolubiles non poteſtis. Non tamen diſſolvemini, neque vos ulla mortis fata periment, nec erunt valentiora quàm conſilium meum, quod majus eſt vinculum, ad perpetuitatem veſtram, quàm illa, quibus eſtis colligati. Si non ſolùm abſurdi, ſed ſi ſurdi non ſunt, qui hæc audiunt, non utique dubitant diis factis ab illo Deo, qui eos fecit ſecundùm Platonem, quod eſt impoſſibile, fuiſſe promiſſum. Qui enim dicit, Vos quidem immortales eſſe non poteſtis, ſed mea voluntate immortales eritis: quid aliud dicit, quàm id, quod fieri non poteſt, me faciente tamen eritis? Ille igitur carnem incorruptibilem, immortalem, ſpiritalem reſuſcitabit, qui juxta Platonem id, quod impoſſibile eſt, ſe facturum eſſe promiſit. Quid adhuc quod promiſit Deus, quod Deo promittenti credidit mundus, qui etiam ipſe promiſſus eſt crediturus, eſſe impoſſibile clamant? Quandoquidem nos Deum, qui etiam ſecundùm Platonem facit impoſſibilia, id facturum eſſe clamamus. Non ergò, ut beatæ ſint animæ, corpus eſt omne fugiendum, ſed corpus incorruptibile recipiendum. *β* Et in quo convenientius incorruptibili corpore lætabuntur, quàm in quo corruptibili gemuerunt? Sic enim non in eis erit illa dira cupiditas, quam poſuit ex Platone Verg. ubi ait:

Æn.6. *Rurſus & incipiunt in corpora velle reverti.*

Sic, inquam, cupiditatem revertendi ad corpora non habebunt, cùm corpora, in quæ reverti cupiunt, ſecum habebunt: & ſic habebunt, ut nunquam non habeant, nunquam ea prorſus vel ad exiguum quamlibet tempus ulla morte deponant.

L.L.Co.3. *a* QUoniam eſtis orti?] *Verba Platonis ſunt in Timæo.* ἐπείπερ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ, οὐδ᾽ ἄλυτοι τὸ παμπάν, οὔτι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε, οὐδὲ τεύξεσθε θα.

περὶ θανάτου μοίρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως, μείζονος ἔτι δεσμοῦ καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων οἷς ὅτ' ἐγίγνεσθε. *Locus etiam citatus ab Athenagora in Apologia pro Chriſtianis: à Juſtino in exhort. ad gentes, Theodoreto ſerm.* 3. θεραπευτ.]

β Et in quo convenientius in corruptibili corpore lætabuntur.] *Hieronymus epiſtola ad Pammachium* 61. Juſtum eſt, ut qui ſemper Chriſti mortificationem in corpore noſtro circumtulimus, vita quoque Jeſu manifeſtetur in corpore noſtro mortali. i. e. in carne mortali ſecundum naturam, æterna autem ſecundum gratiam. *ibidem*, Aut coronandus in corpore, quod caſte egit & juſte, aut condemnandus in corpore, quod voluptatibus, iniquitatibusque ſervivit. *Eodem argumento oſtendit Tertullianus reſurrectionem futuram lib. de reſurrect. carnis cap.* 15. *Cum enim operarum inter ſe anima & caro ſocietatem habeant, oportere etiam, ait pœna aut gratia communicare mercedem.*

CAP. XXVII.

De contrariis definitionibus Platonis atque Porphyrii, in quibus ſi uterq; alteri cederet, à veritate neuter deviaret.

SIngula α quædam dixerunt Plato atque Porphyrius, quæ ſi inter ſe communicare potuiſſent, facti eſſent fortaſſe Chriſtiani. Plato dixit ſine corporibus animas in æternum eſſe non poſſe. Ideò dixit, etiam ſapientium animas poſt quamlibet longum tempus, tamen ad corpora redituras. Porphyrius autem dixit animam purgatiſſimam, cùm redierit ad patrem, ad hæc mala mundi nunquam eſſe redituram. Ac per hoc, quod verum vidit Plato, ſi dediſſet Porphyrio, etiam juſtorum ac ſapientium purgatiſſimas animas ad humana corpora redituras: rurſus quod verum dicit Porphyrius, ſi dediſſet Platoni, nunquam redituras ad miſerias corruptibilis corporis animas ſanctas: ut non ſinguli hæc ſingula, ſed ambo & ſinguli utrumq; dicerent, puto, quòd viderent, eſſe jam conſequens, ut & redirent animæ ad corpora, & talia reciperent corpora, in quibus beatè atque immortaliter viverent. Quoniam ſecundùm Platonem etiam ſanctæ animæ ad humana corpora redibunt: ſecundùm Porphyrium ad mala mundi hujus ſanctæ animæ non redibunt. Dicat itaque cum Platone Porphyrius, redibunt ad corpora. Dicat Plato cum Porphyrio, non redibunt ad mala: & ad ea corpora redire conſentient, in quibus nulla mala patiantur. Hæc itaque non erunt, niſi illa, quæ promiſit Deus, beatas animas in æternum cum ſua æterna carne victuras †. Hoc enim quantum exiſtimo jam facilè nobis concederent ambo, ut qui faterentur, ad immortalia corpora redituras animas eſſe ſanctorum, ad ſuas illas redire permitterent, in quibus mala hujus ſeculi pertulerunt, in quibus Deum, ut his malis carerent, piè fideliterque coluerunt.

al. victurum.

α SIngula quædam dixerunt Plato atque Porphyrius.] *Sola Chriſtiana religio eſt, quæ omni ex parte veritatem aſſequitur. Hanc enim ſolæ docent ſcripturæ ſacræ, in quibus Deus ipſe, qui prima eſt & ſumma veritas, loquitur. Philoſophi ipſi & ſapientes hujus ſeculi in tenebris verſantes, nonnihil videre ſed obſcurius, nimirum lippientibus ac cæcutientibus oculis veritatem ex parte attingere, verum falſitati permixtam.* F.L.Cogr.

 mixtam.

mixtam, ita debemus reſecatis unguibus & omnibus ſuperfluis alienigenam introducere in domum Iſraelitæ, i e. quicquid veri dixere Philoſophi in uſum noſtrum vindicare rejecta falſitate. Ita enim multa conſentanea doctrinæ Chriſtianæ erit in eis videre. Si ergo ſumamus ex Platone ſapientum animas poſt quodlibet longum tempus ad corpora redituras, & ex Porphyrio purgatam animam ad hæc mala nunquam rediturum, atque in unum hæc duorum philoſophorum dicta conjungamus, habemus ſententiam Chriſtianam, reſurrectionem nimirum juſtorum & ſapientum futuram in corpore eodem quidem, quantum ad ſubſtantiam, immortalitate tamen & incorruptibilitate ornato, verum erit & quod ait Plato, animas tandem aliquando redituras ad corpus, & quod ait Porphyrius animas ſanctas ac purgatas ad miſerias corruptibilis hujus corporis minime redituras, ſed falſum, quod volebat Plato redituras ad iſtas miſerias, falſum & quod volebat Porphyrius, minime redituras ad corpora.

Cap. XXVIII.

Quid ad veram reſurrectionis fidem, vel Plato vel Labeo, vel etiam Varro conferre potuerint, ſi opiniones eorum in unam ſententiam conveniſſent.

NOnnulli noſtrûm *a α* propter quoddam præclariſſimum loquendi genus, & propter nonnulla, quæ veraciter ſenſit, amantes Platonem, dicunt eum β aliquid ſimile nobis etiam *b* de mortuorum reſurrectione ſenſiſſe. Quod quidem ſic tangit in lib. De rep. Tul. ut eum luſiſſe potius quàm quod id verum eſſe affirmet dicere voluiſſe. *c γ* Inducit enim hominem revixiſſe, & narraſſe quædam, quæ Platonicis diſputationibus congruebant. *d* Labeo etiam duos dicit uno die fuiſſe defunctos, & occurriſſe invicem in quodam compito, deinde ad corpora ſua juſſos fuiſſe remeare, & conſtituiſſe inter ſe amicos ſe eſſe victuros, atque ita eſſe factum, donec poſtea morerentur. Sed iſti autores talem reſurrectionem corporis factam fuiſſe narrarunt, quales fuerunt eorum, quos reſurrexiſſe novimus: & huic quidem redditos vitæ, ſed non eo modo, ut non morerentur ulterius. Mirabilius autem quidam M. Varro ponit in libb. quos conſcripſit De gente populi Rom. cujus putavi verba ipſa ponenda, *e δ* Genethliaci quidam ſcripſerunt, inquit, eſſe in renaſcendis hominibus, quam appellant *ε f* παλιγγενεσίαν Græci: hanc ſcripſerunt confici in annis numero quadringentis quadraginta, ζ ut idem corpus & eadem anima, quæ fuerant conjuncta in homine aliquando: eadem rurſus redeant in conjunctionem. Iſte Varro quidem, ſive illi Genethliaci neſcio qui, (non enim nomina eorum prodidit, quorum commemoravit ſententiam) aliquid dixerunt: quod licet falſum ſit (cùm enim ſemel ad eadem corpora, quæ geſſerunt, animæ redierint, nunquam ea poſtea ſunt relicturæ) tamen multa illius impoſſibilitatis, qua contra nos iſti garriunt, argumenta convellit & deſtruit. Qui enim hæc ſentiunt ſive ſenſerunt, non eis viſum eſt fieri non poſſe, ut dilapſa cadavera in auras, in pulverem, in cinerem, in humores, in corpora veſcentium beſtiarum, vel ipſorum quoque hominum, ad id rurſus redeant, quod fuerunt. Quapropter Plato & Porphyrius, vel

vel potius quicunque illos diligunt & adhuc vivunt, ſi nobis conſentiunt, etiam ſanctas animas ad corpora redituras, ſicut ait Plato, nec tamen ad mala ulla redituras, ſicut ait Porphyrius: ut ex his fiat conſequens, quod fides prædicat Chriſtiana, talia corpora recepturas, in quibus ſine ullo malo in æternum feliciter vivant: aſſumant etiam hoc de Varrone: ut ad eadem corpora redeant, in quibus antea fuerunt, & apud eos tota quæſtio de carnis in æternum reſurrectione ſolvetur.

a PRopter quoddam.] *Tria ſunt, quæ Platoni non modò Græciam conciliarunt, ſed orbem univerſum: integritas vitæ, ſanctitas præceptorum, & eloquentia.* L. Vives.

b De mortuorum.] *Euſeb. lib. 11. Præp. Evan. & mutationem mundi & reſurrectionem, & judicium apud inferos ex Moſaica doctrina accepiſſe Platonem putat. Nam enim Plato, exacto tempore defecturum terrenum genus, mundumq́; inſolitis motibus agitatum & concuſſum iri cum ingenti animantium omnium pernicie ac clade: poſt aliquantum deinde temporis conquieturum opera principis Dei, qui ne concidat intereatq́; mundus, gubernacula ejus recipiet, addetq́; illi ſempiternam juventam & immortalitatem.*

c Inducit enim.] *Herum Pamphylium, qui in acie occubuit, Plato in fine lib. de Rep. decimo poſt mortem die redditum vitæ ſcribit, hanc Cicero fabulam, inquit Macrob. lib. 1. Somnii, licet ab indoctis q. ipſe verè conſcius doleat irriſam, exemplum tamen ſtolidæ reprehenſionis vitans, excitari narraturum, quàm reviviſcere maluit.*

d Labeo.] *Plin. lib. 7. aliquot exempla ponit eorum, qui elati revixerint: & Plutarch. refert in 1. de Anima, Enarchum quendam, ubi mortem obiiſſet, rediiſſe ad vitam, narraſſeq́; animam quidem ſuam è corpore egreſſam, ſed juſſu Ditis reſtitutam corpori, graviter illis dæmonibus ab eorum principe caſtigatis, qui quum in mandatis haberent Nicandam coriarium & palæſtritem adducere, ad Enarchum magno errore iiſſent, ita paulò pòſt Nicandas fato conceſſit.*

e Genethliaci.] *Sunt Mathematici divinaculi, ex natali die de univerſo vitæ eventu prædicentes. Gellius Chaldæos & Genethliacos eodem habet loco lib. 14. Adverſus iſtos, inquit, qui ſeſe Chaldæos ſeu Genethliacos appellant, ac de motu, deq́; poſitu ſtellarum dicere poſſe, quæ futura ſunt, profitentur.*

f παλιγγενεσίαν.] *Regenerationem. Lactant. quoque lib. 7. verba Chryſippi Stoici ex ejus de Providentia libris refert, quibus ille reditum poſt mortem noſtrum aſtruxit:* καὶ ἡμᾶς, *inquit,* μετὰ τὸ τελευτῆσαι πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου, εἰς ὃ νῦν ἐσμὲν ἀποκαταστήσεσθαι σχῆμα. *Et defunctos jam vita certis temporum revolutionibus exactis, rurſus in eam quam nunc habemus, faciem reſtitutum iri.*

a PRopter quoddam præclariſſimum loquendi genus.] *Platonem non modo eloquentiæ nomine & doctrinæ admirata eſt antiquitas, verùm etiam & Patres Eccleſiæ ipſum cæteris Philoſophis longe prætulerunt, atque inprimis Auguſtinus ipſe, quod Platonis doctrina cum Chriſtianis dogmatibus magis concordet, quàm reliquorum Philoſophorum placita: Et quidem de animæ immortalitate, de Dei providentia, de productione mundi, de præmiis ac ſuppliciis, quæ juſtos atque impios manent, poſt hanc vitam, nemo Platone ipſo ſcripſit apertius aut clarius. Euſebius lib. de præparat. Evang.* F.L.Coqu.

Evang. in proœmio ſcribit, à Platone cæteros fere omnes Græcorum Philoſophos accepiſſe, & Platonem ab Hebræis fundamenta omnis bonæ philoſophiæ accepiſſe. De eloquentia illius nihil attinet dicere. Ea enim reliquos ſcriptores Græcos longe ſuperavit. Tertullianus lib. de anima cap. 46. Cygnus de ſinu Socratis demulcens homines, diſcipulus Plato eſt. *Ajunt enim Socratem vidiſſe per ſomnium oloris pullū ſibi in gremio pulleſcere, qui continuo exortis pennis, expanſis alis in altum evolans ſuaviſſimos cantus ediderit: Poſtridie cum à Patre fil i commendatꝰ eſſet Plato, hunc eſſe cygnum, quem viderat, dixiſſe, quo ſignificabatur eloquentia illius rara, & eximia futura.*

β Aliquid ſimile nobis etiam de mortuorum reſurrectione.] *Euſebius lib. 11. de præparat. Evangel. cap. 18. ut multa alia ita mortuos revicturos non aliunde quam à ſcriptura Judaica Platonem intellexiſſe ſcribit. Ita Juſtinus ſerm. exhortat.* Videtur Plato non ſolum de extremo judicio Prophetarum didiciſſe oracula, ſed & de ea, quam Græci credunt, reſurrectione..

γ Inducit enim hominem revixiſſe.] *Locus eſt lib. 10. de Republ ubi inducit præſtantiſſimum quendam virum Herum Armenium genere Pamphilium, qui cum in prælio occubuiſſet ſublatis decimo die cadaveribus jam plane corruptis integrum ipſum incorrupto corpore repertum fuiſſe, domumque delatum, ut ſepeliretur, duodecima jam ab obitu die, dum pyræ imponeretur, revixiſſe, ita redivivum commemoraſſe ea, quæ viderat apud inferos, quæque præmia aut ſupplicia manerent pios atque impios, ubi aliqua quidem fabuloſa & conſentanea doctrinæ Platonicæ, non tamen veritati, continentur tamen in ea narratione veſtigia quædam veritatis. In ea enim intueri licet, Platonem agnoviſſe animorum immortalitatem, piorum atque impiorum animos permanere immortales in altera vita, illos quidem ad præmium, hos ad ſupplicium, & ſtatim poſt mortem adjudicari vel præmio, vel ſupplicio, & obſcure agnoviſſe ipſam reſurrectionem mortuorum.*

δ Genethliaci *(inquit).*] *Sunt qui ex die & hora nativitatis fortunam hominis oſtendunt. Agellius lib. 14. cap. 1.* Adverſum iſtos, qui ſe Chaldæos ſeu Genethliacos appellant, ac de motu deque poſitu ſtellarum dicere poſſe, quæ futura ſunt, profitentur, audivimus quendam Phavorinum philoſophum Romæ Græce diſſerentem egregia oratione, alii Planetarios vocant.

ε Παλιγγενεσίας Græci.] *Latine dicitur* regeneratio, renaſcentia, ſecundus ortus, alteri natales, *Eo vocabulo utitur Philo lib. de mundo, ἀμήχανον παλιγγενεσίας τὸν κόσμον λάβειν, baptiſmus dicitur, λουτρὸν παλιγγενεσίας,* lavacrum regerationis.

ζ Ut idem corpus & eadem anima.] *Simile quid dogmati Platonis, qui poſt magnum annum abſolutum omnia numero eadem ſenſit reditura.*

Cap. XXIX.

De qualitate viſionis, qua in futuro ſeculo ſancti Deum videbunt.

NUnc jam quid acturi ſint in corporibus immortalibus atque ſpiritalibus ſ ncti, non adhuc eorum carne carnaliter, ſed ſpiritaliter vivente, quantum Dominus dignatur adjuvare, videamus. Et illa quidem actio, α vel potius quies atque otium quale futurum ſit, ſi verum velim dicere, neſcio. Non

Non enim hoc unquam oculis corporis vidi. Si autem hoc mente, id eſt intelligentia vidiſſe me dicam, quantum eſt, aut quid eſt noſtra intelligentia ad illam excellentiam? Ibi eſt enim pax Dei, quæ, ſicut ait Apoſtolus ſuperat omnem intellectum: quem niſi noſtrum, aut fortaſſe etiam omnium ſanctorum angelorum? Non enim & Dei. Si ergo ſancti in Dei pace victuri ſunt, profectò in ea pace victuri ſunt, quæ ſuperat omnem intellectum. Quoniam noſtrum quidem ſuperet non eſt dubium. Si autem ſuperat & angelorum, ut nec ipſos excepiſſe videatur, qui ait omnem intellectum: ſecundum hoc dictum eſſe debemus accipere, quia pacem Dei, qua ipſe Deus pacatus eſt ſicut novit Deus, non eam nos ſic poſſumus noſſe, nec ulli angeli. Superat itaque omnem intellectum, non dubium quod præter ſuum. Sed quia & nos pro modo noſtro pacis ejus participes facti, ſummam in nobis atque inter nos & cum ipſo pacem, quantum noſtrum ſummum eſt obtinebimus: iſto modo pro ſuo modo ſciunt eam ſancti angeli, homines autem nunc longè infrà, quantumlibet provectu mentis excellant. Conſiderandum eſt enim quantus vir dicebat: Ex parte ſcimus, & ex parte prophetamus, donec veniat quod perfectum eſt. Et videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Sic jam vident ſancti angeli, qui etiam noſtri angeli dicti ſunt, quia eruti de poteſtate tenebrarum, & accepto ſpiritus pignore translati ad regnum Chriſti, ad eos angelos jam cœpimus pertinere, cum quibus nobis erit ſancta atque dulciſſima, de qua jam tot libros ſcripſimus, Dei civitas ipſa communis. Sic ſunt ergo angeli noſtri, qui ſunt angeli Dei, quemadmodum Chriſtus Dei, Chriſtus eſt noſter. Dei ſunt, quia Deum non reliquerunt: noſtri ſunt, quia ſuos cives nos habere cœperunt. Dixit autem Dominus Jeſus: Videte ne contemnatis unum de puſillis iſtis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei qui in cœlis eſt. Sicut ergo illi vident, ita & nos viſuri ſumus, ſed nondum ita videmus. Propter quod ait Apoſtolus, quod paulò antè dixi: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Præmium itaque fidei nobis viſio iſta ſervatur, de qua & Joannes Apoſtolus loquens: Cùm apparuerit, inquit, ſimiles ei erimus, α quoniam videbimus eum ſecuti eſt. Facies autem Dei, manifeſtatio ejus intelligenda eſt, non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore atque iſto nomine nuncupamus. Quapropter cùm ex me quæritur, quid acturi ſint ſancti in illo corpore ſpiritali, non dico quod jam video, ſed dico quod credo: ſecundum illud quod in Pſalmo lego: Credidi propter quod locutus ſum. Dico itaque, quod viſuri ſint Deum in ipſo corpore, ſed utrum per ipſum, ſicut per corpus nunc videmus Solem, Lunam, Stellas, Mare, ac Terram, & quæ ſunt in ea, non parva quæſtio eſt. Durum eſt dicere, quòd ſancti talia corpora tunc habebunt, ut non poſſint oculos claudere atque aperire cùm velint. Durius autem, quòd ibi Deum quiſquis oculos clauſerit non videbit. β Si enim Propheta Heliſæus puerum ſuum Giezi abſens corpore vidit accipientem mu-

Phil. 4. · *1. Cor. 13.* · *Mat. 18.* · *1. Ioh. 3.* · *Pſ. 115.* · *4. Reg. 5.*

nera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem Propheta memoratus à lepræ deformitate mundaverat, quòd ſervus nequam domino ſuo non vidente, latenter ſe feciſſe non putaverat: quantò magis in illo corpore ſpiritali videbunt ſancti omnia, non ſolum ſi oculos claudant, verumetiam unde ſunt corpore abſentes? Tunc enim erit perfectum illud de quo loquens Apoſtolus: Ex parte, inquit, ſcimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt, evacuabitur. Deinde ut quomodo poſſet aliqua ſimilitudine oſtendere, quantum ab illa quæ futura eſt, diſtet hæc vita, non qualiumcunque hominum, verumetiam qui præcipua

1. Cor. 13. hic ſanctitate ſunt præditi: Cùm eſſem, inquit, parvus, quaſi parvulus ſapiebam, quaſi parvulus loquebar, quaſi parvulus cogitabam: cùm autem factus ſum vir, evacuavi ea quæ parvuli erant. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc ſcio ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Si ergo in hac vita, ubi hominum mirabilium Prophetia ita comparanda eſt illi vitæ, quaſi parvuli ad juvenem, vidit tamen Heliſæus accipientem munera ſervum ſuum ubi ipſe non erat: itane cùm venerit quòd perfectum eſt, nec jam corpus corruptibile aggravabit animam, ſed incorruptibile nihil impediet, illi ſancti ad ea, quæ videnda ſunt oculis corporeis, quibus Heliſæus abſens ad ſervum ſuum videndum non indiguit, indigebunt? Nam ſecundum interpretes LXX. iſta ſunt ad Giezi verba Prophetæ: γ Nonne cor meum tecum ibat, & novi, quòd converſus eſt vir de curru ſuo in obviam tibi, & accepiſti pecuniam? &c. ∂ Sicut autem ex Hebræo interpretatus eſt presbyter Hieronymus. Nonne cor meum, inquit, in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Corde ſuo ergo ſe dixit hoc vidiſſe Propheta adjuto quidem mirabiliter nullo dubitante divinitus. Sed quanto amplius tunc omnes munere iſto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus? Habebunt tamen etiam illi oculi corporei officium ſuum, & in loco ſuo erunt, uteturque illis ſpiritus per ſpiritale corpus. Neque enim & ille Propheta, ε quia non eis indiguit, ut videret abſentem, non eis uſus eſt ad videnda præſentia, quæ tamen ſpiritu videre poſſet, etiam ſi illos clauderet, ſicut vidit abſentia, ubi cum eis ipſe non erat. Abſit ergo ut dicamus illos ſanctos in illa vita Deum clauſis oculis non viſuros, quem ſpiritu ſemper videbunt. ζ Sed utrum videbunt & per oculos corporis, cùm eos apertos habebunt, inde quæſtio eſt. Si enim tantùm poterunt in corpore ſpiritali eo modo utique etiam ipſi oculi ſpiritales, quantum poſſunt iſti quales nunc habemus, proculdubio per eos Deus videri non poterit: longè itaque alterius erunt potentiæ, ſi per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, ſed ubique tota eſt. Non enim quia dicimus Deum, & in cœlo eſſe & in

Jer. 23. terra, ipſe quippè ait per Prophetam: Cœlum & terram ego impleo, aliam partem dicturi ſumus eum in cœlo habere, & in terra aliam, ſed totus in cœlo eſt, totus in terra: non alternis temporibus, ſed utrumque ſimul, quod

nullæ

nulla natura corporalis poteſt. *n* Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum non ut acutius videant, quàm quidem perhibentur videre ſerpentes vel aquilæ. Quantalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia nihil aliud poſſunt videre, quàm corpora, ſed ut videant & incorporalia. Et fortaſſe iſta virtus magna cernendi data fuerat ad horam, etiam in iſto mortali corpore oculis ſancti viri Job, quando ait ad Deum: In obauditu auris obaudiebam te prius, nunc autem oculus meus videt te, propterea deſpexi memetipſum, & diſtabui, & exiſtimavi me terram & cinerem. *Iob. 7.*
Quamvis hic nihil prohibeat oculum cordis intelligi, de quibus oculis ait Apoſtolus: Illuminatos oculos habere cordis veſtri. Ipſis autem videri Deum, cùm videbitur, Chriſtianus ambigit nemo, qui fideliter accipit, quod ait Deus ille magiſter: Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Sed utrum etiam corporalibus oculis ibi videatur, hoc in iſta quæſtione verſamus. Illud enim quod ſcriptum eſt: Et videbit omnis caro ſalutare Dei, ſine ullius nodo difficultatis ſic intelligi poteſt, ac ſi dictum fuerit, & videbit omnis homo Chriſtum Dei, qui utique in corpore viſus eſt, & in corpore videbitur, quando vivos & mortuos judicabit. Quod autem ipſe ſit ſalutare Dei multa ſunt & alia teſtimonia ſcripturarum. Sed evidentius venerandi illius ſenis Simeonis verba declarant: qui cùm infantem Chriſtum accepiſſet in manus ſuas: Nunc, inquit, dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum. Illud etiam quod ait ſuprà memoratus Job, ſicut in exemplaribus, quæ ex Hebræo ſunt, invenitur: Et in carne mea videbo Deum; *a* reſurrectionem quidem carnis ſine dubio prophetavit, non tamen dixit, per carnem meam. Quod quidem ſi dixiſſet, *a* poſſet Deus Chriſtus intelligi, qui per carnem in carne videbitur: nunc verò poteſt & ſic accipi, in Carne mea *b* videbo Deum: ac ſi dixiſſet: In carne mea ero, quum videbo Deum. Et illud quod ait Apoſtolus: Facie ad faciem: non cogit ut Deum per hanc faciem corporalem, ubi ſunt oculi corporales, nos viſuros eſſe credamus, quem ſpiritu ſine intermiſſione videbimus. Niſi enim eſſet etiam interioris hominis facies, non diceret idem Apoſtolus: Nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam ad Domini Spiritum. Nec aliter intelligimus quod in Pſalmo canitur: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non erubeſcent. Fide quippè acceditur ad Deum, quam cordis conſtat eſſe, non corporis. Sed quia ſpiritale corpus neſcimus quantos habebit acceſſus, de re quippè inexperta loquimur, ubi aliqua quæ aliter intelligi nequeant, divinarum ſcripturarum non occurrit, ſed ſuccurrit autoritas: neceſſe eſt ut contingat in nobis quod legitur in libro Sapientiæ: Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Ratiocinatio quippe illa philoſophorum qua diſputant, ita mentis aſpectu intelligibilia videri, & ſenſu corporis ſenſibilia, id eſt corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia

Eph. 1. *Matt. 5.* *Luc. 3.* *Luc. 2.* *Iob. 19.* *1. Cor. 13.* *2. Cor. 3.* *Pſ. 33.* *Sap. 9.*

per ſeipſa mens valeat intueri, ſi poſſet nobis eſſe certiſſima, profectò certum eſſet per oculos corporis etiam ſpiritalis nullo modo poſſe videri Deum. Sed iſtam ratiocinationem & vera ratio, & prophetica irridet autoritas. Quis enim ita ſit averſus à vero, ut dicere audeat, Deum corporalia iſta neſcire? Nunquid ergo corpus habet, per cujus oculos ea poſſit addiſcere? Deinde quod de propheta Heliſæo paulò antè diximus, nonne ſatis indicat
4. Reg. 5. etiam ſpiritu non per corpus corporalia poſſe cerni? Quando enim ſervus ille munera accepit, utique corporaliter geſtum eſt, quod tamen propheta non per corpus, ſed per ſpiritum vidit. Sicut ergo conſtat videri corpora ſpiritu, quid ſi tanta erit potentia ſpiritalis corporis, ut corpore videatur & ſpiritus: Spiritus enim eſt Deus. Deinde vitam quidem ſuam, in qua nunc vivit in corpore, & hæc terrena membra vegetat facitque viventia, interiore ſenſu quiſque non per corporeos oculos novit: aliorum verò vitas, cùm ſint inviſibiles, per corpus videt. Nam unde viventia diſcernimus à non viventibus corpora, niſi corpora ſimul vitaſque videamus, quas niſi per corpus videre non poſſumus? Vitas autem ſine corporibus corporeis oculis non videmus. Quamobrem fieri poteſt, valdeque credibile eſt, ſic nos eſſe viſuros mundana tunc corpora cœli novi, & terræ novæ, ut Deum ubique præſentem, & univerſa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ geſtabimus, & quæ conſpiciemus quaquaverſum oculos duxerimus, clariſſima perſpicuitate videamus: non ſicut nunc inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur per ſpeculum in ænigmate, & ex parte, ubi plus in nobis valet fides, qua credimus, quàm rerum corporalium ſpecies, quam per oculos cernimus corporales. Sed ſicut homines, inter quos
al. exercentes. viventes, motuſque vitales exerentes* vivimus: mox ut aſpicimus non credimus vivere, ſed videmus, cùm eorum vitam ſine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conſpicimus: ita quacunque ſpiritalia illa lumina corporum noſtrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora contuebimur. Aut ergo per illos oculos ſic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti ſimile, quo & incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis ſine ſcripturarum teſtimoniis divinarum vel difficile vel impoſſibile eſt oſtendere. Aut quod eſt ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conſpicuus, ut videatur ſpiritu à ſingulis nobis in ſingulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in ſeipſo, videatur in cœlo novo, & in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura: videatur & per corpora in omni corpore quocunque fuerint ſpiritalis corporis oculi acie perveniente directi. Patebunt etiam cogitationes noſtræ invicem nobis. Tunc enim implebitur quod Apoſtolus ait: Quum enim dixiſſet: Nolite ante tempus judicare quicquam: mox addidit, donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuique à Deo.

a VEl potius quies.] *Nam erit à cunctis laboribus requies: & neſcio quo pacto ſuavius eſt quietis nomen, quàm actionis: idcirco Ariſtoteles contemplationem illam, quam extremam beatitudinem facit, quietem nominat: adde quod illud eſt ſabbatum, id eſt otium, & requies ſempiterna.* L. Vives.

b Videbo Deum.] *In quibusdam Auguſtini antiquis codicibus legitur, videbo Deum ſalvatorem meum. Sed nec in Hieronymi verſione legimus, nec videtur ab Auguſtino additum, ex iis quæ ſequuntur: nam de Deo loquitur ſine humanitate: porrò ſi Salvatorem adjeciſſet, de Chriſto videretur dixiſſe.*

α QUoniam videbimus eum ſicuti eſt] *Hunc locum Joannis tractans epiſt. 112. cap. 8. ita interpretatur ac ſi diceret, non videbimus eum per aliquam ſimilitudinem vel per aliquam imaginem eo modo, quo viderunt Patres in veteri teſtamento, ſed videbimus eum ſicut eſt, id eſt, clare & absque omni ſimilitudine, quæ viſio promittitur ſanctis in alia vita.* L. Cop.

β Si enim Propheta Elizæus.] *Ita Gregorius lib. 2. dialogi cap. 12. & 13. D. Benedicto abſenti aliqua innotuiſſe ſcribit, quæ fiebant à Monachis, unde ſubjicit ultimo,* Ego ſancti viri præcordiis Heliſæi ſpiritum video ineſſe, quia abſenti diſcipulo præſens extitit. *Id per revelationem factum, & viſione Prophetica. Deus enim Heliſæo factum Giezi revelavit. Potuit autem id duobus modis fieri, vel viſione intellectuali per immediatam revelationem à Deo factam menti Prophetæ ſine ulla immiſſione ſpecierum, quæ referrent ipſum factum: vel certe viſione imaginaria ſpirituali immiſſis imaginationi Prophetæ ſpeciebus, quæ referrent ipſi factum non ſecus ac ſi loco præſens fuiſſet, qua ratione etiam omnia noverat, quæ ſecreto tractabantur à rege Syriæ. Ita enim docet D. Thomas 2 2. qu. 173. art. 2. quod prophetica revelatio ſit quandoque per ſolam luminis influentiam, quandoque vero per ſpecies de novo impreſſas, vel aliter ordinatas.*

γ Nonne cor meum tecum ibat.] *Græce ita legitur,* Οὐχ ἡ καρδία μου ἐπορεύθη μετὰ σοῦ, ὅτε ἐπίστρεψεν ὁ ἀνὴρ ἀπὸ τοῦ ἅρματος εἰς συνάντησιν.

δ Sicut autem ex Hebræo.] לא לבי הלך כאשר הפך איש מעל מרכבתו לקראתך העת לקחת את הכסף

ε Quia non eis indiguit, ut videret abſentem.] *Videbit enim non viſione corporali, ſed imaginaria & per ſpecies imaginarias, quæ illi, quicquid à diſcipulo fiebat abſente & longe poſito repræſentarent.*

ζ Sed utrum videbunt, & per oculos corporis.] *Hanc quæſtionem, an Deus videri poſſit oculis corporeis, tractavit etiam epiſt. 111. & 112. ubi magis propendet in eam ſententiam, Deum non poſſe oculis corporeis videri. Eam difficillimam vocat lib. 2. retract. cap. 41. quam dicit ſe hoc loco ſatis, quantum arbitrabatur, explicaviſſe, nihil tamen certi hic definit. Origenes lib. 7. adverſus Celſum teſtatur hunc errorem per calumniam Celſum tribuiſſe Chriſtianis.* Mentitur *(inquit)* Celſus contra nos dicens, quod ſperemus nos Deum viſuros oculis corporeis & auribus vocem ejus audituros, & manibus ſenſibilibus eum contrectaturos.

η Vis itaque præcellentior oculorũ erit illorũ.] *Hic locus D. citatur à Thom. 1. p. q. 12. art. 3. ad 2. ubi reſpondet, quod Auguſtinus loquitur inquirendo in verbis illis & ſub*

ſub conditione, quod patet ex hoc, quod prætermittitur, Longe itaque potentiæ alterius erunt, ſi per eos videbitur incorporea illa natura, *poſtea explicat oculos glorificatos eo modo Deum viſuros ſicut nunc oculi noſtri vident alicujus vitam: neque enim vita corporali oculo videtur ſicut per ſe viſibile, ſed per accidens, quod quidem à viſu non cognoſcitur, ſed ſtatim cum ſenſu ab aliqua alia virtute cognoſcitiva, viſis enim corporibus divina præſentia ex eis per intellectum cognoſcetur, tum ex perſpicuitate ipſius intellectus, tum ex refulgentia divinæ claritatis in corporibus glorificatis. Ex quo ſatis conſtat de ſententia D. Auguſtini, licet nihil certi definire videatur. Conſtans eſt Theologorum ſententia Deum ne per potentiam quidem Dei abſolutam oculo corporeo etiam glorificato videri poſſe, cum non contineatur intra latitudinem objecti viſus, quemadmodum nec fieri poteſt, ut ſonus percipiatur ipſo ſenſu viſus, vel color ſenſu auditus; quando enim objectum aliquod excellens ita excedit facultatem alicujus potentiæ, ut tamen intra latitudinem objecti illius adæquati contineatur, non quidem virtute propria & ſibi naturali, divina tamen ac ſupernaturali, ita elevari poteſt, ut percipiat illud objectum. Ita Deus clare viſus excedit facultatem intellectus creati; quando vero ita excedit, ut non contineatur intra latitudinem objecti illius, contradictionem implicat ab ea facultate percipi, adeoque nulla ratione id fieri poteſt, ita Deus ad oculum corporeum ſeſe habet.*

θ Reſurrectionem quidem carnis ſine dubio prophetavit.] *Ita D. Hieronymus epiſt. 61. ad Pammachium citato hoc loco Job.* Quid hac *(inquit)* prophetia manifeſtius? nullus tam aperte poſt Chriſtum, quam iſte ante Chriſtum de reſurrectione loquitur.

ι Poſſit Deus Chriſtus intelligi, qui per carnem in carne videbitur.] *Si de viſione eſſentiæ Dei loquatur Job, congrua quidem interpretatio eſt, ut reſurrectionem futuram vaticinetur. & ſit ſenſus, quod* in carne *quidem i. e.* reſtituto toto homine *viſurus ſit Deum, non tamen oculis carnis. Si vero hæc Job ſententia non de videnda Dei eſſentia, ſed Chriſti humanitate accipiatur, certe non de oculis mentis, verum de oculis corporis intelligendum erit, quod dicit,* in carne mea videbo. *Et hic ſenſus videbitur Job loco maxime conſentaneus. Cum enim egerit de redemptoris ſui reſurrectione, & vita immortali, de judicis conſpectu ſibi jucundiſſimo, de ſua cum Chriſto reſurgente reſurrectione, conſequens fuit, ut de illius videnda humanitate, quod ſummum erit beatis gaudium, nunc Job loqueretur, atque hac ſpe ſuæ carnis imbecillitatem erigeret, non modo quod eſſet configuranda corpori claritatis Chriſti redemptoris, ſed ſatianda etiam & recreanda maxime illius humanitatis glorioſo conſpectu, ut ex hoc loco intelligamus agnoviſſe Job futuram Chriſti incarnationem, alias enim niſi ſalvator ille Deus futurus eſſet homo, oculis corporeis non cerneretur.*

Cap. XXX.

De æterna felicitate civitatis Dei, ſabbatoq́; perpetuo.

Quanta *a* erit illa fœlicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus? Nam quid aliud agetur, ubi neque ulla deſidia ceſſabitur, neque ulla indigentia laborabitur? neſcio. Ad-

Admoneor etiam ſancto cantico, ubi lego vel audio: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Omnia membra & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per uſus neceſſitatis varios diſtributa, quoniam tunc non erit ipſa neceſſitas, ſed plena, certa, ſecura, ſempiterna fœlicitas, proficient in laudibus Dei. Omnes quippe illi, de quibus jam ſum loquutus, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri non latebunt, intrinſecus & extrinſecus per corporis cuncta diſpoſiti, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationalis pulchritudinis delectatione ſuccendent. Qui motus illic talium corporum ſint futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus & ſtatus, ſicut ipſa ſpecies, decens erit, quicunque erit, ubi quod non decebit, non erit. Certè α ubi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus: nec volet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poſſit dicere nec corpus. Vera ibi gloria erit, ubi laudantis, nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, ſed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur eſſe niſi dignus. Vera pax ibi eſt, ubi nihil adverſi, nec à ſeipſo, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit ipſe, qui virtutem dedit, & qui ſeipſum, quo melius & majus nihil poſſit eſſe, promiſit. Quid eſt enim aliud, quod per Prophetam dixit: Ero illorum Deus, & *Lev. 16.* ipſi erunt mihi plebs: niſi, ego ero, unde ſatientur: ego ero quæcunque ab omnibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apoſtolus, *1. Cor. 15* ut ſit Deus omnia in omnibus. Ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, ſicut ipſa vita æterna communis: cæterum qui futuri ſint pro meritis præmiorum etiam gradus honorum atque gloriarum, quis eſt idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quòd tamen futuri ſint, non eſt ambigendum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in ſe bonum videbit, quod β nulli ſuperiori ullus inferior invidebit, ſicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri, tanquam nolit eſſe unusquisque, quod non accepit: quamvis ſit pacatiſſimo concordiæ vinculo ei, qui accepit obſtrictus, quàm nec in corpore velut oculus eſſe, qui eſt digitus, quum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. γ Sic itaque habebit donum alius alio minus, δ ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius. ε Nec ideò liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum eſt, quando primùm creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit & peccare: hoc autem noviſſimum eò potentius erit, quò peccare non poterit. Verùm hoc ζ quoque Dei munere, non ſuæ poſſibilitate naturæ. Aliud eſt enim eſſe Deum, aliud participem Dei. Deus natura peccare non poteſt, particeps verò Dei ab illo accipit, ut peccare non poſſit. η Servandi autem gra-

dus

dus erant divini muneris, ut primùm daretur liberum, quo non peccare poſſet homo noviſſimum, quo peccare non poſſet: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccavit iſta natura, quum peccare potuit, largiore gratia liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſit. Sicut enim prima immortalis fuit, quam peccando Adam perdidit, poſſe non mori, noviſſima erit, non poſſe mori: ita primum liberum arbitrium, poſſe non peccare: noviſſimum non poſſe peccare. Sic enim erit inamiſſibilis voluntas pietatis & æquitatis, quomodo eſt felicitatis. Nam utique peccando nec pietatem nec fœlicitatem tenuimus, voluntatem verò fœlicitatis, nec perdita fœlicitate perdidimus. *θ* Certè Deus ipſe nunquid, quia peccare non poteſt, ideò liberum arbitrium habere negandus eſt? Erit ergò illius civitatis & una in omnibus, & inſeparabilis in ſingulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum, nec tamen ideò ſuæ liberationis oblita, ut liberatori ſuo ſit ingrata. Quantum ergò attinet ad ſcientiam rationalem, memor præteritorum etiam malorum ſuorum, quantum autem ad experientis ſenſum, prorſus immemor. Nam & peritiſſimus medicus, ſicut arte ſciuntur, omnes ferè morbos corporis novit: ſicut autem corpore ſentiuntur, plurimos neſcit, quos ipſe non paſſus eſt. Ut ergò ſcientiæ malorum duæ ſunt, una, qua potentiam mentis non latent, altera, qua experientis ſenſibus inhærent. Aliter quippe ſciuntur omnia vitia per ſapientiæ doctrinam, aliter per inſipientis peſſimam vitam: ita & obliviones malorum duæ ſunt. Aliter ea namque obliviſcitur eruditus & doctus, aliter expertus & paſſus. Ille ſi peritiam negligat, iſte ſi miſeria careat. Secundùm hanc oblivionem, quam poſteriore loco poſui, non erunt memores ſancti præteritorum malorum. Carebunt enim omnibus malis, ita ut penitus deleantur de ſenſibus eorum. Ea tamen potentia ſcientiæ, quæ magna in eis erit, non ſolùm ſua præterita, ſed etiam damnatorum eos ſempiterna miſeria non latebit. Alioquin ſi ſe
Pſ. 88. fuiſſe miſeros, neſcituri ſunt, quomodo ſicut ait Pſalmus: Miſericordias Domini in æternum cantabunt? Quo cantico in gloriam gratiæ Chriſti, cujus ſanguine liberati ſumus, nihil erit profectò illi jucundius civitati. Ibi perficietur:
Pſ. 45. Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus. Quod erit ibi verè maximum ſabbatum non habens veſperam. Quod commendavit Dominus in primis operibus mundi, ubi legitur: Et requievit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit: & benedixit Deus diem ſeptimum, & ſanctificavit eum, quia in eo re-
Gen. 2. quievit ab omnibus operibus ſuis, quæ inchoavit Deus facere. Dies enim ſeptimus etiam noſipſi erimus, quando ejus fuerimus benedictione & ſanctificatione pleni atque refecti. Ibi vacantes videbimus, quoniam ipſe eſt Deus, quod nobis
Gen. 3. ipſi eſſe voluimus, quando ab illo cecidimus, audientes à ſeductore: Eritis ſicut dii: & recedentes à vero Deo, quo faciente dii eſſemus ejus participatione, non deſertione. Quid enim ſine illo fecimus, niſi quod in ira ejus defecimus? A quo refecti, & gratia majore perfecti, vacabimus in æternum, videntes, quia ipſe eſt Deus,

Deus, quo pleni erimus, quando ipſe erit omnia in omnibus. Nam & ipſa bona opera noſtra, quando ipſius potius intelliguntur eſſe, quàm noſtra, tunc nobis ad hoc ſabbatum adipiſcendum imputantur, quia ſi nobis ea tribuerimus, ſervilia erunt, quum de ſabbato dicatur: Omne opus ſervile in eo non facietis. Propter quod & per Ezechielem Prophetam dicitur: Et ſabbata mea dedi eis in ſignum inter me & inter eos, ut ſcirent, quia ego Dominus, qui ſanctifico eos. Hoc perfectè tunc ſciemus, quando perfectè vacabimus, & perfectè videbimus, quia ipſe eſt Deus. Ipſe etiam numerus ætatum veluti dierum, ſi ſecundùm eos articulos temporis computentur, qui in ſcripturis ſanctis videntur expreſſi, iſte ſabbatiſmus evidentius apparebit, quoniam ſeptimus invenitur, ut prima ætas tanquam dies primus ſit ab Adam uſque ad diluvium: ſecunda inde uſque ad Abraham. *i* non æqualitate temporum, ſed numero generationum. Denas quippe habere reperiuntur. Hinc jam ſicut Matthæus Evangeliſta determinat, tres ætates uſque ad Chriſti ſubſequuntur adventum, quæ ſingulæ denis & quaternis generationibus explicantur. Ab Abraham uſque ad David una: altera inde uſque ad transmigrationem in Babyloniam, tertia inde uſque ad Chriſti carnalem nativitatem. *k* Fiunt itaque omnes quinque. Sexta nunc agitur nullo generationum numero metienda, propter id, quod dictum eſt: *Non eſt veſtrum ſcire tempora, quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Poſt hanc tanquam in die ſeptimo requieſcet Deus, cùm eundem ſeptimum diem, quod nos erimus, in ſeipſo Deus faciet requieſcere. De iſtis porrò ætatibus ſingulis diligenter longum eſt diſputare. Hæc tamen ſeptima erit ſabbatum noſtrum, cujus finis non erit veſpera, *λ* ſed dominicus dies velut octavus æternus, qui Chriſti reſurrectione ſacratus eſt, æternam non ſolùm ſpiritus, verùm etiam corporis requiem præfigurans. Ibi vacabimus & videbimus: videbimus & amabimus: amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine ſine fine. Nam quis alius noſter eſt finis, niſi pervenire ad regnum, cujus nullus eſt finis? *b* Videor mihi debitum ingentis hujus operis adjuvante Domino reddidiſſe. Quibus parum, vel quibus nimium eſt, mihi ignoſcant. Quibus autem ſatis eſt, non mihi, ſed Domino mecum gratias congratulantes agant. Amen.

Deut. 5.
Ezech. 20.

a QUanta erit illa fœlicitas.] *Dici potemnt innumera, ſed & ſequendus Auguſtinus, & de re tam ſacroſancta nihil temerè vel pronunciandum vel ſcribendum: nec fas eſt ad philoſophiam & humanas quæſtiunculas revocare, quod Deus arcaniſſ. eſſe juſſit, nec oculis oſtendit, nec auribus elocutus eſt, nec in cogitationes menteſq; mortalium immiſit: magna eſſe & admirabilia credi voluit, & ea ſperari tantùm à nobis, tum demum intellecturis, cum voti compotes facti ſpectabimus coràm omnia præſentia, & oculis atque adeò nobisipſis conjunctiſſima & affixa, ut ſic cognoſcamus, quemadmodum nunc cogniti ſumus: nec inquirendum eſt, actu'nè ſit intellectus beatitudo illa, an voluntatis potius: utrum intuebitur omnia in Deo mens noſtra, an ab aliquibus arcebitur, ne ſi contentioſè nimium hæc quæſierimus, nec voluntatis ſit, nec intellectus fœlicitas, nec aliquid videamus in Deo. Omnia erunt gaudiorum & beatitudinum plena. non modò voluntas & intellectus, ſed oculi, aures, manus, totum* L. Vives.

corpus, totus animus, tota mens. Omnia cernemus in Deo, quæ volemus, & ſuo beatitudinis gradu quiſque contentus erit, nec alteri, quem propinquiorem ſpectabit Deo, invidebit, quoniam tam beatus erit unusquiſque quàm volet.

b Videor mihi debitum ingentis hujus operis.] *Et ipſe pariter non mihi minus ingens abſolviſſe opus, & varium laborem exiiſſe videor, quàm ſibi Auguſtinus. Quantum enim illius ingenii, eruditionis, ſanctitatis viribus admirandum iſtorum voluminum erat onus, tantum imbecillitati & imperitiæ noſtræ, horum tenuium leviumq; commentariorum. Si quid dixi, quod placeat, habeat lector gratiam Deo propter me: ſi quod non placeat, ignoſcat mihi propter Deum, & malè dictis det veniam propter benedicta. Errores verò, ſi benignè emendarit ac ſuſtulerit, demeretur & me, & lectores, qui confiſi forſitan mihi fallerentur.*

1.L.c.19. *α* UBi volet Spiritus, ibi protinus erit corpus.] *Quam perfecte, & quibus modis ſubdendum ſit corpus glorificatum ipſi animæ beatæ, docet D. Thomas 4. contra Gentes cap. 86. & Theologi in 4. diſtinct. 49. De hoc ſupra dictum eſt ad caput 20. lib. 13.*

β Nulli ſuperiori ullus inferior invidebit.] *Ita enim pacata erit illa civitas & ſocietas ſanctorum, ut quanquam alii ſuperiore gradu & dignitate, alii vero inferiori collocati ſint, cuilibet tamen ſua beatitudo & ſtatus abunde ſufficiat. Quo alludit D. Bernardus lib. 3. de conſiderat. ad Eugenium caput 10. cum docet hierarchiam eccleſiæ militantis conſtitutam eſſe à Deo ad exemplar hierarchiæ cæleſtis, ſicque inferiores ſubeſſe debere ex ordinatione divina ſuperioribus:* Si dicat (*inquit*) Epiſcopus, nolo eſſe ſub Archiepiſcopo, aut Abbas, nolo obedire Epiſcopo, hoc de cœlo non eſt, niſi forte tu quempiam Angelorum audiſti dicentem, nolo ſub Archangelis eſſe. aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem cuiquam ſubeſſe, niſi Deo.

γ Sic itaque habebit domum alius alio minus.] *Ex ſcriptura ſacra & ex Patribus ac communi Theologorum ſententia in 4. diſtinct. 49. & ex D. Thoma 1. p. q. 12. art. 6. Conſtat veritas hujus aſſertionis,* *[*Pro diverſa enim ratione meritorum certum eſt alios aliis in cælo fore beatiores, ac clarius ac perfectius Dei eſſentiam viſuros.*]* Quæcunque enim ſeminaverit homo, hæc & metet. *Itaque,* qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionib. & metet. *2. Cor. 9. Id Chriſtus ſignificavit Joan. 14.* In domo patris mei manſiones multæ ſunt. *& Apoſtolus 1. Corinth. 15.* Sicut ſtella differt à ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. *Hæreſis fuit Joviniani, paria eſſe præmia beatorum, proindeque Deum non perfectius ab uno quam ab alio videri, quam fuſe confutat D. Hieronymus lib. 2. contra eundem D. Gregorius lib. 4 moral. cap. 42.* Quo hic alius alium merito ſuperat, illic alius alium retributione tranſcendit. *Hæc etiam aſſertio definita fuit in concilio Florentino ſub Eugenio 4. ſeſſio. ult. in litteris unionis, ſcilicet juxta meritorum diſtinctionem varie etiam à beatis videri eſſentiam Dei.*

δ Ut hoc quoque donum habeat, &c.] *Eſt enim de ratione beatitudinis, quæ in viſione Dei ſummi ac infiniti boni poſita eſt, ut expleat omne deſiderium quocumque gradu & quantumcumque minima beato communicetur, nec requiritur illius aſſecutio*

cutio vel participatio ſecundum quemlibet gradum intenſionis poſſibilem. Id exemplo familiari declarare licet. Nam puer parvus æque contentus eſſe ſolet parva tunica, atque vir magna, neque majorem appetit. Quod enim parvulo eſt membrorum parvitas, eſt ſuo modo in beato proportio gratiæ *[*& meritorum illius, juxta quam ſua ordinatione Deus ſtatuit ſe illi largiturum majorem aut minorem beatitudinem.*]*

ε Nec ideo liberum arbitrium non habebunt] *Erunt confirmati in gratia & ad malum inflexibiles, liberi tamen maxima libertate. Neque enim per gratiam tollitur, immo magis confirmatur liberum arbitrium, & de ratione libertatis non eſt poſſe peccare. lib. de prædeſt ſanctorum cap. 15. de Chriſto,* An ideo *(inquit)* in illo libera voluntas non erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato ſervire non poterat. *Eandem, quam hoc loco doctrinam tradite epiſt. 86. quæſt. 2.* Voluntas libera tanto erit liberior, quātò ſanior tāto autē ſanior, quāto divinæ miſericordiæ, gratiæque ſubjectior. *Et in Enchirid. cap. 105.* Multo liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſervire peccato. Neque enim culpanda eſt voluntas, aut voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt, quam beati eſſe volumus ut eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſſimus. Sicut ergo nunc etiam anima noſtra nolle infœlicitatem, ita tunc nolle iniquitatem ſemper habitura eſt. *lib. de corrept. & grat. cap. 11.* Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato ? *D. Bernar. lib. de gratia & liber. arbitrio. præter libertatem à neceſſitate & coactione duplicem libertatem in ſcriptura docet nobis eſſe propoſitam, à peccato & à miſeria, una libertas naturæ dicitur, altera gratiæ, tertia gloriæ. Perfectius ergo erit liberum arbitrium in beatis, in quibus triplex hæc libertas reperietur. Theologi in beatis ponunt libertatem non quidem contrarietatis, ſed contradictionis, non quoad ſpecificationem actus, ſed quoad exercitium actus. Sunt enim determinati quidem ad bonum, indeterminati tamen ad hoc vel illud bonum, & ad agendum vel non agendum.*

ζ Hoc quoque Dei munere, non ſuæ poſſibilitate naturæ.] *Beatos non poſſe peccare ex fide certum eſt. Quemadmodum enim voluntas viatoris definita eſt ad bonum in genere, ut nihil velit omnino niſi ſub ratione boni, ita voluntas comprehenſoris definita eſt ad Deum quatenus clare videtur, quia in eo cernitur omnis ratio boni, quo fit ut aliud à Deo velle non poſſit, ita enim Deus occupat mentes beatorum, ut nihil omnino videatur aut volitum ſit niſi ſub ratione illius. Illa vero non peccandi omnino libertas in beatis, non magis illis convenit ex poſſibilitate naturæ, quam lumen gloriæ aut ipſa beatitudo, ſed ex Dei munere, quemadmodum idem docet lib. de corrept. & gratia cap. 12. & in Enchiridio ad Laurentium cap. 106.* Et cuicumque creatura id convenit, ut peccare non poſſit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex conditione naturæ, *ut docet D. Thomas 1. p. q. 63. artic. 1, & reliqui Theologi in 2. ſentent. diſtinct. 23.*

η Servandi autem gradus.] *Eadem ſcribit & in Enchiridio cap. 105. & 106.*

θ Certe Deus ipſe nunquid quia peccare non poteſt.] *In Deo eſſe liberum arbitrium docet D. Thomas. 1. p. q. 19. art. 10. 4. contra Gentiles cap. 88. & Theologi in 2. diſt. 25. Licet enim neceſſario velit ſuam bonitatem, alia tamen à ſe non vult neceſſario,*

rio, ſed omnino libere. Nec obſtat quod Dei voluntas in malum non feratur, id enim non eſt de ratione liberi arbitrii per ſe, ſed libero arbitrio accidit propter innatam creaturæ perfectionem, & perfectiones creaturarum ſunt Deo tribuendæ ſublatis omnibus imperfectionibus. Neque enim Deus eſt agens ex neceſſitate naturæ, ſed libere omnia ex ſe operatur.

ι Non æqualitate temporum, ſed numero generationum.] *In prima ætate Noe decimus eſt ab Adamo, in ſecunda ab ipſo Noe decimus eſt Abrahamus, longe tamen plures interceſſere anni ab Adamo ad diluvium, quam à diluvio ad Abrahamum, cum primo illo ſæculo & prima ætate vitam hominis longius producerent.*

κ Fiunt itaque omnes quinque.] *Eodem modo diſtribuit ætates mundi lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 23. ubi eas egregie confert cum ſeptem hominis ipſius ætatibus ab infantia ad decrepitam uſque ætatem, & lib. 4. de trinit. cap. 4. qu. 49. ſuper librum Judicum, lib. 12. contra Fauſtum cap. 8. & tractatu 9. in Joannem.*

λ Sed dominicus dies velut octavus æternus, qui Chriſti reſurrectione.] *Die octava, quæ dominica eſt, reſurrexit Dominus, ac per eam dies reſurrectionis univerſorum & beatitudo ſanctorum æterna futura ſignificatur, quæ poſt hujus ſæculi labores donantur, quod per ſeptem dies intelligitur, quibus univerſum tempus volvitur. Quo fit, ut nonnulli pſalmi, qui ad reſurrectionem & beatitudinem pertinent, pro octava inſcribantur, ut docent Auguſtinus & Hieronymus initio pſalmi 6. & Gregorius homilia 16. & 20. in Ezechielem. Atque hic ultimus eſt ſtatus civitatis Dei, hæc (inquam) merces ſanctorum, quam omnibus ſorte vocatis & prædeſtinatis in Chriſto poſt ærumnoſæ hujus vitæ labores repromiſit Deus, quam & nobis per Chriſti meritum idem largiatur, qui eſt benedictus in ſæcula.*

Ingens quidem hoc opus librorum De civitate Dei *divini illius ingenii. D. Auguſtini monimentum præclara quæque ingenia exercere poterat, ſi quid tamen ſcripſi, quod publicam lucem mereatur, ac privatim vel publice ſit utile, & quod ad ea elucidanda aliquantulum conferat, quæ toto hoc opere omnigena eruditione referto continentur, illi uni totum acceptum fero, qui non modo inſpiravit ab initio, ut hunc laborem ſuſciperem, ſed & laboranti vires ſubminiſtravit, & honeſtos hos meos conatus ad optatum finem tandem perduxit.*

INDEX RERUM SECUNDO VOLUMINE CONTENTARUM.

A.

AAron obſtrictus vitulum populo fecit 108
Aaronis genus uſque nunc durat 440
Abacuc quis fuerit 656
Abakuc quo vixerit tempore 654
Abdias quis, & ubi ejus ſepulchrum 654. 655
quo fuerit tempore: ex illius prophetia 453
Abel bonus: poſterior naſcitur 162
Abortivi fœtus, an ſint reſurrecturi 1070. & ſeq.
Abraham ſub Nino primo Aſſyriorum rege natus 506. & ſeq.
in ignem à Chaldæis miſſus 312
Abraham ubi mandatum de relinquenda patria acceperit 314
quo tempore de Babylonia ſit egreſſus 507
Abraham mediæ ætatis cur à Paulo dicatur corpore emortuo 368
Abrahæ cur nomen mutatum ſit 365
Saram ſororem non mentitur 323
per femur cur fecerit jurare ſervum 380
Abraham polygamus, præſtantior Iſaac Monogamo 391
jam ſenex, quare Cethuram duxerit uxorem 391
quo animo uſus ſit Agar 350
clxxv. annorum moritur 202
Abrahami vita 507
ætas, & ex Meſopotamia exitus 311
genus & patria 305
proſapia numeroſa 184
promiſſiones 317
obedientia 125
corpus emortuum 365
patris ejus Thara mors 310
Abrahami obedientia tentatur 375
Quid Abyſſus Apoc. 20. v. 3. 866
Academia tres ſecundùm Euſebium 764
Academici duplices, veteres & novi 762
Acarnanes annum ſex menſ. habuere 195
Acca Romuli nutrix 608
Achad, quæ Archad, id eſt, Niſibis, Meſopotamia civitas 272
Achaia Ægialia dicta 320
Achas rex Juda 609
Acheruſia ſpecus 564
Achimelech Philiſtinorum regum nomen commune 416
Aconitum venenum 564
Acropolis urbs prima 184
Acta quæ nunc Attica 533
Actii ludi Apollinis 553
Adam propheta 422
antè malus, quàm de fructu edat 116
Adam nunquam cum uxore in Paradiſo congreſſus 153
an Adam per peccatum amiſit liberum arbitrium 111
ex Adam primo malus natus filius 162
Adam an cupiditate ligni prohibiti ſit tentatus 105
An Adam ita ſeductus fuerit, ut vera eſſe crederet, quæ ſerpens diceret 114

ejus peccatum, cur tantam meruerit pœnam 115
cur fœmina paruerit 108
Adam de peccato excuſatio 115
Adam juſtè hac pœna multatus 124
an Adamo non peccante iidem homines fuiſſent prædeſtinati, & an illi ſoli nati fuiſſent 106
Adamiani nuptias negarunt futuras, ſi Adam non peccaſſet 141
Addo propheta Zachariæ pater 671
Adria Apuliæ civitas 587
Adrianus Chriſti fautor 740
Aër ab igne patitur 973
ſæpè inter aquas & aquas medius eſt 1065
Affectus animi quatuor 77
ſecundùm Stoicos tres 89
Affectus animi qui non habent, rectè non vivunt 96
Affectus animi: an habuerint primi homines ante peccatum 105
Affectibus quomodo utantur pii 97
Agar terrenam ſignificat civitatem 165
Aggæus quo tempore fuerit 669
Agrorum ſtercorationem Sterces invenit 582
Agriculturam quis primò invenerit 524
Alba ab Aſcanio condita 605
Albunea Sibylla Tyburs dicta, pag. 614
Alchimus pontifex Judæorum 711
Alcibiades Socratem audiens obſuam triſtatur ſtultitiam 91
Aleam invenit dæmon 99
Alexander magnus 696
vicit Judæos 710
pontificem ſummum adorat 712
Alexandri regni diviſio 697
Alexander Hieroſolymitanus epiſcopus martyr 740
Alexander rex & pontifex 711
Alexandra fœmina Judæorum regnum adminiſtrat 712
Allegoria quid 166. 168
Amalthea, Sibylla Cumana dicta 614
nec amicitia tuta eſt ſoliditas, pag. 789
Amilmadapacus Aſſyria Rex 629
Amitini qui 228
Ammonitæ pop. Arabes 724
Amor & dilectio differunt 87
Amor quid ſecundum ſcripturas 86
Amor item ordinatè amandus eſt 232
in malum & bonum eſſe accipiendum 86
in amore vitia 780
Amos propheta quo ſcripſerit tempore 634
Amphion muſicus 568
Amulius Latinorum rex 608
Amynta XVIII. rex Aſſyr. 547
Analogia an valeat in grammat. 22
Anaxagoras à Pericle liberatus pag. 693
Anaximenes quando vixerit 623
Quid ἀνατομὴ 1098
Andromeda in cœlum adducta: ſtellas habet XX. 572
Angelis ineffabili quodam modo loquitur Deus 285
Angelos noſtros eſſe ut ſunt Dei 1105
habere corpora 236
ex ſanctis angelis procedente tempore diabolos faciebat Origenes 989
Angelorum malorum lapſus per homines impletur ſalvandos 1025
Angelos malos peccando aliquo modo mortuos eſſe 64
Angelorum vis & potentia 40
cum hominibus amicitia 791
potentiam, ex dæmonum operibus cognoſcendam 557
per angelos Deum patribus apparuiſſe 569
non naturæ, ſed miniſterii nomen eſt 236
Angeli Dei homines dicti 234 & ſeq.
An Angeli cum mulieribus conjugia inierint ex quibus Gigantes creati 233

Ange-

Angerona dea, & ejus ſimulachrum 521
aliquando homo dicitur 6180
Animæ partes tres, & illarum ſedes 138
Animam agere unde dicatur 17
Animæ à corpore ſeparatio, an ſit illi pœna 31
Animas ſine corpore eſſe non poſſe dixit Plato 1101
Anima Hermotimi corpore relicto quãdo volebat vagabatur 150
quo igne uratur 970
Animæ corpore exutæ, quo loco contineantur, reſurrectionem expectantes 16
animas exutas, ſuorum corporum, non alienas deſiderare carnes 46
nunquam ad iſta mundi mala redituras credidit Porphyrius 1101
Anima quare immortalis dicta, & quæ illius mors 3
Animæ vivere, & mori quid 3
ἐντελέχειαν *nominat Ariſt.* 1066
quintum corpus eſt ſecundum Ariſt. 1064
ut beata ſit anima omne corpus eſſe fugiendum dicunt quidam 1100
eſſe de ſubſtantia Dei, opinatur Lactantius 66
Animam mundi per numeros muſicos in omnibus partibus extenſam Plat. ſententia 37
in corpora redeundi cupiditas 1100
Animas, cœleſtis ignis eſſe particulas dixit Plato 1066
prima Animi quæ 769
Animi affectus principes quatuor pag. 77. 78
Animalia omnia, homini in paradiſo ſubdita 108
quare deleta in diluvio 247
quæ fuerint in arca 250
Animalia carnivora quo cibo uſa ſunt in arca 261
qualiter in omnes terræ partes ſint diviſa 287
cur non occidant Manichæi 83
animalium quorundam natura, & opera peculiaria 148. 149
Annuli uſum à Prometheo manaſſe 529
Anna, id eſt gratia ejus 430
Annum noſtrum decem annis veterum conſtare quidam opinantur 195
Anni ab Adam uſque ad diluvium 222
Anni tres & menſes ſex perſecutionis Antichriſti quorſum annumerari debeant 881. & ſeq.
Annorum diverſitas apud diverſos 195
Unde annorum illorum 70 quibus completis Hebræi captivitate ſolvendi erant exordium ſumendum quando completi 632
ſupputatio Latina cum Hebræorum concordat 190
in ſupputatione, quibus potiſſimum ſit credendum 198
annos hujus ſeculi non eſſe 433
veterum pares fuiſſe noſtris probatur 201. & ſeq.
de mille annis, quorum meminit Joan. 659. & ſeq.
Antandros urbs Phrygiæ 602
Antæus terræ filius 555
in terram cadens fortior redditus 560
Antœci qui 293
Antichriſti adventus 897. & ſeq.
de Antichriſti perſecutione Dan. prophetia 913
Antichriſtus quanto ſit regnaturus tempore 914
An Antichriſtus vera editurus miracula 902
Antichriſti temporibus tribulationes erunt maximæ 1011
Antichriſti miracula ſigna mendacia cur vocentur 902

Antichthones quid 293
Antiochus contra Judaeos 710
Antiochus Aſcalonita Ciceronis & Varronis praeceptor 772
Antipater primus antipas dictus 712
Antipodas non eſſe 292. ſeq.
Antiſthenes Cynicae ſectae autor 139. 140 767. 764
Anthropophagi pop. 1083
ἀορασία quid 1079
ἀπάθεια quid, & quod non hujus ſit vitae 99. 97
Apaturia feſta 602
Apes ſine ſexu eſſe 254
quomodo naſcantur 256
Aphricae limites 319
Apia regio 518
Apia Ægyptiorum deus 519. 520
ſerapis dictus 519
Apis tertius ex Argivorum 519
ἀπλάστος quid 393
Apollo Latonae filius 560
nomius dictus 572
Lycius unde 551
Apollinis ludi multi 553
Apollini Delphico ludi inſtituti 550
Apollinis carnii ſacra 554
Quid per apoſtaſiam 2. Theſſ. 2. intelligatur 900
Apoſtolorum eloquia fuere illorum miracula 1045
piſcatura 1046
Apuleji transformatio unde ſit, 593
Apulia Daunia dicta 571
Aquarii ſignum Ganymedis eſt 571
Aquila à Judaeis caeteris interpretibus anteponitur 235. 237. 241
Aquila inter ſydera poſita 529
Aquilarum pullos in alias ſpecies degenerare 800
Arabia populi 724
Arach Edeſſa dicta 502
Aralius quintus rex Aſſyriorum 513
Arati duo, & poetae illius ſepulchrum in Cilicia 339
Arca figura eccleſiae, & quod ejus menſura corpus humanum 248
Arcae figura 255
An arca Noë capacitate ſuâ qua deſcribitur omnium animalium eſcarumq; capax eſſe potuerit 255. quantitas 253 258. regiones quinque 249
Archad, id eſt Niſibis Meſopot. civ. pag. 272. 274
Archontes Athenienſes 605
Areopagus quid 543. 545
Areopagitae unde dicti 543
Quis primus Areopagum inſtituerit 545
Aretes Arabum rex 716
Argentum pro Dei eloquio, ſumitur 441
Argivorum regnum finitur 582. 585
Argolis regio 514
Argus Argivorum rex 522
Argos urbs prima 184
Argi unde dicti 515
Argivorum regni ortus 513. 516
Aries in vepribus ſignificat Chriſtum 326
aries aureus in ſydera relatus pag. 565
Arion equus Neptuni 540
Ariſteus olei inventor 553
Ariſtobolus primus Rex & Pontifex Judaeorum 677. 718
captivus Rom. ducitur 711
Arithmetica reliquis diſciplinis neceſſaria 686
arithmeticam daemon invenit 99
Armamitras rex viij. Aſſyr. 513
Artaxerxes, id eſt magnus debellator 514
Asbeſtos lapis inextinguibilis, 953
Aſcanius, ubi rexerit 602
Aſcanii cognomen 602
Aſcatades Aſſyriorum rex 547

Aſia mundi pars tertia numero, magnitudine dimidia 506
facilè ab Aſſyriis domita 609
aſia duplex & majoris illius limites 319
Aſina & pull9 ſubjugalis ſpiritaliter 672
aſſyriorum regum ordo 513
regni potentia maxima 319
regum illorum cur ferè nulla fiat apud ſcriptores mentio, pag. 508
regni finis 607
aſſyrios Trojanis fuiſſe auxilio, pag. 599
Aſteriſcus quid 703
Aſterius qui Xanthus 553
ἀϛοργοὶ qui 99
Aſtronomiam dæmon invenit 99
aſtronomia ob cæli ſerenitatem perpetuam Ægyptiis familiaris 687
Aſſuerus, i. Artaxerxes μνήμων 677
Athena Sibylla Erythræa 614
Qui primi Athenarum conditores 542
athenæ unde dictæ 538.539
athenæ tres 539
athenis duo conſilia 543
athenienſium res, nō tam magnæ quàm feruntur 506
athenienſium magiſtratus 605
potentia 507. *regnum finitur* 605
Athenai pop. Eubœæ 539
Atheneopolitæ pop. 539
Athletæ miſti, olim pulvere ſpargebantur 1056
Atlas aſtrorum conſultiſſ. 527
Atlantes plures 530
Atlantis fabulæ ſignificatio 530
Eleuſina, antiquitus & Acta dicta 533
cecropia 539
Atticæ ſitus 534
illius civitatis 534
Audurus fundus 1051
Aventinus xij. rex Latin. in deorum numerum relatus 607
Aventini montis ſitus 608
Quis Aventinus 638
Augurum proprius eſt lituus 584
Auguſtinus excuſatur 1066
Aurelianus Imp. à ſuis occiſus, pag. 740
Auriga, ſignum cæleſte 556
Auri & argenti ſcoria deus non capitur [illegible]9
Aurei velleris cuſtodia 565
Auſitidæ gentes 723

B.

Babilæ ſepulchrum transfertur 742
Babylon dicta à confuſione 278
ejus ædificator Nemroth 251.278
Babyloniæ ſitus, & à quo ædificata 510
à Semiramide inſtaurata 506
Babylon civitas myſtica 692
Babylon Ægypti 510
turris Babylonicæ meminit Sibylla 279
Bacchus ſol eſt, & cur dictus liber 552
Bacchus Lycæus 590
Bacchanalia feſta 560
Bacchæ, quæ & qualibus vocatæ nominibus 560
Bagrada flu. 1056
Balantium ponderis genus 1055
Balcus x. Aſſyriorum rex 512
Balthaſar, qui & Maboar Aſſyr. rex 629
Baptiſmum nihil prodeſſe, niſi juſtificemur 1015
per baptiſmum ſcelera omnia dimitti 13
Baptizatus podagricus quidam à morbo curatur 1050
Baptiſmi vices, nonnunquam mors implet. 13
Baptizatos infantes, nonnunquā à dæmonib9 Deo permittente vexari 1087
Barbam ornamento, non munimento eſſe viris 1098
Baruch Scriba Hieremiæ 663.664
Baſiliſcum ſerpentem viſu enecare 567
Beatitudinem extremam, quietem dicit Ariſt. 1109

Beatæ vitæ commendatio ibid.
Beatus hic nemo eſt 152
Beatum protinus facit finis boni 768
Beati quomodo dicamur in hoc mũdo 792
ſpe hic beati ſumus, ſicut & ſalvi 777
Beerſabe civitas & puteus 401
Bellerophon 568.560
Bellum homini maximum malum 795
etiam juſtum deteſtandum 786
nullum eſſe ſine pace 820
in bello quid malum 841
etiam bella propter pacem gerimus 796
Belocus IX. rex Aſſyriorum 513
Belus primus Aſſyriorum rex annis regnat ſexagintaquinque pag. 319. 320. 506
Beli plures, & Aſſyrium, ob potentiam Deum habitum 273
Belus primus κεραυνὸς dictus 510
Benedictionis Juda ſignificatio pag. 409
Benedictionem olim, abeuntes dabant Epiſcopi 1009
Quæ Beroſi nomine venditantur Beroſi non eſſe 504
Bethel, Luza dicta, & ubi ſita 402
Bethlehem parva ex principibus Juda 645.651
Biantis Prienei patria & vita 626
Biantis ſymbolum, plures mali 226
Biga quid 770
Bœotia, ogygia dicta 533
Bonum, ſolius juſtitiæ delectatione faciendum 985
per ſe ſine Dei adjutorio nemo operabitur 157
in bono originali, duo bona 1092
Bona ſine malis eſſe poſſe 108
Boni finis quid 760
Summum bonum quod dixere plerię 770
Summum bonum quod, ſecundùm Chriſtianos 773
Boni quo judicio Dei hîc affligantur & mali proſperentur 845
Bonorum numerus, multo à malis ſuperatur 329
Bonorum languores, qua medicina juventur 175
Speciosos corpore bonos ſcriptura vocat 234
Bos ſuperſtitioſus Ægypt. Apis dictus 519.521
Bovis Ægyptiaci forma 520
Bovis capiti & renibus lapilli inſunt. 1056
Brachmani qui 232
Quid βούλησις 85
Buſiris hoſpitum immolator 551
cur hoſpites occidere dictus 555

C

Caci antrum & fabula 798
Caci feritas pacem quærebat 797
Cadmus Græcas literas docuit 686
Cain primus terrenæ civitatis civis 173
primam ædificavit civitatem 182
Quare Cain ædificavit Civitatem 186
pœna propter homicidium conſtituta 229
pertinacia, & illius cauſa 178
generatio cur conſcripta 225
generatio cur in mulierum nominibus finiatur 214
Sacrificium Cain certo ſigno reprobavit Deus 178.180
Et quare 178.ſeq.
Cain interpretatur poſſeſſio 224
Cain Judæos ſignificat 180.182
Cainanis generatio cur interpoſita generationi Arphaxad & Sale Luc. 3. 297
Calabria Meſſapia dicta 518
Calama Africæ civitas 1055
Calamiſius opp. Italiæ 150
Calane, quæ nunc Seleucia 302
Calchinia Leucippi filia 518
Calculo ad S. Stephani memoriam quidam liberatur 1050
Caligula Cæſaris invidentia 109
Calcem in aqua fervere, in oleo frigere 962

Camby-

Cambyſes, Cyri filius, Nabuchodonoſor dictus 629
Campeſtria & Campeſtrati, quid 13.132
Campi Elyſii 1019
Cancer morbus incurabilis 1047.
Cancri morbi ſpecies tres 1054
Cappadoces Moſoch dicti 879
olim Syri, & Leucoſyri 1056
Cappadociæ ſitus & limites 1056
Capras perpetua febri laborare 345
Carnius Jovis & Europæ filius 554
Caro ſpiritualis quæ 46
quid per verba, in carne videbo Deum, Job intellexerit 1110
Carnem principum tenebrarum eſſe opificium dicunt Manichæi 83.84
carnis naturam non eſſe malam 83
carnem non eſſe cauſam peccatorum 76
carnis inobedientia, juſta primi peccati pœna eſt 125
carnis affectus, non carnis, ſed animæ ſunt paſſiones 125
carnis ſignificatio in ſcripturis, 72.73
carnalis pars in homine, peccatum dictum 179
Carpathos, quæ nunc Pharus Inſ. 416
Caſſiopejæ ſyderis ſitus & ſtellæ 572
Caſtor & Pollux ex ovo nati 579
Caſtoris & Pollucis templum ad lacum Juturnæ 580
Cataractæ Diomedis aves 587
Catizi qui Pigmæi 289
Cato quare ſe peremerit 775
Catobepæ quid 567
Cautio quid 89
Cæcitas ipſa, præſtantiam commendat 1024
Cecrops Athenien. rex 527
primus urbium conditor 184
Cecropia quæ Attica 539
Centaurorum ortus 562
Centauri qui 559
unde dicti 563
Et quod illorum fabula, vitæ velocitatem oſtendat 563
Centenarius numerus pro univerſitate 860
Centrum quid 36
Centumviri Romæ qui 698
Cœlum quintam naturam eſſe docuit Ariſt. 1066
Quid Cœli nomine 2. Petr. 3. v. 7. intelligatur 895
cœlum novum 889
cœlorum regnum multiplex 872
cœlos aqua diluvii repletos fuiſſe 895
Cepheus in cœlo ſtellas habet XIX. 572
Cephiſus amnis 518
Cerberus triceps, & quid ſignificet 563 ſeq.
Cerberus quaſi carnivorus 564
Cercopitheci qui 290
Ceremonias legis etiam tempore meſſiæ obſervandas probant Judæi ex Malach. cap. 4. v. 4. 927
Cæſarea Cappadociæ urbs quæ prius Mazaca dicebatur 1056
Chalda Athena Euboica dicta 539
Chaldæa Aſſyriæ pars 305
Chaldæi Aſtronomiæ peritiſſimi 686
Cham non in ſe, ſed filio maledictus 265
Meſraim dictus 308
interpretatur calidus 265
Chanaan, id eſt motus eorum 265
Chananæa quæ nunc Judæa 184
Charra civitas Meſopotamiæ, 305
Χιλιαςαὶ qui 860
Chilonis patria, & nativitas 625
ſymbolum, ſponſioni non deeſſe jacturam 626
Chimera quid 558
Chorila quid 553
Chronicon Euſebii, corruptiſ. 534
Chriſtus, & Dei, & noſter eſt 1105

in Chriſto manere, eſt in ejus fide perſeverare 1006
Chriſto adhærere, & illum deſerere quid 1006
Chriſto templum inſtituere, cogitat Adrianus 740
Chriſtum in fundamento habet, qui huic neceſſitudines omnes poſtponit 1011
qualem expectent Judæi 489
Chriſtos dicimus unctos omnes chriſmate Dei 434
Chriſti Judæorum reges, olim dicebantur 465
Chriſtus deus ſuper omnes deos 1044
Quomodo Chriſtus Aggæi 2. vocetur deſideratus gentibus cunctis 673
Chriſtus Adam ſecundus 56
Cur Chriſtus non dicatur Sacerdos ſecundum ordinem Aaronis 338
ſalutare Dei 1107
Chriſtus quomodo dicatur expectatio gentium 949
pro nobis pauper factus 433
piſcis dicitur 612
corpus Chriſti verè manducare quid 1006
corpus Chriſti non comedit, qui in ejus corpore non eſt 1006
Chriſti corpus, & plenitudo, eſt Eccleſia 1077
in Chriſto animi affectus apparuiſſe 96
Chriſti adventus duplex à Malachia prædictus 671
Chriſtus quando natus in Bethlehem 718
Quo anno Auguſti CHRISTUS natus 720
Chriſtus Abrahæ & David filius cur dicatur 417 420
de ſemine Sem 265
Chriſtus quo menſe & die ſolari paſſus 758
Chriſti paſſio, commutatio dicta 470
Quibus Conſulibus Chriſtus mortuus
Chriſti mors voluntaria, non neceſſaria 409
Chriſti latus perforatum, per arcæ oſtium ſignificatur 249
Mors Chriſti, per ſoporem Adæ præfiguratur 1074
in Noe nudato præfigurata 265
in benedictione Judæ prophetata 409
in Pſal. 21. prædicta 486.
in Sapientia lib. 492
Chriſtus cur poſt reſurrectionem comederit, & tangi ſe præbuerit 1079
An Chriſtus poſt reſurrectionem mortuorum manſurus ſit in mundo annis mille 861 863
Chriſti reſurrectio ex Pſalmis probatur 488
à Prophetis prædicta 639
Chriſtus apparuit Abrahæ 369
Davidi promiſſus 455
per arietem in vepribus ſignificatus 376
in Sem figuratus 265
in Abel & Seth 180 217
de Chriſto Eſaiæ vaticinia 643
Hieremiæ 667
Ezechielis 668
Jonæ 647
Naum 654
Sophoniæ 663
Zachariæ 670 *ſeq.*
Danielis 668
Michææ 647
Abdiæ 653
Abacuc 658
Aggæi 669
de Chriſto Verg. & Ovid. ſcripſere 719
Chriſto animam humanam defuiſſe quidam dixere 73.75

de

de Chriſto quid ex oraculis dixerit Porphyrius 828. ſeq.
Chriſtum fundamentum omnes habere, quotquot in Eccleſia manſerint, quidam opinantur 993
Chriſtiani primi, & ſi poterant, obſiſtere tamen noluerunt 1037
ementitis flagitiis miſerabiliter ſub Nerone trucidati 739
in Gothia crudelis afflictio 738. 749
in Perſia 738
Chriſtianorum perſecutiones non tantum decem, ſed infinitæ 737. ſeq.
Chriſtianorum ſententia de ſummo bono & ſummo malo 773
Chriſtianorum falſorum uſus in Eccleſia 733
Judæis ſuperiores futuros præfiguratur 381
nihil referre, quibus moribus & vitæ genere, modo non contra Deum Deo ſerviant 817
de Chriſtianis Plinii epiſtola 739
Trajani ſententia 739
religio Chriſtiana non propter hujus vitæ quæratur commoda 1087
Chriſtianæ religionis initium 754
à Petro introductam & trecentos ſexaginta quinque tantùm annos duraturam, & gentilium quidam dixere 751
S. Chriſtophori dens, pugno major 188
non in Cibo, ſed aviditate cibi quiſque culpandus 392
cibo uti poſſunt, & angeli, & ſanctorum corpora poſt mortem, non neceſſitate, ſed voluntate 53. 54
..bus & defenſio 1067
Cilicium pœnitentiæ ſymbolum 224
Circe maga 589
Circeium promontorium ibid.
Circumciſio, cur hoc tempore præcepta 354
non circumciſus parvulus, quod teſtamentum diſſipet 360. & ſeq.
Cirri quid ſint 1054
Civitas quid ſit 183
ita ſit conſtituta, ut ſit æterna 1036
prima quare à Cain ædificata 173
primæ civitatis reges 222
in una Thare domo plantata 303
in Chriſto fundata à principio 481
in quibus peregrinetur in hoc mundo 409
in quibus rebus cum terrena pacem habet & in quibus non 813
civitatis ſuæ Deus ipſe, vita & victus eſt 1024
finis eſt vita æterna in pace 795
civitates duæ, bonorum & malorum mixtæ, in vet. Teſt. ſignificatæ 165. & ſeq.
Civitatis terrenæ inconſtantia 172
duarum civitatum qualitates 320
civitates duæ ſola ſuperbia & humilitate differunt 117
per Seth & Cain inſinuatæ 204
Cleobuli patria
Clitemneſtra Helenæ ſoror ex ovo nata 579
Coactores qui 1056
Quis Codrus 001
Codrus occiditur 597
Cogitatio Dei, quid 247
cogitationes noſtræ in alia vita invicem patebunt 1108
an etiam in paradiſo coiſſent, ſi non peccaſſent 145
Colchidis fluvii aurei 565
Collectarius quis 1056. 1060
Concordia ordinata quæ 805
concordiam inter prima beatitudinis bona ſtatuunt Stoici 795
Concubitus pudorem ex peccato eſſe, etiam liciti 135
Concubitus Abrahæ cum Agar an excuſan-

ſendus 351
concubitum conjugalem in paradiſo eſſe inſtitutum 142
an à concubitu tanto tempore abſtinuerint veteres, dum filios genuiſſe traduntur 202.ſeq.
Concupiſcentia de bono & malo dicitur 87
concupiſcentiam nullam eſſe poſt reſurrectionem 1074
Conformari nos Dei filio quid 1073
conjugiorum jus primum & ſubſequens 246
Conſcientia tranquilla nihil beatius 971
Conſobrini qui 208
conſobrinos jungi matrimonio, quando prohibitum 208
Continens cæteris paribus conjugato præferendus 391
nec continentia prodeſt niſi ſecundùm Deum fiat 221
Corallium quidam Pyritem putant 954
Corax 16. rex Sycion. 547
Cornu cur clangant Judæi 377
Cornua decem apud Danielem, quid ſignificent 914
Corpus noſtrum multò meliorem recipiet qualitatem, quam fuit primorum hominum 46
corpus animale & ſpiritale quod 55
quomodo ſpiritale efficiatur 46
corpus mortale animæ onerosum eſſe 31
non ſolum corpus hominis voce notamus 61.76
unde conditum ſecundùm Platonẽ 40.41
46 cubitorum in Creta repertum 188
corp9 homini an ſit ſicut equus equiti 770
An Corpora in uſtione ignis poſſint eſſe perpetua 940
an Corporeum dolorem ſequatur carnis interitus 941
Corpora primorum parentum an condita ſint ab initio incorruptibilia & ſpiritualia 37.38
corporis humani longitudo quanta 249
corporis noſtri præſtantia, Dei providentiam loquitur 1095
partium ejus ἁρμονίαν & numerum, ut nemo invenit, ita nemo ſatis admirabitur 724
trahimur amore illius ad ima, à ſuperarum verò rerum cognitione retrahimur ſecundùm philoſophos 32
Corpora ſanctorum qua ratione poſt reſurrectionem futura ſpiritualia 47
corporum noſtrorum motus & agilitas in vita beata 1108
ſic autem reſurgent, ut deforme & indecorum nihil habeant 1078
qualia poſt mortem futura 1069
corpora damnatorum igne non conſumi, probatur 961.& ſeq.
an corpora terrena, incorruptibilia & in cæleſtibus eſſe poſſint 35.& ſeq.
corpora noſtra in cæleſtia poſſe mutari, multis argumentis probatur 39.& ſeq.
in cæleſtia non poſſe transferri, plerique argumentantur 1034
Crates Thebanus Cynicus 159
cur Deus creaverit, quos noverat peccaturos 154
Creatio animæ rationalis ſignificatur vocabulo inſpirationis 69
ex creaturarum miraculis Dei potentiam cognoſcendam 958
Creuſa Æneæ uxor 597.601
Criaſus quintus Argivorum rex 527
Crimen & peccatum quid differant 99
Crucis ſigno fœmina à cancro liberatur 1048
Cubitus ſeſquipedem habet 289
cubitum geometricum, ſex noſtra continere 253
Cumæ duplices 570.615

Cur-

Curruum inventor Erichthonius 556
Curubis urbs Aphricæ 1055
Cynici ex habitu dicti 764
Cynicæ ſectæ autor Antiſthenes ibid.
Cynocephali populi 288
Cyclopes ab Apolline interempti 571
Cynos urbs Locridis 545
Cynicorum turpitudo 139
Cynomya quid 416
Cyniphes quid 416
Cyprianus martyr 740
Cyrenæi ubi ſiti 567
Cyrus Perſarum rex 628

D.

Damnandum neminem, qui ſacramenta Chriſti ſuſceperit, opinantur quidam 992
damnationem malorum ſempiternam fore 996
damnationem noſtram, quicquid in nobis eſt miſeriarum, prædicat 1085
An damnati gloriam beatorum viſuri 912
damnatorum pœnam etiam ſancti ſcient 1112
Danaus x. rex Argivorum 547
navigii inventor 548
Danai & Gelanoris contentio 548
Danai Pelaſgi dicti 548
Daniel quis, & quando fuerit 668
Daphne Sibylla Delphica dicta 613
Darius Hiſtaſpis filius 629
David Muſices peritus 475
An David omniū Pſalmorum autor 477
Decius Chriſtianorum perſecutor 740
Dædalus artifex 569
Defuncti ſancti quid acturi ſint in futura vita 1104. & ſeq.
pro defunctis orat Eccleſia 998
Debora quo tempore judicarit Iſrael 582
Demænetus in lupum: & rurſus ex lupo in hominem 589
Dæmones corpora habere, quibus ignis ſupplicium ſentiunt 972
Duſii dicti 255
quas artes invenerint 99
ſacrificio fugatos corporis domini 1034
quibus rebus illiciantur, non cogantur 957. 960
ſalvandos docuit Origenes 989
Ludificationes an credendæ ſint quòd fiant verè 591
Dæmoniacus quidam precibus & hymnis liberatus, oculo quo privatus erat à dæmone reſtituto 1034
Demophile Sibylla Cumana 614
Deus ſancti Chriſtophori pugno major 188
dentem hominis molarem vidit Aug. qui centum noſtrates quantitate ſuperavit 187
Decreto nympha Semiramidis mater 509
Deſcendere Dei quid ſit 283
Deucalion & illius fabula 544
Deus quid ſit ſecundùm Cic. 1082
Deus variè accipitur in ſcripturis 832
animarum conditor, animam non habet 440
per angelos patribus apparuit, pagina 369
Dei viſio fidei præmium 1106
veri Dei & falſorum differentia 1038
deum an corporeis oculis ſimus viſuri in vita futura, 1106. & ſeq.
An Deus oculo corporeo à glorificatis videri poſſit 1110
Deus totus ubique in toto 1106
Deus quomodo mutare voluntatem ſuam dicatur 1025
in Deo voluntas duplex 1026
Dei cultus verus 178
Dei deſcendere & videre 283
Dei facies eſt ipſius manifeſtatio 1109
ira & cogitatio 247
Deum pœnitere tropicè dictum 107
de Deo cur quædam humano dicantur more 247

Deum

Deum verum Jovem dixit eſſe Varro 827
deos quos vocet ſcriptura 832
immortalitate donatos à ſummo Deo dixit Plato 1100
per templa cultum primus Phegeus invenit 513
deos facere quando ceſſaverint gentes 620
Diabolus miſſus dicitur, &c. pagina 860
ejus natura ex Deo ſubſiſtit, pagina 1093
ſupplicium eſſe æternum, pagina 995. & ſeq.
alligatio & ſolutio 867
naturam non eſſe malam 803
cur eos rejecerit eccleſia, qui diabolum aliquando ſalvandum aſſerunt 995
diabolos ex angelis fieri docuit Origenes 989
eccleſia quare non oret pro diabolo 997
diaboli peccata quæ 77
Dialectica per Cynipes ſignificata 416
dialecticam à diabolico ingenio profectam 99
Dies tantos fuiſſe apud veteres, quanti nunc ſunt 201
dies ſeptimus nosipſi erimus, 1113
octavus reſurrectionis eſt 1113
dominicus reſurrectioni cur ſacer ſit 1113
Quomodo diluvio perdendorum erant tantum centum viginti anni 244 ſeq.
Diluvium factum probatur rationibus 253
ogygium 537. Deucalionis 544. diluvii cauſa 244
univerſalis illius qui meminere 533
aqua ejus quouſque aſcenderit 895
in diluvio quare viventia omnia deleta ſint 247
An qui diluvio periêre omnes æternis ſuppliciis damnati fuerint 246
Dilectio nihil aliud quàm charitas 86
dilectionem in bonum & malum eſſe accipiendam 86
Diocæſarea Capadociæ urbs 1056
Diocletiani Imp. ſævitia 740
Diogenis Cynici turpitudo 139. 140
ſimulata ut miraculo eſſet paupertas 986
ſuperbia major inopia, quàm Platonis in copia ibid.
Diomedes duo 587
diomedeæ aves 587
qua arte producta 592
diomedei campi 557
diomedeæ inſulæ 588
Διόνυσος quid interpretatur 552
Dionyſius Liber pater dictus vitem oſtendit in Attica 550. & 552
Dioſcuri Caſtor & Pollux dicti, pag. 580
Dioſpolis quæ Thebæ urbium antiquiſſima 184
Diſciplina nos à pravis cupiditatibus coerceri 1086
homini optima medicina 1086
Divitis in inferno pœna & membra qualia 973
juſtorum 95
non dolere ſtipitis, non hominis eſt 96. & ſeq.
de dominandi æquo jure 811
Domitiani in Chriſtianos crudelitas 739
Donatiani hæretici pallio & baculo utebantur 140
Donus ponderis genus 1015
Draconis leges humano ſcripta ſanguine 625
Duodenarius numerus inſignis, pag. 223
Duſii qui 238

E.

Eccleſia multiplex 872
nunc orat pro omnibus, nec tamen pro omnibus exauditur 998
Latina interpretatione ex Septuaginta verſa olim uſa eſt 65. 67
ex bonis & malis collecta 729
eccleſia corpus Chriſti 1077

ecclesiæ glorificatio poſt mortem 891
ecclesia unitas in linguarum varietate oſtenſa 729
quotquot in eccleſia manſerint, qualitercunque vivant ſalvandos nonnulli putant 993
Eccleſia amictus Chriſti 409
in formatione fœminæ præſigurata 1074
per Annam Samuelis matrem præmonſtrata 430
templum illud noviſſimum 710
de eccleſia Joelis vaticinium 647
Malachiæ prophetia 670
Eſaiæ prophetia 643
Zachariæ vaticinium 670
eccleſia in Hieruſalem cœpit, & inde in omnem terram diffuſa eſt 731
incrementum ejus à Neronis perſecutione cœpiſſe 738
Eccleſia quare tantis agitetur malis 733
Eccleſia quando orat pro inimicis 1001
Eccleſiaſticus Jeſu Sirach, quo tempore compoſitus 494
Eccleſiaſtici liber, Salomonis non eſſe 492
Echthonophyle Sicyonis filia, pag. 599
Ædificare ſupra fundamentum lignum, fœnum, ſtipulam, 1009. 1012
Æditio quinta incerti autoris 702
Oedipus Laii filius 560. 571
Ægyptus in provinciæ formam redacta 697
Ham dicitur 302
Heptapolis 302
ægyptii quales habuerint aliquando ſcientias, & de qua velut antiq. glorientur 686
ſapientia 681. ſcientiæ quæ 686
ementita antiquitas 688
Quibus literis Ægyptiorum ſapientia continebatur 656
ægyptios annum quatuor menſium habuiſſe 195
ægyptiaci regni potentia 320
Egreſſarius Aſſyriorum rex 629
Ægilia quæ Achaia 320
Peloponneſus item 320
Ægialeus rex primus Sicyo. 508
ægialiæ plures 509
Eleemoſyna in noſipſos primùm eſt facienda 1015
eſt peccatum dimittere 994
verè quæ peccata aufert 1014
Quid conſideretur in eo cui datur Eleemoſyna ut ſit ipſa Deo grata 1022
eleemoſynas Deus, non cui detur, ſed quo animo detur attendit 1015
ex rapina Deo eſſe odibiles 1019
ſolis eleemoſynis ſalvari, quidam opinati ſunt 994
An Elementa poſt diem judicii quoad ſubſtantiam interitura ſint 890. & ſeq.
Elementorum pondera ſecundum Platonicos 1064
Ælia Hieruſalem dicta 475
Elyſii campi ubi, & unde dicti 1019
Εναντίον & ante & contra ſig. 279
Enarchus quidam mortuus revixit 1103
Εντελέχεια quid 1066
Æneas deus 600
poſt Jupiter indiges dictus 600
quo tempore venerit in Italiam 597
æneæ mors & templum 600
à Troja evaſio 597
migratio, & quibus oris appulerit ibid. & ſeq. 598.
αἰνίγματα Bœotii inſidias vocant 578
Enos interpretatur homo 214
quid ſit quòd Enos primus nomen domini invocaverit 217
Ænos urbs Thraciæ ab Ænea condita 598
Enoch 365. annorum tranſlatus eſt 190
tranſlatio quid ſignificarit 219
nonnulla ſcripſiſſe 235

interpretatur dedicatio 214
eſſe prophetam: & cur ſcripta ejus non recipiantur 684
enoch urbs vetuſtiſſ. 184
Ephorus genus magiſtratus 625
ephorus unde dictus, & quod illius officium 625
Ephrata regio 649
Epiſcopi abeuntes, amicos benedicebant 1037
Quomodo Epiſcopatum deſiderans bonum opus deſideret 820
epiſcopatus operis non honoris nomen eſt 818
Epicurus deorum negavit providentiam 693
epicurei an vixerint ſecundùm carnem 72
Epimenides Cretenſis unus ſapientum 625
Epiphania Syriæ quondam Hemath dicta 424
Sub æquinoctiali temperatiſſimam eſſe habitationem 50
Eques & equitare, item de equo dici 771
equos celeres Cappadocia nutrit 1056
equas quaſdam vento concipere 954
ex equis primùm Theſſali pugnarunt 563
Eratus Sicyonum rex 524
Eraſinus amnis 514
Erichthonius IIII. Athen. rex 547
anguinis pedibus 556
Erodius avis 588
Eſaias Amos filius 634
quo tempore ſcripſit 635
à Manaſſe occiſus creditur 621
eloquentia & mors 644
Eſau mons eſt in Idumæa 653
Seir dictus 655
Eſca quales in arca 254
Æſculapius à Jove fulmine interemptus
Eſculus Jovi ſacra 553 (571
Eſdras quis 677. 678
Quando Eſther Hiſtoria contigeris 679
Egreſſio ſanctorum ad videndas pœnas malorum qualis 911
Malachias dictus 920
hiſtoricus magis quam propheta 676
Aetas aurea 584
ætates mundi qua ratione diſtinguantur
quibus gratiis juventur à Deo 985 (1113
αἴθιοψ nigrum ſignificat 302
Vox æterni quo ſenſu interdum accipiatur in Scriptura 1026
æthiopes ex Chus propagati 302
æthiopia Chus dicitur, & Atlantia 302
æthiopon Eubœæ Inſula 302
Æthan Jezraelita cantor 471
Evangelium id eſt, bona nunciatio 670
ex Sion prodiit 486
evangelia Thomæ & Barnabæ apocrypha 237
evangelicæ prædicationis abmandatio 731
Euchariſtia corporis Chriſti eccleſiæ eſt ſacramentum 1006
euchariſtiam ſuam ex ſanguine infantis hæretici quidam conficiebant 752
Euchei pop. nunc Arabes 723
Εὐπάθεια quid 91. 93
Euryale una Gorgonum 566
Europa Ageronis filia 554
rapta 550
Europæ limites 319
Europs ſecundus rex Sicyoniorum 506
Euryleon Aſcanius Æneæ filius pag. 602
Euſebius Cæſarienſis epiſcopus, pag. 534
Euſebii Chronica in plériſque depravata
Exedra quid 1057. (534. 655
Extaſi quaſi mortuus, presbyter quidam Calamenſis, quando volebat rapiebatur 149
Ezechias rex Judæ piiſſimus 609
Ezechiel quis, & quando fuerit, pag. 668

F.

Fabulæ quæ ficta tempore Judicum in Iſraël 559

Fabia-

Fabianus Martyrio coronatur 740
Facies Dei eſt ejus manifeſtatio, pag. 1105
Facies duplex interioris & exterioris hominis 1106
Facierum in hominibus diſſimilitudinem miraculum eſſe, nec mirari 965
Fames quicquid carnis exhaurit in aerem exhalatur 1082
Famoſus tam mala quàm multa fama hominem ſignificat 194
Fatua Fauni uxor 585
Fatuum dicere quādo liceat proximū 1016
Faunus II. Laurentum rex 583
Faunos qui incubi concubitus mulierum appetiſſe 233
Febres ex Jovis igne eſſe 529
Februm quid 556
Fœcunditatem ex lupercalibus mulieres Romæ expectabant 556
Fœlicitatis æternæ commendatio 1110 & ſeq.
Fœmina ex viri latere ædificatio mortem Chriſti & eccleſiæ formationem figuravit 1074
an in ſuo ſint reſurrecturæ ſexu 534
Fœminas conſultationibus olim interfuiſſe 538. 541
per fœminas ſecundariò genus humanum perditum 231
per Femur ſervum ſuum cur jurare fecerit Abraham 380
Cur Foliis ficus ſe contexerint primi parentes 26
Fidem ſaluti univerſæ civitatis prætulere Saguntini 1043
fidei Chriſti initium 754
Fides vita eſt, quæ per dilectionem operatur 7009
an Fide in Chriſtum in Veteri Teſt. fideles juſtificati 785
Fidei præmium eſt viſio Dei 1105
Fingere quid 65
Finis boni quis 760
de finibus bonorum & malorum variæ ſectæ 670
Flaccianus proconſul 611. ſeq.
Flatus quem Deus primo inſpiravit homini 61
Florentinus quidam Hipponenſis à martyribus viginti precibus veſtem impetrat 1049
Quid Flamen pacis Eſa. 66. v. 12. 910
Fons in Epiro admotas accendens faculas 953 961
Fortitudinis officium 776
Fratres fratrum filii dicti 207
Quis Fructus ſanctis de ſuperatis tentationibus paratus 792
Frumentum quando ſeri cœptum in Græcia 524
in fundamento habere Chriſtum 1009
Furias nihil aliud eſſe quàm ſuam cujusque conſcientiam 978

G.

Galatæ Gomor dicti 879
Galilæa Judææ pars 649
Ganymedis raptus 560
Ganymedes in ſignum cœleſte aquarum mutatus 571
Garganus Apuliæ mons 586
Gaudium juſtorum 95
propriè bonorum eſſe 90
Gelanoris & Danai contentio 548
Geloſus Carthag. Eccleſiæ presbyter 1047
Geminorum ſignum, Caſtorem & Pollucem eſſe 580
Genealogia Chriſti examinatur 204
primorum parentum in Paradiſo generatio, ſi non peccaſſent 141
qualiter generaſſent homines in paradiſo, ſi non peccaſſent 148
generandi benedictionem Deus non abſtulit ab homine poſt lapſum 1093
Geneſis quo propoſito ſit ſcripta 182

Genethliaci qui 1103
Genitalia membra & opera cur tegamus 131. 145. & ſeq.
Geometriam invenit dæmon 99
propter agrorum dimenſum Ægyptiis familiaris 686
Gentes 72. prima diviſione conſtitutas 287
gentes per Idumæam intelliguntur 653
gentium vocatio à prophetis prædicta 659
per Hieremiam 660
in eccleſiaſtico prædicta 492
quæ ex gentium credenda ſunt hiſtoriis 957
ex gentibus etiam nonnullos ſalvandos eſſe, hodie, qui Chriſtum nunquam audierint 722
ad S. Gervaſii ſepulchrum, cæcus quidam viſum recipit 1046
Gervaſii & Prothaſii corpora, Briſacum translata 1054
Gladius igneus, qui circa paradiſum 50
Glaucus vates 614
Gloria vera in æterna vita 1111
Gog & Magog qui 878
ubi ſiti 879
Gorgones tres 566
Gorgonum fabulæ expoſitio 567
Gororanes Perſarum rex 742
Gothi & Alani Italiam ingrediuntur 756
Gradus prohibiti cur introducti 206 ſeq.
& quòd conſobrinorum conjunctio licita olim fuerit 207
Gratianopolis civitas 962
Grammaton Iſagogi 686
Græcia legibus & judiciis illuſtrata 513
Gruum multitudo, & cur dicta Strymoniæ 289
Gymnoſophiſtæ qui 132. 226

H.

Harpocrates Deus ſilentii 520
Hebræa lingua ante diluvium omnibus communis 299
& in quos diffuſa primùm 300
Hebræas literas ſemper apud Judæos fuiſſe 685. ſeq.
Jeſus Eſdræ filius commutavit 677
Hebræi quot annis in Ægypto manſerint 347
Hebræi unde dicti 271. 277
an Hebræorum ferè incredibilis in Ægypto multiplicatio fuerit naturalis 526
epiſtola ad Heb. an ſit Pauli Apoſtoli 332
Hecate venatrix ſæviſs. 589
Helena & Clitemnæſtra ex ovo natæ 579
Heli ſacerdos Iſraëlis judex 597
Heliam Phinees eſſe autumant Judæi 441
Quid de Heliæ adventu ante judicium ſentiendum 928. & ſeq.
Hellanicus ſcriptor fabuloſus 579
Helle in mare decidit 565
Helleſpontus unde dictus 565
Hercules plures fuere 531
regum nepotes ſic dicti 532
Hercules quo tempore vixerit 551
Hercules Argivus 553
Hercules Cerberum ab inferis traxit 564
Hercules Cacum interemit 798
Hercules quare Athlanti feſſo ſucceſſiſſe dicatur 553
Hercules Magnus in Oeta monte combuſtus 550
Hæretici qui ſint, & quis illorum uſus 733
Hæreticorum in Eccleſia utilitas 665
Hæreticos ut ſua membra excitavit Satan 733
Hæretici in Cham deſignati 265
Hæreticos cur excludat Eccleſia 997
Hæreditatis dividundæ jus unde dictum 527
Hermani philoſophi qui 132
Hermaphroditi Androgyni dicti 288
Hermotimus Clazomenius animam quãdo volebat, exhalabat 150

Her-

Hernath civ. nunc Epiphania Syriæ 424
Herodes primus rex Judæorum alienigena 711
quibus artibus Judæorum rex factus 713
Heroides qui 553
Herodotus fabulator 188
Herophile Sibylla Cumana dicta 613
Herus Pamphylius in acie occiſus revixit 1103
Heſperidum inſulæ 566
Heſperius tribunitius 1045
Heſperoceræ inſulæ Gorgonum domus 566
Heſter hiſtoria ab Eſdra conſcripta 676
quo tempore contigerit 677
Hieremiæ mors & vaticinium 624
Hierony. presb. trilinguis 702
Hieronymi in Daniel. liber 913
Hieruſalem prius Iebus, dein Salem, poſtremo Ælia dicta eſt 475
Solyma dicta & unde ibid.
quo tempore deſtructa 623
à Pompejo capta 711
Hieruſalem nova 889
ad Hieroſolymam pertinet tribus Levi 497
Hippones opp. duo 290
Hircanus Rom. exercitum contra Judæos provocat 711
Hiſpani Thubal dicti 879
in Hiſtoriis non omnia allegoricè eſſe interpretanda 762
Homo quid ſit 770
ſibi amicus natura 776
ſi homo hominis carnem voraverit, cui caro comeſta reddenda ſit in reſurrectione 1082. ſeq.
Hominem dicimus & corpus, & animam, & utrumque ſimul 61
Homines omnes, cujuscunque ſint formæ, ex uno Adam eſſe 288
ſanctorum interceſſione ſalvandos quidam dixere 990
genera, quæ narrantur monſtroſa, unde propagata 287. 288
Homo monſtroſus duorum capitum in oriente natus tempore Aug. 288
hominis induſtria & ſagacitas, quam ei indidit Deus 1094
Homo mortalis factus non lege naturæ, ſed merito peccati 29
Homine nulla immanior fera, ſi ſibi relinqueretur 1088
Homo in erectam formam cur ſit creatus 1095
qualis à Deo factus, & qualem ſeipſum peccando fecerit 27
Hominis immortalitas in creatione prima & vita futura 1112
cur fecerit Deus, quem noverit peccaturum 154
primorum hominum lapſus, quo ordine factus ſit 108
corpora immortalia fuiſſe ante peccatum, demonſtratur 44
de homine quid futurum, ſi non peccaſſet 1
Auguſtini ſententia 29
homini poſt lapſum non totum abſtulit Deus, quod dederat 1093
homines ducentos viventes annos 187
hominum vita in mundi initio non minus 750. annorum 183
hominum vita ſecundùm ætates & tempora 201
ætas diuturna, olim & ſtatura ingens 187
ex inſcitia temporum credita ſecundùm Plinium 196
homo in quo diabolo ſimilis 77
primus homo, ſi non peccaſſet, quales genuiſſet filios 5
an animi affectus habuerint, initio ante peccatum 105
quomodo nuditatē ſuam cognoverint 151
primorum hominum vita in paradiſo 153

pœna prima nuditatis ſenſus 25
corpora qualia 46
de peccato excuſatio 124
primis hominibus quam mortem ſit Dominus comminatus 25
Humanæ miſeriæ calamitas 774
Homogyrus agriculturæ inventor 524
Hoſtias quo animo Alexander in templo obtulerit 710
Humilitas exaltat, dejicit ſuperbia 112
animum humilem, non cenſum commendavit dominus 986
Huz quis, & quæ ejus nominis terra 723
Hiſtoricorum diſſonantia quomodo componenda 689

I.

Jacob dolus non eſt culpandus 393
Jacob Iſrael dictus, & lucta ejus myſtice 404
An Jacob mentitus ſit dicendo ſe eſſe primogenitum 397
Jacob quando factæ ſint promiſſiones 513
An Jacob peccaverit emendo jus primogenituræ ab Eſau 394
Jacob polygamia 401
ſecundo ſterilitatis anno in Ægyptum migrat 517
Jacob in benedicendo manuum tranſmutatio 411
Quomodo Jacob cum 75. animabus Ægyptum narretur ingreſſus cum plerique ex eis qui commemorantur tempore poſteriori ſint geniti 406
Jacob 147. annorum moritur in Ægypto 524
ſemen Jacob ab aliis quando ſegregatum 400
Japhet, id eſt latitudo 265
Jambres magus 416
Jannes magus 416
Icarus in mare ruit 569
Idololatriæ cauſa quam excogitavit Hieroboam 498
Idumæa per Eſau intelligitur 653
Idumeæ ſitus, quam etiam Nabathæam vocant 655
per Idumæos Judæi Romanos intelligunt ibid.
Jebus civitas quæ poſtea Hieruſalem 475
Jeſus, id eſt Salvator 489
Jeſus σωτὴρ ſalvator idem ſunt 661
Jeſus Sacerdos magnus legis libros reſtituit memoriter 677
Jeſu Nave quorum regum ætate mortuus 547
Jezrael opp. 472
Ignis in terra, ſub terra, & infra terram eſt 1065
tribulationis 1010
ignis infernalis æternus omnibus, ſed aliis levior, aliis gravior 958. 986
in animam quomodo agat 970
ignem infernalem, eſſe corporalem 973
Ignorantia noſtra damnationem noſtram oſtendit 1085
Ilia Rhea dicta 607
Imaginem hominis terreſtris & cœleſtis induere 57
Immortalis duplex 1112
Impiorum exitus quis 840
Inachus primus Argivorum rex, 513
Incredibilia tria
Incubi qui 238
Incantationes Salomon inſtituit 494
in India cum Gallico morbo infantes naſcuntur 1088
Indiæ limites, & populi illius mores 508
Indigetes qui dicti 600
Infans in Vet. Teſt. cur octavo die circumcidendus 559
Infantes cur cæteris animalium fœdibus infirmiores naſcantur 5
flendo mala ſua prophetant 981
perfecto corpore reſurrecturos 1071. & ſeq.

infan-

Infanticidia Chriſtianis objici ſolita 752
Ubi ſit infernus 890
Infernus gravior aliis, aliis levior 986
Inferni pœnam æternam eſſe, & quare 976
contra eos qui æternam negant 989
ad inferos iter in Tænaro promontorio Laconiæ 563
an dæmones tactu adurat 972
æternitas & qualitas 970
Cur mors dicta, cum in ea corpus & anima vivant 3
Inimicitiæ occultæ peſſimæ 781
Innocentius vicarius profectura à fiſtulis miraculo curatus 1049
Ino Athamantis uxor 579
Inobedientia Adam 125
Inobedientia hominis ſumma miſeria 125
Inops quis, & quid à paupere diſtet 435
Inſidiæ peſſimæ quæ 781
Inſulæ à terris remotiſſimæ unde beſtiarum genera acceperunt 287
Intercalares dies & menſes 169
An Interpp. LXXII. tantum quinque libros Moſis tranſtulerint 699
an Interpretes LXXII. fuerint ab invicem ſeparati 701
Invocari cœpit nomen Domini primo ſub Enos myſtice 217
Io, Iſis dicta 515. 516
Joan. Bapt. ſepulchrum in Sebaſta 654
Joan. Evangeliſta in Pathmum relegatus
Joannes Martinus Poblatio medicus 1088
Job Idumæus ad pop. Iſrael pertinuit 723
& quo tempore vixerit 723
ſecundum aliquos Jaſub & Joab dictus 724
in corpore Deum vidit 1107
Johel quo fuerit tempore 605
quo ſcripſerit tempore 635
Jonæ hiſtoria diſcuſſa 708
Jonia regio prius Ægialia dicta 554
Jonicus filius Noe ſyderum peritiſſ. 184
Joppe civitas Syriæ ante diluvium condita 573
Joſeph quo tempore in Ægyptum venditus 517
Quo ætatis anno Joſeph fuit venditus 518
110. annorum moritur in Ægypto 515
Quorum regum tempore Joſeph in Ægypto defunctus 525
Joſeph hiſtoria de matribus crudelibus 1090
Joſias antequam natus prophetice prædicatus 475
Joſue moritur 547
Iphigenia Agamemnonis filia 397
Ira quid ſit 125
Ira quomodo de Deo dicatur 247
Ira Dei, vita præſens 998
Ira Dei quid 247
Iræ furor & impotentia 138
Iſaac regnante Aralio quinto Aſſyriorum rege 513
à riſu nomen accepiſſe 374
Cur Iſaacum tempore famis noluit Deus ire in Ægyptum 391
Iſaac 120. annorum moritur 517
Cur Iſaac errore deceptus in benedictione 395
figura Chriſti 376
filios gratiæ ſignificat 171
quando factæ promiſſiones 513
In Iſaac vocabitur tibi ſemen, exponitur 375
Iſis Inachi filia 681. prius Jo. 514
navigationibus præpoſita 516
quæ fuerit, qualeve ejus ſimulacrum 515
Iſidis ſepulchrum 520
Iſrael videns Deum, interpretatur 404
quando terram promiſſam acceperit 423
in captivitatem ductus 620
Iſrael duplex 452

Iſrael reges omnes reprobi 499
Iſrael qui non ex carne, ſed animo exiſtit 639
Iſraelitici regni abolitio prophetata 402
Italia Saturnia dicta 584
Regum Judæ peccata longe minora quam Iſraelis 499
per Judam eos qui ex carnali ſunt ſemine intelligendos 639
Judæ nomine duæ tantum tribus comprehenſæ 496
Judæ proditio in Pſalmis prædicta 488
Iudæi cur cornu nunc clangant 377
unde, & quando ſic cœpere dici 184
judæi deteriores, carentes Prophetis, miris cladibus afflicti 710
Iudæorum cæcitas à Davide prædicta 409
repulſio vaticinata 639
Judæi quo tempore ex captivitate dimiſſi 628
cur diſperſi per omnes terras 718
quo tempore in captivitatem ducti 623
tributarii facti Rom. 711
judæorum duces, & reges poſt liberationem 710
judæos primus expugnavit Gn. Pomp. 499
judæa regio 649
Judicabimur ſecundum extrema in quibus inventi fuerimus 434
Judicandi munus quomodo attribuatur 854
Judicium Dei multiplex 842
de die judicii Lucani carmina 719
tempus omnibus incognitum 750
Judicium univerſale quare Deus decrevit 844
an qui vivent in judicio, ſint etiam morituri 903
de judicio extremo, utriuſque ſcripturæ teſtimonia 851
copiosè ex Pſalmis 619
Eſaiæ verba 907 & *ſeq.*
Judicia hominum temeraria 775
Iudices Iſraelis tredecim, quanto vixerint tempore 457
Iudith hiſtoria quo tempore geſta 628. 630 *ſeq.*
Niceni concilii decreto in canonem recipitur 630
Iulianus Eccleſiæ perſequutor 738
Iuliani apoſtatæ mira aſtutia 741
Iulius Æneæ filius ſacris præfectus 602
Iupiter Lycæus 590
Iovis animam mundum iſtum vocant Philoſophi 36
Ioves regum progenitores dicti 572
Iurare Dei quid 376
Iurarit cur in fœmore Abrahæ ſervus 380
Iuriſconſultorum officium quondam 825
Iuſtitiæ munus 775
Iuſtitia Dei non eſt quæ timore pœnarum conſtituitur 999
quæ 1025
Dei & humana quæ 431
eſt ipſe Chriſtus 1000
vera in quo conſiſtat 823
Iuſtitia non eſt quæ hominem Deo tollit 824
vera, in ea tantùm eſt Repub. ubi Chriſtus rector eſt 1111
Iuſtorum in hoc mundo contra vitia pugnando labores 1091
etiam juſti in peccatis ſumus 1016
Iuſtinus philoſophus martyrio coronatur 470
Iuventutem in 30. *eſſe anno* 1073
Iuvenes bonis aſſuefaciendi rebus ſecundum Platonem 986
Ixion Theſſaliæ rex 562

L.

Labdon Iudæorum judex 597
Laboſordacus Aſſyriæ rex 629
Labyrinthus quid 562
Lacinius fur, qui Cacus 799

Lactantius quæ de Sibyllinis ſcripſerit vaticiniis 612. & ſeq.
Lactantii laus 617
Lacteus circulus innumeras ſtellas complectitur 339
Lampares xxiij. rex Aſſyr. 582
Lamech ætas 190
Lampuſia Sibylla Colophonia dicta 614
Lapis in amnem Ægos cecidit 693
Lapithæ Lariſſæi dicti 563
Latinus Italiæ rex 586. 597
latinorum regnum à Latino dictum 586
reges illorum Sylvii dicti 605
Latium unde dictum 587
Latrones quam velint pacem 796
Lavinia Latini filia 601
Laviniorum annus xiij. Menſium 195
Laurentum Latii civi. 583
Laurentius igne excoctus 740
Laurus Apollini ſacra 553
Lenticula quid 393
Leophantus Epheſius ſapiens 615
Lepti pondus quale 1055
Lethæus amnis 1020
lætari impiorum eſt, ſicut gaudere piorum 90. 91
lætamur de bono 87
lætitia quid ſit 85
Leucippus viij. rex Sicyoniorum, pag. 513
Leucothea Matuta dicta 578
Levi tribus inter reliquas non connumerata 496
Levi tribus propter Domini templum cum Judaica manſit 6.6
Lex virtus peccati quomodo 10
legis libros incenſos Jeſus reſtituit 677
lex Dei quomodo dicta 1085
legis obſervatio ſine gratia hypocritas non bonos facit 986
lex, & ſi concupiſcentiã augeat mala tamen non eſt 10
lex naturæ norma conſtituitur, pag. 825
Liber vitæ 885
Liber cur dictus Bacchus 552
Dionyſius 550
Liberi imago delicata 572
Quales liberi nati fuiſſent hominibus ſi non peccaſſent 5
Liberales artes quæ 741
Libertas naturalis hominis 809
Liberum arbitrium in homine pag. 229
in beata vita erit 1111
& quomodo ab eo quod primus homo recepit, differat 1112
Libido quid 126
carnis quàm ſit vehemens 129. & ſeq.
confuſionis eſt cauſa 1074
primi peccati pœna & retributio 145
Libidinis furor, & quod in Paradiſo vitium non fuerit 137
cur libidinis opera & membra abſcondamus, cùm aliorum affectuum reliqua pateant, 137
Lignum ſcientiæ boni & mali, unde nomen acceperit 131. 134
An vis ligni vitæ fuerit ei naturalis 49
Lignum vitæ quid præſtabat comedentibus 46
an prohibitum concupiverint primi homines 105
Limæa fluvius Lethe dictus 1020
Lindus Rhodi urbs 626
ex Linguis lectionis varietatem eſſe corrigendam 202
Linguarum primam fuiſſe Phrygiam rex Ægypti ex pueris didicit 301
An linguarum diviſio contigerit in ortu ipſius Phaleg. 303
Linguarum diverſitas hominem ab homine abalienat 786
Linus Mercurii filius 579
Linum quod igne non abſumitur pag. 958
Lituus augurum proprius 584
Literarũ formas olim fuiſſe animalia 686

Moſes invenit. quas Phœnicibus tradidit, Phœnices Græcis per Cadmum 686
docere ac diſcere inter Chriſtianos, Julianus prohibuit 738
literis præfectos ſtatuit Moſes pag. 685
Qualis locutio quâ Deus Angelis loquitur 284
Quomodo Adæ locutus ſit Deus 180
Loquutiones Dei 287. & ſeq.
Lucani de die judicii carmina, pag. 719
Lucifer ſtella multa nomina habet 966
Ludere quid ſit ſecundùm Hebræos 166
Luna quanto tempore rurſus cum Sole coeat 202
Lupanaria unde dicta 608
Lupercal quid 551.556
Lupercorum exortus 589
Lupus ad Martem pertinet 608
Lycei dii 590
Λυχνȣ̃χοι quid 958
Lyncus Scythiæ rex 561
Lycorcavicus 545

M.

Maciem ex Jovis igne eſſe pag. 529
Machabæorũ hiſtoriã quis conſcripſit 677
ejus liber tertius Græcus 677
Machabæorum libros eccleſia quaſi canonicos habet 677
Μακρὸν τεῖχος urbs Thraciæ 655
Magica arte homines in animalia mutatos 591. & ſeq.
Magi Ægyptii incantatores tempore Moſis quomodo vocati 416
quatuor eſſe, quæ ſine omni magiſtro & artis inſtitutione diſcuntur 761
Magiſtratus novem Athenis 605
Quis Malachias 672
Malachias quo tempore prophetaverit 673
Maledictio parentum metuenda 1056
maledicti liberi à matre, divinam diu ſenſerunt ultionem 1052
Maleficiis quidam fidem cœpiſſe Chriſtianam dixere 758
mali cur bonos inſectentur 174
in Cham Noe filio deſignati 265
malos tolerandos in eccleſia Juda exemplo diſcimus 729
cur hîc proſperentur 845
malos ſemper primas tenere, pagina 162
pro malis orat hîc eccleſia 997
malis Deus bene utitur 733
malum ſapienti non accidit ſecundùm Stoicos 90
mali finis 760
Mala etiã Dei potentiam prædicare 10.5
ſine bonis eſſe non poſſunt 108
malorum ſcientia duplex 1112
Mamitus xij. Aſſyr. rex 525
de Mammona iniquitatis amici faciendi ſunt 10.7
Manaſſe quo tempore rexerit 621
Manaſſis ſtatua quinque facierum 621
Manichæorum de carnis origine error 83
Manuum Jacob commutatio in benedictione Manaſſis 413
Maratonius campus 548
Marathus Sycion. rex 547
Mare mediterraneum quod 321
Salinarum, id eſt mortuum 424
colore, quaſi veſtimento ſe indui 1096
Mars Athenis judicatus cùm Alirrhothion occidiſſet 544
Martis & Veneris adulterium, 561
Marti Lupus ſacer 608
Martyres non repugnando, ſed moriendo mundum vicerunt 1061
in martyrum corporibus in cœlo, an vulnerum cicatrices videbuntur 1081
Martyrium quid 1057
Martyrium pro Romuli divinitate aſſerenda nemo, pro Chriſti autem multi pertulerunt 1042
Maſpha ubi ſita 453
Maſpha, id eſt, intentio 453

in

in Mathematicos & divinatores invectio 751
Mathuſalem ſex annis ante diluvium mortuus 199
annos xiiij. poſt diluvium vixiſſe ſeq. 193
Matrimonium cognatis cur interdictum 206. ſeq.
Matuta Leucothea 578
Maximianus miniſter ſævitiæ Diocletiani 741
Maximus Eccleſiæ Synicen. Epiſcopus 1049
Mazaca Cappad. urbs, quæ nunc Cæſarea 1056
item Euſebia 1056
Medicina qua piorum animi juventur 126
Quis Melchiſedech 334
Meduſa una Gorgonum 566
Meduſæ caput 567
Et ejus fabulæ occaſio 567
Melanthus xvj. Athenienſium rex 597
Memnon Tithoni filius auxilio Trojanis miſſus 599
Memphis ab Api condita 520
Secundùm mendacium venere 81
Mendicus à minus dicitur 435
Menippus Phœnix Cynicus 139
Mentis humanæ natura & ſagacitas 1094
Menſis lunaris duplex 202
menſis quantitas apud veteres 201
Menſtruus fluxus muliebris 154
menſtruū generandi materia homini 366
Mercurius Atlantis nepos 527
animarum ductor & reductor cur 531
Meretrices lupas olim vocabant 607
Meridies Heb. themani dictus 661
Mœris Moſen filium adoptat 652
Meſappus ix. Sicyoniorum rex 517
meſappus mons 517
Meſopotamia unde dicta 308
Meſſiam qualem expectent Judæi 489
Metaphoris quare Scriptura utatur 482
Metus juſtorum 85
Mezentius Ethruſcorum rex 600
Μηχανήματα, quæ 959
Michæas quo ſcripſerit tempore 634
Quomodo Michæas quoad verſic. 2. cap. 5. cum Matthæo conveniat 651
Millenarii numeri myſterium 860
Milvi natura & generatio 500
Minei pop. nunc Arabes 723
Minerva è Jovis capite nata 556
Ἀθηνᾶ dicta 541
cur Pallas dicta 538
quando vixerit. Et cur dicta Tritonia 532
per oleum ſignificata 538
Minervæ quinque 532
minervæ ludi Athenis inſtituti 550
Minos legislator Cretenſium 558
Minotauri origo 561
Miracula cur jam non fiant 1045
& quæ ſit Chriſtianorum & gentilium differentia 1060
Miracula Chriſti 718
miracula per quos operetur Deus 1061
martyrum fidei eſſe teſtimonia 1062
miracula idolorum, quomodo Chriſtianis accipienda ſint 598
miracula Dæmonum an vera 594
ex miraculis dæmonum, Dei cognoſcenda potentia 958
miracula magorum & Dæmonum quomodo diſcerni debeant à veris 595
Miſeria humana per lacum ſignificata 670
Miſeri quomodo in pace, & ſine pace ſint 802
Miſeretur Deus omnium, quomodo 1000
Miſericordiam verum eſſe ſacrificium, ſi propter Deum fiat 42
Moabitæ populus in Arabia 724
Monachi militare nolentes, occiſi ſunt
Mons umbroſus quid ſignificet 658. (742
Quid Mons Domini Eſa. 2. 650
Monſtra unde dicta 966
monſtrorum ratio 288

Unde monſtroſa hominum genera 287
ex monſtris & portentis, quid Chriſtiano diſcendum 966
Morbus Gallicus, qui Neapolitanus, ab Indis advectus 1088
Mori incipere nos in ortu 18
moritur verbum, cur factum ut ſicut cætera verba declinari non poſſit 21
an omnes ſimus morituri 903
morientes qui dicantur 16.21
Mortui qui in mari ſunt 886
mortui plures ad Stephani memoriam reſuſcitati 1050
mortuos pœnis affici, ut purgentur, dixit Plato 979
Mors ſit nec ne, acuta diſputatio 21
martyrum bona 7.8
mortis tempus, quod ſit, & quale 17.ſeq.
in morte eſſe, quomodo dicatur 20.ſeq.
ſuadebant Stoici 775
mors bona & mala quomodo 12
duplex, prima & ſecunda 3
anima duplex 856
mors ſecunda duriſſima 841
mortem quam comminatus ſit dominus primis parentibus 24
morte ſecunda nihil in veteri teſtamento ſignificatum 56
horrenda & quare aliquando non ſentiatur 12
mortem cur fugiat homo 776
mortem non lege naturæ, ſed merito peccati inflictam eſſe 29
mors quomodo bonis bona ſit cùm pœna peccati exiſtat 4
malis mala bonis bona 16
per mortem delicta omnia condonari 13
mortificatio ſpiritualis 432
Mos nomen imponendi in baptiſmo 1058
Moſes Muſæus à profanis dictus 528
quo tempore in Ægypto natus 228
tempus ortus Moſis 534. & 527
quando populum ex Ægypto duxerit 547
537
quando fuerit, magna inter autores controverſia 528
annorum cxx. moritur in deſerto 547
moſis nativitas & vita 414
moſem omnium gentium theologis eſſe antiquiorem 681
moſoch Cappadoces dicti 879
Mneſtheus Athenienſis rex 597
Muli an fuerint in arca 254
an pariant 256
Qualis mundatio Malach. 3. intelligatur 920.
Mundus non repugnando, ſed moriendo vincitur 1061
de mundo victoriam, non ſibi, ſed Chriſto juſti adſcribunt 1091
in Mundo nil melius quam ſpiritus 1024
mundus quomodo in fine ſeculi ſit periturus 895
infantia mundi 415
ætas ab Adam uſque ad diluvium 222
mundum interiturum aliquando item dixit Plato 1103
mundi animam Jovem eſſe volunt philoſophi 36
Muſarum fons in Helicone 568
muſcarum generatio 256
muſæi tres 579
Muſicam ab Amphione inventam 568
muſicam dilexit David 475
Mycenæ unde dictæ, & à quo conditæ 583
Myſo in ſeptem ſapientum numero 615
Quid Myſterium iniquitatis 2. Theſ. 2. 901
Myrtus Veneri ſacra 553

Naba-

N.

Nabathai Idumai dicti 655
Naboar Aſſyr. rex, Baltbaſar dictus 629
Nabuchodonoſor, cum quibus Judæorum regibus geſſerit bellum 623
Nabuchodonoſor Chaldai rebus geſtis Herculi anteponunt 228
Nachor frater Abraha 308
Cur Nachor nulla mentio ſit in tranſmigratione Thare 307
Naturam rei cujuſque Dei eſt voluntas 964
naturam eſſe poſſe, in qua malum nullum, ſine bono autem nulla eſt 802
vitioſa per peccatum 1085
prima natura qua 769
bonam eſſe conditam ipſo peccato convincitur 1024
Navem primam Danaus ex Ægypto in Graciam duxit 548
Naum quo fuerit tempore 654
Navigantibus Caſtor & Pollux propitii 579
Nemroth quare venator dictus 278
Neocæſarea urbs Cappadocia 1056
Neptunum plures creaſſe equos 540
Neronis in Chriſtianos crudelitas 738
Neuth oppidum Ægypti Sais dictum 540
Nicandas coliarius palæſtrita 1103
Nilus Ægyptus ab Homero dicitur 302
Nili fons ignoratur, & cur ſit Oceanus dictus 51
Nihil nimis, Solonis ſymbol. 626
Ninus Aſſyriorum rex potens 271
Aſſyriis annis imperat lij. 320
totam occupat Aſiam 319
Ninus ſecundus rex Aſſyriorum 506
Nini potentia & regni magnitudo 506
Niniva oppida duo 272
à Nino condita 271
Ninivitarum pœnitentia 999
Niobe Amphionis uxor 569
Niſibis Archad dicta 272
Noe juſtus & perfectus 248
Propheta 684
nudus Chriſti paſſionem præfigurat 265
Noe generatio in filiis expoſita 271
filii, quid ſignificent 265. & ſeq.
filius Ionicus ſyderum peritus 184
Noe urbs in litore maris rubri 613
Noema, id eſt, voluptas 223
contra eos, qui Nomina propria ex ſua in peregrinam linguam mutant 672
Noſce teipſum, Thaletis ſymbolum 626
Nuditatem ſuam quomodo cognoverint primi homines 131
Numa cur non ſit Deus habitus 621
Numerus ſolidus quis 617
Numitor Latinorum rex 608
Nummus & ſeſtertius idem valent 1018
Nuptiæ ſecundæ pecc. non ſunt 382
Nuptias negant futuras Adamiani, ſi Adam non peccaſſet 141
Nuptias nullas eſſe poſt reſurrectionem 1076
Quibus verbis Nuptias Deus in Paradiſo inſtituit 143
Nyſa Arabiæ urbs 520

O.

Obedientia virtutum omnium mater & cuſtos 115
Obelus quid 704
Oblivio malorum duplex 1112
Obolus quo ſigno notetur 704
Occaſionem noſce, Pittaci ſymbolum 626
Oculum ex igne eſſe dixit Plato 40
oculos item futuros in corpore clarificato, & quod illorum officium 1106
Oeneus rex 597
Oeta mons 555
Ogygius quando fuerit 533
Ogygia, quæ nunc Bœotia 533
Oleum Ariſteus invenit 553
Minervam inveniſſe 550
Minervam ſignificat 538

Olea Minervæ ſacra 553
olea coronæ uſus 553
Olympi montes 254
Oneus XXIX. Aſſyriorum rex 597
Ophineus dæmonum princeps 110
Ophiuchus cæleſte ſignum 531
Ophiuſa, Rhodus dicta 515
Opera bona Dei eſſe, & cùm nobis tribuimus, ſervilia fieri 1113
opera mala cujus ſint naturæ 108
pro quibus ſit orandum & pro quibus non 997. ſeq.
in oratione Dominica, cur dicimus dimitte nobis debita, &c. 1016
oratio unde dicta Dominica 1016
orarium quid 1059
Orbis in ſuas partes tres diviſio 319
Ordo quid 802
Oreſtis corpus ſeptem cubitorum 188
Origenes dæmones poſt ſupplicia ſalvandos credidit 989
errores, quorum gratia ab Eccleſia eſt reprobatus 989
ὀργυιὰ quid 774. 777
Orpheus muſicus 578
Poëta Theologus maximus 620
Orphei ſcripta 587
Orthopolis XII. rex Sicyc. 527
Oſcillatio quid 600
Oſculum fœminæ infixum, verbere vindicandum 975
Oſeas rex Iſraël 609
Oſeas Propheta, quo ſcripſerit tempore 634
Oſiris multis vocatur nominibus 519
Oſtenta unde dicta 966
Ovationes minores ſunt triumphi 553
Ovidii de Chriſto carmina 719
Ozias Azarias dictus, quo vixerit tempore 636

P.

Pagi unde dicti 545
παγὸς quid Græcis 544
Palemon Portumnus 579
παλιγγενεσία quanto conficiantur tempore 1102
Pallas cur Minerva dicta 532
Palliati olim Græci erant 33
Palmus duplex major & minor 289
Pan Lycæus & ejus feſta 556
Pandora à Vulcano facta 529
Ubi fuerit Paradiſus 50
paradiſi fœlicitas 153
voluptas 109
paradiſum corporalem & ſpiritualem eſſe 49. 50
& ſpiritualis quid ſit 50
Quid Paradiſi nomine Gen. 3. intelligendum 51
Parentum maledictio metuenda 1056
Paræci qui 150
Paridis judicium fabulam eſſe 543
Parnaſſus olim Larnaſſus dictus 545
Parricidis legem nullam Solon voluit conſtituere 12
Parvuli cur moriantur, quibus peccata per baptiſmum remiſſa ſunt 7
Paſchalis agnus Chriſti typus 415
Paſcha qualem tranſitum ſignificet 419
Paſiphae Solis filia tauro ſuccumbit 571
Paſtores pecorum cur primi patres fuerint potius quàm reges 809
Patientiam non perire in æternum, quomodo intelligatur 97
Veri patris familiâs officium 811
pro Patria morti ſe dedit Codrus 601
Pauli Apoſtoli laus 96
Pauper a Paulo late dicitur, & quid ab inope differat 435
Paupertas ſibi conſcita, ſumma ſuperbia 986
Pax vera in vita futura 1114
bonorum noſtrorum finis 795
pax Dei omnem ſuperat pacem 1105

pax

pax firma nunquam huic populo Dei data, quia in æternum promiſſa 475
pax ſine bello aliqua eſſe poteſt 802
universalis rerum omnium quid 802
bonum incertum 780
noſtra qualis in hac vita 357
terrena malis paratur artib. 173
pacis bonum 765
pacis bono omnia conſtare 802
pacem iniquorum pacem non eſſe dicendam 798
pacem omnes cupere 796
etiam ſæviſſima humilia cuſtodiunt 797
Peccatum eſſe mendacium 80
peccatum & crimen quid differant 99
qua fiat voluntate 80
ipſum omnia eſſe bene condita, oſtendit 1024. & ſeq.
An peccatum ſit abſtinere ab his, quæ Lex divina prohibet timore pœnæ 106
concluſit Deus omnia ſub peccato, quomodo intelligendum 1000
peccati virtus qualiter ſit lex 10
in peccata cadere ſuperbis conducit 118
peccata nunquam nobis deeſſe, quantumvis juſtè in hoc mundo vivamus 1016
abſque peccato ſunt pauciſſimi 985
peccare poſſe nec eſt libertas nec pars libertatis 110
peccati primi pœna cur in omnes prorogata 978
peccato originali hac vita nobis pœnalis facta 983
in peccato originali duo eſſe mala 1092
An peccatum Adæ potuerit eſſe veniale 119
peccatum diaboli quod 77
peccatorum cauſa prima non eſt caro 76
An peccatum Adæ omnium graviſſimum gravius Evæ quoque fuerit 70. 978
peccatum primum cur tantam meruerit pœnam 115
An peccato quod momento temporis committitur juſtè infligatur pœna æterna 127
peccatum temporale cur ſupplicio punitur æterno 976
peccati pœna prima 25
mors eſt 4
peccatorum conſcientia peccati pœna maxima 971
peccato dominari 179
peccato & ſervire & imperare poſſumus 181
qualia peccata omnius nobis dimitti 1016
quæ ſanctorum interceſſiones veniam impetrant, difficile eſt invenire 1017
quædam in futuro remitti judicio 980
peccatorum excuſatio ipſis peccatis, prior eſt 123
peccato nullus color prætendi poteſt quo excuſetur 118
Pegaſus equus 560
Meduſæ filius inter ſydera relatus 568
pegaſi origo 566
Pelagus propriè quod dicatur mare 321
pelaſgus Syconiorum rex 514. 597
pelaſgi pop. 514
pelaſgi Danani unde dicti 578
pelaſgicum op. quod argos 184
Peloponneſus Ægialica Apia Argos dicta 320
Pœnitere Deum tropica locutione dicitur 107
Pœna peccati id eſt mors cur à regeneratis non aufertur 7
Pœna maxima peccatorum eſt ipſa conſcientia 971
cur ſit æterna cùm fuerit peccatum temporale 975
pœnarum octo genera ſunt 975
Periandri tyrannis 625
Periœci qui 298
Perſequutio eccleſiæ noviſſ. 878
perſequutio Chriſtianorum Decii maxima

ma ſed Diocletiani ſæviſſ. 741
de perſecutione quæ ſub Antichriſto futura eſt 750
perſequutiones Chriſtianorum ſunt numero incerta 738
Perſequut:onum efficaciſſimum eſt Chriſtum ex animis tollere 741
perſeus in cœlum locatus 560
perſeus ſtellas habet XVII. & ejus ſitus 572
Perſei fabula myſtica 566
Perſia aliquando Chriſtianos ejecit 735
an perverſi motus ſint in appetitu ſentiente, an vero etiam in parte animæ rationis compote 85
Pes XII. pollicibus conſtat 289
Petronia fœmina clariſſima Car. à morbo miraculo ſanata 1052
Petrus ſalubrius ſibi diſplicuit, quam ante placuit 118
magicæ artis à quibusdam inſimulatus 751
Petri Apoſtoli Apocalypſis 237
Pharan oppidum 661
Pharao Ægyptiorum regum omnium nomen commune 414
Pharaonis nomen qui Iſraelitas detinuit 416
Pharaones Ægypti reges quanto dicti ſint tempore 697
à Pharo Inſula dicti 416
Pharos arx Alexandriæ 416. & 698
Phariſæi qui 686
Pharus Inſula prius Carpathos dicta 416
Phagous frater Phorones Deus habetur 513
Phenas ex Haliæto generatur 800
Φιλαυτία quid 118
Philippus presbyter 723
Philo Judæus Apoſtolorum amicus 494
Philoſophia ad quid proſit 1087
Philoſophandi cauſa eſt finis boni 762
Philoſophi à Pythagora cœperunt appellari 623
Qui Philoſophi tempore Tarquinii Priſci apud Romanos imperantis & Sedekiæ apud Hebræos vixerint 623
omnes ſuperbi 99
inter ſeſe concertationes 692
diſſenſio unde ſit 691
Philoſophicorum ſtudiorum finis 691
Phineem Heliam eſſe putant Judæi 441
Phthiriaſis morbus 416
Phollis quid 1055
Phorbas VII. Argi rex 527
Phorcys Cyrenæus 567
Phoroneus II. rex Argivorum 513. 515
Phoroneus urbium primus conditor 184
Phoronicum opp. 515
Phryges po. Thogemor dicti 879
Phrygias literas Hercules conſcripſit 531
Phryxus Helles frater 565
Phyco Sybilla Samia dicta 64
Picus primus Laurentum rex 588
Saturni filius in avem mutat 583
Marti ſacer 584
Piſtius Deus qui Sangus 601
Pittacus Mitylenæus 625
Pittaci ſententia & ſymbolum 626
Patria & vita 625
An X. tantum Plagis Ægyptus percuſſa 418
Plato animas ſine corporibus in æternum eſſe non poſſe dixit
Et quid ſenſerit de reſurrectione 1102
mundum aliquando interiturũ dixit 1103
Quomodo ex Platonis & Porphyrii erroneis opinionibus elicere queamus Chriſtiani doctrinæ conſentanea 1102
in Platone tria ſunt quæ ei totum conciliarunt mundum 1103
Plemneus XI. Syco. rex 525
Plinii de Chriſtianis epiſtola 739
Πνεῦμα quid ſignificet 62
Πνοὴ quid 62

Pocu-

Poculum quid 771
Poetæ Theologi 578
Polemones multi 764
Polyphides Sicyoniorum rex 597
Pompejus Judæam oppugnat 711
ſanctiorum ſanctum initiat 713
Pompejopolis quæ prius Soli 625
Populus quid 823
Populus Herculi ſacra 553
Porphyrius quid de Chriſto ſcripſerit 828
Porphyrii de anima error 1101
Portenta dici, non eſſe, contra naturam 964
unde dicta 966
Portunus Deus 579
Ποσειδεὼν Athenienſis menſis 540
Præſtantii cujuſdam pater in caballum mutatus 592
Priamus Aſſyriorum regi paruit 599
Primigenia quæ Varroni 768
Procas Latinorum rex 607
Prodigia unde dicta 966
Proæreſius Cæſarienſis ſophiſta 741
in Prohibita nituntur omnes 10
Prometheus hominum de luto fictor 527
Promethei fabula 528
Promethei jecur ab aquila lacerari quid ſignificet 529
Promiſſio Dei dicentis Abrahæ, omnem terram quam conſpicis dabo tibi, quomodo vera 330
Promiſſio duplex patribus facta, ſpiritualis & temporalis 423
An promiſſio de ſemine Abrahæ multiplicando intelligenda de carnali 340
Promiſſiones Abrahæ factæ 311
factæ Davidi in Chriſto ſolo completæ 455
Promiſſio Dei de terra Canaan poſſidenda ab Iſraelitis quo tempore impleta 423
Propagationem omnium viventium, ex opere Dei eſſe 1093
Propheta qui propriè dicendi 422
cur pauci, cùm tanta ſit philoſophorum multitudo 691
Prophetas eſſe, qui in Prophetarum titulis nominantur 3,6
Prophetarum dicta tripertita 427
eorum conſenſus & commendatio 692
tempora & ordo 422
quando ſcripſerint 634
Propheticam authoritatem, omnibus ceteris ſcriptis antiquiorem eſſe 680 ſeq.
Proſelytus quis 724
Protheus Phari Inſ. rex 416
Providentiam deorum negavit Epicurus 693
Proximorum cura prima eſt inordinatæ concordia 805
Prudentiæ officium 775
Pſalmorum libri autor quis 476
Ptolemæus Philadelphus literarum ſtudioſus 697
LXXII. recipit interpretes 697
Ptolemæi Ægypti reges 696
Pubertas quid 205
Pudicitia quib. modis ſervetur 145
Pudendum nihil fuiſſet in homine, ſi non peccaſſet 25
natura gentes omnes tegere primi parentis peccatum 132
Pudoris cauſa eſt libido 1047
Pugilatus certaminis genus 590
Pulchritudo quid 1079
bonum Dei donum noſtro abuſu fit malum 231
Pulmonis omnium viſcerum molliſſimi, officium 148
Purgandi gratia temporarias pœnas pati poſt mortem quoſdam 980
Purgatorias pœnas ante judicium eſſe, poſt nullas 985. & 998

Pygmæi 289. 291
Pyrrhæ ſepulchrum 548
Pyrites lapis 954
Pythia quid 953

Q.

Quirites dicti non militantes, ſed jam jam dimittendi ab Imperatore 1039

R.

Rabies quid, & quæ animalia rabiei obnoxia 1089
Ratio quaſi ſopita in infantibus cur jaceat 1094
Regenerationes duæ 857
Quid ſit regnum illud ſanctorum cum Chriſto per mille annos 872. & 875
Regna tria tempore Abraham potentiſſima 319
mundi quatuor 914
duo potentiſſ. Aſſyriorum & Romanorum 506
Religio ubi nulla eſt, virtutes eſſe non poſſunt 836
Reſtitutus Calamenſis eccleſiæ presbyter 149
Reſurrectio prima & ſecunda 856
Reſurrectio corporum unde diſcenda 961
promiſſa 1030
de reſurrectione mortuorum Eſaiæ teſtimonium 907
Reſurrectionem noſtram impoſſibilem eſſe putant philoſophi 1031
contra eos qui carnis reſurrectionem negant & ſeq.
in reſurrectione ſexum non mutari 1074 & ſeq.
in qua ætate & corporis quantitate reſurrecturi ſimus 1074
capilli & unguium præſegmina quomodo redeant. 1078
nihil informe corporibus noſtris adhærebit 1078. 1080
qualia ſint futura 1069. 1084
Reſurrectionem quidem ajunt ad ſola corpora & non animam pertinere 877
de reſurrectione quid ſenſerit Plato 1102
Rhea Veſtalis quæ etiam Ilia 607
Retia quid 598
Rhinocorura ſitus 345. 350
Rhodus prius Ophiuſa 515
Roma quo tempore condita 610
Roma orbis caput futura fraterno dicata ſanguine 178
Roma altera Babylon 506. & 609
ſe ſua ipſius magnitudine fregit 711
Romæ Vita ſacra ubi 957
Romani ab Aſſaraco originem ducunt 219
in Rom. imp. principio fuiſſe prophetas 635
Rom. regnum omnium bellorum feritatem vicit 914
Romuli & Chriſti collatio 1044
Romulum & Remum cur lupa aluerit 1037
Romuli corpus nuſquam inventum credidit plebs in cœlos ſublatum 1032

S.

Sabbathum domini inter nos & illum ſignum eſſe ſanctificationis 1112
maximum, quod veſperam non habet 1113

Sabini unde dicti 601
ſacerdotium Judaicum mutandum præfiguravit Samuel 439
Sacra diis feſtis inſtituta 550
ſacra via Romæ 557
Sacrorum poteſtas ſecundum regem maxima 603
neminem damnandum, qui ſacramenta Chriſti habuerit, quidam opinantur 992
Sacrificiorum recta oblatio, & diviſio 178
Sacrificia ſanctorum quæ ſunt 922
Sacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech 441
Sacrificii non munera, ſed animum reſpicit Deus 178
Sacrificium novi teſt. 493
Saguntini univerſam civitatem interire quàm fidem frangere maluerunt 1043
Sais op. Ægypti Neuth dictum 540
Sal unde conficiatur, & quare in aqua ſolvitur, & in igne reſiliat 953. 964
Salis ſtatua in quam Loth uxor converſa eſt myſticè 372
Salapia Apuliæ civitas 587
Salem, quæ Hieruſalem 475
Salmanaſſar, qui Sennacherib 621
Salomon interpretat. pacificus 456
Et quod Chriſti fuerit figura 456
vivente patre cœpit regnare 456
annis 40 regnavit 473 quando 605
an Salomonis tempora verè dicantur pacifica 473
Salomon fœmineis blanditiis compulſus fit Idololatra 108. ſeq.
libros multos conſcripſit qui non extant 494
Salventur quare non omnes 978
Samaria nunc Sebaſta 654
Samaritani, qui & unde dicti 621
Samaritanæ literæ 677
Sambecha, Sibylla perſica dicta 614
Samſon Hebr. judex 597
Samuel judex & ſacerdos 430. 436
Sangus qui ſanctus primus Sabinorum rex 597
Sangus Deus Piſtius dictus 601
Sancti quomodo damnatorum ſcient pœnam 1112
ubi erunt in conflagratione mundi poſt judicium 895
quâ oblivione malorum non meminerint 1112
ſanctorum mors pretioſa 13
egreſſio ad videndum pœnas malorum qualis 912
videre eorum in futura vita, quale ſit 1105
ſanctis nec templa ſtatuimus nec ſacrificamus 1062
Sancti miracula à domino impetrant 1061
Sancti quid acturi ſint in vita futura 1104
Sanctorum regnum cum Chriſto, mille annis quid 872
ad memorias illorum multa olim facta miracula 1045
Sanctorum interceſſione omnes homines eſſe ſalvandos in judicio quidam opinantur 990
Sanctos pro peccatis noſtris intercedere in vita futura 1017
Saphonum Sybilla 614
Saphrus XIV. rex Aſſyr. 527
Sapientiæ lib. Salomonis non eſſe 492
Sapientis vita eſt virtus 770
Sapienti nullum malum poſſe accidere opinantur Stoici 90
Sapienti non eſſe adminiſtrandam rempub. quidam dixere 691
de ſapiente ſolus ſapiens judicare poteſt 530
Sapientes in quo à cæteris differant hominibus

nibus 43.44
ſeptem ſapientum nomina 623
ſapientum ſeptem ſententiæ 626
quo vixerunt tempore 623.624
Sara ſoror Abrahæ 323.324
Significat principem 366
cœleſtem ſignificat civitatem 165
Saræ ſterilitas 171
pulchritudo 372
nomen cur mutatum, quidq́; illud ſignificet 365
Sarpedon 554
Saturni familiæ regum antiquorum vocantur 532
Saturnia Italia 584
Saturnius Vzalenſis eccleſiæ epiſcopg 1047
Saul annis 40 regnavit in Iſrael 452
Scala Job quid ſignificet 401
Sceleris in ſcelere, ſcelus ipſum eſt ſupplicium 971
Scipio quo tempore Romæ floruerit 1040
Sciopodes 288.292
dominus ſcivit.i.e. ſcire fecit 371
Scribæ qui 686
Scripturæ apocryphæ, unde dictæ 235
ſcripturam è Græco in Latinū verſam 61
ſcripta antiquorum quorundam cur non recipiantur in canonem 654
ſcriptura cur humano more de Deo loquatur 247
In ſcriptura cur nonnulla reperiantur Hebraico ſermone edita, quæ tamen non reperiuntur in translatione LXX. Interpretum & viceverſa 707
ſcriptura duorum teſtamentorum quomodo intelligenda 165
ſcripturæ intellectus triplex 427
ſcripturam hiſtoricè & allegoricè interpretandam 252
ſacræ ſcripturæ interpretes multi 697
Et quæ omnibus præferenda 702
In dubiis verbis ſcripturæ, unde veritas petenda 92.102
Scythius equus Neptuni 540
Sebaſta quæ olim Samaria 654
Seculum unde dictum 355
per ſecula ſeculorum æternitatem intelligit ſcriptura 995
Secundæ res etiam ſapientium fatigant animos 492
Seir mons Eſau dicitur 655
Selenites lapis lunæ imaginem referens 954
Seleucia quondam Calane dicta 302
Sem civitatis Dei inſtaurator poſt diluvium 296
Sem, id eſt, nominatus, figura Chriſti 265
Semiramis 509
Semiramis à filio interfecta 506
Senaar campus Chaldææ 272
Senium non ſenſit Zoroaſtris caſeus annis viginti 981
Sennacherib Salmanaſſar dictus, 621
non ſolum ſenſu, verum & intellectu ſentiri 1108
Septimus Severus Imper. Chriſtianorum perſequutor 740
Septenarius numerus, eccleſiæ perfectionem ſignificat 432
Septuaginta interpretes 708
Septuaginta interpretes nemo auſus emendare 703
omnibus aliis præferendi 702
Septuaginta quinq; animæ cum quibus Ægyptum intravit Jacob 406
Sequanorum fines ab Helvetiis per murum diviſi à Cæſare 255
Sampis quis 519.510
ejus ſimulachrum ibid.
Apis dictus 519
ejus ſepulchrum 520
Sarapidis ſymbolum canis triceps 564

in Sampidis templo ſimulacbrum ferreum in aere pendere 959
Serræ inventor 569
non Servire Deo, homini non Deo moleſtum 125
ſervitutem per peccatum introductam 809
ſervi unde dicti 810
ſervilia erunt opera bona, ſi nobis tribuantur 1103
Seſtertius quid 1018
Seth interpretatur reſurrectio 214
Filii Seth cur vocentur Filii Dei 241
Sibylla quæ Tarquinio libros vendiderit 614
Sibyllæ quæ dicantur 612
quot fuerint quove vixerint tempore 613
Sibylla Cumana dicta Amalthea Herophile & Demophile 614
Sibyllarum de Chriſto vaticinia, ex Lactantio 613
Sibylla Colophonia Lampuſia nomine 614
Sibylla Cumæa Italica dicta 613
Sibylla Delphica Themis nominata 613
Sibylla Erithræa, quo tempore fuerit 613
Sibylla Erithræa manifeſtè de Chriſto ſcripſit 611
Sibyllæ Erithrææ verſus de CHRISTO 611
Sibyllæ Erithrææ duo 614
Sibylla Helleſpontica 614
Sibylla Perſica, quam Chaldæam & Hebræam vocant, Sambetha dicta 614
Sibylla Samia Phyto dicta 614
Sibylla Samia, quando fuerit 621
Sibylla Tyburs Albunea nomine 614
Sibyllini verſus, quà ratione ſcripti 615
Sibyllinas prophetias non eſſe fictas 719
Sichem cur duæ & ubi ſita 323
Sicyon urbs Peloponneſi 320
Sicyonii res ſuas occultiſſimas eſſe volebant 504
Sicyoniorum regnum in Europa 320
annorum dcccclix. expirat 599
Sicyoniorum origo 508
regum ordo 513. ſeq.
reges primi 506
Sigalion Deus Harpocrates 520
Quod fuerit Signum externum, quo Cain cognoverit oblationem Fratris Abel placuiſſe Deo ſuam non 181
Silvani incubi dicti 253
Silentii Deus Harpocrates 520
Silvius iv. Latinorum rex 597
Simulacrorum uſus quando cœperit 621
Sina mons qui Caſſius 166. & 169
Sion interpretatur ſpeculatio 481
Sion mons ſignificat Judæam 653
ex Sion Evangelium prodiit 486
Syriæ nomine olim Aſſyriam comprehendebant 305
Syri ex piſcibus lacus Dercetonis non guſtant 509
Sitici populus Mauritaniæ 1055
Societatis humanæ gradus tres 786
Sodomiticum incendium quid ſignificat 372
incendii prophani meminerunt ſcriptores 372
veſtigia ejus in fructibus illius relicta 954
Solem ſtetiſſe, & rediſſe retrò 965
Solem lapidem eſſe dixit Anaxagoras 693

Solon cur nullam pœnam parricidis conſtituerit 11
Solonis patria, vita & mors 625
Symbolum, nihil nimis 626
Soli Ciliciæ urbs Pompejopolis poſtea 625
Solyma cur Hieruſalem dicta 425
Solymi populi 425
Somnus aliquando inquieta quies, pagina 1087
Sophonias quis 664
quando prophetarit 663
Σωφροσύνη quid 774
Σορὸς quid 319
Sotadicum carmen 479
Sphinx quid, & quæ illius forma, pagina 291
Sphingis forma & anima 571
Spiraculum quod Deus primo inſpiravit homini 61
Spiritum ſanctum ſufflando dedit Chriſtus 62
Spiritus ſanctus quo die miſſus 755. 758
ſine Spiritus ſancti gratia nulla prodeſt correptio 176
Spiritus humani poſt exutum corpus præſtantia 1096
Spithama quid 289
Sporades inſulæ 570
Staphilus paſtor 552
Stellas non omnes videri poſſe 338
Stelliones quid 256
Sthenelus ix. Argi. rex 527
Steno Gorgonum una 566
Sterces ſtercorationis agrorum inventor 584
Ad S. Stephani reliquias miracula facta 1050
San. Stephani reliquiæ Romam tranſlatæ 1051
Stephaterium quid 553
Stercutius deus 584
Sterilitatis cauſæ 366
Sterilitatis cauſa præter naturales eſt quoque Deus 1097
Stoicorum ſuperbia 774
Subſcudes quid 255
Succubi qui 236
Sudare hominem quando vellet, vidit Auguſtinus 149
Superbia quid 116
malæ voluntatis initium 116
perverſè Deum imitatur 798
commune philoſophorum omnium vitium 99
nonnunquam major in inopia quàm in copia 986
Superbia invidiam ſequitur 109
Superbi ſibi placentes dicti 117
Supplantatio quid propriè 490
An in ſupputatione annorum Hebræorum magis quam LXX. Interpretum ſequenda autoritas 198. 200
Sicyonii regni potentia 319
Sydera ex elementis conſtare docuit Plato 1065
Syderum curſus 964
Sylvius Æneæ filius 597
Sylvii Latinorum reges dicti 605
Symeon Cleophæ filius ſecundus Hieroſolymitanus epiſc. martyr 739

T.

Talionis pœna 975. & 976
Talus ſerræ & torni inventor 569
Taprobane inſula 294
Tarquinio Priſco Sibyllini oblati libri 614
Thecua oppidum 635
Theologus licet non poſſit evidenter demonſtrare fidei myſteria vera eſſe, poteſt tamen oſtendere ea non repugnare rationi

...tioni licet ſint ſupra rationem 1067
Telexion v. Sicyoniorum rex 507
Templum ſecundum, novum eſt teſtamentum 710
Templum Hieruſalem à Caſſio ſpoliatum 711
Quid per Templum Dei 2. Theſſ. 2. intelligatur 900
Templi Hieruſ. qui ſcriptores meminerint 606
Templi primi & poſtremi differentia 710
an tempore extremo & Diabolo ſoluto acceſſuri ſint aliqui ad fidem 871
Cur Deus tentari primum hominem permiſerit 158
non omnis Tentatio culpanda 377
Tentationes Gentilium abſque Chriſti gratia fuère 1092
Terra nova 889
quare medio librata pendeat 40
terræ promiſſionis limites 414
in medio terræ, i. in hoc corpore 433
tantum terræ quantum oculis potuit circumſpicere Abrahamo Deus ſemini ejus promiſit 330
terram in duas tantùm partes nonnulli diſpeſcunt 320
Terræ promiſſæ habitatores an decem vel ſex 349
terram promiſſam quando Iſrael totam poſſederit 423
terræ motus in domini morte 756
Teſtamenta Dei multa 360
Teſtam. vetus cur ſic dictum 547
Teſtes aliquando tormentis examinati 782
Thales Mileſius quando vixerit 620. 624
ejus dicta & ſymbolum 626
Thare domus perſecutionem paſſa à Chaldæis 308
Thare quando mortuus 311
Thebæ Dioſpolis dicta 154
Thebas Amphion condidit 568
Theman quid 660
Themis Sibylla Delphica 613
Themidis deæ templum 518
Theodorus juvenis martyr 742
Theſeus apud Orchum captus 598
Theſmothetæ qui 606
Thiniſſa oppidum Aphricæ 1055
Tigris item paci ſtudet 797
Timor quid 84
an aliquis Timor remaneat in beatis 104
Timor caſtus 97. 1004
qui in charitate non eſt 97
in bono eſt 87
Tingitana Mauritania unde dicta 555
Tylon Indiæ inſula, ligna incorruptibilia producit 952. 956
Toga Rom. indumendum 33
Tormenta quomodo adhibenda 785
Tormentis veritatem inquirere, quis invenerit 783
An Tormenta toleranda 784
Torni inventor 569
de Transformationibus arte dæmonum factis quid credendum 581
Tranſlatio ſcripturæ ſacræ per LXXII. Interpp. quando facta 699
Trajani de Chriſtianis ſententia 739
Τριβώνιον quid vocent Græci 139. 140
in eccleſia eſſe, neceſſe eſt, ſive intus ſive foris 733
cur tribulationibus boni hic obruantur 845. 843
Tribulationibus omnes ſubeſſe homines 845
Tribus duodecim abſque tribu Levi 496
Trinitas in unitate probatur 284
Triopas vij. Argi. rex 127. 547
Triptolemus anguibus portatus 551
Triptol. fabula, area & ara 561
Triſtitia quid 84

Triſti-

Triſtitiam in bono & malo eſſe 91
Triton palus & ex ea fluvius 533
Tritonia quare dicta Miner. 532
Tritones civit. tres 533
Troja quo tempore deſtructa 586
Troja locus marit. in Latio ibid.
Tropus quid ſit ibid.
Tropis utitur ſcriptura 378
Tullia Ciceronis filia 777
Turimachus Sicyon. rex 513
Turtures vere occultari, & pennas amittere 345
Tyndaridæ Caſtor & Pollux dicti 579
Tyrannide nihil fœdius 617
Tyrinthia, Herculis patria 555

V.

Valens Imperator Arrianus pag. 742
Valentinianus major fidei confeſſor 441
Quid Varro crediderit de hominum commutationibus 589
Velamen Judaicum, quod 452
Velle dicitur Deus, quod non vult, quomodo 1026
Veneficia an verè corpora in alia mutent 592
Cur Verbum Joh. 1. dicitur Caro & non Homo factum 74
Veritatis cognitio à corpore impeditur ſecundum Platonem 32
Veſperugo, Veneris ſtella dicta 964
Veteres cur paſturæ potius quàm regno dediti 609
Videre Dei quid 283
Videre ſanctorum in alia vita, quale ſit 1105
Viſio Dei præmium eſt fidei 1105
Viſio an fiat remittendo vel recipiendo radios 40
Vitium cujus ſit natura 108
Vitia non omnia ex carne eſſe 49
quando verè vincantur 985
contra vitia pugna juſtorum 1090
Vitio ſe benè conditum, natura docet 1024
omnium morum humanorum vitioſitas ex quatuor pendet affectibus 83
Victoria de hoc mundo, non noſtris viribus aſcribatur 1090
Vicus in Hiſpania centum ferè domorum ab ſene uno propagatus 184
Vinum cur οἶνος dictum 552
Vinum Ariſteus invenit ſecundùm Ariſt. 553
Vini inventio 555
Vir regens uxorem, animo ſimilis regenti carnem 180
Quid per virum perfectum intelligatur Epheſ. 4. 1071
Vergilius evangelica uſus ſententia 1017
Vergilii de Chriſto carmina 719
Virtutes niſi ad Deum referantur, vitia ſunt non virtutes 836
An virtutes propter ſe amandæ 836
Virtus an diſcatur 763
ſibiipſi ampliſſimum eſt præmium 983
An virtutes poſt hanc vitam remaneant in beatis 795
virtutis præmium eſt ipſe Deus 1111
Vita humana tentatio eſt ſuper terram 981
Vita quid ſit ſecundùm carnem & ſecundùm ſpiritum 72. & 79
An quis ſimul vivens poſſit eſſe & mortuus 20
rectè vivere quid 433
non eſſe ex nobis 773
per ſe nemo poteſt, niſi Dei adjutorio 157
ſecundùm hominem vivere, & ſecundùm Deum quid 80
Vitam videri per corpus 1108
Vita præſens ira Dei 998
Vita mortalium an mors potius dicenda 18

hujus vitæ tempus curſus ad mortem dicitur 18
Vitæ velocitas Centaurorum fabula notatur 563
ab hujus vitæ calamitatibus, nemo liberat niſi gratia Jeſu Chriſti 1087
hujus vitæ miſeriæ natura nos damnatos eſſe prædicant 1085
de bonis & commodis quibus hanc vitam Dominus donavit 1092 & ſeq.
Vita beata, beatior & beatiſſ. 770
Vita beata & æterna deſcriptio 1110 & ſeq.
non eſſe in hoc mundo 775
in vita futura nulla eſt invidentia 1111
quid acturi ſint ſancti 1104. ſeq.
vitæ genera tria 768
vita ſocialis 770
Unica quid & quomodo ſignetur 704
Unitas in unius hominis creatione commendata 1074
Voluntas duplex in Deo 1026
Voluntas Dei abſoluta quid 1030
quomodo mutetur 1025
qualiter quædam contra domini voluntatem fieri dicantur, & tamen ſecundum ipſam fiant 1029
An ex ſola Dei Voluntate pendeat quod alia ſint vaſa in honorem alia in contumeliam 164
Voluntas affectibus dominatur 84
voluntas bona quæ 86
voluntatis malæ initium eſt ſuperbia 116
Voluptas quid ſit ſecundum Epicurum 763
Vox ſonus quivis dicitur 1057
Urbem primam quis poſuerit 184
Uxoris vera dilectio 1069
Uzali vicina Utica 1052

X

Xantus Cretenſium rex 550. 55
Xanthus Aſterius dictus 553
Xenophanes quando vixerit 623
Xerxes Balaus dictus Aſſyriorum rex 513
Xerxes plures, & quid ſignificent 514.

Z

Zacharias quo vixerit tempore 676
Zonæ quinque mundi 293
Zoroaſtres natus, mox riſit 981

INDEX QUORUNDAM SCRIPTURÆ DICTORUM PASSIM HOC OPERE ALLEGATORUM ET EXPLICATORUM.

Geneſeos

Cap.	*Verſ.*	*Fol.*
1	28	142
2	7	61
	17	24.29
	25	137
3	5	117
	9	29
4	7	178
	26	217
6	2	234
	3	244
9	25	263
10	11	274
12	5	310
13	16	328
15	9	340
	13	344
17	14	362
22	1	377
25	23	385
46	26	407
49	10	711

Lib. I. Regum

2	5	430.& ſeq.
	29	439
15	11	107
	28	452

II. Regum

7	11	473
	9	456

Jobi

Cap.	*Verſ.*	*Fol.*
19	26	1107

Pſalmorum

6	6	21
39	6	729
40	6	934
44	per tot.	480
68	23	491
71	8	456
89	50	470
101	27	916
104	4	125.
109	per tot.	486
145	4	125

Proverb. Salom.

9	1	493

Cantic. Canticorum

4	12	5[illegible]

Eccleſiaſtes

12	14	848

Eſaiæ

2	2	650
	3	755
29	19	907
53	7	932
65	23	923
66	12	910

15

Cap.	Verſ.	Fol.
	15	908
	Jeremiæ	
31	53	428
23	24	1106
	Danielis	
7	18. & ſeq.	913
12	2. & ſeq.	914
	Jonæ	
3	4	708
	Micheæ	
5	2	651
	Habacuc	
2	4	773
4	3	658
	Aggai	
2	8	670
	10	710
	Zachariæ	
9	11	670
	Malachiæ	
3	3	920
	4	922
4	4	926
	Ex Novo Teſtam.	
	Matthæi	
7	12	90
12	29	869
12	42	851
13	52	850
19	28	852

Cap.	Verſ.	Fol.
	Lucæ	
12	7	1078
16	24	973
19	32	373
20	34	221
21	18	1078
	Johannis	
1	14	73
5	25	856
6	70	489
8	36	108
10	18	409
21	15	86
	Actorum	
1	6	750
7	2. & ſeq.	311.314
	Romanorum	
8	32	1096
9	12	388
	21	162
10	33	845
	1.Corinth.	
3	12.& ſeq.	1009
2	3	80
6	2	855
10	4	726
15	28	1111
	43	46
	56	855
	2.Corinth.	
5	4	76
	Galatarum	
4	23	165
5	19	73

6

Cap.	*Verſ.*	*Fol.*
6	2	177
	Epheſ.	
4	13	1072
	1.Theſſal.	
4	17	903
	2.Theſſal.	
2	3	900
	4	897
	11	899
	1.Timoth.	
2	14	109.114
3	1	817
5	8	805
	2.Timoth.	
2	19	661

Cap.	*Verſ.*	*Fol.*
3	8	418
	Hebræorum	
1	5	457
11	11	365
11	19	376
	Jocobi	
2	13	1017
	1.Johannis	
4	18	97
	Apocalyp.	
20	2	867
	3	860
	6	859
	6	874
	10	880

SOLI DEO GLORIA.

1137

Digitized by Google

Digitized by Google